**Over dit boek**

Dit is een digitale kopie van een boek dat al generaties lang op bibliotheekplanken heeft gestaan, maar nu zorgvuldig is gescand door Google. Dat doen we omdat we alle boeken ter wereld online beschikbaar willen maken.

Dit boek is zo oud dat het auteursrecht erop is verlopen, zodat het boek nu deel uitmaakt van het publieke domein. Een boek dat tot het publieke domein behoort, is een boek dat nooit onder het auteursrecht is gevallen, of waarvan de wettelijke auteursrechttermijn is verlopen. Het kan per land verschillen of een boek tot het publieke domein behoort. Boeken in het publieke domein zijn een stem uit het verleden. Ze vormen een bron van geschiedenis, cultuur en kennis die anders moeilijk te verkrijgen zou zijn.

Aantekeningen, opmerkingen en andere kanttekeningen die in het origineel stonden, worden weergegeven in dit bestand, als herinnering aan de lange reis die het boek heeft gemaakt van uitgever naar bibliotheek, en uiteindelijk naar u.

**Richtlijnen voor gebruik**

Google werkt samen met bibliotheken om materiaal uit het publieke domein te digitaliseren, zodat het voor iedereen beschikbaar wordt. Boeken uit het publieke domein behoren toe aan het publiek; wij bewaren ze alleen. Dit is echter een kostbaar proces. Om deze dienst te kunnen blijven leveren, hebben we maatregelen genomen om misbruik door commerciële partijen te voorkomen, zoals het plaatsen van technische beperkingen op automatisch zoeken.

Verder vragen we u het volgende:

+ *Gebruik de bestanden alleen voor niet-commerciële doeleinden* We hebben Zoeken naar boeken met Google ontworpen voor gebruik door individuen. We vragen u deze bestanden alleen te gebruiken voor persoonlijke en niet-commerciële doeleinden.

+ *Voer geen geautomatiseerde zoekopdrachten uit* Stuur geen geautomatiseerde zoekopdrachten naar het systeem van Google. Als u onderzoek doet naar computervertalingen, optische tekenherkenning of andere wetenschapsgebieden waarbij u toegang nodig heeft tot grote hoeveelheden tekst, kunt u contact met ons opnemen. We raden u aan hiervoor materiaal uit het publieke domein te gebruiken, en kunnen u misschien hiermee van dienst zijn.

+ *Laat de eigendomsverklaring staan* Het “watermerk” van Google dat u onder aan elk bestand ziet, dient om mensen informatie over het project te geven, en ze te helpen extra materiaal te vinden met Zoeken naar boeken met Google. Verwijder dit watermerk niet.

+ *Houd u aan de wet* Wat u ook doet, houd er rekening mee dat u er zelf verantwoordelijk voor bent dat alles wat u doet legaal is. U kunt er niet van uitgaan dat wanneer een werk beschikbaar lijkt te zijn voor het publieke domein in de Verenigde Staten, het ook publiek domein is voor gebruikers in andere landen. Of er nog auteursrecht op een boek rust, verschilt per land. We kunnen u niet vertellen wat u in uw geval met een bepaald boek mag doen. Neem niet zomaar aan dat u een boek overal ter wereld op allerlei manieren kunt gebruiken, wanneer het eenmaal in Zoeken naar boeken met Google staat. De wettelijke aansprakelijkheid voor auteursrechten is behoorlijk streng.

**Informatie over Zoeken naar boeken met Google**

Het doel van Google is om alle informatie wereldwijd toegankelijk en bruikbaar te maken. Zoeken naar boeken met Google helpt lezers boeken uit allerlei landen te ontdekken, en helpt auteurs en uitgevers om een nieuw leespubliek te bereiken. U kunt de volledige tekst van dit boek doorzoeken op het web via `http://books.google.com`

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

# DESIDERII
# ERASMI
# OPERVM
# OMNIVM

## TOMVS TERTIVS.

Digitized by Google

Digitized by Google

187 A-2

# DESIDERII ERASMI
## ROTERODAMI
# OPERA OMNIA
## EMENDATIORA ET AVCTIORA,
AD OPTIMAS EDITIONES, PRAECIPVE QVAS IPSE ERASMVS POSTREMO CVRAVIT, SVMMA FIDE EXACTA,

DOCTORVMQVE VIRORVM NOTIS ILLVSTRATA.

*TOMVS TERTIVS,*

QVI COMPLECTITVR

Epiſtolas, pluribus, quam CCCCXXV, ab *Eraſmo*, aut ad *Eraſmum* Scriptis auctiores,
*Ordine temporum nunc primùm diſpoſitas, multò quàm umquam antea emendatiores,*
Et præſtantium aliquot virorum ad quos ſcriptæ ſunt imaginibus ornatæ.
*Acceſſerunt accuratiores Indices.*

TOMI TERTII PARS PRIOR.

J. Goeree del. J. Baptist Sculp.

*LVGDVNI BATAVORVM,*
Curâ & impenſis PETRI VANDER AA, MDCCIII.
*Cum ſpeciali Privilegio Illuſtr. ac Præpotent. Ordd. Holl. & Weſt-Friſiæ.*

Digitized by Google

KONINKL.
BIBLIOTHEEK
TE 'SHAGE.

Digitized by Google

# CANDIDO LECTORI
## S.

OPERUM *Deſ. Eraſmi* nullum eſt notius, & quod doctorum hominum manibus jucundiùs teratur, quàm Epiſtolarum volumen. Quamvis enim in aliis ſint multa doctiora & reconditioris eruditionis plena, ut in *Adagiorum* volumine; attamen eam auctoritatem in Republica Litteraria, ad hunc uſque diem, obtinuit *Eraſmus*, tantáque eſt ingenii ejus amœnitas, & judicii id acumen; ut non minùs cupiant Eruditi noſſe quæ ad ipſum *Eraſmum* pertinent, & quæ joca aut ſeria ad amicos ex tempore ſcriberet; quàm quæ ex abditiſſima Antiquitate, non ſine labore & meditatione, ſeu ſacra, ſeu profana illa ſint, depromebat. Nec ſanè video cur tantâ curioſitate Poëtæ, Rhetores, Theologi cujuſvis antiqui vitam rimemur, ut vel minimas ejus circumſtantias diligentiſſimè adnotemus, iiſque erutis planè triumphemus; ad vitas verò præſtantiſſimorum virorum, qui Patrum aut Avorum noſtrorum ævo vixerunt, egregiámque operam Reipublicæ Litterariæ aut Eccleſiaſticæ navarunt, nauſeemus. Sed non omnium, imò paucorum hoc eſſe faſtidium quotidie experimur, & nuper in *Eraſmo* etiam noſtro experti ſumus. Cùm enim ſermone Gallico Vitam ejus edidiſſemus, collectam potiſſimùm ex hac Epiſtolarum ejus Editione, vidimus eam ſummo cum plauſu à viris elegantioribus excipi, & avidiſſimè legi; cùm propter res ipſas, tum etiam quòd non tam nos narraremus quid feciſſet aut dixiſſet *Eraſmus*, quàm ipſum veluti in ſcenam denuo prodeuntem & verbis, ex Epiſtolis deſumtis, rem totam exponentem induceremus. Dixit *Lib.* II. *S.* I. *Horatius* de *Lucillii* Scriptis:

*Ille velut fidis arcana Sodalibus olim*
*Credebat libris; neque, ſi malè ceſſerat, umquam*
*Decurrens aliò; neque, ſi bene; quò fit ut omnis*
*Votivâ pateat veluti deſcripta tabellâ*
*Vita ſenis.*

Idem dixeris de hiſce *Eraſmi* Epiſtolis, cùm ab ipſo, tum ab aliis editis. Quæcumque rectè, aut ſecus fecit, vel ſenſit, quæ timuit, quæ cupiit, omnia hîc ſine fuco expoſita ſunt; erat enim hæc indoles *Eraſmi*, ut diu celare non poſſet quod ſentiebat, præſertim amicis, & interdum quoque inimicis, ſi paullò commotior eſſet. Interdum quidem paullò cautiùs loqui videtur, ſed mox ad ingenium redit; ita ut facilè intelligas quid reverâ ſenſerit, ſi modò ſequentes Epiſtolas legas.

Editæ fuerant, *Eraſmo* vivo, Epiſtolæ plurimæ, quarum numerum auxit, in poſterioribus Editionibus; queritúrque in Epiſtola DVII. quæ I erat in Editione Baſileenſi & Londinenſi, & MCC XCV. varia contigiſſe, editis illis Litteris, propter quæ nonnullas non editas fuiſſe optaſſet, tum etiam agit de variis generibus Epiſtolarum, eáque habet quæ utilia ac jucunda erunt lectu, nec à nobis hîc exſcribentur. Sed ſæpe mirati ſumus, cur *Eraſmus*, cùm Epiſtolas ſuas in lucem publicam vivus emitteret, nullam prorſus rationem habuerit temporum, quibus ſcriptæ erant, multas ſine ulla temporis nota emiſerit, in multis tempora mendosè notata reliquerit, atque omnes in faſciculum collectas, ſine ordine ullo, veluti projecerit ab aliis in ordinem redigendas. Ejuſmodi enim confuſione fit ut nunc *Eraſmum* ſenem, mox puerum, aut juvenem audias loquentem, finem rerum quarumdam legas, antequàm earum videris initium, nec ullam ſeriem ejus vitæ adſequaris. Quibus rebus fiebat, ut voluptas, quam ex nonnullarum lectione nemo non capiebat, cùm ad alias tranſeundum erat, valde minueretur; quia re imperfectâ dimiſſus Lector continuò ad alia transferebatur, ſæpe antiquiora, aut quæ nullum certè



Digitized by Google

nexum cum ſuperioribus habebant; nec ad rem inchoatam, niſi ſerò, redibat.

Itaque in hac Editione, ante omnia, operam dandam eſſe putavimus, ut ordine temporum collocarentur, quò & hiſtoriam vitæ *Eraſmi*, & rerum, quæ ejus tempore contigerunt & quarum meminit, aut pars fuit, habeat Lector; quâ re nihil jucundius, ac utilius eſſe poſſe noſtrâ ipſorum experientiâ ſenſimus. Cùm enim varias *Eraſmi* Epiſtolas, prout erant, ordine perturbato olim legiſſemus, nec potuiſſemus eam confuſionem ſine faſtidio ferre, atque ad finem voluminis pervenire; contrà maximâ voluptate perfuſi ſumus, quando primùm eas ordine collocatas legere cœpimus. Quod & alii experti ſunt, qui quamvis antea legiſſent haſce Litteras, novum tamen prorſus opus ſibi legere viſi ſunt, cùm vitam *Eraſmi*, ex ordine diſpoſitis collectam, Gallico ſermone, perluſtrarunt. Nos etiam nonnulli monuerunt, ſe ſe varia, cum voluptate, in ea vita deprehendiſſe, quæ, legentes confuſas Epiſtolas, non animadverterant. Quâ re factum eſt ut hanc Editionem, neceſſariò, propter additamenta, dilatam viri docti pænè quotidie flagitaverint.

Nonnulla tamen incommoda Litteras haſce ordine diſponentibus occurrerunt, quæ quominùs rem omnino perfectam daremus, ut cupiebamus, obſtiterunt. Primùm erant Epiſtolæ, ſine ulla temporis & loci, unde ſcriptæ erant, nota, editæ. Deinde menda erant in numeris, quibus dies & anni expreſſi erant, & in ipſis etiam locis; quia manum *Eraſmi* minimè ſanè elegantem adſequi non potuerant Typothetæ, aut ipſe etiam *Eraſmus* ex memoria vacillante confuſis Epiſtolis notas temporum & locorum addiderat. Hinc factum ut *Londinum* & *Lovanium*, *Bruxella* & *Baſilea* aliquando ſint confuſa. Denique Litteras non paucas, Editione jam fermè adfectâ, novas accepit Bibliopola, quæ ordine ſuo non potuerunt collocari. Nullâ ratione hiſce incommodis mederi nos poſſe meliùs exiſtimavimus, quàm ſi in Appendicem eas omnes Epiſtolas, quæ aut cum ceteris non convenirent, aut ſeriùs in manus noſtras veniſſent, conjiceremus; ubi ſunt iterum ordine temporum collocatæ, quæ quidem ſic collocari potuerunt, aliæ verò alphabethico dumtaxat, pro nominibus eorum ad quos ſcriptæ ſunt, diſpoſitæ. Non negabimus tamen aliquot, propter falſos numeros ſeriùs agnitos, à nobis ſuo loco reponi non potuiſſe, ſed ſunt eæ perpaucæ, præ iis, quæ ſedibus ſuis ſunt redditæ. Sic Epiſtola x. quæ habet ſubſcriptum annum 1497. debuit habere annum 1509. & ante CVIII. collocari. Reponenda etiam Ep. CXXXVIII, proximè ante CXXVIII. Epp. CLXXXVIII & ſequens ante CXXXIV. Ep. CXLVIII. poſt CLXXXI. Idem fortè & in nonnullis aliis deprehendetur. Ceterùm non omittendum tempora datarum Epiſtolarum nunc more Romano, nunc feſtis Chriſtianorum diebus additis, nunc more hodierno numero dierum menſis expreſſo, ad unam hanc poſteriorem commodioremque formam redacta fuiſſe ab erudito viro, *Joanne de la Faye*, ne Lectori moleſtiam faceſſerent. Idem etiam, ut Reſpublica Litteraria, cui gratias habere debeat, norit, emendationi præfuit, Epiſtolas editas contulit cum MSS. ex quibus & voces & ſententiæ integræ acceſſerunt, & cum aliis Editionibus, Londinenſem & Baſileenſem innumeris gravibus mendis purgavit, Appendicem concinnavit, & notulas paginis ſubjectas addidit. Conſulet etiam LECTOR, hac de re, ſi ita videatur, Errata & Addenda ad calcem voluminis.

Non tantùm optimo ordine collocatæ ſunt, emendatioreſque prodeunt hæ Epiſtolæ, ſed multò etiam auctiores quàm umquam prodierant. Primùm enim quæcumque ſunt in Londinenſi Editione, & quibus caret Baſileenſis, hîc invenientur; exceptis dumtaxat dedicationibus variorum operum *Eraſmi*, quæ in aliis voluminibus occurrunt, & quas repeti inter Epiſtolas ſupervacaneum videbatur. Deinde Epiſtolas *Eraſmi* alibi editas omnes, quæ quidem nobis innotuere, adjecimus, ut & amicorum ad eum ſcriptas, ex quibus ejus reſponſa faciliùs intelligentur. Has *Italico*, ut vocant, charactere edi curavimus,

Digitized by Google

mus, cùm Eraſmianæ ſint Romano. Epiſtolas autem virorum doctorum ad *Eraſmum* ſcriptas excerpſimus ex Epiſtolis *Longolii*, *Bembi*, *Sadoleti*, *Mori*, *Melanchthonis*, *Camerarii*, *Pirckheimeri*, collectionibúſque epiſtolicis *Gabbemæ*, *Heinſii* & aliorum. Ineditæ verò *Eraſmi* Epiſtolæ, quæ ſunt in Appendice, inventæ ſunt in MS. Codice, quem *Eraſmi* ipſius olim fuiſſe liquet ex variis emendationibus ejus manu factis, CCCXXII. Aliæ etiam acceſſere, ad Bibliopolam tranſmiſſæ à reverendis, eruditis, ac inſignibus viris Guilielmo *Craſſerio*, Leodienſi, qui ejus Epiſtolas poſſidet ex dono Eminentiſſimi Cardinalis *Sluſii*, Leodienſis, Sebaſtiano *Kortholto* Kilonienſi, Petro *Hottono* Medicinæ & Botanices Lugduni Batavorum Profeſſore celeberrimo, Joanne *Schalkeno* V. D. M. Saarloſii in agro Roterodamenſi, Wolferdo à *Catthemburgio* Vianæ J. C. Roberto de *Neufville* Litterarum elegantiorum Lugduni Bat. Studioſo; quibus omnibus gratias habet & agit, ut par eſt, pro beneficiis ab iis acceptis; quæ quibuſvis etiam litteratis non grata eſſe non poſſunt. Occaſione datâ, gratum etiam animum teſtari hîc voluit erga Virum Ampliſſimum *Sim. van Huls*, Hagienſem Conſulem, à quo accepit, ante aliquot annos, Epitaphia & Verſus in laudem *Eraſmi*, primo Tomo præfixos. Ad MSS. Epiſtolas legendas uſus eſt operâ, ut dixi, *Joannis de la Faye*, quem in locis obſcuris & compendiis ſcripturæ legendis adjuvare non dedignatus eſt V. C. *Jacobus Gronovius*, legendis antiquis libris Manuſcriptis adſuetus. Hæc, grati animi cauſâ, commemorari hic meritò voluit Bibliopola; cui ego ſanè etiam adſtipulor, quippe qui devinctum me quoque puto omnibus, qui ad exornandam hanc *Eraſmi* noſtri Editionem conferre aliquid voluerunt. Omnes autem hæ acceſſiones effecerunt plus quàm CCCCXXV Epiſtolas, quas ab aliis jam editis, LECTOR, facile aſteriſco præfixo diſtingues, cùm in priori collectione Epiſtolarum, tum etiam in Appendice. Quod ſi quis cuperet videre MSS. ipſos Codices, unde novæ Epiſtolæ deſumtæ ſunt, ſciat eos ſervari apud Bibliopolam, qui libenter eos curioſis oſtendet. Si quis autem cupiat emere ſeorſim Volumen Epiſtolarum, ſciat hoc quoque Bibliopolam *Eraſmi* amantibus gratificaturum.

Præterea Indices Londinenſibus multò accuratiores & locupletiores fieri curavit, ac nonnullorum præſtantiſſimorum virorum, ad quos *Eraſmus* ſcripſit, imagines eleganter ſculptas adjecit; ut qui eo genere ornamentorum delectantur, haberent etiam quo oculos hîc paſcerent, dum ora eximiorum virorum, quorum Epiſtolas legerint, contemplantur.

Eorum Vitas atque Elogia haberes, ſi diutiùs vixiſſet vir reverendus *Claudius Joly*, Canonicus, & Officialis Pariſienſis, qui anno M DC XCIX. pollicitus erat V. C. Petro *Hottono*, ſi modò de conditionibus conveniret, quod facilè potuiſſet fieri, ſe miſſurum huc opus Gallicum, quod inſcripſerat *Hiſtoriam παλιγγενεσίας Litterarum*, *ſub finem* XV. *ſæculi & initio* XVI. *quâ continentur Elogia multorum eruditorum virorum illius ævi, & præſertim Vita* Eraſmi Roterodami, *qui primus earum inſtaurator fuit.* Sed mors viri eruditi, matura quidem, ſi ætatem ejus ſpectes, at huic Operi acerba, impediit quominùs copia ejus fieret Bibliopolæ; qui etiamnum hodie non illibenter id ederet, ſi nanciſci poſſet, vel hac ſola de cauſa, quòd *Eraſmi* Epiſtolis lucem fœneraretur.

Hæc erant quæ, de hac Editione, te, LECTOR, ſcire intererat, & ex quibus intelligere facilè poteris, Bibliopolam nulli labori, ſumtui ac diligentiæ peperciſſe; ut quàm optimam Editionem Eraſmianarum Epiſtolarum haberes. Alioqui, ſi libuiſſet tantùm Londinenſem typis exſcribere, jam dudum eas potuiſſes habere; ſed dum auctaria, de quibus diximus, exſpectantur, dúmque omnia ad Editionem parantur, triennium effluere, alióſque Tomos interea in lucem erumpere neceſſe fuit. Verùm moram illam ſatis, ſupérque eorum quæ acceſſerunt penſavit utilitas, nec quemquam exſpectationis ſuæ, aut pecuniæ, ad hanc Editionem comparandam, numeratæ umquam pœnitebit. Vale.



Digitized by Google

# DES. ERASMVS ROTERODAMVS
## LECTORI *S. D.*

*ANTEHAC teſtatus ſum, me nulli mearum lucubrationum minus favere, quam Epiſtolarum, & hujus animi mei cauſas recenſui, nec alia mihi nunc mens eſt quam olim fuit. Attamen quum* Hieronymus Frobenius *aſſeveraret hoc opus totum jam biennium à ſtudioſis efflagitari, recognovi quod fuerat excuſum, & non mediocrem acceſſionem adjunxi. Sic ſum, optime lector, nihil negare poſſum his, quos ex animo charos habeo. Erant quidem inter evulgatas epiſtolas aliquot ad quoſdam, quos tum pro fidis amicis ducebam, amantiſſime ſimul & honorificentiſſime ſcriptæ, quos nunc patior improbiſſimos inimicos, ut nihil eſt tutum in rebus mortalium: nullas tamen ſubmovi, ſic exiſtimans, eas magis illis fore dedecori quam honeſtamento. Nec ordinem mutare viſum eſt, tantum univerſum opus in libros partitus ſum, quo lector facilius inveniat quod quærit. Erant amici qui per litteras monuerunt; ſingulas juxta temporum ordinem digerendas eſſe; id etiamſi fuiſſet in promtu, ob certas cauſas non eſt viſum conſultum: atque adeo nec argumentorum congruentiam ſequi placuit, quod in hoc ſcripti genere primam gratiam habet varietas. Porro, ſi quis aliquid tale deſiderat, diem & annum in calce ſingularum adjecimus: ad hæc, præfiximus Indicem, nominibus perſonarum, ac epiſtolarum numeris adjectis, commonſtraturum quis ad quem ſcribat, & quoties ſcribat. Erant Epiſtolæ complures, quas adjunctas cupiebam, ſi veniſſent ad manum: ſed migratio fuit in cauſa, ut multa perierint, quæ ſervata mallem: omnia vero ſic confuſa, ut magna pars fruſtra quæſita ſit. Hoc eo monere viſum eſt, ut ſi quis forte, ubi viderit Epiſtolas ad alios inferioris notæ amicos editas, doleat ad ipſum ſcriptas nuſquam exſtare, ne ſuſpicetur id malitioſo ſtudio factum. Hoc ſeculo neſcio quid ſcribi poſſit, quod non hunc aut illum offendat. Nos tamen pro viribus annixi ſumus, ut quæ multum haberent acrimoniæ, aut prætermitterentur, aut certe lenirentur. A nominibus traducendis libenter abſtinuimus, quod utinam in totum licuiſſet, verùm hoc non erat Epiſtolas edere. Titulos ſolennes, non ſolum ambitioſos, verum etiam indoctos ac lectori moleſtos, omiſimus: quod obſecro ne quis ſiniſtre interpretetur, quaſi contemtus gratia ſit factum. Quis enim neſcit Reges eſſe invictiſſimos, ſereniſſimos; Abbates venerabiles; Epiſcopos reverendos, Cardinales reverendiſſimos, Pontifices ſanctiſſimos ac beatiſſimos? Hæc igitur, ut illa, invictiſſima majeſtas, reverendiſſima dominatio, gratioſiſſima celſitudo, & reverenda paternitas, non modo vitiant* Latini *ſermonis puritatem, ſed Lectorem etiam ſupervacaneis ac moleſtis onerant. Bene vale. Datum* Friburgo Briſgoæ *7. Auguſti, Anno* M. D. XXIX.

---

# ERASMVS ROTERODAMVS
## BEATO RHENANO
### SLETSTADIENSI *S. D.*

QVOD ſcribis, optime *Beate*, verius eſſe video quam vellem. Sed illud demiror, cur ea potiſſimum efflagitent amici mei *Germani*, quæ me degravant invidia. Scis enim quam non dextris avibus exierint Epiſtolæ, quas tu primum edendas curaſti: at quanto pejoribus illa Farrago, cujus editionem partim extorſit amicorum flagitatio, partim ipſa neceſſitas: cum viderem accinctos, qui quod habebant epiſtolarum mearum, vel invito me eſſent publicaturi. Atque id facturos ſeſe jam palam litteris ad me ſuis minitabantur. Quod ne fieret, faſciculo ad te miſſo, delectum atque etiam emendandi jus tibi credidi, ſi quid ineſſet, quod vel offecturum famæ meæ videretur, vel exacerbaturum vehementer cujuſquam animum. Nec dubito quin tu ſedulo pro tua in nos benevolentia ſis amici ſinceri functus officio. Et tamen illic etiam inventum eſt, quod apud quoſdam plane tragicas iras excitarit. Quare decretum erat in totum ab hoc genere ſcripti deſiſtere, præſertim cum nunc res undique miris tumultibus agitentur, ac multorum animi ſic odiis ſint exacerbati, ut nihil tam blande, nihil tam ſimpliciter, nihil tam circumſpecte poſſis ſcribere, quod non rapiant in calumniam. Ego quum adoleſcens atque etiam virili ætate, plurimas ſcripſerim epiſtolas, vix ullam tamen in hoc ſcripſi, ut ederetur. Exercebam ſtylum, fallebam otium, nugabar cum amiculis, ſtomacho morem gerebam: denique nihil aliud hic fere quam ludebam, nihil minus exſpectans, quam ut hujuſmodi nænias deſcriberent & aſſervarent amici. Nam *Senæ* cum eſſem, humaniſſimus ille *Piſo*, qui tum Regis ſui nomine Oratorem agebat apud *Julium* Pontificem, reperit apud bibliopolam quendam proſtantem codicem Epiſtolarum *Eraſmi*, ſed manu deſcriptum, emit ac mihi miſit. In hoc tametſi erant permulta, quæ fortaſſe non indigna videri poterant quæ ſervarentur, tamen offenſus tam inopinato caſu, totum, quantus erat, *Vulcano* dicavi. Huc reverſus comperi ſimiles libellos apud complures adſervari, in aliquot exemplaria transfuſos. Et hic quicquid à notis impetrare potui, *Vulcano* tradidi. Sed expertus ſum tandem mihi rem eſſe cum excetra. Hoc igitur conſilio paſſus ſum exire quaſdam, ut vel ſatiati deſinerent flagitare cæteras, vel ipſi certe deſiſterent ab edendi conſilio, cum perſpicerent

Digitized by Google

cerent me huic negotio manus admolitum esse. Ad hæc, exirent certe cum aliquo delectu, minusque depravatæ quam apud multos habebantur descriptæ: denique minus haberent aloes. Hoc consilio Farraginem recognovi; quædam explicui, quæ quidam siniſtre fuerant interpretati; quædam expunxi, quibus animadverteram quorundam offensos animos, nimium profecto teneros atque irritabiles; quædam mitiora reddidi. Ac rursus horum temporum ratio fecit, ut me ejus consilii pœniteret. Jampridem magnis odiis flagrabant studia tuentium linguas ac bonas litteras, & istorum qui stultissime sibi persuadent, suis commodis decedere, quicquid accrescit proventui melioris litteraturæ. Mox *Lutherana* tragœdia in tantam exarsit contentionem, ut nec loqui tutum sit, nec tacere. Rapiuntur in diversum omnia, etiam quæ optimo scribuntur animo: ne tempus quidem perpenditur, quo scripsit aliquis, sed quod suo tempore recte scribebatur, transferunt in tempus incommodissimum. Proinde scripseram diligenter *Frobenio* nostro, ut hoc Operis mei perpetuo premeret, aut servaret in aliud tempus, aut certe in reditum meum proferret: Paraphraseôn Opus acceleraret, quo neminem offendi adhuc comperissem. At ille, ut mihi quidem frequenter est, levæ mentis, omnibus ut scribunt posthabitis, Epistolarum Opus adproperavit, jamque me inscio ad quadragesimum primum senionem pervenit, neque quicquam remoratur editionem, præter præfationem & coronidem. Negat autem se diutius pressurum Opus, etiamsi ipse fortasse graver aliquid addere, citius emissurus ἀκέφαλον ac μέτρον Opus, quam tantam impendii jacturam accepturus. Scilicet mos homini gerendus est, & ipse fortasse famæ dispendium aliquod faciam, ut illius compendio consulatur. At quando quod volui obtineri non potest, tui, mi *Beate*, candoris erit, advigilare ut Opus exeat quam minima mei nominis invidia. Non satis memini, quas epistolas miserim. Atque ea gratia jussi, ut per juvenem eum, per quem misi priorem Novi Testamenti partem, remitteret quod excusum esset ex Epistolis. Quod quo consilio gravatus sit facere, non queo satis conjectare. Hac igitur in re, te per amicitiam nostram obtestor, eruditissime *Beate*, ut quod ego facturus eram, si licuisset, tu facias, vere alter ego: atque omnibus modis sic agas, ne isthic *Erasmus* abfuisse videatur. Neque vero te moveat tantulum damni, quod erit in aliquot chartis mutandis suscipiendum. Mihi totum istud quicquid erit dispendii volo imputari. *Frobenium* immunem esse jubeo. Ego lucrum esse deputo, quoties pecuniæ jactura, famæ consulitur. Pecuniolam illam facile sarciemus alicunde. Famæ laboranti non facile succurritur. Cui si nihil etiam immineret periculi, tamen arbitror animi esse Christiani, pro viribus adniti, ut sic studeamus omnibus prodesse, ne quenquam vel imprudentes offendamus. Fit autem hoc nescio quo meo malo fato, ut ab his ad quæ videbar natura compositus, in alium campum longe diversum me fortuna depellat, sive vitæ spectes institutum, sive studiorum genus. Etenim ne singula commemorem, cum viderer ad fusum hoc ac liberum orationis genus esse natus, quod in concionibus, consultationibus, aut etiam declamationibus adhiberi solet, in collectaneis proverbiorum, in scholiis & annotationibus bonam studii portionem contrivi. Cæterum ad epistolas scribendas, fortasse non ita valde videri poteram ineptus, verùm alioqui multæ res erant, quæ me ab hoc genere deterrebant. Primum, si epistolæ carent veris affectibus, neque vitam ipsam hominis repræsentant, jam Epistolæ nomen non merentur. Quales sunt *Senecæ* ad *Lucilium*, atque adeo inter eas, quas olim scripsit *Plato*, quasque ad Apostolorum (ut apparet) imitationem, scripserunt *Cyprianus*, *Basilius*, *Hieronymus*, *Augustinus*, perpaucæ sunt, quas non libros rectius appellaris quam Epistolas. Porro, quas nobis reliquit, nescio quis *Bruti* nomine, nomine *Phalaridis*, nomine *Senecæ* & *Pauli*, quid aliud censeri possunt, quam declamatiunculæ? Verùm autem illud Epistolarum genus, quod mores, quod fortunam, quod affectus, quod publicum simul & privatum temporis statum, velut in tabula repræsentat, cujus generis fere sunt Epistolæ *Ciceronis*, *Plinii*, & inter recentiores *Æneæ Pii*, aliquanto plus habet periculi, quam historia rerum nuper gestarum: periculosæ (ut inquit *Flaccus*) plenum opus aleæ. Proinde si quid edendum sit in hoc genere, nulli velim auctor esse ut ipse vivus edat, sed Tironi cuipiam hoc det negotii. Quanquam hic in edendis patroni sui monumentis, plus studii quam judicii creditur adhibuisse. Sive laudes, sive vituperes aliquem, non deerunt qui offendantur. Ut ne commemorem esse quosdam, qui ne laudari quidem sustineant libris editis: sive quod dedignentur à quovis nominari, sive quod vereantur, ne cui veniant in suspicionem φιλοκολακίας. Quo magis admiror divum *Bernardum* Epistolas suas evulgasse, in quibus tot nomina carbone notantur. Nunc si quis *Jacobitæ*, aut *Carmelitæ* meminerit, vel suppresso nomine, nisi multa cum honoris præfatione, res videtur digna lapidatione. Jam & illud est incommodi, quod ut sunt res mortalium, ex amicissimis nonnunquam redduntur inimicissimi, & contra, ut & illos laudatos, & hos doleas attactos. Postremo, ne famæ quidem auctoris satis consulitur, quod plerique ex una quapiam Epistola totum æstimant hominis ingenium, cum aliquoties scribamus uvidi, nonnunquam dormitantes, interim lassi, interim etiam ægroti, aut aliud agentes, nonnunquam alieno stomacho, frequenter ad ejus, cui scribimus, vel captum, vel judicium, orationis habitum attemperantes. Unde fit ut imperitis veniamus in suspicionem inconstantiæ, cum ea varietas, ætati, affectui, personis ac rebus in diversum mutatis, sit imputanda. Hæc cum alium quamlibet felicem ab edendis Epistolis merito deterreant, me tamen illud peculiariter dehortabatur, quod cum mihi semper fortuna non solum humilis fuerit, verum etiam constanter iniqua, neque is vitæ tenor, ut eam velim aut possim ab omni crimine vindicare, non erat cur vellem utriusque multa su-



Digitized by Google

pereſſe veſtigia. Atque hæc ratio fortaſſis & illos moveret, ad quos ſcribimus, qui quod per litteras, velut in ſinum effutiunt amiculi, nolint omnibus prodi, cum ſint qui nati Gratiis iratis, nihil non interpretentur in pejorem partem. Sæpenumero fit, ut quod in convivio, aut inter candidos homunculos dictum, gratiam habet; ſi idem loco non ſuo dicatur, atroces excitet tragœdias. Hac quidem de cauſa pauciores admiſcuimus ex his quibus reſpondemus, & tamen aliquot adjecimus, præſertim eruditorum: partim quod me piguerit laboris, quem *Angelus Politianus* fere ſumit, in repetendo argumento Epiſtolæ cui reſcribit: partim quod ut addas argumentum, tamen aliquid lucis ac vitæ videtur deeſſe, ni prius legas eam, ad quam reſpondetur. Habes totius conſilii mei rationem. Nihil ſupereſt, niſi ut primum te rogem, ut in delectu animum iſtum vere amicum exſeras: deinde Superos precer, ut tuum judicium, meumque obſequium velint eſſe felix, non ſolum mihi, qui ſodalium affectibus repugnare pertinaciter non poſſum, verum etiam illis, qui hoc obſequii, majore ſtudio quam judicio à nobis extorſerunt. Bene vale. *Lovanio* 27. Maji, Anno 1520.

---

# DES. ERASMVS ROTERODAMVS

## AMICIS LECTORIBVS *S. D.*

*PAVCIS hiſce diebus viſum ſchedarum mearum confuſiſſimos acervos excutere, partim ob unam atque alteram epiſtolam, quas editas cupiebam, partim ut abolerem quæ fortaſſis alii poſt deceſſum meum eſſent edituri, aut me etiam vivo. Quid enim iſti non audent, quibus lucellum, quamlibet exiguum, aut gloriola, honeſto & amicitia eſt antiquior. Atqui non omnia in hoc ſcribuntur, ut evulgentur. Luſimus quædam adoleſcentes, ſtyli exercendi gratia: quædam aliis dictavimus ſic inambulantes, nihil minus cogitantes quam de evulgando: nonnulla ſcripſimus diſcipulis tardis. Hujus generis erant* Colloquia, *quæ* Holonius *quidam, haud ſcio unde nactus, (nam apud me nullum unquam fuit exemplar) care vendidit* Joanni Frobenio, *ſimulans alios eſſe typographos qui emta cuperent. Hæc emendi orexis. Ejuſdem ſunt* Paraphraſes elegantiarum, *quæ ſumma cum admiratione mea prodierunt, inepto titulo, quum ego nullum titulum addidiſſem, & ſingulis ad ordinem litterarum digeſtis, quæ res totum turbavit ordinem: poſtremo, multis admixtis, non minus ineptis quam indoctis, quæ ego nec puer ſuſtinuiſſem dictare puero. Nuper vidi libellum* De Componendis Epiſtolis, Lugduni *excuſum, hoc titulo,* Eraſmus Petro Paludano *S. D. Atqui ego neminem novi mortalem hujus nominis. Lecto libello deprehendi ſcurrile furtum. Olim cuidam* Anglo *diſcipulo intra biduum ſcripſi librum* De Componendis Epiſtolis, *plane craſſa* Minerva *craſſo. Ex hoc ille quædam decerpſit, & ſua quædam admiſcuit. Adjecit prolixam epiſtolam, in qua nullum eſt verbum meum, inſigniter inſulſam, nec quicquam facientem ad præſens argumentum. Si ſuo nomine edidiſſet Opus incontaminatum, multo erat tolerabilius: verum, ex meo nomine quæſivit lucrum. Jam ſcio & apud alios quoſdam ſervari juvenilia quædam mea Progymnaſmata. Et in hoc vaſe, quod nunc excuſſi, fuerant plurimæ chartæ juveni ſcriptæ longe alia manu quam nunc utor. Eas comperi ſublatas ad unam omnes, nec me fugit penes quem lateant. Sed elevatur furtum litterarium, verum nihilo meliore fronte quam veſtiarii excuſant furtum pannarium, aurigæ furtum vinarium, molitores furtum farinarium, cæteriquè opifices ſuo quiſque colore ſuum furtum excuſant. At demus eſſe levem culpam, penetrare in aliena ſcrinia, & quæ celata volebas ſuffurari: num leve crimen videtur; ea, quæ nolebas evulgari, cum alieni nominis infamia prodere, & quidem indoctis aſſuturis contaminata? Quid alii ſentiant neſcio, ego levius ferrem, & tuli non ſemel, è ſcriniis ſublatos nummos. At hoc qui faciunt, aguntur in crucem. Illi vocantur ſtudioſi. Ego vero iſtos ſtudioſos non arbitror dignos qui laqueo præfocentur, ſed qui, ad* Thurini *exemplum, chartarum fumo pereant. In uno facto quam multa ſunt crimina, furti, ſacrilegii, falſi, infamis libelli, perfidiæ? Quid iſti non audebunt me mortuo, quum hæc audeant me vivo? Atque utinam hæc temeritas à Veterum libris abſtineret. Officina* Veneta *dedit nobis* Feſtum Pompejum *egregie depravatum. Non inſimulo* Aldum. *Solet ille tales operas alicui pædagogo committere. Ante annos aliquot ſæpe mihi fuit in animo, excuſſis ſchedis meis, quicquid non eſſet edendum exurere. Sed dum variis occupationibus impeditus differo propoſitum, alii anteverterunt, quæ res eis vertat male. Satis dedecoris mihi adferunt lucubrationes meæ, quas ipſe edo, etiamſi iſti non evulgent meas nænias, quas vulgo non ſcripſi. Quum inter Epiſtolas reperiſſem multas à Regibus fere omnibus, à Ducibus, à Cardinalibus, Epiſcopis, & ſummis Pontificibus, aut à viris inſigniter eruditis amantiſſime ſcriptas, libuit paucis ex his editis ſpecimen dare, quales habeam combibones: ſic enim quidam garriunt, qui ſcurrilem maledicentiam putant eſſe facundiam. Eas tantum ſelegi, quas non per ſecretarios, ſed proprio ingenio compoſitas propriaque manu ſcriptas animadverterem: nam ipſe mearum aliquot jam annis nullum exemplar ſervare curavi, partim quod amanuenſes omnibus deſcribendis non ſufficerent, partim quod dum pluribus reſcribo, cogor ex tempore ſcribere, quæſdam etiam dictare. Et ſuperiorum editionum me ſuppuduit. Poſtremo, mihi videntur ſapere, qui Epiſtolas ſuas ſervant poſt obitum edendas. Porro, Epiſtolæ, quæ affectato argumento ſcribuntur ad eruditionis oſtentationem, quoniam nihil habent veri affectus, meo judicio non ſunt Epiſtolæ. In his ve-*

*ro,*

Digitized by Google

*ro, quæ ſcribuntur ex animo, non temere invenias, quæ, uni ſcriptæ, ab omnibus citra cujuſquam offenſionem legi poſſint. Cardinalis* Cajetanus *aliquoties ad me ſcripſit, poſtremam illius epiſtolam his adjungere cupiebam, ſed ad manus non venit. In litteris, quas ad illum noviſſimas dederam, queſtus ſum de his, qui libellum* De Concordia *mala fide tractarant. Eas* Clemens *Pontifex legit: libentius enim legunt ad alios quam ad ipſos ſcriptas, quod in illis credant eſſe plus veri. Rogavit, an eum libellum legiſſet, ait. Ecquid probaret. Nihil, inquit, illic video mali. Eam vocem Pontifex ſumma cum alacritate excepit. Ubi ventum eſt ad locum ubi quæror de* Nicolao Herborno *Commiſſario* Ciſmontano, *illico vocavit Magiſtrum ſacri palatii, rogavit, ecquem ipſe talem creaſſet Commiſſarium. Ille negavit. Qua ex re perſpicuum fuit, nec Pontificem probare* Herborni *petulantiam, & ad glorioſum illum titulum, quo ſe jactabat, à Patribus* Franciſcanis *fuiſſe datum, non à Pontifice. Inter excutiendum ſchedas illud admonuit me conditionis humanæ, quod inter tam multas epiſtolas, pleraſque intra decennium ſcriptas, tam paucæ venirent ad manus quarum auctores eſſent ſuperſtites. Homo bulla. Hæc te ſcire volui, candide lector, ne ſtatim meum eſſe credas, ubicunque videris meum præfixum nomen: neve putes* Eraſmo *neminem favere præter convivones aliquot. Vale.* Baſilea 20. *Februarii, Anno à Natali* 1536.

---

# PAVLLVS G. F. P. N. MERVLA

## CL. V. OTHONI WERCKMANNO

*S. D.*

ACCEPI, mi Werckmanne, quæ diu apud te ſervata, diu ab multis expetita, Magni ERASMI Vitam [2], ipſius manu circa annum ab CHRISTO nato 1523. fideliter candideque exaratam, & ad Amicum ſinceriſſimum, uti ipſe eum appellat, Conradum Goclenium, Græcæ Linguæ in Academia Lovanienſi Profeſſorem, tranſmiſſam. Videram jam ante annos aliquot ejus apud Scriverium [3] meum, Lydioſque Fratres exſcripta; ſed volupe ſuit αὐτόγραφον intueri. Nolim te lateat, elaboratam hujus Compendii Paraphraſin & præclaram Diffuſionem eſſe Epiſtolam ſatis prolixam, quæ legitur libro XXIV. [4] ad Lambertum Grunnium, Scribam Apoſtolicum. Ibi ſub nomine Florentii (omine haud falſo) ita ſe deſcribit ERASMVS, ita ſuam pandit Fortunam, talibus averſiorem ab Vita Monaſtica animum depingit coloribus, ut clarioribus non poſſet. Vere dicit ibi, ſe cauſſam agere ejus, qui à puero ipſi ſic cognitus, ut vix ipſe ſibi *, ſe etiam pleraque, quæ ad cauſſam pertinent, non vidiſſe tantum, ſed oculis etiam perſpexiſſe. Antonius, Florentii Frater, qui inibi triennio fere major, vere eſt Petrus, ad quem Germanum ſuum ſcribit [5] ERASMVS, cuique Carmen Sapphicum dedicavit *de Laude Amicitiæ* [6] Gulielmus Gaudanus [7]. In eum autem finem Grunnio ſcribit Scribæ Apoſtolico, ut ipſi Curiæque proculdubio Romanæ, ſuam probet deſertionem. Nam de ea varii ſpargebantur rumores, varia volitabant Monachorum dicteria. Compendium, ut eo redeam, à te acceptum prælo, quod vides, dedi; & quod multos annos in unius fuerat armario, in multorum, te petente, diffudi. Libello juſtiori concinnando, alias ERASMI noſtri Epiſtolas adpoſui nondum editas, dignas, quæ lucem etiam viderent. Nonnullas ex mea Bibliotheca promſi. Ego enim iſtam, etiam hac ætate, inſaniam, ſi ſic nominanda, inſaniam; ut, quemadmodum Imperatorum, Regum, Principum, quorum vis apud me magna, ſic Procerum quoque iſtorum in Re Litteraria colligam αὐτόγραφα: mihi oblectationi, uti laſſum ſubinde animum in venerando talium conſeſſu recreem, eoſque coram quaſi loquentes audiam; Filiis autem meis ſtimulo, ut iis in adſpectum productis excitentur ad æmulationem; quæ quo in prole, ad optatam metam producenda, major, eo gratior eſſe conſuevit parentibus, quos ſcio vota ſæpenumero concipere, vt filios habeant ſe majores. Contulerunt ſuas etiam Symbolas V.V. CLL. Bonaventura Vulcanius, Græcæ Linguæ in hac Academia Profeſſor & Interpres, Collega mihi cariſſimus; Petrus Scriverius, quo inter Batavos nihil candidius, Fratres Lydii, quorum ſinceris in me adfectibus utinam reſpondere liceret; Hieronymus Backerus, Adfinis meus & Concivis; Hadrianus Bimannus, Lugdunenſis, Medicinæ Doctor, ad omnem factus humanitatem Juvenis. Incrementum, ſpero, non futurum Lectoribus ingratum. S. P. Q. Roterodamenſi, quæ tua quoque mens erat, inſcripſi: neque enim aliis debebatur. Vale, mi Werckmanne, meque in eorum habe numero, qui nominis tui ſunt ſtudioſiſſimi. Lugduni Batavorum 12. Novemb. An. 1606.

1 Hanc Epiſtolam, ſeu mavis Præfationem, præfixit Paulus Merula *Vitæ Eraſmi*, Edit. in *quarto* Lugd. Bat. apud Thomam Baſton 1607.

2 Eam habes primo Tomo Operum Deſid. Eraſmi.

3 Cujus Exemplar manu clariſſ. Viri Theodori Pulmanni erat exaratum, ex Autographo, quod ille adſcripſerat aſſervari apud Henricum Coracopetram.

4 Editionis Baſileenſis, noſtræ vero ccccxlii. in Appendice pag. 1821.

* Videtur excidiſſe *melius*, aut *penitius*, vel quid ſimile.

5 In hac Editione pag. 1859.

6 Cum hac Epigraphe, *Ad Petrum Gerardum Roterodamum, Eraſmi germanum, virum tum perhumanum, tum eruditiſſimum.*

7 Is eſt, ad quem toties ſcribit Eraſmus, vide pag. 1836. & ſeq.



Digitized by Google

# PRAEFATIO
## EDITIONIS LONDINENSIS.

AMICE LECTOR,

*Operosa Præfatione te in limine morari nec volumus, nec opus est. Si enim (ut in more positum est Præfationibus) vel Auctores ipsos, vel Opus commendare satageremus, ridiculi prorsus esse videremur, dum Soli meridiano facem prætendimus. Enimvero nequaquam indigent præconiis nostris hi, quos tibi præsentamus, heroes non solum laude, sed & invidia majores: quorum vel nominibus adeo illustris est hujus libri titulus, ut neminem fore arbitremur, eorum saltem qui litterarum amore flagrant, cujus oculos atque animum non modo non invitabit, sed attrahet protinus, arripietque. Primum tibi damus celeberrimum illum litterarum parentem, eloquentiæ antistitem, barbariei hostem & profligatorem, veterum Patrum repurgatorem,* Bataviæ *suæ decus, imo* Britanniæ *nostræ ac nationum pene omnium amorem & delicias,* DESIDERIUM ERASMUM, *quo vix quicquam* ἐγγυμνώτερον *vel mundus vidit uspiam, vel visurus est. Huic proxime succedit* PHILIPPUS MELANCHTHON, *vir acerrimo judicio, ingenio felicissimo, summaque eruditione suspiciendus, nec tantum bonarum litterarum, verum (quod longe divinius est) veræ etiam religionis vindex & instaurator. Postremo loco adjecimus* THOMAM MORUM *&* LUDOVICUM VIVEM, *ejusdem seculi Viros doctissimos &* ERASMO *nostro amicos familiarissimos; de quibus hoc tantum dicemus, Dignissimi sunt qui* ERASMO *&* MELANCHTHONI *comites adjungantur. Hos scilicet, amice Lector, tibi exhibemus, nec tamen totos, (quantum enim id esset?) at præcipuam eorum partem,* EPISTOLAS *nimirum universas, quibus scribendis haud minus semetipsos videntur superasse, quam aliis scribendi generibus reliquos fere mortales omnes præcelluerint. Hic præter maximam argumentorum varietatem, quæ te mirifice delectabit, præter elegantiam sermonis ingeniique ubertatem, quæ in his potissimum lucubrationibus elucent, istius tumultuosissimi seculi imago ita clare & fideliter tibi ob oculos proponitur, ut rerum tam publice quam privatim tunc temporis gestarum notitiam puriorem sincerioremque hinc haurire liceat, quam ex ullis forsan Historiographorum monumentis. Hi enim, dum commentationes suas publici juris futuras esse cogitarent, adeoque omnium oculis & calculis subjiciendas, se plerunque vel invidia, vel odio, vel favore, vel metu, vel spe transversos abripi patiebantur, id unum agentes, ut quæ omnibus scribebant, omnibus placerent, vel saltem quam pauciſsimos offenderent: verùm hic (quod in Epistolis privatis fieri solet) animi sensus & cogitata libere & ingenue panduntur, & nuda rerum recens gestarum veritas sine fuco & fraude in amicorum sinus effunditur.*

*Jam quid à nobis in hoc Opere præstitum sit, paucis accipe. Illis duodetriginta libris Epistolarum* ERASMI *à* FROBENIO, *anno* CIↃ IↃXL. *excusis, tres insuper alios addidimus: Quorum primus, vigesimus nonus videlicet, Epistolas nuncupatorias seu Præfationes complectitur: Trigesimus eas continet quas* CL. *Vir* PAVLVS MERVLA, *anno* CIↃ IↃCVII. *&* PETRVS SCRIVERIVS, *anno* CIↃ IↃCXV. Lugduni Batavorum *evulgarunt: Trigesimum primum librum ex* IX. *Tomo Operum* ERASMI *desumsimus.*

*Porro* ERASMI *Vitam, quæ partim ab ipsomet* ERASMO, *partim ab aliis conscripta est, edendam curavimus. Denique, ne quid huic nostræ editioni desit quod usui tuo possit inservire, Indicem totius Operis congessimus, eumque adeo locupletem, ut non multa esse arbitremur observatu & memoratu digna quæ illic non indigitantur. Parem fidem & diligentiam in* MELANCHTHONIS *ac reliquorum Epistolis congerendis edendisque præstitimus. Tu, Lector, utere, fruere nostris laboribus: Nos interim eandem operam, quam in Epistolis* ERASMI *excudendis insumsimus, in Opusculis ejus excudendis insumemus. Vale.*

DESI-

Digitized by Google

# DESIDERII ERASMI
# EPISTOLARVM
# INDEX PRIOR,

QUI EST

# CHRONOLOGICVS:

(Epistolæ asteriſco notatæ de novo acceſſerunt.)

1489. Aurotino (*Cornelio*) Epistola I.
1490. —— *ad eundem*, II.
Arnoldo *cuidam*, III.
1496. Christiano, IV.
Montjoio (*Guilielmo*) V.
1497. —— *ad eundem*, VI.
Falconi (*Joanni*) VII.
Batto (*Jacobo*) VIII.
Witfordo (*Richardo*) IX.
Montjoius (*Guilielmus*) *Eraſmo*, X.
Coletus (*Joannes*) *Eraſmo*, XI.
Sixtinus (*Joannes*) *Eraſmo*, XII.
Sixtino (*Joanni*) XIII.
Piſcatori (*Roberto*) XIV.
Guilielmo *Goudano*, XV.
Joanni *Bruxellenſi*, XVI.
Lubecenſi *cuidam*, XVII.
Aurotino (*Cornelio*) XVIII.
Chriſtiano, XIX.
Grejo (*Thomæ*) XX.
—— *ad eundem*, XXI.
Batto (*Jacobo*) XXII.
Evangeliſtæ, XXIII.
* Sixtinus (*Joannes*) *Eraſmo*, Ep. I. Append.
1498. Nicolao *à Burgundia*, XXIV.
Lutzenburgo (*Antonio*) XXV.
Chriſtiano, *Mercatori Lubecenſi*, XXVI.
Lutzenburgo (*Antonio*) XXVII.
Batto (*Jacobo*) XXVIII.
—— *ad eundem*, XXIX.
Jacobo, *Tutori ſuo*, XXX.
Batto (*Jacobo*) XXXI.
Henricus *Chriſtiano fratri*, XXXII.
Chriſtiano, XXXIII.
Henrico *à Bergis*, XXXIV.
Jacobo, *Tutori ſuo*, XXXV.
Batto (*Jacobo*) XXXVI.
—— *ad eundem*, XXXVII.
Piſcatori (*Roberto*) XXXVIII.
Caminado (*Auguſtino*) XXXIX.
Benſerado (*Nicolao*) XL.
Coleto (*Joanni*) XLI.
Montjoio (*Guilielmo*) XLII.
—— *ad eundem*, XLIII.
Sixtino (*Joanni*) XLIV.
Gaguino (*Roberto*) XLV.
Gaguinus (*Robertus*) *Eraſmo*, XLVI.
Grejo (*Thomæ*) XLVII.
Amico *cuidam*, XLVIII.
Cuidam, XLIX.
Cuidam, L.
Cuidam, LI.
1499. Batto (*Jacobo*) LII.
—— *ad eundem*, LIII.
Jacobo, *Vicario Cameracenſis Epiſcopi*, LIV.
Joanni *Bruxellano*, LV.
Henrico *à Bergis*, LVI.
Lutzenburgo (*Antonio*) LVII.
Benſerado (*Nicolao*) LVIII.
Jacobo, *Tutori ſuo*, LIX.
Batto (*Jacobo*) LX.
—— *ad eundem*, LXI.
Battus (*Jacobus*) *Guil. Montjoio*, LXII.
Moro (*Thomæ*) LXIII.
Montjoio (*Guilielmo*) LXIV.
Andrelino (*Fauſto*) LXV.
Andrelinus (*Fauſtus*) *Eraſmo*, LXVI.
Fauſto *ſuo*, LXVII.
Fauſtus *Eraſmo*, LXVIII.
Fauſto *ſuo*, LXIX.
1499. Fauſtus *Eraſmo*, LXX.
Fauſto *ſuo*, LXXI.
Caminado (*Auguſtino*) LXXII.
Batto (*Jacobo*) LXXIII.
—— *ad eundem*, LXXIV.
Antonio *à Bergis*, LXXV.
Batto (*Jacobo*) LXXVI.
Nicaſio *ſuo*, LXXVII.
Greverado *Advocato*, LXXVIII.
Chriſtiano *Lubecenſi*, LXXIX.
Batto (*Jacobo*) LXXX.
—— *ad eundem*, LXXXI.
—— *ad eundem*, LXXXII.
Guilielmo *Goudano ſodali*, LXXXIII.
Gaguino (*Roberto*) LXXXIV.
Grejo (*Thomæ*) LXXXV.
Gaguino (*Roberto*) LXXXVI.
Caminado (*Auguſtino*) LXXXVII.
Ludovico *ſuo*, LXXXVIII.
Lutzenburgo (*Antonio*) LXXXIX.
Notho (*Petro*) XC.
1500. Antonio *à Bergis*, XCI.
Berſalæ (*Annæ*) XCII.
Anglebermio (*Petro*) XCIII.
Batto (*Jacobo*) XCIV.
Adriano *in Chriſto amiciſſimo*, XCV.
Edmundo, *Sacerdoti optimo*, XCVI.
—— *ad eundem*, XCVII.
1501. Antonius *à Bergis Joanni de Medicis*, XCVIII.
Lutzenburgo (*Antonio*) XCIX.
1502. Jacobo *Middelburgenſi*, C.
1503. Ægidio (*Petro*) CI.
1504. Coleto (*Joanni*) CII.
1505. Fiſchero (*Chriſtophoro*) CIII.
*1505. Badius (*Jodocus*) *Aſcenſius Eraſmo*, II. App.
1506. Coleto (*Joanni*) CIV.
Linacro (*Thomæ*) CV.
1507. Wentfordo (*Rogerio*) CVI.
Coleto (*Joanni*) CVII.
1509. Piſo (*Jacobus*) *Eraſmo*, CVIII.
1510. Halſeyo (*Thomæ*) CIX.
Ammonio (*Andreæ*) CX.
—— *ad eundem*, CXI.
Moro (*Thomæ*) CXII.
1511. Ammonio (*Andreæ*) CXIII.
—— *ad eundem*, CXIV.
Coleto (*Joanni*) CXV.
Ammonio (*Andreæ*) CXVI.
Coleto (*Joanni*) CXVII.
Ammonio (*Andreæ*) CXVIII.
—— *ad eundem*, CXIX.
Gonello (*Guilielmo*) CXX.
Coleto (*Joanni*) CXXI.
Ammonio (*Andreæ*) CXXII.
—— *ad eundem*, CXXIII.
—— *ad eundem*, CXXIV.
Ammonius (*Andreas*) *Eraſmo*, CXXV.
Ammonio (*Andreæ*) CXXVI.
Ammonius (*Andreas*) *Eraſmo*, CXXVII.
—— *idem ad eundem*, CXXVIII.
Ammonio (*Andreæ*) CXXIX.
—— *ad eundem*, CXXX.
—— *ad eundem*, CXXXI.
Ammonius (*Andreas*) *Eraſmo*, CXXXII.
Ammonio (*Andreæ*) CXXXIII.
1512. Waramus (*Guilielmus*) *Eraſmo*, CXXXIV.
Antonio *à Bergis*, CXXXV.
Cardinali *Nanetenſi*, CXXXVI.
Egnatio (*Jo. Baptiſtæ*) CXXXVII.



Digitized by Google

1512. Ammonio (*Andreæ*) CXXXVIII.
—— *ad eundem*, CXXXIX.
Ammonius (*Andreas*) *Eraſmo*, CXL.
Ammonio (*Andreæ*) CXLI.
—— *ad eundem*, CXLII.
Adolpho, *Principi Veriano*, CXLIII.
1513. Antonio *à Bergis*, CXLIV.
Ammonius (*Andreas*) *Eraſmo*, CXLV.
Ammonio (*Andreæ*) CXLVI.
—— *ad eundem*, CXLVII.
Bovillo (*Henrico*) CXLVIII.
Coleto (*Joanni*) CXLIX.
—— *ad eundem*, CL.
Ammonio (*Andreæ*) CLI.
Zaſius (*Udalricus*) *Eraſmo*, CLII.
Ammonio (*Andreæ*) III. App.
* Coletus (*Joannes*) *Eraſmo*, IV. ibid.
1514. Gerardo *Noviomago*, CLIII.
Ægidio (*Petro*) CLIV.
—— *ad eundem*, CLV.
—— *ad eundem*, CLVI.
Linacro (*Thomæ*) CLVII.
Ammonio (*Andreæ*) CLVIII.
—— *ad eundem*, CLIX.
—— *ad eundem*, CLX.
Zaſius (*Udalricus*) *Eraſmo*, CLXI.
Zaſio (*Ulrico*) CLXII.
Ammonius (*Andreas*) *Eraſmo*, CLXIII.
Zaſio (*Udalrico*) CLXIV.
Wentfordo (*Rogerio*) CLXV.
—— *ad eundem*, CLXVI.
* Reuchlinus (*Joannes*) *Eraſmo*, V. App.
Borſalus (*Joannes*) *Eraſmo*, VI. ibid.
* Ammonius (*Andreas*) *Eraſmo*, VII. ibid.
* Servatio, *rever. Patri*, VIII. ibid.
* Zaſius (*Udalricus*) *Eraſmo*, IX. ibid.
* —— *ad eundem*, X. ibid.
Zaſio (*Udalrico*) XI. ibid.
* F. Gregorius *Eraſmo*, XII. ibid.
Schurerio (*Matthiæ*) XIII. ibid.
* Zaſius (*Udalricus*) *Eraſmo*, XIV. ibid.
* Pirckheimerus (*Bilibaldus*) *Rhenano*, XV. ibid.
Caraffæ (*Petro*) XVI. ibid.
1515. Grymano (*Dominico*) CLXVII.
Raphaeli *Cardinali*, CLXVIII.
Ammonio (*Andreæ*) CLXIX.
Gonello (*Guilielmo*) CLXX.
—— *ad eundem*, CLXXI.
—— *ad eundem*, CLXXII.
—— *ad eundem*, CLXXIII.
Leoni X. *Papæ*, CLXXIV.
Ammonius (*Andreas*) *Eraſmo*, CLXXV.
Sylvagio (*Joanni*) CLXXVI.
Ammonius (*Andreas*) *Eraſmo*, CLXXVII.
Leo X. *Papa*, *Eraſmo*, CLXXVIII.
—— *ad eundem*, CLXXIX.
Raphael, *Card. S. Georgii*, *Eraſmo*, CLXXX.
Leoni X. *Papæ*, CLXXXI.
Montjoio (*Guilielmo*) CLXXXII.
Watſono (*Joanni*) CLXXXIII.
Kirherus (*Joannes*) *Eraſmo*, CLXXXIV.
Kirhero (*Joanni*) CLXXXV.
Ammonius (*Andreas*) *Eraſmo*, CLXXXVI.
Thomæ, *Card. Eboracenſi*, CLXXXVII.
Waramo (*Guilielmo*) CLXXXVIII.
—— *ad eundem*, CLXXXIX.
Theologo *cuidam*, CXC.
Moro (*Thomæ*) XVII. App.
* Borſalus (*Joannes*) *Eraſmo*, XVIII. ibid.
* Bebelius (*Henricus*) *Eraſmo*, XIX. ibid.
* Sapidus (*Joannes*) *Eraſmo*, XX. ibid.
* Rhenanus (*Beatus*) *Eraſmo*, XXI. ibid.
* Zwinglius (*Huldericus*) *Eraſmo*, XXII. ibid.
* Rhenanus (*Beatus*) *Eraſmo*, XXIII. ibid.
* Amorbachius (*Bruno*) *Eraſmo*, XXIV. ibid.
* Frobenius (*Joannes*) *Eraſmo*, XXV. ibid.
* Gerbelius (*Nicolaus*) *Eraſmo*, XXVI. ibid.
* Zaſius (*Udalricus*) *Eraſmo*, XXVII. ibid.
* Badius (*Jodocus*) *Eraſmo*, XXVIII. ibid.
* Gerbelius (*Nicolaus*) *Eraſmo*, XXIX. ibid.
* —— *ad eundem*, XXX. ibid.
* —— *ad eundem*, XXXI. ibid.
* Sapidus (*Joannes*) *Eraſmo*, XXXII. ibid.
* Zaſius (*Udalricus*) *Eraſmo*, XXXIII. ibid.
* Voltzius (*Paulus*) *Eraſmo*, XXXIV. ibid.
* Zaſius (*Udalricus*) *Eraſmo*, XXXV. ibid.
* Borſalus (*Joannes*) *Eraſmo*, XXXVI. ibid.
* Demolendino (*Joannes*) *Eraſmo*, XXXVII. ibid.
*1515. Voltzius (*Paulus*) *Eraſmo*, XXXVIII. App.
* Pirckheimerus (*Bilibaldus*) *Eraſmo*, XXXIX. ibid.
* Zaſius (*Udalricus*) *Eraſmo*, XL. ibid.
* —— *ad eundem*, XLI. ibid.
* Gerbelius (*Nicolaus*) *Eraſmo*, XLII. ibid.
* —— *ad eundem*, XLIII. ibid.
1516. Bero (*Ludovico*) CXCI.
Watſono (*Joanni*) CXCII.
Leo X. *Papa Eraſmo*, CXCIII.
Leoni X. *Papæ*, CXCIV.
Sylveſter, *Epiſc. Wigornienſis*, *Eraſmo*, CXCV.
Sylveſtro, *Epiſc. Wigornienſi*, CXCVI.
Budæus (*Guilielmus*) *Eraſmo*, CXCVII.
Copus (*Guilielmus*) *Eraſmo*, CXCVIII.
Grejo (*Thomæ*) CXCIX.
Budæo (*Guilielmo*) CC.
Deloinus (*Franciſcus*) *Eraſmo*, CCI.
Deloino (*Franciſco*) CCII.
Budæo (*Guilielmo*) CCIII.
Franciſco *I. Galliarum Regi*, CCIV.
Copo (*Guilielmo*) CCV.
Canoſſæ (*Ludovico*) CCVI.
Capitoni (*Guolfg. Fabricio*) CCVII.
Moro (*Thomæ*) CCVIII.
Ægidio (*Petro*) CCIX.
Bartholino (*Ricardo*) CCX.
Ammonio (*Andreæ*) CCXI.
Brixius (*Germanus*) *Eraſmo*, CCXII.
Zaſius (*Udalricus*) *Eraſmo*, CCXIII.
Pirckheimerus (*Bilibaldus*) *Eraſmo*, CCXIV.
Thomæ, *Epiſcopo Dunelmenſi*, CCXV.
Bovillus (*Henricus*) *Eraſmo*, CCXVI.
Glareanus (*Henricus*) *Eraſmo*, CCXVII.
Moro (*Thomæ*) CCXVIII.
Ægidio (*Petro*) CCXIX.
Budæus (*Guilielmus*) *Eraſmo*, CCXX.
Budæo (*Guilielmo*) CCXXI.
Ægidio (*Petro*) CCXXII.
Berus (*Ludovicus*) *Eraſmo*, CCXXIII.
Canoſſa (*Ludovicus*) *Eraſmo*, CCXXIV.
Ammonio (*Andreæ*) CCXXV.
Pirckheimerus (*Bilibaldus*) *Eraſmo*, CCXXVI.
Morus (*Thomas*) *Eraſmo*, CCXXVII.
Bartholinus (*Ricardus*) *Eraſmo*, CCXXVIII.
Regius (*Urbanus*) *Jo. Fabro*, CCXXIX.
—— *ad eundem*, CCXXX.
Ammonio (*Andreæ*) CCXXXI.
* Montjoius (*Guilielmus*) *Eraſmo*, XLIV. App.
* Aggeus (*Auguſtinus*) *Eraſmo*, XLV. ibid.
* Wimphelingus (*Jacobus*) *Eraſmo*, XLVI. ibid.
* Gerbelius (*Nicolaus*) *Eraſmo*, XLVII. ibid.
Pirckheimero (*Bilibaldo*) XLVIII. ibid.
* Bedillus (*Thomas*) *Eraſmo*, XLIX. ibid.
* Zaſius (*Udalricus*) *Eraſmo*, L. ibid.
Regio (*Urbano*) LI. ibid.
* Morus (*Thomas*) *Eraſmo*, LII. ibid.
Regio (*Urbano*) LIII. ibid.
* Reſcius (*Rutgerus*) *Eraſmo*, LIV. ibid.
* Ellenbogen (*Nicolaus*) *Eraſmo*, LV. ibid.
* Barbirius (*Petrus*) *Eraſmo*, LVI. ibid.
* Pricellius (*Georgius*) *Eraſmo*, LVII. ibid.
* Sapidus (*Joannes*) *Eraſmo*, LVIII. ibid.
* Baldung (*Hieronymus*) *Eraſmo*, LIX. ibid.
* Budæus (*Guilielmus*) *Eraſmo*, LX. ibid.
* Bovillus (*Henricus*) *Eraſmo*, LXI. ibid.
Pirckheimero (*Bilibaldo*) LXII. ibid.
* Reuchlinus (*Joannes*) *Eraſmo*, LXIII. ibid.
* Brielis (*Guilielmus*) *Eraſmo*, LXIV. ibid.
* Waramus (*Guilielmus*) *Eraſmo*, LXV. ibid.
* Alardus *Amſtelredamus Eraſmo*, LXVI. ibid.
* Badius (*Jodocus*) *Eraſmo*, LXVII. ibid.
* Sylvagius (*Joannes*) *Eraſmo*, LXVIII. ibid.
* Nuenar (*Hermannus*) *Comes*, *Eraſmo*, LXIX. ibid.
* Barbirius (*Petrus*) *Eraſmo*, LXX. ibid.
* Viterius (*Petrus*) *Eraſmo*, LXXI. ibid.
* Clava (*Antonius*) *Eraſmo*, LXXII. ibid.
* Grejus (*Thomas*) *Eraſmo*, LXXIII. ibid.
Thomæ, *Card. Archiep. Eboracenſi*, LXXIV. ibid.
* Faber (*Wolphangus*) *Eraſmo*, LXXV. ibid.
* Rhenanus (*Beatus*) *Eraſmo*, LXXVI. ibid.
* Amorbachius (*Bruno*) *Eraſmo*, LXXVII. ibid.
* Sapidus (*Joannes*) *Eraſmo*, LXXVIII. ibid.
* Lupſetus (*Thomas*) *Eraſmo*, LXXIX. ibid.
* Waramus (*Guilielmus*) *Moro*, LXXX. ibid.
* Buſlidio (*Hieronymo*) LXXXI. ibid.
* Badius (*Jodocus*) *Eraſmo*, LXXXII. ibid.
* Pirckheimerus (*Bilibaldus*) *Eraſmo*, LXXXIII. ibid.
Coletus (*Joannes*) *Eraſmo*, LXXXIV. ibid.




Digitized by Google

*1516. Coletus (*Joannes*) *Eraſmo*, LXXXV. App.
* Huttenus (*Ulricus*) *Eraſmo*, LXXXVI. ibid.
* Morus (*Thomas*) *Eraſmo*, LXXXVII. ibid.
* Buſlidius (*Hieronymus*) *Eraſmo*, LXXXVIII. ibid.
* Alardus *Amſt. Eraſmo*, LXXXIX. ibid.
* Montjoyus (*Guilielmus*) *Eraſmo*, XC. ibid.
* Noviomagus (*Gerardus*) *Eraſmo*, XCI. ibid.
* Glareanus (*Henricus*) *Eraſmo*, XCII. ibid.
* Cæſarius (*Joannes*) *Eraſmo*, XCIII. ibid.
* Spalatinus (*Georgius*) *Eraſmo*, XCIV. ibid.
* Viterius (*Petrus*) *Eraſmo*, XCV. ibid.
Sapido (*Joanni*) XCVI. ibid.
* Ægidius (*Petrus*) *Eraſmo*, XCVII. ibid.
Barlandus (*Adrianus*) *Cornelio fratri*, XCVIII. ibid.
* Barlandus (*Adrianus*) *Eraſmo*, XCIX. ibid.
* —— *ad eundem*, C. ibid.
* Baſellius (*Nicolaus*) *Eraſmo*, CI. ibid.
* Cæſar (*Robertus*) *Eraſmo*, CII. ibid.
* Fiſcherus (*Joannes*) *Eraſmo*, CIII. ibid.
* Lyſtrius (*Gerardus*) *Eraſmo*, CIV. ibid.
* —— *ad eundem*, CV. ibid.
* Neſenus (*Guilielmus*) *Eraſmo*, CVI. ibid.
* —— *ad eundem*, CVII. ibid.
* —— *ad eundem*, CVIII. ibid.
* Pirckheimerus (*Bilibaldus*) *Eraſmo*, CIX. ibid.
* Emſerus (*Hieronymus*) *Pirckheimero Bilib.* CX. ibid.
1517. Berſelius (*Paſchaſius*) *Eraſmo*, CCXXXII.
Berſelio (*Paſchaſio*) CCXXXIII.
Pirckheimero (*Bilibaldo*) CCXXXIV.
Poncherio (*Stephano*) *Epiſc. Pariſienſi*, CCXXXV.
Ammonius (*Andreas*) *Eraſmo*, CCXXXVI.
Moro (*Thomæ*) CCXXXVII.
Oecolampadius (*Joannes*) *Eraſmo*, CCXXXVIII.
Fabro (*Jacobo*) CCXXXIX.
Ægidio (*Petro*) CCXL.
Pacæo (*Richardo*) CCXLI.
Gonello (*Guilielmo*) CCXLII.
Batto (*Cornelio*) CCXLIII.
Laurino (*Marco*) CCXLV.
Clavæ (*Antonio*) CCXLVI.
Coleto (*Joanni*) CCXLVII.
Botzemo (*Joanni*) CCXLVIII.
Budæus (*Guilielmus*) *Cutberto Tonſtallo*, CCXLIX.
—— —— *Eraſmo*, CCL.
Budæo (*Guilielmo*) CCLI.
Rimaclo ( ) CCLII.
Tonſtallus (*Cutbertus*) *Guil. Budæo*, CCLIII.
Latimero (*Guilielmo*) CCLIV.
Urſewico (*Joanni*) CCLV.
Fiſchero (*Joanni*) CCLVI.
Budæus (*Guilielmus*) *Eraſmo*, CCLVII.
Chriſtophorus, *Epiſc. Baſileenſis*, *Eraſmo*, CCLVIII.
Paliurus (*Lucas*) *Eraſmo*, CCLIX.
Budæo (*Guilielmo*) CCLX.
Waramus (*Guilielmus*) *Eraſmo*, CCLXI.
Paliuro (*Lucæ*) CCLXII.
Stromerio *Aurbachio* (*Henrico*) CCLXIII.
Haloino (*Georgio*) CCLXIV.
Ricardo *ſuo*, CCLXV.
Noviomago (*Gerardo*) CCLXVI.
Thomæ, *Card. Eboracenſi*, CCLXVII.
Henrico *VIII. Angliæ Regi*, CCLXVIII.
Fevino (*Joanni*) CCLXIX.
Lyſtrio (*Gerardo*) CCLXX.
Fabro (*Jacobo*) CCLXXI.
Tonſtallus (*Cutbertus*) *Eraſmo*, CCLXXII.
Goclenio (*Conrado*) CCLXXIII.
Pirckheimero (*Bilibaldo*) CCLXXIV.
Barbirio (*Petro*) CCLXXV.
Herneſto, *Bavariæ Duci*, CCLXXVI.
Baniſius (*Jacobus*) *Eraſmo*, CCLXXVII.
Spalatinus (*Georgius*) *Eraſmo*, CCLXXVIII.
Noviomago (*Gerardo*) CCLXXIX.
Budæo (*Guilielmo*) CCLXXX.
Noviomagus (*Gerardus*) *Eraſmo*, CCLXXXI.
Philippus *à Burgundia*, *Epiſc. Trajectenſis*, *Eraſmo*, CCLXXXII.
Bombaſius (*Paulus*) *Cardinalis*, *Eraſmo*, CCLXXXIII.
Antonio *à Bergis*, CCLXXXIV.
Budæo (*Guilielmo*) CCLXXXV.
Chriſtophoro, *Epiſc. Baſileenſi*, CCLXXXVI.
Pricardo (*Leonardo*) CCLXXXVII.
Ægidio (*Petro*) CCLXXXVIII.
Zaſio (*Udalrico*) CCLXXXIX.
Paludano (*Joanni*) CCXC.
Moro (*Thomæ*) CCXCI.
Noviomago (*Gerardo*) CCXCII.

1517. Tonſtallo (*Cutberto*) CCXCIII.
Viterio (*Petro*) CCXCIV.
Afinio (*Henrico*) CCXCV.
Hoechſtrato (*Andreæ*) CCXCVI.
* Hoechſtratus (*Andreas*) *Eraſmo*, CXI. App.
* Morus (*Thomas*) *Eraſmo*, CXII. ibid.
* Ægidius (*Petrus*) *Eraſmo*, CXIII. ibid.
* Morillonus (*Guido*) *Eraſmo*, CXIV. ibid.
* Accardus (*Marianus*) *Siculus Eraſmo*, CXV. ibid.
* Emſer (*Hieronymus*) *Eraſmo*, CXVI. ibid.
* Dungherſteyn (*Hieronymus*) *Eraſmo*, CXVII. ibid.
* Pirckheimerus (*Bilibaldus*) *Eraſmo*, CXVIII. ibid.
* Rhenanus (*Beatus*) *Eraſmo*, CXIX. ibid.
* Moſellanus (*Petrus*) *Eraſmo*, CXX. ibid.
* Waramus (*Guilielmus*) *Eraſmo*, CXXI. ibid.
* Faber (*Wolphangus*) *Eraſmo*, CXXII. ibid.
* Reuchlinus (*Joannes*) *Eraſmo*, CXXIII. ibid.
* Accardus (*Marianus*) *Eraſmo*, CXXIV. ibid.
* Harenaceus (*Joannes*) *Eraſmo*, CXXV. ibid.
* Badio (*Jodoco*) CXXVI. ibid.
* Neſeno (*Guilielmo*) CXXVII. ibid.
* Viterio (*Petro*) CXXVIII. ibid.
* Battus (*Cornelius*) *Eraſmo*, CXXIX. ibid.
* Sagundinus (*Nicolaus*) *Marco Muſuro*, CXXX. ibid.
* Tunſtallus (*Cutbertus*) *Eraſmo*, CXXXI. ibid.
* Ammonio (*Petro*) CXXXII. ibid.
* Fiſchero (*Joanni*) CXXXIII. ibid.
* Rhenanus (*Beatus*) *Eraſmo*, CXXXIV. ibid.
* Wentfordo (*Rogerio*) CXXXV. ibid.
* Stromerus (*Henricus*) *Eraſmo*, CXXXVI. ibid.
* Bovillus (*Henricus*) *Eraſmo*, CXXXVII. ibid.
* Rhenanus (*Beatus*) *Eraſmo*, CXXXVIII. ibid.
* Berus (*Ludovicus*) *Eraſmo*, CXXXIX. ibid.
* Morillonus (*Guido*) *Eraſmo*, CXL. ibid.
* Egnatius (*Jo. Baptiſta*) *Eraſmo*, CXLI. ibid.
* Bedillus (*Thomas*) *Eraſmo*, CXLII. ibid.
* Sagundinus (*Nicolaus*) *Eraſmo*, CXLIII. ibid.
* Ægidio (*Petro*) CXLIV. ibid.
* Juſtinianus (*Sebaſtianus*) *Eraſmo*, CXLV. ibid.
* Rhenanus (*Beatus*) *Eraſmo*, CXLVI. ibid.
* Fabritius (*Guolphangus*) *Capito Eraſmo*, CXLVII. ibid.
* Morus (*Thomas*) *Eraſmo*, CXLVIII. ibid.
* Budæus (*Guilielmus*) *Eraſmo*, CXLIX. ibid.
* Tunſtallo (*Cutberto*) CL. ibid.
* Barbirio (*Petro*) CLI. ibid.
* Joannes (*Juliacenſis*) *Eraſmo*, CLII. ibid.
* Huttenus (*Ulricus*) *Eraſmo*, CLIII. ibid.
* Schurerius (*Matthias*) *Eraſmo*, CLIV. ibid.
* Barbirius (*Nicolaus*) *Eraſmo*, CLV. ibid.
* Stromerus (*Henricus*) *Eraſmo*, CLVI. ibid.
* Cæſarius (*Joannes*) *Eraſmo*, CLVII. ibid.
* Glareanus (*Henricus*) *Eraſmo*, CLVIII. ibid.
* Barbirius (*Petrus*) *Eraſmo*, CLIX. ibid.
* Cæſario (*Joanni*) CLX. ibid.
* Sixtinus (*Joannes*) *Eraſmo*, CLXI. ibid.
* Bero (*Ludovico*) CLXII. ibid.
* Neſeno (*Guilielmo*) CLXIII. ibid.
* Rhenano (*Beato*) CLXIV. ibid.
* Amorbachio (*Brunoni*) CLXV. ibid.
* Fabro (*Guolphango*) CLXVI. ibid.
* Ruſeto (*Joanni*) CLXVII. ibid.
* Neaetio Comiti (*Hermanno*) CLXVIII. ibid.
* Frobenio (*Joanni*) CLXIX. ibid.
* Chiregattus (*Franciſcus*) *Eraſmo*, CLXX. ibid.
* Cuidam, CLXXI. ibid.
* Tunſtallo (*Cutberto*) CLXXII. ibid.
* —— *ad eundem*, CLXXIII. ibid.
* Morus (*Thomas*) *Eraſmo*, CLXXIV. ibid.
* Clavæ (*Antonio*) CLXXV. ibid.
* Laurino (*Marco*) CLXXVI. ibid.
* Cuidam, CLXXVII. ibid.
* Fiſchero (*Joanni*) CLXXVIII. ibid.
* Moro (*Thomæ*) CLXXIX. ibid.
* Sixtino (*Joanni*) CLXXX. ibid.
* Stromer (*Henricus*) *Eraſmo*, CLXXXI. ibid.
* Clavæ (*Antonio*) CLXXXII. ibid.
* Moro (*Thomæ*) CLXXXIII. ibid.
* Sixtino (*Joanni*) CLXXXIV. ibid.
* Laurino (*Marco*) CLXXXV. ibid.
* Cuidam, CLXXXVI. ibid.
* Lutzenburgo (*Antonio*) CLXXXVII. ibid.
* Berſelius (*Paſchaſius*) *Eraſmo*, CLXXXVIII. ibid.
* Cæſarius (*Joannes*) *Eraſmo*, CLXXXIX. ibid.
* Ægidius (*Petrus*) *Eraſmo*, CXC. ibid.
* Noviomago (*Gerardo*) CXCI. ibid.




Digitized by Google

*1517. Morus (*Thomas*) *Petro Ægidio*, CXCII. App.
* —— *Eraſmo*, CXCIII. ibid.
* Pirckheimero (*Bilibaldo*) CXCIV. ibid.
* Budæo (*Guilielmo*) CXCV. ibid.
* Lupſeto (*Thomæ*) CXCVI. ibid.
* Ofhuys (*Carolus*) *Eraſmo*, CXCVII. ibid.
* Schurerio (*Matthiæ*) CXCVIII. ibid.
* Joanni *ſuo*, CXCIX. ibid.
* Lyſtrio (*Gerardo*) CC. ibid.
* Baniſio (*Jacobo*) CCI. ibid.
* Cæſario (*Joanni*) CCII. ibid.
* Pirckheimero (*Bilibaldo*) CCIII. ibid.
Morus (*Thomas*) *Eraſmo*, CCIV.
* Waramus (*Guilielmus*) *Eraſmo*, CCV. ibid.
* Laurino (*Marco*) CCVI. ibid.
* Pacæo (*Richardo*) CCVII. ibid.
* Laurino (*Marco*) CCVIII. ibid.
* Clavæ (*Antonio*) CCIX. ibid.
* Comiti *à Nova Aquila*, CCX. ibid.
* Fabro (*Jacobo*) CCXI. ibid.
* Moro (*Thomæ*) CCXII. ibid.
* Pyrrho *ſuo*, CCXIII. ibid.
* Bero (*Ludovico*) CCXIV. ibid.
* Fabro (*Guolphango*) CCXV. ibid.
* Rhenano (*Beato*) CCXVI. ibid.
* Berſelio (*Paſchaſio*) CCXVII. ibid.
* Fabro (*Guolphango*) CCXVIII. ibid.
* Philippo *à Burgundia*, CCXIX. ibid.
* —— *ad eundem*, CCXX. ibid.
* Morus (*Thomas*) *Eraſmo*, CCXXI. ibid.
* Pacæo (*Richardo*) CCXXII. ibid.
* Clavæ (*Antonio*) CCXXIII. ibid.
* Ammonio (*Andreæ*) CCXXIV. ibid.
* Lyſtrius (*Gerardus*) *Eraſmo*, CCXXV. ibid.
* Ægidio (*Petro*) CCXXVI. ibid.
* Affinio (*Henrico*) CCXXVII. ibid.
* Ammonio (*Petro*) CCXXVIII. ibid.
* Atenſi (*Joanni*) CCXXIX. ibid.
* Barbirio (*Petro*) CCXXX. ibid.
* Berſelio (*Paſchaſio*) CCXXXI. ibid.
* Buſlidio (*Ægidio*) CCXXXII. ibid.
* Dorpio (*Martino*) CCXXXIII. ibid.
* Glareano (*Henrico*) CCXXXIV. ibid.
* —— *ad eundem*, CCXXXV. ibid.
* Lachnero *& Frobenio*, CCXXXVI. ibid.
* Lachnero, CCXXXVII. ibid.
* Leo (*Eduardo*) CCXXXVIII. ibid.
* Lypſio (*Martino*) *Bruxellenſi*, CCXXXIX. ibid.
* Cuidam, CCXL. ibid.
* Moro (*Thomæ*) CCXLI. ibid.
Ruſero (*Joanni*) CCXLII. ibid.
* Cuidam, CCXLIII. ibid.
* Cuidam, CCXLIV. ibid.
* Cuidam, CCXLV. ibid.
* Coletus (*Joannes*) *Eraſmo*, CCXLVI. ibid.
* Dorpius (*Martinus*) *Eraſmo*, CCXLVII. ibid.
* —— *idem ad eundem*, CCXLVIII. ibid.
* Juſtinianus (*Sebaſtianus*) *Eraſmo*, CCXLIX. ibid.
* Morus (*Thomas*) *Eraſmo*, CCL. ibid.
* —— *idem ad eundem*, CCLI. ibid.
* —— *idem ad eundem*, CCLII. ibid.
* Mulanus (*Andreas*) *Eraſmo*, CCLIII. ibid.
1518. Erardo, *Epiſc. Leodienſi*, CCXCVII.
Philippo *à Burgundia*, CCXCVIII.
Neſeno (*Guilielmo*) CCXCIX.
Ægidio (*Petro*) CCC.
Latimerus (*Guilielmus*) CCCI.
Glareano (*Henrico*) CCCII.
Eckius (*Joannes*) *Eraſmo*, CCCIII.
Budæus (*Guilielmus*) *Eraſmo*, CCCIV.
Budæo (*Guilielmo*) CCCV.
Sampſon (*Richardus*) *Eraſmo*, CCCVI.
Barbirio (*Petro*) CCCVII.
Beraldus (*Nicolaus*) *Eraſmo*, CCCVIII.
Pacæus (*Richardus*) *Eraſmo*, CCCIX.
Budæus (*Guilielmus*) *Eraſmo*, CCCX.
Buſchio (*Hermano*) CCCXI.
Grolierio (*Joannj*) CCCXII.
Henrico VIII. *Anglorum Regi*, CCCXIII.
Laſcari (*Joanni*) CCCXIV.
Grimano (*Dominico*) CCCXV.
Pacæo (*Richardo*) CCCXVI.
Thomæ, *Card. Eboracenſi*, CCCXVII.
Frederico, *Saxoniæ Electori*, CCCXVIII.
Velius (*Gaſpar Urſinus*) *Eraſmo*, CCCXIX.
Beraldus (*Nicolaus*) *Eraſmo*, CCCXX.
Parcio (*Thomæ*) CCCXXI.
Beraldus (*Nicolaus*) *Eraſmo*, CCCXXII.
1518. Dorpius (*Martinus*) *Eraſmo*, CCCXXIII.
Leo (*Ambroſius*) *Eraſmo*, CCCXXIV.
Rectori *Scholæ Erpburdienſis*, CCCXXV.
Hueo (*Guilielmo*) CCCXXVI.
Beraldo (*Nicolao*) CCCXXVII.
Zaſius (*Udalricus*) *Eraſmo*, CCCXXVIII.
Voltzio (*Paulo*) CCCXXIX.
Zaſio (*Udalrico*) CCCXXX.
Puccio (*Antonio*) CCCXXXI.
Oſvaldo *Myconio*, CCCXXXII.
Amorbachio (*Bonifacio*) CCCXXXIII.
* Albertus, *Archiepiſc. Mogunt. Eraſmo*, CCCXXXIV.
Bombaſius (*Paulus*) *Eraſmo*, CCCXXXV.
Budæo (*Guilielmo*) CCCXXXVI.
Rufo (*Mutiano*) CCCXXXVII.
Buſlidio (*Ægidio*) CCCXXXVIII.
Eſchenveldio (*Chriſtophoro*) CCCXXXIX.
Werterio (*Joanni*) CCCXL.
Gerbelio (*Nicolao*) CCCXLI.
Pacæo (*Richardo*) CCCXLII.
Budæus (*Guilielmus*) *Eraſmo*, CCCXLIII.
Ægidio (*Petro*) CCCXLIV.
—— *ad eundem*, CCCXLV.
Cuidam, CCCXLVI.
Bombaſio (*Paulo*) CCCXLVII.
Erardus, *Epiſc. Leodienſis*, *Eraſmo*, CCCLXVIII.
Croyo (*Guilielmo*) CCCXLIX.
Croyus (*Guilielmus*) *Eraſmo*, CCCL.
Croyo (*Guilielmo*) CCCLI.
Sampſoni (*Richardo*) CCCLII.
Antonio *à Bergis*, CCCLIII.
Oecolampadio (*Joanni*) CCCLIV.
Baniſio (*Jacobo*) CCCLV.
Laurino (*Marco*) CCCLVI.
Rhenano (*Beato*) CCCLVII.
Cuidam *Obtrectatori*, CCCLVIII.
Brixio (*Germano*) CCCLIX.
Velio (*Gaſpari*) CCCLX.
Glareano (*Henrico*) CCCLXI.
Buſlidio (*Ægidio*) CCCLXII.
Latimero (*Guilielmo*) CCCLXIII.
Moro (*Thomæ*) CCCLXIV.
Ægidio (*Petro*) CCCLXV.
Buſlidio (*Ægidio*) CCCLXVI.
Barlando (*Adriano*) CCCLXVII.
Ægidio (*Petro*) CCCLXVIII.
Lypſio (*Martino*) CCCLXIX.
—— *ad eundem*, CCCLXX.
Zaſio (*Udalrico*) CCCLXXI.
Marca (*Erardo à*) CCCLXXII.
Ægidio (*Petro*) CCCLXXIII.
Pirckheimero (*Bilibaldo*) CCCLXXIV.
Lypſio (*Martino*) CCCLXXV.
Eckio (*Joanni*) CCCLXXVI.
Bombaſio (*Paulo*) CCCLXXVII.
* Joanni *à Lovanio*, CCLIV. App.
* Hondt (*Joanni de*) CCLV. ibid.
* Affinio (*Henrico*) CCLVI. ibid.
* Barbirio (*Petro*) CCLVII. ibid.
* Laurino (*Marco*) CCLVIII. ibid.
* Badio (*Jodoco*) CCLIX. ibid.
* Ammonio (*Petro*) CCLX. ibid.
* Sixtino (*Joanni*) CCLXI. ibid.
* Ægidio (*Petro*) CCLXII. ibid.
* Bovillo (*Henrico*) CCLXIII. ibid.
* Laurino (*Marco*) CCLXIV. ibid.
* Moro (*Thomæ*) CCLXV. ibid.
* Pacæo (*Richardo*) CCLXVI. ibid.
* Cuidam, CCLXVII. ibid.
* Cuidam, CCLXVIII. ibid.
* Waramo (*Guilielmo*) CCLXIX. ibid.
* Sylvagio (*Joanni*) CCLXX. ibid.
* Frobenio (*Joanni*) CCLXXI. ibid.
* Fabro (*Guolphango*) CCLXXII. ibid.
* Oecolampadio (*Joanni*) CCLXXIII. ibid.
* Rhenano (*Beato*) CCLXXIV. ibid.
* Bombaſio (*Paulo*) CCLXXV. ibid.
* Robino (*Joanni*) CCLXXVI. ibid.
* Cæſario (*Joanni*) CCLXXVII. ibid.
* Budæo (*Guilielmo*) CCLXXVIII. ibid.
* Bidello (*Thomæ*) CCLXXIX. ibid.
* Croco (*Guilielmo*) CCLXXX. ibid.
* Sixtino (*Joanni*) CCLXXXI. ibid.
* Tunſtallo (*Cutberto*) CCLXXXII. ibid.
* Noviomago (*Gerardo*) CCLXXXIII. ibid.
* Barbirio (*Petro*) CCLXXXIV. ibid.
* Moro (*Thomæ*) CCLXXXV. ibid.
* Wentfordo (*Rogerio*) CCLXXXVI. ibid.




Digitized by Google

* 1518. **Moro** (*Thomæ*) CCLXXXVII. App.
* Comiti à Nova Aquila (*Hermanno*) CCLXXXVIII. ib.
* Capitoni *ſuo*, CCLXXXIX. ibid.
* Eſchenveldio (*Chriſtopboro*) CCXC. ibid.
* Materno *ſuo*, CCXCI. ibid.
* Buſchio (*Hermanno*) CCXCII. ibid.
* Eſchenveldio (*Chriſtopboro*) CCXCIII. ibid.
* Tunſtallo (*Cutberto*) CCXCIV. ibid.
* Bidellio (*Thomæ*) CCXCV. ibid.
* Bovillo (*Henrico*) CCXCVI. ibid.
* Montjojo (*Guilielmo*) CCXCVII. ibid.
* Cuidam. CCXCVIII. ibid.
* Waramo (*Guilielmo*) CCXCIX. ibid.
* Smith (*Joanni*) CCC. ibid.
* Paliurus (*Lucas*) *Eraſmo*, CCCI. ibid.
* Hollonius (*Lambertus*) *Eraſmo*, CCCII. ibid.
* Antonio *à Bergis*, CCCIII. ibid.
* Budæo (*Guilielmo*) CCCIV. ibid.
* Coleto (*Joanni*) CCCV. ibid.
* Fiſchero (*Joanni*) CCCVI. ibid.
* Frobenio (*Joanni*) CCCVII. ibid.
* Lodovico *ſuo*, CCCVIII. ibid.
* Lutzemburgo (*Antonio*) CCCIX. ibid.
* Liſtrio (*Gerardo*) CCCX. ibid.
* Moro (*Thomæ*) CCCXI. ibid.
* Waramo (*Guilielmo*) CCCXII. ibid.
* Moro (*Thomæ*) CCCXIII ibid.

1519. Melanchthon (*Philippus*) *Eraſmo*, CCCLXXVIII.
Moſellanus (*Petrus*) *Eraſmo*, CCCLXXIX.
Moſellano (*Petro*) CCCLXXX.
Noetio (*Jodoco*) CCCLXXXI.
Longolius (*Chriſtophorus*) *Jacobo Luce*, CCCLXXXII.
Budæus (*Guilielmus*) *Eraſmo*, CCCLXXXIII.
Thomæ, *Card. Eboracenſi*, CCCLXXXIV.
N. Ferdinandi *Medico*, CCCLXXXV.
Marca (*Antonio à*) CCCLXXXVI.
Budæo (*Guilielmo*) CCCLXXXVII.
Marca (*Erardo à*) CCCLXXXVIII.
Fiſchero (*Joanni*) CCCLXXXIX.
Budæus (*Guilielmus*) *Eraſmo*, CCCXC.
Carino (*Ludovico*) CCCXCI.
Huttenus (*Ulricus*) *Eraſmo*, CCCXCII.
Ruſeo (*Ludovico*) CCCXCIII.
Viveti (*Ludovico*) CCCXCIV.
Budæus (*Guilielmus*) *Eraſmo*, CCCXCV.
—— *idem ad eundem*, CCCXCVI.
Neſeno (*Guilielmo*) CCCXCVII.
Budæo (*Guilielmo*) CCCXCVIII.
Lutherus (*Martinus*) *Eraſmo*, CCCXCIX.
Borſalus (*M. Joannes*) *Eraſmo*, CCCC.
Lypſio (*Martino*) CCCCI.
Longolio (*Chriſtopboro*) CCCCII.
Fiſchero (*Joanni*) CCCCIII.
Cordo (*Euricio*) CCCCIV.
Jacobo *Hornenſi*, CCCCV.
Draconi (*Joanni*) CCCCVI.
Turzoni (*Joanni*) CCCCVII.
Croyo (*Guilielmo*) CCCCVIII.
Budæus (*Guilielmus*) *Eraſmo*, CCCCIX.
Budæo (*Guilielmo*) CCCCX.
Melanchthoni (*Philippo*) CCCCXI.
Schlechtæ (*Joanni*) CCCCXII.
Hutteno (*Ulrico*) CCCCXIII.
Borſalo (*Joanni*) CCCCXIV.
Fabro (*Joanni*) CCCCXV.
Campegio (*Laurentio*) CCCCXVI.
Guldefordo (*Henrico*) CCCCXVII.
Henrico *VIII. Anglorum Regi*, CCCCXVIII.
Alberto, *Card. & Archiepiſcopo Moguntinenſi*, CCCCXIX.
Antonio *à Bergis*, CCCCXX.
Pricardus (*Leonardus*) *Eraſmo*, CCCCXXI.
Thomæ, *Epiſcopo Dunelmenſi*, CCCCXXII.
Richardo, *Epiſcopo Wintonienſi*, CCCCXXIII.
Schalbus (*Gaſpar*) *Eraſmo*, CCCCXXIV.
Spalatino (*Georgio*) CCCCXXV.
Friderico, *Saxoniæ Duci*, CCCCXXVI.
Luthero (*Martino*) CCCCXXVII.
Schalbo (*Gaſpari*) CCCCXXVIII.
Eobano *Heſſo*, CCCCXXIX.
Papinio (*Antonio*) CCCCXXX.
Jonæ (*Jodoco*) CCCCXXXI.
Budæus (*Guilielmus*) *Eraſmo*, CCCCXXXII.
Morus (*Thomas*) *Eraſmo*, CCCCXXXIII.
Albertus *Card. Moguntinenſis Eraſmo*, CCCCXXXIV.
Jonæ (*Jodoco*) CCCCXXXV.
Ægidius (*Petrus*) CCCCXXXVI.
Baniſio (*Jacobo*) CCCCXXXVII.
Claymondo (*Joanni*) CCCCXXXVIII.

1519. Parthenio (*Tranquillo*) CCCCXXXIX.
Papinius (*Antonius*) *Eraſmo*, CCCCXL.
Budæus (*Guilielmus*) *Eraſmo*, CCCCXLI.
Priccardo (*Leonardo*) CCCCXLII.
Campegius (*Laurentius*) *Eraſmo*, CCCCXLIII.
Collegio *Canonicorum Metenſium*, CCCCXLIV.
Campegio (*Laurentio*) CCCCXLV.
Leo (*Eduardo*) CCCCXLVI.
Hutteno (*Ulrico*) CCCCXLVII.
Puccio (*Laurentio*) CCCCXLVIII.
Fiſchero (*Joanni*) CCCCXLIX.
Spalatino (*Georgio*) CCCCL.
Zutphenio (*Petro*) CCCCLI.
Hoochſtrato (*Jacobo*) CCCCLII.
Leoni X. *Papæ*, CCCCLIII.
Haco (*Chriſtopboro*) CCCCLIV.
Budæus (*Guilielmus*) *Eraſmo*, CCCCLV.
Alberto, *Cardin. Moguntinenſi*, CCCCLVI.
Jacobo *Tutori*, CCCCLVII.
Budæus (*Guilielmus*) *Eraſmo*, CCCCLVIII.
Conrado *& Laurentio Abbat.* CCCCLIX.
Poncherio (*Stephano*) CCCCLX.
Florentio *ab Iſelſteyn*, CCCCLXI.
Grymanno (*Dominico*) *Card.* CCCCLXII.
Slechta (*Joannes*) *Eraſmo*, CCCCLXIII.
Budæo (*Guilielmo*) CCCCLXIV.
Beraldo (*Nicolao*) CCCCLXV.
Leoni (*Ambroſio*) CCCCLXVI.
Lupſeto (*Thomæ*) CCCCLXVII.
Pacæo (*Richardo*) CCCCLXVIII.
Montjojo (*Guilielmo*) CCCCLXIX.
Dancaſtro (*Guilielmo*) CCCCLXX.
Tonſtallo (*Cutberto*) CCCCLXXI.
Thomæ, *Card. Eboracenſi*, CCCCLXXII.
Draconi (*Joanni*) CCCCLXXIII.
Fiſchero (*Joanni*) CCCCLXXIV.
Guilfordo (*Henrico*) CCCCLXXV.
Eobano *Heſſo*, CCCCLXXVI.
Alberto, *Archiep. Moguntinenſi*, CCCCLXXVII.
Slechtæ (*Joanni*) CCCCLXXVIII.
Turzo (*Joannes*) *Eraſmo*, CCCCLXXIX.
Robino (*Joanni*) CCCCLXXX.
Lupſeto (*Thomæ*) CCCCLXXXI.
Nicolao, *Præpoſito Edano*, CCCCLXXXII.
Fabro (*Joanni*) CCCCLXXXIII.
Noviomago (*Gerardo*) CCCCLXXXIV.
Lypſio (*Martino*) CCCCLXXXV.
—— *ad eundem*, CCCCLXXXVI.
—— *ad eundem*, CCCCLXXXVII.
—— *ad eundem*, CCCCLXXXVIII.
Vivi (*Ludovico*) CCCCLXXXIX.
Voltzio (*Paulo*) CCCCXC.
Roſemundo (*Godſchalco*) CCCCXCI.
Montjojo (*Guilielmo*) CCCCXCII.
Marliano (*Aloiſio*) CCCCXCIII.
Budæo (*Guilielmo*) CCCCXCIV.
Ægidio (*Petro*) CCCCXCV.
Moro (*Thomæ*) CCCCXCVI.

1520. Gruningio (*Henrico*) CCCCXCVII.
Chiregatto (*Franciſco*) CCCCXCVIII.
Sylveſtro, *Epiſc. Wigornenſi*, CCCCXCIX.
Campegio (*Laurentio*) D.
Marliano (*Aloiſio*) DI.
Algotio (*Livino*) DII.
Moro (*Thomæ*) DIII.
Pirckheimerus (*Bilibaldus*) *Eraſmo*, DIV.
Moro (*Thomæ*) DV.
Richardo, *Epiſc. Wintonienſi*, DVI.
Rhenano (*Beato*) DVII.
Alberto, *Card. Moguntino*, DVIII.
Oecolampadio (*Joanni*) DIX.
Georgio, *Haloimi Cominiique Domino*, DX.
Brixio (*Germano*) DXI.
Spalatino (*Georgio*) DXII.
Buſchius (*Hermannus*) *Eraſmo*, DXIII.
Matthiæ, *Sax. Ducis à Decimis*, DXIV.
Moſellano (*Petro*) DXV.
Buſchio (*Hermanno*) DXVI.
Georgio, *Saxoniæ Duci*, DXVII.
Thomæ, *Card. Eboracenſi*, DXVIII.
Budæo (*Guilielmo*) DXIX.
Goclenio (*Conrado*) DXX.
Rotenhan (*Sebaſtiano de*) DXXI.
Morus (*Thomas*) *Eraſmo*, DXXII.
Lupſeto (*Thomæ*) DXXIII.
Turzoni (*Joanni*) DXXIV.
Nicolao *Buſciducenſi*, DXXV.
Burbanco (*Guilielmo*) DXXVI.




Digitized by Google

1520. Pirckheimero (*Bilibaldo*) DXXVII.
Noviomago (*Gerardo*) DXXVIII.
Leoni X. *Papæ*, DXXIX.
Chiregatto (*Franciſco*) DXXX.
Henrico VIII. *Angliæ Regi*, DXXXI.
Craneveldius (*Franciſcus*) *Eraſmo*, DXXXII.
Manio (*Petro*) DXXXIII.
Vilingero (*Jacobo*) DXXXIV.
Gattinario (*Mercurino*) DXXXV.
Alberto, *Card. Moguntino*, DXXXVI.
Marca (*Erardo à*) DXXXVII.
Ofhuſio (*Gabrieli*) DXXXVIII.
Roſemundo (*Godſchalco*) DXXXIX.
Morus (*Thomas*) *Eraſmo*, DXL.
Reuchlino (*Joanni*) DXLI.
Peutingero (*Conrado*) DXLII.
Jonæ (*Jodoco*) DXLIII.
Oecolampadio (*Joanni*) DXLIV.
Sbrulio (*Richardo*) DXLV.
Ritio (*Paulo*) DXLVI.
Campegio (*Laurentio*) DXLVII.
Lipſio (*Chriſtophoro*) DXLVIII.
Scarpinello (*Auguſtino*) DXLIX.
Craneveldio (*Franciſco*) DL.
Bedello (*Thomæ*) DLI.
Cnophæ (*Andreæ*) DLII.
Morus (*Thomas*) *Eraſmo*, DLIII.
Moro (*Thomæ*) DLIV.
Morus (*Thomas*) *Eraſmo*, DLV.
Moro (*Thomæ*) DLVI.
Roſemundo (*Godſchalco*) DLVII.
Rodeſtegrio (*Godofredo*) DLVIII.
Pacæo (*Richardo*) DLIX.
Leontio *ſuo*, DLX.
* Pirckheimerus (*Bilibaldus*) *Eraſmo*, DLXI.
Obtrectatori *ſuo*, DLXII.
1521. Viro *Præpotenti*, DLXIII.
Goclenio (*Conrado*) DLXIV.
Budæo (*Guilielmo*) DLXV.
Beraldo (*Nicolao*) DLXVI.
Bartholino (*Laurentio*) DLXVII.
Cattinarius (*Mercurinus*) *Eraſmo*, DLXVIII.
Marlianus (*Aloiſius*) *Eraſmo*, DLXIX.
Marliano (*Aloiſio*) DLXX.
Guilielmo, *Paſtori Gruningenſi*, DLXXI.
Jonæ (*Jodoco*) DLXXII.
Bero (*Ludovico*) DLXXIII.
Waramo (*Guilielmo*) DLXXIV.
Goclenio (*Conrado*) DLXXV.
—— *ad eundem*, DLXXVI.
Pacæo (*Richardo*) DLXXVII.
Ludovico, *Epiſc. Tornacenſi*, DLXXVIII.
Bombaſius (*Paulas*) *Eraſmo*, DLXXIX.
Livino *Abbati*, DLXXX.
Harſto (*Carolo*) DLXXXI.
Barbirio (*Petro*) DLXXXII.
* Pacæo (*Richardo*) DLXXXIII.
Taiſpillo (*Danieli*) DLXXXIV.
Vives (*Jo. Lodovicus*) *Eraſmo*, DLXXXV.
Taleo (*Guilielmo*) DLXXXVI.
Barbirio (*Petro*) DLXXXVII.
Frobenio (*Hieronymo*) DLXXXVIII.
Pacæo (*Richardo*) DLXXXIX.
Waramo (*Guilielmo*) DXC.
Linacro (*Thomæ*) DXCI.
Schudelino (*Joanni*) DXCII.
Barbirio (*Petro*) DXCIII.
Bombaſio (*Paulo*) DXCIV.
Buchoni (*Bernardo*) DXCV.
Fabritius *Capito Eraſmo*, DXCVI.
Turzoni (*Staniſlao*) DXCVII.
—— *ad eundem*, DXCVIII.
Pirckheimero (*Bilibaldo*) DXCIX.
Alciato (*Andreæ*) DC.
Matthæo, *Card. Sedunenſi*, DCI.
Vergilio (*Polydoro*) DCII.
Theologis *Lovanienſibus*, DCIII.
Everardo (*Nicolao*) DCIV.
Budæo (*Guilielmo*) DCV.
Montjojo (*Guilielmo*) DCVI.
Reſcio (*Rutgero*) DCVII.
Ludovico *à Prato*, DCVIII.
Haioni (*Hermanno*) DCIX.
Vives (*Jo. Ludovicus*) *Eraſmo*, DCX.
Vivi (*Jo. Ludovico*) DCXI.
Wichmano (*Petro*) DCXII.
Alexandro *ſuo*, CCCXIV. App.
* Everardo (*Nicolao*) CCCXV. ibid.

*1521. Maximiliano, *Domino de Hornes*, CCCXVI. App.
* Everardo (*Nicolao*) CCCXVII. ibid.
1522. Carondileto (*Joanni*) DCXIII.
Pirckheimero (*Bilibaldo*) DCXIV.
Vives (*Jo. Ludovicus*) *Eraſmo*, DCXV.
Pirckheimero (*Bilibaldo*) DCXVI.
Wattenvilo (*Nicolao*) DCXVII.
Pirckheimero (*Bilibaldo*) DCXVIII.
Vives (*Jo. Ludovicus*) *Eraſmo*, DCXIX.
Turzo (*Staniſlaus*) *Eraſmo*, DCXX.
Palentino *Epiſcopo*, DCXXI.
Coronello (*Ludovico*) DCXXII.
Carondileto (*Joanni*) DCXXIII.
Alciato (*Andreæ*) DCXXIV.
Vives (*Jo. Ludovicus*) *Eraſmo*, DCXXV.
Ennio, *Epiſcopo Verulano*, DCXXVI.
Goclenio (*Conrado*) DCXXVII.
Barbirio (*Petro*) DCXXVIII.
Jodoco, *Senatus Mechlin. Præſidi*, DCXXIX.
Vives (*Jo. Ludovicus*) *Eraſmo*, DCXXX.
Pirckheimero (*Bilibaldo*) DCXXXI.
Adriano *VI. Papæ*, DCXXXII.
—— *ad eundem*, DCXXXIII.
Vives (*Jo. Ludovicus*) *Eraſmo*, DCXXXIV.
Georgio, *Saxoniæ Duci*, DCXXXV.
Heresbachio (*Conrado*) DCXXXVI.
Franciſco, *Archiep. Ebrodunenſi*, DCXXXVII.
Ferdinando *Regi*, DCXXXVIII.
Adriano *VI. Papa Eraſmo*, DCXXXIX.
Stromero (*Henrico*) DCXL.
Adriano *VI. Papæ*, DCXLI.
Zieglero (*Jacobo*) DCXLII.
Botzemo (*Joanni*) DCXLIII.
Barbirio (*Petro*) DCXLIV.
Glapioni (*Joanni*) DCXLV.
* Regius (*Urbanus*) *Eraſmo*, CCCXVIII. App.
Chiregatto (*Franciſco*) CCCXIX. ibid.
* Zieglerus (*Jacobus*) *Eraſmo*, CCCXX. ibid.
* Læthmatio (*Hermanno*) CCCXXI. ibid.
* Leonardus *Abbas Eraſmo*, CCCXXII. ibid.
* Frabritius *Capito Eraſmo*, CCCXXIII. ibid.
1523. Pirckheimero (*Bilibaldo*) DCXLVI.
Bernardo, *Epiſc. Tridentino*, DCXLVII.
Adrianus *VI. Papa Eraſmo*, DCXLVIII.
Adriano *VI. Papæ*, DCXLIX.
Laurino (*Marco*) DCL.
Ferdinandus *Rex Eraſmo*, DCLI.
Turzoni (*Staniſlao*) DCLII.
Barbirio (*Petro*) DCLIII.
Vives (*Jo. Ludovicus*) *Eraſmo*, DCLIV.
* Alberto, *Card. Moguntinenſi*, DCLV.
Tonſtallus (*Cuthertus*) *Eraſmo*, DCLVI.
Henrico *VIII. Angliæ Regi*, DCLVII.
Goclenio (*Conrado*) DCLVIII.
Pirckheimero (*Bilibaldo*) DCLIX.
Henrico *VIII. Angliæ Regi*, DCLX.
Chriſtophoro, *Epiſc. Baſileenſi*, DCLXI.
Senatui *Baſileenſi*, DCLXII.
Chriſtophoro, *Epiſc. Baſileenſi*, DCLXIII.
Prierati (*Sylveſtro*) DCLXIV.
Vergilio (*Polydoro*) DCLXV.
* Collegio *Virginum Macabeiticarum*, DCLXVI.
* Læthmatio (*Hermanno*) CCCXXIV. App.
* Lupſetus (*Thomas*) *Jo. Botzemo*, CCCXXV. ibid.
* Vergilius (*Polydorus*) *Eraſmo*, CCCXXVI. ibid.
1524. Matthæo, *Card. Sedunenſi*, DCLXVII.
Bombaſio (*Paulo*) DCLXVIII.
Pierckheimero (*Bilibaldo*) DCLXIX.
Clementi *VII. Papæ*, DCLXX.
Gavero (*Jodoco*) DCLXXI.
Hutteno (*Udalrico*) DCLXXII.
Roſche (*Domino de la*) DCLXXIII.
Magiſtratui *Argentinenſi*, DCLXXIV.
Carondileto (*Joanni*) DCLXXV.
Canio (*Joanni*) DCLXXVI.
Pirckheimero (*Bilibaldo*) DCLXXVII.
Abbati *cuidam*, DCLXXVIII.
Everardo (*Nicolao*) DCLXXIX.
Georgius, *Saxoniæ Dux*, *Eraſmo*, DCLXXX.
Vives (*Jo. Ludovicus*) *Eraſmo*, DCLXXXI.
Chriſtophoro, *Epiſc. Baſileenſi*, DCLXXXII.
*Græcæ litteraturæ ſtudioſis*, DCLXXXIII.
Pirckheimero (*Bilibaldo*) DCLXXXIV.
Canio (*Joanni*) DCLXXXV.
Deiotaro (*Zachariæ*) DCLXXXVI.
Senatui *Argentinenſi*, DCLXXXVII.
Scarpinello (*Auguſtino*) DCLXXXVIII.
Haioni (*Hermanno*) DCLXXXIX.




Digitized by Google

1524. Hezio (*Theodorico*) DCXC.
Molino (*Franciſco*) DCXCI.
Thomæ, *Card. Eboracenſi*, DCXCII.
Aleandro (*Hieronymo*) DCXCIII.
Giberto (*Jo. Matthæo*) DCXCIV.
Georgio, *Saxoniæ Duci*, DCXCV.
Tonſtallo (*Cutberto*) DCXCVI.
Waramo (*Guilielmo*) DCXCVII.
Fiſchero (*Joanni*) DCXCVIII.
Pacæo (*Richardo*) DCXCIX.
Bero (*Richardo*) DCC.
Toneſio, *Conſiliario Card. Eboracenſis*, DCCI.
Henrico VIII. *Angliæ Regi*, DCCII.
Melanchthoni (*Philippo*) DCCIII.
Melanchthon (*Philippus*) *Eraſmo*, DCCIV.
* Ferdinandus *Rex Eraſmo*, DCCV.
Goclenio (*Conrado*) DCCVI.
Brugnario (*Antonio*) DCCVII.
Sadoletus (*Jacobus*) *Eraſmo*, DCCVIII.
Mosham (*Rudberto à*) DCCIX.
Ferdinando *Regi*, DCCX.
Wimphelingo (*Jacobo*) DCCXI.
Voltzio (*Paulo*) DCCXII.
Camerarius (*Joachimus*) *Eraſmo*, DCCXIII.
Melanchthoni (*Philippo*) DCCXIV.
Stromero (*Henrico*) DCCXV.
Camerario (*Joachimo*) DCCXVI.
Molino (*Franciſco*) DCCXVII.
Georgio, *Saxoniæ Duci*, DCCXVIII.
Cæſario (*Joanni*) DCCXIX.
Voltzio (*Paulo*) DCCXX.
Vivi (*Ludovico*) DCCXXI.
Euſtachio (*Andreæ*) DCCXXII.
Gueriis (*Leonardo à*) DCCXXIII.
Truchſes (*Chriſtophoro*) DCCXXIV.
Hedioni (*Gaſpari*) DCCXXV.
* Lutherus (*Martinus*) *Eraſmo*, DCCXXVI.
* Pirckheimero (*Bilibaldo*) CCCXXVII. App.
* Ulatteno (*Joanni*) CCCXXVIII. ibid.
1525. Pirckheimero (*Bilibaldo*) DCCXXVII.
Oecolampadio (*Joanni*) DCCXXVIII.
Pirckheimero (*Bilibaldo*) DCCXXIX.
Turzoni (*Staniſlao*) DCCXXX.
Canio (*Joanni*) DCCXXXI.
Maximiliano *Tranſſylvano*, DCCXXXII.
Sadoleto (*Jacobo*) DCCXXXIII.
Nauſeæ (*Friderico*) DCCXXXIV.
Cornelio, *Bergenſi Quæſtori*, DCCXXXV.
Georgio, *Saxoniæ Duci*, DCCXXXVI.
Stromero (*Henrico*) DCCXXXVII.
Georgio, *Saxoniæ Duci*, DCCXXXVIII.
Hunno (*Martino*) DCCXXXIX.
Pirckheimero (*Bilibaldo*) DCCXL.
Beddæ (*Natali*) DCCXLI.
Calcagnino (*Cælio*) DCCXLII.
Felici, *Epiſc. Theatino*, DCCXLIII.
Montino (*Floriano*) DCCXLIV.
Puccio (*Antonio*) DCCXLV.
Beddæ (*Natali*) DCCXLVI.
Maximiliano *Tranſſylvano*, DCCXLVII.
Barlando (*Adriano*) DCCXLVIII.
Sadoleto (*Jacobo*) DCCXLIX.
Calcagninus (*Cælius*) *Eraſmo*, DCCL.
Beddæ (*Natali*) DCCLI.
Brixio (*Germano*) DCCLII.
Berquino (*Ludovico*) DCCLIII.
Selvæ (*Joanni*) DCCLIV.
Budæo (*Guilielmo*) DCCLV.
Antonino (*Joanni*) DCCLVI.
Pirckheimero (*Bilibaldo*) DCCLVII.
Calvo (*Franciſco*) DCCLVIII.
Barbirio (*Petro*) DCCLIX.
Vergilio (*Polydoro*) DCCLX.
Nicolao *Montenſi Decano*, DCCLXI.
Vives (*Ludovicus*) *Eraſmo*, DCCLXII.
Pirckheimero (*Bilibaldo*) DCCLXIII.
Margaretæ, *Reginæ Navarræ*, DCCLXIV.
Budæo (*Guilielmo*) DCCLXV.
Budæ (*Michaeli*) DCCLXVI.
Beddæ (*Natali*) DCCLXVII.
Barbirio (*Petro*) DCCLXVIII.
Egnatio (*Jo. Baptiſtæ*) DCCLXIX.
Laſco (*Hieroſlao à*) DCCLXX.
Caſimbroto (*Leonardo*) DCCLXXI.
Polo (*Reginaldo*) DCCLXXII.
Critio (*Andreæ*) DCCLXXIII.
Nauſeæ (*Friderico*) DCCLXXIV.
Bombaſio (*Paulo*) DCCLXXV.

1525. Apocello (*Jacobo*) DCCLXXVI.
Benedicto (*Danieli*) DCCLXXVII.
Maximiliano *Tranſſylvano*, DCCLXXVIII.
Heemſtedio (*Joanni*) DCCLXXIX.
Vives (*Jo. Ludovicus*) *Eraſmo*, DCCLXXX.
* Everardo (*Nicolao*) DCCLXXXI.
Aldriſio (*Roberto*) DCCLXXXII.
Barbirio (*Petro*) DCCLXXXIII.
Beddæ (*Natali*) DCCLXXXIV.
Brixio (*Germano*) DCCLXXXV.
Brunsfeldio (*Otboni*) DCCLXXXVI.
Emſero (*Hieronymo*) DCCLXXXVII.
Jovio (*Benedicto*) DCCLXXXVIII.
Laurino (*Matthiæ*) DCCLXXXIX.
Lupſeto (*Thomæ*) DCCXC.
Sucqueto (*Joanni*) DCCXCI.
Sylvio (*Franciſco*) DCCXCII.
Tonſtallo (*Cutberto*) DCCXCIII.
* Curtius (*Petrus*) *Eraſmo*, CCCXXIX. App.
* Ulatteno (*Joanni*) CCCXXX. ibid.
* Velius (*Gaſp. Urſinus*) *Eraſmo*, CCCXXXI. ibid.
* Bedda (*Natalis*) *Eraſmo*, CCCXXXII. ibid.
Pio (*Alberto*) CCCXXXIII. ibid.
* Morus (*Thomas*) *Eraſmo*, CCCXXXIV. ibid.
1526. Vives (*Ludovicus*) *Eraſmo*, DCCXCIV.
Campegio (*Laurentio*) DCCXCV.
Henckello (*Joanni*) DCCXCVI.
Nauſeæ (*Friderico*) DCCXCVII.
Laſco (*Joanni à*) DCCXCVIII.
Polo (*Reginaldo*) DCCXCIX.
Budæ (*Michaeli*) DCCC.
Sylvio (*Franciſco*) DCCCI.
Cigalino (*Franciſco*) DCCCII.
Budæo (*Guilielmo*) DCCCIII.
Chiregatto (*Franciſco*) DCCCIV.
Guilielmo, DCCCV.
Luthero (*Martino*) DCCCVI.
Bernardo, *Epiſc. Tridentino*, DCCCVII.
Barlando (*Adriano*) DCCCVIII.
Ægidio (*Petro*) DCCCIX.
Thomæ, *Cardinali*, DCCCX.
Cuidam, DCCCXI.
Nicolao, DCCCXII.
Carondileto (*Joanni*) DCCCXIII.
Longlondo (*Joannı*) DCCCXIV.
Vergilio (*Polydoro*) DCCCXV.
Caſimbroto (*Leonardo*) DCCCXVI.
Egnatio (*Jo. Baptiſtæ*) DCCCXVII.
Helvetiorum *Nationi*, DCCCXVIII.
Bertulpho (*Hilario*) DCCCXIX.
Molino (*Franciſco*) DCCCXX.
Tuſſano (*Jacobo*) DCCCXXI.
Giberto (*Matthæo*) DCCCXXII.
Pirckheimero (*Bilibaldo*) DCCCXXIII.
Senatui *Pariſienſi*, DCCCXXIV.
Molino (*Franciſco*) DCCCXXV.
Franciſco I. *Galliæ Regi*, DCCCXXVI.
Pirckheimero (*Bilibaldo*) DCCCXXVII.
Georgio, *Saxoniæ Duci*, DCCCXXVIII.
Vives (*Ludovicus*) *Eraſmo*, DCCCXXIX.
Copo (*Guilielmo*) DCCCXXX.
Bernardo, *Epiſc. Tridentino*, DCCCXXXI.
Ægidio (*Petro*) DCCCXXXII.
Aſulano (*Franciſco*) DCCCXXXIII.
Carondileto (*Ferico*) DCCCXXXIV.
Laſco (*Hieroſlao à*) DCCCXXXV.
Critio (*Andreæ*) DCCCXXXVI.
Schidlovietz (*Chriſtophoro à*) DCCCXXXVII.
Piſoni (*Jacobo*) DCCCXXXVIII.
Bernardo, *Epiſc. Tridentino*, DCCCXXXIX.
Vario *Marvillano* (*Nicolao*) DCCCXL.
Fettichio *Theobaldo*) DCCCXLI.
Budæus (*Guilielmus*) *Eraſmo*, DCCCXLII.
Fabro (*Joanni*) DCCCXLIII.
Cantiunculæ (*Claudio*) DCCCXLIV.
Pelicano (*Conrado*) DCCCXLV.
—— *ad eundem*, DCCCXLVI.
—— *ad eundem*, DCCCXLVII.
Piſtorio (*Simoni*) DCCCXLVIII.
* Berquinus (*Ludovicus*) *Eraſmo*, CCCXXXV. App.
* Piſtorius (*Simon*) *Eraſmo*, CCCXXXVI. ibid.
* Caſperotus (*Leonardus*) *Eraſmo*, CCCXXXVII. ibid.
* Maldonatus (*Joannes*) *Eraſmo*, CCCXXXVIII. ibid.
1527. Mornyeo (*Petro*) DCCCXLIX.
Gattinarius (*Mercurinus*) *Eraſmo*, DCCCL.
Vives (*Ludovicus*) *Eraſmo*, DCCCLI.
Aldriſio (*Roberto*) DCCCLII.
Furſtero (*Valentino*) DCCCLIII.



Digitized by Google

1527. Vergilio (*Polydoro*) DCCCLIV.
Fabro (*Jacobo*) DCCCLV.
Carondileto (*Joanni*) DCCCLVI.
Valdesio (*Alfonso*) DCCCLVII.
Fonseca (*Alfonsus*) *Erasmo*, DCCCLVIII.
Gattinario (*Mercurino*) DCCCLIX.
Sigismundo I. *Poloniæ Regi*, DCCCLX.
Schidlovietz (*Christophoro à*) DCCCLXI.
Lasco (*Joanni à*) DCCCLXII.
Critio (*Andreæ*) DCCCLXIII.
Franciſco *Haſſeltenſi*, DCCCLXIV.
Zebridovio (*Andreæ*) DCCCLXV.
Coxo (*Leonardo*) DCCCLXVI.
Medico *cuidam*, DCCCLXVII.
Cannio (*Nicolao*) DCCCLXVIII.
Foſſa (*Tilemanno à*) DCCCLXIX.
Waramo (*Guilielmo*) DCCCLXX.
Vivi (*Ludovico*) DCCCLXXI.
Brixio (*Germano*) DCCCLXXII.
Nauſeæ (*Friderico*) DCCCLXXIII.
Caduceatori (*Henrico*) DCCCLXXIV.
Budæo (*Guilielmo*) DCCCLXXV.
Vives (*Ludovicus*) DCCCLXXVI.
Ferdinando *Regi*, DCCCLXXVII.
Lasco (*Joanni à*) DCCCLXXVIII.
Margaretæ *Reginæ*, DCCCLXXIX.
Marvillano (*Nicolao*) DCCCLXXX.
Maximiliano *à Burgundia*, DCCCLXXXI.
Aldriſio (*Roberto*) DCCCLXXXII.
Borſalo (*Joanni*) DCCCLXXXIII.
Waramo (*Guilielmo*) DCCCLXXXIV.
Sperchefordo (*Richardo*) DCCCLXXXV.
Cochleio (*Joanni*) DCCCLXXXVI.
Canio (*Joanni*) DCCCLXXXVII.
Foſſa (*Tilemanno à*) DCCCLXXXVIII.
Georgio, *Saxoniæ Duci*, DCCCLXXXIX.
Laurino (*Marco*) DCCCXC.
Georgio, *Saxoniæ Duci*, DCCCXCI.
Fonſecæ (*Alfonſo*) DCCCXCII.
Vergaræ (*Franciſco*) DCCCXCIII.
Vergaræ (*Joanni*) DCCCXCIV.
Carolo V. *Imperatori*, DCCCXCV.
Gardinario (*Stephano*) DCCCXCVI.
Reſcio (*Rutgero*) DCCCXCVII.
Bibliopego (*Joanni*) DCCCXCVIII.
Vergaræ (*Franciſco*) DCCCXCIX.
Carolo, *Duci Sabaudiæ*, DCCCC.
Vivi (*Ludovico*) DCCCCI.
Monacho *cuidam*, DCCCCII.
Manrico (*Alfonſo*) DCCCCIII.
Alardetis (*Amblardo & Ludovico*) DCCCCIV.
Pirckheimero (*Bilibaldo*) DCCCCV.
Bucero (*Martino*) DCCCCVI.
Collegio *Sorbonico*, DCCCCVII.
Senatui *Pariſienſi*, DCCCCVIII.
Beddæ (*Natali*) DCCCCIX.
Theologo *cuidam*, DCCCCX.
Joanni, *Card. Lotharingiæ*, DCCCCXI.
Antonino (*Joanni*) DCCCCXII.
Schidlovietz (*Chriſtophoro à*) DCCCCXIII.
Tomitio (*Petro*) DCCCCXIV.
* Carolus V. *Imper. Eraſmo*, DCCCCXV.
Verveſio (*Alphonſo*) DCCCCXVI.
Botteo (*Henrico*) DCCCCVII.
Smotzero (*Georgio*) DCCCCXVIIII.
Georgio, *Saxoniæ Duci*, DCCCCXIX.
Waramo (*Guilielmo*) DCCCCXX.
Antonino (*Joanni*) DCCCCXXI.
Emſtedio (*Joanni*) DCCCCXXII.
Emſero (*Hieronymo*) DCCCCXXIII.
Laſco (*Joanni à*) DCCCCXXIV.
* Verveſius (*Alfonſus*) *Eraſmo*) CCCXXXIX. App.
* Vives (*Ludovicus*) *Eraſmo*, CCCXL. ibid.
* Alardetus (*Ludovicus*) *Eraſmo*, CCCXLI. ibid.
* Valdeſius (*Alfonſus*) *Eraſmo*, CCCXLII. ibid.
* Fernandus (*Alfonſus*) *Eraſmo*, CCCXLIII. ibid.
* Velius (*Urſinus*) *Eraſmo*, CCCXLIV. ibid.
Gaccho (*Joanni*) CCCXLV. ibid.
1528. Nova Aquila (*Hermanno à*) DCCCCXXV.
Maximiliano *à Burgundia*, DCCCCXXVI.
Georgio, *Saxoniæ Duci*, DCCCCXXVII.
Viromando (*Hieronymo*) DCCCCXXVIII.
Georgio, *Saxoniæ Duci*, DCCCCXXIX.
Sigiſmundus, *Rex Poloniæ*, *Eraſmo*, DCCCCXXX.
Tomitius (*Petrus*) *Eraſmo*, DCCCCXXXI.
Pacæo (*Richardo*) DCCCCXXXII.
Felici, *LL. Doctori*, DCCCCXXXIII.
Bembo (*Petro*) DCCCCXXXIV.
1528. Cuidam, DCCCCXXXV.
Moro (*Thomæ*) DCCCCXXXVI.
Catarinæ, *Reginæ Angliæ*, DCCCCXXXVII.
Valdeſio (*Joanni*) DCCCCXXXVIII.
Bayſio (*Lazaro*) DCCCCXXXIX.
Taleſio (*Quirino*) DCCCCXL.
Archidiacono *Alcorano*, DCCCCXLI.
Maldonato (*Joanni*) DCCCCXLII.
Gratiano *Hiſpano*, DCCCCXLIII.
Dilfo (*Franciſco*) DCCCCXLIV.
Hermanno, *Archiep. Colonienſi*, DCCCCXLV.
Vario Marvillano (*Nicolao*) DCCCCXLVI.
Ulatteno (*Joanni*) DCCCCXLVII.
Cochlejo (*Joanni*) DCCCCXLVIII.
Haiom (*Hermanno*) DCCCCXLIX.
Manrico (*Alphonſo*) DCCCCL.
Rivulo (*Adriano à*) DCCCCLI.
Melanchthon (*Philippus*) *Eraſmo*, DCCCCLII.
Georgio, *Saxoniæ Duci*, DCCCCLIII.
Botteo (*Henrico*) DCCCCLIV.
Decimario (*Petro*) DCCCCLV.
Clementi VII. *Papæ*, DCCCCLVI.
Pirckheimero (*Bilibaldo*) DCCCCLVII.
—— *ad eundem*, DCCCCLVIII.
Hermanus, *Archiep. Colonienſis*, *Eraſmo*, DCCCCLIX.
Pirckheimero (*Bilibaldo*) DCCCCLX.
Henrico VIII. *Angliæ Regi*, DCCCCLXI.
Fonſeca (*Alfonſus*) *Eraſmo*, DCCCCLXII.
Theologis *Lovanienſibus*, DCCCCLXIII.
Joanni, *Card. Lotharingiæ*, DCCCCLXIV.
Fabro (*Joanni*) DCCCCLXV.
Velio (*Urſino*) DCCCCLXVI.
Gattinario (*Mercurino*) DCCCCLXVII.
Brixius (*Germanus*) *Eraſmo*, DCCCCLXVIII.
Pirckheimero (*Bilibaldo*) DCCCCLXIX.
Decio (*Juſto*) DCCCCLXX.
Stadio (*Chriſtophoro à*) DCCCCLXXI.
Critio (*Andreæ*) DCCCCLXXII.
Sigismundo, *Poloniæ Regi*, DCCCCLXXIII.
Longlondo (*Joanni*) DCCCCLXXIV.
Vivi (*Jo. Ludovico*) DCCCCLXXV.
Toſſano (*Petro*) DCCCCLXXVI.
Agathio (*Hieronymo*) DCCCCLXXVII.
Daneſio, DCCCCLXXVIII.
Lipſio (*Martino*) DCCCCLXXIX.
Clericis (*Nicolao à*) DCCCCLXXX.
Brixio (*Germano*) DCCCCLXXXI.
Decimario (*Petro*) DCCCCLXII.
Alciato (*Andreæ*) DCCCCLXXXIII.
Brixio (*Germano*) DCCCCLXXXIV.
Veſuvio (*Nicolao*) DCCCCLXXXV.
Carondileto (*Joanni*) DCCCCLXXXVI.
Marca (*Erardo à*) DCCCCLXXXVII.
Sadoleto (*Jacobo*) DCCCCLXXXVIII.
* Edingo (*Audomaro*) DCCCCLXXXIX.
Vives (*Ludovicus*) *Eraſmo*, DCCCCXC.
Ammonio (*Livino*) DCCCCXCI.
Stadio (*Chriſtophoro à*) DCCCCXCII.
Camingæ (*Haioni*) DCCCCXCIII.
Sadoletus (*Jacobus*) *Eraſmo*, DCCCCXCIV.
Pio (*Alberto*) DCCCCXCV.
Zebridovio (*Andreæ*) DCCCCXCVI.
Berquino (*Ludovico*) DCCCCXCVII.
Bernardo *Epiſc. Tridentino* DCCCCXCVIII.
Berquino (*Ludovico*) DCCCCXCIX.
Brixio (*Germano*) M.
Budæo (*Guilielmo*) MI.
Davidi (*Martino*) MII.
Nova Aquila (*Hermanno à*) MIII.
Joachimo, *Medico*, MIV.
Tomitio (*Petro*) MV.
Pirckheimero (*Bilibaldo*) MVI.
* Botzemo (*Joanni*) CCCXLVI. App.
* Botteus (*Henricus*) *Eraſmo*, CCCXLVII. ibid.
1529. Mornyeo (*Petro*) MVII.
Ulatteno (*Joanni*) MVIII.
Ferdinando *Regi*, MIX.
Tomitio (*Petro*) MX.
Utenhovio (*Carolo*) MXI.
Salamancæ (*Antonio*) MXII.
Zuichemus (*Viglius*) MXIII.
Conritz (*Andreæ & Chriſtophoro à*) MXIV.
* Gravio (*Tilemanno*) MXV.
Egnatio (*Baptiſtæ*) MXVI.
Bernardo, *Epiſc. Tridentino*, MXVII.
Hajoni (*Hermanno*) MXVIII.
Henckello (*Joanni*) MXIX.
Zuichemo (*Viglio*) MXX.



Digitized by Google

1529. Bero (*Ludovico*) MXXI.
Grapheo (*Cornelio*) MXXII.
Lotzero (*Joanni*) MXXIII.
Salamancæ (*Antonio*) MXXIV.
Tuſſano (*Jacobo*) MXXV.
Piſtorio (*Simoni*) MXXVI.
Bernardo, *Epiſc. Tridentino*, MXXVII.
Balthaſari, *Epiſc. Hildesheimenſi*, MXXVIII.
Vergaræ (*Franciſco*) MXXIX.
Valdeſio (*Joanni*) MXXX.
Valdeſio (*Alphonſo*) MXXXI.
Vergaræ (*Joanni*) MXXXII.
Fonſecæ (*Alphonſo*) MXXXIII.
Montjoio (*Guilielmo*) MXXXIV.
Bero (*Ludovico*) MXXXV.
Grueriis (*Leonardo à*) MXXXVI.
Scholaſteri *Beſontino*, MXXXVII.
Cochlæo (*Joanni*) MXXXVIII.
Franciſco *Theſaurario*, MXXXIX.
Javando (*Claudio*) MXL.
Stephano *Pratenſi*, MXLI.
Bembus (*Petrus*) *Eraſmo*, MXLII.
Fuggero (*Antonio*) MXLIII.
Bero (*Ludovico*) MXLIV.
Ritio (*Hieronymo*) MXLV.
Cælius (*Ludovicus*) *Eraſmo*, MXLVI.
Joanni *Brisgoico*, MXLVII.
Pirckheimero (*Bilibaldo*) MXLVIII.
Stibaro (*Danieli*) MXLIX.
Æmilio *ab Æmiliis*, ML.
Dingen (*Conrado à*) MLI.
Rephano (*Leonardo*) MLII.
Decio (*Jod. Juſto*) MLIII.
Critio (*Andreæ*) MLIV.
Barlando (*Huberto*) MLV.
Tomitio (*Petro*) MLVI.
Antonino (*Joanni*) MLVII.
Broderico (*Stephano*) MLVIII.
Schydlovietz (*Chriſtophoro à*) MLIX.
Utenhovio (*Carolo*) MLX.
Guilielmo, *Duci Clivenſi*, MLXI.
— *ad eundem*, MLXII.
Sucqueto (*Carolo*) MLXIII.
Fuggero (*Antonio*) MLXIV.
Cholero (*Joanni*) MLXV.
Pirckheimero (*Bilibaldo*) MLXVI.
Oecolampadio (*Joanni*) MLXVII.
Maximiliano *à Burgundia*, MLXVIII.
Critio (*Andreæ*) MLXIX.
Epiſcopio (*Nicolao*) MLXX.
Cornario (*Jano*) MLXXI.
Botzemo (*Joanni*) MLXXII.
Vives (*Ludovicus*) *Eraſmo*, MLXXIII.
Moro (*Thomæ*) MLXXIV.
Roperæ (*Margaretæ*) MLXXV.
Pirckheimero (*Bilibaldo*) MLXXVI.
Montjoio (*Guilielmo*) MLXXVII.
Botzemo (*Joanni*) MLXXVIII.
Frobenio (*Jo. Eraſmio*) MLXXIX.
Franciſco *Theſaurario*, MLXXX.
Stibaro (*Danieli*) MLXXXI.
Haioni (*Hermanno*) MLXXXII.
Alciato (*Andreæ*) MLXXXIII.
Fonſecæ (*Alphonſo*) MLXXXIV.
Sadoleto (*Jacobo*) MLXXXV.
Mornyeo (*Petro*) MLXXXVI.
* Epphendorpio (*Henrico*) MLXXXVII.
* Epphendorpius (*Henricus*) *Eraſmo*, MLXXXVIII.
* Cochlæus (*Joannes*) *Eraſmo*, CCCXLVIII. App.
* Georgius, *Saxoniæ Dux*, *Eraſmo*, CCCXLIX. ibid.
* Ulatteno (*Joanni*) CCCL. ibid.
* Henckello (*Joanni*) CCCLI. ibid.
* Ropera (*Margaretha*) *Eraſmo*, CCCLII. ibid.
* Guilielmus, *Dux Juliacenſis*, *Eraſmo*, CCCLIII. ibid.
1530. Valdeſio (*Alphonſo*) MLXXXIX.
— *ad eundem*, MXC.
Brixio (*Germano*) MXCI.
Tonſtallo (*Cutberto*) MXCII.
Sadoletus (*Jacobus*) *Eraſmo*, MXCIII.
Sadoleto (*Jacobo*) MXCIV.
Balthaſari, *Epiſc. Hildesheimenſi*, MXCV.
Roſino (*Joanni*) MXCVI.
Pacæo (*Richardo*) MXCVII.
Utenhovio (*Carolo*) MXCVIII.
Bembo (*Petro*) MXCIX.
Brixio (*Germano*) MC.
Celliſmartiali (*Caſſandro*) MCI.
Meſiæ (*Petro*) MCII.

1530. Meſiæ (*Chriſtophoro*) MCIII.
Manrico (*Alphonſo*) MCIV.
Egnatio (*Jo. Baptiſtæ*) MCV.
Collegii *Buſlidiani Profeſſoribus*, MCVI.
Dingen (*Conrado à*) MCVII.
Braſſicano (*Jo. Alexandro*) MCVIII.
* Velius (*G. Urſinus*) *Eraſmo*, MCIX.
Mario (*Auguſtino*) MCX.
Stibaro (*Danieli*) MCXI.
Stadio (*Chriſtophoro à*) MCXII.
Georgio, *Saxoniæ Duci*, MCXIII.
Brixius (*Germanus*) *Eraſmo*, MCXIV.
Olaho (*Nicolao*) MCXV.
Carlewitz (*Chriſtophoro à*) MCXVI.
* Melanchthoni (*Philippo*) MCXVII.
Piſtorio (*Simoni*) MCXVIII.
Bonfio (*Lucæ*) MCXIX.
Vlatteno (*Joanni*) MCXX.
Dilfo (*Franciſco*) MCXXI.
Valdeſio (*Alphonſo*) MCXXII.
Mariæ, *Hungariæ Reginæ*, MCXXIII.
Rinckio (*Joanni*) MCXXIV.
Melanchthon (*Philippus*) *Eraſmo*, MCXXV.
* Melanchthoni (*Philippo*) MCXXVI.
Dingen (*Conrado à*) MCXXVII.
Stadio (*Chriſtophoro à*) MCXXVIII.
* Campegio (*Laurentio*) MCXXIX.
Montjoio (*Carolo*) MCXXX.
Pirckheimero (*Bilibaldo*) MCXXXI.
Critio (*Andreæ*) MCXXXII.
Schidlovietz (*Chriſtophoro à*) MCXXXIII.
Tomitio (*Petro*) MCXXXIV.
Brixio (*Germano*) MCXXXV.
Quinono (*Guilielmo*) MCXXXVI.
Campegio (*Laurentio*) MCXXXVII.
Marca (*Erardo à*) MCXXXVIII.
Bernardo, *Epiſc. Tridentino*, MCXXXIX.
Sadoletus (*Jacobus*) *Eraſmo*, MCXL.
Eckius (*Joannes*) *Eraſmo*, MCXLI.
Olaho (*Nicolao*) MCXLII.
Alciatus (*Andreas*) *Eraſmo*, MCXLIII.
Pflug (*Julio*) MCXLIV.
Grueriis (*Leonardo à*) MCXLV.
Cholero (*Joanni*) MCXLVI.
Dalbono (*Antonio*) MCXLVII.
Alciato (*Andreæ*) MCXLVIII.
Egnatio (*Jo. Baptiſtæ*) MCXLIX.
Stadio (*Chriſtophoro à*) MCL.
Vergaræ (*Joanni*) MCLI.
Herema (*Gerardo*) CCCLIV. App.
Fuggero (*Antonio*) CCCLV. ibid.
* Alciatus (*Andreas*) *Eraſmo*, CCCLVI. ibid.
* Fuggerus (*Antonius*) *Eraſmo*, CCCLVII. ibid.
* Heemſtedius (*Joannes*) *Eraſmo*, CCCLVIII. ibid.
* Adoleſcentibus *duobus*, CCCLIX. ibid.
* Zaſius (*Ulricus*) *Eraſmo*, CCCLX. ibid.
1531. Remo (*Guolphango*) MCLII.
Maldonato (*Joanni*) MCLIII.
Vergaræ (*Franciſco*) MCLIV.
Boeriis (*Joanni & Bernardo*) MCLV.
Trivultio (*Auguſtino*) MCLVI.
Tuſſano (*Jacobo*) MCLVII.
Caſtellano (*Petro*) MCLVIII.
Moro (*Joanni*) MCLIX.
Montjoio (*Carolo*) MCLX.
Caſſandro (*Franciſco*) MCLXI.
Quintino *ſuo*, MCLXII.
Kretzero (*Matthiæ*) MCLXIII.
Eobano *Heſſo*, MCLXIV.
Egnatio (*Jo. Baptiſtæ*) MCLXV.
Tuſſano (*Jacobo*) MCLXVI.
Bayfio (*Lazaro*) MCLXVII.
Pflug (*Julio*) MCLXVIII.
Georgio, *Saxoniæ Duci*, MCLXIX.
Velio (*G. Urſino*) MCLXX.
Ulatteno (*Joanni*) MCLXXI.
Dingen (*Conrado à*) MCLXXII.
Vulcanio (*P.*) MCLXXIII.
Montjoio (*Guilielmo*) MCLXXIV.
Eugubino (*Auguſtino*) MCLXXV.
Mallario (*Nicolao*) MCLXXVI.
Alciato (*Andreæ*) MCLXXVII.
Dalbono (*Antonio*) MCLXXVIII.
Mornyeo (*Petro*) MCLXXIX.
Fuggero (*Antonio*) MCLXXX.
Grueriis (*Leonardo à*) MCLXXXI.
Boerio (*Bernardo*) MCLXXXII.
Trivultio (*Livino*) MCLXXXIII.



Digitized by Google

1531. Ammonio (*Livino*) MCLXXXIV.
Audomaro (*Edingo*) MCLXXXV.
Pflug (*Julius*) *Eraſmo*, MCLXXXVI.
Georgio, *Saxoniæ Duci*, MCLXXXVII.
Eobano *Heſſo*, MCLXXXVIII.
Commerſtadio (*Georgio*) MCLXXXIX.
Vives (*Ludovicus*) *Eraſmo*, MCXC.
Reſendo (*Angelo Andreæ*) MCXCI.
Senatui *Beſontino*, MCXCII.
Queſtenbergio (*Sigismundo*) MCXCIII.
Velio (*G. Urſino*) MCXCIV.
Pflug (*Julio*) MCXCV.
Verveſio (*Alphonſo*) MCXCVI.
Polo (*Reginaldo*) MCXCVII.
Agricolæ (*Georgio*) MCXCVIII.
Valdeſio (*Alphonſo*) MCXCIX.
Rinckio (*Joanni*) MCC.
Bonero (*Joanni*) MCCI.
Bernardo, *Epiſc. Tridentino*, MCCII.
Rivenſi *Epiſcopo*, MCCIII.
Hoxvirio (*Hectori*) MCCIV.
Goclenio (*Conrado*) MCCV.
Theologis *Lovanienſibus*, MCCVI
Buſlidio (*Ægidio*) MCCVII.
Kretzero (*Matthiæ*) MCCVIII.
Valdeſio (*Alphonſo*) MCCIX.
Cholero (*Joanni*) MCCX.
Guilielmo, *Duci Juliacenſi*, MCCXI.
Foſſa (*Tilemanno à*) MCCXII.
Winmanno (*Nicolao*) CCCLXI. App.
Hervagio (*Joanni*) CCCLXII. ibid.
1532. Zuichemo (*Viglio*) MCCXIII.
Paumgartnero (*Joanni*) MCCXIV.
Sadoleto (*Jacobo*) MCCXV.
Gumpenbergo (*Ambroſio à*) MCCXVI.
Paumgartnero (*Joanni*) MCCXVII.
Cuidam, MCCXVIII.
Sasbouto (*Jodoco*) MCCXIX.
* Sadoletus (*Jacobus*) *Eraſmo*, MCCXX.
Bernardo, *Epiſc. Tridentino*, MCCXXI.
* Sadoletus (*Jacobus*) *Eraſmo*, MCCXXII.
Morus (*Thomas*) *Eraſmo*, MCCXXIII.
Guilielmo *Comiti*, MCCXXIV.
Paumgartnero (*Joanni*) MCCXXV.
Amerbachio (*Bonifacio*) MCCXXVI.
Cajetano (*Thomæ*) MCCXXVII.
Paumgartnero (*Joanni*) MCCXXVIII.
Turzo (*Staniſlaus*) *Eraſmo*, MCCXXIX.
Utenhovio (*Carolo*) MCCXXX.
Pflug (*Julio*) MCCXXXI.
* Bembus (*Petrus*) *Eraſmo*, MCCXXXII.
Cholero (*Joanni*) MCCXXXIII.
Clebergero (*Joanni*) MCCXXXIV.
Melanchthon (*Philippus*) *Eraſmo*, MCCXXXV.
Aſſendelf (*Gerardo ab*) MCCXXXVI.
Taleſio (*Quirino*) MCCXXXVII.
Boneris (*Joanni & Staniſlao*) MCCXXXVIII.
Brixio (*Germano*) MCCXXXIX.
Cantæ (*Jacobo*) MCCXL.
Balivo *Lutetiæ Regio*, MCCXLI.
* Benedictus (*Joannes*) *Eraſmo*, CCCLXIII. App.
* Zuichemo (*Viglio*) CCCLXIV. ibid.
* Agrippa (*Cornelius*) *Eraſmo*, CCCLXV. ibid.
* Morrhius (*Gerardus*) *Eraſmo*, CCCLXVI. ibid.
* Poly (*Thomas*) *Eraſmo*, CCCLXVII. ibid.
Caſtellano (*Petro*) CCCLXVIII. ibid.
* Zuichemo (*Viglio*) CCCLXIX. ibid.
1533. Fettichio (*Theobaldo*) MCCXLII.
Emſtedio (*Joanni*) MCCXLIII.
Senatui *Beſontino*, MCCXLIV.
Horion (*Guilielmo ab*) MCCXLV.
Vulcanio (*Petro*) MCCXLVI.
Chapuſio (*Euſtachio*) MCCXLVII.
Colſtero (*Abeli*) MCCXLVIII.
Paumgartnero (*Joanni*) MCCXLIX.
* Sadoletus (*Jacobus*) *Eraſmo*, MCCL.
* Cornelii (*Vincentio*) MCCLI.
Vives (*Jo. Ludovicus*) *Goeſio ſuo*, MCCLII.
Goes (*Damiano à*) MCCLIII.
Sadoleto (*Paulo*) MCCLIV.
Rupilio (*Franciſco*) MCCLV.
More (*Deſiderato*) MCCLVI.
Decio (*Juſto*) MCCLVII.
Goclenio (*Conrado*) MCCLVIII.
Bembus (*Petrus*) *Eraſmo*, MCCLIX.
Richardoto (*Petro*) MCCLX.
Vergaræ (*Joanni*) MCCLXI.
Leighiero (*Simoni*) MCCLXII.
1533. Ludovico, *Abbati*, MCCLXIII.
Bonvaloto (*Franciſco*) MCCLXIV.
Meſiis (*Petro & Chriſtophoro*) MCCLXV.
* Zuichemo (*Viglio*) CCCLXX. App.
* Wicelius (*Georgius*) *Eraſmo*, CCCLXXI. ibid.
* Zuichemo (*Viglio*) CCCLXXII. ibid.
* Ulatteno (*Joanni*) CCCLXXIII. ibid.
* Zuichemo (*Viglio*) CCCLXXIV. ibid.
1534. Cholero (*Joanni*) MCCLXVI.
Grapheo (*Cornelio*) MCCLXVII.
Goes (*Damiano à*) MCCLXVIII.
* Cornelii (*Vincentio*) MCCLXIX.
Vives (*Ludovicus*) *Eraſmo*, MCCLXX.
Goes (*Damiano à*) MCCLXXI.
* Egnatius (*Jo. Baptiſta*) *Eraſmo*, MCCLXXII.
* Melanchthoni (*Philippo*) MCCLXXIII.
* Sadoletus (*Jacobus*) *Eraſmo*, MCCLXXIV.
—— *idem ad eundem*, MCCLXXV.
* Dilfus (*Franciſcus*) *Eraſmo*, CCCLXXV. App.
* Sepulvedas (*Jo. Geneſius*) *Eraſmo*, CCCLXXVI. ibid.
1535. Curtio (*Petro*) MCCLXXVI.
* Merbelio (*P.*) & Laurentio (*Jo. Baptiſtæ*) MCCLXXVII.
Tomitius (*Petrus*) *Eraſmo*, MCCLXXVIII.
Goes (*Damiano à*) MCCLXXIX.
Paulus III. *Papa*, *Eraſmo*, MCCLXXX.
Hoxvirius (*Hector*) *Eraſmo*, MCCLXXXI.
Bembus (*Petrus*) *Eraſmo*, MCCLXXXII.
Latomus (*Bartholomæus*) *Eraſmo*, MCCLXXXIII.
Goes (*Damiano à*) MCCLXXXIV.
Kmitha (*Petro*) MCCLXXXV.
Latomo (*Bartholomæo*) MCCLXXXVI.
Tomitio (*Petro*) MCCLXXXVII.
Goclenio (*Conrado*) MCCLXXXVIII.
Bero (*Ludovico*) MCCLXXXIX.
Ludovico, *Abbati*, MCCXC.
Grueriis (*Leonardo à*) MCCXCI.
Goes (*Damiano à*) MCCXCII.
* Rupilius (*Franciſcus*) *Eraſmo*, CCCLXXVII. App.
* Nucerinus (*Guilielmus*) Montano (*Philippo*) CCCLXXVIII. ibid.
* Anshelmus *Eraſmo*, CCCLXXIX. ibid.
* Glareanus (*Henricus*) *Eraſmo*, CCCLXXX. ibid.
1536. Critio (*Andreæ*) MCCXCIII.
Cognato (*Gilberto*) MCCXCIV.
Amicis *Lectoribus*, MCCXCV.
Cognato (*Gilberto*) MCCXCVI.
Bonvaloto (*Franciſco*) MCCXCVII.
Conſiliario *cuidam*, MCCXCVIII.
Goclenio (*Conrado*) MCCXCIX.
* Goes (*Damianus à*) *Eraſmo*, CCCLXXXI. App.
* Voltzius (*Paulus*) *Eraſmo*, CCCLXXXII. ibid.
* Paumgartnerus (*Joannes*) *Eraſmo*, CCCLXXXIII. ib.
* Nauſea (*Fridericus*) *Ferdinando Cæſari*, CCCLXXXIV. ibid.
* Frobenius (*Hier.*) & *Nicol. Epiſcopius Jo. à Laſco*, CCCLXXXV. ibid.


Sequuntur Epiſtolæ abſque Anno adſcripto.


Ægidio (*Petro*) CCCLXXXVI. App.
—— *ad eundem*, CCCLXXXVII. ibid.
* —— *ad eundem*, CCCLXXXVIII. ibid.
* Anxt (*Wolphangus*) *Eraſmo*, CCCCLXXXIX. ibid.
* Artlebus *de Boskowicz Eraſmo*, CCCCXC. ibid.
* Babhamus (*Joannes*) *Eraſmo*, CCCCXCI. ibid.
* Bartholinus (*Richardus*) *Eraſmo*, CCCCXCII. ibid.
Barto (*Jacobo*) CCCCXCIII. ibid.
* Guilielmus *Goudanus ad eundem*, CCCCXCIV. ibid.
* Henrico *à Bergis*, CCCXCV. ibid.
Boetio (*Hectori*) CCCXCVI. ibid.
Boſchio (*Arnoldo*) CCCXCVII. ibid.
Cantero (*Jacobo*) CCCXCVIII. ibid.
Chriſtiano *Lubecenſi*, CCCXCIX. ibid.
Clava (*Antonius*) *Eraſmo*, CCCC. ibid.
Clavæ (*Antonio*) CCCCI. ibid.
* Clava (*Antonius*) *Eraſmo*, CCCCII. ibid.
Coleto (*Joanni*) CCCCIII. ibid.
Coletus (*Joannes*) *Eraſmo*, CCCCIV. ibid.
* Coleto (*Joanni*) CCCCV. ibid.
* Coletus (*Joannes*) *Eraſmo*, CCCCVI. ibid.
Cornelio *Goudano*, CCCCVII. ibid.
—— *ad eundem*, CCCCVIII. ibid.
—— *ad eundem*, CCCCIX. ibid.
—— *ad eundem*, CCCCX. ibid.
—— *ad eundem*, CCCCXI. ibid.
—— *ad eundem*, CCCCXII. ibid.
* —— *ad eundem*, CCCCXIII. ibid.


* Cor-

Digitized by Google

* Cornelio *Goudano*, CCCCXIV. App.
* —— *ad eundem*, CCCCXV. ibid.
* Cornelius *Goudanus Erasmo*, CCCCXVI. ibid.
* —— *idem ad eundem*, CCCCXVII. ibid.
* —— *idem ad eundem*, CCCCXVIII. ibid.
* —— *idem ad eundem*, CCCCXIX. ibid.
* —— *idem ad eundem*, CCCCXX. ibid.
Damo (*Berthramo*) CCCCXXI. ibid.
Dingen (*Conrado à*) CCCCXXII. ibid.
Dorpio (*Martino*) CCCCXXIII. ibid.
—— *ad eundem*, CCCCXXIV. ibid.
Elizabethæ *Moniali*, CCCCXXV. ibid.
Fabro (*Joanni*) CCCCXXVI. ibid.
Faber (*Jacobus*) *Erasmo*, CCCCXXVII. ibid.
* Fischerus (*Joannes*) *Erasmo*, CCCCXXVIII. ibid.
* —— *idem ad eundem*, CCCCXXIX. ibid.
* —— *idem ad eundem*, CCCCXXX. ibid.
Francisco, *Medico*, CCCCXXXI. ibid.
—— *ad eundem*, CCCCXXXII. ibid.
Francisco *suo*, CCCCXXXIII. ibid.
—— *ad eundem*, CCCCXXXIV. ibid.
—— *ad eundem*, CCCCXXXV. ibid.
* —— *ad eundem*, CCCCXXXVI. ibid.
* Gaguino (*Roberto*) CCCCXXXVII. ibid.
Georgio, *Episcopo Brixinensi*, CCCCXXXVIII. ibid.
* Gervasius *Erasmo*, CCCCXXXIX. ibid.
Goes (*Damiano à*) CCCCXL. ibid.
—— *ad eundem*, CCCCXLI. ibid.
Grunnio (*Lamberto*) CCCCXLII. ibid.
Grunnius (*Lambertus*) *Erasmo*, CCCCXLIII. ibid.
Guilielmo *Goudano*, CCCCXLIV. ibid.
—— *ad eundem*, CCCCXLV. ibid.
—— *ad eundem*, CCCCXLVI. ibid.
* Guilielmus *Goudanus Erasmo*, CCCCXLVII. ibid.
* — *idem ad eundem*, CCCCXLVIII. ibid.
* Faustus *Guilielmo suo*, CCCCXLIX. ibid.
Henricus VIII. *Angliæ Rex Erasmo*, CCCCL. ibid.
—— *idem ad eundem*, CCCCLI. ibid.
* Simon *Hexapolitanus Erasmo*, CCCCLII. ibid.
Joanni, *Card. Lotharingiæ*, CCCCLIII. ibid.
* Guilielmus *Goudanus Joanni Magistro*, CCCCLIV. ibid.
Jonæ (*Jodoco*) CCCCLV. ibid.
Lectori, CCCCLVI. ibid.
—— *ad eundem*, CCCCLVII. ibid.
Ludolpho *suo*, CCCCLVIII. ibid.
* Lupsetus (*Thomas*) *Erasmo*, CCCCLIX. ibid.
Martino, *Medico*, CCCCLX. ibid.
Mauritii (*Jacobo*) CCCCLXI. ibid.
—— *ad eundem*, CCCCLXII. ibid.
—— *ad eundem*, CCCCLXIII. ibid.
Medico *cuidam*, CCCCLXIV. ibid.
Ammonius (*Andreas*) *Guil. Montjojo*, CCCCLXV. ibid.
Morus (*Thomas*) *Erasmo*, CCCCLXVI. ibid.
* Nemo (*Alvarus*) CCCCLXVII. ibid.
Obrecht (*Joanni*) CCCCLXVIII. ibid.
* Olivarius (*Petr. Joannes*) *Erasmo*, CCCCLXIX. ibid.
Gerardo (*Petro*) CCCCLXX. ibid.
Pirckheimero (*Bilibaldo*) CCCCLXXI. ibid.
—— *ad eundem*, CCCCLXXII. ibid.
—— *ad eundem*, CCCCLXXIII. ibid.
* Reynerus *Goudanus Erasmo*, CCCCLXXIV. ibid.
* Ruthallo (*Thomæ*) CCCCLXXV. ibid.
Sasboudo *suo*, CCCCLXXVI. ibid.
Sceppero (*Cornelio*) CCCCLXXVII. ibid.
Servatio *suo*, CCCCLXXVIII. ibid.
—— *ad eundem*, CCCCLXXIX. ibid.
—— *ad eundem*, CCCCLXXX. ibid.
—— *ad eundem*, CCCCLXXXI. ibid.
—— *ad eundem*, CCCCLXXXII. ibid.
—— *ad eundem*, CCCCLXXXIII. ibid.
—— *ad eundem*, CCCCLXXXIV. ibid.
—— *ad eundem*, CCCCLXXXV. ibid.
—— *ad eundem*, CCCCLXXXVI. ibid.
—— *ad eundem*, CCCCLXXXVII. ibid.
* —— *ad eundem*, CCCCLXXXVIII. ibid.
* —— *ad eundem*, CCCCLXXXIX. ibid.
* —— *ad eundem*, CCCCXC. ibid.
* Guilielmus *Goudanus Servatio suo*, CCCCXCI. ibid.
* —— *idem ad eundem*, CCCCXCII. ibid.
* Sixtinus (*Joannes*) *Erasmo*, CCCCXCIII. ibid.
* —— *idem ad eundem*, CCCCXCIV. ibid.
* —— *idem Petro Ægidio*, CCCCXCV. ibid.
Theodorico (*Francisco*) CCCCXCVI. ibid.
Virginibus *prope Cantabrigiam*, CCCCXCVII. ibid.
Vives (*Ludovicus*) *Gilb. Cognato*, CCCCXCVIII. ibid.
Ulatteno (*Joanni*) CCCCXCIX. ibid.
* Watsonus (*Joannes*) *Erasmo*, D. ibid.
Wernero (*Nicolao*) DI. ibid.
—— *ad eundem*, DII. ibid.
—— *ad eundem*, DIII. ibid.
—— *ad eundem*, DIV. ibid.
—— *ad eundem*, DV. ibid.
Winckel (*Petro*) DVI. ibid.
Amico *suo*, DVII. ibid.
Theologo *cuidam*, DVIII. ibid.
—— *ad eundem*, DIX. ibid.
Cuidam, DX. ibid.
. . . . DXI. ibid.
. . . . DXII. ibid.
Morus (*Thomas*) *Martino Dorpio*, DXIII. ibid.
Baudius (*Dominicus*) *Paulo Merulæ*, DXIV. ibid.
Loxano (*Georgio*) DXV. ibid.
Steuchus (*Augustinus*) *Eugubinus Erasmo*, DXVI. ibid.
Capitoni (*Wolphgango*) DXVII. ibid.


FINIS.



Digitized by Google

# DESIDERII ERASMI
# EPISTOLARVM
# INDEX POSTERIOR,

QUI EST

# ALPHABETICVS,

Commonſtrans, quis cui ſcribat, & quoties.

## A.


*Abbati* cuidam, 795.
*Accardus* (Marianus) Siculus Eraſmo, 1591. 1599.
*Adolpho*, Principi Veriano, 122.
*Adrianus* VI. Papa Eraſmo, 735. 744.
*Adriano* VI. Papæ, 721. 722. 737. 745.
—— Audomarico, 89.
*Ægidius* (Petrus) ab Actis Curiæ Antuerpianæ, 462. 1582. 1591. 1634.
*Ægidio* (Petro) 94. 135. 136. 190. 203. 216. 236. 286. 292. 357. 381. 382. 384. 541. 929. 951. 1610. 1651. 1670. 1775. 1776.
*Æmilio* ab Æmiliis, Brixiano, 1191.
*Affinio* (Henrico) Lyrenſi, 289. 1652. 1668.
*Agathio* (Hieronymo) 1106.
*Aggeus* (Auguſtinus) Medicus Eraſmo, 1549.
*Agricolæ* (Georgio) 1416.
*Agrippa* (Cornelius) Eraſmo, 1751.
*Alardetus* (Ludovicus) Eraſmo, 1720.
*Alardetis* (Amblardo & Ludovico) 1026.
*Alardus* Amſtelredamus Eraſmo, 1560. 1575.
*Albertus*, Romanæ Eccleſiæ tit. S. Chryſogoni Presb. Card. Moguntinenſis & Magdeburg. Archiepiſcopus, Elector Imperii, Primas Germaniæ, Adminiſtrator Halberſt. Marchio Brandeburgenſis, Eraſmo, 350. 451.
*Alberto* Card. & Archiepiſc. Moguntinenſi, 441. 494. 513. 555. 584. 769.
*Alciatus* (Andreas) Mediolanenſis, Juris Profeſſor publicus, 670. 1322. 1390. 1745.
*Alciato* (Andreæ) 715. 1121. 1243. 1328.
*Aldrifio* (Roberto) Anglo, 901. 971. 998.
*Algotio* (Livino) Gandavo, 546.
*Aleandro* (Hieronymo) Archiepiſcopo Brunduſino, 810.
*Alexandro*, Comitis à Naſſauwen Secretario, 1695.
*Amicis* Lectoribus, 1517.
*Amico* cuidam, 44. 1885.
*Ammonius* (Andreas) Guil. Montjoio, 1855.
—— —— (Andreas) Lucenſis, Regis Angliæ Secretarius, Eraſmo, 111. 112. 113. 116. 120. 125. 139. 155. 156. 163. 233. 1526.
*Ammonio* (Andreæ) 102. 103. 106. 107. 108. 110. 112. 114. 115. 116. 117. 119. 120. 121. 122. 125. 133. 136. 137. 147. 191. 218. 228. 1523. 1604. 1651.
—— (Livino) Cartuſienſi, 1127. 1399.
—— (Petro) 1652. 1669.
*Amorbachio* (Bonifacio) Juris Profeſſori publico, 349. 1444.
*Amorbachius* (Bruno) *Eraſmo*, 1539. 1569.
*Amorbachio* (Brunoni) 1625.
*Andreæ* (Euſtachio) Monacho Cluniacenſi, 842.
*Andrelino* (Fauſto) Poetæ Laureato, 56. 57.
*Andrelinus* (Fauſtus) 56. 57.
*Anglebermio* (Petro) Medico, 86.
*Anshelmus* Eraſmo, 1771.
*Antonino* (Joanni) Caſſovienſi, Medico nunc in familia Epiſcopi Cracovienſis, 885. 1045. 1052. 1203.
*Anxt* (Wolphangus) Cæſerbergius, Eraſmo, 1777.
*Apocello* (Jacobo) Helvetio, 898.
*Archidiacono* Alcorano, vide *Fernando*.
*Arnoldo* cuidam, 4.
*Artlebus* de Boskowicz & Tſchernaho, Dominus in Vran. ſupremus Capitaneus Marchionatus Moravienſis, Eraſmo, 1777.
*Aſſendelf* (Gerardo ab) 1455.
*Aſulano* (Franciſco) Typographo, 952.
*Atenſi* (Joanni) 1652.
*Aurotino* (Cornelio) Canonico, 1. 2. 16.


## B.


*Babbamus* (Joannes) Eraſmo, 1778.
*Badius* (Jodocus) Aſcenſius Eraſmo, 1522. 1540. 1561. 1571.
*Badio* (Jodoco) 1600. 1669.
*Baldung* (Hieronymus) Eraſmo, 1556.
*Balivo* Lutetiæ Regio, 1460.
*Balthaſari*, Epiſcopo Hildesheimenſi, Epiſcopi Conſtantienſis Coadjutori, 1164. 1274.
*Baniſius* (Jacobus) Cæſaris Conſiliarius, Eraſmo, 271.
*Baniſio* (Jacobo) 368. 462. 1639.
*Barbirius* (Nicolaus) Eraſmo, 1619.
—— (Petrus) Decanus Tornacenſis Theologus, Eraſmo, 1554. 1562. 1621.
*Barbirio* (Petro) 270. 306. 649. 653. 662. 718. 740. 766. 888. 893. 901. 1616. 1652. 1668. 1680.
*Barlandus* (Adrianus) Cornelio fratri ſuo, 1582.
—— —— —— Eraſmo, 1584. 1585.
*Barlando* (Adriano) 382. 876. 928.
—— (Huberto) Medico, 1194.
*Bartholino* (Laurentio) Abbati Italo, 635.
—— (Ricardo) 190.
*Bartholinus* (Ricardus) Poeta, Canonicus Spoletanus, Eraſmo, 223. 1779.
*Baſellius* (Nicolaus) Eraſmo, 1585.
*Batto* (Cornelio) 238.
—— (Jacobo) 6. 22. 25. 26. 27. 36. 37. 46. 47. 53. 54. 59. 62. 64. 69. 74. 86. 1779.
*Battus* (Cornelius) Eraſmo, 1600.
—— (Jacobus) Secretarius Oppidi Bergenſis, Guil. Montjoio, 55.
*Baudius* (Dominicus) Paulo Merulæ, 1922.
*Bayfio* (Lazaro) 1064. 1369.
*Bebelius* (Henricus) Inſtigenſis Eraſmo, 1536.
*Bedda* (Natalis) Theologus Pariſienſis, Eraſmo, 1706.
*Beddæ* (Natali) 857. 861. 883. 892. 902. 1038.
*Bedillus*, Bedellius, ſeu Bidellus, (Thomas) Archiepiſcopi Cantuarienſis à Secretis, 1551. 1609.
*Bedillo* (Thomæ) 605. 1678. 1685.
*Bembus* (Petrus) Eraſmo, 1184. 1452. 1479. 1503.
*Bembo* (Petro) 1061. 1279.
*Benedictus* (Joannes) Sigismundi, Poloniæ Regis Phyſicus, Eraſmo, 1750.
*Benedicto* (Danieli) Mediolanenſi, 898.
*Benſerado* (Nicolao) Juriſconſulto, 39. 51.
*Beraldus* (Nicolaus) Eraſmo, 307. 330.
*Beraldo* (Nicolao) 335. 506. 634.
*Bergis* (Antonius à) Abbas Bertinicus, Joanni de Medicis, Cardinali, 90.
—— (Antonio à) Abbati Sancti Bertini, 63. 79. 118. 122. 275. 366. 441. 1689.
—— (Henrico à) Epiſcopo Cameracenſi, 34. 49. 1781.
*Bernardo*, Epiſcopo Tridentino, Ferdinandi Regis ſummo Cancellario, 744. 927. 947. 955. 1133. 1158. 1164. 1318. 1419. 1438.
*Berquinus* (Ludovicus) Eraſmo, 1712.
*Berquino* (Ludovico) 884. 1132. 1133.
*Berſalæ* (Annæ) Principi Verianæ, matri Adolphi, 83.
*Berſelius* (Paſchaſius) Eraſmo, 229. 1633.
*Berſelio* (Paſchaſio) 230. 1647. 1653.
*Bertulpho* (Hilario) Gandavo, 937.
*Berus* (Ludovicus) Theologus, Baſileæ apud Collegium D. Petri Præpoſitus, Eraſmo, 217. 1607.
*Bero* (Ludovico) 165. 644. 1161. 1176. 1186. 1514. 1623. 1645.
—— (Richardo) Abbati Glaſconienſi, 816.
*Bibliopego* (Joanni) Dano, 1018.
*Bidellus*, vide *Bedillus*.
*Boerio* (Bernardo) 1350. 1397.
—— (Joanni) 1350.




Digitized by Google

*Boetio* (Hectori) 1784.
*Bombasius* (Paulus) Cardinalis Sanctorum quatuor ab Epistolis, Erasmo, 274. 351. 647.
*Bombasio* (Paulo) 358. 401. 663. 781. 897. 1676.
*Bonero* (Joanni) 1419. 1457.
—— (Stanislao) 1457.
*Bonfio* (Lucæ) 1297.
*Bonvaloto* (Francisco) Thesaurario, 1485. 1520.
*Borsalus* (Joannes) Decanus Zandeburgensis, Erasmo, 424. 1524. 1535. 1544.
*Borsalo* (Joanni) 434. 1007.
*Boschio* (Arnoldo) Carmelitæ, 1785.
*Botteus* (Henricus) Officialis Burgiensis, Erasmo, 1739.
*Botteo* (Henrico) LL. Doctori, Officiali Burgensi, 1049. 1073.
*Botzemo* (Joanni) Canonico Constantiensi, 239. 739. 1225. 1234. 1730.
*Bovillus* (Henricus) Erasmo, 197. 1557. 1606.
*Bovillo* (Henrico) 126. 237. 1670. 1685.
*Brasficano* (Jo. Alexandro) Jurisconsulto, 1289.
*Brielis* (Guilielmus) Erasmo, 1559.
*Brixius* (Germanus) Autissiodorensis Erasmo, 191. 1091. 1294.
*Brixio* (Germano) 376. 556. 883. 904. 985. 1113. 1121. 1134. 1262. 1280. 1308. 1458.
*Broderico* (Stephano) Episcopo Sirmiensi, 1204.
*Brugnario* (Antonio) in Monte Pellicardi, 822.
*Brunsfeldio* (Othoni) 905.
*Bucero* (Martino) 1029.
*Buchoni* (Bernardo) Frisio, Decano in Haga Comitis & Consiliario, 666.
*Budæ* (Michaeli) Episcopo Lingonienſi in Gallia, 891. 919.
*Budæus* (Guilielmus) Cutberto Tonstallo, 239.
—— Erasmo, 168. 204. 247. 256. 298. 309. 355. 418. 421. 422. 430. 448. 466. 492. 497. 957. 1556. 1615.
*Budæo* (Guilielmo) 172. 184. 212. 249. 259. 273. 275. 299. 352. 416. 423. 431. 506. 538. 568. 634. 677. 885. 891. 922. 986. 1135.
*Burbanco* (Guilielmo) Anglo, ex familia Cardinalis Eboracensis, 574.
*Buschius* (Hermannus) Pasiphilus Erasmo, 559.
—— ejus Carmen in Erasmum, 198.
*Buschio* (Hermanno) 316. 561. 1683.
*Buslidiani* Collegii Professoribus, vide *Collegii*.
*Buslidius* (Ægidius) Catholici Regis à Rationibus, Erasmo, 1575.
*Buslidio* (Ægidio) 353. 377. 381. 1424. 1571. 1653.

C.

*Caduceatori* (Henrico) 986.
*Cælius* (Ludovicus) Erasmo, 1187.
*Cæsar* (Robertus) Erasmo, 1586.
*Cæsarius* (Joannes) Erasmo, 1578. 1620. 1633.
*Cæsario* (Joanni) 840. 1622. 1640. 1677.
*Cajetano* (Thomæ) 1446.
*Calcagninus* (Cœlius) Erasmo, 877.
*Calcagnino* (Cœlio) 859.
*Calvo* (Francisco) Bibliopolæ Romano, 887.
*Camerarius* (Joachimus) Erasmo, 828.
*Camerario* (Joachimo) 835.
*Caminado* (Augustino) 38. 58. 78.
*Camingæ* (Hajoni) Frisio, 1128.
*Campegius* (Laurentius) Cardinalis Erasmo, 468.
*Campegio* (Laurentio) 436. 470. 543. 594. 912. 1303. 1316.
*Canio*, seu *de Houdt*, (Joanni) Canonico Curtracensi, 795. 804. 851. 1008. 1667.
*Cannio* (Nicolao) Amsterodamo, 983.
*Canossa* (Ludovicus) Episcopus Bajocensis, Erasmo, 217.
*Canossæ* (Ludovico) Episcopo Bajocensi, 186.
*Cantæ* (Jacobo) 1460.
*Cantero* (Jacobo) 1785.
*Cantiunculæ* (Claudio) Legum Doctori, 962.
*Capito*, vide *Faber*.
*Capnion*, vide *Reuchlinus*.
*Caraffæ* (Petro) Episcopo Theatino, Nuncio Apostolico apud Anglos, 1535.
*Cardinali* Nannetensi, 118.
*Carino* (Ludovico) 419.
*Carlewitz* (Christophoro à) 1296.
*Carolus* V. Imperator, Erasmo, 1047.
*Carolo* V. Imperatori, 1016.
—— Duci Sabaudiæ, 1022.
*Carondileto* (Ferico) Archidiacono Bisontino, 952.
*Carondileto* (Joanni) Archiepiscopo Panormitano, Aulæ Brabantiæ Cancellario, 690. 715. 794. 932. 972. 1122.
*Casimbrotus*, sive *Casperotus*, (Leonardus) Brugensis, Erasmo, 1715.
*Casimbroto* (Leonardo) 895. 935.
*Casperotus*, vide *Casimbrotus*.
*Cassandro* (Francisco) 1360.
*Cassandro*, vide *Cellismartiali*.
*Castellano* (Petro) 1352. 1752.
*Cattinarius*, vide *Gattinarius*.
*Catharinæ*, Reginæ Angliæ, 1062.
*Cellismartiali* (Cassandro) 1281.
*Chapusio* (Eustachio) Oratori Cæsaris in Anglia, 1466.
*Chieregattus* (Franciscus) Episc. Interamnensis, Erasmo, 1627.
*Chieregatto* (Francisco) 542. 579. 923. 1699.
*Cholero* (Joanni) Præposito Curiensi, 1216. 1325. 1426. 1452. 1489.
*Christiano*, 4. 17. 34.
—— Lubecensi Negotiatori, 24. 68. 1786.
*Christophorus*, Episcopus Basileensis, Erasmo, 259.
*Christophoro*, Episcopo Basileensi, 285. 774. 776. 801.
*Cigalino* (Francisco) Medico, 920.
*Clava* (Antonius) Senator Gandavensis, Erasmo, 1564. 1788. 1789.
*Clavæ* (Antonio) 238. 1629. 1631. 1643. 1650. 1788.
*Claymondo* (Joanni) Theologo, 463.
*Clementi* VII. Papæ, 783. 1074.
*Clerico* (Nicolao à) Theologo Lutetiano, 1113.
*Cnophæ* (Andreæ) Ruteno, Sacerdoti, 606.
*Cochlæus* (Joannes) Erasmo, 1739.
*Cochlæo* (Joanni) 1008. 1070. 1182.
*Cognato* (Gilberto) Canonico Nozerethi in Burgundia, 1516. 1519.
*Coletus* (Joannes) Decanus apud D. Paulum Londini, Erasmo, 9. 1572. 1573. 1791. 1792.
*Coleto* (Joanni) 39. 94. 99. 101. 106. 108. 109. 131. 238. 1523. 1660. 1690. 1789. 1792.
*Collegii* Bullidiani Professoribus, 1288.
*Collegio* Canonicorum Metensium, 469.
—— Sorbonico Lutetiæ, 1031.
—— Virginum Macabeiticarum Coloniensium, 778.
*Colstero* (Abeli) 1467.
*Commerstadio* (Georgio) 1404.
*Conrado* Schutterani & Laurentio Ethonis Monasteriorum Abbatibus, Provinciæ Brisgaudiæ, 500.
*Conritz* (Andreæ & Christophoro à) 1157.
*Consiliario* cuidam, 1520.
*Copus* (Guilielmus) Medicus Regius, Erasmo, 171.
*Copo* (Guilielmo) 186. 946.
*Cordo* (Euricio) Ludimagistro, 428.
*Cornario* (Jano) Zuiccavienſi Medico, 1225.
*Cornelii* (Vincentio) Cæsaris Thesaurario, 1470. 1492.
*Cornelio*, Bergensi Quæstori, 855.
*Cornelius* Goudanus Erasmo, 1803. 1804. 1805. 1806.
*Cornelio* Goudano, 1793. 1795. 1796. 1797. 1799. 1800. 1801. 1802.
*Coronello* (Ludovico) Theologo Hispano, 714.
*Coxo* (Leonardo) Anglo, 982.
*Craneveldius* (Franciscus) prius Pensionarius Brugensis, nunc Senator Mechlinienſis, Erasmo, 581.
*Craneveldio* (Francisco) 602.
*Critio* (Andreæ) Episcopo prius Premislensi, nunc Plocensi, 897. 953. 980. 1096. 1193. 1222. 1305. 1515.
*Croco* (Guilielmo) 1678.
*Croyus* (Guilielmus) Card. & Archiepiscopus Toletanus, Erasmo, 361.
*Croyo* (Guilielmo) 359. 363. 430.
*Cuidam*, 45. 931. 1062. 1435. 1627. 1630. 1632. 1658. 1659. 1660. 1672. 1673. 1686. 1887. 1889. 1891.
——— αὐτοσχεδίαστῃ, 358.
——— Obtrectatori, 375.
——— Præpotenti, 631.
*Curtio* (Petro) Rhetori in Academia Romana, 1496.

D.

*Dalbono* (Antonio) Abbati Insulæ Barbaræ, 1326. 1393.
*Damo* (Berthramo) 1806.
*Dancastro* (Guilielmo) Theologo, 509.
*Danesio*, 1107.
*Davidi* (Martino) Canonico Bruxellano, 1136.
*Decimario* (Petro) 1074. 1121.
*Decio* (Justo) Sigismundi, Poloniæ Regis, Secretario, 1093. 1193. 1475.
*Deiotaro* (Zachariæ) Frisio, 804.
*Deloinus* (Franciscus) Præses Senatus Parisini, Erasmo, 181.
*Deloino* (Francisco) 183.
*Demolendino*, vide *Molendino*.
*Dilfus* (Franciscus) Erasmo, 1760.
*Dilfo* (Francisco) 1067. 1298.
*Dingen* (Conrado à) Episcopo Wirtzeburgensi, sive Herbipolensi, 1192. 1288. 1301. 1373. 1807.
*Dorpius* (Martinus) Theologus Erasmo, 331. 1660. 1661.
*Dorpio* (Martino) 1654. 1807. 1808.
*Draconi* (Joanni) ex urbe Karoli, 429. 510.
*Dungherstcyn* (Hieronymus) Erasmo, 1592.



Digitized by Google

E.

*Eckius* (Joannes) Theologus, Eraſmo, 296. 1321.
*Eckio* (Joanni) 397.
*Edingo* (Andomaro) ſummi Flandriæ Senatus ab Actis, Gandavi, 1125. 1400.
*Edmundo*, Sacerdoti optimo, 90.
*Egnatius* (Joannes Baptiſta) Eraſmo, 1493. 1608.
*Egnatio* (Joanni Baptiſtæ) 119. 894. 935. 1158. 1287. 1330. 1366.
*Elizabethæ* Moniali, 1808.
*Ellenbogen* (Nicolaus) Eraſmo, 1554.
*Emſerus* (Hieronymus) Bilib. Pirckheimero, 1590.
——— ——— Eraſmo, 1592.
*Emſero* (Hieronymo) 906. 1055.
*Emſtedio*, vide *Heemſtedio*.
*Ennio*, Epiſcopo Verulano, 717.
*Eobano* Heſſo, 446. 513. 1363. 1404.
*Epiſcopio* (Nicolao) 1224.
*Epphendorpius* (Henricus) Eraſmo, 1260.
*Epphendorpio* (Henrico) 1259.
*Eſchenweldio* (Chriſtophoro) telonæ Popardienſi, 353. 1682. 1683.
*Evangeliſtæ*, 22.
*Everardo* (Nicolao) Hollandiæ Præſidi, 675. 796. 900. 1697.
*Eugubinus* (Auguſtinus) vide *Steuchus*.

F.

*Faber*, ſeu *Fabricius* (Guolfgangus, vel Wolphangus) Capito, Eraſmo, 667. 1566. 1597. 1613. 1701.
*Fabro*, ſeu *Fabricio*, Capitoni, 186. 1625. 1646. 1648. 1675. 1682. 1931.
*Faber* (Jacobus) Stapulenſis, Eraſmo, 1812.
*Fabro* (Jacobo) Stapulenſi, 236. 265. 972. 1644.
*Faber* (Joannes) Vicarius in ſpiritualibus Conſtantienſis, Ferdinandi Regis à Conſiliis, & dein Epiſcopus Viennenſis, 435.
*Fabro* (Joanni) 533. 960. 1089. 1809.
*Fabricius*, vide *Faber*.
*Falconi* (Joanni) 6.
*Felici*, Epiſcopo Theatino, 860.
—— Dolano LL. Doctori, 1061.
*Ferdinandus*, Bohemiæ Hungariæque Rex, Eraſmo, 765. 821.
*Ferdinando* Regi, 734. 825. 990. 1142.
*Fernandus* (Alfonſus) Archidiaconus del Alcor, Eraſmo, 1723.
*Fernando* (Alfonſo) 1065.
*Fetticbio* (Theobaldo) Medico, 957. 1461.
*Fevino* (Joanni) Canonico apud divum Donatianum Brugis, 264.
*Fiſcherus* (Joannes) Epiſcopus Roffenſis, Eraſmo, 1587. 1812. 1813.
*Fiſchero* (Joanni) Epiſcopo Roffenſi, 255. 417. 426. 481. 511. 814. 1604. 1630. 1691.
——— (Chriſtophoro) Protonotario Apoſtolico, 96.
*Florentio* ab Iſelſteyn, 501.
*Fonſeca* (Alfonſus) Archiepiſcopus Toletanus, totius Hiſpaniæ Primas, Eraſmo, 973. 1085.
*Fonſecæ* (Alfonſo) 1011. 1172. 1243.
*Foſſa*, vide *Gravio*.
*Franciſco* I. Galliarum Regi, 185. 943.
——— Archiepiſcopo Ebrodunenſi, 734.
——— Haſſeltenſi Franciſcano, 981.
——— Theſaurario Eccleſiæ Beſontinæ, 1183. 1240.
——— Card. Eboracenſis Medico, 1813. 1815.
——— ſuo, 1815. 1816.
*Frederico*, Saxoniæ Duci, 324. 444.
*Frobenius* (Joannes) Eraſmo, 1539.
*Frobenio* (Joanni) 1626. 1655. 1674. 1692.
——— (Joanni Eraſmio) 1240.
——— (Hieronymo) 659.
*Fuggerus* (Antonius) Eraſmo, 1746.
*Fuggero* (Antonio) 1185. 1214. 1395. 1744.
*Furſtero* (Valentino) 971.

G.

*Gaccho* (Joanni) Franciſcano, 1724.
*Gaguinus* (Robertus) Eraſmo, 44.
*Gaguino* (Roberto) 44. 76. 78. 1817.
*Gardinario* (Stephano) 1017.
*Gattinarius* (Mercurinus) Cancellarius ſummus Cæſaris, Eraſmo, 635. 969.
*Gattinario* (Mercurino) 584. 974. 1090.
*Gaverio* (Jodoco) Juriſconſulto, 784.
*Georgio*, Saxoniæ Duci, 567. 731. 812. 836. 855. 856. 945. 1009. 1010. 1050. 1058. 1059. 1072. 1293. 1371. 1402.
*Georgius*, Saxoniæ Dux, Eraſmo, 800. 1741.
*Georgio*, Epiſcopo Brixinenſi, 1819.
*Georgio* Haloini Cominiique Domino, & Cæſ. Aulæ apud Brabantos Proceri, 261. 556.
*Gerardo* (Petro) Germano ſuo, 1859.
*Gerbelius* (Nicolaus) Juriſconſultus, Eraſmo, 1539. 1541. 1542. 1548. 1550.
*Gerbelio* (Nicolao) 354.
*Gervaſius* Eraſmo, 1820.
*Giberto*, (Joanni Matthæo) Clementis VII. Datario, Epiſcopo Veronenſi, 811. 938.
*Glapioni* (Joanni) Franciſcano, Caroli V. Cæſaris à Confeſſionibus, 742.
*Glareanus* (Henricus) Eraſmo, 197. 1577. 1620. 1771.
——— ejus Hecatoſtichon ad Eraſmum, 199.
——— Elegia ad Oſvaldum Myconium, 200.
*Glareano* (Henrico) 295. 377. 1654. 1655.
*Goclenio* (Conrado) 267. 569. 633. 645. 717. 773. 822. 1421. 1479. 1513. 1521.
*Goes* (Damianus à) Eraſmo, 1771.
——— (Damiano à) 1471. 1492. 1493. 1500. 1506. 1515. 1820. 1821.
*Gonello* (Guilielmo) 109. 147. 148. 237.
*Græcæ* Litteraturæ ſtudioſis, 802.
*Grapheo* (Cornelio) 1162.
*Gratiano* Hiſpano, 1067.
*Gravio*, ſive *à Foſſa* (Tilemanno) 984. 1009. 1157. 1429.
*Gregorius*, Prior Cartuſiæ, Eraſmo, 1532.
*Grejus* (Thomas) Anglus, Eraſmo, 1564.
*Grejo* (Thomæ) Anglo, 18. 21. 44. 76. 171.
*Greverado* Advocato, 66.
*Grolierio* (Joanni) apud Inſubres Quæſtori Regio, 316.
*Grueriis* (Leonardo à) Officiali Archiepiſcopi Beſontini, 843. 1181. 1325. 1396. 1515.
*Gruningio* (Henrico) Decano Embricenſi, 542.
*Grunnius* (Lambertus) Scriba Apoſtolicus, Eraſmo, 1833.
*Grunnio* (Lamberto) 1821.
*Grymano* (Dominico) Cardinali tit. S. Marci, 141. 320. 501.
*Guilielmus* Junior, Dux Clivenſis, Eraſmo, 1744.
*Guilielmo* Juniori, Duci Clivenſi, 1210. 1211. 1428.
——— Comiti ab Iſenburgo, 1442.
——— Patri Cartuſiæ magnæ, 924.
——— Paſtori civitatis Gruningenſis, 637.
*Guilielmus* Goudanus Jacobo Batto, 1779.
——— Goudanus Magiſtro Joanni, Ducis Philippi præceptori, 1842.
*Guilielmo* Goudano, 13. 74. 1833. 1836. 1837.
*Guilielmus* Goudanus Eraſmo, 1838.
——— Servatio Rogero, 1873.
*Guldefordo* (Henrico) Equiti Aurato, Præfecto rei equeſtris Regis Angliæ, 437. 512.
*Gumpenbergo* (Ambroſio à) 1434.

H.

*Haco* (Chriſtophoro) 492.
*Hadrianus*, vide *Adrianus*.
*Haioni* (Hermanno) Friſio, LL. Doctori, Senatori Cæſarei Senatus apud Leovardiam, 684. 806. 1070. 1159. 1242.
*Holoino*, vide *Georgio*.
*Halſeyo* (Thomæ) Epiſcopo Elphinenſi, 102.
*Harenaceus* (Joannes) Eraſmo, 1599.
*Harſio* (Carolo) 649.
*Hedioni* (Gaſpari) 844.
*Heemſtedius* (Joannes) Cartuſianorum Lovanienſium Procurator, Eraſmo, 1746.
*Heemſtedio* (Joanni) Cartuſiano juxta Lovanium, 899. 1053. 1462.
*Helvetiorum* Nationi in Concilio Badenſi, 935.
*Henckello* (Joanni) Mariæ Reginæ Hungariæ à Concionibus, 913. 1159. 1743.
*Henricus* VIII. Angliæ Rex, Eraſmo, 438. 580. 1839. 1840.
*Henrico* VIII. Angliæ Regi, 263. 319. 773. 774. 816. 1084.
*Henricus* Chriſtiano fratri, 30.
*Herema* (Gerardo ab) 1744.
*Heresbachio* (Conrado) 733.
*Hermannus*, Archiepiſcopus Colonienſis, Eraſmo, 1083.
*Hermanno*, Archiep. Colonienſi, 1067.
*Herneſto*, Bavariæ Duci, 271.
*Hezio* (Theodorico) Adriani VI. Papæ dudum Secretario, 809.
*Hoechſtrato* (Andreæ) Jureconſulto, 290.
*Hoechſtratus* (Andreas) Jureconſultus, Eraſmo, 1590.
*Hollonius* (Lambertus) Eraſmo, 1688.
*Hondt* (Joanni de) vide *Canius*.
*Hoochſtrato* (Jacobo) Theologo Dominicano, 484.
*Horion* (Guilielmo ab) 1465.
*Hoxvirius* (Hector) Eraſmo, 1502.
*Hoxvirio* (Hectori) 1420.
*Hueo* (Guilielmo) Pariſienſis Eccleſiæ Decano, 335.
*Hunno* (Martino) Medico, 857.


*Huttenus*

Digitized by Google

*Huttenus* (Ulricus) Eraſmo, 419. 1573. 1617.
*Hutteno* (Ulrico) 433. 472. 790.

I.

*Iavando* (Claudio) 1183.
*Jacobo* Hornenſi, 428.
——— Middelburgenſi, Vicario generali Epiſcopi Cameracenſis, 48. 92.
——— Tutori ſuo, Penſionario Antuerpienſi, 27. 35. 52. 496.
*Joannes* Juliacenſis Eraſmo, 1617.
*Joanni*, Cardinali Lotharingiæ, 1044. 1088. 1841.
*Joachimo*, Medico Gandavo, 1137.
*Joanni* Brisgoico, Theologiæ Profeſſori, 1188.
——— Canonico Bruxellenſi, 15. 49.
——— à Lovanio, 1667.
——— ſuo, 1639.
*Jodoco*, Senatus Mechlinienſis Præſidi, 718.
*Jone* (Jodoco) Erphordienſi, 446. 451. 592. 639. 1843.
*Jovio* (Benedicto) Medico Mediolanenſi, 906.
*Iſelſteyn*, vide *Florentio*.
*Juſtianus* (Sebaſtianus) Eques, Orator Venetus apud Anglos, Eraſmo, 1611. 1661.

K.

*Kirberus* (Joannes) Seleſtadienſis, Eraſmo, 162.
*Kirbero* (Joanni) 163.
*Klebergero* (Joanni) 1454.
*Kmitha* (Petro) Comiti in Vyſnicze, Regni Poloniæ ſupremo Marſchalco, 1508.
*Kretzero* (Matthiæ) 1361. 1425.

L.

*Lachnero* 1655.
*Lathmatio* (Hermanno) Goudano, in familia Cæſaris, 1700. 1702.
*Laſcari* (Joanni) Conſtantinopolitano, 319.
*Laſco* (Hieroſlao à) Poloniæ Baroni, 895. 952.
—— (Joanni) Poloniæ Baroni, Præpoſito Gneſnenſi, 916. 979. 991. 1056.
*Latimerus* (Guilielmus) Anglus Theologus, Eraſmo, 292.
*Latimero* (Guilielmo) 255. 378.
*Latomus* (Bartholomæus) Trevir, Eraſmo, 1504.
*Latomo* (Bartholomæo) 1508.
*Laurentio* Abbati, vide *Conrado*.
——— (Joanni Baptiſtæ) 1498.
*Laurino* (Matthiæ) Domino de Watervliet, 907.
——— (Marco) Canonico apud D. Donatianum Brugis, 238. 368. 748. 1009. 1629. 1632. 1642. 1643. 1669. 1671.
*Lectori*, 1844. 1846.
*Leigniero* (Simoni) 1484.
*Leo* X. Pontifex, Henrico VIII. Angliæ Regi, 157.
——— Eraſmo, 156. 166.
*Leoni* X. Pontifici, 149. 158. 166. 490. 578.
*Leo* (Ambroſius) Nolanus Medicus, Eraſmo, 332.
*Leoni* (Ambroſio) 506.
*Leo* (Eduardo) 471. 1656.
*Leonardus*, Abbas Monaſterii Montis S. Georgii in valle Einr, 1701.
*Leontio* ſuo, 617.
*Linacro* (Thomæ) Medico Anglo, 100. 136. 661.
*Lipſio* (Chriſtophoro) Hegendorfino, 601.
*Livino*, Abbati Monaſterii S. Bavonis Gandavi, 648.
*Longlondo* (Joanni) Epiſcopo Lincolnienſi, 933.
*Longolius* (Chriſtophorus) Jacobo Lucæ, Decano Aurellanenſi, 409.
*Longolio* (Chriſtophoro) 425.
*Lotzero* (Joanni) Medico, 1162.
*Lovanienſibus* Theologis, 673. 889. 1087. 1423.
*Loxano* (Georgio) Equiti, Procancellario Bohemiæ, 1919.
*Lubecenſi* cuidam, 15.
*Ludolpho* ſuo, 1852.
*Ludovico*, Epiſcopo Tornacenſi, 646.
——— Montis S. Mariæ & Charitatis Abbati, 1484. 1514.
——— ſuo, 1692.
——— cuidam, 78.
*Lupſetus* (Thomas) Anglus, Jo. Botzemo, 1702.
——— (Thomas) Eraſmo, 1570. 1852.
*Lupſeto* (Thomæ) 508. 523. 571. 908. 1638.
*Lutherus* (Martinus) Eraſmo, 423. 846.
*Luthero* (Martino) 444. 926.
*Lutzenburgo* (Antonio) Canonico apud D. Audomarum, 23. 25. 50. 79. 91. 1632. 1692.
*Lypſio* (Martino) Bruxellano, 382. 383. 385. 425. 534. 535. 1107. 1656.
*Lyſtrius* (Gerardus) Eraſmo, 1587. 1588. 1651.
——— ejus Carmen in Dorpium, 1654.
*Lyſtrio* (Gerardo) 265. 1639. 1693.

M.

*Maldonatus* (Joannes) Hiſpanus, Caroli Cæſaris à Conſiliis, Eraſmo, 1715.
*Maldonato* (Joanni) 1066. 1349.
*Mallario* (Nicolao) 1386.
*Manio* (Petro) Dominicano, 581.
*Manrico* (Alfonſo) Archiepiſcopo Hiſpalenſi, de Fide Inquiſitori ſummo, 1028. 1071. 1287.
*Marca* (Antonio à) Abbati Belliloci, nepoti Epiſcopi Leodienſis, 415.
—— (Erardus à) Epiſcopus ac Princeps Leodienſis, Eraſmo, 359.
—— (Erardo à) 290. 383. 417. 584. 1123. 1317.
*Margaretæ*, Reginæ Navarræ, 890. 996.
*Mariæ*, Hungariæ quondam Reginæ, 1298.
*Mario* (Auguſtino) 1291.
*Marlianus* (Aloiſius) Epiſcopus Tudenſis, Eraſmo, 636.
*Marliano* (Aloiſio) 538. 543. 637.
*Martino* Magiſtro, Medico, 1852.
*Marvillano*, vide *Vario*.
*Materno*, 1683.
*Matthæo*, Card. Sedunenſi, 670. 781.
*Matthiæ*, Saxoniæ Ducis Georgii à Decimis, 580.
*Mauritii* (Jacobo) Vtriuſque Juris Licentiato, 1853. 1854.
*Maximiliano* à Burgundia, 997. 1058. 1222.
——— Domino de Hornes & de Gasbeeck, 1697.
——— Transſylvano, 852. 874. 898.
*Medico* cuidam, 983. 1854.
*Melanchthon* (Philippus) Eraſmo, 403. 820. 1071. 1300. 1454.
——— ejus Carmen in Eraſmum, 1595.
*Melanchthoni* (Philippo) 431. 817. 830. 1296. 1301. 1494.
*Merbelio* (P.) 1498.
*Meſiæ* (Chriſtophoro) Hiſpano, 1284. 1485.
—— (Petro) Hiſpano, 1282. 1485.
*Molendino* (Joannes de) Eraſmo, 1545.
*Molino* (Franciſco) Epiſcopo Condomienſi, ab Eleemoſynis Regis Galliarum, 809. 836. 937. 943.
*Monacho* cuidam, 1024.
*Montenſi* (Nicolao) Decano & Cancellario Academiæ Lovanienſis, 889.
*Montino* (Floriano) 860.
*Montjoius* (Guilielmus) Angliæ Baro, & Aulæ Reginalis Præfectus, Eraſmo, 7. 1549. 1576.
*Montjoio* (Guilielmo) 4. 5. 41. 56. 160. 508. 538. 681. 1176. 1233. 1373. 1686.
——— (Carolo) 1304. 1358.
*More* (Deſiderato) 1475.
*Morillonus* (Guido) Eraſmo, 1591. 1607.
*Mornyeo* (Petro) Abbati ſancti Sulpitii, 969. 1139. 1258. 1394.
*Morrhius* (Gerardus) Campenſis, Eraſmo, 1751.
*Morus* (Thomas) Ægidio, 1635.
——— Martino Dorpio, 1892.
——— Eraſmo, 220. 449. 570. 589. 607. 611. 1439. 1553. 1574. 1590. 1614. 1628. 1635. 1641. 1649. 1663. 1664. 1711. 1856.
*Moro* (Thomæ) 55. 105. 189. 202. 234. 287. 380. 542. 547. 551. 607. 614. 1062. 1230. 1534. 1630. 1631. 1644. 1658. 1671. 1680. 1681. 1693. 1695.
—— (Joanni) 1353.
*Moſellanus* (Petrus) Eraſmo, 403. 1596.
*Moſellano* (Petro) 405. 560.
*Mosham* (Rudberto à) Decano Patavienſi in Bavaria, 825.
*Mulanus* (Andreas) Eraſmo, 1666.
*Myconio*, vide *Oſvaldo*.

N.

Ferdinandi Medico & Præceptori, 414.
*Nauſeæ* (Friderico) Franconi, Card. Campegii à Conſiliis, 854. 897. 916. 986.
*Neaetius*, vide *Nuenar*.
*Nemo* (Alvarus) Eraſmo, 1857.
*Neſenus* (Guilielmus) Eraſmo, 1588. 1589.
*Neſeno* (Guilielmo) 292. 442. 1600. 1623.
*Nicaſio*, Sacellano Cameracenſi, 66.
*Nicolao* à Burgundia, Præpoſito apud S. Petrum, Trajecti, 23.
——— Buſciducenſi, 572.
——— Hiſpano, 932.
——— Præpoſito Edano, 532.
*Noetio* (Jodoco) Conſiliario Brabantiæ, 409.
*Notho* (Petro) à Curtenburna, 79.
à *Nova* Aquila Comes, vide *Nuenar*.
*Noviomagus* (Gerardus) Epiſc. Ultraject. à Sacris, Eraſmo, 273. 1577.
*Noviomago* (Gerardo) 134. 261. 272. 288. 533. 577. 1634. 1680.



Digitized by Google

*Nucerinus* (Guilielmus) Philippo Montano, 1763.
*Nuenar*, Neaetius, ſeu à Nova Aquila (Hermannus) Comes, Eraſmo, 1561.
——— ſeu *Neaetio* (Hermanno) 1057. 1136. 1626. 1644. 1681.

O.

*Obrecht* (Joanni) 1858.
*Obtrectatori* ſuo pertinaciſſimo, 620.
*Oecolampadius* (Joannes) Eraſmo, 235.
*Oecolampadio* (Joanni) 367. 555. 592. 848. 1221. 1675.
*Ofhaſio* (Gabrieli) Cartuſienſi, 585.
*Ofhuys* (Carolus) Eraſmo, 1638.
*Olabo* (Nicolao) 1296. 1321.
*Olivarius* (Petrus Joannes) Eraſmo, 1858.
*Oſvaldo* Myconio Lucerano, 349.

P.

*Pacæus* (Richardus) Eraſmo, 308.
*Pacæo* (Richardo) 237. 320. 354. 508. 617. 646. 651. 660. 815. 1060. 1278. 1643. 1650. 1672.
*Palentino* Epiſcopo, 713.
*Paliurus* (Lucas) Eraſmo, 259. 1688.
*Paliuro* (Lucæ) 260.
*Paludano* (Joanni) Rhetori Lovanienſis Academiæ, 286.
*Papinius* (Antonius) Abbas Gemblacenſis, Eraſmo, 466.
*Papinio* (Antonio) 446.
*Parcio* (Thomæ) Secretario urbis Caletienſis, 330.
*Parthenio* (Tranquillo) Dalmatæ, 464.
*Paulus* III. Papa Eraſmo, 1501.
*Paumgartnerus* (Joannes) Eraſmo, 1773.
*Paumgartnero* (Joanni) 1430. 1435. 1443. 1447. 1468.
*Pelicano* (Conrado) 963. 964.
*Peutingero* (Conrado) Cæſaris Conſiliario, 590.
*Pflug* (Julius) Eraſmo, 1400.
——— (Julio) Georgii, Saxoniæ Ducis, à Conſiliis, 1324. 1370. 1409. 1452.
*Philippus* à Burgundia, Epiſcopus Trajectenſis, Eraſmo, 273.
*Philippo* à Burgundia, 290. 1649.
*Pio* (Alberto) Carporum Principi, 1131. 1709.
*Pirckheimerus* (Bilibaldus) Senator Nurenbergenſis, Cæſaris Conſiliarius, Rhenano, 1534.
——— Eraſmo, 196. 218. 549. 617. 1546. 1571. 1590. 1594.
*Pirckheimero* (Bilibaldo) 231. 268. 384. 669. 705. 707. 708. 721. 743. 773. 782. 795. 803. 847. 848. 857. 885. 940. 944. 1028. 1075. 1076. 1084. 1093. 1138. 1188. 1217. 1232. 1305. 1551. 1558. 1637. 1641. 1703. 1860. 1861.
*Piſcatori* (Roberto) Anglo, 12. 38.
*Piſo* (Jacobus) Præceptor Ludovici, quondam Hungariæ Regis, 101.
*Piſoni* (Jacobo) 954.
*Piſtorius* (Simon) Georgii, Saxoniæ Ducis, Cancellarius, 1714.
*Piſtorio* (Simoni) 966. 1164. 1297.
*Polo* (Reginaldo) Anglo, 896. 918. 1416.
*Poly* (Thomas) Eraſmo, 1752.
*Poncherio* (Stephano) quondam Epiſcopo Pariſienſi, jam Archiepiſcopo Senonenſi, Chriſtianiſſ. Regis apud Catholicum Oratori, 231. 500.
*Prato* (Ludovico à) Præfecto Gandavenſi, 683.
*Pricardus* (Leonardus) Canonicus apud Aquiſgranum, Eraſmo, 442.
*Pricardo* (Leonardo) 285. 467.
*Pricellius* (Georgius) Ulmanus Eraſmo, 1555.
*Prierati* (Stephano) Sacri Palatii Romæ Magiſtro, Dominicano, 776.
*Puccio* (Antonio) Legato Apoſtolico apud Elvetios, nunc Epiſcopo Piſtorienſi, 348. 861.
——— (Laurentio) Cardinali, 478.
*Pyrrho* ſuo, 1645.

Q.

*Quenſtenbergio* (Sigismundo) 1407.
*Quinoo* (Guilielmo) Mandatori, 1316.
*Quintino* ſuo, 1360.

R.

*Raphael*, Cardinalis S. Georgii, Eraſmo, 157.
*Raphaeli*, Cardinali Sancti Georgii, 144.
*Rectori* Scholæ Erphurdienſis, 334.
*Regius* (Urbanus) Joanni Fabro, 227. 228.
——— Eraſmo, 1698.
*Regio* (Urbano) 1552. 1553.
*Remo* (Guolphango) 1348.
*Rephano* (Leonardo) 1193.
*Reſcius* (Rutgerus) in Collegio Trilingui Lovan. Græcæ Linguæ Profeſſor, Eraſmo, 1554.
*Reſcio* (Rutgero) 683. 1017.
*Reſendo* (Angelo Andreæ) 1405.
*Reuchlino* (Joanni) 589.
*Reuchlinus*, ſeu *Capnion*, (Joannes) Phorcenſis, Eraſmo, 1524. 1558. 1598.
*Reynerus*, Goudanus Phyſicus, Eraſmo, 1861.
*Rhenanus* (Beatus) Sleſtadienſis Eraſmo, 1537. 1538. 1569. 1595. 1604. 1606. 1613.
*Rhenano* (Beato) 371. 552. 1624. 1646. 1675.
*Richardo*, Epiſcopo Wintonienſi, 443. 552.
——— Cutberti Tonſtalli, Epiſc. Londonienſis, à Sacris, 261.
*Richardoto* (Petro) 1480.
*Rimaclo*, Cæſari à Sacris, 252.
*Rinckio* (Joanni) 1299. 1418.
*Ritio* (Hieronymo) 1187.
——— (Paulo) Medico, 593.
*Rivenſi* Epiſcopo, 1420.
*Rivulo* (Adriano à) Antuerpienſi, 1071.
*Robino* (Joanni) Decano Mechlinienſi, 523. 1677.
*Rodeſtegrio* (Godefredo) 616.
*Ropera* (Margareta) Eraſmo, 1743.
*Roperæ* (Margaretæ) 1232.
*Roſche* (Domino de la) quondam Cæſaris Maximiliani Cancellario, 791.
*Roſemundo* (Godſchalco) Lovanienſium Academiæ Moderatori, 536. 585. 615.
*Roſino* (Joanni) 1277.
*Rotenhan* (Sebaſtiano de) Equiti Aurato, Card. Moguntini à Conſiliis, 570.
*Rufo* (Mutiano) 352.
*Rupilius* (Franciſcus) Eraſmo, 1762.
*Rupilio* (Franciſco) 1474.
*Ruſæo* (Ludovico) Lutetiæ Suppræfecto, & Chriſtaniſſ. Regis apud Eburones Oratori, 420.
*Ruſero* (Joanni) Novientano, 1625. 1659.
*Ruthallo* (Thomæ) Regio apud Anglos Secretario, 1862.

S.

*Sadoletus* (Jacobus) Epiſcopus Carpentoracti, Eraſmo, 824. 1130. 1266. 1319. 1437. 1439. 1469. 1494. 1495.
*Sadoleto* (Jacobo) 853. 877. 1124. 1253. 1267. 1431.
——— (Paulo) 1474.
*Sagundinus* (Nicolaus) Marco Muſuro, Archiepiſcopo Mononanienſi, 1601.
——— Eraſmo, 1609.
*Salmanæ* (Antonio) Epiſcopo Gurcenſi electo, 1155. 1162.
*Sampſon* (Richardus) Juris Doctor, Card. Eboracenſis apud Nervios Commiſſarius, Eraſmo, 305.
*Sampſoni* (Richardo) 366.
*Sapidus* (Joannes) Eraſmo, 1536. 1543. 1555. 1569.
——— ejus Carmen ad Sodales, 201.
*Sapido* (Joanni) 1581.
*Sasboudo* ſuo, 1863.
*Sasbouto* (Jodoco) 1436.
*Sbrulio* (Richardo) 593.
*Scarpinello* (Auguſtino) Neapolitano, Oratori Cæſaris, 602. 805.
*Sceppero* (Cornelio) Cæſaris à Conſiliis, 1864.
*Schalbus* (Gaſpar) Eraſmo, 443.
*Schalbo* (Gaſpari) 445.
*Scholaſteri* Beſontino, 1181.
*Schudelino* (Joanni) Litteratori Memmingenſi, 662.
*Schurerius* (Matthias) Eraſmo, 1619.
*Schurerio* (Matthiæ) Seletano, 1533. 1638.
*Schydlovietz* (Chriſtophoro à) Regni Poloniæ Cancellario, 934. 978. 1046. 1205. 1307.
*Selvæ* (Joanni) ſummo Præſidi Senatus Pariſienſis, 884.
*Senatui* Argentinenſi, 793. 804.
——— Baſileenſi, 775.
——— Beſontino, 1406. 1464.
——— Pariſienſi, 941. 1036.
*Sepulvedas* (Jo. Geneſius) Eraſmo, 1761.
*Servatio*, reverendo Patri, 1527. 1864. 1865. 1866. 1867. 1868. 1869. 1870. 1871. 1872.
*Sigismundus* I. Poloniæ Rex, Eraſmo, 1059.
*Sigismundo* I. Poloniæ Regi, 975. 1097.
*Simon* Hexapolitanus Eraſmo, 1841.
*Sixtinus* (Joannes) Petro Ægidio, 1874.
——— Jureconſultus, Eraſmo, 9. 1521. 1623. 1873. 1874.
*Sixtino* (Joanni) 9. 42. 1631. 1632. 1669. 1679.
*Slechta* (Joannes) Koſtelecius, Bohemus, Eraſmo, 502.
*Slechtæ* (Joanni) Coſtelecio, Bohemo, 432. 517.
*Smith* (Joanni) 1688.
*Smotzero* (Georgio) J. V. Doctori, 1049.
*Spalatinus* (Georgius) Eraſmo, 272. 1579.
*Spalatino* (Georgio) 443. 481. 559.

*Sperche-*

Digitized by Google

*Sperchefordo* (Richardo) 1008.
*Stadio* (Chriſtophoro à) Epiſcopo Auguſtano, 1094. 1128. 1292. 1302. 1331.
*Stephano* Pratenſi, 1184.
*Steucho* (Auguſtino) Eugubino, 1374.
*Steuchus* (Auguſtinus) Eugubinus Eraſmo, 1919.
*Stibaro* (Danieli) 1190. 1241. 1291.
*Stromerio Aurbachio* (Henrico) Medico, 260. 737. 833. 855.
*Stromerius Aurbachius* (Henricus) Medicus, Eraſmo, 1605. 1620. 1631.
*Sucqueto* (Carolo) 1212. 1747.
——— (Joanni) 909.
*Sylvagius* (Joannes) Cæſaris Cancellarius ſummus, Eraſmo, 1561.
*Sylvagio* (Joanni) 155. 1673.
*Sylveſter*, Epiſcopus Wigornienſis, ſereniſſ. Anglorum Regis perpetuus apud S. D. N. Orator, Eraſmo, 167.
*Sylveſtro*, Epiſcopo Wigornienſi, 168. 543.
*Sylvio* (Franciſco) 910. 919.

T.

*Taiſpillo* (Danieli) Epiſcopo Gebeldenſi, Epiſcopi Morinenſis à Suffragiis, 652.
*Taleo* (Guilielmo) 653.
*Taleſio* (Quirino) Civitatis Harlemenſis Penſionario, 1064. 1456.
*Theodorico* (Franciſco) 1874.
*Theologo* cuidam, 165. 1886. 1887.
——— cuidam Hiſpano Sorbonico, 1040.
*Thomæ*, Cardinali Eboracenſi, Angliæ Primati, & Regni Cancellario ſummo, 164. 262. 321. 413. 510. 568. 809. 929. 1565.
—— Epiſcopo Dunelmenſi in Anglia, 196. 442.
*Tomitius* (Petrus) Epiſcopus Cracovienſis, Regni Poloniæ Vicecancellarius, 1060. 1499.
*Tomitio* (Petro) 1047. 1138. 1143. 1202. 1308. 1510.
*Toneſio*, Conſiliario Cardinalis Eboracenſis, 816.
*Tonſtallus* (Cutbertus) Epiſcopus Londonienſis, Guil. Budæo, 252.
——— Eraſmo, 266. 509. 771. 1603.
*Tonſtallo* (Cutberto) 288. 813. 910. 1264. 1616. 1627, 1628. 1679. 1683.
*Toſſano* (Petro) 1106.
*Trivultio* (Auguſtino) Cardinali, 1350. 1398.
*Truchſes* (Chriſtophoro) Baroni in Walpurg, 843.
*Turzo* (Joannes) Epiſcopus Vratiſlavienſis, Eraſmo, 522.
*Turzoni* (Joanni) 429. 571.
*Turzo* (Staniſlaus) Epiſcopus Olmucenſis, Eraſmo, 712. 1448.
*Turzoni* (Staniſlao) 668. 869. 765. 849.
*Tuſſano* (Jacobo) 938. 1163. 1351.

V.

*Valdeſius* (Alfonſus) Theologiæ Profeſſor, & Eccleſiaſtes Burgis, Caroli Imperatoris à Secretis, 1721.
*Valdeſio* (Alfonſo) 973. 1166. 1261. 1262. 1298.
——— (Joanni) Hiſpano, 1064. 1165.
*Vario Marvillano* (Nicolao) Præſidi Trilinguis Collegii Lovanii, 955. 996. 1069.
*Velius* (Gaſpar Urſinus) Eraſmo, 329. 1290. 1706. 1723.
—— ejus Genethliacon Eraſmi, 223.
*Velio* (Gaſpari Urſino) 377. 1089. 1372. 1409.
*Vergaræ* (Franciſco) Græcarum Litterarum apud Complutum Profeſſori, 1013. 1018. 1165. 1349.
*Vergaræ* (Joanni) Hiſpano, 1013. 1170. 1347. 1450.
*Vergilio* (Polydoro) 671. 777. 888. 934. 971.
*Vergilius* (Polydorus) Eraſmo, 1703.
*Verveſius* (Alphonſus) Ulmeranus, Eraſmo, 1719.
*Verveſio* (Alphonſo) Monacho Benedictino, 1048. 1413. 1417. 1425.
*Veſuvio* (Nicolao) Epiſcopo Lingonienſi in Gallia à Sacris, 1122.
*Villingero* (Jacobo) Romani & Hiſpan. Regis Theſaurario, 583.
*Virginibus* ſacris, juxta D. Franciſci inſtitutum prope Cantabrigiam, 1874.
*Viromando* (Hieronymo) 1059.
*Viterius* (Petrus) Eraſmo, 1563. 1580.
*Viterio* (Petro) 289. 1600.
*Vives* (Jo. Ludovicus) Damiano à Goes, 1471.
——— Gilberto Cognato Nozereno, Eraſmi Amanuenſi, 1879.
——— Eraſmo, 652. 685. 705. 709. 716. 720. 730. 767. 801. 890. 899. 912. 945. 970. 988. 1128. 1230. 1405. 1492. 1719.
*Vivi* (Ludovico) 421, 535. 688. 841. 985. 1024. 1105.
*Ulatteno* (Joannni) Præpoſito & Conſiliario, 1070. 1140. 1297. 1372. 1704. 1705. 1742. 1758. 1880.
*Voltzius* (Paulus) Hugonis Curiæ Abbas, Eraſmo, 1543. 1546. 1773.
*Voltzio* (Paulo) 337. 536. 827. 841.
*Urſewico* (Joanni) 255.
*Utenhovio* (Carolo) Gandavo, 1153. 1206. 1278. 1449.
*Vulcanio* (Petro) 1373. 1465.

W.

*Waramus* (Guilielmus) Archiepiſcopus Cantuarienſis, Thomæ Moro, 1570.
——— Eraſmo, 117. 260. 1559. 1597. 1642.
*Waramo* (Guilielmo) 164. 644. 660. 813. 984. 1007. 1051. 1673. 1687. 1694.
*Watſonus* (Joannes) Anglus Theologus, Eraſmo, 160. 1882.
*Watſono* (Joanni) 165.
*Wattenvilo* (Nicolao) Præpoſito Bernenſi, 708.
*Wentfordo* (Rogerio) 100. 139. 140. 1605. 1681.
*Wernero* (Nicolao) 1883. 1884.
*Werterio* (Joanni) 353.
*Wicelius* (Georgius) Eraſmo, 1755.
*Wichmano* (Petro) Canonico Anderlacenſi, 890.
*Wimphelingus* (Jacobus) Theologus, Eraſmo, 1550.
*Wimphelingo* (Jacobo) 827.
*Winckel* (Petro) Tutori quondam ſuo, 1885.
*Winmanno* (Nicolao) 1748.
*Witfordo* (Richardo) Guilielmi Montjoii à ſacris, 7.

Z.

*Zaſius* (Udalricus) Eraſmo, 133. 138. 195. 336. 1531. 1533. 1540. 1543. 1544. 1547. 1552. 1748.
*Zaſio* (Udalrico) 138. 139. 286. 347. 383. 1531.
*Zebridovio* (Andreæ) Polono, 981. 1132.
*Zieglero* (Jacobo) Landavo Bavaro, 738.
*Zieglerus* (Jacobus) Eraſmo, 1699.
*Zuichemus* (Viglius) LL. Doctor, Friſius, Eraſmo, 1156.
*Zuichemo* (Viglio) 1160. 1430. 1747. 1750. 1754. 1756. 1759.
*Zvinglius* (Huldericus) Eraſmo, 1538.
*Zutphenio* (Petro) Caſſiletano, Oeconomo Adolphi Principis Veriani, 483.

Digitized by Google

# JOANNES DE LA FAYE
# LECTORI S.

*NE pagina vacaret, visum fuit hìc Epistolarum aliquot genuinum ordinem signare, quæ in Editione non suo anno attributæ sunt; præter eas quas Clariss.* D. Jo. Clericus *in sua Præfatione annotavit. Observandum ante omnia, Erasmi tempore, ex more à quatuor usque Seculis invecto, annorum initium supputatum fuisse non à Kalendis Januarii, ut nunc fit, sed vel ab Annuntiatione Dominica, die 25. Martii, vel à die Paschatis, adeo ut Menses Januarius, & Februarius, pars item Martii, Anno præcedenti attribuerentur. Qui usus cum non animadversus fuisset ubi Erasmi Epistolæ in ordinem Chronologicum redigerentur, hinc orti aliquot errores & anachronismi, qui omnes tum his observatis, tum ope MSS. sublati in subjectis Epistolis; neque alias, præter has, ordine præposteró editas esse opinamur. Cæterum pauca quædam his affinia reperies inter ERRATA & ADDENDA, quæ ad calcem Epistolarum conjecimus.*

CXXXII. Epistola cum responsionem contineat ad CXLI. ideò hæc ante illam legenda, & alterutrius signaculum in mendo jacet, ita ut vel hæc data sit Anno 1511. vel illa 1512.

CXLVIII. Epistola in Annum 1516. certissimè rejici debet, quippe in quâ Erasmus Novi sui Testamenti mentionem injicit, quod labente demum Anno 1515. publicè distrahi cœptum est, Epistolæ item sibi à Leone X. P. R. missæ, quæ 10. Julii 1515. data fuit. Annum illi 1516. etiam attribuunt Editiones Basileensis & Londinensis.

CCI. ante CC. poni debet, cum in hac mentio illius fiat, vid. pag. 179. E.

CCXXII. in MS. nostro ad Annum 1517. refertur, in ea mentio est de Epistola ad Banisium, quæ Anno 1517. scripta est, & in Appendice CCI. habetur.

Cum Epistola CCXXIV. data fuerit 13. Novemb. 1516. & Erasmus in CCVI. ad illam respondeat, ideò hæc illi postponi debet, cumque hujus signaculum sit dies 24. Februarii 1516. intelligendus est, pro more tum temporis observato, Annus 1517.

CCXXXII. & CCXXXIII. Epistolæ in MS. ad Annum 1518. referuntur, & rectè quidem, ut apparet ex integra periodo, in aliis Editionibus omissa, quam inter *Addenda* ex MS. suo loco posuimus; in ea autem mentio est de Epistolis Anno 1517. scriptis.

CCLIII. ante CCXLIX. legenda est, cum hæc ad illam responsio sit.

CCLXXXV. quæ ad Annum 1517. refertur, habet responsionem ad CCCXLIII. datam Anno 1518. itaque tum hæc illi præponenda, tum illa in Anno itidem 1518. reponenda.

CCCII. signata erat 15. Kal. Februarii in MS. erit itaque dies 18. Januarii, non primus Februarii.

CCCXXXIV. ad Annum 1517. referenda est, & ante CCLXIII. legenda, ut apparet tum ex utriusque collatione, tum ex MS.

CCCXLVIII. signata 30. Decemb. 1518. legi debet ante CCXCVII. signatam 7. Januar. 1518. ut ex utriusque collatione intelligi potest; itaque vel hæc, pro more illius temporis, ad Annum 1519. referenda, vel illa ad annum 1517.

DXXII. in Annum 1517. rejici debet, quippe in qua mentio est de Andrea Ammonio, ut nuper defuncto, qui diem obiit Anno 1517. Conf. pag. 263. B.

DLXIV. ad Annum 1522. referenda est; vel *Basileæ* positum pro *Lovanio*.

DCLXXII. signata Anno 1524. non suo loco attributa est; cum data sit ad Huttenum, qui obiit 29. Augusti 1523. Conf. pag. 773. C.

DCCCXXV. rectè in Basileensi & Londinensi Editionibus 17. Kalendas Junii, sive 15. Maji signata est.

DCCCXCVI. signaculum, quod in utraque Editione Basileensi & Londinensi est Ann. 1526. reponendum est.

DCCCCXVI. quæ ad Ann. 1527. relata est, ad Annum 1528. rejici debet.

MII. In hac Epistola vel *Lovanio* signaculum est pro *Basilea*, vel An. 1528. pro 1518. Si sciri posset quo tempore defunctus fuerit ille *Philippus Haneton*, cujus Epicedium huic Epistolæ additum est, indefacilè liqueret utrum mutandum esset.

MLXXXI. attentè legentibus patebit esse ad Annum 1528. referendam. Significat Erasmus se *Senecæ* adornando operam dare, quod opus labente demum Anno 1528. vel instante 1529. perfectum est.

MXCIV. responsionem habet ad MCXL. alterutrius itaque signaculum in mendo jacet.

MCLI. ad Annum 1529. rejicienda est, in qua nimirum dicit Erasmus suum S. Augustinum nondum esse completum: Perfectus autem fuit Anno 1529. vid. Epist. MLXXXIV.

MCCLIX. quæ hìc ad Annum 1533. refertur, eadem ad 1534. relata est in Editionibus Epistolarum Bembi, Basileæ 1567. & Argentor. 1611.

DESI-

Digitized by Google

# DESIDERII ERASMI,

## *ROTERODAMI,*

# EPISTOLAE.

### Epistola I.

*Eraſmus Roter. Cornelio Aurotino* S. D.
Scripſit puer.

An. 1489. LVPIS & agnis quanta ſortito obtigit, tecum mihi diſcordia eſt. Heus tu, ſi ſapis, aut quamprimum cum *Laurentio* meo redibis in gratiam, aut bellum tibi palam indictum intellige. Rogas unde hæc ſubita turba? quaſi vero exciderit, quæ tu nuper in illum quam fœda, quam capitalia dixeris convicia, quum hîc apud nos ageres. Horreſco referens. Os impudens! Tun' hominem omnium facundiſſimum, quem optimo jure *Suada medullam* quis dixerit, audes *corvum crocitantem* appellare? & cavillatorem, non oratorem? Qui ſi ſupereſſet, vah! quas illi pœnas dares? Experireris tibi cum homine nequaquam edentulo rem eſſe. Sentires tibi provocatam eſſe cornutam beſtiam. Quæ tela, quas invectivarum ſagittas in te vibraret? nihilo te mollius acciperet, quam infelicem *Pogium*. At jam ſepultum nihil metuis, nimiumque meminiſti, non mordere mortuos. Hui! perquam ſtrenuus es, qui in eum lingua ſævias, qui referire non poſſit. Tutum eſt in illum quidvis, tum dicere, tum facere. Verum (ne protinus triumphum adornes) non uſque adeo tutum. En tibi me *Laurentiana* injuriæ vindicem: ego illius doctrinam, qua, meo judicio, nulla probatior, tuendam mihi ſumpſi. Nunquam committam, ut ea cujuſpiam impudentia, ne dicam invidentia, impune aut laceretur, aut oblitteretur. Has igitur literas fecialium officio functuras iſtuc ire juſſi, quo tecum expoſtulent. Quas tu ut tractes vide. Nam alterutra res tibi ſubeunda eſt, aut placandi feciales noſtri, aut arma paranda. Cave vero ne lenitate mea fretus, tanti facinoris impunitatem tibi promittas. Sum quidem in me ipſum illatarum injuriarum paulo negligentior: at in tuendis literatis amicis quam ſim pugnax, ſi libet experiri, licet. Quod ſi videtur, *Engelbertum* iſtum tuum, qui, ut ſcribis, ita Caſtaliis aquis potus eſt, ut nihil exſpuat, nihil emungat niſi verſus, accerſendum tibi cenſeo; & ſi qui ſunt illius ſimiles, qualium ubique non difficilis copia. Neque vero mihi militum manum defuturam putes. Non enim ad unum me, verum ad omnes bonarum artium amicos iſta pertinet injuria. Omnes læſiſti literatos, cum unum læderes *Laurentium*. Verum ego, mi *Corneli*, nihil perinde odi, ut bellum civile, eoque pacem vel iniquiſſimam judico potiorem. Quare, ſi tu quoque pacem quam bellum mavis, me ſat commodo uteris, modo pacis conditiones acceperis: quas tres potiſſimum tibi noſtri feciales offerent, eaſque non admodum difficiles, ita ut neque multas præſcribi, neque iniquas, jure queri poſſis. Sed nunc componito te, atque audi: In primis, ut ſi quid male dicendo peccaſti, bene dicendo corrigas. *Laurentium* pro *corvo crocitante*, *Suada medullam*, & *Atticam muſam* appellabis: deinde *Laurentianas* elegantias ſic ediſcas, ut eas velut ungues, digitoſque tuos teneas: poſtremo, ut codicum tuorum, quorum tibi magna copia eſt, nobis copiam facias, quibus hactenus ceu draco quiſpiam *Heſperius* incubas. Rides, & tibi jocari videor? Age, ride quantum libet: cavè vero omnia me jocatum putes: nam de mittendis codicibus, ludum putari nolim. Præterea *Laurentium*, quem nemo niſi barbarus odit, ne tibi decorum exiſtimes, linguæ ſpiculo lacerare, cum ſis ipſe literarum myſtes religioſiſſimus. Bene vale. Anno 1489. An. 1489.

### Epistola II.

*Eraſmus Roterodamus Cornelio ſuo* S. D.
Scripſit puer.

PRIMVM omnium, mi *Corneli*, tibi etiam atque etiam perſuadeas velim, me animo eſſe in te integerrimo, quo te itidem erga me eſſe non modo confido, ſed jam innumeris argumentis habeo exploratiſſimum: ut neque, ſi quid blandius dictum noſtris in literis offenderis, id *Gnathonico* potius lepori, quam vero amori tribuas: neque ſi quid pro mea tuenda ſententia, aut quaqua ratione liberius ſcripſerim, meum in te amorem elanguiſſe ſuſpiceris, ne dicam interiiſſe. Hæc dixerim non quod jam ullis in rebus te à mea abeſſe ſententia videam, ſed quod, ſi quando hujuſce rei quicquam inciderit, mutuæ noſtræ benevolentiæ conſultum velim. Siquidem, quod de noſtro *Valla* ſcribis, ſic interpretor, ut exiſtimem te non ex animo, ſed certo conſilio ſcripſiſſe, ſive ut ſtili facultatem ἐν ἀδόξῳ ὑποθέσει exerceres, ſive ut mihi ſcribendi materiam ſuppeditares. Et quemadmodum apud *Platonem Glauco*, vituperata juſtitia, *Socratem* ad juſtitiæ defenſionem provocat, ita, ut tu me ad *Valle* defenſionem proliceres, recenſes quam indignis conviciis ſtolidiſſimi barbariei myſtæ in virum literatiſſimum debacchentur. Quod quidem vel hoc argumento facile colligi poteſt, quod *Vallam* non lectitaſſe modo te, verum etiam imitatum fateris: idque etiam ſi tu neges, tamen elegantia ſtili tui, phraſiſque clamitat. Quiſquis igitur ille eſt, qui ut ſus cœno, ita imperitiæ amicus, glorioſum ac præclarum exiſtimat, ſi ipſe rerum omnium bonarum inſcius, doctiſſimos quoſque invidia, odio, conviciiſque proſequatur: quantopere deſipiat, paucis, ſi volet, audiat. In primis, ſuis quemque virtutibus, non aliorum opinione, metiri decet, nec quanti illum fama, qua nihil fallacius, ſed quomodo ipſe ſe gerat, animadvertendum eſt: alioqui cui non uſu venturum eſt, ut ſubinde velut alius repente factus, à ſeipſo diſſideat? Hic me literatum, ille barbarum: hic probum, ille improbum facit: alii glorioſulus ſum, alii rurſum putidulus: denique hujus oculis formoſus ſum, illius deformis. Quem ego non *Protea* vicero, aut quid tandem portenti fiam, ſi is ero, quemcunque me libitum eſt facere populo? Imo quemadmodum ſuſpectum eſſe debet, quicquid multitudini valde probatur; ita vehementer diſplicere vulgo, præjudicium eſt ad probitatis commendationem. Quin fiet aliquoties, ut ejuſdem hominis arbitrio, nunc albus, nunc niger fiam. *Steſichorus Helenam* deformem fecit; mox orbatus oculis, eandem omnium fecit formoſiſſimam: nec interim quicquam acceſſit aut deceſſit *Helenæ* formæ. Nihil igitur agunt, qui objiciunt, quod *Laurentianum* nomen apud pleroſque gravi flagrat invidia: nam ſemper huic malo virtus inſignis fuit obnoxia. Multis non placet *Laurentius*: at An. 1490.

An. 1490. quibus? nimirum his, quibus non placent politiores literæ. Hic dicet quispiam, ut negligamus vulgi rumusculos, qualem hunc depinxit *Pogius*, vir nec inelegans, nec indoctus? *Pogio* fuit invisus, sed uni: & *Pogius* hoc erat animo, ut doctissimus haberi mallet, quam reddi doctior: quem ego sic inter eruditos poni feram, ut non sit omnino à consortio barbarorum alienus. Siquidem magis ille natura facundus, quam eruditione: & plus habet loquentiæ, quam eloquentiæ. Postremo viperat *Laurentium Pogius*, sed palam vir improbus, palam inimicus. Sic *Cicero* displicuit *Sallustio* & *Asinio*: sic *Virgilius* ac *Livius Caligulæ*: sic *Hieronymus Ruffino*. Porro quibus rebus *Laurentius* tantam sibi conflarit invidiam, in promptu est docere. Nam scite *Terentianus* ille *Sosia* dixit, *Obsequium amicos, veritas odium parit*. At contra parasitus ille *Gnatho*, qui sibi imperaverat assentari omnia, negare, si quis neget, laudare, si laudet, atque hæc ipsa rursum in diversum vertere, si lubeat, quam facile sibi omnium gratiam comparavit, ut non sine causa quæstum eum judicarit omnium esse uberrimum. Ab hujus ingenio diversissimus *Demea*, dum urbanæ vitæ nondum peritus, veritatis amicus esse contendit, adeo nullos sibi concilliat amicos, ut, ipsis etiam liberis fugientibus, desertus atque orbus vivere cœperit. Adeo vulgo mordax & inamœna res est veritas. Proinde *Laurentius* noster, si barbarorum imperitiam reticere quam prodere maluisset, venustus & gratiosus haberetur: nunc quoniam id effecit, ut quorundam male comparatæ gloriæ fucus detraheretur, ut putari desinerent, quod non erant, offensi genuinum in illum acuunt omnes. Cæterum quod eruditos etiam nonnunquam attingit, quem unquam adeo doctum viderunt *Athenæ*, aut *Athenarum* victrix *Italia*, ut nihil illum fugerit? Et ut omnes in errorem nostrapte natura proclives sumus, ita multo peccamus liberius, si erroris non desint auctores, maxime si hos auctoritas & nominis splendor commendet. Id autem imperitorum ingenium est, ut auctorum, si qua recte dicta sunt, ea prætereant, non aliter quam, ut est in apologis, *Jaspidem* repertum gallus *Æsopicus*: contra si quid erratorum, in sui erroris defensionem, studiose decerpant, quas ob res ne summorum quidem virorum errata dissimulare fuit opus. Quem vero prorsus omni liberabimus errore, si *Cicero* labitur in *Romani* sermonis elegantia? Quod si *Pogius* sua vitia ingenue fateri, corrigereque, quam tueri proterve maluisset, (maluisset autem, si viri prudentis officio fungi voluisset) profecto dignum judicasset *Laurentium*, cui recte monenti & honos haberetur & gratia, tantum abest, ut lacerandum existimaret. His rationibus constricti quidam, ad illud velut extremum præsidium confugiunt: Ut juste reprehenderit, inquiunt, præclaros viros, tamen æquo mordacius id fecit. Ego sane, quid in hos *mordacius* dixerit, non video, nisi forte eos *viros præclaros* appellandos putabunt, quos ego barbariei duces vel præcipuos judico, *Papiam*, *Huguitionem*, *Ebrardum*, *Catholicon*, *Joannem Garlandum*, *Isidorum*, cæterosque indignos etiam qui nominentur: aut certe nisi idipsum *mordacius* dixisse vocant, quod reprehendisse. Verum esto, mordacior æquo fuerit: num ideo falsum dixit, quia verum mordacius dixit? Usque adeo nobis odio est ista mordacitas, ut ejus odio tam multa scitu digna, necessariaque, detestemur? Adeo nihil ignoscendum putamus ei, qui tot modis profuit? Venia datur convivatori, si inter multa lauta cibus aliquis intercurrerit nonnihil adustus, aut parum feliciter conditus. Si vicinius imminente mœnibus hoste, totoque populo dira calamitate ac desperatione salutis enecto, præter spem offerat se quispiam, qui sui capitis periculo depellat hostem, patriam restituat libertati, quid non illi gloriæ, quid non benevolentiæ certatim defertur ab omnibus? An hunc nobis invisum reddet, si paulo sit bibacior? tantique beneficii memoriam quamvis leve vitium abolebit? Et quis tam exigui animi est, cujus pectus tantis invidiæ angustiis concluditur, ut *Vallam* non & magnifice laudet, & amet quam maxime: qui tanta industria, tanto studio, tantis sudoribus barbarorum ineptias refellit, literas pene sepultas ab interitu vindicavit, prisco eloquentiæ splendori reddidit *Italiam*: doctis etiam id præstitit, ut posthac circumspectius loqui cogantur? Huic itaque, mi *Corneli*, nisi forte vereris, ne te mordax homo discerpat, tuto te commiseris, si non sine invidia, quæ semper arduis magnificisque res comitari solet, men tamen sententia, summa tum utilitate, tum gloria. Id igitur quando facis, ut magis magisque facias, te etiam rogo. Senties tuis scriptis non parum accedere nitoris, nisi forte *Batavis* solis ista paras. Bene vale. Anno 1490. An. 1490.

## EPISTOLA III.

### *Erasmus Arnoldo.*

SALVE, mi *Arnolde*. Jam sesquimensem graviter laboro febri nocturna, lenta quidem illa, sed quotidiana, quæ me penitus extinxit. Nondum sum morbo liber, sed tamen aliquanto recreatior: nondum vivo, sed affulget aliqua vitæ spes. Petis ut tibi animi mei consilium communicem, hoc unum habe, mundum mihi jamdudum obolere: damno spes meas. Nihil aliud cupio, quam mihi dari ocium, in quo possim totus uni Deo vivere, deflere peccata ætatis inconsultæ, versari in Scripturis sacris, aliquid aut legere, aut scribere. Id in secessu aut collegio non possum. Nihil enim me tenerius: nec vigilias, nec jejunia, nec ulla incommoda fert hæc valetudo, etiam cum est prosperrima. Hic ubi tantis in deliciis vivo, subinde in morbum incido: quid facerem inter labores collegiales? Decreveram in *Italiam* hoc anno concedere, & *Bononiæ* aliquot menses Theologiæ operam dare, atque illic doctoris insigne accipere: deinde in anno Jubilæo *Romam* visere, quibus confectis ad meos redire, atque istic vitam componere. Sed vereor ne hæc, ut volumus, conficere non possimus. Metuo in primis ne tantum iter & regionis æstum & valetudo hæc non ferat. Denique reputo, nec in *Italiam* venire, nec illic vivi sine summo sumptu. Ad titulum quoque parandum grandi summa est opus. Et Episcopus *Cameracensis* dat perparce. Omnino benignius amat quam largitur, & prolixius omnia pollicetur quam præstat; ipse propemodum in causa sum, qui non instem. Et sunt tam multi, qui vel extorqueant. Faciam tamen, pro tempore, quod factu videbitur optimum. Bene vale. Anno 1490.

## EPISTOLA IV.

### *Erasmus Christiano* S. D.

NON tu *Erasmi* calamum metuis? tam audacis tibi facinoris conscius? quippe qui *Henricum* delicias meas à me distraxeris. Deseruit me & *Robertus Anglus*, sed alia longe ratione: summa nimirum perfidia, ita ut illum decuit. Sed extra jocum: consilium vestrum non modo iniquo animo non fero, verumetiam vehementer probo. Consultius enim est sarcinam majorem abjicere, quam sub onere iniquo concidere: illius virtuti perinde ut meæ gratulor. Tu fac fratrem imitoris, & *Erasmum* vel absentem diligas. *Rodolphum Langium* admoneas velim, ut & meis literis, & suis promissis satisfaciat. Bene vale. *Lutetiæ*, Anno 1496. 1496.

## EPISTOLA V.

### *Erasmus Guilielmo Montjoio* S. D.

SALVE vero nomine, *Montjoie*. Deprecatione mendum erat, sed purgatione uti malui. Crimen admissum agnosco, quod hodie vos lectione fraudaverim, sed necessitas in causa fuit, haud voluntas. Cogor duos tabellarios simul literis onerare. Tu cave statum transferas, & falso necessitatem à me prætentam objicias. Tum

Digitized by Google

An. 1496. Tum enim qui rei erat, actoris fiet, & qui jurisdicialis, conjecturalis, aut certe definitivus erit, ut quæratur, quid sit necessitas. Sed vide callidum defensorem, causam meam ago, nondum in judicium vocatus; scilicet, ut nullo accusante, meipso & defensore, & judice absolvar. Bene te valere, & Musis quam cariſſimum esse jubeo. An. 1496.

## EPISTOLA VI.

*Guilielmo Montjoio, Comiti Anglo, Erasmus Roterodamus* S. D.

PERVENIMVS tandem & quidem incolumes, tametsi invitis (ut apparet) & superis & inferis. O durum iter! Quem ego posthac *Herculem*, quem *Ulyssem* non contemnam? Pugnabat *Juno* semper poeticis viris infesta: rursum *Æolum* sollicitarat; nec ventis modo in nos sæviebat, omnibus armis in nos dimicabat, frigore acerrimo, nive, grandine, pluvia, imbre, nebulis, omnibus denique injuriis. Hisque nunc singulis, nunc universis nos oppugnabat. Prima nocte post diutinam pluviam, subitum atque acre obortum gelu, viam asperrimam effecerat; accessit nivis vis immodica; deinde grando, tum & pluvia, quæ simul atque terram arboremve contigit, protinus in glaciem concreta est. Vidisses passim terram glacie incrustatam, neque id æquali superficie, sed colliculis acutissimis passim exstantibus. Vidisses arbores glacie vestitas, adeoque pressas, ut aliæ summo cacumine imum solum contingerent, aliæ ramis laceræ, aliæ medio trunco discissæ starent, aliæ funditus evulsæ jacerent. Jurabant nobis è rusticis homines natu grandes, se simile nihil unquam in vita vidisse antea. Equis interim eundum erat nunc per profundos nivium cumulos, nunc per sentes glacie incrustatos, nunc per sulcos bis asperos, quos primum gelu duraverat, deinde & glacies acuerat, nunc per crustum quod summas obduxerat nives, quod quidem mollius erat, quam ut equum sustineret; durius, quam ut ungulas non scinderet. Quid inter hæc animi *Erasmo* tuo fuisse credis? Insidebat attonito equo eques attonitus, qui quoties aures erigebat, ego animum dejiciebam: quoties ille in genua procumbebat, mihi pectus saliebat. Jam *Bellerophontes* ille poeticus suo terrebat exemplo, jam meam ipse temeritatem exsecrabar, qui mutæ belluæ vitam, & una literas meas commisissem. Sed audi quiddam, quod tu credas ex veris *Luciani* narrationibus petitum, ni mihi ipsi *Batto* teste accidisset. Cum arx jam ferme in prospectu esset, offendimus omnia undique glacie incrustata, quæ ut dixi in nivem inciderat. Et erat tanta ventorum vis, ut eo die unus atque alter collapsi perierint. Flabant autem à tergo. Itaque per declive montium me demittebam, per summam glaciem velificans, atque interim hastili cursum moderans. Id erat clavi vice. Novum navigandi genus. Toto fere itinere obvius fit nemo, sequitur nemo, adeo non solum sæva, sed etiam monstrosa erat tempestas. Quarto vix demum die solem adspeximus. Hoc unum ex tantis malis commodi excerpsimus, quod latronum incursus timuimus minus: timuimus tamen, ut homines pecuniosos decebat. Habes iter meum, adolescens generosissime, idemque candidissime, quod ut durissimum fuit, ita reliqua fuere secundissima. Vivi pervenimus ad *Annam* Principem *Verianam*. Quid ego tibi de hujus mulieris comitate, benignitate, liberalitate memorem? Scio rhetorum amplificationes suspectas haberi solere, præsertim iis qui ejus artificii rudes non sunt. At hic me nihil allevare, imo re vinci artem nostram, mihi credas velim. Nihil unquam produxit rerum natura, aut pudentius, aut prudentius, aut candidius, aut benignius. Et vis verbo rem complectar? Tam illa præter meritum nostrum in nos benefica fuit, quam senex ille contra merita maleficus. Tantis illa me officiis cumulavit, nullis à me studiis provocata, quantis ille contumeliis oneravit, summis affectus beneficiis. Quid de meo *Batto* jactitem, cujus pectore nihil habuit hic orbis simplicius, nihil amantius? Nunc demum istos ingratos odisse cœpi. Mene istis monstris tam diu inserviſſe? O te mihi sero cognitum, à quo prius me fortuna distraxit, quam necessitudo conjunxerat! Hæc scribebam, in patriam concessurus, deinde isthic continuo adero, atque adamatam *Lutetiam* repetam, & has ipsas literas fortasse præcurram. Cæterum de nostro convictu, nihil certi scribere licet. Tum consilium ex tempore capietur. Hoc unum tibi persuade, neminem vivere qui te magis ex animo amet, quam tuus *Erasmus*. *Battus* quoque meus, omnium & amorum & odiorum meorum socius, te pari charitate prosequitur. Cura, mi *Guilielme*, ut quam optime valeas. Ex arce *Ternenhensi*, 3. Febr. Anno 1497. An. 1497.

## EPISTOLA VII.

*Erasmus Roterod. Joanni Falconi suo* S. D.
*Epistola jocosa.*

TV cave salutem à nobis exspectaveris. Devoveo te, quoties tua mihi convicia in mentem veniunt, quoties torvos illos oculos animo contueor, quoties os illud, ad meras contumelias compositum. Itaque amare te plane non possum. Minus quidem odero, si bonas literas lucellis tuis præponere poteris. Fata mea me hactenus persequuta sunt. Iter enim habuimus ad prodigium usque asperum atque sævum: cætera *Batti* mei fatis debeo. Nam dominæ candorem, beneficentiam, humanitatem, comitatem, modestiam, si tibi perscripsero, cum vix aliquam essem partem oratione consequutus, mendaciſſimus tamen viderer ei qui ipse expertus non esset. O te miserum, qui me sequi sis gravatus. Quid te fuisset beatius? Sed gaudeo tuam superbiam tibi nocuisse. Posthac sape, poetas fuge, & lanios sequere. Brevi isthic adero, si superi adjutabunt. Tu & quæ habes mea serva, & quæ potes contrahe, ne quid in mora sit ubi venero. Finem imponam epistolæ, si te paucis monuero. Frustra sapit qui sibi non sapit. Mirare literas, & lauda, sed lucrum sequere. Cave tibi ipse displiceas, ea res formæ venustatem obscurat. Cutem ante omnia cura. Omnia tuis commodis postpone, amicitiam tua causa cole. Eruditionem parce attinge. Ama ardenter, stude modice, verborum prodigus, pecuniæ parcus esto. Plura monendus eras, sed vale est, aulico ritu, dominæ dicendum, & cras in *Hollandiam* avolo. Meliorem vestem domi relinquo. Scis quamobrem? Timeo ne sorores eam tuæ lacerent. Est enim mihi *Antuerpia* faciundum iter. Nunc vide, num nihil in me sit salis, & tu sapias solus? Literas tuas adeo non exspectabo, ut haud sciam, an has ipse prævertam. Tu tibi vive, & vale tibi, & te solum, quod facis, ama. Ex arce *Ternenhensi*, 4. Feb. Anno 1497.

## EPISTOLA VIII.

*Erasmus Jacobo Batto* S. D.

SALVE meum præsidium, jucundissime *Batte*. Si domina *Veriana* valet, quondam tua, nunc mihi tecum communis patrona, & si omnia illi sunt secunda, ita est, ut & optamus, & confidimus. Literis committere nec possim, si audeam; nec ausim, si possim, quam scire cupiam, num illa jam isthinc evolarit, num sua chariſſima pignora una secum abduxerit. O te beatum, ô superis charum, si tu istos scopulos enavigaris: si felicitate tua, quæ mihi quidem summa videtur, sine invidia frui possis. Quod ut fore confidam, dominæ virtus facit, cui superos omnes propitios, beneque volentes esse non dubito. Evenit mihi, mi *Batte*, in ista, quod in te sæpenumero solet, ut tum ardentius amare, mirarique incipiam, quum absum. Bone Deus, qui candor, quæ comitas in ampliſſima fortuna, quæ animi lenitas in tantis injuriis, quæ hilaritas in tantis curis; tum quæ animi constantia, quæ vi-



Digitized by Google

An. 1497. tæ innocentia, quod in literatos ſtudium, quæ in omnes affabilitas! Proinde ita prorſus ſentio, mi *Batte*, te eſſe unum mortalium omnium feliciſſimum, ſi iſta quam diutiſſime potiri dabitur, & dabitur haud dubie, ſi (quod facis) illius in te animo mutuis officiis reſponderis. Nos *Antuerpiam* incolumes appulimus. *Auguſtinus* cum ſuo comitatu jam *Pariſios* præceſſit: pollicitus eſt, ſeſe aliquot dies illic me operiri. Quare properandum mihi cenſeo, ne tam certi comitatus commoditas prætereatur. Nihil eſt quod te admoneam: & tuam enim rebus in meis diligentiam novi; & tanta eſt liberaliſſimæ dominæ in me benignitas, ut rubor mihi plane quidam oboriatur, cum animo reputo, tanta me ab ea beneficentia cumulatum, de qua nihil unquam ſim meritus. Sed meum erit, etiam atque etiam cogitare, ut non prorſus periſſe in nobis illius beneficia declaremus. Revolabo iſthuc quam primum, ſi ſuperi ſinent. Precor ut vos omnes incolumes, & recte valentes offendam, illam in primis, unde noſtrum utriuſque ſpes, ſaluſque tota pendet. Non debes tumultuarium mirari characterem: ſcripſi enim hæc in navi jam ſoluturus, omnibus undique magno fragore perſtrepentibus. Bene vale. Filium herilem amabili indole puerum, una cum ſorore, fratris ſui matriſque ſimillima, recte valere precor. Familiares tuos nominatim meo nomine ſalvere jubebis. Ex *Antuerp.* 12. Feb. An. 1497.

## EPISTOLA IX.

*Eraſmus Roterodamus Ricardo Guilielmi Montjoii à ſacris* S. D.

COPIOSISSIMAM ad te epiſtolam ſcribere geſtiebat animus, *Ricarde* candidiſſime, ni & otium deeſſet, & propediem vos ipſe viſere decreviſſem. Non purgabo me, quod antea non ſcripſerim, coram eam cauſam agere malo, & abſolves me ſpero. De tuo comitiſque candore plurimus & frequens cum meo *Batto* mihi ſermo fuit. De veſtro quidem animo gaudeo, at tam ſero eſſe cognitum doleo. Nos ubi patriam viſerimus, iſtuc continuo recurremus, tum plenis (ut ajunt) buccis nugabimur. Interim cura, ut bene valeas, teque tua philoſophia oblectes. Priori apud divam *Genovefam*, *Guilielmo* canonico ὁμολογητῇ, conterraneo tuo, meis verbis ſalutem dices, præterea familiaribus reliquis nominatim. Ex arce *Tornenſi*, An. 1497.

## EPISTOLA X.

Guilielmus Montjoius Eraſmo Roterodamo S. D.

NIHIL *vereor, mi* Eraſme, *quin ubi primum audiſti, Principem noſtrum*, Henricum octavum, *ſeu potius* Octavium, *defuncto patri in regnum ſucceſſiſſe, omnis tibi ex animo ægritudo repente abierit. Quid enim tibi polliceri non poſſis de Principe, cujus egregiam, propeque divinam indolem probe noris, cui præſertim ſis non modo notus, ſed etiam familiaris: quippe literas ejus digitis exaratas, quod paucis contigit, accepiſti. Verum ſi ſcias, quem nunc heroa ſe præſtet, quam ſapienter ſe gerat, quantus æqui bonique ſit amator, quod ſtudium in literatos præ ſe ferat; auſim meo periculo jurare, te vel ſine alis, ut hoc novum & ſalutare ſydus adſpicias, huc ad nos propere advolaturum. O mi* Eraſme, *ſi videas, ut mortales omnes hic lætitia geſtiant, ut de tanto Principe ſibi gaudeant, ut nihil magis exoptent, quam ejus vitam, lachrymas præ gaudio continere non poſſes. Ridet æther, exſultat terra, omnia lactis, omnia mellis, omnia nectaris ſunt plena. Exſulat longe gentium avaritia, larga manu ſpargit opes liberalitas. Noſter Rex non aurum, non gemmas, non metalla, ſed virtutem, ſed gloriam, ſed æternitatem concupiſcit. Guſtum tibi dabo: Superioribus diebus, quum ſe eruditiorem optaret: non hoc, inquam, nos à te, ſed ut eruditos amplectaris & foveas, expetimus. Quid ni, inquit, nempe ſine illis vix eſſemus. Quæ vox ore Principis præclarior emitti potuit? Sed ego imprudens, qui fragili rate Oceanum ingredior: tibi hæc provincia ſervatur. Hæc tamen pauncula de divini Principis laudibus in principio ſtatim epiſtolæ præponere volui, ut ſi quid tibi triſtitiæ in animo reſideat, protinus expellerem: aut ſi omnis pulſa ſit, ſpem, quam concepiſti, non ſolum confirmarem, ſed magis magiſque angerem. Nunc ad tuas literas venio, quarum unas tertio, alteras vero pridie Calendas Majas* Romæ *ad me dederas: primis & jucunditatem mihi, & moleſtiam pariter attuliſti: quod, ut debes, amice & familiariter tuo* Montjoio *conſilia, cogitationes, caſus, ærumnaſque tuas aperueris: hoc quidem jucundum; id vero moleſtum, quod te amiciſſimum meum, cui in primis bene eſſe cupio, variis fortunæ telis impeti perſpicio. Conſolarer te, bonoque animo eſſe juberem, ni tua te ſponte, ſi quid tamen ſperare audes, in ſpem non parvam erectum putarem. Miſeriarum ſupremum diem tibi diluxiſſe arbitreris. Venies ad Principem, qui dicat;* Accipe divitias, & vatum maximus eſto. *Hæc ad primas. Illud tamen non prætеribo, nec permittam, ne tu te fallas. Ais enim te mihi multum debere, quum ego contra, tanto tibi debito adſtrictus ſim, qui me tuis ſcriptis immortalitate donaveris, ut me ſolvendo non eſſe judicem. Tuis vero ſecundis literis, & epiſtolam meam, & tabellarium amicum tuum eodem infortunio perdidiſſe deſles. Sed utinam par eſſet utriuſque jactura, altera enim reparabilis non eſt. Nam meis literis nihil fere aliud ſcribebam, niſi me opus tuum* Adagiorum *accepiſſe: opus, inquam, tuum, id eſt, ut docti omnes ſentiunt, perinde doctiſſimum atque eloquentiſſimum; & ni meus amor erga te me fallit, plane abſolutum, ac profecto dignum tantis laboribus, tantis nixibus, & quo non me, quem puſillum & tuum ſciebas, ſed quamvis magnum virum tibi patronum comparares. Verum poſteaquam ego viſus ſum tibi præ cæteris auſpicatior, cui tuas tam præclaras lucubrationes nominatim dicares, ingentes tibi gratias habeo: nam referre quî poſſum, cum me æternum, ut dixi, reddideris? Mecum tamen vellem temperantius egiſſes, tot enim laudibus me oneras, verius quam ornas, ut non ſane quotam partem agnoſcam. Quis enim, modo me noſcat, æquis auribus accipiat, quod ego* literatiſſimus *appeller, qui ne literarum quidem ſtudioſus cenſendus ſim. Quamobrem acriter tibi ſuccenſerem, ſed modeſtus ſaltem, quod etiam mihi tribuis, videri volo, ne in omnibus mentitus fuiſſe convincaris. Scribebam præterea multis occupationibus, aliiſque certis cauſis, quas literis committere non audebam, effectum fuiſſe, quo minus nonnullis tuis literis ad eum diem reſpondiſſem: nil tamen idcirco voluntatem & ſtudium erga te meum immutatum imminutumque unquam fuiſſe, ſed tua abſentia, quod non putaram, creviſſe. Habes quid in illis literis, quas doles te perdidiſſe, ſcripſerim. Ad opus tuum reverter, quod ſummis omnes laudibus in cælum tollunt. Sed præ cæteris Archiepiſcopus* Cantuarienſis *ita probat & admiratur, ut ex ejus manibus illud extorquere nequeam. At,* dices, *nihil adhuc præter laudes? Idem* Cantuarienſis *ſacerdotium tibi, ſi redeas, pollicetur, & modo libras quinque pro viatico ad nos tibi mittendas dedit: quibus ego tantundem adjeci, non quidem muneris loco, alia enim appellanda ſunt munera, ſed ut ad nos properes, & tui deſiderio diutius ne torqueas. Id poſtremo coram reſtat admonendum, cave credas tuis literis me quicquam gratiæ accipere, aut ulla in re abs te offendi poſſe, arbitreris. In* Italia *valetudinarium te factum, moleſte fero: ſcis me tibi auctorem nunquam fuiſſe, ut* Italiam *peteres: verum quum te tantum & literarum, & nominis illic adeptum eſſe perſpicio, pœnitet hercule me tibi comitem non fuiſſe. Non enim eſuritione ſolum, egeſtate, & morbis, verum etiam ipſa morte tantam doctrinam & gloriam redimendam puto. Pecuniarum ſyngraphas, his literis incluſam, accipies: quare valetudinem tuam cura, & ad nos te primum recipe. Ex prætorio* Grenwici, *27. Maji An. 1497.*

EPI-

Digitized by Google

## EPISTOLA XI.

Joannes Coletus Eraſmo Rot. *S. D.*

An. 1497. BRVMVS *meus*, Eraſme, *in epiſtola ſua te mihi valde commendat. Commendavit te mihi antea tum fama tui nominis, tum quorundam ſcriptorum tuorum teſtimonium.* Pariſiis *quando eram*, Eraſmus *in ore doctorum non erat incelebris. Epiſtola quædam tua ad* Gaguinum *ſcripta, in qua illius operam & artem in* Gallica *hiſtoria admiraris, à me lecta, erat mihi quaſi ſpecimen quoddam, & deguſtatio perfecti hominis & magnæ literaturæ, & multarum rerum ſcientia. Commendat autem te mihi maxime, quod venerandus pater, apud quem es iſthic, prior domus & eccleſiæ* Jeſu Chriſti, *heri mihi affirmavit, te ſuo judicio virum optimum eſſe, & bonitate præditum ſingulari. Quam ob rem quantum poſſunt literæ & rerum cognitio, & ſincera bonitas apud hominem, qui magis hæc vult & optat, quam profitetur; tantum tu mihi,* Eraſme, *es jure iſtarum in te virtutum, & debes eſſe ſemper commendatiſſimus. Quem cum videro, agam præſens pro mea perſona, quod alii egerunt pro te abſente, commendaboque me tibi, tuæque ſapientiæ, quem indigne alii mihi commendaverunt. Nam minor majori commendari debet, & indoctior eruditiori. Verum ſi quid eſt in mea parvitate, in quo tibi vel gratus, vel utilis eſſe potero, id erit in te tam promptum & liberale, quam vult iſta tua & exigit præſtantia, quam jam veniſſe in* Angliam *gaudeo, cui velim tam jucunda eſſet* Anglia *noſtra, quam te utilem ei tua doctrina arbitror eſſe poſſe. Ego vero ſum in te, & ero is qui debeo eſſe in eum, quem opinor tum optimum, tum doctiſſimum. Vale ex cubiculo* Oxoniæ, *Anno* 1497.

## EPISTOLA XII.

Joannes Sixtinus Eraſmo Roterodamo *S. D.*

OSTENDIT *hodie mihi humaniſſimus dominus noſter Prior*, Richardus Charnocus, *quædam abs te carmina, non vulgari numero, trivialive currentia: quæ ſi multo labore confecta eſſent, meo tamen judicio non in infima laude forent reponenda. Quum vero elaborata, exque tempore à te conſcripta dicantur, quem credis futurum, modo ſit ullius ingenii, qui non te cum ſummis illis, priſciſque vatibus, perlectis tuis verſibus, ſit collocaturus. Redolent enim* Atticam *quandam* Venerem, *mirificamque ingenii tui ſuavitatem. Quamobrem perge, quæſo, mi* Eraſme, *Muſaſque dulciſſimas tuas excita, ut omnes ex te ſimilibuſque tui intelligant, id quod antea viſum eſt incredibile,* Germanorum *nulla in re eſſe* Italorum *ingeniis inferiora. Vale vates lepidiſſime ac ſuaviſſime. An.* 1497.

*Ad eundem Epigramma Sixtini.*

FORSITAN incomptos quod ſum tibi mittere verſus
Atque rudes auſus, magne Poeta, meos,
Ridebis, tacito tecum ſic murmure dicens,
Egregii ſpernunt horrida ſcripta viri.
Forſan ais nolo gelidiſſima pallia Coſmus,
Purpuream mittas, ſed mihi poſco togam.
Peſtanæ violæ non ſunt, *Sixtine*, colono
Mittendæ, aut primo vilia dona duci.
Sed tamen ô noſtri vatum celeberrime ſecli,
Eſt aliqua & parvæ gratia *Calliopes*.
Quæ mea ſi terſis placeat nunc auribus, ipſe
Poſthac inviſam limina læta. Vale.

## EPISTOLA XIII.

*Deſ. Eraſmus Roterodamus D. Joanni Sixtino Friſio* S. D.

NON recipit tua ſincera integritas, *Sixtine*, vel tenuiſſimam aſſentationis ſuſpicionem, à qua te vel *Richardi Charnoci*, vel *Joannis Coleti* graviſſimum teſtimonium citra tuos mores, vel citra cujuſquam teſtimonium tui mores abunde vindicant, qui quum ab omni labe ſunt puriſſimi, tum à fictione fucoque ſic prorſus abhorrent, ut ne ipſa quidem ſimplicitas poſſit eſſe ſimplicior, nec libertas ipſa liberior. Alioqui rideri me plane putarem, quum laudor abs te tam immodice, & quidem de re tam modica, imo tam frivola, tamque nihili. Pudet (ita me Deus bene amet) verſiculos iſtos, neſcio quos, non ſine cura modo, ſed omnino ſine mente effuſos, dum calamum novum experior, non ſolum carmen appellari, verum etiam ut doctum carmen probari: quod ſi reprehendiſſes, vel hoc ipſo nomine mihi perquam album viſum fuiſſet. Hujuſmodi enim nugas, magni artifices ne obelo quidem ſuo dignas arbitrantur. Et à tui ſimilibus reprehendi, mediocris eſt laus. At tu, *Sixtine*, nugas illas meas plus quam frivolas ita miraris, ut quæ mihi hircum olere, tibi *Venerem Atticam* ſapere videantur: quæque mihi *Scythicam* quandam barbariem, tibi mirificam ingenii ſuavitatem præ ſe ferre. Atque ex his quiſquiliis, Priſcis etiam, ſi Muſis placet, me conferendum putas. Iterum dico, rideri me putarem, niſi hæc à *Sixtino* ſcriberentur. Quid enim iſtud eſt aliud, quam ut ait *Fabius*, Pygmæo *Herculis* cothurnos inducere? & aquilam è culice facere? Verum ne nihil tuarum laudum videar agnoſcere, eſt omnino meis in verſibus *Atticum* quiddam, *Sixtine*. Parcunt affectibus, & hos non multum attingunt, à concitatioribus, quæ πάθη vocantur, prorſus abſtinent: nulla in eis procella, nullus torrens ripas ſuas egrediens, nulla δείνωσις. Verborum mira frugalitas, malunt citra modum conſiſtere, quam ultra provehi, ac vel littoribus illidi, quam alto ſe committere. Fucus omnino eſt nullus, ſed color, nativus quidem ille, verum quid mea? verus & muſtelinus: artificium ita diſſimulant, ut etiam ſi *Lynceus* ſis, nullum poſſis deprehendere. Qua quidem una laude ſum *Atticis* paulo etiam ſuperior. Nam illi ſic artem celant, ut alios modo fallant, ego ſic, ut meipſum quoque. Illi hoc modo dant operam, ne quid exſtet, neve ſit obvia: quæ ſi non ab auditore, ſi non à lectore oſcitabundo, certe à curioſo, certe ab æmulatore ſentitur, ubi, ut ait *Horatius*, *Sudatque diu, fruſtraque laborat.* At mea, ſi quis ita inſaniat, ut conetur exprimere, tum demum artificii quam minimum ſenſurus eſt. Hactenus *Atticiſmum* præſto. Nam ut *Ennianus* ille modice philoſophari voluit, ita ego *Atticiſſare* probo quidem, at nimium non probo. Terret me *Theophraſtus* aniculæ ſcommate notatus, quod nimium *Attice* loqueretur. Hanc ego notam ut effugiam, *Anacharſidis Scythiciſmum* meo *Atticiſmo* adſpergo. Non nos *Enniano* more nunquam niſi poti ad arma dicenda proſilimus, nec Muſam aliquam laceſſimus; ſobrii ſcribimus verſus adeo ſanos, ut nullum omnino *Apollinis* veſtigium habeant. Cujus rei tantum abeſt, ut me pœniteat, ut vehementer etiam mihi placeam, qui quidem id habeam cum *Cicerone* commune, nihil alioqui commune habiturus. Hæc ita me loquutum puta, *Sixtine*, ut nihil non ex animo, quando *ridentem dicere verum quid vetat*? Incidimus omnino in ſiccum quoddam, exile, exſangue, exſuccum carminis genus, partim ingenii paupertate quadam, partim cacozelia. Rectiſſime putat *Cicero*, nihil æque ad ingeniorum immutationem facere, atque locum. Scripſimus pueri, non *Conſentinis*, ſed *Hollandicis*, hoc eſt, pinguiſſimis auribus. Cecinimus *Midæ*, quibus dum nimium religioſe morigeramur, hoc demum ſumus aſſequuti, ut nec illis, nec eruditis placeamus. Conabamur de una fidelia duos linere parietes, ita imperitis orationis ſimplicitate placere, ut elegantia & acumine doctis non omnino diſpliceremus. Id conſilium ut mihi tum videbatur callidum, infeliciter evenit. Eruditius ſcribimus quam ut ineruditis, ineruditius quam ut eruditis probemur. Habes meum, doctiſſime *Sixtine*, de meis verſibus judicium, in quo quantopere abs te diſſentio, tantopere tuum in



An. 1497.



Digitized by Google

An. 1497. me ſtudium amplector, ut quicquid de vero fuerit detractum, id amoris in me tui cumulo accreſcat. Etenim quo minus agnoſco, quæ mihi tribuis, eo me magis ames neceſſe eſt. Quare jucundiſſima prorſus fuit, ab homine tum amantiſſimo, tum integerrimo profecta laudatio: quæ, ſi vera fuit, pro teſtimonio; ſin falſa, pro beneficio debeo. Is enim demum beneficium accipit, qui ſine cauſa laudatur. Nam quod merenti datur, jus eſt, non beneficium. Quanquam ego tuam de me prædicationem veriſſimam eſſe percupio, aut ita certe mihi videri, de qua tantum mihi blandior, ut homo ad vitium uſque putidulus, jam propemodum mihi placere cœperim, quod tibi, hoc eſt, *Roſcio* placuerim: cui ſi quis faſtidium non moverit, is non in poſtremis fuerit numerandus. Nitorque adeo mihi captioſo etiam enthymemate imponere. Quid eſt, inquam, cur temetipſum abjicias, quum *Sixtino* videaris eſſe aliquid? Is quoniam te miratur, aut mentiatur, aut erret neceſſe eſt. Atqui non mentitur homo ſimpliciſſimus, non errat doctiſſimus, idem judicii vir acerrimi. Sed amat, & cæcutiunt amantes. Amat, ſed quia perſpexit. Quid enim in me amat *Sixtinus*, niſi literas? quas ſi vere in nobis vidit, atque hoc nomine amat, non cæcutit. Sin minus, ne amat quidem, ſublato eo, ob quod unum erat amaturus. Quod ſi nec amat, & falſo laudat, profecto aut aſſentatur, aut ridet: quæ vitia ſi minus in *Sixtini* mores quam in *Herculem* ignavia convenit, non minus vere quam amanter laudavit. Ita ſum ad mihi blandiendum acutulus. At rurſum nimis impudens videtur, laudes tam amplas agnoſcere: nec libet tamen reſcribere, & juxta vetus Adagium, *Auribus lupum teneo*, quem neque uti amittam, neque uti retineam ſcio. Si recipio, nimium mihi; ſin refello, parum tibi tribuerim. Si recuſo, tuæ vel fidei, vel prudentiæ derogo; ſin admitto, mihimet plus ſatis arrogo. Si quod datur accipio, non aliorum modo, verum etiam meo ipſius judicio inſolentiſſimus fuero; ſin renuo, aut tuam ſapientiam, aut integritatem in manifeſtum crimen vocem, ut aut parum perſpexiſſe, aut parum ſinceriter quod ſenſeris, pronunciaſſe videaris. In has anguſtias protruſus ſum, ut mihi ſi *Scyllam* fugero, in *Charybdim* ſit incidendum, videlicet ut aut ridiculus ſim ipſe, ſi tuas laudes agnovero; aut contumelioſus, ſi rejecero. Quamobrem meum quidem, ſuaviſſime *Sixtine*, conſilium fuerit, ut poſthac *Eraſmum* tuum aut figurate laudes, ſtrophas eas, quibus id fieri ſoleat, non inſcite calles, aut certe apud alios. Quum enim mihi me laudas, munus offers, jucundiſſimum illud quidem, (quid enim optabilius, quam ab eo laudari, quem nemo non laudat?) ſed quod neque accipere poſſim ſine pudore, neque recuſare ſine contumelia. Apud alios, vel Deum me facias licebit, nullo alterutrius periculo. Non ſumus quidem ex eo hominum genere, qui ſe malunt alieno pede, quam ſuo metiri, qui nunquam in ſemet deſcendentes, nec quod in tergo eſt manticæ, in pectus revocantes, toti ex aliorum ſuffragiis pendent, & pavi in morem ad adulantium voces ſeſe dilatant. Quod genus ſi maxime ſimus, non tamen nocebit laus, quam non ſenſero. Deinde ſive credent apud quos de amiculo buccinaris, melius de me ſenſuri ſunt: ſive non credent, ſaltem non erit cur pejus ſentiant. Rurſum ad te quod attinet, ſi fidem facis, candidus videberis, qui alienis virtutibus neutiquam invideas; ſin minus, urbanitas tamen laudabitur, qui malis falſas aliorum virtutes laudare, quam vera inſectari vitia. Hic, ut vides, utrique lucelli eſt aliquid, damni nihil. At amicum coram qui laudat, tametſi abundantia quadam amoris id facit, vide tamen quantum incommodi intempeſtivo adferat officio. Aut enim uſuræ ſpe fœnerare eam laudatiunculam videbitur, ut ſolent qui laudant, quo mutuo laudentur, aut aſſentari præſenti, aut ut in optimam partem accipiatur, amori indulgere ſuo. Unde fit, ut aut vana, aut certe vero inferiora narraſſe putetur. Tum ſi qui laudatur, obticeſcat, laudem tametſi falſam libenter agnoſcere; ſin refellat, accuratius laudari velle videbitur. Si par pari referat, protinus illud exclamant, *Mutuum muli ſcabunt.* Verum ego dum hæc verboſius proſequor, *Atticiſmi* mei ſum oblitus. Et quorſum, inquis, tandem tam multa? ut intelligas, mi *Sixtine*, tuam, ut dixi, laudationem fuiſſe quidem jucundiſſimam (ſive enim mereor, quod non opinor, doctiſſimi viri teſtimonio; ſive non mereor, amiciſſimi hominis amore delector.) Verum ne profanis iſtis amuſis, id eſt, à muſico ludo alienis, calumniandi literatos anſam præbeamus, hac ſcribendi viciſſitudine quam maxime certemus, ſed hujuſmodi ferme argumentis utentes, ut ſi quid in evolvendis libris alterutri novum occurrerit, id communiter impertiamus, aut aliqua de re, quæ literaria lite ſit digna, digladiemur, aut falſis lepidiſque fabellis ſtudiorum noſtrorum triſtitiam exhilaremus, quidvis denique nugemur, modo ab hoc ambitioſo nimiumque vulgato ſcribendi genere temperemus. Verum heus tu, *Sixtine*, ne quid de noſtris erres verbis, lauda, imò vel convitiare potius quam ſileas. Quod hortaris, ut Muſas meas excitem, *Mercuriali* virga opus eſſe ſcito, ut expergefiant. Et haud ſcio letharguſne ſit, an ſomnus: utcunque eſt, melius opinor dormiunt, ineptæ ſunt, obſtreperæ, garrulæ, importunæ. Nihil periculoſius quam Panem ad canendum provocare; enecabit, ubi ſemel cœperit:

*Non miſſura cutem, niſi plena cruoris, hirudo.*

Excitavimus nuper, & quidem iratas, à ſomno plus quam decenni, compulimuſque liberorum regiorum laudes dicere. Dixerunt & invitæ, & ſemiſomnes, cantilenam neſcio quam, adeo ſomnolentam, ut cuivis ſomnum conciliare poſſit. Quæ cum mihi vehementer diſpliceret, facile illas redormiſcere ſum paſſus. Porro efficere ut intelligant homines, *Germanorum* ingenia nulla in re *Italis* eſſe inferiora, id profecto aut tu, *Sixtine*, poteris, aut nemo, quem fœcundiſſima illa illuſtrium ingeniorum parens *Friſia*, illa inquam *Africa*, quæ ſemper aliquid hujuſmodi novi miraculi parit, tanquam *Hannibalem* quendam in hoc genuiſſe videtur, ut eſſet qui poſſet cum *Romanis* de doctrinæ principatu contendere. Sunt omnino in te dotes, *Sixtine*, à quibus nihil non exſpectare debeamus; Ingenium ardens, vividum, ſolidum, maſculum; Memoria ampla, præſens, prompta; Animus dexter, & ad omnia verſatilis; Lingua vocalis & expedita; Mores iis virtutibus digni, ut non aliis rebus quam literis natus videaris. Adde huc quod non ſero (ut plerique) ad hæc ſtudia acceſſeris, ſed in ipſo veluti Muſarum gremio educatus, pro lacte meram literaturam imbiberis. Et ea adhuc ætas eſt, ut ſi nunc demum his eſſes ſtudiis initiandus, tamen ab ingenio iſto flagrantiſſimo, ab iſta tam felici memoria, ab iſta tam infatigabili induſtria, nihil niſi ſummum exſpectare conveniret. Nunc eo proceſſiſti, ut plurimos poſt te relinqueris, pauciſſimis ſis ſecundus. Quare magno animo accingere, *Sixtine*, & vel in æquandis *Italorum* ingeniis *Hannibalem*, vel edomandis, quibus heu nimium bonæ obſidentur literæ, monſtris, *Herculem* te præſta, nos ſpectatores plauſoreſque erimus. Carmen tuum omnino tale mihi viſum eſt, quale meum eſſe dicebas: præſuli *Charnoco* tam placuit, quam ipſe es charus. Es autem, mihi crede, *Sixtine*, unus omnium chariſſimus. Bene vale. *Oxoniæ*, 28. Octobris, Anno 1497.

## EPISTOLA XIV.

*Eraſmus Roterodamus Roberto Piſcatori, agenti in Italia, Anglo*, S. D.

SVBVERERAR nonnihil ad te ſcribere, *Roberte* chariſſime, non quod metuerem, ne quid de tuo in nos amore tanta temporum locorumque disjunctio detriviſſet: ſed quod in ea ſis regione, ubi vel parietes ſint tum eruditiores, tum diſertiores, quam noſtrates ſunt homines: ut quod hic pulchre expolitum, elegans, ve-

nu-

An. 1497. nustum habetur; isthic non rude, non sordidum, non insulsum videri non possit. Quare tua te exspectat prorsus *Anglia*, non modo jureconsultissimum, verum etiam *Latine Graeceque* pariter loquacem. Me quoque jampridem istic videres, nisi Comes *Montjoius* jam ad iter accinctum, in *Angliam* suam abduxisset. Quo enim ego juvenem tam humanum, tam benignum, tam amabilem non sequar? Sequar (ita me Deus amet) vel ad inferos usque. Amplissime tu quidem mihi eum praedicaras, graphiceque prorsus descripseras; at vincit quotidie, mihi crede, & tuam praedicationem, & meam de se existimationem. Sed quid *Anglia* nostra te delectat, inquis? Si quid mihi est apud te fidei, mi *Roberte*, hanc mihi fidem habeas velim, nihil adhuc aeque placuisse. Coelum tum amoenissimum tum saluberrimum hic offendi, tantum autem humanitatis, atque eruditionis, non illius protritae ac trivialis, sed reconditae, exactae, antiquae, *Latinae*, *Graecaque*, ut jam *Italiam*, nisi visendi gratia, haud multum desiderem. *Coletum* meum cum audio, *Platonem* ipsum mihi videor audire. In *Grocino* quis ilium absolutum disciplinarum orbem non miretur? *Linacri* judicio quid acutius? quid altius? quid emunctius? *Thomae Mori* ingenio quid unquam finxit natura vel mollius, vel dulcius, vel felicius? Jam quid ego reliquum catalogum recenseam? Mirum est dictu, quam hic passim, quam dense veterum literarum seges efflorescat, quo magis debes reditum maturare. Comes ita te amat, ita meminit, ut de nullo loquatur saepius, de nullo libentius. Vale, *Londini* tumultuarie, 5. Decemb. An. 1497.

## EPISTOLA XV.

*Erasmus Guilielmo Gaudano suo* S. D.

SIC est profecto, deerat, deerat hoc unum infelicitatis meae numeris, ut abs te mihi epistola tam contumeliosa redderetur; perinde quasi nobis hic dolorum materia non abunde suppeteret. Tu vero, mi *Guilielme*, & vetustissimo nostro amore dignius, & meis fortunis aptius facturus eras, si pro objurgatione consolationem misisses. Quid tu amiculum tui perpetuo studiosissimum, miserrimum, convitiis insectaris? Ego in hac rerum conditione, ne confirmationem quidem ullam aequo animo tulissem, & tu aerumnas meas etiam maledictis exasperas? Quid tu me ab invidis nostris exspectare jubes, cum hujusmodi mihi adferantur ab amico, non modo vetustissima necessitudine, verumetiam, quod arctissimum viculum puto, studiorum societate conjunctissimo? Deplorare fortunas meas magis libet, quam te confutare. At vide interim, quaeso, quam merito me incuses. Indicatum est, nescio à quo, me tibi indignatum abisse. Primum, cur tu istis indiciis credis tam facile? tum si maxime indigner, (utar enim eo verbo invidioso, quo tu uteris) cur id non quaeris potius, quamobrem tibi indigner. Expostulavi tecum saepius per literas, super etiam coram, quod cessares in literis, quod nihil tuo ingenio dignum molireris. Hortabar, ut quam maxime nominis immortalitati consuleres, aliquid excuderes tale, quale omnes abs te exspectarent; nihil tuae gloriae anteponeres, voluptatulas istas vulgo relinqueres; si haec sunt hominis suo commodo consulentis, si inimici, si superbi, nihil refello, quo minus tu me jure criminatus fueris. Sin potius amantis, & tui nominis avidissimi, & melius etiam de te, quam tu ipse sentias, sentientis: quid tu ejusmodi hominis infelicitatem atrocibus etiam dictis incessis? Si quid fuit in te stomachatus, id unum erat in causa, quod tu non tanti ingenium tuum, quanti ego facerem, faceres. Sed odiose, inquis, obtundis. Nulla igitur venia dignus est, qui intemperantius amat? Non vides hanc meam improbitatem ab immensa quadam gloriae tuae cupiditate profectam? Nunc studium in te meum ferre aequo animo non potes, qui fastidia persaepe tulisti. Quid autem sibi voluit illa, mi *Guilielme*, quemadmodum isthic vivas, ipse scis, nec ego ignoro. Me miserum, quam metuo, ne tu me hic ociosum ineptire, atque amare credas. Tu vero, mi *Guilielme*, *Erasmum* non ineptum, sed miserrimum finge: & illum, quem tu *prefractum* appellare solebas, jam plane fractum & exanimatum. Cave me tu vel ex veteribus moribus, vel ex tua felicitate metiaris. Quod autem *Gauda* paulo liberius tecum pro nostra familiaritate garriebam, eam loquendi petulantiam vel vino, quo tum, ut scis, saepe madere cogebamur, vel valetudinis studio tribuere debebas, quam ut penitus confirmarem, paululum de pristina vitae severitate prudens remiseram. Caeterum is mihi est animus, ut ineptire si liceat, nolim: ea rursum rerum conditio, ut si maxime velim, haud quaquam tamen liceat. Stomachaberis & hic quoque fortasse: Quid te, inquies, ita male habet? num eges? non tibi summa faciendi, quae libitum est, libertas? Coram vix meas Tragoedias explicare queam, tantum abest, ut his literulis possim consequi. Ego ne *Ulyssios* quidem labores cum nostris conferendos censuerim. O me hujus libertatis nimium expertum, & ô te parum! Sed quid ego his querelis amantissimi hominis animum exaspero? Quod scribis, isthic te gloriae meae invidiam sustinere, quorsum istud attinet? Ego his in regionibus famae tuae prodesse possum: tu porro cur invidiosam etiam nostri defensionem sumis? Quis nescit, *Guilielmum Erasmo* vel in causa iniquissima aequissimum fore? Quod ut non facias, nemo tamen non exspectabit; quanquam tuum in me studium non gratissimum esse non potest. Sed si me mea fata non sinunt, tu saltem tuis literis primum patriam nostram, deinde teipsum quam maxime nobilita. Crede hoc mihi, *Guilielme*, nihil non poteris, modo animus non desit. Sed veniam dabis amori nostro, qui te rursum hortari incipio. De *Henrico* cave quicquam nisi amicissimo viro dignum suspiceris; de te enim omnia amantissime praedicavit. Si quid apud me pro conjunctissima familiaritate nostra questus est, fecit id & modestissime, & ut faceret is, qui te ex animo amaret. Apud me quidem delatus est, quod apud Anglos, dum isthinc abissem, parum sinceriter egerit: quod ut de alio quovis (est enim inter mortales rara fides, animique hominum mutabiles) facile credi possit, ita de hoc nec credere libet, nec suspicari. Tum satius esse puto his in rebus hallucinari, quam odiosa diligentia ea perquirere, quae rectius latuissent. Quod tibi de *N.* tua veteri taciturnitate fretus, indicavi, per fidem te obtestor, cave vel nutu significes. Tibi enim nihil commodaris, illi vero justissimam in me stomachandi materiam praebueris. De *Henrico* scripsi *Servatio:* hominis ingenium satis mirari nequeo. Verum quid facias? his moribus nunc vivitur. Quare illud *Chilonis* probemus, necesse est: *Sic ama, tanquam aliquando sis osurus: sic oderis, tanquam aliquando amaturus.* Ais isthic multa de me renunciari, auditu neutiquam jucunda. Ego vero, *Guilielme*, innocentiam praestare possum, id quod facio; quid homines de me loquantur, non possum. Hoc magis vereor, quid tu tandem de me sentias: quem unum, ita me Deus amet, pluris facio, quam reliquos omnes. Quid enim sibi voluit illa tua epistola, qua vitam meam notare videris? Vis igitur scire, quemadmodum hic vivat *Erasmus?* te enim nihil mearum rerum ignorare par est. Vivit: imo haud scio an vivat: sed vivit prorsus miserrimus, omni lachrymarum genere confectus: quot insidiis petitus, quoties amicorum praesidio delusus, quot casibus sursum ac deorsum jactatus? sed vivit innocentissimus. Scio me vix harum rerum tibi fidem facturum. Veterem adhuc *Erasmum*, & libertatem meam, & si quid est splendoris, cogitas: verum si coram loqui liceret, nihil mihi facilius fuerit quam id tibi persuadere. Quare, si verum *Erasmi* simulachrum tibi fingere voles, finge non ineptum, non comessatorem, non amatorem, sed afflictissimum, sed lachrymosum, sed invisum sibiipsi, cui jam nec vivere libeat, nec liceat mori. Denique mi-

Digitized by Google

An. 1497. miſerrimum, ſed fortunæ iniquitate, non ſua culpa, miſerrimum tamen: quid enim refert? ſed tui amantiſſimum, ſtudioſiſſimum, ardentiſſimum. Ita velint ſuperi has meas ærumnas aut in melius mutari, aut matura morte finiri, ut nunquam mihi vel mea dignitas antiquior, vel gloria jucundior, vel vita charior, quam tua fuit. Si cæteris mortalibus ſim inviſus, nihil miror. Quis enim hominem tam miſerum non jure optimo oderit? Tuum vero etiam amorem mea infelicitate mutari, qui timere potui, in cujus unius fide ſemper acquievi, quem ſic complectebar, à quo me non vulgariter, ſed priſco illo more, amari credebam; ſi & huic me inviſum intelligo, & ob id inviſum, quod ſim miſerrimus, quid eſt cur vivere velim? O mi *Guilielme*, vetus meum, & utinam perpetuum, ſolatium: dolor tantum non cum lachrymis & vocem exprimit. Si quo gravi & nefario ſcelere noſtram amicitiam violaſſem, tu tamen infeliciſſimo amico pro juſtiſſima ira miſericordiam & lachrymas impendere debebas. Nunc eum, cui nulli unquam caſus, nullæ rerum mutationes tui charitatem excutere potuerunt, maledictis potes inceſſere, potes probris inſectari, tanquam deſint, qui manibus pedibuſque in meam perniciem incumbant; qui me ferro ignique exſtinctum velint. Quid mihi iſthic tam charum fuit, cujus inter hos caſus non obrepſerit oblivio? Vidiſti ipſe me nonnunquam νεανιδόνλα, & riſiſti ſæpe. Scis quod pectus loquar. Quid unquam amavi tenerius? Nunc mirum eſt dictu, quam frigeam. Omnes amores illi vulgares excidere potuerunt; tu unus pectori noſtro inhæſiſti; & ita inhæſiſti, ut charitas conſuetudinis intermiſſione aucta ſit, non exſtincta. Et tu amicum tam pertinaciter tibi deditum, cui felici invidere non poſſes, miſerrimum odiſſe poteris? Novi vulgo quidem hunc eſſe morem, ſed ô me miſerum, ſi te literæ à vulgi moribus vindicare non poſſunt. Quid tu igitur me *Pyladem* tuum, quid *Theſea* appellaſti? Quanquam invertere debueras, & *Oreſtem* potius ac *Pirithoum* appellare. Sed ſit lachrymarum finis. Hoc unum te, chariſſime *Guilielme*, (jucundiſſimum enim dicere non licet) & per veterem noſtram benevolentiam, & per meas fortunas afflictiſſimas obſecro atque obteſtor, ut ſi me non odiſſe non potes, ſi miſereri non potes, ſaltem parce maledictis crudeliſſimum vulnus exaſperare: & quod victo hoſti dare debueras, da amico nihil commerito. Tu tuam valetudinem tanto cura diligentius, quanto mea deſperatior eſt. Patri tuo, viro humaniſſimo, beneque de me merito: præterea *Jacobo* convictori tuo, me quam diligentiſſime commendabis. Tuus *Jaſparus* me ſibi habet devinctiſſimum, & pudet me hominem tam amicum tam indiligenter amplexum fuiſſe. *Pariſiis*, 14. Decemb. An. 1497.

## EPISTOLA XVI.

*Eraſmus Joanni Bruxellenſi* S. D.

EGO vero quodnam ad te ſcribendi initium capiam, prorſus hæreo: nec quem incuſem, ſcio, quorundam ne hominum, quos tu plus ſatis noſti, perfidiam, an *Antoniæ* ineptam argutiam, an meam potius credulitatem? Sed tota hac de re mutire ſatius. Hoc unum dicam: me pro meo officio ſummam invidiam undique contraxiſſe. Itaque ex illis ædibus *Eraſmus* exſulat: alii regnant, invita quidem, ut ſuſpicor, *Antonia*. Sed hæc coram melius. Interim fac antiquum iſtum animum in nos obtineas: omnes, quibus cum iſthic viximus, nominatim meis verbis ſalutabis diligenter; ſeorſum autem D. *Vicario* me etiam atque etiam commendabis. Bene vale, noſque mutuo dilige. *Lutetiæ*, Anno 1497.

## EPISTOLA XVII.

*Eraſmus cuidam Lubecenſi* S. D.

SALVE, vir integerrime. Filius tuus apud me vivit, & à me docetur, iis quidem conditionibus, quas ab *Henrico* accepi, qui mihi nomine tuo triginta duos coronatos, & veſtem promiſit. Ægrotavit graviter nuper, ſed convaluit Dei beneficio, & medicorum opera. Fuit in tutela mea compluſculos menſes, quo tempore ei, quibus erat opus, ſuppeditavi. Menſe Octobri puerum in familiam meam adjunxi: curatur à me non ut alienus, ſed ut ex me natus: Ingenio præditus eſt ſingulari; mores pro ea ætate tractabiles ſunt, & tolerabiles. Dabo operam, quantum quidem in me erit, ut tibi eum reſtituam, & me præceptore, & te patre dignum. Libros ejus nondum ad manus meas perferri miror; *Antuerpienſis* ille mercator ſcripſit ſe per quendam mercatorem *Pariſienſem* tranſmiſiſſe, & eum nominat, verum is conſtanter negat. Pecunias adhuc nullas ejus nomine accepi. *Auguſtinus*, ſub cujus tutela erat, dum ego valetudinis cauſa in patria abeſſem, ab *Henrico* quinque aut ſex florenos ſeſe accepiſſe fatetur. Is eum tres menſes & aluit, & docuit, quod ego me tum in *Italiam* conceſſurum putabam. Ei eas pecunias reliqui pro opera ſua: præterea quod de ratione diminutum erat, adjeci, apud illum enim ægrotabat: præterea meo ſumptu veſtitus eſt. Coeperat hic, neſcio quæ, febris pullulaſcere, ſed non admodum frequens: quare in locum urbis apertiſſimum atque ſaluberrimum demigravi, quod malum ſi repullulaverit, longius forte concedam. Nihil enim nobis ſalute antiquius eſſe debet & vita; nam bene vivere, niſi vivamus, non poſſumus. Qua in re de tua ſententia certior fieri cupio, placeatne puerum me conſequi. Narrabat enim *Henricus*, etiam ſi filium tuum in *Italiam* duxiſſem, me id te approbante facturum. Habes de rebus noſtris omnibus: reliquum eſt, ut de toto animo tuo nos facias certiores: verum neque pecunias, neque literas, niſi per certiſſimum tabellarium miſeris, nec *Pariſios* miſeris, ſed ad eum mercatorem *Antuerpienſem*, ne ſi hinc conceſſero, illæ ad alienas manus perferantur. Hoc quoque ad me perſcribas velim, cui vitæ generi filium tuum deſtinaris, & quibus potiſſimum literis imbui placeat. Finis enim unaquaque in re præfigi debet, ad quem omnia tanquam ad ſignum conferantur. Nam quanquam omni quidem literarum genere pueri ſint inſtituendi, refert tamen, quo ſua ſtudia deſtinent, ut cum omnia perdiſcere non liceat, ſaltem aptiſſima diſcamus. Hæc pluribus ad te ſcripſi quam debui, & quidem *Latine*, non faſtidio linguæ noſtratis, ſed quod neque facile id potuiſſem, neque tu facile intellexiſſes. Te cum optima conjuge tua, univerſaque familia, bene valere, precor. De me ita tibi tuiſque perſuadeas, in inſtituendo filio, mihi neque fidem, neque ſollicitudinem, neque diligentiam defuturam. *Lutetiæ*, Anno 1497.

## EPISTOLA XVIII.

*Eraſmus Cornelio Canonico* S. D.

ADEO ne ſuperbum te *Gallia* remiſit, ut plebeios amiculos faſtidire cœperis? Satrapis ſcribis, *Eraſmo* non ſcribis. Quo meo merito? ſed habes cauſam probabilem, & haud ſcio an veram. Nihil minus opinabar, inquis, quam te in *Francia* reſediſſe, qui tum certo conſilio in *Italiam* iter parabas. Age, nihil refello, accipio cauſam, modo hoc damni quam verboſiſſima epiſtola ſarcias. Novi quod ſcriberem nihil erat. *Me tui eſſe amantiſſimum* vetus eſt. *Boſchio* quid acciderit miror, jampridem enim ab eo nihil redditur. De noſtro receſſu hic muſſatur. Tu fac, de toto tuo itinere, rerumque tuarum ſtatu ut ſciam. Si quid hic meo ſtudio, cura, diligentia præſtari poſſe judicabis, id pro tuo jure audacter à me flagitabis. Meam dignitatem ne tibi commendem arctiſſima noſtra & vetus neceſſitudo poſtulare videtur. *Guiliolmum* meum, imo tuum, tuis monitis excitare ne deſinas, ut aliquid ſe dignum moliatur. Meis de rebus certi nihil ſignificare potui, cum omnia penderent. Valemus adhuc, & te vehementer amamus. *Petrum* noſtrum, quod facis, fac quam

Digitized by Google

An. 1497. quam arctissime complectare. Si in his, quæ tibi pro nostra necessitudine impartii, ut *Harpocrati* satis facias, admoneam, videbor parum recte de tua fide, deque tuo in me animo sentire. Quanquam sunt qui te, nescio quid, insimulent, tanquam meam absentis dignitatem parum integra fide fueris tutatus. Mea vero sic est de tua integritate confirmata opinio, ut de meipso sim, priusquam de te, dubitaturus. De nobis hoc tibi persuadeas velim, *Erasmum* tui amantissimum & esse, &, dum vivet, fore. Bene vale. *Parisiis*, Anno 1497.

## EPISTOLA XIX.

*Erasmus Rot. Christiano* S. D.

SALVE, mel *Atticum*. Heri nihil scripsi, & consulto quidem, nam eram stomachosior. Ne roga in quem, in te, inquam. Quid commerueram? Verebar mihi insidias strui per te hominem argutissimum. Suspectam habebam illam tuam pyxidem, ne quid simile nobis afferret, quale ferunt *Pandoræ* pyxidem *Epimetheo*; quam ubi recludissem, mihi ipsi succensebam, qui fuissem suspicionsulus. Cur igitur ne hodie quidem scripsisti? inquies. Eramus occupatissimi. Quid tandem negocii? In spectaculo sedimus, sane jucundo. Comœdia, inquis, fuit, an Tragœdia? Utrumvis, verum nemo personatus agebat, unicus duntaxat actus, chorus sine tibiis, fabula nec togata, nec palliata, sed planipedia, humi acta, sine saltatu, è cœnaculo spectata, epitasis turbulentissima, exitus perturbatissimus. Quam malum, inquies, mihi fabulam fingis? Imo rem, *Christiane*, refero. Spectavimus hodie matremfamilias cum famula domestica fortiter depugnantem. Sonuerat diu tuba ante congressum, convicia fortiter utrinque regeruntur. Hic æquo *Marte* discessum est, triumphavit nemo. Hæc in hortis, nos è cœnaculo taciti spectabamus, non sine risu. Sed audi catastrophen. A pugna conscendit cubiculum meum puella, concinnatura lectos. Inter confabulandum laudo fortitudinem illius, quod voce conviciisque nihil cesserit dominæ: cæterum optasse me, ut quantum lingua valebat, tantundem valuisset & manibus. Nam hera virago robusta, ut vel athleta videri posset, subinde caput humilioris puellæ pugnis contundebat. Usque adeone, inquam, nullos habes ungues, ut ista impune ferat? Respondit illa subridens, sibi quidem non tam animum deesse, quam vires. An tu putas, inquam, bellorum exitus à viribus tantum pendere? Consilium ubique valet plurimum. Roganti, quid haberem consilii: Ubi te rursus adorietur, inquam, protinus caliendrum detrahe: nam mulierculæ *Parisiorum* mire sibi placent nigris quibusdam caliendris. Eo detracto, mox in capillos involа. Hæc ut à me joco dicebantur, itidem accipi putabam. Atqui sub cœnæ tempus accurrit anhelus hospes, is erat *Caroli* Regis caduceator vulgato cognomine dictus *Gentil Gerson*. Adeste, inquit, domini mei, videbitis cruentum spectaculum. Accurrimus, offendimus matremfamilias ac puellam humi colluctantes. Vix à nobis diremptæ sunt. Quam cruenta fuisset pugna, res ipsa declarabat. Jacebant per humum sparsa, hic caliendrum, illic flammeum. Glomis pilorum plenum erat solum. Tam crudelis fuerat laniena. Ubi accubuimus in cœna, narrat nobis magno stomacho materfamilias, quam fortiter se gessisset puella. Ubi pararem, inquit, illam castigare, hoc est, pugnis contundere, illa mihi protinus caliendrum detraxit è capite. Agnovi me non surdæ cecinisse fabulam. Id detractum, inquit, mihi venefica vibrabat in oculos: id non admonueram. Tum, inquit, tantum capillorum evulsit, quantum hic videtis. Cœlum ac terram testata est, se nunquam expertam esse puellam tam pusillam, ac perinde malam. Nos excusare casus humanos & ancipitem bellorum exitum, tractare de componenda in posterum concordia. Ego interim mihi gratulabar, dominæ non subolere, rem meo consilio gestam, alioqui sensissem & ipse illi non deesse linguam. Habes nostra ludicra, nunc ad seria. Duplicem mecum contentionem acceperas, scribendi, & munera mittendi: altera te plane victum declaras, ut qui alienis manibus mecum dimicare cœperis. An inficiaberis impudens? Non arbitror, si quid frontis est: alteram ipse ne suscepi quidem, sed ultro manus dedi. Literis longe vinceris, imo ne pugnas quidem, nisi ut *Patroclus Achillis* armis. Muneribus nolo tecum inire certamen. An Poeta cum negociatore? quid simile? Verum heus tu, ad æquiorem concertationem provoco. Experire utrum tu me prius mittendo, an ego te scribendo defatigem. Hoc demum sit bellum dignum Poeta, dignum institore. Tu si quid audes, accingere, ac bene vale. *Parisiis*, Anno 1497. An. 1497.

## EPISTOLA XX.

*Erasmus Rot. Thomæ Greio* S. D.
Scripsit Juvenis.

JAM pridem isthuc meæ veniissent literæ, adolescens generosissime, quo uno ex universo hominum genere nemo vivit mihi charior: nam si, quominus jucundissimus appellari possis, fata inviderunt, at charitatem fortuna neque eripuit, neque poterit eripere. Pridem, inquam, tibi scripsissem, quod & ego pro mea in te benevolentia maxime cupiebam, & te pro mutuo in me amore majorem in modum exspectare sciebam: sed veritus sum, ne vulnus acerbissimum, quod recens accepissem, adhuc crudum exagitarem: quod tantum aberat, ut ullam omnino tractationem admitteret, ut nunc quoque levi admonitu recrudescere sentiam. En dolor justissimus uberes mihi lachrymas excutit, jam cicatricem duxisse vulnus sperabam. Nulla est intolerabilior contumelia, quam quæ pro benefactis rependitur. Utinam liceat tantum è Lethæo haurire amne, ut totus ille senex cum suis injuriis, meis officiis animo effluat, cujus quidem memoria quotiens mentem subit, totiens non solum irascor, verum multo magis admiror, tantum veneni, tantum invidentiæ, tantum perfidiæ, tantum impietatis humano pectori insitum esse. Ita me Deus amet, cum hominis animum sceleratissimum contemplor, videntur mihi Poetæ, homines alioquin in describendis hominum ingeniis tum acuti, tum eloquentes, hujusmodi virus aut non vidisse, aut dicendo assequi non potuisse. Quem enim lenonem tam perfidum, quem militem tam glorioſum, quem senem tam morosum, quod denique portentum tam invidum, amarulentum, ingratum ausi sunt unquam fingere, quam hic est senex fucatissimus, qui religiosulus etiam sibi videtur, vitiisque suis splendida nomina fingit? Vetabis me dolere. Ego, mi *Thoma*, rem pro sua atrocitate modestissime fero. At non possunt non dolere incommoda, quæ præter exspectationem accidunt. Quando ego unquam pro meo candore, pro meis meritis, pro fide, pro amore pene fraterno, ab homine cano ut apparet, nobili ut jactat, religioso ut fingit, tam insignem contumeliam exspectare potuissem? Summam ingratitudinem judicabam officium officio non reponere. Legeram & hominum esse genus, quos tutius esset offendisse, quam officiis demeruisse. Non credebam, donec experientia fidem fecit, multo esse periculosius, malis benefacere, quam bonis male. Nam quum nebulo ingratissimus devinctiorem sese mihi sentiret esse, quam ut gratiam referre posset, à literis, quas jam diu misere vexaverat, ocium sibi sumit, studiumque omne huc transfert, ut suis nefariis machinamentis me perditum eat: quem postquam laboribus confici posse desperat, (nam id jam frustra tentaverat) lingua Tartareo veneno imbuta conatur exstinguere, & exstinxit quantum quidem in ipso fuit. Quod vivo, quod etiam valeo, literis acceptum refero, quæ me docuerunt, nullis fortunæ procellis cedere. Indigne fert homo



Digitized by Google

An. 1497. sceleri natus, se parum nocuisse. Parum est isti, tanta rabie in me præsentem debacchatum esse, ab animo meo distraxisse me, fugientem eminus veneno petit, atque mei odio in te charissimam animæ meæ partem sævit. Sævit, inquam, eo telo, quo inter mortales unus plurimum potest, maledicentia. O vipereum malum quovis aconito, quavis *Cerberi* spuma, nocentius! Ejusmodi ne portentum solem purum adspicere? istiusmodi monstrum auras haurire, imo inficere vitales? Tale dedecus communem sustinere terram? Nullum tam terrificum, tam pestilens, tam exsecrandum malum Poetarum ingenia excogitare potuerunt, quod monstrum istud non facile vincat. Quis enim *Cerberus*, quæ *Sphinx*, quæ *Chimæra*, quæ *Tisiphone*, quæ larva cum isto malo conferri jure possit, quod nobis *Gothia* nuper evomuit? Quis scorpius, quæ seps, quis basiliscus venenum habet præsentius? Venena fere non nisi irritata nocent. Leones bene meritis officium rependunt. Dracones officiis mansuescunt. Huic seni summa mea merita rabiem faciunt. Habes animum virulentum. Jam ut solidum ostentum intelligas, si vultum truculentum, si totius corporis habitum paulo contemplere diligentius, nonne tibi videaris omnium scelerum quasi simulacrum quoddam intueri? Et hic laudanda est naturæ prudentia, quæ deformem animum digno corpori inclusit. Latent sub superciliorum hirpida sylva oculi refugi, torvum semper tuentes. Frons saxea, ne in malis quidem ulla sanguinis verecundi nota: nares polypum spirant, setis sylvescentibus occupatæ. Buccæ pendulæ, labra livida, vox erumpit, non promitur, tanta est animi impotentia: latrare jures cum loquitur: cervices intortæ, crura incurva. Nihil est denique, quod natura non aliquo insigni stigmate notaverit. Sic sceleratos ac maleficos inurimus, sic canibus mordacibus nolam appendimus, sic bovem cornupetam fœno alligato signamus. Mene huic turpissimo monstro meas literas communicasse, hujus causa tantum ætatis, tantum ingenii, tantum operæ trivisse? quæ si perissent, minus essem miser. Nunc draconis dentes sevisse me video, qui in meam perniciem renascantur. Plus est, quam perdere beneficium, amicum præstando, hostem infestissimum parare; ubi enim tyrannus mea sit abusus opera, cui gratiam referre neque posset parem, neque vellet ullam, novum exitii genus homo ad maleficium tantum ingeniosus excogitavit, quo & me, cui devinctum esse non libet, & te pariter, cui turpiter juveni puer quinquagenarius invidet, funditus everteret. Hæccine est illa, qua ad nauseam omnium gloriari solet, generositas? Hoc illud totiens jactati generis specimen? Hic scilicet est animus magnis natalibus dignus? Quis istum vel humano sanguine progenitum credat? Quis non *Virgilianum* illud illo dignum judicet,

*—— duris genuit te cautibus horrens*
Caucasus, *Hircanæque admorunt ubera tigres.*

Et audet homo mortalium omnium impudentissimus, se multa de te, plurima de me meritum prædicare, nosque ultro ingratitudinis accusare. Non tot meorum in se officiorum testibus, non suarum in me injuriarum conscientia movetur. Audet cum his factis inter homines vivere, modestius facturus, si *Timonem* illum imitatus ex universo hominum cœtu in remotissimos fluctus demigraret, ac bellua cum belluis ætatem ageret. Sed dolori quanquam justissimo frenum stringamus. Tametsi in acerbissima contumelia me illud non mediocriter consolatur, quod hæc adeo non sit impune ablaturus, ut jam præsentes mihi pœnas pendere cœperit: daturus olim graviores. Quas, inquis, nam ille quidem sibi plaudit? esto. An non tibi abunde satis supplicii videtur esse, quod & stultissimus est, & invidentissimus, quod utroque miserrimus? An gravius ullum supplicii genus excogitari possit invidentiâ? quæ ipsa sui carnifex est, atque, ut Poeta dixit, supplicium suum. Quare Epigrammaticus ille & docte & facete invidentissimo cuidam nebuloni, nostri, ut arbitror, senis simillimo, eam ipsam invidentiam, tanquam extremum malorum, imprecatus: An. 1497.

*Omnibus*, inquit, *invideas*, *invide*, *nemo tibi.*

Equidem hominem nondum tam capitaliter odi, ut tantum mali velim imprecari. Quanquam ille quidem dignissimus est, cui aut hoc, aut si quod est deterius, eveniat. Nec dubito jamdudum evenisse, si vere *Plautus* dignis evenire digna scripsit. Cui enim ille non invidet misere? qui quod tu diligentius in literis ageres, cujus virtuti debebat gratulari, adeo invidit, ut repente in morbum capitalem inciderit. Quid autem habet ille, quod non misericordia potius quam invidia sit dignum? si misericordiam mereretur obstinata malitia. Jam alteras pœnas accipe, quas nemo unquam nocens effugit. Quas tu Furias in illo tot scelerum conscio pectore sævire reris? quæ illic stridere verbera, quas intentari faces, quos stimulos impingi?

*Pœna autem vehemens & multo sævior illis,*
*Quas aut* Cæditius *gravis invenit, aut* Rhadamantus.

Recte est hoc ab æquissimo rerum Auctore comparatum, quod se judice nemo nocens absolvitur. Hi sunt æterni cruciatus, quos Poetæ apud inferos exerceri, magno ingenio finxerunt. Quare si ægritudini vindicta mederi potest, jam omni dolore levatus esse deberem. Verum ego vindictæ genus, tum honestius, tum generosius puto, injuriam negligere. Nam nocentes ultro sua pœna sequitur. Quanquam si me molestiæ sensu carere dicam, plane mentiar. Hoc tamen affirmo, me non mea magis contumelia, quæ acerbior esse non potest, permoveri, quam tuæ conditionis miserescere. Mecum præclare actum, qui tandem è mediis venenis effugerim. Sed ô me miserum, qui non totus evolarim, te, dulcissima mei portione, relicto! Tene, mi *Thoma*, isto animo tam ingenuo, isto ingenio tam pudico, tam mansueto, ista indole tam felici rabiosis belluis inservire? Istancine mentem literis, virtuti, maximis rebus natam deliri senis invidentia sepeliri? Optimus in pessimum incidisti, juvenis ingeniosus in senem stupidum, candidus in invidentissimum, humanissimus in spinosissimum, & juxta vetus proverbium, *Auribus lupum tenes.* O fata iniqua! ô sydera inimica! ô superos male propitios! Macte virtute adolescens, quæ saga, quæ fascinatrix tuæ præstanti nocuit indoli? An suas ipsa dotes tibi invidisse natura credenda est? quæ alioquin in te fingendo omnes suas opes effudisse videtur, ne quid in absoluto opere desideraretur. Formoso corpori, animum felicem inseverat. Morum gratiam non inamabilem adjecerat. Genus, opes, ingenium contulerat. Breviterque talem edidit, quales antiquitus Deorum filios solebant appellare. Et, ô miserande juvenis, qui genius malus, quod fatum te in istud barathrum conjecit? Itane præclarum istum ingenii florem senex rancidus exstinguet? Peribit illa fertilissimi soli spes? Interibit venæ tam divitis exspectatio? O senilem invidentiam, qua quid dici aut fingi potest monstrosius? Postquam ipsi, ut dignum illis fuit, in lustris ætatem exegere, tibi & adolescenti & ingenio feliciore & ætate aptiore, quod maturius te ad optimas literas contuleris, misere invident. Invident quod tibi fervidus sanguis circum præcordia saliat, cum ipsi nihil nisi plumbum in pectore gestent. Proin, quem cessantem incitare debuerant, præcurrentem remorari moliuntur; ipsi cum sequi nequeant, præcedere conantur. Sed heu quo me doloris abripuit impetus? Multis profecto modis injurius in te fui, candidissime *Thoma*, cujus calamitatem cum mitigare consolando debuerim, ultro etiam querelis meis exaspero. Jam hæc doloris dederimus, cætera rationi tribuemus. Ego te, suavissime *Thoma*, te, inquam, unum ex multis delegeram, in quo absolutum aliquod artis meæ monumentum relinquerem, ad quod jam materiam quam maxime felicem mihi nactus videbar. Sed utrum te mihi, an me tibi fortuna invidit? Me forte petiit, tibi certe plus no-

An. 1497. nocuit. Certum est tamen mihi opus è manibus extortum, vel repugnante illa qua licet persequi. Nam si quam adfert nostra disjunctio jacturam, eam scribendi frequentia facile sarciemus. Tu modo fac magno animo pergas, tibi instes, tibi te præceptorem præstes. Ad literas tuas venio, quæ mihi tam voluptati fuere, quam tu mihi charus & fuisti, & es, & futurus es. Placuerunt verba non torta, non affectata. Placuit sententiarum robur masculum, & ita placuit, ut in dubium venerim, num ea tuo *Marte* confeciſſes, an auxiliaribus copiis adjutus. Quod te mei desiderium ferre graviter scribis, nihil est, mi anime, quod te afflictes. Nam si pro tuo in me studio nostram vicem doles, sine causa doles. Ego enim non aliter sum affectus, quam si nunc demum ab inferis emersissem: hoc uno miser, quod *Pirithoum* charissimum non una licuerit educere. Quare si nobis mutuo amore respondes, gratulari tuo *Erasmo* debes, qui vix tandem catenam durissimam abruperit. Nec tua quidem causa cur tantopere te maceres, video. Nam si illud te male habet, quod nostra sis doctrina privatus, non incommode permutasti præceptorem, recepisti pro defesso integrum; pro parum diligenti diligentissimum, fortassis & doctiorem, nam amantiorem non credo. Qui si etiam qualiscunque contigisset, quantulum erat hoc damni, quod mea migratione fecisti? Jam tum cum tecum essem, maligne me fruebaris & prope carebas. Quid ego te dignum dicere poteram, cum mihi asinus ad lyram assidue adesset? Denique si quid damni factum, id mutuis literis facile non compensabimus modo, verumetiam superabimus. Tu modo ne tibi defueris caveto, nosque sic desideres, ne de studiorum tuorum contentione quicquam remittas. Equidem memini te dicere solitum, simulatque ego vos reliquissem, te omnes ex animo literas deleturum. Cupio te, mi *Thoma*, vel una ista in re vanum inveniri. Neque tam religiosus videri velis, ut hic mea causa mentiri pudeat. Omni religione te solvo, & si quod erit piaculum admissum, in caput meum revoco. Neglige injuriam, contemne senilem morositatem, me quoque si voles ex animo deleto, modo nihil præter literas cogites. Nullius neque odium, neque amor tantum apud te valeat, ut à bene cœptis desistere velis. Senis & linguam & animum ita oderis, ut ferre velis, imitari nolis. Te tibi propone, quæ tuo genere, quæ tua indole, tua mente digna sint curato. Præceptorem habes tam te dignum quam sene indignum. Eum observa. Cum *Roberto* ne pugnaris; hominem mihi amicum cupio. Senem si non oderis, modestiæ & patientiæ videberis meminisse: sin ejusmodi monstrum unquam amare poteris, omnium mortalium levissimus fueris. Nam si ex animo facies, stultissimus eris: sin adulatione, turpissimus assentator. Tam insanum est hostem complecti, quam ingratum, amicum negligere. Bene vale. *Parisiis*, Anno 1497.

## EPISTOLA XXI.

*Erasmus Thomæ Greio* S. D.

TAMETSI essem occupatior, suavissime *Thoma*, tamen ut intelligeres, quoties ad te scribendum erit, nullam prorsus excusationem me mihi permissurum esse, vel interpellantibus negotiis tecum per literas loqui libuit. Cave posthac à me exspectes, ut in singulis epistolis, vel meam in te benevolentiam testificer, vel ingenium tuum prædicem. Semel hoc tibi persuasum velim, tuo isto in me animo, tam propenso, tam candido, tam modesto, tam ardenti, tam amico non esse mihi neque charius quicquam, neque jucundius: meque plane sic affectum esse, ut tam dulce bonum nolim vel cum universis *Arabum* opibus commutare. Porro de meo vicissim in te amore, hoc perinde ut *Apollinis* oraculum accipias velim, dum tu & virtutem & bonas literas (id quod facis) amplecti perges, nulla consuetudinis intermissio, nullus casus hunc in te animum mutabit. Solidus enim amor à virtute profectus, tam finem nescit, quam virtus ipsa. Etenim quos cupiditas amicos facit, necesse est, ut idem amoris lucrique sit finis. Quos vero voluptas ad amandum allicit, ibi finem amandi faciunt, ubi satietas subierit. Qui denique puerili impetu animorum sese benevolentiâ prosequuntur, pari levitate ab amicitia desciscunt, qua accesserant. Nostra necessitudo longe melioribus initiis profecta, non paulo solidioribus columnis innititur, quippe quos non commodi ratio, non voluptas, non juvenilis affectus, sed honestus literarum & communium studiorum amor copulavit. Est enim inter bonos studiososque viros vel publica quædam, sed constantissima necessitudo, è similium rerum admiratione conflata. Et quoniam virtutis studium nec sanitatem novit, nec casibus fortuitis subjacet, non potest bonorum benevolentia non esse perpetua. Hoc igitur amoris genere cum simus juncti, vereri non debes, ne quid in nostram amicitiam incidat, qualia vulgaribus amicis multa passim evenire videmus. Quanto tu innocentiæ & literarum eris amantior, tanto mihi charior es futurus. Equidem abunde magnum amoris in te mei fructum tulisse videbor, si præclaram virtutis indolem, quam in te primus animadverti, mea opera ad frugem pervenisse videro. Ad quod ut manibus pedibusque enitaris, te, mi *Thoma*, etiam atque etiam hortor. Id facies, si optimos quosque Auctores tibi legendos proponeS, lascivos & obscœnos non secus ac pestem quandam fugeris, præsertim ista adhuc ætate, quæ sua sponte lubrica, non tam ad recta capienda propensa, quam ad nequitiam proclivis est. Quorsum autem attinet istos cum morum detrimento legere, cum neutiquam desint, qui doctrina non paulo plus prosint, obscœnitate nihil noceant? In quorum numero *Virgilium* in primis leges, *Lucanum*, *Ciceronem*, *Lactantium*, *Hieronymum*, *Salustium*, *Titum Livium*. Invitus finem facio, ita mihi videor, dum hæc scribo, jucunde tecum fabulari. Et vide, quæso, quantulum id sit quod de nostra familiaritate corporum disjunctio detraxit. Animo te video, literis colloquor, fortasse etiam jucundius quam lingua. Quare gaude ac vale. Ne literarum novum colorem diutius mireris, amantium sanguine scriptas esse noveris. Atramenti penuria, mori succo scripsimus. *Parisiis*, Anno 1497.

## EPISTOLA XXII.

*Erasmus Batto suo* S. D.

VIDE quantum maledicendo valeas. Unica tantum epistola victus, do manus, arena cedo, in *Angliam* usque profugio: hic certe me à tuis conviciis tutum fore confido. Nam si me persequi voles, alter tibi adeundus erit orbis: & pigritiam probe novi tuam, qui tametsi mediis in fluctibus es natus, nihil tamen pejus odisti fluctibus. Quod si huc quoque tuæ conviciatrices epistolæ penetrabunt, audio in ultima *Britannia Orchadas* esse insulas; in has aufugiam, etiamsi quid est *Orchadibus* remotius, vel ad *Antipodas* usque. I nunc, & de glorioſa victoria magnificum triumphum agito. Bene vale. *Parisiis*, Anno 1497.

## EPISTOLA XXIII.

*Erasmus Evangelistæ* S. D.

VERBUM illud, *accensos*, quod nos offendebat, apud *Vegetium* reperi: cujus hæc sunt verba: *Ad obsequia tamen judicum vel tribunorum, necnon etiam principalium, deputabantur milites, qui vocabantur accensi; hoc est, postea additi, quam fuisset electio completa, quos supernumerarios vocant:* Hæc ille. Manifestissimum igitur est, *accensos* ab *accensendo* dictos; hoc enim communicatum volui. Vale. An. 1497.



Digitized by Google

## EPISTOLA XXIV.

*Eraſmus Nicolao à Burgundia Præpoſito* S. D.

An. 1498. SIC te amo, ut meo erga te ſtudio nulla epiſtola non ſit futura breviſſima: ita ſum occupatus, ut negociis meis nulla quamlibet brevis non ſit longiſſima futura. Veteres illi poetas, & homines eloquentes allegorice *cygnos* appellabant: neque id, opinor, temere: nam ut hi plumis, ita illi pectore candidiſſimi: utrique *Phœbo* ſacri: utrique limpidis amnibus, & pratis irriguis impenſe gaudent: utrique canori; ſed hodie maxime noſtrate cœlo obmutuiſſe videmus utroſque, ac ne morte quidem vicina fieri vocales. In cauſa eſt, uti conjicio, quod auctores ſunt Phyſici, olorem non niſi ſpirante *Favonio* canere: & miramur nunc omnes mutos eſſe cygnos, cum tot ſpirent Boreæ, tot Auſtri, nulli Zephyri? Nam mihi quidem *Britannicus* ille Aquilo, una cum nummis ita vocem ademit, ut non lupus æque poſſit, qui te prior viderit. At non flant Zephyri, niſi vere ineunte: quare humaniſſime Præpoſite, ſi tu dominæ *Verienſi*, patronæ meæ, ver fueris, illaque mihi *Favonium* adſpiraverit, ego viciſſim utriuſque cygnus fuero, ita canorus, ut ipſa etiam exaudiat poſteritas. Nihil habeo neceſſe ænigma evolvere, nimirum *Oedipo* ſcribens, non *Davo*. Tantum alterum illum *Battum*, quem mihi pollicitus es, apud dominam pauliſper expedi. Bene vale. Datum *Lutetiæ*, 26. Jan. Anno 1498.

## EPISTOLA XXV.

*Eraſmus Rot. Antonio Lutzenburgo ſuo* S. D.

ET ſi mihi tecum perpaucorum dierum conſuetudo interceſſit, *Antoni* humaniſſime, tamen neſcio quomodo fatali quodam amore erga te ducor: mihi crede, non aliter quam à magnete ferrum trahitur, adeoque incredibili tui amore flagro, ut *Battum* ipſum quam te non æquem effuſius, quem tamen meipſo etiam plus diligo. Neque vero dubito, mi *Antoni*, quin mutuo id faciam: ita benignam tuam indolem & animum ad complectendos amicos propenſum, quum iſthic agerem, multis modis perſpexi. De ſtatu noſtro ſi cupis cognoſcere, *Aurelia* relicta in veterem noſtram *Lutetiam* remigravimus, peſte videlicet, quæ nos fugaverat, exſtincta. De *Diſma* malui ad te quam ad Abbatem ſcribere: tum ne librum illi, non epiſtolam miſiſſe viderer: tum ut hac in re tua quoque auctoritas, qua vales apud Abbatem plurimum, adoleſcentis optimi ſaluti ſuffragaretur: nam, mihi crede, *Antoni*, ſi quid omnino credis, non ſcribam nugas, ſed quæ magnopere ad *Diſma* ſalutem pertinere compertiſſimum habeam: itaque quoniam res Abbatis curæ tibi eſſe ſcio, negotium hoc attentiſſimis auribus accipies, & adjutabis diligenter. Principio quidem de *Diſma* genio illud teſtandum mihi puto, non quidem ad gratiam, ſed quod re ipſa ſic reperi, nihil adhuc in vita vidiſſe me illius indole generoſius, amabilius, felicius: vere juxta ſapientis verbum, animam ille ſortitus eſt bonam, ut natura illum maximis rebus finxiſſe videatur. Plurimum ingenio pollet, mira diſcendi celeritas, memoria fidelis, mores verecundi, modeſti, ſuaves. Miratur bonas literas, cumque his verſari gaudet, unde ſemper abeat doctior: nihil habet in quotidiano convictu durum ac moleſtum. Nos itaque (coluit enim noſtram familiam) ejus frequentia ſumus majorem in modum delectati: nec fere quiſquam *Aurelia* fuit, de quo præcipuam aliquam ſpem conceperim, præter hunc unum: quem quoniam natura ad res maximas dotibus omnibus inſtruxiſſe videtur, veſtræ partes eſſe videntur, curare ne tam egregium ingenium, & tam bene natum, contagione vitiorum, aut etiam deſidia, ad vulgarem indolem degeneret. Neque enim parum periculi video, propterea quod vivit adoleſcens in tutela quadam, ut vocant, nimis profecto tutelariter, victu parum mundo, ſupellectile ſordida, neglectus, incuratus, inter nebulones, neſcio quos, ocioſos, male moratos, incompoſitos, qui nihil pejus oderunt quam bonas literas, jurisconſultiſſimos, graſſatores nocturnos, potores diurnos: unde præter nequitiam nihil poſſit diſcere. Et *Diſmas* quidem jam (uti ſcis) lubricum ephebiæ ingreditur. Neque ignoras quam facile iſta ætas, quamvis bona, trahatur ad vitium. *Aſſricat* enim, ut inquit *Seneca*, *morum ſuorum ſcabiem convictor corruptus*: &, ut ſcripſit ſapiens quidam *Hebræus*, *Non poteſt non inquinari, qui picem contrectaverit*. Neque ego de alienis moribus hæc ſcripturus eram, niſi res adeo palam eſſet, ut nemini poſſit dubia videri. Habes igitur periculum, nunc quomodo ſuccurrendum, accipe. Eſt *Aurelia Jacobus Tutor Antuerpienſis*, apud quem tres menſes, quos illic egi, ſum diverſatus: vir (ita me Deus amet) integritate incredibili, eruditione minime vulgari, ſtudio flagrantiſſimo, juris Pontificii jampridem licentiatus, ſic enim appellant: hunc ipſe officialis, homo ſcilicet vita laudatiſſima, perinde atque fratrem complectitur, & cum eo optimus quiſque: is *Diſmam* partim propter veterem conſuetudinem, quam cum eo *Lovanii* habuit, non ſecus atque filium amat, & amatur ab illo ut parens. Cum hoc ego *Diſmam* conjungendum cenſeo, idque quam primum: ne ſi diutius iſta ætate in tutela hæreat, ad deteriora deflectatur. Alit hic *Jacobus* noſter domi ſuæ aliquot adoleſcentes generoſos: atque in primis duos fratres *Bredanos*, cognominatos de *Naſſauven*, moribus optimis, & tanta concordia, quantam antehac inter fratres non viderim. Eorum alter ſacerdotium habet eccleſiæ *Bredanæ*. Inter hos ſi vixerit, nihil audiet, nihil videbit indignum ſe, & habebit *Jacobum* vitæ moderatorem: qui, cum ſtudioſiſſimus ſit, gaudebit ſibi contigiſſe, cui ſuam doctrinam libenter communicet. Habebit *Diſmas*, quicum perinde vivat, ac ſi cum parente viveret: cujus exemplo, atque familiari hortamine, ad honeſtiſſimas res incitetur. Hæc ut ſcriberem, mi *Antoni*, partim ipſius adoleſcentis ingenium commovit, partim cum iſti generi omnia deberem, non putavi hoc poſſe me ſine ſummo ſcelere prætermittere: alioquin hac in re mihi neque feritur neque metitur. Vale, *Antoni* chariſſime, noſque humaniſſimo patrono tuo quam commendatiſſimos facito. Dictavi hanc ad te epiſtolam, non ſcripſi: tum quod ſtomacho parcerem, tum quod eſſem jam ſcribendis literis defatigatus. *Lutetiæ*, 27. Jan. Anno 1498.

An. 1498.

## EPISTOLA XXVI.

*Eraſmus Chriſtiano, Mercatori Lubecenſi*, S. D.

EXSPECTABAS tu quidem fortaſſe copioſam epiſtolam per fratrem tuum, ſed erras vehementer. Siquidem optimis legatis literas committere ſolemus, aut nullas, aut quam breviſſimas. Ceſſator, nugator. Vah quibus te accepiſſem modis, niſi dolor animum ademiſſet? Jam tibi deſtinaram epiſtolam, ut dignus es, mille convitiis refertam. Addis ſceleri ſcelus, non modo non ſcribis, ſed inſuper *Henricum*, unicas vitæ meæ delicias, tuis phaleratis dictis & ſcriptis à me diſtrahis. Quid dixi à me? imo à Muſis. Invides illi, credo, quod tu jam *Mercurium* & *Janum* pro *Apolline*, novemque ſororibus, colere cœpiſti. Quod niſi ſolatium meum quam primum remittes, væ tibi carnifex. Jam apud me ſunt limata ſpicula, tela inſtructa: invectiva iſtuc mittetur, omni aceto acrior. Tum tibi nihil reliquum putato, niſi ut aliquam ſuſpendio trabem eligas. Heus, tibi dico, an non? ut huc *Henricum*, non minus meum quam tuum, quam primum abſolvas, neu tuis nugis *Mercurialibus* diutius remoreris: id niſi facis, bellum tibi jam nunc denuncio. Nihil eſt quod feciales, aut patrem patratum exſpectes, dixi. Cæterum quanquam omnino dignus es illo mitti, ubi lapis lapidem terit: ubi nequam

Digitized by Google

An. 1498. quam homines. polentam pinsitant: ubi vivos homines mortui incursant boves, tamen salvum te esse cupio, si resipiscas. Quod si perstiteris in tuo silentio, scin' quibus ego te vocabulis exornatum reddam? nebulonem appellabo, carnificem, furciferum, ganeonem, scelus, sacrilegum, monstrum, somnium, stercus, stercquilinium, pestem, perniciem, dedecus, sycophantam, nepotem, custodem carceris, imo carcerem ipsum, gymnasium flagri, delicias virgarum, & si quid his contumeliosius excogitare potero; his, inquam, appellationibus te denobilitabo. Cogeris rescribere, vel iratus. Hac pagella lusum est satis, alteram seriis dabimus. Sed quae seria tecum, hoc est cum homine tam ridiculo, poterunt agi? Nulla, opinor. Typographi tua opera vehementer exspectant. Nam es tu quidem perdoctus, nec rideo tamen. Epistolae tuae jam excuduntur: *Augustinus* interpretationem parat: *Faustus* eandem ambit provinciam, & *Augustino* palam invidet. Auditum est, te istic jampridem excudere, verum liberos credo, non libros, quos quam optimos tibi generes oportet, ut tui quam simillimos fingas. Nihil enim te nequius. Quid tibi hoc dictum placet? satis ne salsum est, satin' habet aceti? At mel hoc dices, faxo, si cætera deprompsero. Verum ea servo justo bello: tu me time & cave. Jam seriarum rerum satis, rursum ad jocos redeamus. Ut te, mi *Christiane*, quam plurimum amem, fraterni mores me cogunt, non modo tui: quibus ego nihil adhuc in vita vidi vel integrius, vel candidius. Tuam praesentiam frustra optavimus. Saepe aliquid molimur, quo te donemus: sed nostra fata ex *Henrico* cognosces, cui in caeteris fideli, cave in meis laudibus credas. Mentietur enim de me suo more permulta, amoris magnitudine potius quam judicio. *Rodolpho Langio* scripsi. Tu & me, & meam epistolam tua commendatione adjuvabis. Sed longior exit epistola, quam volebam. Facundum habeo tabellarium, ei cætera narranda relinquo. Tu nos ama, valeque. *Parisiis*, 13. Febr. Anno 1498.

## EPISTOLA XXVII.

*Erasmus Rot. Antonio Lutzenburgo* S. D.

ANTEA, mi jucundissime *Antoni*, te tantum ut hominem humanissimum, & optime de me meritum amabam: nunc etiam ut literatum amplector, id quod ego nunc demum tuis è literis cognovi. Cave me putes assentari, majorem in modum delectavit stilus ille simplex & naturalis: verba non adscita, sed una cum ipsis sententiis cohaerentia: sensus sani ac solidi, nihil neque in verbis, neque in sententiis aut portentosum, aut distortum, aut coactum, aut imminutum denique, aut redundans. De *Disma* sic habe, exstat & apud *Varronem* & apud *Gellium* pervetustum adagium hujusmodi, *Malum consilium consultori pessimum*: at ego confido hoc optimo consilio nos omnes gavisuros; in primis humanissimum Abbatem patronum, si pateris, mihi tecum communem, qui charissimo adolescenti pulcherrime consuluit: me, qui bene monuerim; te, qui fidelem & amicam navaris operam; *Dismam* ipsum, qui jam nunc mihi gratias agit maximas; denique & *Tutorem*, qui tandem nactus est, cui libenter literas suas communicet, & apud quem industriam suam bene collocet. Est is, mihi crede, unus omnium, quos adspicit sol, integerrimus vir, & candidissimus. Purgabis me Abbati, quod tam incomposite scripserim. *Battum* excita ut *Battus* sit, nunquam enim fuerit opportunius. Bene vale, mi *Antoni*. *Parisiis*, 16. Martii, Anno 1498.

## EPISTOLA XXVIII.

*Erasmus Rot. Ratto suo* S. D.

DE morbo tuo spero equidem φιλόλογον esse, me tuo tamen nonnihil, ut sunt res mortalium. Nostra causa nihil est quod te angas, anime mi, nostra charitas ut non cepit à commodis initium, ita his sublatis non evanescet: quod autem fors fert citra nostram culpam, id aequo atque adeo magno animo ferendum. Utinam valetudo tantum nobis prospera contingat à superis, cætera ipsi perrumpemus, sed ea, mi *Batte*, jam nunc vacillat admodum. Illa, quae se negavit olim mihi foeminam fore, cur nunc etiam plus sit quam foemina, vehementer admiror: sed durum telum necessitas, quare mussitanda res, & tempori serviendum. De *D. P.* semper mihi male praesagiit animus, sed haec ab exitu spectabuntur. Desino jam, mi *Batte*, de mea fortuna queri, quando sperare desii: hoc unum pudet, rem tam late manasse, non sine multorum (ut opinor) invidia. Tu, mi anime, facito te confirmes, tibique quam primum consulas. Vides enim rerum aulicarum qui sint aestus. Annotationes scripsi in *Officia Ciceronis*: hae propediem excudentur. Dicaturus eram *Adolpho*, sed nihil video causae. *Ludovico* meis verbis dices, gratissimum mihi facturum, si quae sunt apud te epistolae, diligenter perscripserit. Vale, optime ac suavissime mi *Batte*. *Parisiis*, 5. April. An. 1498. An. 1498.

## EPISTOLA XXIX.

*Erasmus Jacobo Batto.*

SALVTEM tibi precor, mi *Batte*, quam ipse desidero. Ex quo *Parisios* redii, tenera omnino & delicata valetudine fuimus: tantos enim hyberni itineris labores, quos terra marique obivimus, non cura sed assidua lucubratio excepit, ut laborem non posuerimus, sed mutaverimus. Accessit hoc tempus tum per se difficile, tum meae valetudini mirum in modum inimicum. Memini enim posteaquam in *Galliam* sum profectus, nullam adhuc praeteriisse quadragesimam, quae mihi morbum non attulerit. Nuper autem mutato domicilio, ita sum ea novitate offensus, ut nocturnae illius febris, quae nos ante biennium Orco fere demiserat, manifesta vestigia senserim: nos contra omni cura, medicorumque opibus pugnamus, vixque effugimus. Dubia enim adhuc plane valetudine sumus. Quod si denuo ea febris me arripuerit, actum de tuo, mi *Batte*, fuerit *Erasmo*. Non pessima tamen in spe sumus, diva *Genovefa* freti, cujus praesentem opem jam semel atque iterum sumus experti: maxime medicum nacti *Guilielmum Copum* non modo peritissimum, verumetiam amicum, fidum, & Musarum, quod rarissimum est, cultorem: ejus extemporalem epistolam ad te misi. De sarcina quod meam diligentiam requiris, ego vicissim tuam memoriam desidero. Praesentes enim tibi exposuimus, eam à nobis non nautae, sed *Arnoldo Eduardo* Jurisconsulto, commissam, qui nautae, qui primus idoneus occurrisset, traderet pervehendam. Ejus nomen nemo toto *Londino* non novit: habitat in aedibus paternis *Eduardi* mercatoris super pontem *Londinensem*. Nihil refert utrum ad hunc mittas, an ad *Thomam Morum*; is agit in Collegio *Lincolnienſi*. Miror hunc *Arnoldum* tibi esse ignotum, cum literas meas, ad illum scriptas, ad te dederim per facundum illum tabellarium, per quem *Laurentium* miseram. Ei negotium dederam, ut de latrone illo nostro sciscitaretur, nec ille mihi quicquam renunciat, nec tu mihi scribis. Cupio enim eum furciferum non quidem ad crucem adigere, sed tamen ex urbe deterritum ejicere. *Laurentii* reliquos libros, quos petis, *Augustinus* tibi esse affirmat: non quod ille gravetur mittere, verum inspice quid tibi desit, id continuo mittetur. Quod reliqua, quae petis, tibi non mittam, mi *Jacobe*, quaeso, mihi ignoscas. Utinam ita res haberet, ut hic meum officium jure possis requirere. Justiorem quam vellem causam habeo. Primum, quorsum tantopere ad rem attinet, me longas epistolas scribere, cum tu sis ipse praesens, & viva, ut ajunt, voce rem acturus? Quid ego vel elucubratissimis literis possim, quod tu sermone non longe melius possis?



Digitized by Google

An. 1498. Tum si maxime ad rem pertineret, non ausim omnino valetudinem interdicto scribendi labore vexare. Expertus novi quanto facilius morbus declinatur, quam admissus ejicitur, quem ego jam nimium notis argumentis adrepentem sentio. Et opus *Adagiorum*, quantum possum, paro, statim post Pascha, ut spero, evulgandum: opus, inquam, neque breve & infiniti laboris. Collegimus enim fere *Proverbia* octingenta, partim *Græca*, partim *Latina*: id si videbitur, tuo *Adelpho* nuncupabimus. Quod ad dominam properas, gaudeo, præsertim vocatus: neque dubito, quin mea causa partim te vocaverit: rem enim omnem illi male *Gallice* perscripsimus. Sustinebimus igitur nos adhuc mensem ære alieno, donec abs te boni quippiam adferatur: alioquin ipsi istuc rediissemus. Indue, quæso, mi *Batte*, veterem illum animum tuum: scio te nihil non perfecturum, si modo annitaris: sed unum hoc mihi in te displicet, quod posteaquam ex *Anglia* tibi semel fictitiam epistolam scripsimus, tu omnia à nobis fingi putas. Quanquam in ea epistola, quam tu ficte scriptam arbitraris, moriar, si quicquam finxi. Quare abjice istam de nobis opinionem, & cave quicquam credas, à nobis, apud te præsertim, non vere, non ex animo scribi. Est mihi in animo, hoc absoluto opere ad dialogum absolvendum toto conatu accingi, totamque hanc æstatem componendis libris dare. In autumno, si licebit, *Italiam* petemus, Doctoris insigne paraturi: tu, quæso, mea spes, fac ut sit libertas, ut sit ocium. Ad *Græcas* literas totum animum applicui: statimque ut pecuniam accepero, *Græcos* primum Auctores, deinde vestes emam. De *Adriano*, aut alio quovis in *Angliam* mittendo, fac sententiam tuam cognoscam. Mihi quidem multis nominibus non prætereundum videtur. Qod simulatque significaris, exemplar scriptum una cum literis ad te mittemus. *Gelrium* illum epigrammatum scriptorem comprehendendum ego & in vincula conjiciendum censeo: est enim haud dubie scurra perfricta facie, & qui nullum scelus non audeat. Vale, mi *Batte*, & *Erasmum* tuum serva: ubi valetudinem sarserimus, nihil à nobis præteribitur. *Parisiis*, 12. Aprilis, An. 1498.

## Epistola XXX.

*Erasmus Jacobo Tutori suo* S. D.

Sic est animatus Abbas, ut *Dismam* & *Antonium* à sermone nostrate omnino procul abesse velit. Sic habent res tuæ, ut nolis sine nostratibus vivere. Quare *Antonio Lutzenburgo*, qui toto pectore tibi bene cupit, meque auctoribus, jubet eos in *Jacobi Danielis* familiam remigrare. Tu tamen, mi *Jacobe*, tuo more uteris, dabisque operam, ut adolescentes quam optime, & quam maxime ex Abbatis sententia, quæ te non fugit, collocentur. Idem *Augustinum* facturum confido. Utrique gratum facietis ornatissimo humanissimoque Præsuli. De meis fatis scripsi *Augustino* per *Cornelium* tabellionem. Posteaquam *Battus* periit, quis dubitat & *Erasmum* periisse? Præterea autem cæteræ res sic habent, ut pejus non possint. In una virtute spes omnis salutis reliqua. Vale cum *Augustino* nostro, quem audio tecum victurum. E divi *Audomari*, 2. Julii, Anno 1498.

## Epistola XXXI.

*Erasmus Rot. Batto suo* S. D.

Non me clam est, optime *Batte*, quam tibi præter exspectationem eveniat, quod non continuo advolarim, præsertim cum res felicius etiam ceciderit, quam utervis nostrum optare fuisset ausus. Verum ubi consilium meum cognoris, mirari desines: intelligesque me non minus tibi, quam mihi ipsi consuluisse. Dici vix potest, quantum voluptatis tua mihi epistola attulerit. Jam nunc felicissimi illius convictus nostri simulacrum fingo: qua libertate una nugabimur? quibus modis cum Musis nostris victitabimus? Jam gestio ex hac odiosa servitute evolare. Cur igitur cunctaris? inquis. Non temere factum intelliges. Nuncium non tam repente adfuturum exspectaveram. Debetur mihi hic aliquanta pecuniola. Sed quid mihi non maximum videri debet? Sunt aliquot conditiones cum quibusdam imperfectæ, quas sine detrimento non poteram relinquere. Cum comite mensis jam cœptus est. Cubiculi locationem persolvi. Cum *Augustino* nonnihil mihi rei est. Pueri mei libri nescio quo aberraverunt: ejus nomine neque literas, neque pecunias ullas accepi, rationes nonnihil habent controversiæ. Hæc omnia, mi *Batte*, sine dispendio vides me non posse relinquere. Quod si rebus imperfectis hinc migrassem, nihil mihi exspectandum videbam, nisi ut illa perirent. Nosti illud *Terentianum*, *Ubi eras? cur passus?* Hæc quidem mihi non negligenda fuisse vides, illud vero multo maxime me movit, quod si subito me hinc rapuissem, perissent ea, quæ *De conscribendis epistolis* composui, propterea quod penes unum *Augustinum* sit copia. Ne *Laurentium* quidem sperandus erat, neque quicquam scriptorum meorum. Nihil enim minus sperandum, quam uti ille tibi sua mittat, dum ego absum, cujus unius nomine facturus est, si quid faciet. Vix summa ope nisus, ab eo extorsi, ut *Laurentii* partem tibi mitteret, & ea quidem lege, ut tu vicissim huc aliquid nostrarum literarum remittas. Æquum ille postulat. Manus enim manum fricat. Da aliquid, & aliquid accipe. Quibus rebus adductus hoc cepi mecum consilium, ut hic me adhuc mensem contineam, donec æs alienum recepero, conditiones absolvero, mea scripta recuperavero: hoc consilium si probas, me non pœnitebit; sin minus, facies me quamprimum certiorem: ex tua sententia faciam omnia. Audies ex hoc tabellario novam Tragœdiam. Is ubi ad me divertisset, equo in pandocheio relicto, seque in sella pecuniolam abdidisse diceret; Jussi in diversorium recurreret, pecuniamque eximeret; Ivit, ubi redit crepusculo, adoriuntur eum satellites, trudunt, proculcant, vulnerant, in carcerem ducunt, pecuniam eripiunt. Primum suspicabar, nactum quibuscum potitaret. Ubi postridie non revertitur ad multum etiam diei, me nescio quid ejusmodi divinante, commodum ille redit, lutatus, cruentatus, & miseris tractatus modis. Nos recta ad Advocatum, inde ad urbis Præfectum, nova prorsus illic avis. Malim quamvis cloacam, quam illud antrum subire. Ipse apud Judicem expostulo, ille profert ensem in medio fractum. Id satellites detulerant factum, dum ille nescio cui brachium amputaret in via, atque in eo facinore comprehensum. Aderant nobis testes, qui docerent illum gladio fracto urbem fuisse ingressum. Nam id acciderat, non ab asino, sed ab equo delapso asino. Judex respondit se jus dicturum, ubi sceleris auctores produxissemus. At illi, nam aderant suo judici, simul atque nos viderent ingredi, subduxerant sese. Id *Adrianus* admonuit, sed illis jam egressis. Ita causam reliquimus. Poteram jam hoc omine terreri. Eum apud me retinere cupiebam, quod vulneratus esset, sed te quamprimum de nostro consilio certiorem fieri volui, & tuam sententiam quam celerrime cognoscere. Præterea tot occupationibus premebar, ut vix somno tempus suppeteret. Ei octodecim duodenarios ad augendum viaticum dedi. Ajebat enim se non plus triginta abs te accepisse, & quod erat, à satellitibus ereptum est. Præterea juveni cuidam scutatum mutavi aureum, quod tabellarius aurum ejus auro in itinere mutasset. Cura ut cum rursus illi pecuniæ mittentur, mittentur autem ut audio brevi, justa moneta mihi reddatur, ego illis nostratem restituam, ut isthuc referant. Non es admonendus, mi *Batte*; novi enim & fidem & diligentiam tuam, ut & emolumento & dignitati meæ consulas. Terret me nonnihil aulæ natura, & fortunas meas agnosco, quam sint malignæ. Dominam isto in me animo esse plurimum gaudeo. Sed quo animo erat antistes? quam spem

Digitized by Google

An. 1498. ſpem oſtendebat? quid nunc frigidius? Malim ego certam aliquam ſtipem in literis tuis, quam ampliſſimam nominatam. Non tibi objiciam *Virgilianum* illud,

—— *Varium & mutabile ſemper,*
*Fœmina.* ——

Ego enim iſtam non inter mulierculas, ſed viragines numero. Sed quotuſquiſque iſthic literas noſtras miratur? Tum quis etiam omnem eruditionem non habet inviſam? In te quidem ſumma fortunarum mearum ſita eſt. Sed ſi (quod omen magnus avertat *Jupiter*) res ſecus ceciderit, quam uterque volumus, tu cum ære tenearis alieno, præterea tuo quodam etiam fato ſis hac in parte infelicior, quid amiculo ſuccurrere poſſis? Non tibi concedam, ut tu magis noſtri, quam ego tui deſiderio flagres. Sed etiam atque etiam videndum cenſeo, ne nimium hoc caleat modo. Hæc ſcribo non quod vel ſententiam mutaverim, aut animo vacillem, ſed ut tuam vigilantiam excitem: res enim communis agitur. Quod niſi optime de tua tum fide, tum prudentia, tum etiam diligentia exiſtimarem, ita ut tibi mandata provincia, mihi in utramvis aurem dormire licere putarem, jam hoc rerum principio, tanquam omine parum fauſto, terreri potuiſſem. Mittitur equus mercenarius obolo emptus, tum viaticum non contractum modo, verum pene nullum. Si principia frigent, mi *Jacobe*, fervebunt ſcilicet extrema? Quando erit tibi honeſtior & juſtior petendi meo nomine occaſio, quam nunc cum ſum adſciſcendus, & ex hac urbe, ab his conditionibus? Ego tantula ſummula ne pedes quidem venire poteram: quid duobus comitatus & eques? Quod ſi res dominæ pecunia miniſtratur, ut opinor, principium non placet: ſin tua, multo etiam minus delectat, quod geritur non ſolum iniqua, verumetiam aliena pecunia. Quid alienius à tali viro, qualem tu me iſthic deſcripſiſti, quam ſtatim ad primum nutum advolare, præſertim talibus conditionibus? Quis non me aut levem, aut ſtultum, aut certe miſerrimum judicet? quis non contemnendum putet? Niſi te effuſiſſime amarem, mi *Batte*, & ita ut quævis etiam incommoda tui convictus felicitate compenſem, hæc me ab inſtituto conſilio poterant avocare: ſed nihil etiam movent. Te modo admoneo, ut dignitati noſtræ diligenter conſulas. Quid igitur cenſes? inquis. Dicam, nos hic omnia ſtudioſe apparabimus, ſcripta noſtra colligemus: negotia abſolvemus. Vos interim iſthic quod mittemus tranſcribetis. Per puerum, quem propediem huc profecturum ſtudii cauſa accipio, de omni ſententia perſcribes accurate: deinde ubi tranſcripſeris *Laurentium*, poſt tres hebdomadas, ſi videbitur, per hunc ipſum puerum remittes, *Adrianum* loquor, qui & *Laurentium* referat, & viaticum adferat & literas certiſſimas, viaticum, inquam, me dignum. Meo enim ſumptu venire nec poſſum, utpote nudus: nec par eſt, quippe hic ſatis amplas conditiones relinquam. Præterea equum meliorem (ſi fieri poſſit) mittas velim. Non peto magnificum bucephalum, ſed cui non pudeat virum inſidere: & ſcis mihi duobus equis opus eſſe, nam puerum omnino adducere ſtatui. Hunc igitur alterum puero deſtinavi. Hæc tu dominæ facile perſuadebis. Cauſam habes optimam, & facundiam tuam novi, qua ſoles etiam ex peſſimis cauſis optimas facere. Quod ſi facere gravabitur: quî, quæſo, ſtipem dabit, quæ viaticum negat? Habes cauſas cur neceſſario noſtram conjunctionem diſtulerim, quam in capite epiſtolæ aperui, eam ſcio tu probabis. Habes quibus rebus meæ dignitati poſſis conſulere. Nunc reliquum eſt, ut rem, quantum potes, matures. Ego hic haud dormiam, tu iſthic vigila. *Joannes Falco* millies te reſalutat, *Auguſtinus* bene precatur. Omnes te amamus. Dominæ quæ meo ſis nomine dicturus, non es admonendus. Bene vale, mi *Batte*. Vide etiam atque etiam te virum præbeas: nam comitem jam abſolvi, multa rogantem ac pollicentem, quo commodius omnia mea colligerem Plumbus te, mi *Batte*, monerem, niſi tuæ fidei plane



confiderem. *Petrum Franciſcum* medicum tuoſque pueros generoſiſſimos nominatim meo nomine ſalutabis. An. 1498. Bene vale, ac vigila. *Pariſiis*, 29. Novembris, An. 1498.

## EPISTOLA XXXII.

*Henricus Chriſtiano fratri* S. D.
Eraſmus auctor eſt epiſtolæ.

QUID hic agatur, ſcire cupis, ſuaviſſime *Chriſtiane*? Somniamus. Quidnam, inquis? Id quod amamus, literas, quibus nobis nihil eſt in vita dulcius, ac ſecundum eas *Chriſtianum* dilectam animæ noſtræ partem. An tu te à nobis abeſſe credis? nihil minus. Nulla dies ſine te, nox mihi nulla fluit. Soli ſumus, *Chriſtianum* cogitamus, cum amicis de te garrimus, & quidem perlibenter. Dormimus, te ſomniamus, nullum hic prandium, nulla cœna ſine te agitur. Convivaris nobiſcum, ſtudes nobiſcum, dormis nobiſcum. Quid quæris? En, *Chriſtiane* frater, hac vita non paulo mihi jucundior: quantum camporum, quantum montium, quantum urbium, quantum fluminum, me teque dirimit? At corpora diſtrahi poſſunt, animi divelli nullo pacto poſſunt: ita ut ſomnus, qui conjunctos interdum conſuevit disjungere, nos disjunctos copulet: ſive hoc re ipſa fieri credendum eſt, ut corporibus, ſomno inerti occupatis, animi interim furtim tanquam è vinculis evolare gaudeant, immenſoque ſpacio perniciter exacto ſuos amores inviſant: ſive mens humana, quoniam ignea eſt, miræque agilitatis, ſimul atque omnia corporis organa ſomnolenti illi vapores occupaverint, illa interim ocii impatiens, craſſis illis nebulis obluctatur, & vel ipſa ſibi fixas illic imagines renovat, vel ex diverſis vaporum diſcurſibus diverſas ſibi rerum facies depingit: ſive ut Poetæ narrant, Rex quidam placidiſſimus, ac Deus humani generis amantiſſimus, quem *ſomnum* vocant, ubi artus, ſenſuſque mortalium diutinis operis fatigatos adſperſit ſucco lethæo, ſuique oblitos, dulci quiete reficit: *Morpheum* quendam fingendarum formarum mirificum artificem in terras emittit, qui leni volatu, nunc in hujus, nunc illius cubiculum illapſus, notas unicuique imagines repræſentat: ſive ex ulmo illa ingenti hujuſmodi viſa, geminis portis ad nos evolant. Quod ſi non omnia mentiuntur Poetæ, cornea porta veniſſe non dubitem, quod nuper mihi accidit, ſomnium, longe omnium jucundiſſimum, quod me quidem ordine narrare non pigebit, modo tibi audire non ſit moleſtum. Calendis Auguſti, qui quidem mihi dies omnium multo candidiſſimus effulſit, cum hilare, ſuaviter, prorſuſque laute cœnaviſſemus. Quinam & quot rogabis? Tres animæ, quibus nihil unquam terra tulit ſanctius, candidiuſque, *Eraſmus* nunc plane noſter, *Auguſtinus* communis quidem omnium amicus, tum tibi peculiariter deditus, ego tertius, tu non omnino aberas. Belliſſimi prorſus homunculi, tum tempus aptum, locus lectus, apparatus non neglectus. Quoties ibi ſalutatus *Chriſtianus*? quoties nominatus? quoties deſideratus? Num quem dextræ auris tinnitum ſenſiſti, *Chriſtiane*? Poſt menſas ſecundas prodeambulatum eſt, & quidem illic ubi ſe ſemel atque iterum tecum ſpaciatum, narrabat *Eraſmus*, cum mellitis ſermonibus ebrii inter vineta reptantes oberraretis, tum quum te facundis illis ſuis hortatibus à ſordidiſſimis curis avocaret, totumque in literarum amorem raperet. Agnoſcis ne locum, *Chriſtiane*? Ibi nos *Eraſmus* literatis fabulis multo quidem lautius pavit, quam cœna. Adeo multa repetebat antiqua, tanto orationis lepore, ut me quidem cœleſti quadam voluptate afflaverit. Domum reverſi, in multam noctem de te ſermonem traximus. Itum eſt vix demum dormitum, me quidem partim ex cœna & potatiuncula largiore, partim ex deambulandi labore (nam pigritiam meam ſatis noſti) ſomnus altior oppreſſit. Ibi vero, quod ait *Claudianus*, *Omnia quæ ſenſu volvuntur diurno, Pectore ſopito reddidit amica quies.* Jam iiſdem in vinetis deambulabam, omne ſpacium remetiens, ſed ſolus, omnia re-

Digitized by Google

An. 1498. veris ſimillima. Subibat animum de te multa cogitatio: deſiderabam veterem illam conſuetudinem noſtram. Veniebat in mentem tuus ille animus plus quam fraternus. Jam ſollicitus eram quid ageres, quid valeres, ſatin' ſalvæ res: quod compluſculis menſibus nihil à te nunciaretur. Et ecce de improviſo fis obvius, tanquam ocioſe deambulans, vultu quidem nitido, & cute bene curata. Jam hoc primum fauſtæ tuæ valetudinis omen accipio, mi *Chriſtiane*. Ita te totum *Morpheus* ille effinxerat, ut ne tu quidem ipſe tui tam ſis ſimilis, quam imago illa. Ac me quidem conſpecto, familiarius tuo quodam more viſus es ſubridere: Alterum id mihi eſt omen, te recte valere. Deinde geſtientes accurrimus utrique, conſalutamus. Ibi ego fuſis præ gaudio lacrymis: Tene, inquam, teneo mea voluptas, mi frater animo maxime deſiderate meo? Quid fit? quis te nobis vel Deus, vel caſus obtulit? vigilans ne te video, an imagine fallaci deludor? Tum tu: Ego quidem, ô animæ dimidium meæ, cætera perbelle valui: ſed quod jucundiſſimo tuo convictu carerem, plus quam dimidiatus mihi vivere videbar, meliore animæ meæ portione diſtracta. At ego, neutiquam tibi concedam, inquam, ut tu mei, quam ego tui deſiderium tulerim, impatientius tuleris. Sed age, doce, quidnam repente accidit, quod tam immenſum iter remenſus *Pariſios* repetere volueris. Nam ut plurimum à nobis deſiderabaris, ita nihil minus, quam tuum conſpectum ſperabamus. Audies, inquiebas, neque enim me pudebit, ut res habet, fateri. Ubi ad illa *Mercurialia* mea negotia rediſſem, mirum eſt dictu, quam mihi cœperim diſplicere, tibi invidere, mihi iraſci, quod ſanctiſſimo Muſarum contubernio relicto, ad profanas illas curas revertiſſem. Mene ſic deſipuiſſe, ut ullum lucrum tanti habuerim, cui ſanctiſſima ſtudia poſthaberem? Tum quidem mellita illa *Eraſmi* oratio animo obverſabatur, qua me his ipſis in vineis tanquam in alium hominem transformabat, multa in hujus quæſtus ſordes & incommoda diſſerens, quum bonas literas ita cum omni genere rerum conferebat, ut cum nullis omnino conferendas oſtenderet: ſolas illas eſſe proprias hominis opes; neque dari à fortuna, neque eripi poſſe; uſu augeri, non minui; meliores fieri, non deteri, non ſeneſcere cum forma & viribus corporis; non contingere ignavis, ut honores; non avocare hominem à virtute, ſed inſtruere; eas ſolas tranquillare animum noſtrum, ſemper parata eſſe præſidia: demum ſine his ne homines quidem nos eſſe. Sed quid ego perſtringo quæ ille vix duabus horis peroravit? His ego inflammatus, itane fiet, inquam? *Henricus* literarum tanto melioribus mercibus ditatur, & ego profanis immerſus negotiis, bene cœpta turpiter relinquam? Quid multa? victus invidia, abrupi me, & omnibus relictis huc advolavi, ne diutius eſſem à veſtro contubernio alienus. Nunc tuæ facilitatis erit, transfugam in veſtra caſtra recipere, poſthac certum militem futurum. Tum ego nimio miratus opere, per Deum immortalem, inquam, quid narras? Itane invidia tua te nobis reſtituit, imo te tibi? O fauſtam felicemque invidiam! Verum ſi nunc te quam ſis fortunatus doceam, credo tibiipſi incipies invidere. Hic tu, quin tu igitur feſtinas iſtud exponere? Quid obticuiſti? At ego vix tandem, inquam, ô mi *Chriſtiane*, *Cura leves loquuntur, ingentes ſtupent.* Quicquid eſt in cœlo ſyderum, quicquid Deorum, omnia tuum *Henricum* benigno vultu reſpiciunt. Prorſus Deorum vitam adepti ſumus, ſi modo bono hoc perpetuo liceat frui. Ibi tu magis accenſus audiendi cupiditate, gratulor, ita me Muſæ ament, frater. Verum, ut vere tibi poſſim gratulari, quæſo, rem paucis expedias. Atque ego, ſummum, inquam, bonum, ſi quod eſt in hac vita ſummum bonum, ſuperum numine mihi contigit, quod ne optare quidem unquam ſum auſus. Jam divinas, opinor, quid ego ſim aſſecutus. Quid enim vel magis ex voto, vel ex uſu potuit obtingere, quam præceptor tum eruditus, tum amicus? Habeo

A omnium tum eruditiſſimum, tum amiciſſimum, *Eraſmum*, inquam, illum diu miſere petitum: deinde habeo, poſſideoque ſolus, potior proprio, fruor aſſidue, totus toto, noctes dieſque. Quid quæris? *Heliconem* ipſum intra cubiculi mei parietes teneo. Quid eſt in Muſarum choro vivere, ſi hoc non eſt? Omnia apud nos tum ſeria, tum ludicra, otia, negotia literis condiuntur. Inter prandendum de literis garritur, cœnæ literariis condimentis lautæ ſunt. Inter deambulandum de literis nugamur, ne leviores quidem luſus noſtri à literis ſunt alieni: de literis confabulantes ſomnus opprimit: dormientium literata ſunt ſomnia, experrecti à literis diem auſpicamur. Ludere mihi vi-
B deor, non ſtudere, & tamen nunc demum ſtudere me ſentio. Verum, ne ſolitudinem noſtram contemnas, multi quotidie nobiſcum pranſitant ac cœnitant, quanquam ipſi ſatis multi ſumus, qui Gratiarum numerum repræſentemus: verum ita libet quotidie adhibere compotores varios. Quos, inquies? Ne tu iſtos cogites, qui calices exſiccant: veteres illos amicos noſtros noſti commodiſſimos, qui ſumptum non adferunt, voluptatem adducunt, de probatis auctoribus loquor. Convivium inituri, quem inquimus, potiſſimùm ad convivium invocabimus? Quid ſi adhibeatur *Macrobius*? adhibeatur, ſed bellaria ſua, non *Somnium* adferat. Aut certe vocetur *Aulus Gellius*, *Macrobio* lau-
C tior hoſpes, qui multam etiam in noctem nos ſuis candidiſſimis illis *Noctibus* detineat. Quid ſi *Apuleium* citemus Philoſophum quidem illum, ſed fronte neutiquam tetrica? Si Poetas malumus, veniat *Catullus*, aut *Martialis*: aut ſi recentiores juvat audire, vocetur *Campanus*, homo lepori jociſque natus. Accumbat *Politianus* politiſſimi vir ingenii. Tetricos illos in compotationem non adhibemus, ſed in colloquium. An quicquam tu credis vel conviviis noſtris eſſe lautius, vel convivis commodius? Nam alios quidem convivas, non ſumptu ſolum noſtro, verum etiam ſollicitudine neceſſe eſt accipere. Hi cœnam ex triſti hilarem, ex tenui opiparam, ex parum condita conditiſſimam
D efficiunt. Et tantum abeſt, ut noſtro damno veniant, ut ſumptibus aliquid etiam detrahant, lautitiis addant. Adde commoditatem, atque urbanitatem. Vocati non gravantur, juſſi venire præſto ſunt, invocati ſeſe non ingerunt, neminem mordent, nemini obtrectant, injuſſi tacent, juſſi loquuntur, ut volumus, quæ volumus, quoad volumus, quantum volumus. Nihil eorum, quæ liberius inter vina ſolent effutiri, ſub dium rapiunt; ſuos animos candide communicant, noſtra arcana ſumma cum fide continent. Quum loquuntur, nihil barbarum, nihil inſulſum, nihil ineruditum efferunt. Aliquid narrant, aut quod antiquitate delectet, aut quod novitate placeat, aut elegantiâ ſit po-
E litum, aut utilitate commendetur. Hæc tanta bona, quum mihi, ne ſperanti quidem, contigerint: quid? num tibi videor ſatis fortunatus? hic tu: Videris, inquiebas, omnino, vel ipſa fortuna fortunatior, *Henrice*. Verum quis tam propitius Deus, frater, te tanto beavit hoſpite? Longa eſt, inquam, ô *Chriſtiane*, injuria, longæ ambages. Vereor autem ut hic ſolidus ad narrandum dies ſuppetat, ſed tamen accingar rem in pauca conferre. Noſti ne ſenium quoddam nomine *N.* Tu vero vocabuli inuſitata barbarie offenſus, quum exclamaſſes, cujus dæmonis id nomen eſſet: Deſine, inquam, vox hæc tibi parum barbara videatur, ſi hominis barbariem, omni barbarie barbarioris, vel ex
F parte cognoſceres. Hic quum univerſam ætatem ſuam omni ſcelerum genere ſtrenue exercuiſſet, ita ut jam nullum neque latronem, neque impoſtorem metueret, quibus artibus ad id magiſtratus adſcenderat, ut *Pariſiis*, Regis ſui nomine, proditoris partibus fungeretur, quod huic numero nemo ſit admodum idoneus, qui non idem proditor ſit maximus, quanquam nullius facinoris ille rudis eſſet, hanc tamen laudem ſibi proprie vindicabat, ut hujus appellationis antonomaſiam quandam ſibi deberi putaret. Tum tu ſubhæſitans, Atqui, inquie-

Digitized by Google

An. 1498. quiebas, portentum iſtud, neſcio an viderim. Fortunatus, inquam, tu *Chriſtiane*, ſi non viſurus es. Nam ego quamvis Furiam, quam hoc oſtentum, malim adſpicere: ut autem pauciſſimis tibi hominis effigiem repræſentem. Quicquid unquam tetrum, horridum, monſtroſum, diſtortum, fœdum, in omnium hominum corporibus vidiſſe meminiſti, in unum ſimulacrum compinge, & habes ipſius ſenis ipſiſſimam imaginem. Neque enim aliquid habet monſtri, ſed totus ex meris monſtris conſtat: ſicut in *Pandoram* illam poeticam omnium Deorum omnia munera collata fuiſſe ferunt, ita in hunc omnium monſtrorum monſtra conflata compareant. Quem ſi adſpiceres, neque hominem, neque pecudem, ſed ipſam *Erinnym* eſſe diceres. Et ne te longius traham, is eſt ſemi-Scotus *Eraſmi* noſtri carnifex. Huic quum in mentem veniſſet vexare literas, longum narratu fuerit, quibus artibus homo fucatiſſimus ſimplicem & candidum pellexerit. Tum tu me veniam præfatus, interpellans, At quidnam, inquiebas, ſtipiti iſti veniebat in mentem, ut de literis cogitaret? Quid enim homini, qui non modo conſenuiſſet, verum etiam in omni vitiorum cœno conſenuiſſet, præterea plumbeis præcordiis, mente jam furiata, cum literis? Id prorſus, inquam, quod aſino cum lyra, graculo cum fidibus, bovi cum palæſtra, camelo cum hiſtrionica, aut paulo etiam minus. Nam proclivius ego puto, vel è ſue philoſophum facere, quam ex illo literatum hominem, qui ne figuram quidem hominis habet, mentem vero Furiarum. Sed ſtultum eſt rogare, quid homini furioſo in mentem venerit. Si quid ſenſit, nihil aliud illi in mentem veniſſe puto, niſi ut literas divexaret, & literatis hominibus, quorum ocio monſtrum invidentiſſimum invidebat, negotium faceſſeret. O miſeras, inquiebas, literas noſtras, ubi à talibus prodigiis vel nominari cœperint. Hoc tum, inquam, demum ſentires, *Chriſtiane*, ſi aſinum illum ad lyram conſpexiſſes. Sedebat homo canus, rugoſus, ſaliva in hirtam barbam defluente, per ſupercilia ſylvoſa doctorem oculis illis belluinis adſpiciens, capite tremulo, labris liventibus, dentibus rubiginoſis, ex ſpurciſſimis illis faucibus tartareum virus efflabat. Et quo magis mireris, in animo ſibi eſſe dicebat, ſacris initiari. Nonne tibi fabula videtur agi, qua vulgo cacodæmonem inducunt, qui in morbo monachum ſe fieri velle fingit? Et *Eraſmo* quidem noſtro canis ſuis, ac lachrymis, quas meretricum more in promptu habet, fidem fecit, & quidem facile, nimirum homini ſimpliciſſimo, & qui ne eſſe quidem hujuſmodi in orbe portenta potuerit ſuſpicari. Docuit hominem aliquot menſes, ignarus ſe colubrum ſinu fovere. At non poſſunt perpetuo latere venena. Eruperunt tandem illæ Furiæ, quas ille pectore claudebat. *Eraſmus* tum demum intelligens, ſe tantum officiorum ingratiſſimo nebuloni collocaſſe, repente hominem cum ſua mente reliquit. Ego, qui multum diuque illius conſuetudinem ambieram, viſus potiſſimum dignus, ad quem ſeſe reciperet. Miſer ille tantum ſuæ pecuniæ confidit, ut nihil minus metuat, quam ne *Eraſmum* revocare nequeat. Reliqua familia quanta eſt, ſenis moroſiſſimi caput diris devovet, lachrymis repoſcunt *Eraſmum*. Sollicitat *Robertus* vir pecunioſiſſimus promiſſis. *Thomas* adoleſcens generoſiſſimus blanditiis oppugnat. Pater materque familias revocant, ancillulæ domeſticæ, puerique, pro ſe quiſque, ut remigret, orant: adeo tum maximos tum minimos mirabili quadam morum ſuavitate ſibi devinxerat. Jam ſilicernium facti pœnitet, ſed pudet hominem fortem & conſtantem repente à ſua rabie reſipiſcere. Furit, & vivit: non ſuæ modo familiæ, non ſolum univerſo mortalium generi, ſed ſibi quoque ipſi inviſus. *Eraſmus*, his rebus omnibus non magis permovetur, *quam ſi dura ſilex, aut ſtet Marpeſia cautes*, noſtræ familiæ ſeſe adſcripſit. Hic tu hominis prodigioſam ingratitudinem admiratus, ô miſerum, inquiebas, *Eraſmum*, qui in illam Furiam inciderit, & ô peſtilentem illum ſenem, in extremas *Indiæ* ſolitudines deportandum! At imò, inquam, *Chriſtiane*, ego hominis furori maximam habeo gratiam, qui niſi *Eraſmum* extruſiſſet, ego beatus non eſſem. Et ille ſe hoc modo conſolari ſolet, quod propitio etiam Deo in illud dæmonium ſe dicat incidiſſe, ut eſſet à quo patientiam diſceret, quemadmodum *Xanthippe* olim *Socratem* exercuiſſe dicitur. Ita noſtrum utrique feliciter evenit hæc comœdia. Quare te decet, *Chriſtiane*, fratri tuo plaudere. Tum tu, Ego vero, inquiebas, tantam animo gratulationem concipio, quantam exprimere omnino nequeam. Quod ſi par eſſet affectui dicendi facultas, gratularer tibi, ô frater, oratione tam magnifica, tam copioſa, ut *Cicero* ipſe nunquam ſit uſus, neque copioſiore, neque magnificentiore. Sed balbutiem meam noſti. Quin hinc recta domum tendimus, *Eraſmum* ut ſalutemus? Recte mones, inquam, equidem nihil prius faciundum cenſeo. Hic dum ego tibi lævum latus claudere conor, tuque viciſſim mihi ſiniſtrum prehenſitas, in hoc mutuo urbanitatis certamine ſomno ſolutus *Chriſtianum* meum perdidi. *Eraſmus*, qui mecum communi in lecto cubabat, ubi me commotiorem ſenſit, quid habeam, rogat. Narro rem ordine. Ille accito puero literis rem ordine mandat, ut plane intelligeres, ne ſomnia quidem noſtra tibi celanda eſſe. Bene vale. *Pariſiis*, Anno 1498.



An. 1498.

## EPISTOLA XXXIII.

*Eraſmus Rot. Chriſtiano*, qui Opera Auguſtini ſcripſerat fucatius.

SALVETO quantum voles. Ita me Deus amet, haud exſpectaram abs te tantum elegantiæ, vel potius eloquentiæ: nam elegantem futurum facile proſpexi. Quare tuæ literæ voluptati mihi in primis fuerunt. Proinde te hortor, ut iſto curſu pergas, propediem tui præceptoris ſimillimus evaſurus; ſed genus aliquod dicendi, tanquam ſignum, tibi proponas, cenſeo, ne varia, ſuique diſſimilis, naſcatur oratio. Id autem genus potiſſimum eligendum, ad quod te potiſſimum natura compoſuit: de te conjecturam ſumere licet. Videris ad *Timonis* propius quam ad *Ciceronis* formam accedere: equidem malim *Ciceronis*. *Atticum* erat præſtantiſſimum. Ab *Aſiatico* longe abes. *Rhodium* nihil eſt quod petas. *Punicum* referre videris, vel *Allobrogicum* potius: quod quidem longe temperatiſſimum eſſe conſtat, videlicet ex *Arabico* & *Iberico* medio mixtum, *Caleno* interim rubetam diſſimulante. Verum inepte hæc te doceo ſus, cum tibi *Minerva* ſit domi. Verum is, ut eſt nova quadam humanitate, dabit veniam, ſi meam falcem in ipſius meſſem miſero: mittam enim ſæpius. Non diſplicet iſtud diſcendi genus, ut ille materiam, tu verba miniſtres. Idem olim *Craſſus* factitavit orator haud vulgaris, ſed hic ex Priſcis. Vidi ipſe corniculam *Horatianam*, cujus te ſimilem eſſe nolim. Eris autem, ſi præceptoris quam ſimillimus eſſe ſtudueris. Quod me amas, nihil ſcribis novi: ſciebam enim antea. De noſtro certamine, *Chriſtiane*, nihil eſt quod labores: tu tanti es, niſi mihi *Auguſtinus* mentitus eſt, quod non ſolet. Bene vale cum tuo *Dædalo*. *Pariſiis*, Anno 1498.

## EPISTOLA XXXIV.

*Eraſmus Roter.* R. P. *Henrico à Bergis, Epiſcopo Cameracenſi*, S. D.

CVM hominis conjunctiſſimi dignum immortalitate ingenium, quam celebratiſſimum efficere cuperem, ornatiſſime Præſul, id ita demum fore exiſtimavi, ſi celeberrimi tui nominis titulus Operi novo velut fax quædam præluceret: non quod hoc muneris tuæ præſtantiæ aut aptum, aut magnopere dignum judicaſſem, verum ut novo Auctori tuis è laudibus nonnihil tum gratiæ, tum auctoritatis accederet: id quod mihi abunde videor aſſequutus. Tanto enim ardore meus *Gui-*



Digitized by Google

An. 1498. *lielmus* ab universis hujus Academiæ alumnis legitur, rapitur, tenetur, ut dictu prope sit incredibile: jam passim in publicis auditoriis, in collegiis *Guilielmi* mei nomen perstrepit. Hoc munere si te nihil offendi sentero, sat pulchre procedo: sin gratiam etiam ineo, plane triumpho. Donamus enim aliena; nihil enim ipsi excudere potuimus, Theologiæ studiis occupati: & *Hieronymi* monita sequuti, discimus quod doceamus. Brevi tamen aliquam studiorum nostrorum frugem exspecta, quam tuo nomini propriam faciemus. Me morbus prorsus exhausit, & cutis & loculi laxissimi sunt: illa carne, hi nummis sarciendi: tu pro tua consuetudine facito, ac bene vale: *Parisiis*, Anno 1498.

## EPISTOLA XXXV.

*Erasmus Rot. Jacobo Tutori* S. D.

RECTA ad vos migraturus eram, optime *Tutor*, *Lutetia*: nam quo lubentius? Et jam nummulorum nonnihil contraxeram, ut sarcinam non fuerim tuis fortunis allaturus: sed cum audirem istic quoque morbum subnasci, horsum vela vertere coacti sumus. Parentes tuos optimos, tuique, ut par est, simillimos, *Antuerpiæ* visimus. In *Hollandia* fere bimestres non sedimus quidem, sed, uti in *Ægypto* canes, assidue cucurrimus ac bibimus. Equidem malim vel apud *Phæacas* vivere. *Gulielmum* nostrum hominem suavem, quum nullis stimulis ad studium posset excitari, sic reliquimus, ut ne nunc quidem illius desiderio teneamur. Tuo certe nomine sic objurgavi, ut me pene inimicus inimicum dimiserit. Si *Epicurus* ipse renatus illud vitæ exemplum adspiceret, sibiipsi tetricus *Stoicusque* videretur. A *Dordraco* periculo summo navigavimus pridie sacramenti. In *Ziriczee* dum pueri causa, qui febricitari ex navigatione cœperat, complures dies commoramur; ipsi pene in morbum incidimus, nisi quam ocyssime à *Zelandia*, id est, ab inferis, evolassemus. Episcopum nostrum salutavimus. Is suo more causas novas comminiscitur, ne quid det. Apud dominam *Vierensis* oppidi res hoc erant loco, ut nec colloqui sine summo periculo potuerim, nec abire sine gravi suspicione. Nosti causam Præpositi, qui ut nunc in vinculis est, ita domina in tutela. His ergo spebus liberatus, miserrimum enim puto inaniter pendere, recta ad *Battum* meum contendo. Hoc uno me oblecto. Græcamur hic, sed soli: nam *Batto* nec ocii satis suppetit, & est *Romani* sermonis amantior. Hoc in loco ad mensem unum aut alterum ancoras figere consilium est. Deinde quocunque venti vocabunt, solvemus. Jamdudum exspectas, ecqua tandem humanitate R. P. nos amplectatur è proximo. Nihil habeo, mi *Tutor*, quod hinc scribam: nam non *Euripus* ipse tot æstibus reciprocatur, quot hujus animus. Paulo ante quam huc venirem, sic ardebat, ut *Ludovicum*, tumultuatorem illum, nostri accersendi gratia in *Hollandiam* emandarit: largitus insuper aureos duos in sumptum viaticum. Ubi vero venissem ipse, sic frigebat homo, ut monstri simile dicas. Quare de his æstuariis admiratoribus mihi non esse pendendum censeo. Domina forte in viis obvia, dextra porrecta, vultuque perbenigno, veteris in nos animi non obscurum argumentum præbuit, sed sperare vix ausim. Adeo vigilant canes excubitores, qui jam ipsi lupi quoque. Itaque *Erasmus* se jam alit, suisque vestitur plumis. Ut *Guilielmum* meum viserem, imo ut *Græcum* facerem, magna cum librorum sarcina *Harlem* usque profectus sum, haud dum scio, majore ne sumptu, an labore & periculo. Verum omnem hic tum operam, tum impensam lusimus. Perierunt eo itinere coronati duodecim, periit una amicus unus. Nam ejusmodi hominis animum perspexi, ut antea mihi de illo mihimet verba dedisse videar: sed sapiemus vel puerorum exemplo, verberibus admoniti, & nobis potius quam aliis sapiemus. Habes, mi chariſſime *Tutor*, omnibus fere de rebus *Erasmi* tui. Nefas enim putavi, si *Erasmicum* quicquam *Tutor* ignoraret. De *Di-*

*sma* magnopere confido te tuum officium facere, quare audacter tum tuo tum illius nomine polliceor. Reliquum, ut tu de tuis fortunis omnibus facias me certiorem, quid agant *Bredani* fratres, quos equidem arctissimo freno continendos esse censeo, ne quid in studiis nimis. Quid de *Augustino* nostro novi, de quo nihil adhuc quivi cognoscere: præterea *Benseradus* meus, quid agat. Breviter de omnibus rebus quæque ad me, quæque ad te pertinebunt, scribito diligenter. *Battus* meus sic te amat, ut ne meipsum quidem ardentius. Hoc, mi *Tutor*, cave putes φιλόλογον, nihil est omnino verius. De *Italia* hoc autumno petenda cogito, vel somnio potius, nihil enim usquam affulget spei. Audio *Hieronymum*, *Besontini* Præsulis fratrem, eó proficisci destinasse: hominem ipsum studiosos in precio habere, ne de meo quidem ingenio pessime sentire: quod nisi mihi istic mens omnino læva fuisset, aliqua certe rima in hominis familiaritatem irrepsissem. Bene vale. *Parisiis*, Anno 1498. An. 1498.

## EPISTOLA XXXVI.

*Erasmus Rot. Batto suo* S. D.

QVO die has scribebam literas, *Aureliacum* eramus profecturi. Nunquam abest aliquis malus genius, qui nostra studia interturbet. Ad te quidem magis inclinabat animus, tum quod isthic patriæ futurus eram vicinior, tum quod occasio videbatur oblata, qua tua studia nonnihil possem vel adjuvare, vel certe excitare. Verum ex adverso in mentem veniebant multa, vix isthic patere locum idoneum: nam eum, quem apud *Petrum* ostendebas, probo quidem, cæterum est ea in re scrupulus quem scis: non quod meæ vel continentiæ, vel famæ metuam, sed ne quid inde ad *Petrum* amicum suspicioni rumoris redeat. Odit enim (ut scis) vulgus, maximeque aulicorum, literarum professores: & libentissime de nobis ejusmodi loquitur, cujusmodi ipsi factitant. Tum fore reputabam fortassis, qui mirarentur me totiens isthuc recurrere. Postremo occurrebat & frigus tuum: propterea quod meminissem te, ut isthuc confugerem, frigidius ac pene timide monuisse. Et haud scio an etiam delectent jam literæ. Quandoquidem in novum amoris genus incidisti, in quo blandimenta desiderium foveant, nec copia tamen ut in cæteris fastidium adducat. Scis quid dicam. Jam non adeo me clam est, quod in *Guilelmum* factus es propensior, totoque animo de illo ornando cogitas. Id quod adeo non invideo, ut etiam debere me hoc nomine tibi fatear. Verum me, cujus salutis fundamenta jeceris, nunc destituere, quid aliud est, quam filios velle gignere, & susceptos exponere? Domina *Guilelmum* magnifice viatico instruxit, me vacuum remisit, cum ille in patriam rediret, ego à patria recederem: Ille ad compotationes properaret, ego ad libros. Respondebis, dominam sat esse beatam, quæ utrisque benefaciat. Sed tu non ignoras aulicorum ingenia, scis muliebrium mentium auras, præsertim; sed taceo. Utcunque est, si ego promissis fraudor, gaudeo si in *Guilielmum* meum transferuntur. Sin falso hæc suspicor, quod quidem pervelim, & tu *Battus* es qui soles, fac ut domina, quæ promisit, confirmet, præterea sacerdotium largiatur: id tibi donatum puta, non mihi. Sic enim fuerit inventa ratio, qua sacerdotium possideas non sacerdos. Hæc quam ob rem tantopere cupiam, dicam. Gestio quamprimum *Franciam* relinquere. Gestio apud meos vivere. Id video fore & ad famam utilius, & ad valetudinem tuendam conducibilius. Nunc enim nostrates, qui isthic sunt, credunt me libertatis gratia libenter abesse: qui hic sunt, suspicantur me à meis non desiderari, & tanquam ejectum hic vivere. Postremo, si nulla sit alia, hæc est causa gravissima, ut te, ut *Guilelmum* meum sæpicule videam. De libro excuso sic habeto, hic jam divendi non posse, propterea quod ab interpretatione de-

Digitized by Google

An. 1498. destitit *Augustinus*, & passim ob pestilentiam fugitur: & tamen nisi quamprimum divenditur, non invenero operi meo de literis, quod nunc præ manibus habeo, formulatorem. Quare facito hac in re, mi *Batte*, omni conatu, omnibus nervis, omni ingenio annitere. Scripsi domino Præposito paulo accuratius, misique codicem *Adagiorum* meorum, misi & odas *Gulielmi*, misi & nugas meas olim excusas de casa natalitia. *Judocum* ubi rediisse sensero, tum & illi scribam & Abbati. Reperi enim argumentum utrique idoneum. Misimus in *Angliam* juvenem cum libris aliquot distrahendis: eum miramur nondum ad te perveniisse, tum cum isthinc medicus discederet. Is ubi ex *Anglia* redierit, quoniam certissimus est, & nos haud dubie *Aureliacum* consequetur, per eum diligenter omni de re ac spe nostra perscribas. Ego ut quicque in libris absolvero, statim ad te transmittam, ut si quis me casus interceperit, tu ingenii nostri monumenta emori non sinas. Doctoris titulum accipiam, si quid aut *Monjojus* mittit, aut domina: sin minus, spem ejus honoris abjiciam, & quacunque etiam conditione redibo ad vos. Jam pridem sum *Franciæ* satur. Bene vale, optime *Batte*.

Nos, ut quimus, valemus, non ut volumus. Misi ad te carmen in *Delium*, sed extemporale, neque lectu dignum, nisi forte semel & cursim. Puta hoc de unedonum esse genere, semel ediisse plus fuerit satis. *Adolpho* tuo *Adagiorum* codicem unum misi: eum si videro literis delectari, posthac propria quædam dicabo. Verum *Græce* te scire, mi *Batte*, percupio, tum quod sine his literas *Latinas* mancas esse video, tum ut convictus noster sit jucundior, si omnino iisdem studiis delectabimur. *Adolpho* quoque tuo prima elementa monstra. Mitte, inquies. Veneunt hic, & quidem paulo. Sed respondeo breviter, mihi ne semiobolum quidem esse. Cætera tute divinabis, quam ego servitutem serviam, & animum meum non ignoras, quam sit servitutis impatiens. Verum ego exitum omnium rerum harum cujusmodi sit futurus exspecto, bene tamen confido. Porro cui nos filiæ causa studebamus, absolutum esse gaudeo. Vale iterum atque iterum, imo semel vale, *Batte* suavissime, & bene vale. *Parisiis*, An. 1498.

## EPISTOLA XXXVII.

*Erasmus Jacobo Batto* S. D.

ITA ne tu revixisti, ut me contumeliosa epistola occideres? Jam nunciatus eras, lecto affixus esse, jam *Empirici* secturi ferrum exspectare. Nos luctuosi ac tristes epitaphium meditabamur. Et tu, si Diis placet, subito exortus, ad invectivam me provocas. Quanquam longe malim, mi *Batte*, vel acerrimis invectivis bellum tecum gerere, quam epitaphii scribendi officio, pium etiam amicum agere. Agedum, accingamur igitur quando tu prior ad arma provocas. O perditam audaciam! Audes virum tam magnifice nummatum, tressis homuncio contumeliis lacessere? Quod si opes meas contempsisti, num vel calamum *Erasmi* metuebas? Scis quibus machinis soleant bellare Poetæ, quas si iratus in te torsero, actum de te fuerit; frustra te fossæ istæ, isti aggeres, ista mœnia quantumvis munita cinxerint. Sed hactenus præluserint velites. Tu nisi pacem ultro petes, justa tecum acie decernam. Verum extra jocum, gaudeo oppido quam ex animo, mi *Batte*, tibi ridendi ocium non deesse. Nam mendax illa *Adriani* epistola me misere exanimarat, ita ut mecum deliberarem, num isthuc recurrendum esset. Quod de sarcina elapsa scripsi, utinam ejusmodi sit, ut joco scriptum fuerit. Quorsum tendam, te sentire scribis. Id ego tibi verbo expediam. Pergam, non quo cursum institueram, sed quo me tempestas agit transversum, nisi tu novas suppetias miseris. Hæc neutiquam joco dicta, mi *Batte*, re ipsa propediem experieris. Quanquam nos quidem probos naucleros imitabimur, & arte cum tempestate pugnabimus. Et vel iratis ventis, si recto cursu depellemur, velis tamen utemur: & si eum portum, quem maxime petimus, contingere non licebit, certe in quodvis littus ejiciemur. Hactenus migrando & remigrando sumus tumultuati, ac vixdum etiam consedimus. Omnia mea contraho perdiligenter, tu fac asellum nostrum quam primum huc clitellatum extrudas, eum tibi chartacea sarcina oneratum remittam. Tu præter vestes meas, de quibus scripsi, epistolas quoque tum meas, tum *Guilhelmi* mittito. *Campanus* hic venalis esse desiit, & nimio dum esset emebatur. Tamen & hunc & *Sulpitium* mittam. Sed asinum nostrum exspecto, neque enim ignoto jumento tantas merces commisero. *Natalis* Theologus diligenter me tuis verbis salutavit, ex quo dominam *Verensem* iter *Romam* una cum sorore instituisse cognovi, me sibi comitem velle ostendit. Quod ex arce brevi sis evolaturus *Lovanium*, gratularer tibi, nisi te tam insolentem nova libertas redderet. Tam ferox es factus, cui diutina servitute afflicto vix tenuis quædam libertatis spes affulserit. Quid tandem futurum est, ubi *Lovanii* cum tua pompa regnabis? Fac me diligenter toto de animo tuo certiorem: & quid in te nostris de rebus fatalis spei resederit. Nam sub discessum meum nihil dextre mihi visus es consuluisse. Quibus jubes scribam per *Natalem*. Comes, qua est comitate, te resalutat plurimum. Medici puer nunquam concedam, ut me tam vestigarit, quam fuerit à nobis vestigatus. Jam ne nominibus aulicis bonam epistolæ partem occupem, quos par est, & (ita ut quisque par est) torquatos istos meo nomine salutabis. *Adolphum* alumnum tuum feliciter agere precor. Vale. *Parisiis*, An. 1498.

## EPISTOLA XXXVIII.

*Erasmus Roberto Piscatori.*

VIDE quam sit avidum & querulum fœminarum genus. Nudiustertius puer meus ab hospite nostra veteri plurimum retulit querelarum. De nostrum utroque nescio quid maritus murmurabat. Mater ne *Normanna* plane non esset, querebatur se pro laboribus, quos mea causa cepisset, nihil gratiæ recepisse. Filia te permaligne solvisse ajebat, & pristinæ tuæ consuetudinis oblitum fuisse. Ego decuplo beneficium emo: redimo enim cumulatissima mercede officium, & nihilominus beneficium debeo. Hos mulierum mores cum mecum reputo, tum gaudeo me in hoc vitæ genus incidisse: si casu, feliciter: sin judicio, sapienter. Habes jejunam epistolam, argumentum mihi jejuna illa mulier ministravit. Tu si bona valetudine fueris, gaudemus: nos optamus quidem, imo jam speramus: cœpit enim morbus paulatim remitti. *Parisiis*, An. 1498.

## EPISTOLA XXXIX.

*Erasmus Roterodamus Augustino suo* S. D.

DE meo in te animo ex literis, quas isthic reliqui, potes cognoscere. A bimestri pene peregrinatione, vix demum apud *Battum* nostrum consedimus. Crebri huc rumores adferuntur, pestem isthic populari omnia. Quod si tu è re tua ducis esse, ut huc commigres: quod scripsi, id ipsa re comperies. Cave suspiceris meam isthinc migrationem ulla cum malevolentia, dolove, fuisse conjunctam. Emoriar, si antehac unquam perinde nolens reliqui *Lutetiam*: sed crebra me funera territabant. Quod si propter veteres offensas, nonnulla animum tuum habet suspicio, nostri periculum facito: intelligas faxo, sic te à nobis amari, ut antehac friguisse videamur. Toto itinere nihil usquam de tuo reditu potuimus cognoscere, id quod partim dolebam, partim etiam mirabar. Tandem *Antonius* quidam narrabat audisse se quendam, qui te *Lubeci* à se visum conventumque affirmaret vel hoc argumento, quod *Laurentianas* elegantias, à me quondam concinnatas in compendium, tibi tradidisset. Nec ad hunc usque diem, vel certus, vel incertus huc rumor allatus est, te *Lutetiam* revertisse. Eoque scripsimus



Digitized by Google

An. 1498. tum brevius, tum neglectius, ne majoris operæ aleam tentaremus. Tu si jam reversus es, saltem de toto tuo itinere, reliquisque fortunis, epistolam quam longissimam texito. *Rudolpho* tuo multis de causis quam commendatissimus esse cupio; *Nicolaum*, reliquosque discipulos tuos, optime de me meritos, meis verbis salvere jubebis. Tu cura ut valeas. Huc si advolas, quanquam hoc vix audeo sperare, nihil polliceor verbis, re faciam, quæcunque digna sunt gratissimo homine, atque amantissimo. Apud sanctum *Bertinum*, Anno 1498.

## EPISTOLA XL.

*Erasmus Rot. Nicolao Benserado* S. D.

FREQUENTES huc, certissimique rumores quotidie adferuntur, pestilentiam istic majorem in modum debacchari, nihilque reliqui facere. Quare quod metuebam, ne tu jam aliquo profugisses, non putavi vel pluribus scribendum, vel plura mittenda, ne scilicet multum periret operæ, si tu abfuisses. Rerum autem modo summa attingam capita. Hic primus datus est *B.* per quem scriberemus. *Euripidem* & *Isocratem* ad te mittimus, parantur alia, quæ posthac ad te ibunt: de *Miloniana* defensione dabimus operam, ut tuæ satisfiat voluntati, simulatque orationem & libros ad id necessarios erimus nacti. Si quid istic rerum est natum, quod me sciré judicabis oportere, fac ut sciam. *Augustino*, si jam reversus est, has, quas tuis conjunxi, reddes. Nugas meas, quas apud te deposui, tibi etiam atque etiam commendo. De nostra conjunctione si quid excogitasti, habebis me ad istud facillimum. Intelligis, opinor, quid dicam: id quantopere cupiam, humanissime *Nicolae*, vix tibi persuasero. Sed ut sperare vix audeo, ita suadere nequaquam. Illud me cruciat, animum istum tuum tam niveum, tam philosophicum, nunc vix denique mihi perspectum esse: de quo tametsi nos nunquam non optime & sensimus, & prædicavimus, tamen nescio quo modo id accidit, vel nostra utriusque modestia pene nimia, vel aliorum opera, ut intimam familiaritatem *Benserади* non sim mihi ausus polliceri: & quam esse soleo in colendis amicis pertinax, tam sum in adsciscendis verecundus. Si quid novæ *Graecanitatis* istuc advectum est, onera & hunc hominem sarcina, & me beneficio. Neque metuas, *Nicolae*, ne tuis in me meritis parum respondeam: crede mihi, non defatigabor, neque conquiescam, donec pro viribus æs omne dissolvero. Quum æs dico, non eos modo nummulos dico, quos mutui nomine abs te accepi, nullo enim leviore nomine me tibi puto adstrictum; sed multo magis tuum istum in me animum, summaque officia, quorum apud me nunquam est intermoritura memoria. Hæc, mi *B.* boni consules in præsentia, ubi certum cognovero te istic agere, curabo ut subinde aliquod studiorum meorum monumentum ad te proficiscatur. Epistolam, ad *Jacobum Tutorem* scriptam, velim per certum hominem cures *Aurelianam* perferendam. Bene vale. *Tornaco*, Anno 1498.

## EPISTOLA XLI.

*Erasmus Roterod. Joanni Coleto* S. D.

SI quid omnino in meipso agnoscerem, *Colete* humanissime, vel mediocri laude dignum, lætarer profecto cum *Hectore* illo *Naviano* laudari abs te viro omnium facile laudatissimo: cujus ego judicio tantum tribuo, ut longe mihi sit jucundior tacita tua unius existimatio, quam si vel universum forum *Romanum* & acclamet, & applaudat, aut tanta me miretur imperitorum multitudo, quantum *Xerxis* exercitum fuisse ferunt. Ut enim *Horatianum* sequens institutum, ventosæ suffragia plebis nunquam sum aucupatus, quippe quæ pari temeritate & probat, & reprehendit: ita à probatissimis viris laudari, pulcherrimum semper existimavi, qui nec falso quenquam pro sua simplicitate velint laudare, nec possint pro sua prudentia falli, quorum neque doctrina suspicionem erroris, nec vita assentationis recipit. Verum tuæ laudes, mi *Colete*, tantum abest ut mihi cristas erexerint, ut homo natura putidulus, vehementius etiam mihi displicuerim. Videor enim admoneri, qualem me esse conveniat, quum ea de me prædicantur, quæ in aliis veneror, in me desidero. Novi, novi ipse optime, qua me parte calceus stringat. Neque tamen eorum, qui me tibi tam amanter commendarunt, aut officium, aut humanitatem reprehendo, neque tuam in recipienda commendatione facilitatem vitupero. Siquidem ut humani est hominis, de ignotis benigne sentire: ita festivi ac facilis, amicis libenter credere. Nam quod ex meis ipsius scriptis me laudas, id tale esse puto, ut aut urbana laudatiuncula nos ad virtutem excitare volueris, aut incredibili quadam modestia tua fieret, ut aliena tibi nimis placerent, tua nimium displicerent. Quare animum quidem in me tuum tam promptum, tam propensum, tam candidum amplector, ut debeo, libenter, veneror, exosculor: judicium amo ut amicum, non probo ut verum: non quod te judicem aut parum idoneum existimem, quum sis prudentia vir singulari, aut fictum, quum animi tui simplicitatem non ignorem: sed quod partim amore lapsus, commendatoribus meis nimium credideris, partim candore miro quodam, atque modestia, alienis laudibus nimium benigne faveris. Qui tamen error tuus, mi *Colete*, hoc mihi debet esse jucundior, quod ab eo sit animo profectus, qui me semper unice delectavit, humano, facili, candido, ab omni invidentiæ labe alieniſſimo. Malo itaque te de nobis amanter errare, quam integrum nihil falli. Verum ne merces ignotas falsa laudatione tibi obtrusas fuisse, postea queraris: & ut deligas, prius quam diligas, en me ipsum tibi describam, tanto quidem melius, quanto sum ipse mihi quam aliis notior. Habebis hominem tenui, imo nulla fortuna, ab ambitione alienum, ad amandum propensissimum, literarum tenuiter sane peritum, sed tamen admiratorem flagrantissimum, qui probitatem alienam religiose veneretur, suam habeat nullam: qui doctrina facile omnibus cedat, fide nemini: simplicem, apertum, liberum, simulandi ac dissimulandi juxta ignarum; animo pusillo, sed integro, sermonis parci: eum denique, à quo præter animum nihil exspectes. Hujusmodi hominem si tu, *Colete*, potes amare, si tua familiaritate dignum judicas, ita *Erasmum* in tuo ære numerato, ut nihil æque tuum existimes. *Anglia* vero tua mihi cum multis nominibus, tum hoc præcipue nomine jucundissima est, quod iis rebus abundat, præter quas nihil mihi solet esse jucundum, hominibus bonarum literarum scientissimis, inter quos (nemine reclamante) facile tè principem numero: qui quidem ea sis doctrina, ut nulla morum probitate commendatus, tamen admirandus omnibus esse debeas, ea vitæ sanctimonia, ut citra doctrinæ commendationem, nemini tamen non charus, colendus, venerandus haberi possis. Quid ego nunc dicam, vir optime, quantum me affecerit, delectaritque, stilus ille tuus, placidus, sedatus, inaffectatus, fontis limpidissimi in morem è ditissimo pectore scatens, æqualis, sui undique similis, apertus, simplex, modestiæ plenus, nihil usquam habens scabri, contorti, conturbati? ut mihi plane visus sim animi tui simulachrum quoddam tuis in literis agnovisse? Loqueris quæ vis, vis quæ loqueris. Verba in pectore nata, non faucibus, sententiam sponte sequuntur, non illa voces sequitur. Denique felici quadam facilitate, ea sine cura effundis, quæ vix alius summo studio possit exprimere. Sed temperabo à laudibus tuis apud te duntaxat, ne recentem tuam in me benevolentiam offendam. Scio quam nolint laudari ii, qui soli laudem merentur omnium. Bene vale. *Oxonio*, Anno 1498.

EPI-

Digitized by Google

An. 1498.

## EPISTOLA XLII.

*Eraſmus Rot. Guilielmo Montjoio, Comiti generoſo,* S. D.

SI tu, tuaque generoſiſſima conjunx, ſocer humaniſſimus, reliquaque familia, valetis, eſt cur maximopere gaudeamus. Nos hic quidem valemus perbelle, & indies bellius. Dici non poteſt, quam mihi dulceſcat *Anglia* tua, idque partim conſuetudine, quæ omnia dura lenire ſolet: partim *Coleti*, *Charnocique* Prioris humanitate, quorum moribus nihil fingi poteſt ſuavius, mellitius, amabilius, cum his duobus amicis ego vel in extrema *Scythia* vivere non recuſem. Id quod ſcripſit *Horatius*, & vulgus interdum videre verum, res ipſa me docuit; cujus hoc tritum noſti, quarum rerum duriſſimi ſoleant eſſe aditus, eas felicius evenire. Quid noſtro illo ingreſſu fuit, ut ita dicam, inauſpicatius? at nunc ſecundiora indies omnia. Evomui tædium omne, quo me quondam nauſeantem videbas. Quod reliquum eſt, te oro, meum decus, ut quando tum quum meus me animus deficeret, tuo ſuſtinuiſti: nunc quum meus mihi non deeſt, tuus ne deſtituat. Quod ad diem præfinitum non veneris, expoſtulare tecum nec libet, nec jure me poſſe puto. Quid te retardarit, equidem neſcio: hoc unum ſcio, quicquid fuit, legitimum quiddam, & juſtum fuiſſe, quare venire non potueris, nam voluiſſe nihil dubito. Neque enim ullam video cauſam, cur iſtud fingere volueris. Et ea eſt generoſiſſimæ mentis tuæ ingenua ſimplicitas, ut maxima etiam de cauſa mentiri nec ſcias ſi velis, nec velis ſi ſcias. Non eſt meum te vel hortari, vel dehortari, imo dehortari potius. Quod tuæ te res hortantur, id ſequere. Nos ita te deſideramus, ut interim te tuis commodis inſervire velimus. Si brevi venturus es, gaudemus: ſin qua res te retinet, modo incommodi nihil ſit, ut hactenus fecimus, æquo te animo exſpectabimus. Pecunias meas, annulo tuo diligenter obſignatas, mitte. Priori jam ſum multis nominibus obæratus, miniſtrat ille quidem tum benigne, tum prompte. Verum quando ille humaniſſimi hominis officio functus eſt, par eſt nos invicem gratorum hominum munere fungi, & quam ille libenter dedit, tam nos libenter reddere. Ut rara ſupellectile, ita bonis amicis parcius utendum eſſe cenſeo. Si quid iſthic novatum eſt, facito me per literas certiorem. Bene vale. *Oxonio*, Anno 1498.

## EPISTOLA XLIII.

*Eraſmus Rot. Guilielmo Montjoio* S. D.

QVOD locupletiorem quandam, abſolutioremque, *De conſcribendis epiſtolis* rationem à nobis efflagitaſti, *Guilielme* adoleſcens ornatiſſime, pudentius tu quidem pro tua modeſtia, ſed tamen ut facile intelligerem quantopere ejus rei ſtudio arderes: tum animus iſte tuus nos haud mediocriter delectavit, tum judicium etiam non vehementer probare non potui; nam & agnoſco in te perlibenter, quod repente tot privatis publiciſque negotiis implicitus, tum novis nuptiis, ut par eſt, occupatiſſimus, veterem tamen illum tuum erga bonas literas amorem non mutaveris. Sive ut his de rebus conſcriberemus, tua ipſius intereſſe putabas, videlicet ut veterum Principum exemplo, ſi quod vel abſolutis negotiis, aut etiam inter ipſa contigiſſet otii, id totum non nugis, quod vulgo faciunt, ſed honeſtis ſtudiis impartires: ſive hoc noſtro labore, qui tibi totus defudat, *Anglia* tuæ ſtudia pro tua virili juvares, in qua videres *Latina* literas indies magis magiſque efflorescere. Mentem iſtam tuam, mi *Guilielme*, & te dignam, & omnibus bonarum literarum ſtudioſis, cum voluptati, tum præſidio futuram, & laudo, ut debeo, & agnoſco, ut dixi, libenter. Nec minus judicio tuo, prudenti ſane & acri, gratulor, qui utrunque recte perſpexeris: & nondum antehac ex multis,



qui de ſcribendis epiſtolis præceperunt, huic tantæ rei fuiſſe ſatisfactum: & nullam eſſe ex omni ſtudiorum genere partem hac una, vel quæ latius pateat, vel quæ tantundem habeat aut uſus, aut voluptatis: quo magis ſunt reprehendendi, qui de re tam ubere, tamque neceſſaria, tam jejune indiligenterque, ut ne dicam inerudite, conſcripſerunt. Ut enim interim de his taceam libellis, qui jam diu in ludis literariis ſoliti circumferri nuper politiore literatura refloreſcente, tanquam nebulæ, ſole emergente, propemodum evanuerunt: quo tandem conſilio legitur à pueris *Franciſcus Niger*, cujus non modo præceptiones triviales ſunt, neque ex intimis (ut oportebat) rhetorum fontibus petitæ, ſed nulla etiam exſtat epiſtola, non dicam elegans & venuſta, ſed ne *Latina* quidem. Tum illud, quod *Marii Philelphi* nomine circumfertur opus, confuſaneum mihi plane perturbatumque videtur: & ſi dicendum liberius eſt, parum tum eruditum, tum ad id, quod promittit, accommodatum. Nam præterquam quod ſynonyma habet nimium puerilia, dicendi genera in ſingulis epiſtolarum generibus, ferendum erat quod odioſe inculcat, ni id & imperite faceret, qui eam graviſſimam epiſtolam judicarit, quæ verboſiſſima eſſet, & quam maxime alienò repetita principio. Tum in ipſo operis limine, quorſum attinuit rhetorices præcepta toties perſcripta repetere? An ut rejectis *Ciceronis* & *Fabii* libris, hujus nugas pueri lectitarent? Nec *Sulpitii Perotique* doctrinam contemno, quibus in eis libris, quos Grammaticos ipſi vocant, haud Rhetoricos, facultatis hujus deguſtamenta quædam præbere, conſilium erat, &c. Bene vale. Anno 1498.

An. 1498.

## EPISTOLA XLIV.

*D. Eraſmus Roterodamus Joanni Sixtino* S. D.

QVAM vellem nuper, ut exſpectaram, ita noſtro illi convivio interfuiſſes: vero, inquam, convivio, non ſympoſio. Mihi quidem omnino nullum unquam fuit ſuavius, lautius, mellitius. Deerat nihil. Belli, ut inquit ille, homunculi, tempus lectum, locus lectus, apparatus non neglectus. Iis lautitiis, ut vel *Epicurum* ipſum, his ſermonibus conditum erat, ut vel *Pythagoram* delectare potuerit. Homunculi non belli ſolum, verumetiam belliſſimi, & ejuſmodi, qui Academiam poſſent facere, non modo convivium. Quinam, inquies? Accipe, quo magis te doleas abfuiſſe. Primum *Richardus* Prior, ille Charitum antiſtes: tum Theologus is, qui eodem die *Latinam* habuerat concionem, vir tum modeſtus, tum eruditus: deinde *Philippus* ille tuus, homo lepidiſſimæ feſtivitatis. Præſidebat *Coletus*, veteris illius Theologiæ vindex atque aſſertor. Accumbebat dextro Prior, homo (ita me Deus amet) non minus mirabili mixtura, ex omnium literarum generibus omnibus, quam ex ſumma humanitate, ſummaque item integritate conflatus. Ad lævam recentior ille Theologus, cui nos quidem lævum latus clauſimus, ne Poeta convivio deeſſet. Ex adverſo *Philippus*, ne non adeſſet Juriſperitus. Accumbit deinceps mixtum & ſine nomine vulgus. His ordinibus ita digeſtis, ſtatim bellum oritur inter pocula, non tamen ex poculis, neque poculentum. Cum variis de rebus parum conveniebat, tum de hac, pugna erat acerrima. Dicebat *Coletus*, *Caym ea primum culpa Deum offendiſſe, quod tanquam conditoris benignitate diffiſus, ſuaque nimium confiſus induſtriæ, terram primus proſciderit, quum Abel ſponte naſcentibus contentus, oves paverit.* Contra, nos pro ſe quiſque niti, Theologus ille ſyllogiſmis, ego rhetoriis. Ne *Hercules* quidem contra duos, ajunt *Græci*. At ille unus vincebat omnes, viſus eſt ſacro quodam furore debacchari, ac neſcio quid homine ſublimius auguſtiuſque præferre. Aliud ſonabat vox, aliud fluebantur oculi, alius vultus, alius adſpectus, majorque videri, afflatus eſt numine quando. Tandem cum & longius proceſſiſſet diſputatio, & eſſet quam ut convivio conveniret, gravior atque ſeverior: Tum ego



Digitized by Google

An. 1498. meis, hoc est, Poetæ partibus functurus, ut & eam contentionem discuterem, & festiviore fabella prandium exhilararem. *Res*, inquam, *perantiqua est, & ex vetustissimis auctoribus repetenda, de qua quid ipse in literis repererim, exponam, si prius detis fidem vos, id quod sum narraturus, pro fabula non habituros.* Ubi promisissent: *Incidimus*, inquam, *olim in vetustissimum codicem, cujus & titulum & auctorem atas aboleverat, tineæque, bonis literis semper infestæ, deroserant. In eo unica tantum pagina, nec erat carie viciata, nec à tineis aut soricibus arrosa, Musis, credo, qua sua sunt tutantibus. In ea hac ipsa de re, de qua decernitis, legere memini, aut veram, aut si vera non est, certe verisimillimam narrationem. Quam, si vultis, recensebo.* Jubentibus illis: *Erat*, inquam, *Caym ille, homo quemadmodum industrius, ita famelicus & avidus. Is à parentibus persæpe audierat, in viridario illo, unde fuissent depulsi, segetes sua sponte provenire latissimas, spicis amplissimis, granis prægrandibus, culmis adeo proceris, ut alnum nostratem æquarent. Eis nec lolium, nec spinam ullam, aut carduum internasci. Hæc quum ille probe meminisset, videretque eam tellurem, quam tum vexabat aratro, vix malignam minutamque frugem producere, dolum addidit industria. Angelum illum paradisi custodem adiit, eumque veteratoriis technis adortus, magnis promissis corrupit, ut sibi ex felicioribus illis segetibus, vel paucula grana clam largiretur. Dicebat, Deum jam olim hujus rei securum ac negligentem esse; tum si maxime resciisset, facile impune futurum, cum res esset nullius momenti, modo de pomis illis nihil attingeretur, de quibus solis fuerat interminatus Deus. Eja, inquit, ne janitor sis nimium diligens. Quid si ingrata etiam est illi nimia tua sedulitas? quid si falli etiam cupit? magisque illum hominum callida industria, quam iners ocium, delectabit? An vero tu tibi isto munere magnopere places? Ex Angelo carnificem te fecit, ut miseros nos & perditos crudelis arceres à patria, te foribus cum romphæa alligavit, cui muneri nos canes nuper cœpimus addicere. Nos quidem sumus miserrimi, at tu mihi videre conditione non paulo afflictiore. Nos quidem paradiso caremus, quia pomum nimium dulce gustavimus; Tu ut inde nos arceas, pariter & cœlo cares & paradiso: hoc miserior, quod nobis quidem huc atque illuc, quo fert animi libido, vagari liberum est. Habet & hæc nostra regio, si nescis, quibus exsilium nostrum consolemur, nemora comis virentibus, mille arborum genera, & quibus vixdum invenimus vocabula, fonticulos passim ex clivis, ex rupibus scaturientes: flumina limpidissimis aquis, ripas herbidas lambentia, montes aerios, valles opacas, ditissima maria. Nec dubito, quin in intimis illis suis visceribus claudat tellus aliquid bonarum mercium: quas ut eruam, scrutabor omnes ejus venas: aut si mihi defuerit atas, nepotes certe mei facient. Sunt & hic aurea mala, sunt fici pinguissimi, sunt frugum omnijuga genera. Multa adeo passim sponte nascuntur, ut paradisum istam non magnopere desideremus, si liceat hic æternum vivere. Infestamur morbis, & huic rei inveniet remedium humana industria. Video herbas mirum quiddam spirantes. Quid si & hic inveniatur aliqua, quæ vitam faciat immortalem? Nam scientia ista non video quid ad rem pertineat. Quid mihi cum his, quæ nihil ad me attinent? Quanquam in hac parte non cessabo, quando nihil est, quod non expugnet pertinax industria. Ita nos pro uno hortulo mundum latissimum accepimus, tu utrinque exclusus, neque paradiso frueris, neque cœlo, ne terra quidem, perpetuo his affixus foribus, romphæam semper versans, quid nisi ut cum vento pugnes? Eja age, si sapis, tibi simul & nobis consule. Da quod sine tuo detrimento largiri potes, & accipe nostra vicissim, quæ tibi facimus communia. Miser fave miseris, exclusus exclusis, damnatis damnatior. Persuasit pessimam causam vir pessimus, orator optimus. Paucula grana furtim accepta diligenter obruit, enata sunt non sine fœnore, id fœnus rursum terræ gremio commissum, iterum atque iterum, aliud atque aliud. Nec sæpius a-*

*stas recurrit, cum ille jam ingentem spacioſumque agrorum tractum, hac semente occuparat. Qua res ubi evidentior esse cœpisset, quam ut superos latere posset, vehementer iratus Deus: Quantum intelligo, inquit, juvat hunc furem labor & sudor. Eum ego illi magnifice cumulabo. Simulque cum dicto confertissimum undique agmen immittit in segetem, formicarum, gurgulionum, bufonum, erucarum, murium, locustarum, scropharum, avium, aliarumque id genus pestium, qua segetem partim adhuc humo conditam, partim herbescentem, partim jam flavam, partim horreo compositam depascerentur. Accessit ingens cœlo calamitas grandinis, & venti vis tanta, ut quernis roboribus æquales culmi illi, stipula aridæ in morem, defringerentur. Angelus ille custos mutatus, atque, quod hominibus faveret, humano corpori incluſus. Caym, quum Deum incensis frugibus placare studeret, nec fumus subvolaret, certam illius iram intelligens, desperat.* Habes fabulam, *Sixtine*, inter pocula dictam, atque inibi inter pocula natam, atque adeo ex ipsis si libet poculis, quam volui ad te perscribere: primum, ne nihil scriberem, quum meas esse partes agnoscerem ut scriberem, quippe qui tuas literas posterior accepissem, deinde ne tu ejus convivii tam lauti prorsus expers esses. Bene vale. *Oxonio*, Anno 1498. An. 1498.

## EPISTOLA XLV.

*Erasmus Gaguino.*

CEREALES & Anabasii qui sint apud *Hieronymum* in *Ruffinum*, non satis intelligo. De Cerealibus somnio, nescio quid. Utroque verbo vestigatores quoquo versus dimissi, significari videntur, tu me doceas velim. Dialectica *Laurentii* jampridem desidero: quæ si tibi sint, obsecro commodes: sin minus, commonstres à quo mihi sint petenda. Bene vale. Anno 1498.

## EPISTOLA XLVI.

Gaguinus Erasmo.

NEC *Cerealium, nec Anabasiorum permitit me acerbissimus morbus meminisse, tam sum doloris impatiens. Dialecticen tibi demitto, quam remitti aliquando provideas cum oratiunculis, quas à me habes. Vale melius* Roberto *tuo. An.* 1498.

## EPISTOLA XLVII.

*Erasmus Roterod. Thomæ Grejo* S. D.

SI quid unquam tibi gratum aut feci, aut volui, quæso, ut hoc mihi gratiæ referre non graveris. Huic juveni, quas ad te literas scripsi, tradito, ubi meis vehementer efflagitantibus copiam fecero, remittam. Bene vale. Anno 1498.

## EPISTOLA XLVIII.

*Erasmus amico cuidam.*

PER tuam humanitatem, *N.* jucundissime, obsecro ut mihi ignoscas, quod neque multa, neque digna te, tibi scripserim. Crede mihi, voluntas ardentissima erat, sed in luctu jocosa scribere, perdifficile est. Nondum me collegi, nondum ad me redii, conor tamen, Musis adjutricibus, aliquid te dignum tibi dedicare. Verum ne me interim tantillum laboris tua causa defugisse putares, imperavi, ut potui, animo meo, ac *Dionysiolam* nostram sum imitatus: quæ nonnunquam, ut scis, cum lachrymis canit ac saltat. Ubi in antiquum animum rediero, nihil à me frustra petes, quod quidem præstare queam. Te pro nostra necessitudine hortor, ut toto animo literis incumbas, nihil dubitans, quin bonam partem sis assecuturus. Quas si amabis, me odisse non poteris. Hortor igitur te, non solum tua causa, verumetiam mea. Bene te valere cupio. Omnes tuæ familiæ recte valere precor. Anno 1498.

EPI-

Digitized by Google

An. 1498.

## EPISTOLA XLIX.

*Eraſmus cuidam.*

QVOD priſtinam meam ſcribendi conſuetudinem intermiſſam miraris, nihil eſt quod ſuſpiceris mali: neque enim, quod ſemper fui, tui amantiſſimus eſſe deſii. Bene vale.

## EPISTOLA L.

*Eraſmus cuidam.*

VBI noſtrum *N.* iſthuc iturum intellexiſſem, nolui inanem venire, præſertim qui me obnixe rogaret, ut ſeſe apud te commendatum facerem. Obſecro itaque, ut eum pro tua veteri conſuetudine tractes. Non clam me eſt, nec ille quidem ignorat, quantum poſſis, quantumque mea cauſa velis. Effice ne vel illum ſua ſpes, vel me mea de te opinio fallat. *N.* quidem tibi novum amicum comparaveris, me vero arctius devinxeris. Vale.

## EPISTOLA LI.

*Eraſmus cuidam.*

CREBRIVS ad te ſcripſiſſem, *N.* humaniſſime. Soleo enim hujuſmodi officiorum genere cum amicis perlibenter uti: verum verebar, ne ſi aut tua ſtudia interpellatione mearum literarum interturbarem, aut non perinde iiſdem officiis delectarere, improbus potius quam benevolus videri poſſem. Nunc certe continere me diutius nequaquam potui: dicam enim ſimpliciter; non quod ocio abundarem, quod unum in totum mihi interdixi, ſed ne conſuetudinis interminio, de priſtina mea in te benevolentia quicquam minuiſſe videretur. Ita de te prorſus ſentio, mi *N.* ut ni tu me ſingulari animo complecteris, tota errem via. Quid rerum faciam rogas? Amicis operam do, horum conſuetudine gratiſſima memet oblecto. Quos tu tandem amicos mihi jactitas, inquis, homuncio leviſſime? an quiſquam te viſum aut auditum velit? Equidem non diffiteor fortunatorum amicos eſſe plurimos: at nec pauperibus deſunt amici, & quidem iſtis non paulo tum certiores, tum commodiores. Cum his me concludo in angulum aliquem: & turbam ventoſam fugiens, aut cum illis dulcia quædam muſſito, aut eos aliquid inſuſurrantes audio, cum his non ſecus ac mecum loquor. An quicquam his commodius? Arcana ipſi ſua celant nunquam, commiſſa ſumma cum fide continent: nihil foras, quæ liberius inter familiares effundere ſolemus, renunciant: vocati præſto ſunt, invocati non ingerunt ſeſe: juſſi loquuntur, injuſſi tacent: loquuntur quæ voles, quantum voles, quoad voles, nihil aſſentantur, fingunt nihil, nihil diſſimulant, vitia tua tibi libere indicant, nemini obtrectant: aut jucunda dicunt, aut ſalutaria: ſecundis in rebus moderantur, conſolantur in afflictis, cum fortuna minime variantur: in omnia pericula te ſequuntur, ad extremos uſque rogos perdurant: nihil illis inter ipſos candidius. Committo ſubinde, nunc hos, nunc illos mihi adſciſcens, omnibus æquus. Cum his amiculis, optime *N.* ſepultus deliteſco. Quas ego tandem opes, aut quæ ſceptra cum hac deſidia commutavero? Verum ne noſtra te fallat metaphora, quicquid de amiculis hactenus ſum locutus, de libris dictum intelligas, quorum familiaritas me plane beatum effecit, hoc ſolo infortunatum, quod non tecum mihi hæc felicitas contigerit. Te, quanquam nihil opus, hortari non deſinam, ut toto animo præclara ſtudia complectaris, ne quid plebejum, ne quid mediocre mireris, ad ſumma ſemper enitere. Spero futurum aliquando, ut me & fideliter, & amanter conſuluiſſe, non ſemel fatearis. Concepi de facetiis, proverbiis, ſententiiſque negotium. Deguſtamenta quædam ad te dedi, quorum plus tria millia me annumeraturum brevi confido, opus (ut



A auguror) tum gratioſum, tum perutile, hactenus à nemine tentatum. Quod ſi tibi cordi eſſe intellexero, erit cur & libentius, & ardentius eum laborem ſuſcipiam. Interim vale, noſque, quod facis, ama. An. 1498.

## EPISTOLA LII.

*Eraſmus Rot. Batto ſuo* S. D.

REDDIDIT mihi colax ille alteras literas tuas, ſi Diis placet, ſed ſuperioribus illis nihilo minus tum ineptas, tum contumelioſas. Aut ego fallor, mi *Batte*, aut aliquis malus genius, bene concordibus amicis iratus, machinatur, ut nos tanta benevolentia ſuaviſſime B copulatos diſtrahat. Quod per me certe ſtabit nunquam, per te vide ne ſteterit. Primum, quid opus erat ut *Ludovicum* huc recurreret, quaſi mille angelati eſſent, ac non potius octo franci? non poterat ea pecuniola per alium quemvis mitti? Deinde quum mitteres, cur è tantillo acervo aliquid etiam detrahendum putaſti? ne ſcilicet ego pecunioſus factus, officii mei obliviſcerer, aut ut eſſet unus aut alter aureolus, cujus gratia denuo legatum aliquem huc mitteres? Nam quod de literis objicis, mihi crede, ſine his literis omnis res non minus commode confici potuiſſet, modo tibi animus non defuiſſet, & poteras has ipſas literas per alium poſcere, neque tu unquam intelliges, C quantum hic recurſus incommodi attulerit. Sunt tres aut quatuor menſes, quos mihi ex anno ſolido febris ad ſtudii uſum relinquit, itaque jam magno animo opus. De epiſtolis, quod deformavimus olim, dedolabam, vel potius recudebam. Præſcripſeram mihi penſum grave ſane & laborioſum, interea adeſt hic cum tuis epiſtolis plenis conviciorum, cum pecuniola etiam mutilata: quæ res ita me commovit, ut quod erat in manibus abjicerem, juvenem ſine literis remiſſurus, ni me *Jacobus Tutor* multo ſuaſu in diverſam ſententiam reduxiſſet. Emoriar autem, ſi quid unquam in vita ſic repugnante animo ſcripſi, ut has nugas, imo Gnathoniſmos, quos ad dominam, ad Præpoſitum, D ad Abbatem ſcripſi. Hic moroſitatem meam incuſabis ſcio, at non facies, *Batte*, ſi & conditionem meam recte perpendes, ſimulque cogitabis, quam durum ſit animum ad magnum opus ſcribendum impellere, quanto porro durius, jam flagrantem ad alias nugas devocari. Hæc quia ipſe non es periclitatus, exiſtimas nobis ingenium ſemper eſſe integrum, ſemper alacre, ut tibi eſt in ſummo verſanti ocio. Non intelligis nullum eſſe gravius tædium, quam ingenii ſcribendo defeſſi, neque reputas mihi hic his ſatisfacere oportere, quorum beneficiis utor? Poſtremo magnas librorum ſarcinas poſcis, neque curas ut mihi ocium detur, quod ad conſcribendos libros requiritur. Poſtremo non ſat E tibi eſt, ſi noſtram amicitiam, ſi dominæ munificentiam libris editis aliquando nobilitavero, niſi quotidie ſexcentas epiſtolas ſcriptitem. Jam abiit annus, ante quem promiſſa erat pecunia, tu interea nihil niſi meram ſpem literis tuis adfers: Non deſpero, cauſam tuam gnaviter agam: & hujuſmodi mihi jam nauſeam facientia, totiens nimium auribus meis inculcata. Poſtremo deploras dominæ fortunam. Videre tu mihi de alieno morbo ægrotare. Illa ſuam fortunam negligit, & tu ſcilicet angeris? illa nugatur & luſitat cum ſuo *N.* & tu ringeris? nihil habet quod det. Hoc unum ego perſpicio, ſi ob iſtas cauſas nihil dat, nihil unquam daturam, nunquam enim hujuſmodi cauſæ deſunt magnatibus. Quantulum id erit momenti, in tam F immenſo numero rerum plane pereuntium, ſi ducentos mihi francos donaverit? Habet quo cucullatos iſtos ſcortatores & turpiſſimos nebulones, ſcis quos dicam, alat, & non habet, quo ejus ſuſtineat ocium, qui poſſit etiam poſteritate dignos libros conſcribere, ut aliquid de meipſo dicam glorioſius? Incidit quidem illa in multas anguſtias, ſed ſuapte culpa, quæ ſe maluit bello illo homunculo ſtipare, quam viro aliquo gravi ac tetrico, ut & ſexum illius, & ætatem decebat.

Ego

Digitized by Google

An. 1499. Ego jam longe majora incommoda proſpicio, niſi mentem iſtam abjecerit: quanquam hoc ego in illam non ſcribo inimice, quam ſic amo, ut debeo, optime de me meritam. Sed quid, obſecro, hoc ad illius fortunam, ſi ego ducentos francos accipio? qui ubi ſeptem horas fuerint dati, illa jam nec meminerit. In hoc omne negotium eſt, ut avellatur pecunia, ſi non præſens, vel à menſario, ut hic *Lutetiæ* petam. Tu jam multis literis ad illam de hac re ſcripſiſti, omnibus mandas, ſignificas, innuis. Quid inutilius? Exſpectanda erat ſi non optima, mediocris certe opportunitas, tumque ſemel res prudenter inſtituta, fortiter conficienda, nunc idem vel ſero faciendum. Peream, ni rem ex ſententia confeceris, ſiquidem magno animo fueris aggreſſus. Potes ipſe in amici cauſa eſſe paulo impudentior, ut mei tamen pudoris obtineas rationem. *N.* quantum ſit indicandum tute ſtatues: verum antequam proficiſcaris, aut mittas, mitte per quempiam non incertum reliquos aureos. Vidè quemadmodum ea pecuniola defluxerit, accepi octo francos, tanti enim hos angelatos mutavi: ex iis puer duos abſtulit, aut non multo minus. Ut de victu interim taceam: ais reſtare duos angelatos, à quibus etiam is, qui adferet, nonnihil deducat, oportet. *Joannes* ille, quem in *Angliam* miſeras, fugit niſi fallor, non ſine furto, eum *Auguſtinus* eſt equo *Aureliam* conſequutus: hic erunt, ut video, turbarum plena omnia, cætera *Ludovicus* narrabit. Vale, mi *Batte*, & hæc à me non commote aut πανικῶς ſcripta, ſed ut par erat apud hominem unum ex omnibus amiciſſimum ſimpliciſſime, in bonam partem accipies. Puerum *Ludovicum* tractabis, non ut *Adrianum* ſcurram, in quo detrimenti nihil poterat fieri, ſed ut meliore mente natum, & multas ad res utiliſſimum tibi futurum. Oblectabit ſolitudinem tuam, habebis cui legas, qui cum de literis garrias, qui cum poſtremo te exerceas: quare de veſte non quidem pugno, ſed tamen ſi dederis, feceris gratiſſimum, neque iniquum. Vale. *Pariſiis*, 27. Feb. Anno 1499.

## EPISTOLA LIII.

*Eraſmus Rot. Batto ſuo* S. D.

DVAS jam epiſtolas ad te ſcripſi, quarum alteram ignoto cuidam commiſi, altera periit, eaque verboſiſſima: quare rem omnem quam potero pauciſſimis perſtringam. Iter habui infortunatum. Epomis ſellæ alligata excidit, nec diu quæſita potuit recipi. Erant in ea veſtis linea, pileum nocturnum lineum, aurei decem, quos in hoc deprompſeram, ut permutarem ſi licuiſſet, erant & preces horariæ. Is, cui pecunias hinc digredienti commiſeram, egregie diſſipavit, alias mutuo dedit, alias ſumpſit ſibi. *Henricus*, cujus uxori mutuum dederam, *Lovanium* aufugit, uxor conſequuta. Tertius, excuſor librorum, abſentis nomine pecuniam recepit de chartis venditis, nec reddit obolum. *Gisbertus* hinc jam abierat. Permutandi auri vix tolerabilis conditio offertur. *Auguſtinus* nondum rediit: abſens omnia perturbavit, pecunias miſſas intercepit, minacem epiſtolam miſit: metuit enim ne eas jam inuncaſſem. Video, mi *Batte*, ſummam jam defluxiſſe, & minorem quam credas factam. Equum quatuordecim fere dies ſaginatum, quinque aureis vendidi: è pedibus laborabat. Iter diſtuli, non ſolum quod viaticum deeſſet, ſed multo etiam amplius, quod preces periſſent. Cum comite vivo vetere conditione, in qua me minime difficilem præbui, quo eſſem liberior, amat me & colit. Cum *Fauſto* mihi, & altero quodam novo Poeta, ſumma familiaritas: cum *Delio* certamen acerrimum. Totum me libris dedo, ſparſa colligo, cudo nova: nihil ocii relinquo, quantum per valetudinem licet, quam duris itineribus nonnihil fractam intelligo. Quo in ſtatu res meæ ſint, habes: nunc quid in poſterum ſtatuerim paucis accipe. Statui in Auguſtum iter *Italicum* rejicere, ſi queam interim ea comparare, quæ tantum iter poſtulat. Comes & ipſe decrevit, ſi mater permittat, *Italiam* viſere, ſed poſt annum denique, neque de me ducendo verbum interceſſit. Memini quam magnifice fuerim jam antea ſpe hujuſmodi deluſus: & ſi hic annum exſpectem, quando tandem meum *Battum* reviſam? Et dictu incredibile, quantopere ad tuam conſuetudinem animus revolare geſtiat. Quare viſum eſt potius, profectionem, quantum licebit, maturare. Opus *De conficiendis epiſtolis* recuditur, id abſolutum propediem ad te mittetur: & quidem tuo *Adolpho* dicatum. De *Copia*, de *Amplificationibus*, de *Argumentationibus*, de *Schematis* adjicietur. Hæc quoniam ſcholaſtica ſunt, puero, tibique communiter dicare placuit: quod quidem excuſum mittere malim, & dabo operam. Contraxi aliquot ſcripta, quæ novo quodam fato è latebris prodierunt. Ea caſtigata ad te miſſurus eram, ſi tabellarius certus contigiſſet. Quare fac *Adrianum* quamprimum mittas, qui omnia mea ſecum adferat, cave quicquam relinquatur. *Natalis* minorita Theologus apud me fuit, per eum dominæ & cæteris ſcribam. *Piquardus* dominam ad Pentecoſten reviſere ſtatuit, qui quidem homo nihil me delectat: ipſa eſt Theologia, imo ſcabies ipſa. Adnitere quæſo, mi *Batte*, ut *Lovanii* una vivamus quamprimum: perfice quod cœpiſti. Pudet me dicere, quam me res ipſa urit. Video mihi ſummam, quæ jam magna ex parte dilapſa eſt, eſſe ſarciendam, quæ & in dies ſingulos deteratur neceſſe eſt. Nec eſt in ullo mortalium aliquid ſolidæ ſpei, niſi in uno *Batto*. Tum quantum poſſis, re ipſa comperi, modo fatalis iſte animus non deſit. Quid cupiam efficere, vides. Neque eſt pudoris mei, hominem, à quo tantum beneficiorum acceperim, precibus onerare. Si manum porrigis, annitar & ipſe: ſin minus, quo fata vocant, ſequemur. Non deerit petendi argumentum, vel quod iter neceſſariis de cauſis differendum erat, vel quod ſatius ſit librum meis ſumptibus excudi. Tu quid ſpei aut animi habes, facito me certiorem. Bene vale. *Pariſiis*, 2. Maji, Anno 1499.

## EPISTOLA LIV.

*Jacobo, Vicario Cameracenſis Epiſcopi, Eraſmus* S. D.

CVM nullum omnino meum in te officium exſtaret adhuc, vir neſcio humaniorne, an eruditior, certe ornatiſſime: tuque is erga hunc homuncionem fueris, ut me, prope incredibili quadam humanitate tua, maximis beneficiis veluti ſarcina graviore obrueris, gaudebam impendio vel tandem objectam mihi qualemcunque opportunitatem, qua poſſem ſi non referre gratiam, certe propenſam promptamque animi voluntatem quali quali officiolo meo declarare. Non potui non implacabiliter commoveri, quod puer meus iterum atque iterum admonitus, & quidem accuratiſſime, libellum tuum ornatiſſimum iſtic reliquerit: neque id perſenſimus, priuſquam *Antuerpiam* jam perventum eſſet. Sed humaniſſimam celſitudinem tuam, per tua in me merita, perque meum hunc in te animum, obteſtor, ut huic, qui literas reddidit, codicem ad nos perferendum tradas: aliquot menſes hic ſedere conſilium eſt. Eſt autem iſte de grege familiaque clariſſimi Principis *Antonii Nothi*, juvenis fide diligentiaque ſpectata, ſummo in nos ſtudio. Mihiipſi non rectius in manus dederis. Tantum facito, ut ille intelligat rem non nullius eſſe momenti, neque citra periculum negligi poſſe. Efficiam ut ad te aut mecum, aut certe per hominem certiſſimum redeat. Apud ampliſſimum patrem, patronumque meum, Præſulem *Cameracenſem*, morem obſecro antiquum obtineas, ut illi nos aut facias commendatiores, ſi vetus illa gratia etiamnum vivit: aut in gratiam reponas, ſi refrixit. Deum Opt. Max. teſtor, qui ſpecus omnis humani pectoris perſpicit penitiſſime, me non minus flagranter amare illum, quam primis illis menſibus, cum

Digitized by Google

An. 1499. cum & ille me paterna quadam pietate complecteretur, & ego illum supra modum tum mirarer, tum amarem. Quo magis cupio tuo in libro meam pro virili navare operam, quod plane intelligo, gloriam istam, imò fructum potius, atque utilitatem, communiter ad te hospitem meum humanissimum, & ad illum patronum, & studiorum, id est, vitæ auctorem meæ pertinere. Bene valebis, ornatissime præceptor, & hunc clientulum tibi toto pectore deditissimum ita, ut soles, amabis. De tabellionis hujus abitu, ad nonam demum horam vesperi sum factus certior; & ille sub gallicinium parabat iter: mihi tres epistolæ, & sera nocte, & largiter cœnato, scribendæ: & ad eos quidem, ad quos ne accuratissime quidem citra periculum scribi solet. Sed hanc meam fiduciam tuæ ipsius humanitati imputabis. *Tornaco*, 12. Julii, Anno 1499.

## EPISTOLA LV.

*Erasmus Roter. Joanni, Canonico Bruxellano*, S. D.

PER fortunas obsecro te, mi candidissime *Joannes*, purga me humanissimo hospiti, patronoque meo *Vicario*, quod libellus pueri oblivione istic relictus est. Ita me ament superi, ut nihil jam multis annis accidit, quod æque doluerim. Si quid habes novarum rerum vel de *Augustino*, vel de *Benserado*, vel de Episcopo patrono meo, vel de *Ludovico* denique, qui istas in regiones est emandatus, ut me accerseret: per nostram amicitiam te etiam atque etiam oro, facito me tuis literis certiorem. Erit istud inter plurima tua in me officia non ingratissimum. Tabellionem habes ex *Antonii Nothi* familiaribus certissimum; cui, quicquid voles, rectissime commiseris. *Veria* offendi res omnes eo loco quo tu prædixeras: domina, forte fortuna in via facta obvia, dextram porrexit, vultu non inimico. Cæterum à quibusdam non male cupientibus, ut arbitror, deterritus, à colloquio abstinui. Puer meus *Dordraci* febri arreptus est, & quidem tertiana. Ea res me majorem in modum sollicitum habuit, ita ut ejus gratia *Ziriczee* navigarem: illic enim matrem habet. Valemus adhuc, præterea nihil est quod fortunæ gratulemur. Valet *Battus*, & te salutat oppido: amat is quemcunque *Erasmus* amarit. Cura ut quam optime valeas, humanissime mi *Joannes*, & amiculum, vel potius clientulum addictissimum, *Erasmum* tueri amareque pergito. *Tornaco* tumultuantissime ad multam noctem, 12. Julii, An. 1499.

## EPISTOLA LVI.

*Henrico à Bergis, Præsuli Cameracensi, Patrono suo, Erasmus* S. D.

DEVM mihi maximum optimumque iratum habeam, si Fortuna, alioquin insigniter infensa, vulnus unquam animo meo inflixit acerbius, quam quod proximo congressu humanissima tua me sublimitas ingratitudinis subincusavit: vel quod tibi uni probari malim, quam reliquorum multis millibus: vel quod inprimis ab uno isto vitio non solum instituto, sed ingenio naturaque semper abhorrui: nihilque in rerum natura tetrius, nihil fœdius, nihil exsecratione publica dignius existimavi, quam beneficium acceptum, non saltem voluntate memoriaque rependere. Quam equidem objurgationem ita tuli, non ut ab inimico læsus, sed ut à parente medicoque amantissimo castigatus. Reliquum est, ut te obtester, meum præsidium, meumque dulce decus, perque tuum pectus istud exorabile ac mitissimum, perque nostras fortunas, ut si quid antehac peccatum est, imo quia peccatum est, id vel simplicitati meæ, vel imperitiæ condones: nam malitiæ certe mihi non sum conscius. Impudentiam & inscitiam tum hac in re, tum aliis multis in rebus agnosco. Omnia dira huic capiti precor, nisi semper eo animo tuam beneficentiam accepi, quo probum & officii memorem clientulum oportuit. Amavi toto pectore, suspexi, venera-



tus sum, celebravi, memini: nullum à me sacrum hunc usque in diem fit, quo non Deum immortalem orem, An. 1499. ut quæ in me contulisti, ille, qui potest unus, multo cum fœnore in te refundat. Præter hæc autem quid possum. Id si nondum adduci potes ut credas, illud, quæso, mihi concedas, persuadeasque tibi, me jam nunc hoc esse animo, futurumque, dum hæc me destituet animula. Fortunam præstare non possumus: at hunc animum ejusmodi in te polliceor, ut nulli tuorum sit concessurus. Sæviant in me mea fata, afflictissimum facere possunt, ingratum neque facient, neque poterunt. Quod si tua benignitas quod antehac largita est, id satis nunc putat, ego vero, Præsul optime, cumulatissimum etiam existimabo, cum tu permulta & sponte, & humanissime donaris, ego promeruerim nihil. Neque vero sum adeo rustice ingratus, ut quid accipere mea postulet necessitas, respiciam potius, quam quid præter meritum omne meum tua benignitas profuderit. Postremo cogites velim, initio *Erasmum* non ita clementiæ tuæ fuisse traditum, ut potentem hominem, ut opulentum, ut magno loco natum, hoc enim nemo ipsi largitur, sed ut studiorum admiratorem. Is nunc etiam perseverat animus, longe quam fuit unquam flagrantior. Hunc totum tibi dedico consecroque. At ô me terque quaterque felicem, si qua unquam dabitur opportunitas, qua hunc non modo non ingratum declarem, sed gratissimum fuisse demonstrem. Hic si ego studium ullum, si laborem, si vigilias ullas defugero, non recusaverim teterrimo isto carbone denotari. Interim *Erasmo* tuo fias oro propitius. Quod si non impetro, tamen ego patronum vel infensum amare venerarique non desinam, ac sycophantis istis, qui nos dirimunt, precabor quæ talibus digna sunt. Apud meos in *Hollandia* plus mensem sum versatus. Iis placuit ut annum etiam studiis impartiam: suo quoque nomine pudendum putant, si tot annis nihil omnino auctoritatis assecutus revertar. Bene vale, humanissime ornatissimeque Præsul. *Tornaco*, 12. Julii, Anno 1499.

## EPISTOLA LVII.

*Erasmus Rot. Antonio Lutzenburgo* S. D.

QVASI parum fuerit, quod cum isthic essemus, tam improbe tibi negotium fecimus, absenti quoque faciemus. Verum istud, *Antoni* festivissime, non impudentiæ nostræ, sed tuæ singulari facilitati imputes oportet. Scripsimus *Jacobo Tutori*, partim ut veterem hospitem nostrum hoc tanquam *Xenio* donaremus, partim ut illi veluti stimulos subjiceremus: quo magis curando, summa vi, studio, ingenio, fideque annitatur, ut talis redeat adolescens, qui possit *Bergensi* stirpi, facile omnium ornatissimæ tum eruditione, tum moribus, splendoris accessionem aliquam adjungere. Ad eam rem tametsi nihil ambigo, quin ille suapte sponte summo nisu incumbat, tamen meas partes esse puto, meoque in omne istud genus amore, illiusque in me beneficiis dignum, ut subinde vel currenti, quod ajunt, calcar addere curem. Eas literas *Antonio* tabellioni studiose trades, commendabisque ut qua solet cura, fideque, *Aurelium* perferat, profecturum enim audio. Cæterum, humanissime mi *Antoni*, si quid etiam valeamus, libet cognoscere, agimus certe feliciter atque suaviter: vel quod *Batto* fruimur, cujus ego animo certissimo candidissimoque sic me oblecto, sic pascor, ut nolim vel universas *Arabum* gazas cum hac una felicitate commutare: vel quod toto pectore in literis sumus, & tanquam ab omni negotiorum strepitu longe semoti, in intimis Musarum recessibus abditi latemus. Deorum plane vita, si plusculum adesset librorum. Hunc igitur animum cum literulis meis debeam, mi *Antoni*, nonne tibi videar ingratissimus, si studiorum meorum me capiat pœnitudo, tanquam quæ nullam frugem attulerint? Inaurentur alii, in fastigium evehantur, mihi Musæ meæ nihil præter vigilias & invidiam reportent, nunquam tamen harum pœnitebit, dum hic



Digitized by Google

An. 1499. mihi perſeverabit animus, Fortunæ volubilis contemptor. Neque vero me clam eſt, hoc quod ſum ſequutus ſtudiorum genus, aliis alienum, aliis infinitum, aliis infrugiferum, aliis etiam parum pium videri: nempe vulgo omnium qui nunc literas profitentur. At ego tanto magis accendor, cum utrunque cognitum habeam, neque vulgo unquam optima placuiſſe: & hoc ſtudii genus, pauciſſimis quidem, ſed tamen eruditiſſimis probari maxime. Si *Hieronymus* inſanus fuit, ſi indoctus, juvat cum hujuſmodi viro deſipere: juvat huic indoctorum gregi potius, quam iſtorum deorum choris annumerari. Quod ſi etiam hujus curſus noſtri metam non contingemus, contendiſſe certe ad res longe pulcherrimas, non illaudabile fuerit. Hanc meam mentem ſi non approbabunt homines, Deus, opinor, & probabit, & juvabit. Reflabit Fortuna, at ille, quod antehac fecit, adſpirabit. Probabunt olim & homines, certe poſteri. Sed ut ultra metas epiſtolam porrigo, dum tuo amore, velut amabili quodam furore debacchans, mei oblitus, rapior; adeo mihi non epiſtolam ſcribere, ſed tecum fabulari videor. Quod humaniſſimo ampliſſimoque Præſuli patrono tuo non ſcripſi, id neque ignavia, neque ocii inopia factum eſt: ſed neque argumentum erat illo heroe dignum, ſimulque verebar patri benigniſſimo quidem illi, ſed omnino plurimis maximiſque negotiis occupatiſſimo, ſcholicis nugamentis (qualia fere noſtra ſunt) obſtrepere. Cæterum, mi *Antoni*, ſcito, mihi nihil perinde in votis eſſe, quam ut liceat illius amplitudini quocunque officio meo gratificari. Sed aliud eſt amiculo quicquid in buccam venerit, ſcribere; aliud ſummorum virorum heroicas mentes epiſtola compellare, quas religioſe etiam à ſalutantibus adiri debere *Plinius* ſcripſit. In præſenti igitur tute mihi apud auguſtum patrem epiſtolæ vice fungeris: deinde ſumma humanitate viro *Georgio* Priori meque *Battumque* ſummo ſtudio commendabis. Medico, ac *Jacobo Plumioni* Canonico, viris ampliſſimis, deque noſtrum utroque optime meritis, plurimam ſalutem annunciabis verbis utriuſque. Valebis optime *Antoni*. *Tornaco*, 18. Julii, An. 1499.

## EPISTOLA LVIII.

*Eraſmus Rot. Benſerado ſuo* S. D.

SCRIPSIMVS heri de rebus omnibus, humaniſſime doctiſſimeque *Benſerade*, ſed quoniam alter datur tabellio, rei ſummam modo repetam. Ex *Hollandia* reverſus, apud *Battum* totus in literis vivo, maxime *Græcanicis*. Miſimus ad te *Euripidem* & *Iſocratem*, miſſuri plura, ſed metus erat, ne peſtis iſtinc te jam aliquo propuliſſet. Si quid eſt novæ *Græcanitatis*, veſtem citius oppigneraverimus, quam non potiamur: maxime ſi qua *Chriſtiana*, ut Ψαλμοὶ, ut Euangelia. Opes meas, apud te depoſitas, tibi commendo. Scripſimus & *Auguſtino*, de quo quid ſit, cupio diſcere: nihil enim adhuc inaudivimus. Utinam, mi *Benſerade*, noſtras Muſas liceret conjungere, ſed hac de re, aliiſque omnibus ſcribes copioſe. Summam tuam in me humanitatem, optime *Nicolae*, neque apud me patiar intercidere, neque diſſimulabo. Enitar pro viribus, ut ſi grati nomen non poſſim aſſequi, ſaltem ingrati hominis notam videar effugiſſe. Vale. Salutat te ex animo *Battus*, toto pectore tuus. *Tornaco*, 18. Julii, Anno 1499.

## EPISTOLA LIX.

*Eraſmus Rot. Jacobo Tutori* S. D.

PRIDIE quam has ſcriberem, jam alium quendam literis ad te datis oneraveram, verum certius exiſtimavi, ſi quid forte fortuna accidiſſet, alteras per hunc addere, non iiſdem quidem verbis, ſed eodem ferme argumento. In *Hollandia* plus ſeſquimenſem non ſine maximo ſumptu contrivimus; contrivimus, inquam, nihil enim æque periit. Rurſus in *Zelandia* pueri mei morbus complures me dies remoratus eſt, non modo ſummo cum tædio, quod alio properarem, verumetiam non mediocri periculo valetudinis. Nihil enim adhuc eo cœlo ſenſi aſperius, meoque corpuſculo inimicitius. Cætera, mi ſuaviſſime *Tutor*, ſic evenerunt, ut *Eraſmi* tui res conſueverunt. Antiſtes *Cameracenſis* ſui ſimillimus eſt. *Veriana* duris fatis premitur, ut ſublevanda potius quam oneranda videatur. Nunc ego in *Batti* mei complexibus, & in literis acquieſco: neque tamen omnino ſine te, adeo multus in ſermone nobis eſt *Tutor*: neque ego fabulor quicquam libentius, neque rem ullam audit *Battus* avidius. Jam te deamat, jam ardet, jam videre geſtit. Mihi crede, ſi quid omnino credis, tantum ego fucorum, tantum perfidiæ in hominum amicitiis reperio, non his modo vulgaribus, verum his quoque, quas *Pyladeas* vocant, ut mihi jam non libeat novarum periculum facere. In *Batto* uno mortalium omnium benevolentiam perſpexi, uti ſinceram, ita conſtantem. Hunc ego amicum Fortunæ non debeo, quippe quem mihi virtus una conciliavit: hunc item non vereor, ne mihi Fortuna præripiat. Cur enim afflictum amare deſinat, qui amare cœpit vel afflictiſſimum? Hunc tu, doctiſſime *Jacobe*, quemadmodum prænomine, ita candore miraque ſimplicitate refers. Itaque de veſtro duorum animo ita ſentio, ut ſi (quod omen avertant ſuperi) veſtra me fides fefellerit, ne ipſi quidem fidei fidem ſim habiturus. Valetudine ſumus, gratia ſuperis, mediocri, & firmiuſcula quam iſthic eramus. A *Romanis* Muſis ad *Græcanicas* pene deſcivimus, neque conquieſcemus, donec ad mediocritatis metam aliquam pervenerimus. Ardebat ſupra quam dici poſſit animus, in tuam remigrare familiam: videbar enim jam citra tuum ſumptum poſſe & te frui homine, hominum, qui vivunt, ſuaviſſimo, & mei viciſſim copiam facere, ſed abſterrebat peſtilentia, quæ *Lutetia* me ejecit, & hoc in exſilium protruſit. Quid enim hic uſquam quod me capiat, præter unum *Battum*, quo ne ipſo quidem toto fruor, quod magnam ſui partem impendere cogitur aulicæ ſervituti. *Diſmam* tibi commendo, etiamſi tibi pluribus nominibus quam commendatiſſimum eſſe ſcio, vel quod ingenio moribuſque ſuis tibi jucundiſſimus eſt, vel quod incredibilem es gratiam reportaturus, ſi quam optime finxeris adoleſcentem, dignumque omnium exſpectatione reddideris. Eſt enim pene totius generis *Bergenſis*, publica de iſto exſpectatio, tamen noſtro quoque nomine calculus aliquis charitatis atque diligentiæ velim accedat. Probam nactus es materiam, tu facito probum artificem præſtes. Si quid iſtic opus erit, tu quod ſoles, optime *Jacobe*, *Eraſmi* tui famam ſumma vi defende, & lupum illum quam clariſſimo audaciſſimoque latratu deterre. Grammaticen *Græcam* ſummo ſtudio veſtigavi, ut emptam tibi mitterem, ſed jam utraque divendita fuerat, & *Conſtantini* quæ dicitur, quæque *Urbani*: teſtis erit hujus rei *Nicolaus Benſeradus* certiſſimus, cui vel injurato tuto credas. In reliquum quid ſtatuerim, jam accipe. Nonnunquam de repetenda *Britannia* cogito, ut meo cum *Coleto* menſem unum aut alterum in Theologiæ ſacris verſer: neque enim ignoro, quantus ex ea re fructus mihi capi poſſit, ſed terrent infames ſcopuli adhuc, ad quos olim naufragium feci. *Italiæ* viſendæ nunc nos habet ardor, qui ſemper: ſed, ut ait *Plautus*, *ſine pennis volare haud facile eſt*. A *Gallia* peſtis nos arcet. In *Hollandia* cœlo quidem juvor, ſed *Epicureis* illis comeſſationibus offendor: adde hominum genus ſordidum, incultum, ſtudiorum contemptum præſtrenuum, nullum eruditionis fructum, invidiam ſummam: maxime quod id taciti omnes mei flagitare videntur, ut auctoritate confirmatus, & tanquam contra indoctiſſimorum hominum arrogantiam armatus redeam. Nullo itaque certo conſilio pendemus adhuc, quo venti ſecundi vocabunt, in eam partem curſum flexuri. Tu ſi quid in amici negotio aut perſpicis acutius, aut proſpicis ſagacius, conſilio juva. Quicquid erit apud vos, quod me ſcire oportere putabis, id ſcribito diligenter. Vale cum familia. *Bredanis*, ado-

Digitized by Google

An. 1499. adoleſcentibus optimis ac feſtiviſſimis, meis verbis ſalutem annunciabis. *Tornaco*, Anno 1499.

## EPISTOLA LX.

*Eraſmus Roterodamus Batto ſuo* S. D.

Epiſtola familiariter jocoſa, & Ironiis plena.

VIDEO literas meas ſtomachum tibi feciſſe, quas tu *moroſius* ſcriptas, ais: ego jocoſius puto, aut ſi quid erat aloes, id non in te, ſed apud te juſtiſſimus animi dolor effudit. Etiamſi peccatum agnoſco, neque id ſimplex, quippe cui neque mea conditio perditiſſima, neque tua felicitas in mentem venerit. Neque enim convenit hominem afflictiſſimum facetum videri velle, ſed ſupplicem, dicacem & petulantem multo minus, maxime apud eum, quem Fortuna ſecundis ventis rapiat, cuique ſis aliquot nominibus obæratus. Tum id proprie quodammodo aulicum eſſe ſcio, ut ab iis, quos abjecit hera Fortuna, quoſque beneficiolo quopiam ſervos fecerunt, non modo contumeliam nullam pati queant, verum vix etiam ſupplicem vocem ac timidam ferre, gratiam ultro expetentes, ubi miſeros ipſi plagis occiderint. Verum quod in magnis morbis ſolet evenire, ut homines ſui ſenſum amittant, id accidit mihi in acerbiſſima animi moleſtia, ut cum eſſem afflictiſſimus, miſerum tamen eſſe me non meminerim. Et credebam apud *Battum Eraſmo* omnia impune licere. Nam amavi te hactenus tantum, cur enim non fatear, non timui, nec ignoras ardentiſſimum amorem cum metu non cohærere. Verum evexit me paulo longius amor vere cæcus, & peccatum video, neque pœnam deprecor atrocem, niſi vitium mutaro. Poſthac ita *Battum* meum amabo, ut amicum, ut bene meritum, ut eruditum. Ita reverebor, ut præceptorem, ut Regem meum, cui in manu ſit me vel perdere, vel beare. Vel fuſtigari non recuſo, ſi poſthac verbum ullum meis in literis deprehenderis, non dicam procax, aut licentioſum, ſed omnino non blandum, non ſupplex: non quod ſervum non dedeceat, qui modo crucem metuat. Quin inſuper habeo gratiam, mi patrone, quod me mihi in memoriam redegeris, fortunæque admonueris. Nunc ad humaniſſimam tuam epiſtolam ordine reſpondebo, quæ te oro, ut placidus propitiuſque audire ne graveris. Primum, morem illum meum *moroſe* ſcribendi prorſus abjiciam. Et ſi parum putas pœnituiſſe erroris, nullum ego ſupplicium deprecor, modo me in gratiam recipias, non eam, qua fuimus olim, non ſum tam impudens ut id rogare audeam: maximum fuerit, ſi vel extrema parte hærebimus. Quod Præpoſitus ex animo mihi bene cupit, meritum quidem meum nullum agnoſco. Tuum erga me ſtudium, quo tanto me viro commendaſti, adoro, exoſculorque. Quod apud dominam noſtro nomine gnavum fidumque patronum te fore polliceris, quid ego tibi viciſſim, ornatiſſime *Batte*, pro iſta tua in me pietate pollicear? Quid aliud quam meipſum? At jam olim ſum in tuis mancipiis. Quod autem *Guilielmi* epiſtolam ad me miſiſti, viſus es mihi mandare, ut quam primum arborem ſuſpendio deligam. Actum de me jamdudum intelligo, ſiquidem ille ſucceſſit. Sed quid ego malum meum tam impotenter fero, quod mea mihi ſtultitia accerſiverim ipſe. Jam me etiam ſi in crucem fuſtuleris feram, quanquam id quoque levius duco, quam *Guilielmum* mihi prælatum conſpicere. Hoc unum te ſupplex, & per tuam felicitatem, & per deos mihi iratos oro, ſi tibi decretum eſt me perdere, ne longo differas cruciatu. Quod Abbati non ſcripſi, quæſo, ne ignaviam meam in cauſa fuiſſe putes. Neque enim argumentum ullum excogitare quivi, & tarditatem meam non ignoras, damnandam quidem, ſed quid facias aſino? Tum ita cogitabam, illum in *Brabantia* diutius abfuturum. *Antonio* ſcripſimus, ne nos omnino in officio ceſſare putes. Ne nunc quidem occurrebat argumentum quale oportebat. Scio enim pernicioſum eſſe ſcribere, quibus curioſitatis eſt



A plurimum, doctrinæ non perinde multum. Sed urgebant me objurgationum tuarum ſtimuli, ſcripſique illi, ſi non ut volui, certe ut potui. Malui enim illum male ſcribendo offendere, quam non ſcribendo te iratum habere. Quod elapſus eſt quem hæreticum faciebant, primum filiæ gratulor, cujus piæ lachrymæ mentem meam excruciabant: deinde tibi, quod non irrita vota filiæ nomine ſuſceperis: poſtremo viro etiam ipſi, ſiquidem mentem mutavit. Quanto magis eo ſupplicio dignus, ſceleſtus ille ſuffraganeus *Dominicanus*, quo nihil contaminatius, nihil avarius, nihil arrogantius? In hujus etiam odium, diligentius homini ſum patrocinatus apud Abbatem. Quod *Terentios* aliquot emi
B jubes una cum *Guilielmanis* odis, faciam ut me frugi mancipium dixeris. Sed ignoſces, quod ipſe non *Pariſios* emendi gratia recurrerim, cupiebam quidem, ſed ingens pluvia repente coorta impediebat. Et eſt iter, ſimulatque commaduit, vix etiam caballis ſuperabile. Tum tabellarius ſibi ſtanneum abs te nummum datum affimabat, eumque ſe domi reliquiſſe. Mihi neque erat aliquid quod darem, neque erat à quo mutuum peterem, & me ipſum in ignota urbe oppignerare non quivi. Experiar tamen, ſi quis me deus ſervatum velit, ut quæ petis poſſim mittere. Quod me in arcem invitas, ſi peſtis hinc nos exigat, vitæ ſpem reddidiſti, *Batte* clementiſſime. Cur ego hic non genibus ad-
C volvar tuis, non pedes pronus exoſculer? Servatum me vis video, non vis inedia perire. Quod enim ſupplicium aut acerbius, aut turpius? Mi patrone, jam nos hic peſtis premit, jam in iſtam beatam arcem geſtio advolare: ita ut non in cœlum æque. Verum ignoſces timori meo, metuo adhuc neſcio quid, ne nondum ira iſta tua in me deflagrarit: id ubi certum ſenſero, tum demum aram ego hanc relinquam. Interim ſine me pudoris cauſa aliquandiu abeſſe: deinde adhibitis precatoribus rediero. Quod *Guilielmi* tui carmen tantopere ſcribis placuiſſe, rurſus ego me concidiſſe intelligo: nec habeo, quem inferum aut ſuperum implorem, præter te unum, qui mihi cujuſvis numinis es loco. *Caminadus* maximas tibi gratias agit, quod in ornatiſſima tua epiſtola ſui mentionem dignatus ſis facere: is ſimulatque edictum accepit tuum, univerſam everrit ſupellectilem, quærens quod tibi mitteret. Is, mihi crede, nihil habet, quod idem tibi non ſit, præter ſermones quoſdam quotidianos, quibus in congreſſibus & conviviis utimur. Eos ſi tibi mitti imperas, mittentur, ubi erunt tum emendati, tum aucti. *De Epiſtolis ſcribendis* opus ad limam vocabo, & id quoque, ſi jubebis, mittam. Præterea ſi qua jubebis, parati operiemur. Hactenus ad tuam epiſtolam, nunc extra epiſtolam pauca. Emiſeramus juvenem libris oneratum, is antequam ad te perveniſſet, tuam epiſtolam
E jam ſcriptam fuiſſe conjicio. Scripſi deinde per *Adrianum*, ſed ô me miſerum qui ſcripſerim. Scripſi enim (quod pœnitet pudetque) *moroſius*: nondum tuam epiſtolam acceperam. Sed ignoſce, obſecro, ita te ſemper in iſta aula beatum ac divitem vivere contingat. Bene vale: Nos hic, ut digni ſumus, eſuriemus ſatis. *S. Audomaro*, Anno 1499.

## EPISTOLA LXI.

*Eraſmus Batto* S. D.

Epiſtola jocoſa.

F NIHIL opus ut te gaudere jubeam, cum jamdudum te abunde gaudere ſciam, qui quidem me moleſtam ſarcinam humeris tuis excuſſeris. *Adrianus* etiamnum ad ſe invitat. *Gardianus* palam ſuadet, ut apud Abbatem potius verſer, ſi commode queam: Medicus contra, ut apud *Adrianum*. Uterque facit, opinor, quod canes ſolent, qui ſocium in culina nullum amant. De *Gardiano* an per omnia ſincerus futurus ſit, ſubhæſito: nam ſubarrogantem eſſe ſentio. Neque de *Adriano* unquam verbum apud te fecit, cum per illum res hæc potius confici debuerit. Nos quicunque erit



Digitized by Google

An. 1499. exitus magno animo excipiemus. Tu cura ut valeas, mi *Batte*. Mitte, ut primum commoditas dabitur, noſtra omnia, noſtroſque Dialogos omnes, ſi libeat forte perficere. *Ludovico* inſta, ut quantum poteſt omnes meas epiſtolas tranſcribat. Vale. Non remoror *Ludovicum* dehortante medico, ne magis in me murmurent iſti cucullati. *S. Andomaro*, An. 1499.

## EPISTOLA LXII.

### Jacobus Battus Guilielmo Montjoio *S.* D.

EXSPECTATISSIMVS *optatiſſimuſque mihi erat* Eraſmi *mei reditus, non quod eum tibi inviderem, ſed quod ſine modo amarem. Non potui tamen non graviter excruciari, ubi ille mihi acerbiſſimam illam ſuam Tragœdiam denarravit, quam ego multo ante animo præſagieram. Quid illi non metueram? quoties graviora etiam ſomniaveram? & jam tum de illius fortunis anxie cogitabam, quum mihi ejus epiſtola redderetur. Utcunque evenit, gaudeo, gaudeo, humaniſſime Comes, quod tam dulcem animæ meæ partem, vel mutilam atque vexatam, receperim: tametſi non ita improbe illum amo, quin malugrim integrum apud te remanſiſſe, quam ſic ſpoliatum, & tam inſigni contumelia ſpoliatum, ad nos rediſſe. Deum immortalem, ne Muſas quidem ac literas ab* Harpyiis *illis tutas eſſe poſſe?* Platoni *apud* Æginetas *profuit in crimine capitali, quod eſſet Philoſophus.* Phalaris *immaniſſimus ille, erga medicum ſuum* Pythagoram *Philoſophum, &* Steſichorum *poetam, ſumma uſus legitur tum humanitate, tum liberalitate. Verum quid in re deſperata ſera proſunt querimoniæ?* Ferendum, non culpandum, quod mutari non poteſt: *præſertim quod pudendum exiſtimem, cum ipſe ſuam calamitatem tam infracto, tamque præſenti animo ferat, me fractiore eſſe animo. O rem praclaram Philoſophiam, quam ille ſemper & coluit & prædicavit! Meum erat officium, illius ægritudinem oratione lenire: at ille ridens, meas lachrymas reprehendit, bonoque animo eſſe juſſit. Nihil ſe pœnitere etiam dicebat, quod* Angliam *petiſſet, non periſſe illam pecuniam ſine maximo quæſtu, propterea quod iſtic ejuſmodi eſſet amicos nactus, quos vel* Croeſeis *opibus anteponeret. Duas noctes una pernoctavimus. Bone Deus, quanto ille affectu Prioris* Richardi *humanitatem,* Coleti *eruditionem,* Mori *ſuavitatem, oratione facundiſſima repræſentavit: ut ſi mihi liberum eſſet, cuperem & ipſe tam docta, tam candida pectora viſere! Te autem totum, optime* Montjoie, *ita à capite, ut ajunt, ad calcem uſque depinxit, ut quanquam antea tui amore vehementer flagrarim, nunc in te amando nec* Eraſmo *quidem ipſi cedam, qui te tamen plus ſuis oculis amat. Tibi adeo nihil imputat, ut tuam quoque vicem apud me deploraverit, qui ad tantos tum ſumptus, tum labores ſua cauſa fueris adactus. Poſtremo, cum à nobis digrederatur, hoc mihi etiam atque etiam mandavit, ut tibi quam ſæpiſſime ſcriberem: quod quanquam pro tua ſingulari doctrina, meaque imperitia facere vererer, tamen ne officio defuiſſe viderer, has qualeſcunque literas ad te dedi: quibus ſi te non offendi animadvertero, agam tecum ſæpius. Et utinam id faxint ſuperi, cujus ſpem nonnullam* Eraſmus *oſtendit, ut te propius paulo frueremur. Pro ſumma tua in* Eraſmum *meum tum humanitate, tum benignitate, immenſam gratiam & habeo, & dum vivam habebo. Plus enim me illi debere puto, ſi quis quid de illo bene mereatur, quam ſi in meipſum conferat. Generoſiſſimam dominam conjugem tuam, ſocerum optimum, reliquamque familiam bene valere precor.* Tornaco, *Anno* 1499.

## EPISTOLA LXIII.

### *Eraſmus Thomæ Moro ſuo* S. D.

VIX ullis literis conſequi queam, quibus diris hujus tabellarii caput devoverim, cujus vel indiligentia, vel perfidia factum arbitror, ut exſpectatiſſimis *Mori* mei literis fuerim fruſtratus. Nam in officio ceſſaſſe te, ſuſpicari nec debeo, nec libet. Tametſi ſuperioribus literis vehementiuſcule tecum expoſtulavimus. Neque veremur, ne quid noſtra libertas te commoverit, qui non ignores *Lacedæmonium* illum ad cutem uſque pugnandi morem. Illud extra jocum oramus, mellitiſſime *Thoma*, ut ægritudinem, quam ex nimium diuturno tui tuorumque ſcriptorum deſiderio cepimus, uſura aliqua ſarcias. Exſpectamus omnino non epiſtolam, ſed ingentem literarum ſarcinam, quæ vel *Ægyptium* ἀχθοφόρον degravet. Si qui ſint iſthic bonarum literarum cultores, tuum erit officium eos, ut ad nos ſcribant, exſtimulare, quo videlicet amicorum orbem omnibus numeris abſolvamus. Non auſim illos laceſſere prior. Nam tibi nihil referre putamus, quomodo ſcribamus homini facillimo; ad hæc mei, ut mihi perſuaſi, amantiſſimo. Vale, jucundiſſime *More*. *Oxonio*, 28. Octobris, An. 1499. An. 1499.

## EPISTOLA LXIV.

### *Eraſmus Rot. Guilielmo Montjoio* S. D.

QVIDNAM ſibi vult illa tuæ ſalutationis ἀναδίπλωσις, *ô ſalve mi præceptor, ſalve mi præceptor?* Utrum doloris erat, quod à chariſſima conjuge divelleris, an gaudii, quod ad æque dilectas literas ſis rediturus? Mihi quidem, quanquam hic omnia duriſſima videntur, ſtat tamen ſententia, omne tædium amore tui devorare, omnem exſorbere moleſtiam: ne quum tu in amando conſtantiſſimum te præſtiteris, ego viciſſim in obſequendo parum conſtans fuiſſe videar. Fac eum ad nos animum adferas, ne vel tu ſine cauſa conſuetudinem uxoris neglexiſſe, vel ego fruſtra tantum tædiorum pertuliſſe credar. Bene vale. *Oxonio*, Anno 1499.

## EPISTOLA LXV.

### *Eraſmus Fauſto Andrelino, Poeta Laureato.*

DEVM immortalem, quid ego audio? Itane *Scopam* noſtrum repente è Poeta militem eſſe factum, ac pro libris horrida arma tractare? At quanto melius cum *Delio Volſco* (ſic enim ſe nominavit) depugnabat? Quem ſi confeciſſet, bone Deus, quantus triumphus hominem manebat. Nos quoque in *Anglia* nonnihil promovimus. *Eraſmus* ille, quem noſti, jam bonus propemodum venator eſt, eques non peſſimus, aulicus non imperitus, ſalutat paulo blandius, arridet comius, & invita Minerva hæc omnia. Quid mea? ſatis procedit. Tu quoque ſi ſapis, huc advolabis. Quid ita te juvat hominem tam naſutum inter merdas *Gallicas* conſeneſcere? Sed retinet te tua podagra, ut ea, te ſalvo, pereat male. Quanquam ſi *Britannia* dotes ſatis pernoſſes, *Fauſte*, næ tu alatis pedibus huc accurreres: & ſi podagra tua non ſineret, *Dædalum* te fieri optares. Nam ut è plurimis unum quiddam attingam. Sunt hic Nymphæ divinis vultibus, blandæ, faciles, & quas tu tuis Camœnis facile anteponas. Eſt præterea mos nunquam ſatis laudatus. Sive quo venias, omnium oſculis exciperis; ſive diſcedas aliquo, oſculis dimitteris; redis, redduntur ſuavia; venitur ad te, propinantur ſuavia; diſceditur abs te, dividuntur baſia; occurritur alicubi, baſiatur affatim; denique quocunque te moveas, ſuaviorum plena ſunt omnia. Quæ ſi tu, *Fauſte*, guſtaſſes ſemel quam ſint mollicula, quam fragrantia, profecto cuperes non decennium ſolum, ut *Solon* fecit, ſed ad mortem uſque in *Anglia* peregrinari. Cætera coram jocabimur: nam videbo te, ſpero, propediem. Vale. Ex *Anglia*, Anno 1499.

## EPISTOLA LXVI.

### Fauſtus Eraſmo ſuo *S. D.*

FRVGALEM *omnino mihi cœnam poſtulo: nihil vola prater muſcas & formicas. Bene vale.*

EPI-

Digitized by Google

KONINKLIJKE
BIBLIOTHEEK

Digitized by Google

Digitized by Google

An. 1499.

## EPISTOLA LXVII.

*Eraſmus Fauſto ſuo* S. D.

QVAE, malum, tu mihi objicis ænigmata? Num me *Oedipum* putas, aut *Sphingem* mihi eſſe domi? Quanquam equidem ſomnio tuas muſcas, aviculas, formicas, cuniculos velle. Verum alias jocabimur, nunc cœna emenda eſt, quare ænigmatiſtes eſſe deſinas oportet. Vale.

## EPISTOLA LXVIII.

Fauſtus Eraſmo.

NVNC *plane intelligo te* Oedipum *eſſe, nihil volo prater aviculas, & quidem parvulas: de cuniculis abſit. Vale, optime anigmatum interpres.*

## EPISTOLA LXIX.

*Eraſmus Fauſto ſuo* S. D.

VT tu, jocoſiſſime *Fauſte*, eadem opera & mihi ruborem, & Theologo illi ſtomachum excitabas: aderat enim in eodem auditorio. Verum non expedit, opinor, irritare crabrones. Bene vale.

## EPISTOLA LXX.

Fauſtus Eraſmo ſuo *S. D.*

FAVSTVM *pro ſuo* Eraſmo *vel emori audacter poſſe, quis neſcit? Blaterones iſtos tanti omnino faciamus, quanti culicem elephantus* Indicus. *Vale.* Fauſtus *invito livore tuus.*

## EPISTOLA LXXI.

*Eraſmus Fauſto, Poeta Regio,* S. D.

PVER meus tuo juſſu tuiſque verbis formidoloſum me appellavit, quod ob neſcio cujus peſtilentiolæ metum, ſolum verterim. Non ferendum convicium, ſiquidem in militem *Elvetium* dicatur. At in hominem poeticum, ocii umbræque amantem, neutiquam hæret. Quanquam hujuſmodi in rebus nihil formidare, equidem non ſtrenui hominis, ſed ſtipitis eſſe duco. Ubi eo cum hoſte res eſt, qui propulſari, qui referiri, qui vinci contra pugnando poteſt: ibi qui fortis videri cupit, per me licebit. *Lernea* illa *Hydra*, extremus duriſſimuſque laborum *Herculis*, ferro quidem domari non potuit, at *Graco* tamen igni confici potuit. Huic malo quid tandem facies, quod nec cerni queat, nec vinci? Quædam melius fugiuntur quam ſuperantur. Vir fortis *Æneas* non congreſſus eſt cum *Sirenibus*, ſed longe à periculoſo littore proram deflexit. At nihil eſt, inquies, periculi. At ego interim citra periculum multos interire video. Vulpem imitor *Horatianam*,

—— *quia me veſtigia terrent,*
*Pleraque te adverſum ſpectantia, panca retrorſum.*

In hac ego rerum facie, non *Aurelian* modo, ſed etiam ad *Gades* illas *Herculeas*, vel ad *Orchadum* extremarum extremam uſque non dubitarim avolare, non quod meticuloſus ſim, animoque parum maſculo, verum ne jure metuam: non, ne moriar, cui rei naſcimur omnes, verum ne vitio meo moriar. Si *Chriſtus* ſuos monuit Apoſtolos, ut mutatis ſubinde urbibus, perſecutorum gladios effugerent, ego tam capitalem hoſtem, cum commode queam, non declinabo? Quanquam ad remigrandum jamdudum, tum Muſæ me hortantur meæ, quæ quidem hic inter *Accurſium*, *Bartolum*, & *Baldum* miſere frigent: tum acre hoc ſævumque gelu, penitus exſtinguendis hujus morbi reliquiis nimis quam opportunum. Sed faciunt adhuc ſcrupuli neſcio quid, illa ingentis incendii veſtigia, fumus, odor, favillæ, & haud ſcio an etiam igniculi ſuppoſiti cineri doloſo. Scio quidem, humaniſſime *Fauſte*, operam me omnem ludere, qui quidem id te orem,



quod ipſe tuapte ſponte facere non deſinis: orabo tamen, ut *Adagia* noſtra, quæ nuper abortu ejeci, quo maturius diſtrahantur tuo teſtimonio commendes, atque exornes: idque non tam operi quidem ipſi, quam noſtræ neceſſitudini dones. Neque enim uſque adeo mihimet aſſentor, ut cujuſmodi ſint non videam. Verum parum proba merx, quam velis extrudere, hoc magis laudatore eget, quo minus meretur. Et nos iſto tibi nomine non paulo plus debebimus, ſi tuum ſuffragium, non tuo judicio, ſed omne noſtræ benevolentiæ accommodaris. Ne dicam interim, quod nec integrum tibi reliquiſti, non laudare nugas meas, quibus jam ſemel adſcripto epiſtolæ tuæ elogio, nihil non tribuiſti: ut alterutrum jam tibi ſit neceſſe, aut illas conſtanter laudare, aut te inconſtantis hominis notam incurrere. Denique à nobis enixe dabitur opera, ut illud idem prima manu deformatum opus, non elimetur modo, verum incudi redditum, totum quantum eſt, diffingatur; eaque demum facie exeat, ut neque te teſtimonii tui pœniteat, neque illud tuæ laudationis tanquam parum convenientis, ſuppudeat. Qua quidem in re *Fauſtum* non modo cenſorem adhibebimus, verum etiam architectum. Bene vale. *Aurelia*, 20. Novembris, Anno 1499. An. 1499.

## EPISTOLA LXXII.

*Eraſmus Auguſtino ſuo* S.D.

DE *Fauſto, Gaguino*, & *Æmilio* alba feliciaque ſunt, quæ nuncias omnia, neque novi tamen quicquam: at rurſus perinde jucunda, ut ſi nova. Talium enim virorum in me benevolentiam, tam grave de te teſtimonium, quidni plurimi faciam? Tuum item de mea gloria ſtudium, ut vetus libens agnoſco, tanquam novum exoſculor: etiamſi *Fauſtina* illa ὑπερβολὴ, qua penes unum me literarum ſacrarium eſſe dictitat, non ita nimis me delectavit: cum quod immodicæ laudes, neque noſtro pudori, neque mediocritati noſtræ conveniunt: tum quod hujuſmodi ferme figuræ & fide carent, & invidiæ plurimum contrahunt: poſtremo ironiæ quoque ſunt affines, quemadmodum & illa tuis in literis etiamſi blandiſſime ſcripta, tamen mihi non admodum blandiuntur, *Obſervantiſſime præceptor, tuus devotus diſcipulus dedo me tibi, jube quod vis, nihil habeo meum, ſed omne tuum:* cujus omne ego ſermonis genus à ſincera benevolentia quam longiſſime ſemotum eſſe oportere cenſeo. Nam ubi pure amatur, ita ut nos facimus, opinor, ibi quid iſtis figuris eſt opus? Ubi vero inſincera charitas, hæc etiam in malevolentiæ ſuſpicionem rapi ſolent. Quare pergratum mihi feceris, ſi gratioſas iſtas ὑπερβολὰς funditus tuis è literis ſuſtuleris, ut ſuum habeat ſimplex amor ſermonem, memineriſque te conjunctiſſimo amiculo ſcribere, non tyranno. Fata etiam nunc tuis votis atque adeo virtutibus maligne reſpondere, mihi quidem eſt opinione moleſtius, miteſcere vero gaudeo. Quinetiam aut inſignite me fallit animus, aut eam tam fatalem tempeſtatem nova quædam ſerenitas conſequetur. Tu modo obdura, mi *Auguſtine*, uti ſoles, contraque ardentior ito, quam tua te fortuna ſinet. *Paulum Æmilium* ad nos remigraturum tuis è literis olfacio. At ego multis modis hominem manere malim: nam hic quidem cur diutius hæream non video. Sed tu curabis ut omni de ſtatu tuo mihi perſcribas, ecquid noſtri convictus ſarcinulam tua fortunula ferat: quandoquidem de voluntate nec tu vis me diffidere, neque ego poſſum, tot jam periculis & argumentis explorata ſpectataque. Quare ſi quid erit quamobrem hoſpites, vel parum tempeſtivi, vel minus commodi futuri videamur, citra omnem fucum aperies, ea videlicet libertate, quam tanta poſtulat neceſſitudo. Ego ne pilo quidem te minus amavero. Ita me ſuperi omnes bene ament, non tam huc ſpecto, quo fortunis meis proſpiciam: quanquam huc quoque (cur enim inficier?) quam ut doctrinæ tuæ, mea, ut ſcribis, opera de-



Digitized by Google

formatæ, ſuprema manus imponatur. Quod ſi eadem tibi mens, imo ſi fortuna patitur, ut utrique commoda noſtra cum alterius commoditate conjungamus, accerſe; ſin minus, tamen hoc ipſum ſcire permagni mea refert, ut properem aliis rationibus mihi conſulere, etiamſi prius illud potius eſt. Quî cum enim cupiam potius mea conſummare ſtudia, quam tecum, quem ego primum bonis literis initiavi, quî cum ad jam prope abjecta ſtudia me revocavi, quî cum tot annos conjunctiſſime vixi? Verum ſi non potes quod vis, id velis quod poſſis. Oſtentatur neſcio quæ ſpecula de adeunda *Italia*, & prurit nonnihil animus, verum ſimulatque tuas literas accepero, meis de rebus ſtatuam. *Nicolaum Benſeradum*, qui me, ut ſcribis, plurimum valere cupit, ego viciſſim plurimum ſalvere jubeo. Tumultuor in mea *Copia*, ſed Muſis opinor invitis. Quid enim poſſum pulchri, omnibus bonis libris deſtitutus? Et altius ſeſe in receſſu opus aperit, quam in ingreſſu promittebat. Et tamen molior, quid enim aliud agam? Scilicet hoc ago, ne, quod eſt turpiſſimum, nihil agam. Cura ut valeas, mi *Auguſtine*, meque, quod ſoles, ama. Datum *Aurelia*, 9. Decembris, Anno 1499.

## EPISTOLA LXXIII.

*Eraſmus Rot. Batto ſuo* S. D.

SECVLVM exiſſe mihi videtur, ſuaviſſime *Batte*, quod nihil abs te redditur, & hoc ſolo nomine arcem iſtam male odi, quod perraro occurrunt, qui aut iſtinc ad nos, aut hinc ad vos commeent. Quod ſi *Lovanii*, aut in *Zelandia* ageres, aſſidua viciſſitudine literarum noſtrum deſiderium levaremus. *Ludovicum*, puerum quondam meum, una meis cum literis ad te miſi: is quoniam non revertitur, aut hæſiſſe iſtic, aut alio ſe convertiſſe videtur. Sed quoniam neque ipſe me volebam hyberno itineri committere, tum valetudini parcens, tum ne componendi laborem, in quo ſum totus, denuo intermitterem, & res vehementius opinione premebat, hunc etiam mercede data conduximus. Quid autem velim, paucis exponam. *Auguſtinus Pariſios* remigravit, amicus an inimicus, haud dum etiam exploratum ſatis, neque fronti, neque verbis ſatis tuto creditur. Verum non peſſime ſpero, malo enim hac in re candidior videri, quam ſuſpicioſulus. Mihi quoque remigrare, non ſolum commodiſſimum, verumetiam neceſſarium: tum ut quod *Græcis* in literis inſtitui, pergam: tum ut quæ in manibus ſunt, abſolvam. Sunt & aliæ cauſæ, quas epiſtolæ committere nolui, & vacuus neque hic ſedere poſſum, neque abire, niſi forte tu auctor eris, ut poſt tam capitales iras, atque adeo rixas, etiam amarulentas, ſupplex ultro ad *Auguſtinum* redeam, ſcilicet me victum indicans, & ferre non poſſe, ut ille me ſuo more deludat. Quod ſi animo ſim uſque adeo demiſſo, ut iſta perpeti queam, id eſt, ut nihil non queam pati, tamen haud etiam ſcio, an ille ſupplicem ſit admiſſurus, ut mori ſit ſatius, quam hujus rei ſubire periculum. Quicquid dabit, accipiemus quidem. A quo enim potius beneficium accipiamus, quam ab eo, de quo ſic meriti ſumus, & qui meo beneficio eſt quicquid eſt? verum nihil minus committendum puto, quam ut in eas anguſtias deſcendamus, ut aut illius opem ſuppliciter implorare cogamur, aut cum maximo noſtro tum pudore, tum incommodo carere. Quare non ſine tædio quodam, ſed tamen obfirmavimus nos, atque hic reſedimus, donec tu pecuniolam aliquam miſiſſes, ut *Lutetiam* reverſo liberum eſſet, vel *Auguſtini* uti benignitate, ſiquidem ille ſincere & ultro deferret, aut contemnere viciſſimque ulciſci, ſi perſonata fucataque benevolentia ſeſe aliqua prodidiſſet. Quæ res ut vel maxime ex animi ſententia cadat, id quod non tam ſpero, quam omnino non deſpero: tamen undecunque mihi nummorum aliquantulum erat corradendum, qui me veſtiam, qui *Hieronymi*, in quem commentarios paro, lucubrationes omnes, qui *Platonem* redimam, qui *Græcos* libros comparem, qui *Græci* operam conducam: hæc omnia quantopere ad gloriam meam, imo ad ſalutem pertineant, etiamſi puto te perſpicere, tamen oro ut mihi è re ipſa cognita, affirmanti credas. Incredibile dictu eſt, quam mihi flagret animus omnes noſtras lucubratiunculas ad umbilicum ducere, ſimul *Græca* facultatis mediocritatem quandam aſſequi, itaque deinde me totum arcanis literis dedere, ad quas tractandas jamdudum mihi geſtit animus. Valetudine ſum, gratia ſuperis, mediocri, & futurum ſpero: quare hunc in annum omnes intendendi nervi, ut & quæ cudimus, in lucem exeant, & Theologicarum literarum tractatione *Zoilos* noſtros, quorum maxima turba eſt, ad ſuſpendium, ut digni ſunt, adigamus. Jam olim magna minantem, aut noſtra deſidia, aut fatum aliquod iniquum, aut valetudo retardavit. Nunc, nunc tandem eſt ſuſcitandus animus, nunc omnes contendere nervos oportet, ut aliquando cum *Flacco* noſtro gloriemur, *Invidia quia major: Et jam dente minus mordeor invido*: hoc eſt, ut invidentiſſimorum hominum malignitatem, virtutis ſplendore obruamus: id quod ego ſuperis bene fortunantibus futurum confido, modo triennium vivere detur. Sed omnia pene mea fata in te uno ſita ſunt, quapropter pari ſtudio conantes nos adjutes oportet, id quod plurimis de cauſis præſtare debes: tum quia felicitatis noſtræ abs te profecta ſunt auſpicia: tum quod tam arcta neceſſitudo nos jam olim copulat, ut copulatior inter duos mortales eſſe non poſſit: tum quod tui nominis immortalitatem cum æternitate ſcriptorum meorum vides eſſe conjunctam, ut ſiquidem nos ingenio libros noſtros ab interitu potuerimus aſſerere, tui quoque candoris memoria nunquam ſit interitura. Eja age, mi jucundiſſime *Batte*, pectus iſtud tuum, candori & Gratiis conſecratum, excita, omnes benevolentiæ venas excute, ut ſi unquam de *Eraſmo* tuo juvando, amice cogitaſti, id quod nunquam facere deſtitiſti, nunc toto animo incumbas. Sed næ ego noſtræ neceſſitudini gravem jamdudum facio injuriam, qui quidem te rogem tam diligenter, quem admoneri plus ſatis fuerat futurum? Non orabo igitur, ut me ames: non enim potes ardentius: non ut fortunis meis faveas, quas tuis ipſius anteponis: non ut in curandis rebus meis fidem ſtudiumque tuum præſtes, quibus meipſum quoque vincis: ſed quod eſt omnium leviſſimum, id unum ut exorem permagni refert, ne quæ à nobis noſtris de rebus ad te præſcribuntur, logodædala credas eſſe, & arte conficta, quo noſtris commodis inſerviamus. Quod ſi quando per ocium aut jocis luſimus, aut pro re nata quid adumbravimus, habent illa, mi *Batte*, ſuum tempus. Nunc ita res habent, ut ſalibus indulgere neutiquam vacet, & nihil ſit cauſæ, cur quippiam mentiar. Ita velint ſuperi nos ambo mutua charitate feliciter conſeneſcere, & apud poſteros quoque amoris noſtri ſinceriſſimi memoriam quam diutiſſime vivere, ut nullum ego apicem his inſerui literis, qui cum hoc pectore diſſideat. Quid enim eſt quod tecum, id eſt, meo cum animo, communicare non aut tuto poſſim, aut libere debeam? Proinde te oro, mi *Batte*, ne quid horum, quæ ſcribo, pro fuco accipias, cum à me quidem magis etiam ſerio dicantur, quam utervis noſtrum velit: ne plane *Planum* illum referam *Horatianum*, & crure vere fracto, ridear ab omnibus, ſublevet à nemine: quod unum ſi perſuadeo, cætera tibi curæ fore ſcio. Domina ſi quid miſit, id velim certo tabellioni, aut *Ludovico* committas una cum *Britannica* pecuniola: aut huic denique, ſi certior non occurret, recte committi arbitror: habet *Aurelia* uxorem cum liberis, & complurium literas perfert. Quod ſi vel à domina nihil eſt allatum, vel tabellio non placet, tamen huic *Britannicos* nummulos fac tradas, quibus me *Pariſios* referam, id quod à feriis natalitiis facere conſtitui, & cautes nulla me poteſt eſſe nudior. Quid igitur tuus *Jacobus*, inquies, facit? Omnia, mi *Batte*, quæ à te ipſo ſolent, eo vultu, eo pectore, quo ſoles ipſe. Amat effuſiſſime, mi-

Digitized by Google

An. 1499. miratur unice, laudat sine fine. Fortunulas suas ita alacriter, ita libenter impartit, ut nemo unquam tam libens beneficium acceperit, quam hic dat: nihil allevandi gratia dicam, aut idem est qui tu, aut alter certe *Battus*: ita ad amussim tuum candorem, tuam charitatem, breviter, tuum istud sinceriſſimum niveumque pectus repræsentat. Sed erant permulta, quæ me *Parisios* revocabant, tum pudoris erat mei, amici tam integri, tamque parati, fortunulas non gravare. Exspectat enim magnam potius fortunam, quam possidet: & habet tamen sibi quidem mediocrem, mihi alendo fortassis angustam: quanquam ego illud vel præcipue candidissimo unione signandum arbitror, quod hic mihi contigit amicus non blandissimus, ut sunt permulti, sed certissimus, ut perpauci, aut fortasse nulli. Is te, mihi crede, jam non minus ardet atque meipsum. *Battus* illi in ore plurimus: videre, complectique, quoties te laudo, gestit. Redamabis igitur hominem, *Jacobus Jacobum*, candidissimus candidissimum, doctus eruditum, *Erasmi* admiratorem admirator pene nimius. Deposce me si operam luseris. Mitte pariter quod est in sarcinula de epistolarum præceptionibus: hoc enim opus à me perficitur: præterea *Augustinum* in membranis scriptum, tum orationis ad Virginem matrem exemplar, nam meum *Augustinus* avertit. De domina quid spei, quid nos amet Præpositus, quid Abbas à fratre non amico reversus de nobis sentiat, ecquid *Adagia* nostra placeant, ecquid ab *Anglis* novi, exspecto, ut ait *Cicero*, πάντα περὶ πάντων. Scripsi etiam per hunc *Antonio*, à *Disma* nimirum Abbatis fratre compulsus, hac quidem de causa. Adolescens ipse mente est optima præditus, ita ut nihil meminerim in vita vidisse aut ingeniosius, aut modestius: studia miratur unice, dignusque est omnino, qui vulgari ista eruditione videatur indignus: sed vivit in tutela, ut appellant, quadam neglectus, victu immundo & sordido, inter scurras potius quam studiosos, quos gladiorum usus delectat potius quam librorum, quique pulchrius ducunt nocturnis grassationibus, Bacchanalibus, quam ad librum lucubrare, & scis quam facile ætas illa improbo convictu depravetur. Adolescentulus partim ingenii bonitate, partim consuetudine nostra literas magis ac magis ardet, miserequc cupit ex illa hara ociosorum juvenum, ad meum *Jacobum* emigrare. Amant enim inter se mirum in modum, cupit ille quempiam vulgi dissimilem, qui toto pectore bonas literas amplectatur, cui doctrinam suam communicet: cupit alter, apud quem munde & totus in literis vivat. Quare tu quoque, si quid usu venerit, operam accommodabis tuam, ut Abbas hunc ex ea eximat familia, & *Jacobo Tutori* meo committat: & adolescentem bearis, & *Jacobo* nostro fueris gratificatus, & Abbas non dubium quin nobis omnibus hanc ob rem maximam sit gratiam habiturus. Ergo *Antonium*, ad quem scripsi, excitabis, ut Abbatem commoneat. Abbati ipsi mutata sententia non scripsi, nec scribere consilii est, donec tuis literis certior ero factus. Adibis *Audomarum* ipse, quo melius omni de re cognoscas. *Guilielmi* nostri ad me scriptam epistolam, ad te transmitto, scilicet ut rideas, est enim perquam faceta & technologa. Vide, obsecro, quibus ille anfractibus circumvehitur, quam huc atque illuc cursum flectit, ut tanquam aliud agens, eo denique evaderet, uti *Adagiorum* libellos aliquot mitterem, meo videlicet periculo, se bona scilicet fide sortem remissurum, haud stultus mercator: siquidem aliena pecunia, alienoque periculo suum lucrum facere noverit. *Jacobus* meus illi *Græcam* Grammaticen dono misit. Percupio enim illum has literas deguſtare, tuum erit eundem tuis epistolis frequenter excitare. Est per se lentior, tum genus illud vitæ, nullus studiorum comes, nullus æmulus, nemo mirator, nemo fautor, nullus honos, nulla præmia, quem tandem ista non vel ex diligentissimo ignavissimum reddant? Opus de epistolas scribendi præceptionibus præ manibus est, id, si videbitur, tuo Principi *Adolpho* dicabimus, de *Copia* item tentabimus absolvere. Tabellarius, qui has reddidit, mihi non incertus videtur: quare recte, quæ voles, commiseris. Si jam *Ludovicum* remiseris, tum scribito quid rerum illi mandaveris. *Petrum* tuum candidissimum cum optima conjuge meis verbis salutabis perdiligenter. *Adolpho* tuo me facies commendatum. *Jacobus* hic alter tu, alterum se, id est, te plurimum salvere jubet, cupitque tibi quam commendatissimus esse, & est, mihi crede, quem tu ames, non aulico, sed *Battico* amore. Vale, mi optime ac suavissime *Batte*. *Aurelia*, 11. Decembris antelucano, Anno 1499. An. 1499.

## EPISTOLA LXXIV.

*Erasmus Rot. Jacobo Batto* S. D.

BONI consules pro veteri tua humanitate, quod secus atque statueramus, hic permanemus, non temere mutato consilio. Nam principio nihil erat viatici, nisi quod mutuo sumpsissem: deinde jam à morbo revalueramus, tum hyberno itinere nonnihil terrebar, maxime hoc anno & multum & infeliciter peregrinatus. Et pestis, ut audio, jam propemodum sopitur. Adde huc hominum malevolentium fabulas, si totiens istuc recurrerem. Postremo *Jacobus* hic tui non tam nomine, quam animo similis, ea charitate me complectitur, ut si cæterorum nihil esset, hac una possem compede vinciri. Abbas porro adeo me invitat, ut prope etiam, ne veniam, deterreat. Qui si maxime nos amet, haud etiam scio, quam in partem sit nostrum hunc metum accepturus: tum ut est animo non plumbeo, ne dicam levi, si amat, melius amabit absentem. Sin fratrem imitabitur, expedit quam longissime abesse. De cujus quidem, mi *Batte*, levitate dicam an invidia, pudet me tibi queri. O infelices literulas meas, quibus talis anti-Mecænas contigerit, qui non solum non foveat, sed impense etiam invideat. Rediit nuper, ut scis, è *Lovanio Joannes Standonk* una cum paupere quodam magistello *Mechlinienſi*. Huic antistes ille gravis negotium dedit, ut *Parisiis* quam sagaciſſime omnes vitæ meæ latebras vestiget atque olfactet, ad seque deprehensa transcribat, magnificum etiam præmium pollicitus delatori. Addidit homo impudentissime levis se admirari, qua fronte *Parisiis* sedere ausim à se exauctoratus. Insaniſſimus si hæc cogitasset, quanto dementior, qui hæc scholastico & pauperi communicet. Auguror homini bilem augeri, partim quod negligi se putat, partim atque adeo maxime, quod fratri, aut aliis, à quibus forte meo nomine male audit, queri de se me putet. Verum hæc adeo animum mihi non eripiunt, ut magis etiam libeat *Parisiis* insigne aliquod facinus edere, quo illi rumpantur ilia. Habes quibus adductus causis ad te non venerim, alioqui veniendi avidissimus. Id consilium, ut spero, comprobabis. Cæterum, *Ludovicum* puerum olim meum ad te emandavi hoc quidem nomine, ut *Judoco* inserviat, quem ego jam rediisse puto: qui si nondum rediit, peto ut interea adolescentem alteri cuipiam commendes, aut certe, quod ille malit, ipse recipias, si quo modo possis. Est ea fide, ut nihil illi non concredi possit, id quod est in puero maximum. Tum scribit & expeditissime & polite, *Gallice* simulque *Latine*. Literatus mediocriter, patiens laboris, obsequentissimus, mente minime mala. Posset tibi quoque in libris transcribendis usui esse. Quare si illi per te erit prospectum, & mihi feceris gratissimum, & puero jam destituto subveneris. Quod si apud te locus erit nullus, vide ecquid apud Abbatem vacet. Sed si retines isthic puerum, fac tabellario, qui est in divo *Audomaro*, pecuniolas nostras quam primum committas ad me perferendas una cum *Aurelio Augustino*, qui est in membranis, & si quid præterea, quod mihi usui fore putas. Cum *Augustino* jamdudum me ipsa res reduxit in gratiam: agnoscit nomina, verum negat esse sibi quod det, & credo propemodum. Huic *Jacobo*

Digitized by Google

An. 1499. *bo* meo jam ſcutatos aliquot debeo. Quare non omnem modo pecuniam, quam habes meo nomine, mittas, verumetiam ſi quid ipſe mutuum potes *Eraſmo* commodare. Unde recepturus, inquies? à domina, quæ adeo non erit dura, ut natalem patiatur præterire. Sic eſt neceſſe, mi *Batte*, ſi me ſalvum vis. Haud temere hæc ſcribo. Si vero deſperas te puero huic poſſe conſulere, cave iſtic hærere ſinas, ſed continuo remittas, tuis literis, pecuniaque, & libro, præterea ſi quid eſt aliud, oneratum. Non potes aut ſcribere, aut mittere per certiorem. Laudo quod tam es in literis cautus, verum per hunc, mihi crede, quidvis garrire potes. Addes illi de noſtra pecunia viatiçi loco decem aut duodecim duodenarios. Sive autem iſtic retinebitur, ſive remittetur, veſtem illi nigram, quæ apud te eſt, meam donabis, ut habeat aliquod ex me miniſterii ſui præmium, niſi jam erit alienata. *N.* ut ſcribis perquam parce, id quod ego ſtolidiſſimo illi *Galbæ* imputo, cujus ejuſdem ſtultitia pecuniæ meæ in *Anglia* perierunt. Verum id interea muſſitabimus. Erit aliquando referendæ talionis locus. Nos nihilominus in literis inſtituto pergemus itinere. Pœnitet *Adagia* iſtuc diſtrahenda miſiſſe, cum hic & pluris veneant & frequentius. *Jacobus* hic meus, alter plane *Battus*, tanto affectu ſe tibi commendatum fieri cupit, ut majore nequeat. Dignuſque eſt, mihi crede, quem tu toto pectore complectare. Amat te effuſiſſime, tu ne committe, ut in amore victus videaris. Vale, mi *Batte*. Scripſi neglectius, ne quid teneram adhuc valetudinem exagitarem. *Aurelia*, Anno 1499.

## EPISTOLA LXXV.

*Antonio à Bergis, Abbati ſancti Bertini, Eraſmus Rot.* S. D.

EN tibi, pater humaniſſime, aſellum illum *Æſopicum* noſtræ referunt literæ, quibus quidem feſtivitatem tuam atque facilitatem iterum atque iterum expertis, tantum fiduciæ accrevit, ut audeant ad tuam amplitudinem & extemporales venire, quæ antea ne multa quidem cura comptæ id facere audebant. Quam tamen negligentiam nolim ſecuritati noſtræ tribuas, ſed literariis lucubrationibus, quæ me cum ſemper, quatenus per valetudinem licet, totum poſſident, tum in præſentia ita diſtringunt, ut ne valetudini quidem parcant. Nam *Græca* quædam forte fortuna ſum nactus, in quibus furtim tranſcribendis & pernox ſum, & perdius. Roget quis, quid ita me *Catonis* cenſorii delectet exemplum, ut hoc ætatis libeat *Græcari*. Si quidem puero mihi, pater optime, aut hæc mens fuiſſet, aut non defuiſſent potius mihi tempora, longe feliciſſimus eſſem. Nunc ita ſtatuo, ſatius eſſe vel ſerius diſcere, quam neſcire, quæ cumprimis oportet tenere. Delibavimus & olim has literas, ſed ſummis duntaxat (ut ajunt) labiis: at nuper paulo altius ingreſſi, videmus id, quod ſæpenumero apud graviſſimos Auctores legimus, *Latinam eruditionem, quamvis impendioſam, citra Graciſmum mancam eſſe, ac dimidiatam.* Apud nos enim rivuli vix quidam ſunt, & lacunulæ lutulentæ: apud illos fontes puriſſimi, & flumina aurum volventia. Video dementiam eſſe extremam, Theologiæ partem, quæ de myſteriis eſt præcipua, digitulo attingere, niſi quis *Græcanica* etiam ſit inſtructus ſupellectile, cum ii, qui divinos vertere Libros, religione transferendi ita *Græcas* reddant figuras, ut ne primarius quidem ille, quem noſtrates Theologi *literalem* nominant, ſenſus percipiatur ab iis, qui *Græce* neſciunt. Quis enim in Pſalmo * illud intelligat? *Et peccatum meum contra me eſt ſemper*, niſi *Græca* legerit, quæ ſunt hujuſmodi, ἡ ἁμαρτία μου ἐνώπιόν μού ἐϛι διαπαντός. Hic mihi Theologus quiſpiam longam texuerit fabulam, quomodo caro cum ſpiritu pugnet aſſidue, præpoſitionis ſcilicet [*contra*] deceptus amphibologia, cum illud ἐνώπιον, non pugnam, ſed ſitum ſignificet, perinde ac ſi dicas, *è regione*, id eſt, *in conſpectu*: ut ſignificarit Propheta, *culpam ſuam uſqueadeo ſibi diſplicere, ut ejus memoria nunquam ab animo recederet, ſed ſemper veluti præſens obverſaretur.* An. 1499. Quod autem alibi † eſt, *Bene patientes erunt, ut annuncient*: quis non figuræ lubrico decipietur, niſi à *Græcis* didicerit, quemadmodum *Romani* ſermonis conſuetudine bene facere dicimus eos, qui beneficio quempiam afficiunt: ita *Græcos* & πάθοντας *bene patientes* dicere, qui beneficio afficiantur: ut ſit ſenſus, *bene patientes erunt, ut annuncient*, bene cum illis agetur, & beneficiis meis juvabuntur, ut meam in ſe beneficentiam prædicent. Sed quid ego è plurimis & maximis, pauciſſima quædam & levicula repeto, cum mecum ſtet ſacroſancta Pontificii ſenatus auctoritas: cujus decretum exſtat adhuc in *Epiſtolis Decretalibus*, ut in præcipuis (uti tum erant) Academiis pararentur, qui *Hebraicas, Græcas, Latinaſque* literas perfecte poſſent tradere, quod ſine his divinas Literas percipi poſſe negarent, multo autem minus tractari? Quod ſaluberrimum ſanctiſſimumque ſenatuſconſultum adeo contemnimus, ut vel primis *Latini* ſermonis rudimentis abunde ſimus contenti: ſic perſuaſi ſcilicet, uno è *Scoto*, veluti è quodam *Copiæ* cornu, univerſa peti poſſe. Quo cum hominum genere non equidem pugno: ſit per me ſuum cuique pulchrum, ducat Caſcus Caſcam: mihi placet hac ingredi, quo me divus *Hieronymus* cum pulcherrimo tot Veterum cœtu vocat: quibus cum viris, ita me bene ament ſuperi, inſanire malim, quam cum neotericorum vulgo Theologorum quantumvis ſapere. Præterea molior arduum quoddam, &, ut ita dicam, *Phaethonteum* facinus, ut *Hieronymianos* libros partim ab iis ſemidoctis depravatos, partim ob rerum antiquarum, & *Græca* literaturæ inſcitiam aut obliteratos, aut truncos, aut mutilos, aut certe mendoſos, & portentis plenos, pro mea virili reſtituam: neque reſtituam modo, verumetiam commentationibus illuſtrem: ut apud ſe quiſque lector agnoſcat, *Hieronymum* illum, quem unum habet eccleſiaſticus orbis utraque doctrina ſacra & gentili, ut vocant, juxta abſolutum, ab omnibus legi poſſe, at non niſi ab eruditiſſimis intelligi poſſe. Id quoniam impendio conor, & *Græcanitatem* in primis adſciſcendam video, menſes aliquot *Græcum* didaſcalum audire decrevi plane *Græcum*, vel potius bis *Græcum*, ſemper eſurientem, & immodica mercede docentem. De maleficis nihil habebam quod ſcriberem, niſi quod è *Tutoris* mei literis cognovi, virum æterno carceri addictum, mero pane & aqua ſimplici ſaginandum: uxori trimeſtrem carcerem pœnam eſſe: puellulam in monaſterium ablegatam, ſi ſua ſponte, beatam; ſin minus, utroque parente damnatam acerbius: libri, gladius, cæteraque maleficii monumenta igni exurentur. Sed auguror à civili ſupplicio temperatum, quod omnis maleficii proditio ab eccleſiaſtico profecta ſit indice: cætera negat ab Officiali cognoſci potuiſſe. Bene vale. *Aurelia*, Anno 1499.

## EPISTOLA LXXVI.

*Eraſmus Roterod. Batto ſuo* S. D.

SALVE plurimum, ſuaviſſime *Batte*. Res noſtræ ſic habent, ut jam vel amantius blandiri, vel jocoſius ſtomachari neque libeat, neque liceat. Res meas accipies: quare te quæſo, ut *Batticum* illum animum adhibeas. Juvenis ille, quem ad te libris onuſtum miſeramus, intra quatuor hebdomadas reditum pollicitus, jam octo hebdomadas deſideratur. Neque ego neſcio plura ſolere iter facientibus præter opinionem obtingere, morbum, latrones, nova negotia, mille denique morarum cauſas. Verum non temere mihi ſummus inceſſit metus, ne quid iſta in re magnæ ſubſit fraudis. Principio, *Auguſtini* ingenium, & vetera facinora noſti: deinde, audio juvenem apud nos non paucis obæratum, tum neque ſapientem admodum, neque certum; ad hæc *Auguſtino* intimis conſiliis conjunctiſſimum: ea nunc demum emerſerunt, ita ut fit, poſt feſtum, ut ajunt. Equi-

* Is eſt L. juxta Vulgatam, at juxta Hebr. LI. ℣. 3.

† *Pſalmo* XCI. Vulgatæ, Hebr. vero XCII. ℣. 15.

dem

Digitized by Google

An. 1499. dem ſæpenumero mecum ſum admiratus, quod illud eſſet, tam repentinum in *Auguſtino* proluvium? quæ ſubita hominis metamorphoſis, ut qui ſemper aliena furari conſueverit, hunc ſua largiretur. Nam nunc demum paulo plus inſumpſit, quam à me acceperat. Suborta eſt nonnunquam animo ſuſpiciuncula, me inſcari, ut ſemel captus omnem rem ſolvam aucupi. Ea ſuſpicio, niſi plane fallor, me nunc neutiquam fallet. Id ut ita eſſe intelligas, quid acciderit cognoſce. Conceſſimus peſtis metu *Aureliam*. Ibi ſtatim poſt dies compluſculos juvenum alter, quos alit *Auguſtinus*, in morbum incidit, haud ſcio an contagioſum, necdum certum ſcimus. Nihil enim difficilius, quam loliginem illam ſuis ſe tenebris involventem deprehendere. Verum cum puer jam quatriduum & amplius aſſidue vomuiſſet, alvoque aſſidue cita uteretur, veritus ne quid ex his fœtoribus valetudinis contraherem, *Auguſtino* expoſui, commodius eſſe, ſi quinque aut ſex dies aliquo concederem, ipſi locum facerem, & naribus meis conſulerem: deinde redirem. Statim *Auguſtinus*, velut anſa arrepta, inimice id tulit, etiamſi magnopere id diſſimulabat. Negavit ſibi eſſe quod mihi ſuaderet, facere juſſit quod videretur, ſibi neque montem eſſe, neque conſilium. Id eo ſpectabat, quod mihi tum temporis ne obolum quidem eſſe putaret, & citra pecuniam nihil poſſe, ut aut manerem invitus, aut in magnum inciderem malum. Adjunxi me *Antuerpienſi* cuidam *M. Jacobo Tutori* Juris Pontificii profeſſori, juveni perhumano, noſtrique cupientiſſimo, literarum noſtrarum ſtudioſiſſimo & admiratori & prædicatori, ſed ita adjunxi ut ad *Auguſtinum* juvene recreato redirem. Hic *Auguſtinus* non modo iraſci, ſed etiam invidere huic cœpit: planeque partim obticendo, partim ænigmaticis illis ſuis figuris ſignificare, mihi reditum ad ſe intercluſum fore. Id tametſi pridem ſenſeram, libebat magis magiſque expiſcari. Simulabat ille multa, ut eſt homo, verum qui multa mentiuntur, non queunt ſemper ſui memores eſſe. Quid multa? deprehendi animum hoſtis, proditoris, latronis, & ut verbo abſolvam omnia *Auguſtini*, veteris, inquam, illius *Auguſtini*, quem tibi ex parte deſcripſi. Olfacio illum amara, perfida, ſubdola, denique ſe digna cogitare: illudque in primis quod diſſimulat maxime, ut juvenem, in *Angliam* quem miſimus, me clam excipiat, pecunias literaſque, ſi quas adferat, auferat. Quid tum poſtea? Deinde eundem alio ableget, multas ſcio cauſas, quibus id facillime poſſit. Mihi verba dabuntur, profugiſſe juvenem, nuſquam comparere. Interea fiet aliquid. Aut ipſe *Auguſtinus* aliquo ſe in fugam conjiciet, aut certe nos aliquo pacto perdet. Mihi crede, *Batte*, nihil ab eo exſpecto, niſi quod à perfidiſſimo ſicario ſoleat exſpectari. At miſere vereor, ne jam redierit juvenis, ac prædam prædo poſſideat, captatam certo ſcio, vel hoc argumento. Nam ipſi *Auguſtino* nuper exciderat multa mentienti, ut ſolet, ſe neſcio quid de juvenis adventu inaudiſſe, illum jam in itinere eſſe, nec *Pariſiis*, ſed alia via rediturum. Id eo ſpectabat, ne nos occurreremus, redeuntemque interciperemus. Ego continuo urgere cœpi, à quibuſnam id accepiſſet. Primum homo nugabatur, alias res interjiciebat: deinde ubi non deſiſto ſciſcitari ac premere, ait ſe ex quodam accepiſſe, eumque nominat. Ego protinus ad eum mitto, ecquid de *Joanne* audiſſet. Ait nihil, niſi quod ab ipſo *Auguſtino* inſtructus videbatur. Expoſtulo cum *Auguſtino*, quid mihi eum nuncii auctorem commonſtraſſet, cui narraſſet ipſe. Variat homo colorem, mutat ſermonem, tandem premente me, ait, ebrium fuiſſe qui id dixiſſet: nam ſe quicquid eſſet illi dixiſſe. Hujuſmodi technas permultas poſſem commemorare. Verum hoc habe, mi *Jacobe*, nihil unquam mihi fuiſſe exploratius, quam *Auguſtinum*, ſi clam poſſit perniciem mihi moliturum, inprimis his pecuniis inſidiaturum. Quare ſi me ſalvum vis, neque indormiſces hac in re, neque ulli labori aut ſumptui parces. Nam ſi hunc ſcopulum præternavigaro, cætera tuta fore confido. Hoc igitur eſt quod te volo facere, aut ſi quid habes melius. Si juvenis nondum rediit ex *Anglia*, poteſt fieri, ut ille alio littore tranſmiſerit in *Galliam*, videlicet à magiſtro ſuo admonitus. Quare ſi libros aut pecunias ex libris collectas penes te habes, cave è manu emittas: ſerva quod habes: ſin eum in *Zelandiam*, aut alio emiſiſti, iſque nondum rediit, enitere omni cura, ut juvenem ad te revoces, & quicquid habes eripias, maxime quod ad me pertinebit, ne nummulum quidem commiſeris. Dic te certum habere, me iſthic intra pauculos dies adfuturum. Et ſi honeſto prætextu potes, etiam *Auguſtini* res detine, nondum enim res omnes meas ab illo recepi. Si juvenis jam rediit, & apud te fuit, tu continuo per certiſſimos tabellarios tranſcribe, & quo die à te diſceſſerit, & quid pecuniarum, & quo nomine, & quas literas habuerit, ut *Auguſtino* lupo poſſim negotium exhibere. Adde in epiſtola ejuſmodi ſtimulos, qui poſſint hominem etiam confidentiſſimum, ut hic eſt, terrere: aut *Adrianum* mitte, qui ſi videbitur, nos ſalutet, & omnia fugitivi juvenis veſtigia odoretur. Hac in re, mi *Batte*, quicquid in te eſt doli, quicquid opis, quicquid diligentiæ, id totum effundas oro. Jam ſi juvenis ad te ex *Anglia* redeat, omnibus rebus bona fide peractis, nihilominus omnia, quæ mea ſunt, apud te ſerva, ne plumam quidem credideris, hoc quidem quo dixi prætextu. Tum ſi juvenis pridem iſthinc diſceſſit, & pecuniarum aliquid attulit: nec dubium videtur, quin *Auguſtinus* artem exercuerit ſuam, tu continuo in *Angliam* mitte, qui rem olfactet. Quicquid autem à juvene receperis, id per tabellionem divi *Audomari* mittito, & quidem probe inſtructum & præmonitum, ne ad *Auguſtinum* divertat, ſed aut ad *Diſmam* Abbatis fratrem, aut ad *Jacobum Antuerpienſem*, qui cum vivo, aut ſi cauſa videbitur *Adrianum* mittito. Vale, mi *Batte* optime ac ſuaviſſime. Per hunc juvenem, qui prætoris filium huc adduxit, nihil ſcripſiſſe demiror, cum tanta eſſet ſcribendi cauſa. Bene vale. Salutat te *Jacobus* meus familiaris. Libera me quam primum hoc metu, ſi fallor, malo: ſi recte, ſuſpicor. *Aurelia*, Anno 1499. An. 1499.

## EPISTOLA LXXVII.

*Eraſmus Nicaſio, Sacellano Cameracenſi, ſuo* S.D.

QVANQVAM antea mihi literarum nomine chariſſimus eſſes, *Nicaſi* doctiſſime, difficile tamen dictu fuerit, quantus cumulus meo in te amori ex illo noſtro convictu acceſſerit. Antea me tibi deditiſſimum habebas, nunc multo devinctiorem. Sed ſuſpecta quædam res eſt, verbis beneficium rependere. Tu ſi mei in te animi periculum facere velis, aliquid viciſſim oneris imponito. Nullam ſarcinam tam gravem, tam moleſtam injeceris, quæ mihi tua cauſa non leviſſima, non etiam jucunda videatur. Epiſtolam tuam reddidi diligenter. *Thomam Cameracenſem* tuo nomine ſalvere juſſi. Tu quod es pollicitus fac præſtes, ut ad me quam ſæpiſſime ſcribas. *Michaelem Pavium* præceptorem meum, nominatim vero illum hoſpitem, virum (ita me Deus amet) Epiſcopatu dignum, cujus nomen excidit, humanitas, comitaſque, qua me iſthic tractavit, nec excidit, nec excidet unquam, meis verbis ſalutabis accurate, & tuo more, hoc eſt, diligentiſſime gratias ages. Bene valere te cum tuis omnibus precor. *Pariſiis*, 14. Decemb. Anno 1499.

## EPISTOLA LXXVIII.

*Eraſmus Greverado Advocato* S.P.D.

QVOD ignotus ignotum meis literis inexſpectatis interpellare ſum auſus, vir optime atque integerrime, non tam debes improbitatem accuſare meam, quam benevolentiam, & ab hac profectam fiduciam



Digitized by Google

An. 1499. amplecti: quanquam qui mihi ignotus esse potes, cujus animum, mores, studium, *Henricus Noorthonius*, homo omnium qui vivunt, minime mendax, familiari sermone ita sæpenumero descripsit, ut non aliter quam in tabula depictam tui imaginem coram videar intueri? Si tantam vim habet probitatis & eruditionis admiratio, ut toto fere orbe disjunctos, arctissima tamen charitatis copula conjunctissimos esse videamus; ego viri tam modesti, tam studiosi, tam candidi bonarum literarum admiratoris, & tam vicini, gratiam non quavis etiam ratione conabor aucupari? Neque vulgari sermone tecum hanc mutuam benevolentiam inire est animus. Sancta quædam res est eruditorum societas, & non nisi sancto aliquo pignore sancienda. Id quale sit, jam paucis exponam. Flagrat jam olim mihi incredibili ardore animus, *Hieronymianas* Epistolas commentariis illustrandi, & nescio quis Deus mihi pectus accendit, agitque ut rem tantam, & à nullo hactenus tentatam, audeam animo concipere. Movet me viri cœlestis & omnium Christianorum sine controversia longe tum doctissimi, tum facundissimi pietas: cujus scripta cum digna sint, quæ ab omnibus passim legantur & ediscantur, vix pauci legunt, pauciores mirantur, pauciissimi intelligunt. Deum immortalem, *Scotus*, *Albertus*, & his impolitiores Auctores, omnibus in scholis perstrepent, & ille unicus religionis nostræ pugil, illustrator ac lumen *Hieronymus*, qui meruit ut unus celebraretur, unus ex omnibus tacebitur? Sed rem video indignissimam, ob hoc ipsum negligi *Hieronymum*, per quod promeritus est ne negligeretur. Nocet auctori eloquentia, quæ religioni profuit. Alienat multos abstrusior eruditio, qua potissimum oportebat eum commendari. Pauci itaque mirantur, quem perpauci intelligunt. Quod si talis auctor dignis commentariis fuerit illustratus, futurum prospicio, ut *Hieronymiana* gloria, tanquam nova luce accepta, quam latissime enitescat: ut passim in scholis, in auditoriis, in templis, domi, publice, privatimque legatur, & ediscatur. Nec me adeo fallit, quam audax facinus animo præsumpserim. Primum, quanti negocii fuerit mendas, quæ per tot secula penitus insederunt, eradere? deinde quantum in illo antiquitatis, quantum Græcarum literarum, quantum historiarum? tum quæ phrasis, quod dicendi artificium, quo non Christianos modo omnes longo post se intervallo reliquit, verumetiam cum ipso *Cicerone* certare videtur? Ego certe, nisi me sanctissimi viri fallit amor, cum *Hieronymianam* orationem cum *Ciceroniana* confero, videor mihi nescio quid in ipso eloquentiæ principe desiderare. Tanta in hoc nostro varietas, tantum sententiarum pondus, tanta enthymematum volubilitas. Quod artificium in eloquentium literis indicare, ut difficillimum est, ita longe utilissimum. Id quod ita me, modo ipse dexter adsit, confecturum confido, ut qui hactenus *Hieronymianam* eloquentiam sunt admirati, jam eloquentem fuisse, se nescisse fateantur. A me quidem, quicquid vigiliis, quicquid assiduo studio, quicquid eruditione mediocri, quicquid ingenio non pessimo præstari poterit, id sedulo *Hieronymo* præstabitur. Verum ut ad grave bellum auxiliaribus copiis, ita & ad tam arduum negocium, duce aliquo, & auspice opus esse video. Quem vero ex omnibus ad id maxime idoneum deligam, nemo te melius possit indicare, vel quod tu hujus auctoris præcipuo quodam amore perpetuo flagrasti, (ita enim mihi narrare solebat *Henricus*) vel quod hoc tanto pignore, mutuam hanc inter nos societatem & benevolentiam placuit initiare. Age, vir optime, da dextram, & mecum ad tam pulchrum facinus magno animo accingere. Aderit ipse, & literarum suarum, quas tantis vigiliis excudit, vindicibus favebit: nec sua tam pius labor noster mercede fraudabitur. Bene vale. *Parisiis*, 18. Decembris, Anno 1499. Vide quantum fiduciæ mihi tui mores præstant, qui perinde ut jam vetulus & notus amicus, tam indiligenter ad te scri-

A

B

C

D

E

F

bere non verear. Cætera ex tabellario *Augustino Caminudo*, viro & doctissimo, & mihi conjunctissimo, cognosces, qui literas humanitatis, quas vocant, in urbe *Parisiorum* maxima cum laude professus est: hunc tu tuo more complecteris, est enim tuo amore dignissimus. *Lutetiæ*, 18. Decembris, Anno 1499. An. 1499.

## EPISTOLA LXXIX.

*Erasmus Christiano Lubecensi* S. D.

CVM te incredibili quodam ardore literarum flagrare minime dubitarem, *Christiane* non vulgaris amice, hortatore nihil opus esse putavi, sed ejus quam ingressus esses viæ duce modo ac tanquam indice, id quod mei officii esse judicavi, videlicet ut tibi homini non modo copulatissimo, verum etiam jucundissimo, vestigia, quibus ipse à puero essem ingressus, commonstrarem. Quæ si tu pari cura accipies, atque ego dicturus sum, futurum confido, ut neque me monuisse, neque te paruisse pœnituerit. Prima igitur cura sit, ut præceptorem tibi deligas quam eruditissimum; neque enim fieri potest, ut is recte quenquam erudiat, qui sit ipse ineruditus; quem simulatque nactus eris, fac omnibus modis efficias, ut ille patris in te, tu filii vicissim in illum induas affectum. Ad quod quidem cum ipsa honesti ratio nos debet adhortari, (quod non minus debeamus his, à quibus recte vivendi rationem, quam à quibus vivendi initia sumpsimus) tum mutua ista benevolentia tantum ad discendum habet momenti, ut frustra sis literarum præceptorem habiturus, nisi habueris & amicum. Deinde ut te illi & attentum & assiduum præbeas. Contentione enim immodica nonnunquam obruuntur ingenia discentium. Assiduitas vero & mediocritate sua perdurat, & quotidianis incrementis majorem opinione acervum accumulat. Satietate cum omnibus in rebus, tum in literis nihil periculosius. Laxanda est igitur aliquoties illa literarum contentio. Intermiscendi lusus, sed liberales, sed literis digni, & ab iis non nimis abhorrentes, imo mediis ipsis studiis perpetua quædam voluptas est intermiscenda, ut ludum potius discendi quam laborem existimemus. Nihil enim perdiu ferri potest, quod non agentem aliqua voluptate remoretur.

OPTIMA quæque statim ac primum discе. Extremæ est dementiæ discere dediscenda. Quod in curando stomacho solent præcipere medici, idem tibi in ingeniis servandum puta. Cave aut noxio aut immodico cibo ingenium obruas: utroque enim juxta offenditur. *Ebrardon*, *Catholicontem*, *Brachylogum*, cæterosque id genus, quos percensere neque possum, neque operæ precium est, iis relinquito, quos barbariem immenso labore discere juvat. Initio non quam multa, sed quam bona percipias refert. Sed jam rationem accipe, qua possis non solum rectius, sed etiam facilius discere. Hoc enim in homine artifice præstare solet artis ratio, ut tantundem operis, cum rectius expeditiusque, tum levius etiam efficiat. Diem tanquam in operas partire, id quod & à *Plinio Secundo* & à *Pio* Pontifice maximo, viris omni memoria præstantissimis, factitatum legimus. Principio, quod caput est, præceptorem interpretantem non attentus modo, sed & avidus auscultato: non contentus impigre sequi differentem, aliquoties prævolare contende. Omnia illius dicta memoriæ, præcipua etiam literis mandabis, fidelissimis vocum custodibus: quibus rursus ita confidas cave, ut dives ille ridiculus apud *Senecam*, qui sic animum induxerat, ut se tenere crederet, quicquid servorum quisquam meminisset. Noli committere ut codices habeas eruditos, ipse ineruditus. Audita ne effluant, aut apud te aut cum aliis retracta. Nec his contentus, aliquam temporis partem tacitæ cogitationi tribuere memento, quam unam divus *Aurelius* tum ingenio, tum memoriæ in primis conducere scripsit.

Con-

Digitized by Google

An. 1499. Conflictatio quoque & tanquam palæstra ingeniorum pervos animi præcipue tum ostendit, tum excitat, tum adauget. Nec sciscitari si quid dubitas, nec castigari si quid errabis, sit pudor. Nocturnas lucubrationes atque intempestiva studia fugito: nam & ingenium exstinguunt, & valetudinem vehementer offendunt. Aurora Musis amica est, apta studiis. Pransus aut lude, aut deambula, aut hilaris confabulare. Quid quod inter ista quoque studiis locus esse potest? Cibi non quantum libidini, sed quantum valetudini satis sit, sumito. Sub cœnam paulisper inambula: cœnatus idem facito. Sub somnum exquisiti quippiam ac dignum memoria legito, de eo cogitantem sopor opprimat, id experrectus à teipso reposcas. *Plinianum* illud semper animo insideat tuo, *omne perire tempus quod studio non impartias*. Cogita juventa nihil esse fugacius, quæ ubi avolarit semel, redit nunquam. Sed jam hortator esse incipio indicem pollicitus. Tu, suavissime *Christiane*, hanc formam, aut si quam poteris meliorem, sequere, ac bene vale. *Parisiis*, An. 1499.

## EPISTOLA LXXX.

*Erasmus Batto suo* S. D.

PER quem mihi meas lucubrationes miseras, per hunc ego tibi *Laurentii* partem una meis cum literis remisi. Tabellioni, ita ut jusseras, octo denarios dedi: præterea nihil erat quod scriberem novi. Evenit mihi quod vulgo solet, ut vulnus illud in *Anglia* acceptum, nunc demum dolere incipiat, posteaquam inveteraverit: & hoc magis dolet, quod cum indignissima sit conjunctum contumelia, nulla tamen à me talio referri potest. Quid enim ego aut cum *Anglia* universa dimicem, aut cum Rege? nihil illa commeruit, & in eum scribere, qui possit non solum proscribere, verum etiam occidere, dementiæ extremæ puto. Quare hac in re cum *Themistocle* obliviscendi artem opto. Sum quidem totus in literis, & *Adagiorum* priscorum collectanea meditor conscribere, tumultuario quidem opere. Video *Chiliades* aliquot futuras, verum duas duntaxat, aut tres ad summum centurias emittere est animus: eas tuo *Adolpho* dicabo. Miror te per hunc *Francisci* fratrem nihil scripsisse. Vide ut sarcinam diligenter meam exceptes: nam *Galba* ille, ut scis, harpyja est: exceptam diligenter ad me mittas. Est in ea tunica, partim nigro, partim subnigro suffulta; est chlamys abs te empta, est caligarum violaceo colore par; est *Augustini Enchiridion* membranis scriptum; sunt *Pauli* Epistolæ; sunt alia nescio quæ. *Græca* literæ animum meum propemodum enecant: verum neque precium datur, neque suppetit, quo libros, aut præceptoris operam redimam. Et dum hæc omnia tumultuor, vix est unde vitam sustineam: hoc literis nostris debemus. Bene vale, *Batte* charissime. Quæso te ne quid nostræ querelæ moveant: libuit enim, ut soleo, apud te animi curas effundere: cæterum, animum non temere abjiciemus, & juxta vetus adagium, dum spirabimus, sperabimus. *Parisiis*, Anno 1499.

## EPISTOLA LXXXI.

*Erasmus Roterodamus Batto* S. D.

MULTIS nominibus tibi gratias agere debeo, mi *Batto*, qui vigilias meas, hoc est, opes, miseris, cum mature, quod non soles, tum optima fide, ut consuesti facere: denique per tabellionem non modo diligentem, verum etiam facundum: ita ut mihi non illius labori modo, verum etiam orationi fuerit referenda merces: verum artem arte lusimus, & juxta vetus proverbium, *Contra Cretensem Cretissavimus*. *Anglica* fata *Parisios* usque nos sunt persecuta. En tibi alteram narro tragœdiam, priore etiam atrociorem. Pridie Calend. Februarias *Ambianos* pervenimus, bone Deus quam duro itinere! *Juno*, opinor, aliqua rursus *Æolum* in nos excitarat. Ego cum jam de via ita essem affectus, ut morbum etiam metuerem, cœpi de equis conducendis cogitare, non paulo præstare ratus, corpusculo quam nummulis parcere. Et hic sunt ad perniciem secunda omnia. Dum diversorium solitum peto, obiter forte ædes prætereo quasdam, equis locandis inscriptas. Ingredior, advocatur locator, homo effigie & habitu ita adamussim *Mercurium* referens, ut mihi primo quoque congressu furis suspicionem dederit. Convenit de mercede, conductis duobus equis, iter sub vesperum ingredimur comitante juvene quodam, quem generum esse suum ajebat, qui jumenta domum referret. Postridie ad viculum quendam, cui divo *Juliano* nomen est, perventum est, & quidem multa adhuc luce, locum latrocinio destinatum. Ego ut pergeremus hortabar. Ille latronis discipulus cautari, equos non esse supra vires defatigandos, satius esse illic pernoctare, ac postridie id dispendii anticipata luce sarcire. Non repugnabam magnopere, nihil etiamnum sceleris suspicans. Jam propemodum cœnaveramus, cum ministra juvenem illum, una nobiscum accumbentem, à convivio sevocat, alteri equo nescio quid mali esse dictitans. Discedit adolescens, sed eo vultu, ut aliud nunciatum intelligeres. Ego continuo puellam revocans, Heus, inquam, filia, utet equorum male habet, meusne an hujus? Nam aderat *Anglus* itineris mei comes. Et quid tandem est mali? Illa conscientiam constanter dissimulare non valens, subrisit, & figmentum confessa, venisse notum quendam ajebat, qui juvenem ad colloquium evocasset. Nec ita multo post locator ipse, qui jugulos nostros victimæ destinarat, cœnaculum ingreditur. Nos admirari, rogare quidnam accidisset, quod tam inexspectatus atque improvisus adesset. Ait rem adferre flebilem, filiam suam, ejus juvenis uxorem, ita ab equo calcibus percussam, ut jam animam propemodum agerét, tumultuario itinere sese accurrisse, ut eum domum revocaret. Mihi jam tunc commentum obolere cœpit. Utriusque vultum & gestus curiosius observo. In locatore illico inconstantiam quandam animadverto, in juvene stuporem, qui è regione accumbebat; ac mecum protinus *Ciceronianum* illud, *nisi fingeres non sic ageres*. Jam mihi nihil agendum putabam, nisi ut ab homine absolverer, quippe qui nihil usquam viderem, quod non latrocinium saperet. Augebant anteacta suspicionem, quod quum *Ambianis* de mercede convenisset, ille data opera me rogavit, quasnam esset pecunias accepturus. Subito aderant, nec scio unde emerserant, qui sermonibus adjuvabant fabulam. Mihi laudabant locatorem, gratulabantur de tali comite, me vicissim locatori commendabant. Rogabat semel atque iterum locator, ecquem haberem postulatum, id est nomisma rarius. Nego mihi esse. Deprompsi scutatum unum atque alterum, qui tametsi satis probarentur, tamen blandius efflagitabat, ut è multis, quos habere me putabat, unum aliquem bellissimum darem. Est enim hoc hujus sceleratissimæ artis caput, explorare quantum quisque viator secum portet. Ostendebam quos tum habebam, è quibus ille bellissimum sibi retinuit. Accedebant ad maleficii conjecturam quædam à juvene in itinere dicta ac facta: quæ consilio soceri de composito præparata videri possent. E duobus equis alter erat ignavissimus, ut in fuga nihil futurum fuerit præsidii. Is, cui ego insidebam, in collo vulnus ingens habebat, adhuc unguentis oblitum. Non ita procul aberamus ab urbe, rogat juvenis, sibi liceat à tergo meo in lumbos equi conscendere, jumentum assuetum ferendis duobus, ne quid metuerem equo. Sero, inquit, exivimus, hoc celerius perveniemus. Passus sum; oritur sermo variis de rebus. Sic loquitur de socero, quasi non optime de illo sentiret. Est & hoc unum è latronum mysteriis. Interea crumena mea defluit in tergum, inerant autem octo ferme coronati aurei. Is reponit ad umbilicum. Rursum defluentem reponit, admonens, ut crumena semper sit in oculis. Ego ridens, quorsum, inquam, attinet servare vacuam? Ob-

An. 1499. ſcura jam nocte nemus quoddam emenſi, tandem in vicum quendam emerſimus. Juvenis circumſpectans, fingit ſe neſcire, ubinam locorum eſſet, ducit nos in ædes neſcio quas. Jubeo ut juvenis ipſe ſe curet ſuo more, nos utrique jejuni cubitum imus. *Anglus* hoc religioni dabat, ego valetudini: nam graviter è ſtomacho laborabam. Accedit mulier nobis ut putabat altum dormientibus; multa cum ignoto illo, ut ſimulabat, juvene familiariſſime collocuta eſt. Tandem juvene ſubmonente, reliquus ſermo ſibilis peractus eſt, ut exaudire non poſſem. Ante lucem extrudo eos ad iter. Toto itinere tracto juvenem ſane comiter. Ubi perventum eſt ad oppidum, cui nomen *Claro monti*, paro ingredi, non illic acturus noctem, ſed aurum commutaturus, ne quid ea res eſſet in mora in vico pernoctantibus. Diſſuadet juvenis, affirmans ſibi ſatis eſſe monetæ argenteæ. Itaque ad lævam oppido relicto pergimus. Jam vico proximi cum eſſemus, forte præceſſerat *Anglus* una cum juvene, ego ſequor, ſicut meus eſt mos, neſcio quid meditans nugarum, & totus in illis. Interim imprudente me deſcenderat *Anglus*. Juvenis adduxerat equum ad fores, ubi nunquam fuerat diverſorium. Ubi ſenſi, demiror quid cogitet. Ille circumſpectans, negat ſe illic intra quatuordecim fuiſſe annos. Rogat quod mihi placeat diverſorium. Quid ſi huc, inquit, divertamus? Et oſtendit domum deſtinatam. Non abnuo, memor quod illic olim ſat commode acceptus fuiſſem, ſed ignarus hoſpitem eſſe mutatum. Datur ex more cubiculum. Apponitur vinum, ſed male reſpondens palato: atqui vix eramus ingreſſi, cum video ignoto illi juveni in culina vinum in vitro appoſitum, eo colore ut mihi gratularer. Hac igitur ſpe fruſtratus deſcendo, expoſtulo cum hoſpite: Mutatur vinum. Hæc jam tum mirabar magis, quam habebam ſuſpecta. Quare ut ad intermiſſum narrationis ordinem redeam, jam certa ſuſpicione latrocinii, id agere cœpi, quo me cultro ſubducerem. Quid igitur, inquam, tibi in animo eſt? Ego, inquit, fortaſſe vos *Pariſios* deportabo, verum huic genero plane domum eſt recurrendum. Imo, inquam, commodius dabo conſilium. Quando caſus tam acerbus vobis accidit, ut tu filiam, hic uxorem prope perdiderit, illud veſtra cauſa faciam: habes à me ſcutatum ſole inſignem, reſtant paſſ. quatuordecim millia, diminue de ratione mercedis, quantum de itinere ſupereſt, ac redite. Nos reliquum iter aut pedibus conficiemus, aut equos mutabimus. Caput quatiebat homo, deinde deſcendit, juvene relicto, mira latrocinii peritia, ut quid nobis eſſet ſententiæ per hunc expiſcaretur. Hic ego accito adoleſcente, Heus, inquam, quæſo, verum dicas, quidnam de uxore tua cedo? Confeſſus eſt rem commentitiam, verum ſocero neceſſarium eſſe iter *Pariſios*, ut creditum repeteret. Ne quid, inquit, illius oratione commoveare. Quin vos cras ſummo diluculo equos conſcendite, nos utrique conſequemur. Atqui non temere eſt, inquam, quod nos tanto itinere tam repente aſſequitur, & quidem noctu, tum die tam ſacro. Erat enim poſtridie Virginis matris purgatio. Et quorſum, inquam, attinet tot concinnare mendacia? Juſſit me adoleſcens bono eſſe animo, ſe omnia ex mea facturos eſſe ſententia. Quod ſi quid ille gravetur, inquit, ego non deſeram te donec mihi rumpatur cor, atque hæc vultu illo ſtupido. Ita adſimulabat ſeſe, tanquam furtim mihi contra ſocerum ſtuderet: deinde deſcendit & ille, quid, niſi ut præceptori ſuo rem renunciaret. Interea ſolitudinem nactus, *Anglum* rogo, quid tandem ipſi videretur. Is præter latrocinium paratum nihil ſe videre reſpondit. At quid, inquam, conſilii? Jam nox erat profunda. Venit interea cauponaria lectos inſtratura, rogo ubinam effemus cubituri; lectum oſtendit. Et ubi reliqui duo? in altero, inquit, hoc lecto, qui communi cubiculo continebatur. Tum ego, eſt mihi, inquam, quiddam nugarum tranſigendum cum hoc meo comite, ſine nos in hoc cubiculo cubitare ſolos, dabitur merces utroque pro lecto. Ibi venefica mulier, & quid ageretur haud ignara, primum ſuadere cœpit, ut una potius cubaremus: eos eſſe viros probos, nec cauſam eſſe, quo minus illos in cubiculo domi mire vellemus: ſi quid inter nos haberemus communicandum, id ſermone noſtrate licere fieri: ſin pecuniæ noſtræ timeremus, illis ſervandam committeremus, ovem (ut ajunt) lupo. Et ut malefica dignum erat, manifeſtaria vanitate reliqua cubicula jam hoſpitibus occupata ementiebatur, cum præter nos nemo in illis ædibus eſſet hoſpes. Quid multa? argumentis victa, obſtinate ſeſe id facturam negabat. Jubeo fores igitur aperiat, ac nos aliquo ejiciat. Ne id quidem ſe facturam affirmat, deſcenditque irata, ac ſubmurmurans, & homicidæ illi rem omnem renunciat, me de gradibus ſubauſcultante. In *Anglo* nihil erat neque animi, neque conſilii, neque linguæ; nam *Gallice* prorſus neſciebat. Mihi primum illud viſum eſt eſſe conſultiſſimum, obice ferreo occludere cubiculi oſtium, objecto & ingenti ſcamno querno: verum, id conſilium mox diſplicuit, reputanti nos in tam vaſtis ædibus ſolos objici pluribus: & jam multa nox erat, nec uſquam vociferatio potuiſſet exaudiri, niſi qua parte cubiculum ſpectabat viam publicam. At illic obſtabat templum monaſterii cujuſdam. Interea dum circumſpicio melius aliquod conſilium, nec ſatis occurrit, puella pulſat fores. Ego clanculum ſubmoto ſcamno, rogo quid velit. Reſpondit neſcio quid adferre, ſed voce alacri. Aperio fores, blandior & adludo puellæ, quo metum diſſimulem. Sedemus interim tanquam duæ victimæ mactatorem exſpectantes. Convenit tamen inter nos, ut ocioſe ſobrieque fabularemur ad ignem abſque potatione, donec intuſiati caligatique viciſſim dormiremus ac vigilaremus. Paulo poſt ingreditur bonus ille vir, tanquam omnium rerum ignarus, obſervo hominem oculis diligenter. Quo fixius contemplor, eo certius latronem video: qui cum tandem ſe una cum ſuo tyrone lecto compoſuiſſet, conſequimur & nos, nec ea nocte quicquam ſenſimus, niſi quod experrectus *Anglus* gladium, quem ad pulvinum locaverat, longe amotum in extremum uſque cubiculi angulum reperit: nam duobus nobis unicus duntaxat erat enſis, ac chirotheca loricata. Hæc erat noſtra panoplia. Ego multo ante diluculum conſurgo, feneſtras ac foreſ cubiculi aperio. Jam luceſcere clamo, ſtrepo, familiares expergefacio. Dum finem non facio, ibi latro voce, quam diceres eſſe non ſomnolenti, quid paras, inquit? Vix dum eſt hora noctis undecima. Ego contra clamo, cœlum eſſe denſiſſimis obductum nebulis, mox clarum diem emicaturum. Atque hæc potiſſimum in feneſtris. Quid multis? adfertur lucerna. Interea ut obſervarem, quid ageretur in inferioribus ædibus, decurro, obambulans ac circumſpectans, offendo latronum equos ſtantes ephippiis impoſitis, quomodo neceſſe erat eos totam ſtetiſſe noctem, cum præter modo excitatam puellam nemo non eſſet in ſtratis: tandem ſurgunt & noſtri carnifices. Ibi res quæpiam incommoda, ut videbatur, nobis ſaluti fuit: nihil enim latronem illum exciverat, niſi quod nos quam pecuniоſiſſimos eſſe exiſtimaret: at hæc una res illi fidem facere potuit, nos tenui pecunia eſſe. Minuſculum erat argenteæ pecuniæ, quam ut cauponi pro cœna atque equis omnium ſatisfacere poſſem. Aut igitur ille aureum mutaret juſſi, aut locator meo nomine quinque duodenarios (tantum enim deerat) redderet, apud divum *Dionyſium* à me recepturus. Cauponaria neque ſibi lances domi, neque qui mutaret aurum eſſe, jurabat. Latro ille ait ſe ea quidem lege facturum, ſi ſibi aureum pignoris loco tradidiſſem, hortabatur impendio id ut facerem cauponaria, mulier ut ſceleſta ita & impudens & ſtulta. Unde multa ac longa inter nos rixa. Poſcebam mihi fores aperiret, meipſum mutandi auri cauſa monaſterii Priorem, quod è regione eſt, aditurum, illa negabat. Rixatum eſt ad lucem uſque, tandem juſſi ſumus aurum, quod mutatum vellemus, proferre.

Pro-

Digitized by Google

An. 1499. Protuli, ibi alii nummo pondus deerat, alius adulterina materia dicebatur, alius parum solidus, hoc nimirum consilio, ut si quid reconditi esset auri, id proferre cogeremur. Ego cum sancte adjurassem, mihi præter eos nullos esse aureos. At comitem, inquit, quin tu suos proferre jubes? Video enim illum belle esse nummatum, idque jam blandius cœpit poscere. Ego vero vultu & voce, ita ut solent & vera & ex animo loquentes, nihil comiti præter syngraphan esse dejero. Profertur denique libripens, prodit & caupo, ibi libratum est sesquihoram, nec aureus erat, cui non aliquid scrupulorum deesset. In aliis deerat ponderi, in aliis causabantur materiam. Animadverti tandem & lancibus subesse fraudem & ponderi. Et forte fortuna id quod erat gravius manu corripio, cauponе etiam imprudente. Reliquum erat, ut altero ponderaret, & repente utraque lance aureus proponderabat. Ita utramcunque lancem translatus esset, tam inclinabat: erat enim nummus pervetustus, cui supererat ultra legitimum pondus, ut in his decrescunt omnia. Jam jugulis nostris uteunque consultum erat, nihilque agebatur, nisi ut lucelli aliquid per calumniam abraderent. Tum latro ille spe propemodum frustratus sua, vel quod parum magnifice nos nummatos intelligeret, vel quod se jam in certam suspicionem nobis venisse videret, meque nonnihil etiam minitantem: denique quod jam multus esset dies cauponem, sibi nimis quam familiarem, à nobis sevocat. Quonam? inquis: in thalamum ipsum, si dis placet, in quod latro ille solum se receperat. Vide ut propemodum sit inter fures, quam inter reliquos mortales, fides major atque humanitas. Aureum inter sese mutant, pro cœna & equis retinent quantum libuit. Accepi viginti tres denarios, equidem lætus: tum metu, quantum mea fert simplicitas, dissimulato, quin, inquam, jam equos conscendimus? Stabat etiam non ociosus locator ille. Quid tibi, inquam, in animo est? cur non hinc fugimus? An ire ne nunc quidem paratus es? Non sum, inquit, nisi universum summam reddideris. Et quantum tandem poscis, inquam? nam supra scutatum tres ad illum duodenarii redibant: poscit impudentissime quantum libitum erat, & quantum poscere conveniebat impudentissimum latronem. Duc igitur, inquam, ita ut recepisti me *Parisios*, atque illic ratione inita quod tuum erit accipies. At ille, quid, inquit, mihi *Parisiis* des, qui hic etiam mecum pugnas? Sapiebat, non passus est se à suo latrocinio extrahi: nam à me quidem ista fingebantur, quippe cui nihil minus fuerit in animo, quam cum carnificibus illis itineri me committere. Paulisper rixatus, cum ille nihil se commoveret, ad sacrum me ire fingo: verum recta transmisso flumine *Parisios* peto, nec prius latronis sicam timere desivimus, quam *Dionysius* nos mœnibus suis exciperet. Postridie Calend. Februarias *Lutetiam* pervenimus, itinere vexati, exhausti pecuniis, ubi cum mihi nihil esset negotii, nisi ut tunicam reponerem, hoc ipsum parum expeditum offendimus. *Gallorum* sanctimoniam accipe. *Falco* discedens scripto etiam mandaverat, ut mihi reverso vestis quamprimum redderetur. Venio, repono: Ajunt homines illi religiosi (ut videri volunt) vestem pignori relictam, si *Francum* darem, ad me redituram esse. Me vero rem accuratius exploratum pergente, restituunt una cum scripto, quo semet manifestissimæ vanitatis arguebant. Superfunt mihi tres scutati iniquissimi ponderis. Hospitium adjunxi cum *Augustino* vetere amico: vivimus in literis tenuiter quidem, nec tuam tamen tibi arcem invidemus. Quod Dominæ mitteremus erat nihil, eaque gratia juvenem hunc in *Britanniam* extrusimus, si quid forte queam à Comite abradere: sed nihil bene mihi animus ominatur: video impudentius esse consilium, & à meis moribus vehementer abhorrens, verum, maximum telum necessitas omnia cogit experiri. Quod si ille mittet pauxillum, tu interea cura vel à Domina, vel aliunde avellere nonnihil, ut triginta conficiamus aureos. Non temere, mi *Batte*, hæc tantopere molior. Intelligo periculosum esse corpori meo diutius in his regionibus commorari, ne si quid (quod Deus avertat omen) acciderit, ego una cum omnibus meis literulis periero: quod si profertur Doctoris insigne, vereor ne animus me deficiat, priusquam vita. Quare te obtestor atque adjuro, mi *Batte*, ut si quid ignioli veteris in nos amoris supereſt, toto animo de nostra salute cogites. Tu ut es animo suavi & lento, beasse nos tibi fortasse videris: at ego nisi prospectum erit, mihi sic videor perisse, ut æque nunquam antehac, quando *N.* largitur nihil, Domina in diem promittit; Antistes etiam averfatur, Abbas jubet bene sperare: at interea, qui det, nemo exoritur, præter unum *N.* quem ego jam miserum ita exhausi, ut non sit quod præterea largiatur, & à quæstu, in quo uno, ut dixi, spes erat, pestis depellit: multa mihi interea animo obversantur. Quo fugiam nudus, quid si morbus accidat? Esto, nihil istiusmodi eveniat, quid in literis potero sine librorum copia? quæ mihi licebit optare si *Parisios* reliquero? denique quid erunt citra auctoritatem literæ, an ut ejusmodi portenta, quale apud divum *Audomarum* vidimus, me rideant atque oratorem vocent? Hæc scribo, non ut te querelis meis exanimem, sed ut dormitantem excitem, ut quod jam diu frustra molimur, aliquando tandem efficiamus, redeamusque tandem ad felicissimum illum convictum nostrum. Bene vale, mi *Jacobe*. Per tabellionem, qui sarcinulam attulit, rescripsi. Si literæ, quas istic ad *Montjoium* scripseram, adhuc penes te sunt, ut huic tradas adolescenti, rogo. Salutem dic quibus oportet. De juvenis hujus fide nihil dubitabis, si quid forte committendum erit. *Augustinus* opus *Adagiorum* palam enarrat, auditorio quidem frequentissimo, pulchre adhuc principia habent. Si putabis te apud divum *Audomarum* aliquot codices posse divendere, eos è sarcina eximé. Rursum vale. *Lutetiæ*, Anno 1499.

An. 1499.

## EPISTOLA LXXXII.

*Erasmus Rot. Batto* S. D.

Si tu tuique recte valetis, *Batte* jucundissime, est, ut cupimus, quod vehementer gaudeamus. Quanquam de amore nostro tibi perspectum arbitror, tamen etiam atque etiam tibi persuadeas velim, nihil esse uno me *Batti* amantius, nihil illi devotius. Quod si tu me amas, aut bonas literas miraris, hunc hominem tuo more, id est, perbenigne & comiter accipe: quo neque charius mihi, neque literatius quicquam. Et quod his temporibus perquam est rarum, summæ eruditioni summam modestiam adjunxit. Hunc Domina *Veriana*, hominis & ingenio & pudore delectata, unice complectitur: quare & tua humanitate dignum, & nobis omnibus vehementer gratum feceris, si hic ostenderis quanti nos facias. De nostro statu nihil erat quod scriberem. Sibilant, ut solent, nonnulli, quos tu non ignoras, *Zoili*, sed spero nos aliquando ex his scopulis evolaturos. Te cum universa familia quam rectissimè valere cupio. Anno 1499.

## EPISTOLA LXXXIII.

*Erasmus Guilielmo sodali* S. D.

Salve, unica mea voluptas. Gratulor tibi quod isthic sis, si tu modo gaudes, gaudere autem debes, nam te gradum ad gloriam nactum confido. Me miserum, quod literæ non ita, ut studueram, redditæ sunt, non tam quod non accepterim id quod volebam, quam quod tuis suavissimis sim literis frustratus. Emoriar, ni crebro me scriptis subleves. A *N.* mihi redditæ sunt literæ, in quibus familiarius, ita ut jusseram, animum suum aperit. Studium meum prædicare non audet: multis ait non probari: vereri ait quosdam, ne ære alieno conflato, meos onerem. Multa queritur suo more. Ego hominem metu liberavi; quanquam

An. 1499. se quidem id nihil timere scribat, verum ut quibusdam satisfaciat. Me, ut videtur, amat: te non odit; nam de te satis amanter nunciat. Respondi ad hæc tum pro ingenio meo, tum pro auctoritate, si qua est. De mea conditione satis abunde scripsi. De Antistite miror te laborare, quum jam decies & amplius scripserim: omnia recte, sed dat nihil, promittit satis. Ais isthic multum de me sermonem esse. Qualem? Si bonum, gaudeo: sin secus, isti viderint. Hic certe nihil nisi laus de me, fortassis merito meo. Quod me ad virtutem hortaris, facis ut *Guilielmum* decet: At ego vicissim te, mi *Guilielme*, hortor, ut magno animo & virtutem, & doctrinam capessas: quod si facis, sic mihi persuasi, te unicum *Hollandiæ* decus futurum; & isthic tu facilius in Theologum evades, quam ego hic. Crede mihi, sic res habet, sed garriamus. Quid agis, inquies? More meo *Ulyssem* ago, & nuper in languorem ex itinere incidi, vix adhuc valeo. Quidam familiarium meorum febricula correptus, convalescit tamen. *Augustinus* tuus interpres, jampridem à me separatus est: arte me tractat, ego vicissim illum. Nihil sinceri amoris inter nos neque est, neque fuit unquam, tantum est discrimen ingeniorum. Est isthuc brevi venturus. Tu quoque arte tractabis hominem. Deferes illi apud alios: tractabis quam poteris magnificentissime. Dicet fortasse nonnulla in tuam laudem; auscultabis. Nunquam iterum isthic videbitur. Quare tua causa honorabis hominem: nec deest titulus. Palam hic interpretatus est, & quidem gratis, tua carmina. Ages gratias: dabis nihil, præsertim eorum quæ mihi usui esse possunt. Scripseram ad te quæ fieri vellem: si feciſti, obsecro ut mittas; nam res non exigui momenti est: sin nondum, levabo te parte laboris. Meas Elegantias duntaxat mitte. *Laurentii* etiam librum, si scriptus est, omnino mitte: sin minus, alium laborem te suscipere malim. Præterea fac me omnium tuorum operum participem: quamobrem id tantopere cupiam, jam aperiam. Sum apud nobilem quendam hominem, atque humanissimum *Anglum*, una cum duobus adolescentibus generosis: sed ita sum, ut apud Antistitem non queam esse vel magnificentius, vel honestius, etiamsi ipse Antistes essem. Is tuis scriptis mirifice confidit: quod si curaveris, ut tabellarius semper apportet aliquid novi, rem mihi feceris tum jucundissimam, tum utilissimam, nec tibiipsi quidem inutilem. Ante omnia scribes homini familiariter: laudabis, quod omnibus rebus contemptis, nihil miretur præter literas, quales pauci quidem sint: verum qui sunt, felicissimos eos esse. Narrabis, quantum voluptatis sit in literis. Doctam probitatem efferes; me commendabis, te benigne offeres. Crede mihi, *Guilielme*, etiam nomini profuerit tuo. Unus est, qui inter suos plurimum valeat: habebis qui tua scripta per *Angliam* spargat. Iterum atque iterum te oro, ut si quid me amas, hæc res tibi sit cordi. Succenseo tibi, quod tam breviter, tam indiligenter scripseris. Me miserum, eo res rediit, ut magnum tibi videatur, si una nocte mea causa vigiles. An excidimus inter voluptates? Utinam ego particeps istarum vivam. Sed vide, quo nos ambitio rejecerit. *Sisyphi* saxum volvimus adhuc. Aliquid molimur, quod si parum processerit, isthuc advolabo. De victu honesto nulla est mihi sollicitudo: certatim quæror, undique ambior. Sed ô utinam aut ego tecum, aut tu mecum viveres. Nescis quam tui desiderio macerer, tui, inquam, unius. Excidit *K.* excidit *I.* excidit *C.* excidere cæteri, quos non nomino, ne lites audiam. Unus *Guilielmus* hæsit penitus, infixus medullis. Credo te veneficia callere. Non ego malim cum ipso Pontifice quam tecum vivere. Honestatis studio duriuscule hic vivimus. Valeat nomen Theologi, valeat fama, valeat inutilis dignitas. Jam prælibavi quid sit, esse aliquid. Quid potius quam garrire cum amiculo? Jam tres menses sunt, quod neque *Faustum*, neque *Gaguinum* salutaverim. Tu tamen scribes ad *Faustum* doctissime & breviter: ad *Gaguinum* verbosius, pauca familiariter disputabis, imo disputandi præbebis materiam. Tabellarium cognatum tuum, quo diligentius nostra perferat, magnifice compellabis: est enim honoris avidior. Quod ad dandum attinet, à me curabitur: tu si quid voles aut egebis, mihi significato. Habemus semper unum atque alterum coronatum *Guilielmo*. Vide quam *Galli* sumus. Sed extra jocum, de Antistite *Trajectensi* res apud me refrixit. Intelligo eum hominem famelicum. Quo pacto tibi isthic vita procedat, quid agat frater, quid *Cornelius*, quid *Servatius*, quid cæteri, fac omnia sciam. Scribe verbosissime & diligenter. Imo semper sub tabellarii adventum literas parato. *Boschius* à *Cornelio* literas accepisse se scribit: tua carmina petit: intelligo de me nihil scripsisse. *Cornelium* subiratum suspicor, ne mihi quidem scripsit unquam: miror quid sit, amo hominem, dum te modo amet: nam de me non laboro. Scribe quid acceperis, nam quindecim tuorum carminum volumina misi: epistolam bene longam, quam partim ante morbum, partim recreatus, scripsi. De Antistite *Cameracensi* nihil accipio. Bene vale. *Parisiis*, Anno 1499. An. 1499.

## EPISTOLA LXXXIV.

*Erasmus Roberto Gaguino.*

SINGULARIS tua humanitas, qua non minore cum laude vincis omnes quam eruditione, mihi hanc ministrat fiduciam, ut tametsi nihil promeritus, audeam tamen tuum officium tam libere requirere. Est mihi cum *Macrobio* homine (ut scis) perquam festivo aliquot dierum colloquium: eum, quæso, ut è tua doctissima bibliotheca ad nos ire jubeas: nam tu quidem in tanta optimorum Auctorum copia, *Macrobium* unum non desiderabis, & nos in hac nostra inopia vehementer delectabit. Vale, ac nos, tibi jampridem devinctissimos, devinctiores reddito. *Parisiis*, Anno 1499.

## EPISTOLA LXXXV.

*Erasmus Roterod. Thomæ Greio suo.*
Scripsit Juvenis.

SALVE, candidissime *Thoma*. Quod pristinam scribendi consuetudinem dies jam aliquot intermisi, nihil est quod metuas. Ut vere

*Res est solliciti plena timoris, amor.*

In amore nihil refrixi. Quid igitur? inquies. Scribere dedidici. Quid accidit, quid factum est, ut *Erasmus* calamum amiserit? Rem oppido quam prodigiosam audies, sed veram. Ego ille vetus Theologus, nuper *Scotista* esse cœpi: quam rem, ut superi bene vertant, tu quoque debes apprecari, si mihi faves. Conterranei tui somniis (nam *Scotum*, ut olim fuit *Homerus*, à diversis regionibus certatim adoptatum, *Angli* potissimum sibi vendicant) adeo sumus immersi, ut vix ad *Stentoris* vocem videamur experrecturi. Itane, inquies, dormiens ista scribis? εἰγα βέβηλε, tu somnum theologicum haudquaquam sapis. Multi dormientes non modo scribunt, verum & scortantur, & inebriantur, & συνοφαντῶσιν. Multa fieri re ipsa comperio, quæ inexpertis nulla ratione persuaderi queant. Ego olim *Epimenidis* somnum, plusquam fabulam esse putavi: nunc nihil miror, quippe simile expertus. Hic tu, sat scio, dicturus es, Quas malum mihi fabulas narras? Quanquam profanus es, & à sacris Theologiæ adytis procul arcendus, tamen vide, quantum te amem, cui rem tam arcanam aperiam. Olim *Epimenides* quispiam fuit, is qui scripsit *Cretenses omnes mendaces*, ipse *Cretensis*, neque quicquam tamen interim mentiens. Nec satis erat ad multam usque senectutem vixisse, quin & exstincti pellis post multum tempus reperta est, literarum formulis notata. Eam quidam affirmant & hodiernis temporibus adservari *Lutetiæ* in sacrosancto Theologiæ *Scotistica* templo *Sorbona*, nec in minori ha-

Digitized by Google

An. 1499. haberi precio, quam olim fuerit apud *Cretenses diphthera*, aut apud *Romanos* libri *Sibyllini*. Siquidem ab hac oracula petere dicuntur, ſicubi deſtituuntur ſyllogiſmis: nec fas obtueri, niſi qui quindecim annos totos *M. N.* titulum geſſerit: ſi quis alius auſit oculos profanos intendere, continuo fit talpa cæcior. Quod natro, non eſſe nænias, vel antiquiſſimum *Græcorum* proverbium arguit, τὸ Ἐπιμενίδου ὕδωρ, quo rem abſtruſam, neque vulgo proferendam ſignificabant. Quin & libros edidit theologicos: nam Theologiæ profeſſione potiſſimum fuit inſignis, etiamſi vates idem habitus eſt, & Poeta. In his ejuſmodi ſyllogiſmorum nodos nexuit, ut nec ipſe unquam quiverit diſſolvere: ea myſteria congeſſit, quæ nunquam ipſe fuerit intellecturus, niſi vates fuiſſet. Is fertur aliquando prodeambulandi gratia urbem egreſſus, quod domi nihil non diſpliceret. Tandem ſpecum quendam longiſſimo receſſu ſubiit; ſive frigus captans, jam æſtu laborans; ſive quietem quærens, labore fatigatus; ſive quod quia via aberraſſet, (nam aberrant & Theologi) metueret ne nox in agris deprehenſum feris objiceret; ſive, quod vero proximum eſt, locum captans ad cogitandum idoneum. Illic ungues arrodenti, multaque comminiſcenti, *de inſtantibus*, *de quidditatibus*, *de formalitatibus*, ſomnus obrepſit. Non crediturus es, ſcio, ſi dixero non fuiſſe experrectum ante veſperam poſtridianam, quum diutius dormiant etiam temulenti. Imo ſomnus ille theologicus productus eſt, ut conſtanter ferunt auctores, ad annum uſque quadrageſimum ſeptimum: & hoc negant vacare myſterio, quod nec citius, nec ſerius dormire deſierit. O hominem mortuum inquies! Imo mihi præclare videtur actum cum *Epimenide*, qui vel ſero ad ſeſe redierit. At plerique noſtri temporis Theologi nunquam expergiſcuntur, & quum mandragoræ indormiant, maxime vigilare ſibi videntur. Sed ad *Epimenidem* expergiſcentem revertamur. Expergiſcens igitur, ubi ſomno conniventes oculos confricuiſſet, nondum ſibi ſatis fidens, vigilaretne, an ſomniaret, ſpeluncam egreſſus eſt: ibi quum cerneret totam circumjacentis regionis faciem immutatam, videlicet tanto ſpacio annorum, fluminum alveis alio tranſlatis, ſylvis alibi reciſis, alibi enatis, campis in colles tumefactis, collibus in plana demiſſis, quum & ipſum ſpecus aditum muſcus obſidens, ac vepreta mutaſſent, cœpit homo de ſeipſo quoque dubitare. Adit urbem, & hic nova omnia: non agnoſcit mœnia, non vias, non monetam, non homines ipſos: alius cultus, alii ritus, alius ſermo. Tanta eſt rerum humanarum volubilitas. Ut quiſque erat obvius, compellat: Heus tu, non tibi videor *Epimenides?* Ille ſe rideri putans, *is πέφανας*, inquit, hoſpitem quære. Ita ridiculus menſes aliquot obambulat, donec in compotores aliquot incideret jam admodum ſenes, ab his utcunque eſt agnitus. Sed age, mi *Thoma*, quid tu *Epimenidem* tot annos ſomniaſſe reris? quid aliud quam has ſubtiliſſimas ſubtilitates, quibus nunc ſe jactitant *Scotiſtæ?* nam *Epimenidem* in *Scoto* renatum, vel dejerare non dubitem. Quid ſi videres *Eraſmum* inter ſacros illos *Scotiſtas* νεκρόνοτα ſedentem, è ſublimi ſolio prælegente *Gryllardo?* Si cerneres frontem contractam, oculos ſtupentes, vultum ſollicitum? alterum eſſe dicerres. Negant hujus diſciplinæ myſteria percipi poſſe ab eo, cui quicquam omnino commercii ſit cum Muſis, aut cum Gratiis. Dediſcendum eſt, ſi quid bonarum literarum attigeris: revomendum, ſi quid hauſeris ex *Helicone*. Adnitor pro virili, ne quid *Latine* dicam, ne quid venuſte, aut ſalſe: & videtur res procedere: ſpes eſt fore ut *Eraſmum* agnoſcant aliquando. Quorſum autem hæc? inquies. Ne quid poſthac exſpectes ab *Eraſmo*, quod priſtina ſtudia moreſve ſapiat, memor inter quos verſer, inter quos quotidie ſedeam: tu tibi alium congerronem quære. Verum, ne quid erres, mellitiſſime *Grei*, nolim hæc interpreteris in ipſam dicta Theologiam, quam, ut ſcis, unice ſemper colui: ſed in noſtræ tempeſtatis Theologaſtros quoſdam jocari libuit, quorum cerebellis nihil putidius, lingua nihil barbarius, ingenio nihil ſtupidius, doctrina nihil ſpinoſius, moribus nihil aſperius, vita nihil fucatius, oratione nihil virulentius, pectore nihil nigrius. Bene vale. *Pariſiis*, Anno 1499. An. 1499.

## EPISTOLA LXXXVI.

*Eraſmus Gaguino.*

SALVE, ornatiſſime vir. Vide, quæſo, quam ſit inſigni impudentia tuus *Eraſmus*. Nunquam illi *Gaguinus* in mentem venit, niſi quum eget. Opus eſt mihi ad pauculos dies *Trapezontio* de Rhetoricis præceptionibus; (non rogo habeaſne, ſcio nihil bonorum Auctorum tibi non eſſe) hujus velim mihi tua humanitas copiam faciat: *Quintilianum* una cum hoc conferre cupio, utrunque propediem ad te ſalvum remiſſurus. Bene vale, ac nos ama. An. 1499.

## EPISTOLA LXXXVII.

*Eraſmus Augustino* S. D.

ITANE ut medico tuo (neſcio cui) gratificeris, me unico tædii mei ſolatio ſpolias? nam munere quidem, non audeo dicere. Ego quidem ita hujus auctoris ardeo amore, ut quum intelligere nequeam, adſpectu tamen ipſo recreer ac paſcar. Cæterum vehementer iniquum ratus tibi ulla in re, vel parum æqua adverſari, præſertim in rebus afflictis. *Homeri* partem ad te mitto, & ut medici iſtius improbitati ſatis fiat, & ne ego omni ſolatio deſtituar. Nam ita quidem cum *Jacobo* vivimus, ut ſoli vivamus. Itaque miſer exſpecto, donec in priſtinam conſuetudinem redeamus. Id quidem propediem futurum video, quandoquidem audio adoleſcentulum vehementer recreatum. Interim te oro, ut vel literis mutuis, mutuam quandam conſuetudinem imaginemur. Non poſſum te exorare, ut epiſtolarum opus mihi mittas, quum tantopere mea interſit, & tua nonnihil. Quod ad *Jacobum* pertinet, ego me tibi quovis periculo obligabo, me illi ne literam quidem communem facturum. Ita aſſuefeci hominem, ut quid agam, ne reſpiciat quidem. Salve, vale, chariſſime *Auguſtine*, noſtram communem fortunam ſuſtine animo quo ſoles. Salutat te tuus *Jacobus*, & hoc nomine meus quoque, quia tuus. Epiſtolarum opus exſpecto, ſi non totum, at certe codicem unum, aut alterum, ut auſpicari ſaltem liceat, & hoc opus interim videtur à me abſolvi poſſe: nam reliqua ſine ſumma librorum copia qui perfici poſſint, non video. Cura ut valeas optime, *Auguſtine*. Anno 1499.

## EPISTOLA LXXXVIII.

*Eraſmus Rot. Ludovico ſuo* S. D.

MITTO ad te tres Precationes, unam ad *Jeſum* Filium Virginis, duas ad Virginem matrem, quas facito ut diligenter perſcribas, quantum potes. Prima eſt perturbatior, ſed errare non poteris, ſi lineas indices ſequare. Semel quamprimum deſcribi omnes cupio, propterea quod is, cui ſum donaturus, intra quatriduum, aut etiam fortaſſe maturius, *Pariſios* iturus eſt: de reliquo conſultabimus, ubi nos viſeris. Aut ſi tibi eſt ocium, ut ſæpius perſcribas. Utere charta quam potes optima, nitidiſſimis lineis deformata, marginibus ſpatioſioribus quam meæ ſint, & verſus inter ſe latiuſcule diſtent. Scribe quam potes politiſſime, non feceris gratis. De *Franciſci* libro, ſi parum tibi ſpatii eſt, cura ut ſciat, qui poſſit alium notarium ſibi comparare: nam à me poſthac non deerit quod ſcribas, ſi tibi quidem ocium non defuerit. Si tibi per tuos licebit, poſt biduum aut triduum, ubi ſemel tranſcripſeris, nos viſito ut colloquamur. Pileum meum velim adferas, nam pileum *Adriani*, quod eſt apud me, ſalvum eſt & intactum; nam ſimul atque hic recepi, nunquam ſum uſus: deinde adito *N.* fac ut ſcias quanti poſ-

Digitized by Google

Ao. 1499. possit emi tale capitale linteum, quale periit à *D. Bertino*: ut aut emptum recipiat, aut si malit pecuniam qua emat: adito hominem, rogatoque utrum malit, aut potius ipse emito consilio viri, ut plane illi satis fiat; reddam tibi ubi ad nos veneris. Humanissimo *Adriano* patrono tuo, simulque *Edmondo* mihi fratris loco dilecto, multis modis facies me commendatum. Vale.

Si quid à *Parisiis* ab *Antonio* novi est, fac ut sciam. Medico, ubi commodum erit, salutem multam dices meis verbis, & *Guardiano*, si jam rediit. Anno 1499.

## EPISTOLA LXXXIX.

*Erasmus Rot. Antonio Lutzenburgo* S. D.

ACCEPI simul & Abbatis munus, & à *Batto* missam pecuniolam: qua de re si nunc parum accurate gratias ago, ne putes id inde esse, quod parum hoc munere sim lætus, sed erat negotii quiddam, & valetudo admodum agitata. Cæterum quantum & te, & Abbatem, de hoc dono pro meis meritis, quæ nulla sunt, deamem, brevi declarabo. Valebis, & tui similis, mi *Antoni*, esse perges. Anno 1499.

## EPISTOLA XC.

*Erasmus Rot. Petro Notho* S. D.

QVOD tam officiose res nostras curas, *Petre* humanissime, deamo te, & gratiam habeo plurimam. Jam pridem isthic me videres, nisi Abbas *Bertinicus*, jamjam abeuntem, jam accinctum remoratus esset. *Psalterium* fac emas, si modo castigatum est, & integrum, & si character mediocris: adero isthic dubio procul ad Paschales ferias. Pecuniam missurus eram, sed cum has scriberem literas, puer haud etiam certus erat, num istuc esset iturus, quare de pecunia jubeo te securum esse. Vale, & nos ama. Anno 1499.

## EPISTOLA XCI.

*Antonio à Bergis, Abbati divi Bertini, Erasmus* S. P. D.

An. 1500. QVVM incredibilis humanitas tua, pater amplissime, cumulatioribus beneficiis me sibi teneat obæratum, quam (ut etiam si capitis hujus auctionem fecero) vel sorti solvendæ par esse possim, ego tamen grati animi conatum cuperem officio literarum utcunque significare, ne pessimum nomen jure videri possem, si æs alienum vel qualicunque opera redimere dissimulassem. Cunctatio me quædam aliquantisper tenuit, verentem videlicet nonnihil, ne gravissimis istis, sanctissimisque occupationibus, quæ quidem non sum nescius, quam celsitudinem tuam domi, foris, privatim, publice distringant, nugis meis intempestivis obstreperem, ac dum impense officiosus studeo videri, fierem odiosus. Eleganter enim *Græca* paræmia dictum est, ἀκαιρῶ δ' ἐνοὶ ἀδὲν ἐχθρας διαφέρει· qua vere significatum est, nihil interesse, malevolentiane, an benevolentia sis molestus. Verum ubi è diverso succurreret ista corporis heroica species, ac valetudo felicissima, quibuslibet etiam laboribus facile par, tum animus isto scilicet corpore dignus, εὐγενὴς, id est, albus & bene natus, ingens, amplus, tantarum simul rerum capax, dexter ad quidvis, versatilis, & tanquam ad omnia factus: miraque naturæ indulgentia tibi contigisse, ut tam multiplex negotiorum sarcina, quorum pars quantalibet alium quemvis facile obruat, te vix etiam levi sensu perstringat: id quod ego ceu stirpi tuæ gentilitium olim & in Pontifice fratre tuo *Mecenate* meo, quum in familiaribus ejus essem, animadverti, neque raro sum admiratus, unicum illud pectus tot pariter rebus sufficere. Est istud quidem *Herculeum* animi robur, tibi cum cæteris gentilibus tuis commune, Præsul humanissime, cæterum in te, nescio quo modo, præter cæteros peculiariter elucet mellita quædam morum suavitas, & ea quidem summa cum majestate conjuncta, ut in obeundis negotiis publicis nihil uno te sit augustius: rursum in consuetudine familiari nihil comius, nihil popularius, nihil elegantius: ut illic nulli non admirabilis, ita hic omnibus amabilis, utrobique dexterrimus: usque adeo tibi in promptu, quam velis personam aut exuere, aut sumere, parique decoro vel cum purpureis tyrannis agere, vel cum mei similibus infimæ classis homunculis, plebeia quadam affabilitate uti, ut haud sciam an in ullum mortalem melius quadret *Græcus* ille παροιμιώδης versiculus (feret enim me tua æquanimitas nimis fortassis & ineptius in epistola *Græcantem*, quod hujus linguæ nuper esse candidatus cœpi) ἅπαντα τοῖς καλοῖς ἀνδράσι πρέπει, cujus hic quidem est sensus, *Tui similes egregios viros nihil non decere*. Eandem ingenii dexteritatem in *Aristippo* celebravit *Flaccus*; *Omnis*, inquiens, *Aristippum decuit color*, sive regali purpura conspicuus incederet, sive *Cynico* pallio sordidatus ingrederetur: quanquam tu quidem inæqualis nusquam, mira quadam harmonia, & in amplitudine humanissimus, & in humanitate amplissimus. Sed quorsum ista tam multa? inquies. Probe profecto mones: fulcienda enim quæ pendet adhuc periodus, & claudendus vel sero μακρολογισμὸς, quem mihi non natura loquacior, sed jucunda quædam tui simulacri contemplatio facit. Ergo, quum mihi succurreret, inquam, ista nova corporis animique tui felicitate fieri, ut tanta tranquillitate summa obires negotia, quanta vix alius quisquam summo in ocio versetur, tibi summas occupationes pro ludo esse: non putavi me magnopere vereri oportere, ne quid his literis nostris intempestivius interpellatus offendereris: maximeque quod ex *Batti* mei literis cognovissem, quam serena fronte superiores illas accepisses: quanquam ne in præsentia quidem erat adeo quod scriberem, nisi mihi cum *Rhamnusia* illa luctam esse assiduam: me tamen sic esse animatum, ut si literas assequi non queam, certe cum *Philemone* libris immori cupiam. Tum tuorum in me meritorum memoriam apud me non modo non consenescere, verum ita quotidie animo obversari, ut ne tum quidem quum præsens experirer, aut recentior, aut etiam jucundior humanitatis tuæ sensus esse potuerit. Proinde nihil mihi perinde in votis esse, ut ansam quampiam per te præberi, qua possim hoc ingeniolo, si quod est, meo, & literariis vigiliis tuam amplitudinem quam maxime demerere: sed hoc ipsi circumspectabimus. Interea ne non longam epistolam legas, Tragœdiam accipe, recentiorem quidem illam, sed ita atrocem, ut cum hac vel *Medea*, aut *Thyestes*, vel veterum quævis collata, Comœdia videri possit. Anno superiore *Magduni*, id est oppidulum haud ita procul ab *Aurelia*, maleficus quispiam decessurus uxori mandat, ut quicquid esset apud se librorum magicorum, reliquaque ejus sacri arma, civi cuidam *Aureliano* tradat, propediem videlicet perituro, quod hunc sceleris conscium ac participem habuisset. Is hæc omnia *Aureliam* transfert: jam ipse sacerdos domi suæ plus triennium nefandum sacrum & quavis idololatria exsecratius non insciente uxore, filia virgine etiam adjutante, peragitat. Quibus vero ceremoniis, quove ritu sacrilegium hoc constiterit, paucis referam, ita ut à certissimis hominibus accepi. Corpus illud adorandum vindicis nostri *Jesu* in pyxidula quadam saligna conditum, sub lecti stramentis abdiderat. O divinam patientiam, mihi referenti, frigidus horror membra quatit! Id ante triennium à sacrificulo quopiam famelico & impio (cujusmodi hic nimis magna copia) fuerat mercatus, & quidem minoris, opinor, quam olim *Judæi Christum*: ut sceleratissimus ille sacerdos *Judam* nobis non retulerit solum, sed etiam vicerit: & illum quidem rumor est, subitanea morte impietatis pœnas dedisse. Ergo quoties veneficus ille rem non divinam, sed diabolicam facturus esset, depromebatur profanis manibus cœleste mysterium, atque è stramentis erutum, nudatumque exponebatur. Filia puella, neque dum

Digitized by Google

An. 1500. dum virum paſſa, enſem nudum manu ſublata tenebat, (quod id muneris niſi à virgine obiri rite non poſſet) mucronem in ſacrum illud corpus intentans, ſcilicet minitanti ſimilis. Tum caput quoddam proferebatur, ex neſcio qua materia, triplici facie cælatum: nempe monadem illam triformem, & triadem uniformem repræſentans. Id novies reducto ambitu cingebatur. In his mille figuræ *Tau*, inauditis angelorum nominibus inſcriptæ: poſtea totidem ambitus cacodæmonum horrendis vocabulis diſtincti. His ita compoſitis, maleficii antiſtes, explicitis libris, exſecratis illis precibus, *Hecate* dictante, primum adorandam triadem, & angelorum quam plurimos ſuo quoſque choro: deinde cacodæmonum ſexcenta nomina citat, neque finis, donec dæmon ille præſto ſit, præſenſque vocanti reſpondet. Is erat ingentium theſaurorum aut opifex, aut certe monſtrator. Promiſerat ſceleſtus ille ſacrifico ſuo *Perſicos* montes, largitus etiam nonnihil: ſed adeo infra ſpem, ut virum jam operæ, quippe triennis, cœperit pœnitere. Itaque promiſſorem ſuum ſolitis precaminibus evocat, expoſtulatque ſe jampridem lactari, & ſpe modo duci, neque ullum operæprecium facere. Purgat ille ſe contra, negans id ſua culpa accidere: verum deeſſe quiddam ceremoniis, quod hominem literis præditum deſideraret: quem ſi nanciſci poſſet, ſe theſauros indicaturum omnium votis ampliores. Simulque percunctanti, quis eſſet ad eam rem potiſſimum adſciſcendus, ſuadet, Priorem monaſterii monachorum, qui ſe *Prædicatores* appellitant, id eſt pone mœnia *Aureliana*, adeat, & cautim virum pertentet. Eſt vero hic Theologiæ *Bacalaureus*, ut vocant, formatus, apud vulgus opinione non incelebri, & concionator non omnino peſſimus, ut nunc quidem ſunt Theologi. Cæterum, ut mihi poſt viſum eſt, & fere ſunt hujuſmodi, famæ perquam avidus. Sed haud etiam conjectura conſequor, quid genius ille malus captarit, uti ne ſacerdotem ſuum, jamjam ad defectionem ſpectantem, recta in perniciem induceret: an quod ita ſerio ſibi promiſerit, Theologi mentem præmii propoſiti magnitudine poſſe corrumpi: hac opinor fiducia, quod, ut divinitus ſcripſit *Maro*,

*—— quid non mortalia pectora cogit*
*Auri ſacra fames? ——*

Tum quod, uti ajunt ii, qui cum iſtiuſmodi hominum genero familiarius ſunt verſati, ſub illis cucullis & mendicitatis nomine, deploratiſſimæ nonnunquam mentes latitent, intolerabili arrogantia, & extrema pecuniæ cupiditate flagrantes. Verum hoc quidem in medio relinquimus. Vir igitur perſuaſus, hominem convenit: utque pedetentim illius animum prætentaret; fingit ſibi codices aliquot eſſe domi, inutiles quidem ſibi, quippe idiotæ, verum homini literato longe utiliſſimos. Rogat num quos emptos velit. Theologus proferri jubet, inſpiciendos ſcilicet. Promit ille Vetus Teſtamentum, quam vulgus *Bibliam* vocat, *Gallice* verſum. Eum codicem ubi contempſiſſet Theologus, ecquos alios haberet percunctanti, gravatim quidem, ac detrectanti ſimilis, alium quendam ſinu abditum producit: quem evolutum, ubi animadvertiſſet improbarum artium eſſe magiſtrum, haud etiam ſcio an novitate captus (ita ut fit) curioſius inſpectarit, an ut fraudem, quam ſubeſſe ſentiſcebat, prorſus expiſcaretur. Rogatus itaque quidnam ille placeret, reſpondit, maleficum ſibi videri librum. Tum ille ſilentii fidem obteſtatione ſtipulatus, ait ejuſdem generis aliquot domi ſibi eſſe, ſed eruditi hominis operam deſiderare; alioqui theſauros immenſos poſſe his libris conflari. Ibi arrectior Theologus, orat ut eos quoque ad ſe perferat inſpiciendos: ſibi rem hanc vehementer eſſe cordi, nec omnino in negotio tam divino indormiendum, ſibi ſpem eſſe certiſſimam feliciter eventurum. Ergo datis invicem dextris, miſer ille reliquos libros adfert. Theologus expiſcari non deſinit, donec homo jam ejus animi ſecurus omni de re palam facit: poſtremo etiam de *Chriſti* corpore. Ibi ille tanquam

A vehementer gaviſus, impenſius obſecrat, ut res tantas ſibi oſtendat, ſe jam toto pectore de maturando negotio cogitare. Hic hominem domum ſuam deducit: uxorem myſterium illud, reliquaque item maleficii arma depromere jubet. Proferuntur, inſpectantur. Monachus longe aliud ſimulans, ut narrat ipſe, recta inde ad Officialem, quem vocant, virum profecto ſumma vitæ integritate, & abſoluta juris utriuſque prudentia ſpectatiſſimum, noſtri majorem in modum amantem. Is vero in re tam prodigioſa nihil etiam cunctandum ratus, hominem, prodente Theologo, per regios miniſtros in vincula conjicit, non ſine uxore & filia. Protinus in ædes irruptum, myſterium illud adB orandum, honore, quo conveniebat, prolatum, dieique ejus quod erat reliquum & nox omnis à clero monachiſque pernoctes excubias agentibus, ſolennibus cantionibus & precibus celebrata. Poſtridie indicta ſolennis ſupplicatio, veſtiuntur tapetibus utrinque viæ; quaque ibatur, quaque ad templum redibatur: perſtrepebant urbe tota templa ſacris tintinnabulis. Procedit clerus univerſus cum ſuis quiſque reliquiis, tota civitate ad ſpectaculum effuſa, dignaque pompa ſacramentum è conſceleratis ædibus ſublatum, in templum ſalutiferæ cruci ſacrum defertur. Ibi Theologus tam frequenti concione, quantam antea viſam fuiſſe negant, rem omnem, non ſine gloriæ ſuſpicione exponit: idenC tidem obteſtans *Chriſti* corpus inibi ſub dio appoſitum, ut erat ex ædibus malefici deportatum. Fecerat idem poſtridie, facturus item deinceps, & ut quidque illi in vinculis fuiſſent confeſſi, ita quotidie populo renunciaturus: quod ſibi credo certiſſimam parandæ immortalitatis materiam oblatam eſſe judicaret, niſi Officialis, vir minime ſtultus, Theologo, jam ventoſo gloriæ curru volitanti, ſilentium impoſuiſſet. Excutiuntur & audiuntur aſſidue à Theologis *Lutetia* in hoc adſcitis, adhibitis item duobus Jureconſultis. Narravit nobis Officialis prodigioſa quædam in quæſtionibus à viro aperiri, ſed quæ nondum pro certis referri poſſent, quod ipſum ſibi parum adhuc conſtare diceret: mulieD rem noctu miſeris modis à cacodæmone vexari, pungi, cædi, raptari, peneque exanimari: filiam vero ſui ſecuram, neque quicquam ſupplicii metu commoveri, quod ſibi quotidie cum luce præſto fieri affirmat, neſcio quem, qui conſolando dolorem illi omnem adimat, animoque tranquillo eſſe jubeat. Tenetur & *Magduni* malefici, cujus ſupra memini, vidua. Eamus nunc & *Medeam*, *Thyeſtem*, *Neronem*, Poetarum nugas eſſe credamus, cum *Chriſtiana* impietas ejuſmodi piacula protulerit, quorum ne nomina quidem norit antiquitas. Quod enim tandem huic monſtro vocabulum indemus? Nam *Chaldæorum*, genethliacorum, mathematicorum, maleficorum, Pythonicorum, diE vinorum, haruſpicum, augurum, ariolorum, necromanticorum, geomanticorum, ſortilegorum, incantatorum, uti levia nomina, nihil etiam ad hujus ſceleris atrocitatem facere mihi videntur. Augur præpetes avium volatus, & ſoliſtimum tripudium obſervat, haruſpex extorum fibras rimatur, *Chaldæus* ſydera conſulit, veneficus herbas incantatas colligit, incantator precaminibus agit, Pythonicus manes evocat, chiromantis manuum rugas contemplatur. Atrocia ſunt iſta, quæque vix aures ferant *Chriſtiana*: ſed quid obſecro ad *Aurelianam* Tragœdiam? Quid unquam ſimile *Theſſalia* maleficiis infamis deſignavit? Et manium quidem conſultores, *Hebræorum* leges capitali ſupplicio F damnant; Imperatoriæ vero haruſpicum & augurum ſuperſtitionem & atrociſſimis verbis inſectantur: quippe quos naturæ peregrinos & humani generis hoſtes appellent: & ipſos quidem ultori gladio, incendio feralique peſti (his enim verbis *Conſtantinus* utitur) addicunt: conſultores autem in inſulam deportari jubent, bonis omnibus ſpoliatos, id quod apparet in *Codice*, *titulo De maleficis & mathematicis*: ubi & gloſſema vere, ut *Accurſiani* loquuntur iſti, notabile, ſed atro carbone notandum, quippe quod haruſpicem pro



Digitized by Google

An. momentorum & avium obſervatore, nimis ridicule
1500. interpretatur, tum ſacerdotem pro necromantices doctore exponit, & item alia quædam, neſcio magis ne barbare an inerudite, omnino tamen deridicule: quæ mihi tamen neutiquam ſunt nova, cum toto *Digeſto* iſtiuſmodi portenta ita paſſim occurrant, ut aſſueto mihi ne riſum quidem jam moveant, nedum ſtomachum. Sed ad rem: Decreta vero Pontificia, & item Epiſtolæ, quas Decretales vocant, ubi de ſortilegiis & id genus damnatis ſuperſtitionibus meminerunt, hujuſmodi maleficium ne verbo quidem attingunt: ſive quod ea ſecula ne ſuſpicionem quidem tantæ impietatis habuerunt: ſive quod qui ea literis prodiderunt, mortalium auribus parcendum eſſe putarunt. Novum hoc & inauditum portentum, non Nox *Eumenidum* mater, ut Poetæ fabulantur, ſed ſcelerum omnium parens Avaritia produxit, & portentum non ſimplex, ſed ex ſuperſtitione, impietate, idololatria, ſacrilegio, tanquam variis ex monſtris conflatum. Et mirantur homines, ſi noſtra ætas nunc bellis, nunc fame, nunc peſte, nunc aliis atque aliis malis laboret: cum præter ea vitia, quæ jam propemodum vitia videri deſierunt, quod nimis vulgaria, gigantes ipſos fulmine deturbatos & *Lycaoniam* inhumanitatem diluvio tanto vix expiatam noſtris ſceleribus longe vincamus? Miramur ſi quotidie novis plagis afficimur, cum quotidie novis vitiis Deum optimum maximumque irritemus, neque, ut ait *Flaccus*, per noſtrum patiamur ſcelus iracunda *Jovem* fulmina ponere. Habes *Iliadem*, humaniſſime pater, ſed abripuit calamum pene imprudentem, partim gravis animi dolor, partim voluptas quædam tua cum amplitudine miſcendi ſermonem. Ignoſces igitur noſtro vel amori, vel dolori. De *Diſma* ſcripſimus *Antonio* ſacellano tuo: quod ſi perſuadeo, futurum confido, & quidem propediem, ut ego me gaudeam admoniſſe, & tu multo magis gaudeas monenti paruiſſe. Bene vale. *Pariſiis* 14. Jan. An. 1500.

## EPISTOLA XCII.

*Clariſſimæ Annæ Berſalæ, Principi Veriana, Eraſmus Rot.* S. P. D.

TRES *Annas* veterum literæ prodiderunt poſteritati: eam, cui cognomen *Perenna*, quam ob egregiam in *Didonem* ſororem pietatem, in cœlitum numerum relatam antiquitas credidit: alteram *Helcanæ* uxorem, cujus ad laudem abunde ſatis eſt, quod & anus, & auſpice Deo, *Samuelem* pepererit, non utique ſibi, ſed Deo quidem ſacerdotem religioſiſſimum, populo vero judicem incorruptiſſimum: tertiam Virginis matris parentem, ac *Jeſu* Dei & hominis aviam, ut ne hæc quidem jam aliis egeat præconiis. Et primam quidem *Romana* Muſæ immortalitati conſecrarunt. Secundam *Hebræorum* annales multa laude nobilitant. Tertiam *Chriſtiana* pietas adorat, *Rodulphi Agricolæ*, *Baptiſtæque Mantuani* facundiſſimis literis celebratam. Nunc ô ſi meæ quoque tantum literæ valeant, ut tuum iſtud tam pium, tam niveum, tam caſtum pectus poſteritas norit, & tribus *Annis* quartam te annumeret: & fiet profecto, modo tuæ virtuti noſtrum ingeniolum reſpondeat. Equidem adducor, ut credam nomen iſtud non ſine mente, ut ait *Maro*, nec ſine numine divûm tibi contigiſſe, adeo multa video tibi cum illis eſſe communia. Nobiliſſimæ illæ, tuis vero imaginibus quid habet noſtrum hoc regnum illuſtrius? Illæ pietate inſignes, & tua gratiſſima cœlo pietas: illarum afflictiſſimis rebus multum jactata, multum ſpectata patientia, quod tibi cum illis communius etiam quam vellem. Erat enim tua iſta integritas & virginea ſimplicitas, fateor, perpetua proſperitate digniſſima. Verum quid facias? Hic eſt vetus ille Fortunæ ludus, indignos in altum evehere, & innocentiæ negotium faceſſere. Tu vero, mea patrona, palmæ arboris exemplo,

——— *ne cede malis, ſed contra audentior ito,*
*Quam tua te fortuna ſinat.* ———

A Ego vero quanquam pro incredibili mea in te cha- An.
ritate, vel pietate potius (ſalutem enim illi omnem de- 1500.
beo, cujus beneficio mihi contigit in literis vivere, ſine quibus ne vivere quidem poſſim) caſus tuos acerbe omnino fero, tamen hoc me non mediocriter recreat, quod iſtiuſmodi procellæ nonnunquam à ſuperis propitiis immittuntur, non ut obruant, ſed ut virtuti ſegetem quandam & materiam ſuppeditent, quo videlicet magis magiſque ſplendeſcat. Sic *Herculis* & *Æneæ Ulyſſiſque* virtus effulſit: ſic *Jobi* probata tolerantia. Non igitur tantum capio dolorem, quod iſta objiciuntur, quantum voluptatis, quod objecta ſic feras: fers autem, id quod ego non ſemel ſum admiratus, adeo non
B dicam toleranter, ſed omnino alacriter, ut ego me jam tuo exemplo (dicam enim ſimpliciter) confirmem magis quam ullo veterum, homo pene ad infortunia natus: quippe qui jam annum ſolidum adverſis ventis, adverſo flumine, irato cœlo navigem. Fit etiam, neſcio quo modo (nam cur non audeam tibi fateri?) ut te hoc quoque nomine peculiarius diligam, quod *Rhamnuſiam* illam, quam ego ſemper iniquiſſimam tuli, ne tibi quidem ſatis æquam eſſe video, ut inter mortales, & malorum ſocietas aliquoties conciliat benevolentiam: quanquam quid hoc ſimile? Nam tua quidem dignitas jam prope extra Fortunæ eſt aleam, & te quidem nonnuquam vellicat: at in me ſic conſtanter
C debacchatur, ſcilicet hoc uno ſui diſſimilis, ut poſſit in literas meas conjuraſſe videri. Succurrit has literas exaranti: cui enim potius infelicitatem meam aperiam, quam quæ ſola & poſſit & velit mederi? Succurrit, inquam, hunc ipſum ſolem jam anniverſarium illuxiſſe, quod in *Britannico* littore pecuniola mea, ſtudiorum meorum alimonia, naufragium fecit: à quo quidem die, ut memini, perpetuam malorum catenam trahentibus invicem anſis, in hanc uſque lucem Fortuna porrexit: etenim ſimul atque nudum me *Britannica Charybdis* orbi noſtro revomuiſſet, ſæva tempeſtas, atque ob eam iter longe duriſſimum, deinde in jugulos noſtros acutæ latronum ſicæ exceperunt, tum febris,
D poſtea peſtis, quæ tamen fugavit tantum, non afflavit. Adde his domeſticas curas, quas non parum multas quotidie mortalium vita paritat. Sed partim pudet, ita me Deus amet, me virum utcunque literarum præſidio munitum, ac philoſophiæ præceptis armatum, animo conſternari: cum tu, quam & natura fœminam finxit, quam Fortunæ indulgentia ſummo loco genuit, maximis deliciis educavit, nonnihil habes quod feras, & feras tam non muliebriter: partim quod quantumvis in me detonaret Fortuna, nullam eſſe cauſam ſtatuerem cur literas deſeram, animoque frangar, dum tu mihi ceu certiſſima quædam Cynoſura præluxeris. Siquidem literas Fortuna ne poteſt quidem nobis eripere,
E pecuniolam vero, quantulam hoc ocium deſiderat, opes tuæ, animo ſcilicet tuo pares, facile poſſint ſuppeditare. Et Fortunæ quidem tuæ debes, quod vales: animo tuo ego debeo, quod vis, & vis etiam libenter Muſas meas alere, ex te nimirum una pendentes, te unam reſpicientes, tibi uni conſecratas. Aluit *Chœrilum* malum ferreumque, ut ait *Lucilius*, ſcriptorem *Alexander Magnus*. *Maronis* & *Flacci* tenuitatem *Mecanatis* inexhauſta benignitas fovit. *Plinianas* lucubrationes *Veſpaſiani* ſtudium acuit. Semigræculas *Auſonii* Muſas *Gratiani Cæſaris* humanitas etiam conſulatu *Romano* decoravit. *Hieronymi* piam facundiam *Paula* & *Euſtochii*
F nobilitas ornavit. Nuper etiam *Politianum*, ſeculi noſtri delicias, *Laurentius Medices*, tanquam gremio ſuo educatum, extulit. Et ne juxta *Græcorum* dictum arenas numerem, ſuus cuique ingenio contigit *Mecenas*. Neque gratiam adeo pœnitendam ii mihi videntur ſuis patronis retuliſſe, quorum memoriam æternitati libris ſuis conſecrarunt. Ego vero, mea nutricia, ne *Mecenatem* quidem ullum, aut Cæſarem tecum ſanus permutaverim, & quod ad reponendam vicem attinet, quantum hoc ingeniolo potero contendere, pro mea quoque virili enitar, ut & meam *Mecenatem* poſtera ſe-

Digitized by Google

An. 1500. secula noverint, mirenturque unam extremo orbe fœminam exstitisse, quæ bonas literas, partim imperitorum inscitia corruptas, partim Principum vitio jacentes, partim hominum desidia neglectas, sua beneficentia studuerit excitare, quæ *Erasmi* literulas à splendidis pollicitatoribus destitutas, à tyranno spoliatas, omnibus fortunæ casibus oppugnatas, passa non sit egestate concidere. Quod uti instituisti, ita pergas, supplices tibi manus tendunt literæ meæ, alumnæ tuæ, teque & per tuam obtestantur fortunam, quam & secundam summa cum laude contemnis, & adversam fortissime tulisti, per suas item fortunas semper iratas, contra quas tuo unius patrocinio consistunt, & per excellentis illius Reginæ, nempe veteris Theologiæ, amorem, quam Ταλμοχεύφ ille divinitus afflatus, æterno Regi dextram adstitisse scribit, interprete *Hieronymo*, non sordidatam, non pannosam, qualis nunc visitur in ludis sophistarum, sed in vestitu deaurato, circumamictam varietate, cui ab situ recipiendæ vigiliolæ nostræ omnes desudant. Quam ad rem duo quædam perneccessaria jamdudum sentio, alterum ut *Italiam* adeam, quo scilicet ex loci celebritate doctrinulæ nostræ nonnihil auctoritatis acquiratur: alterum ut Doctoris nomen mihi imponam, ineptum quidem utrunque. Neque enim, ut inquit *Horatius*, statim animum mutant, qui trans mare currunt, neque me vel pilo doctiorem magni nominis umbra fecerit: verum ut nunc tempora sunt, ita morem geras, quando nunc non dicam vulgo, sed etiam iis, qui doctrinæ principatum tenent, nemo doctus videri potest, nisi *magister noster* appelletur, etiam vetante *Christo* Theologorum Principe: cum antiquitus non ideo quis pro docto haberetur, quod Doctoris nomen esset mercatus, sed ii Doctores dicebantur, qui libris editis, manifestum doctrinæ specimen dedissent. Verum, ut diximus, frustra bonam fabulam egerimus, quam nemo non explodat. Quare leoninam pellem induamur oportet, quo fides fiat, & nos literas didicisse, istis qui de vocabulo non de libris (quippe quos non intelligunt) hominem censent. Ii sunt homines quidam præposteris literis imbuti, magna nimirum mercede docti nihil scire, crassa Minerva, sensu vix etiam communi, sed Deum immortalem, quam cervicosa arrogantia, quanto supercilio! quippe qui sibi una cum inani nomine consummatæ doctrinæ falsissimam persuasionem induerunt. Ii *Philoxenum* & *Gnathonem* turpissimos gulones referentes, disciplinas omnes culinarii sermonis sordibus & tanquam emuncto muco fœdant, quo generosis ingeniis nausea deterritis, ipsi soli rerum potiantur. Cum his quoque monstris mihi decertandum est, & *Hercules* alter præstandus: quare si tu *Erasmum* tuum armaveris, ut possit cum his portentis pari tum animo, tum auctoritate contendere, non nos modo, verumetiam ipsæ literæ se tibi debebunt. *Armandus* autem, mea Princeps, *Homerici Glauci* armis, sed quæ dedit, non quæ recepit. Hoc ænigma, quid sibi velit, ex *Batti* mei literis cognosces, cui citra fucum omnem sortem meam aperui. Perfricui faciem contra morem meum, contraque ingenium, contra virgineum illum literarum pudorem; sed, ut ait ille, *durum telum necessitas*. Misi te tibi, *Annam Annæ*, carmen vel rhythmos potius à me puero admodum lusos, nam jam inde à tenellis unguiculis ejus divæ pio studio flagravi. Misi præterea obsecrationes quasdam, quibus ceu magicis precaminibus possis non lunam illam, sed eam quæ justitiæ solem genuit, cœlo vel invitam, ut ita loquar, devocare: quanquam ea quidem solet esse facillima, si virgo virgineis votis vocetur: nam te quidem non tam in viduis, quam in virginibus pono: siquidem quod olim puella admodum nupsisti, id quidem partim parentum auctoritati, partim generi propagando datum: & ejusmodi fuit conjugium, ut non tam sit imputanda voluptas, quam patientia spectata. Quod autem nunc ista adhuc ætate virenti, & pene puellari, nulla procorum instantia possis à continentiæ proposito divelli, quod in fortuna tam affluenti, tam nihil indulges tibi, id ego non viduitatem, sed virginitatem existimo: in quo si, ut confido, perseverabis, ego te, mihi crede audacter, non in adolescentularum choro, quarum, ut ait Scriptura, non est numerus, non in octoginta *Solomonis* concubinis, sed in quinquaginta Reginis, & *Hieronymo* quidem, ut spero, approbante annumeravero. Est jamdudum in manibus *De Epistolis*, & item *De varianda oratione* opus, *Adolphi* filii tui studiis adjuvandis destinatum; tum præterea *De literis*, tuo videlicet nomini consecrandum. Quæ si forte serius voto prodibunt, non meam tarditatem, sed fortunam accusabis, aut si mavis operis difficultati imputabis, nam malos quidem libros emittere, insanissimum: bonos edere, longe difficillimum. Bene vale, & Musas nostras tibi commendatas habe. Datum *Parisiis* 27. Jan. Anno 1500.

## EPISTOLA XCIII.

*Erasmus Roterodamus Petro Anglebermio medico* S. D.

EMORIAR, si ullum Deorum nectar suavius esse credam, optime *Petre*, quam villum hoc tuum, plurimum quidem aromatis efficacibus; & *Apollinea* arte, qua tu non minus quam humanitate mortales omnes albis, ut ajunt, equis præcurris, verum multo multoque amplius de pectore isto candidissimo, & gratiarum pleno conditum sapidumque, cujus ego niveam simplicitatem, humanitatemque prope incredibilem jam pridem ex *Augustini* tui sermone cognitam atque adamatam, nunc etiam re prius quam oratione experior, donatus videlicet abs te munusculo tam bello, tam lauto, tam denique apto. Recte enim & hoc *Seneca* monet, *permagni referre, quis cui quid muneris mittat*. Porro quum *Bacchum* ut eloquentiæ ministrum passim celebrent Poetarum literæ, & aromata spiritus vitales, vireſque pectoris reficiant instaurentque: quid obsecro poteras hoc mittere aptius, homo medicus homini poetico, tum in literis assiduo, quam vinum quod à vulgo quidem *Hippocraticum*, à doctis tum *trimma*, tum *aromatites* dicitur, nisi tu vel murinum, vel aromaticeum mavis: cui xenio utinam ἀνθίδωρον aliquod rependere tam facile possimus, quam impense cupimus, neque voluntatem flagrantissimam destitueret facultas. Verum ne prorsus ἄδωροι videamur, neve quam duplicatam oportebat redisse gratiam, nulla reponatur, Poetarum more, qui chartarum tantum ut divites sunt, ita sunt & liberales, literariam gratiam referimus, pro munere epistolam reddentes, quanquam non perinde conditam, nec arte pari concinnatam, videlicet ut ad *Homerici Diomedis* exemplum,

Χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων,

permutemus. Eam compensationem si tu non recipis, quippe vehementer iniquam, vide ecquid hoc etiam auctarium placeat. Hunc homuncionem quantulus quantulus est, tibi addico, quem si non pœnitebit tuis in bonis scribere, vehementer erraris, si quicquam credas tuis in rebus unquam fuisse tam tuum, quove sic pro tuo arbitratu vel uti possis, vel abuti. Interea ansam hanc ad te scribendi, id quod diu fuerat in votis, per te mihi oblatam esse gaudeo. *Lutetiam* reversus, (nam in crastinum paramus iter) filii tui studia, quibuscunque potero rationibus lubens adjuvero. Bene vale. *Aurelia*, Anno 1500.

## EPISTOLA XCIV.

*Erasmus Roterod. Jacobo Batto* S. D.

DEMIROR, quî tandem tibi in suspicionem venerim, tanquam in literis, quas ad te scribo, logodædalum agam, id est, non simplicem ac sincerum, sed fucatum & dissimulantem. De me, optime *Batte*, sic velim semel statuas, nihil mihi æque ac hypocrisim esse invisam, neque ipsum me apud amicos fingere quic-



Digitized by Google

quam, neque figmentis alienis delectari. Jusseram ex *Anglia* scribens, ut adumbratis literis me scilicet eriperes. Ea fraus non in te, non enim fallebaris, sed in *Anglum* tendebatur. Cæterum eas literas, quas postea misi de meo consilio, emoriar, nisi ex animo scripsi. Tuas item, quas tu postea fassus es mihi reverso, te ut fictis fictas retulisse, ego ex animo scriptas credidi. Jam vero quas ex *Aurelia* scripsi de rebus meis angustissimis satis apparet pari arte scriptas videri: quod ni esset, non hunc *Ludovicum* nobis tribus scilicet angelatis oneratum remisisses. Prudens hic prætereo, *Batte*, & quanto alia exspectarim abs te, & quantum hac re meam felicitatem auxeris. Si ludere tibi videor in epistolis, cum sic scribo, nihil esse causæ puto, cur unquam ad te scribam; sed hæc missa. Quoniam non dubito, optime *Batte*, quin tu amantissimo animo facias, quæcunque facis, quæso ut totum illum *Battum* ad me beandum explices. Conficies haud dubium, si modo fatalem illum animum concipies. E vestigio *Ludovicum* ad Dominam mitte, & si commodum, ipse proficiscere, nostras literas tua facundia adjuturus. *Adolphum* instiga, ut primarum precum religione maternum animum obtestetur, sed cave nugatorium quicquam optet. Eadem enim opera vel maximum quiddam exorabimus, si *Erasmi* tui fortunæ ex animo tibi curæ sunt. Sic agas, Dominæ pudorem meum amabilibus verbis excusabis, tanquam ingenium meum non sit passum, ut illi ipsi meam egestatem aperirem. Tu vero scribes me jam in summa egestate versari, eo quod hæc fuga *Aureliana* mihi magno sumptui fuerit. Recedendum enim erat ab iis à quibus compendii nonnihil capiebam. Nec usquam Doctoris titulum rectius accipi posse, quam in *Italia*, nec *Italiam* ab homine delicato posse adiri sine summa vi pecuniæ: maxime quod mihi ob literarum qualemcunque opinionem sordidius vivere ne liceat quidem. Ostendes quanto amplius ego sim meis literis decus Dominæ allaturus, quam alii, quos alit, Theologi. Nam illi vulgaria concionantur, ego scribo, quæ semper sint victura. Illi indocte nugantes, uno aut altero in templo audiuntur: mei libri, à *Latinis*, à *Græcis*, ab omni gente toto orbe legentur. Ejusmodi indoctorum Theologorum permagnam ubique esse copiam, mei similem vix multis seculis inveniri, nisi forte adeo superstitiosus es, ut religio tibi sit, in amici negotio mendaciolis aliquot abuti. Deinde ostendes nihilo illam pauperiorem futuram, si ut *Hieronymus* jam depravatus, si ut vera Theologia instauretur, aliquot aureis adjuverit, cum tanta ex illius opibus turpissime pereant. Hæc ubi pro tuo ingenio amplificaris, deque meis moribus, deque mea spe, de charitate in Dominam, de verecundia multa scripseris, tum addes me scripsisse, ducentis francis omnino mihi opus esse, ut posteri anni salarium in præsentia largiatur. Id quod ego, *Batte*, neutiquam fingo. Nam centum francis nec iis quidem integris *Italiam* petere, non mihi tutum videtur, nisi rursus in servitutem cujuspiam dedere me velim. Id priusquam fecero, emoriar potius: tum quantulum referet ejus, in præsentia ne an post annum donet, & mea quidem refert plurimum: deinde suade ut sacerdotio mihi aliquo prorsus consulat, ut reversus habeam, ubi in literis quiescam. Neque solum hoc suade, sed etiam rationem à teipso excogitatam quam poteris commodissimam ostende, uti ex multis primum mihi promittat, si non optimum, tolerabile certe, quod mutem, ubi amplius contigerit. Neque nescio multos esse, qui sacerdotia petant: verum me esse dices, hominem unum, quem si cum omnibus cæteris componat, &c. Scis morem tuum antiquum effusissime mentiendi de *Erasmo*. Hæc eadem ut scribat *Adolphus* tuus curabis, te scilicet preces dictante blandissimas: continuoque curabis ut centum francorum promissio confirmetur, &, si fieri potest, cum *Adolpho* tuo communicetur, ut si quis casus matrem, quod omen absit, eripuerit, à filio sumam. Adjicies in fine, me in literis esse quæstum id quod *Hieronymus* in Epistolis queritur non semel, studium oculos mihi eripere, eoque rem spectare, ut cum *Hieronymo* auribus & lingua tantum studere incipiam, & quam poteris facetissimis verbis persuadebis, ut *Saphirum* aliquem aut gemmam oculis confirmandis utilem mihi mittat. Quæ vero gemmæ eam vim habeant, scripsissem ipse, sed non aderat *Plinius*, tu è medico tuo expiscare. Hæc, mi *Jacobe*, neque improba, neque desperanda mihi videntur, si modo tu poteris animum illum tuum mihi fatalem induere. Et nunc maxime mihi videtur καιρὸς ille capillo arripiendus, cum tam honesta offertur ansa. Quæso te, mi *Batte*, hoc etiam atque etiam tecum cogita, tantam esse nostram necessitudinem, ut si utervis alteri vel gravi suo incommodo prodesse queat, tamen nihil recusandum fuerit: nunc cum *Erasmo*, quem semper amore etiam vicisti, citra ullum incommodum tuum tantum possis adferre emolumenti, in ea re negare operam, non tam quidem parum amici, quam omnino inimici mihi videtur. Neque est quod ille scrupulus animum tuum mordeat. Si hoc nunc dat Domina, qua fronte petam quæ mihimet sunt petenda. Scio enim tibi vehementer Dominæ liberalitate esse opus. Verum id velim tecum ipse reputes, simul utrunque non recte confici posse. Nunc quum opportunitas datur tuo dilato, amici negotium age, tuum suo loco acturus, & acturus nihilo incommodius. Neque vereare ne tantilla res Dominam exhauriat. Simul illud cogita tibi quotidie petendi opportunitatem dari, mihi non item. Tu fortassis bene mecum agi putas, si mendicitatem effugio. Ego vero sic sum affectus, ut aut prorsus abjicienda putem studia, aut comparandum undecunque, quod literæ postulant. Postulant autem vitam non omnino sordidam & afflictam. Quanquam quantulum à mendicitate aberamus, imo etiam absumus, quum ne teruncius quidem in loculis sit, reliqua pudet scribere. Circumspice, quot asini omnino nullis literis quas opes possideant, & magnum videtur, si non esuriat *Erasmus*? Adde, quid si morbus incidat, quando febris jam pene anniversaria recurrit quotannis, quid si multa alia, quæ in hominum vitam incidere & ipse expertus es?. Et quid adhuc à Domina præter spem accepimus? At periit, inquies, res in *Britannia*: non tua quidem, sed nec mea rursus culpa periit. Ego enim neque temere *Angliam* adii, neque inconsulte exitum sum molitus. Verum fatales casus nobis in manu non sunt. Quod vero clamas, me nihil mittere, equidem medius fidius miror: quasi vero aut ego sim celaturus, si quid apud me esset, quod mitti possit: aut hic dormiam, ut mihi exstimulatore sit opus. Crede mihi, non cessatur hic, imo vix etiam valetudini parcitur, dum amicis do operam, dum aliis compono, aliis prælego, aliis castigo, dum mihi lego, dum colligo, dum emendo, dum compono, dum *Græcas* literas, utique difficillimas, meditor. Et postea tu nostrum ocium ex tuo mensus, clamas, scribe huic librum, scribe sexcentas epistolas, quasi ingenium habeamus adamantinum. Credo, tibi ista perfacilia videri, quod non admodum hac in palæstra sudasti. Experire ipse quid sit librum scribere, & tum si videbitur me tarditatis incusa. Admisces in epistola quædam ut tibi videntur faceta, ut mihi contumeliosa, aut certe ἀνανεῖς. Quæso te, mi suavissime *Jacobe*, temperemus ab hujusmodi salibus, *Momum* non lepores sapientibus. Quod si juvat interdum eruditis jocis lusitare, ita his utamur sermonibus, ut dum tempus feret, in re nihil ab alterutro cessetur. Teque per nostram amicitiam obtestor, ne tibi veniat in mentem, ut libeat periculum facere, num possim etiam istam spem, quæ mihi sola est reliqua, contemnere, neve jucundissimum nostrum amorem intempestivis nugis obscuremus. Ego toto pectore nihil aliud cogito, nisi ut quam absolutissimam doctrinam mihi comparem, eoque trivialem hanc maximo animo contemno. Video enim, jamdudum video vulgi insaniam. Sed libri mei non

Digitized by Google

An. 1500. non ſtatim evolabunt, malo mihi gloriam paulo ſerius contingere, ſed ſolidam, quam maturius, verum pœnitendam; id quod non paucis eveniſſe video. Quare te quæſo, ſinas me meo arbitratu hanc rem agere. Mihi neque ſtudium, neque animus deerit; tu cura modo, ne mihi omnino deſit fortuna, quod quidem tu potes citra tuum incommodum, fortaſſis etiam magno tuo commodo efficere. Neque ego hæc ſcribo tanquam te putem ſtimulis ullis egere, hoc opus erat, ut maximum animum ſumeres. Ab optimatibus nihil mimini petendum, & pro amico nihil non honeſte tentaveris. Et mihi crede, ſi rem prudenter inſtitueris, bene procedet. Quod ſi omnino deſperas, ne me vana ſpe luſtaveris, ſine me alias ſpes circumſpicere. Hæc tu, mi *Batte*, non durius à me ſcripta, ſed ſimpliciſſime in bonam partem accipies. Erat enim in re ſeria ſeriis verbis utendum. Audi, quid etiam amplius te cupiam moliri, ut ab *Abbate* muneris aliquid avellas. Calles hominis ſenſum; finge verecundum quoddam & blandum argumentum ut petas. Dic me magnum quiddam moliri, ut *Hieronymum* totum, quantus eſt, inſcitia Theologorum depravatum, mutilatum, confuſum (nam non pauca in illius ſcriptis adulterina ſubditiſque deprehendi) reſtituam, *Græca* reponam. Antiquitates & artificium, auſim dicere, à nullo adhuc intellectum aperiam. Ad hanc rem non paucis libris eſſe opus, deinde *Græcorum* opera, ut munere aliquo adjuter. Hic nihil, *Batte*, mentieris. Nam hoc molior omnino. Quod ſi à Domina magnam impetras pecuniam, ut facturum confido, remittito illico *Ludovicum* ad nos. Sin decem aut duodecim Scutatos tantum dabit, aut nihil, ne redeat *Ludovicus*, ſed *Joanni* perferendum quicquid erit tradatur, niſi forte puer ultro ſeſe ad iter offerat. *Joannes* ad quem diem in *Zelandia* futurus ſit, *Ludovicus* ipſe ſcit. De veſte quod ſcribis nimis contumelioſe, fac ut videbitur. Mihi tamen ridiculum videtur puerum alere & non veſtire. De Domina hujuſmodi minutulas res emendicare, mihi non placet magnopere, ſed ut dixi tu videris. A Domina ſi non quantum vis accipies, tamen hoc cura, ut ſaltem aliquot Scutati una tua cum pecunia ad me perferantur. Magna librorum penuria, ocium nullum, valetudo parum firma: I tu & inter hæc libros ſcribe. De *Joanne* tabellione video rem parum eſſe certam, quare an hunc *Ludovicum* huc redire malis, ipſe ſtatues, ſed cave miſeris cum uno aut altero angelato. Matura, quæſo, mi *Batte*. *Auguſtini* libros *Ludovico* trades, qui *Veriam* ad *Thomam* illum noſtri amantiſſimum perferat, ut & in itinere ſi quos poſſit vendat puer, reliquos *Thomas* per certum navitam *Gaudam* tranſmittat ad *N.* ut is partim apud ſe diſtrahat, partim *Guilelmo* diſtrahendos quam primum mittat *Harlem*. Et per tabellionem ſcribam. Bene vale, mi chariſſime atque optime *Batte*, & in hanc rem totum *Battum* effunde, amicum illum dico, non etiam ceſſatorem. *Aurelia*, Anno 1500.

## EPISTOLA XCV.

*Eraſmus D. Adriano in Chriſto amiciſſimo* S. P. D.

HVNC *Ludovicum* puerum hactenus *Jacobus Battus* mei reſpectu aluit in arce *Tornohenſi*: nunc ita libitum iis, qui in præſentia tyrannidem obtinent, ut alio concedat, qui *Batti* fratrem expulerunt, ipſum etiam *Battum* expellere conati. Quare monui adoleſcentem, ut te primum viſeret, quem ſi in familiam tuam receperis, rem feceris & mihi vehementer gratam, & erga juvenem officioſam, & erga Deum piam: poſtremo tuis commoditatibus non inutilem. Eſt enim juvenis mediocri doctrina, ſcribendi artifex egregius, moribus & fide integerrima; id quod ipſe facile comperies, & ipſe meo periculo non dubitem affirmare. Vale. De libris communicatis habeo gratiam: referet autem is qui pietatis officia multo cum fœnore ſolet remetiri, Deus. Ex arce *Courtemburnenſi*, An. 1500.

## EPISTOLA XCVI.

An. 1509.

*Eraſmus Roterodamus Edmundo, Sacerdoti optimo*, S. D.

ABDIDI me in villam humaniſſimi Principis à *Courtemburne*, hybernis his menſibus in arcanis literis muſſaturus: & utinam id te comite, mi chariſſime *Edmunde*, *Gardiano* duce, licuiſſet. Sed hac in re, itidem ut in cæteris, vulgato præcepto libenter utemur: *Quando non potes quod vis, id velis quod poſſis.* Cæterum tuæ fuerit charitatis, *Adrianum* exſtimulare, ut me libris aliquot inſtruat. Mittat oro in *Paulum*, *Auguſtinum*, *Ambroſium*. *Origenem* à *Bertinicis* in tempore petat, certaque fiducia pro me fidejubeat: non enim falletur. Præterea percupiam, ſi fieri poſſit, ut *Origenis* Homiliæ una mittantur, quas habet *Gardianus*. *Lyranum*, aut ſi quis alius in *Paulum* ſcripſit, & eum ad nos venire velim. Mittetur ſabbato vehiculum, quo omnia huc perferantur: interim curabitis, ut libri ſint in eum diem parati. Si quando vel *Adrianus*, vel *Gardianus* dignabitur nos inviſere, cupide videbimus utrumlibet. Vale, mi optime *Edmundo*, & hac in re quæſo diligenter operam tuam naves. Ex arce *Courtemburnenſi*, An. 1500.

## EPISTOLA XCVII.

*Eraſmus Edmundo ut fratri dilecto* S. D.

CERTIOR per te fieri cupio, num jam redierit noſter *Gardianus*, aut quam mox exſpectetur adfuturus. *Adrianum* orabis meis verbis, ut de libris ſuis patienter agat: nam poſt paucos dies alio me conferam, ſed non prius quam codices multa cum gratia reſtituero. Mirum quam mihi gratuler, qui hunc laborem ſuſceperim: confido enim me poſthac toto pectore in arcanis literis libenter verſaturum. Meus *Franciſcus* intra dies ferme octo in patriam redit, quare *Ludovicus* recte feecerit, ſi paginas, ſi quas habet, de *Laurentio* miſerit: de mercede nulla fuerit cunctatio. Præterea de tabellione ecquid cognorit, ut ſciam, faciat: tum de ſudario, quod perierat, quid egerit. Exemplar precationum mearum, ſi deſiit uti, jube remittat. Vos omnes jamdudum exſpecto, ſed fruſtra. Cum primis pio, mihique plurimis nominibus obſervando viro, *Adriano* ſalutem meis verbis annunciabis. Ipſe recte valebis, ac nos tui amantiſſimos viciſſim amabis, noſque pro mutua charitate, mutuis apud Deum precibus adjuvemus. Ex arce, in qua diverſor, raptim, Anno 1500.

## EPISTOLA XCVIII.

Antonius à Bergis, Abbas Bertinicus, Joanni de Medicis, Cardinali, per Eraſmum Roterodamum.

SALVTEM, *quam amplitudo mihi tua ſcripſit, equidem maximi muneris inſtar accipio, eamque tibi plurimo fœnore cumulatam reſcribo. Ex Epiſtola tum eruditionis, tum modeſtiæ plena, humaniſſimi pectoris iſtius, & omnino Medicum gente digni ſimulacrum libenter agnovi, id quod antehac, cum apud nos ageres, perſpexeram. Quod autem hoſpitioli noſtri non ſolum meminiſti, verum etiam tam diligenter pro eo gratias agis, quodque tam benigne tuam invicem operam offers, animum quidem iſtum tuum tam propenſum, volens gaudenſque amplector, meritum meum nullum agnoſco. Quod enim noſtra mediocritas, cum cognoſcendi ſtudio in his regionibus noſtratibus velut* Ulyſſes Homericus, *aut* Solon Herodoticus *peregrinum ageres, qualicunque ſedulitate accepimus, nulla hic noſtra pradicanda eſt humanitas, ſed ſumma barbaries inhumanitaſque, ni feciſſemus, fuiſſet. Utinam autem vel tua dignitati, vel noſtro animo ſatisfactum eſſet. Mea quidem tecta jam aliquot annis hoſpes nullus ſubiit vel ornatior, vel jucundior, ut hoc nomine me tibi beneficium debere potius exiſtimem, quam credidiſſe. Porro opera tua, ſi quando erit uſus, tanta omnino libertate utar, quanta tu beni-*

An. 1501.

An. 1501. *gnitate offers. Libuit autem interim, & hac in re priscum referre morem, ut tua præstantia non solum hospitalis Epistola, verumetiam xeniorum vice nonnihil adderem. Mitto autem cantiunculas musicas duas: quod ego munus, tametsi perquam exiguum, ac* Ciceroniana *etiam levidensa levius, tamen haud ingratum fore confido, vel quod es ipse hujus artis antiquissima, omniumque consensu divina, longe scientissimus, itidem ut aliarum omnium: vel quod cantilena recens est & nuperrime nata: & ex eo quidem nata, qui se quondam in clarissima Medicum familia prædicat alitum fuisse, qua mihi nimirum ingeniis excitandis, ornandisque studiis cœlitus data fuisse videtur. Is est in nostra urbe musica artis princeps. Præposito* Watensi *salutem tuam tuu verbis annunciavi: eam incredibili accepit cum voluptate, suamque largiter adscribi jussit. Præstantissimam amplitudinem tuam florentem & incolumem tueantur superi. Apud divum* Audomarum, 30. *Julii, Anno à* Christo *nato* 1501.

## * Epistola XCIX.

*Erasmus Antonio Lutzenburgo suo* S. D.

Scriptvrvs eram humanissimo Abbati, sed quoniam nuper admodum ex *Batti* mei literis certior factus essem illum nondum è *Brabantia* rediisse, differendum putavi, donec de reditu illius cognovissem. Ad te dedi, non quod esset argumenti novi aliquid, sed ut constantem perpetuumque meum in te amorem scribendi officio declararem. Amo enim te, mi suavissime humanissimeque *Antoni*, aut pari, aut certe quam proximo cum *Batto* meo amore: idque non modo plurimis tuis in nos officiis moribusque festivissimis provocatus, verumetiam fatali quadam benevolentia, qua ita ducor, ut tui etiamsi oblivisci velim, non queam. Nos quoniam funditus exstinctam pestem cognovimus, *Parisios* remigramus. *Dismas* Abbatis frater, dum hic agerem, me coluit diligenter: nos illius vicissim consuetudine magnopere sumus delectati. Nihil, ita me Deus amet, vidi in vita hoc adolescentulo ingeniosius, suavius, modestius. Non hæc, mi *Antoni*, ad gratiam dico, sic ego re ipsa reperi. Verum ille juxta sapientis vocem, animam sortitus est bonam, & ut *Græci* dicunt, εὐφυὴς est, id est, bene & feliciter natus. Nihil illius ingenio acutius, nihil mente sincerius, nihil moribus suavius, nihil pudore amabilius. Miratur literas: cum his versari gaudet, unde semper abeat doctior. Dignissimus est puer, ut quem natura optimis rebus finxisse videtur, exquisitissima etiam diligentia curemus, ne mens minime vulgaris ad vulgares istas sordes detrahatur. Sed vivit in tutela quadam, sic enim appellant, nimis profecto tutelariter, id est, victu sordidissimo, immunda supellectile, neglectus inter, nescio quos, ocioso nebulones, qui nihil pejus oderunt quam libros, aut literatos sermones: grassatores nocturnos, potores diurnos, unde præter turpitudinem nil discere queat. Et haud ignoras quam hæc ætas facile trahatur ad vitium. Affricat enim scabiem suam convictor infectus: & qui tangit picem, non potest non inquinari. Est hic *Jacobus Tutor*, vir integritate summa, eruditione non vulgari, & studii flagrantissimi, Juris Pontificii professor: is domi suæ nobiles aliquot adolescentes alit, & alit non tutelariter, sed mundissime: nam ipse sum apud eum tres menses diversatus. Hic *Dismam* non secus atque filium amat, & amatur ut parens: quare si Abbas adolescentis saluti recte consulere volet, id quod velle scio, properabit illum ex tutela eximere, in qua & magno vivit, & immundissime, & quod est omnium gravissimum, cum iis, unde depravari possit, doceri non possit: atque huic, de quo memini, *Jacobo* committet, viro, mihi crede, cujus ego laudes nullo sermone queam assequi. Is gaudebit contigisse, cui suam doctrinam libenter communicet, quem ad honesta studia totum excitet. *Dismas* habebit, qui cum perinde vivat, ac si cum parente viveret, apud quem nihil nisi honesta, nisi literata audiet. Mirabere forsan, cur ego rem hanc tantopere sustineam. Ad me quidem omnino nihil pertinet: nam mihi hic neque seritur, neque metitur: verum ubi tutelæ sordes, ubi periculosos convictores, ubi omnia contaminata perspexissem, & adolescentis optimam mentem amarem, tum etiam Abbati propter summam illius in me humanitatem omnia deberem, putavi me hoc sine summo scelere prætermittere non posse, quin quod ad *Dismæ* salutem vehementer pertinere cognovissem, compertissimumque haberem, literis meis admonerem. Nihil enim dubito, quin si Abbati minima ex parte res, uti est, cognita foret, ne semihoram quidem in ea familia sedere sit passurus. Nec ille vos scrupulus commoveat, ne parum *Gallice* discat, si cum homine nostrate vivat: scit bene *Gallice Dismas*, & jam nunc loquitur expedite. Neque deerunt usquam unde *Gallice* audiat: at literas discet, virtutem discet: quod si Abbati persuaseris, poteris enim, *Antoni*, adolescentulum immortali beneficio tibi alligaris. Neque dubito, quin omnes qui illi bene volunt, inter quos primum locum Abbas obtinet, mihi sint in posterum maximam gratiam habituri, qui quidem in tempore admonuerim: quare non conquiesces, donec effeceris. *Antonio* patri patrono tuo, jam etiam per te meo, me quam commendatissimum facere studebis, purgabisque quod nihil per hunc scripserim: scribam è *Parisiis*, ubi reversurum audiero. Vale, mi *Antoni* charissime, nosque, quod facis, ama. Præfectum aulæ virum humanissimum, cæterosque nobis bene cupientes, meis verbis salutabis. *Aurelia*, 11. Decemb. Anno 1501.

### Appendix.

Ne mireris, *Antoni*, quod in initio hujus epistolæ negavimus nos Abbati scribere, cùm scripserimus. Cum enim is tabellio nos fefellisset, & hic puer à *Batto* præter spem adesset, mutavimus sententiam, maxime *Batto* ut ita facerem hortante: è cujus literis cognovi, quanta humanitate vir ille meas literas acceperit, quod ego vix sperare audebam. Novi enim, quam nihil habeant mea scripta, cur à magnis viris legantur. De *Dismæ* quod scripsi, quæso ut omni conatu adjutes, omnino vehementer ad illius salutem pertinet: & nisi fiet, vereor ne nos omnes, puerum in primis, non fecisse pœniteat. Nos enim nihil ambiguum, sed oculis deprehensa scripsimus, neque quicquam præter ejus salutem spectamus: & ille in his est annis, qui facillime vel ad summam gloriam, vel ad turpitudinem extremam flectantur: quare vigilandum & maturandum censeo. Vale.

## Epistola C.

*Jacobo Middelburgensi, Vicario Episcopi Cameracensis, Erasmus Rot.* S. D.

Demiror equidem te, non dico meum, sed cujuspiam omnino suffragium præterea requirere, quum tantum habeas, tum suscipiendi, tum edendi operis tui auctorem: nempe *Henricum à Bergis Cameracensem* Episcopum, qui quidem uti te sibi vicarium generalem, id est, per omnia velut alterum se constituerat: ita prorsus tanquam alterum se deamabat, neque rursus aliter quam teipsum *Apologiam* hanc tuam complectebatur, efferebat, exosculabatur, quippe veluti primogenium quendam istius ingenii (quo tantopere delectabatur) fœtum. Quam autem in amando te non fallebatur, tam non erravit in laudando libello tuo consentaneum est. Quanquam exoculant quidem suum amorem Poetæ, mirum ni terrestris illius *Veneris* filium: nam altero illo, quem cœlesti matre prognatum scripsit *Plato*, nihil profecto perspicacius oculatiusque. Non enim ideo parum perspexisse putandus est Episcopus, quod te sic unice amavit, quin potius ob hoc ipsum tam amabat effuse, quod *Lyncei* (ut ita loquar) oculis tuas virtutes penitissime perspexerat, vir,

An. 1502.

* Hæc Epistola ejusdem ferme est argumenti, quæ XXV. paucis tantum mutatis.

Digitized by Google

An. 1502. vir, ut scis, cum reliquis in rebus plane (quod ait *Flaccus*) emunctæ naris, tum in pensitandis ingeniis nequaquam, ut *Græci* dicunt, λάθμη σάθμη, sed omnino λύθος λίθος. Ergo quum tam gravem, tamque doctum habeas auctorem, qui tibi unus vel pro multis millibus esse debeat, tamen ut es incredibili modestia, velut *Apelles* quidam, meum, hoc est, vulgi quoque judicium captas: visque, quod ille non ferebat, sutorem & ultra crepidam audere: id quanquam video mihi vehementer ineptum, in re cum ardua, tum à meis studiis aliena, quasi censoriam virgulam sumere, tamen postea quam tu ita vis, cui nihil negare fas est, age juxta *Platonicam* parœmiam, τλῶ λεοντλῶ ἐνδύτομαι, meamque sententiam solita libertate proferam, sed quæ nihil ab Episcopi judicio discrepet, nisi quod ille, quo perspiciebat acrius, hoc laudabat impensius. Nos quædam pene fugillabimus, sed perpauca, ut vel hoc argumento cognoscas, cætera nobis magnopere placuisse. Jam primum igitur, si tam illustre scribi argumentum tibi delegisses, prudentia modo tua laudanda fuerat, nunc vero quoniam forte objectum commode arripuisti, felicitati quoque tuæ gratulandum esse puto. Quod enim vel splendidius, vel magis pium munus obvenire poterat, quam ut pro Cæsarea majestate calamum sumeres, quæ pro omnibus sumit arma: eamque ingenii tui clypeo à calumniæ telis defenderes, quæ pacem *Christianam* à belli calamitate defendit? Tum autem muneri isti quanquam amplissimo adeo non defuisti, ut longe etiam superasse videaris. Parum enim tibi visum est, si invictissimam potestatem invictis æque argumentis à calumnia vindicares, sed hinc arrepta velut ansa, majus quiddam animo destinasti, ut eandem tuis literis tanquam immortali quodam monumento decorares. Mihi certe hoc usu venisse scio, ut quum semper magnificentissime senserim de ea potestate, quam in rebus politicis Deus secundum se voluit esse pollentissimam, tamen simulatque tuam evolvi defensionem, mirum quam cœperit apud me apparere amplior atque augustior. Illud autem præcipuæ cujusdam prudentiæ mihi videtur, quod ubi factiosa quædam incidunt, vel arte prætercurris, vel si id non licet, tamen in periculosis quæstionibus, velut inter *Cyaneas* cautes navigans, ita docte styli cursum moderaris, ut neque verum taceas, neque in factionem ullam impingas. Jam vero neminem fore puto, quin admiraturus sit in ætate tam grandi ingenium istud tam ardens, tam vividum, in fortuna tam lauta industriam tam infatigabilem, in tantis negotiis animum tam vigilantem, & vel ad minutissima quæque attentissimum, uno in homine memoriam amplissimam, & tantarum simul rerum capacem, in opusculo cum brevi, tum pene tumultuario tam variam omnigenæ doctrinæ vim, tantam utriusque Juris, tantam Theologiæ, tantam historiarum, tantam scriptorum omnium, & veterum, & recentium in omni genere notitiam, ut mihi tanquam sedula quæpiam apis per omnia circumvolitans nullum præteriisse librum videare, unde non aliquid decerpseris, incredibili quidem sedulitate, at malim majore delectu, neque sine modo. Etenim quum aliquoties in re nec ita magni momenti, & jam dudum evicta, tantum testimoniorum inculcas, metuendum erat vetus illud Lœdorium, ἢ λύχνον ἐν μεσημβείᾳ, non quod ea sint lectu vel inutilia, vel inamœna, sed quod pro studio magis scribentis, quam pro rei propositæ necessitate videbuntur adscita. Quo fit & illud, ut quum ordine summo sis usus, tamen ipsa copia sic obscuretur, ut attentum etiam & memorem lectorem fallat interdum. Verum quando nihil adhuc in rebus humanis exstitit, sic arte, ingenio, curaque elaboratum, in quo non μῶμος ille *Græcorum* aliquid invenerit, quod calumniaretur, nulla poterat honestior admitti reprehensio, quam si dicaris utilibus superfluere. Est enim ista ingenii feliciter luxuriantis laus, potius quam culpa. Porro styli humilitatem tantum abest ut reprehendam, ut illud vel præcipua laude dignum ducam, quod orationis phaleras, quas argumenti natura respuebat, ne affectaveris quidem, ne plane fieret, vel illud τὸ ἐν φαιῇ μύρον, vel illud πίθηκος ἐν πορφύρᾳ. Sed quid ego hæc, quæ tu non uno loco tam belle defendis? Videberis igitur rem indignam facere, si opus omnibus omnium eruditorum calculis laudatum, ut dignum oculis atque auribus studiosorum, dignum luce, dignum posteritate, dignum denique vel charissima tibi Præsulis memoria, vel ipso decore Cæsareæ majestatis premas atque obliteres, præsertim in quo tantum olei operæque consumpseris. Age, jam sat superque verecundiæ datum: reliqua vel amicorum votis, vel doctorum judiciis, vel amantissimi Præsulis voluntati largire, neque quod viventi consecrasti, mortuo eripias. Patere tandem tibi excuti è manibus, exeat in lucem, prodeat bonis avibus, versetur in coronis: ut quoniam tibi tantum amicum, mihi studiorum meorum *Mecœnatem* mors invidit, saltem hoc solatio desiderium nostrum leniamus. Mihi sic præsagit animus, rem istam tibi gloriæ, studiosis usui, toti *Germaniæ* voluptati atque ornamento futuram. Finem faciam, si prius hoc unum monuero, eam Epistolam, qua cum tibi suscepta est dimicatio, *Leonardi Aretini* falso inscribi, quam quidem ab alio quodam *Aretino* profectam esse, quum libri castigatiores, tum stylus ipse, *Leonardino* longe dissimillimus, facile indicat: verum, cognomen ambobus commune locum fecit errori. Vale, multum observande domine & amice singularis, nosque tui studiosissimos mutuo dilige. In nobili *Lovaniensium* Academia 13. Febr. Anno 1502. An. 1502.

## EPISTOLA CI.

*Erasmus Petro Ægidio* S. D.

SCRIPTVRVS eram ad te, nam ita decreveram, mi *Petre*, verum intervenere nescio quæ, quæ propositum hoc excuterent. *Laurentius*, & alia quædam collectanea tua, sunt in tuto, jamque ad te rediissent, ni mihi consilium tuum displicuisset. Nam si huc ad Pascha venturus es, ut scribis, sine causa libros repetis: si non es venturus, tum mittentur, quo videbitur. Nam nihil est periculi, ne quid pereat, præsertim me advigilante. Cum *Antuerpia* proxime essem, pater adito me, volebat dicere, nescio quid magnum ac serium: verum erat abeundum mihi. Suspicabar agi de te mihi committendo: quam equidem rem neque suasurus sum, ne videar mei compendii gratia cupere: neque dissuasurus, quum percupiam tibi prodesse; & video quantum possim, si mecum menses aliquot fueris. Et utinam patri mens ea fuisset priusquam isthinc abirem. Vale, & undecunque potes, collige *Rodolphi Agricolæ* opuscula, tecumque deporta. *Joannes Gorcumensis* salutem multam jussit tibi adscribi. *Parisiis* Anno 1503. An. 1503.

## EPISTOLA CII.

*Erasmus Joanni Coleto suo* S. P. D.

SI vel amicitia nostra, doctissime *Colete*, vulgaribus causis coiisset, vel tui mores quicquam unquam vulgi sapuisse visi essent, vererer equidem nonnihil, ne ea tam longa, tamque diuturna locorum ac temporum sejunctione, si non interisset, certe refrixisset. Nunc quoniam te mihi doctrinæ cujusdam singularis admiratio amorque pietatis, me tibi spes fortasse nonnulla, vel opinio potius harum rerum conciliavit, non puto metuendum esse, quod vulgo videmus accidere, ne ideo desierim esse in animo, quod absim ab oculis. Quod autem compluribus jam annis nihil à *Coleto* redditur literarum, vel occupationes tuas, vel quod certum non scires ubi locorum agerem: denique quidvis potius in causa fuisse mihi persuaserim, quam oblivionem amiculi. Sed ut de silentio nec debeo, nec velim expostulare tecum, ita majorem in modum te oro obsecroque, ut posthac tantillum ocii suffureris studiis ne- An. 1504.

Digitized by Google

An. 1504. negotiisque tuis, quo me nonnunquam literis tuis compelles. Miror nihil dum tuarum commentationum in *Paulum* atque in Euangelia prodiisse in lucem. Equidem non ignoro tuam modestiam, verum ista quoque tibi aliquando vincenda, & publicæ utilitatis respectu excutienda. De Doctoris titulo, ac decanatus honore, neque non aliis quibusdam ornamentis, quæ tuis virtutibus ultro delata esse audio, non tam tibi gratulor, quem certo scio nihil inde sibi præter laborem vendicaturum, quam iis, quibus tu ista gesturus es, quam ipsis honoribus, qui tum demum hoc nomine digni videntur, quum inciderint in promerentem, neque tamen ambientem. Dici non queat, optime *Colete*, quam velis equisque properem ad sacras Literas, quam omnia mihi fastidio sint, quæ illinc aut avocant, aut etiam remorantur. Sed Fortunæ iniquitas, quæ me perpetuo eodem adspicit vultu, fuit in causa, quo minus me quiverim ab his tricis expedire. Hoc itaque animo me in *Galliam* recepi, ut eas si nequeam absolvere, certe quocunque modo abjiciam. Deinde liber ac toto pectore divinas Literas aggrediar, in his reliquam omnem ætatem insumpturus. Quanquam ante triennium ausus sum nescio quid in Epistolam *Pauli* ad *Romanos*: absolvique uno quasi impetu quatuor volumina, progressurus, ni me quædam avocassent: quorum illud præcipuum, quod passim *Græca* desiderarem. Itaque jam triennium ferme literæ *Græcæ* me totum possident, neque mihi videor operam omnino lusisse. Cœperam & *Hebraica* attingere, verum peregrinitate sermonis deterritus, simul quod nec ætas, nec ingenium hominis pluribus rebus pariter sufficit, destiti. *Origenis* Operum bonam partem evolvi: quo præceptore mihi videor nonnullum feciſse operæ precium. Aperit enim quasi fontes quosdam, & rationes indicat artis Theologicæ. Mitto ad te munusculum literarium, lucubratiunculas aliquot meas: in quibus est & concertatio illa *De reformidatione Christi*, qua quondam in *Anglia* fumus conflictati: quanquam adeo mutata, ut vix agnoscas. Præterea, quæ tu responderas, quæque ipse retuleram, non quibant inveniri. *Enchiridion* non ad ostentationem ingenii aut eloquentiæ conscripsi, verum ad hoc solum, ut mederer errori vulgo religionem constituentium in ceremoniis, & observationibus pene pluſquam *Judaicis* rerum corporalium: ea, quæ ad pietatem pertinent, mire negligentium. Conatus autem sum velut artificium quoddam pietatis tradere, more eorum, qui de disciplinis certas rationes conscripsere: reliqua omnia pene alieno scripsi stomacho, præsertim *Paana* & *obsecrationem*, quod laboris datum est animo *Batti* mei, & affectibus *Annæ* Principis *Venetæ*. A Panegyrico sic abhorrebam, ut non meminerim quicquam feciſse me, magis reluctante animo. Videbam enim genus hoc citra adulationem tractari non posse. Ego tamen novo sum usus artificio, ut & in adulando sim liberrimus, & in libertate adulantissimus. Si quid tuarum lucubrationum voles excudi formulis, exemplar tantum mittito, reliquum à me curabitur, ut emendatissime excudatur. Et scripsi nuper, & meministi, opinor, de centum *Adagiorum* libris, nostro sumptu in *Angliam* transmissis, idque ante triennium. Scripserat mihi *Grocinus* se summa fide summaque diligentia curaturum, ut ex animi mei sententia distraherentur. Neque dubito, quin promissa præstiterit, ut est vir omnium, quos alit *Britannia*, integerrimus optimusque. Dignaberis igitur & ipse hac in re operam tuam mihi commodare, admonendo atque exstimulando eos, per quos putabis negotium oportere confici. Neque enim dubitandum, quin tanto spacio divenditi sint libri, & necesse est pecuniam ad aliquos pervenisse: quæ mihi in præsenti sic usui futura est, ut nunquam æque. Quavis enim ratione mihi est elaborandum, ut menses aliquot totus mihi vivam, quo me aliquando ab iis extricem, quæ in literis profanis institui, id quod hac hyeme sperabam futurum, nisi me tam multæ spes eluſissent. Neque admodum magna pecunia redimi poterit hæc libertas, nimirum paucorum mensium. Quare te obsecro, ut me ad sacra studia vehementer anhelantem, quod potes, adjuves, atque ab iis literis, quæ mihi jam dulces esse desierunt, asseras. Non mihi rogandus est Comes meus *Guilielmus Montjoius*, tamen neque ab re, neque absurde facturus videatur, si sua benignitate nonnihil adjuverit me, vel quod sic semper favit studiis meis, vel quod argumentum est ipso auctore susceptum, ipsiusque inscriptum nomini, nempe *Adagiorum*. Pœnitet enim prioris editionis, vel quod typographorum culpa sic est mendosa, ut studio depravata videatur; vel quod instigantibus quibusdam præcipitavi opus, quod mihi nunc demum jejunum atque inops videri cœpit, posteaquam *Græcos* evolvi Auctores. Decretum est igitur altera editione & meam & chalcographorum culpam sarcire, simulque studiosis utilissimo argumento consulere. Quanquam autem interim rem tracto, fortassis humiliorem, tamen dum in *Græcorum* hortis versor, multa obiter decerpo, in posterum usui futura etiam sacris in Literis. Nam hoc unum expertus video, nullis in literis nos esse aliquid sine *Græcitate*. Aliud enim est conjicere, aliud judicare, aliud tuis, aliud alienis oculis credere. En quo crevit Epistola: verum, sic loquacem amor non vitium facit. Vale, doctissime atque optime *Colete*.

*Sixtino* nostro quid acciderit, cupio cognoscere: tum quid rerum agat præsul *Richardus Charnocus*, animus tuus. Quo certius ad me perferantur ea, quæ scripturus missuruſve es, jubebis reddi *Christophoro Fischero* tui amantissimo, omniumque literatorum fautori summo, in cujus familia diversor. *Parisiis* Anno 1504.

## EPISTOLA CIII.

*Christophoro Fischero, Protonotario Apostolico, Erasmus Roterodamus* S. D.

AESTATE superiore, quum in pervetusta quapiam bibliotheca venarer, (nullis enim in saltibus venatus jucundior) forte in casses meos incidit præda neutiquam vulgaris, *Laurentii Vallæ* in Novum Testamentum Annotationes. Hanc equidem illico magnopere volebam studiosis omnibus impertire: videlicet ingenerosum esse ratus, quod venando nactus essem, id solum me ac tacitum devorare. Sed deterrebat nonnihil, cum vetus illa *Laurentiani* nominis invidia, tum hoc argumentum, multo in speciem invidiosissimum. At tu simul atque librum evolveras, non solum meam opinionem tuo gravissimo judicio confirmasti, verumetiam hortari, atque adeo conviciis extundere cœpisti, ne propter paucorum oblatrationes, simul & auctorem merita gloria, & tot millia studiosorum tanta commoditate fraudarem; negans dubitare te, quin opus illud sanis & candidis ingeniis, ut utilissimum, ita & gratissimum esset futurum: cæterum alios cum suo morbo fortiter esse negligendos. Denique patronum te, propugnatoremque offerebas: exiret modo in publicum, vel tuo unius periculo. Equidem opinor, ornatissime *Christophore*, *Vallam* tuum, tametsi per se non instrenuus invidiæ contemptor semper fuit, tamen aliquanto fidentius in aciem proditurum, tanti videlicet, tamque invicti ὑπερασπιστοῦ fretum præsidio, tum hac præfatione velut *Ajacis* clypeo præmunitum: in qua quidem ex tua sententia de hujus operis ratione atque utilitate disseremus: sed si paucis prius generalem *Laurentiani* nominis invidiam fuerimus amoliti. Primum igitur, si candorem, quem ab aliis exigimus, ipsi præstaremus iis, erga quos non solum non maligni, verumetiam grati esse debemus; profecto *Laurentianum* nomen apud omnes, qui bonas amant literas, pro invidioso gratum ac venerandum haberetur: quippe qui studio restituendæ rei literariæ partes multo odiosissimas sciens ac prudens sibi sumpserit. Neque enim non videbat vir acutus, tam inveteratum morbum non posse sanari, nisi tristibus pharmacis, usturis, ac sectionibus;

An. 1505.

Digitized by Google

An. 1505. nibus: idque magno cum dolore plurimorum: neque vero nesciebat, adeo delicatas esse mortalium aures, ut vix etiam inter bonos viros invenias, qui verum libenter audiat: forteque ut non ii tantum exclamarent, quorum ulcera tetigisset, verum etiam illi, qui ex alieno malo sibi metum fingerent: tamen pio quodam calore percitus nullum laborem, nullam recusavit invidiam, modo paucis non ingratis (omnes autem gratos esse oportebat) beneficium suum commendaret. At nunc nostro vitio fit, ut præpostere obsequium amicos, veritas odium pariat. Sed fœnum, inquiunt, habet in cornu, & neminem non lacerat. Itane tandem lacerare vocant dissentire in literis, ac docendi studio, quum plurima laudaris, paucula quædam suggillare? Quod si juxta *Fabium*, *nihil tam efficax est in docendo, quam in artificum operibus non imitanda modo, sed etiam vitanda qua sint, commonstrare*, quanto magis idem oportebat in dedocendo facere? Ausus est *Laurentius* in auctoribus aliquot voculam taxare. Indignum facinus, quasi vero non omnia pene in omnibus reprehenderit *Aristoteles*, quasi non totam *Ciceronis* dictionem contempserit *Brutus*, *Maronis* ac *Livii Caligula*, *Senecæ Fabius* atque *Aulus Gellius*, *Augustini Ruffinique Hieronymus*, postremo *Quintiliani Philelphus*. Quid quod *Plinius* non credit, librum suum amico placuisse, nisi cognoverit quædam displicuisse? Adeo vitio danda non est, ut etiam vehementer optanda sit ista in studiis dissensio, conflictatioque, quam *Hesiodus* utilissimam esse mortalibus scripsit, modo ne in rabiem exeat, ac citra convitia consistat. Mihi quidem sano, non gratior sit amicus applausor, quam vel inimicus reprehensor, dum ne plane sutor ultra crepidam. Nam ut nusquam fere non nocet laudator, ita semper prodest reprehensor. Etenim si vere reprehendit, discedo doctior, sin falso, tamen acuor, exstimulor, expergesio, reddor attentior, cautiorque, animor ad defensionem veri. Siquidem minus acre calcar habet gloriæ cupiditas, quam ignominiæ metus. Jam vero quod quosdam in totum damnavit, quid obsecro tam erat necessarium, quam indoctis auctoritatem, hoc est, ὄνῳ τὴν λύρην detrahere, ne turba imperitorum pessima pro optimis sequeretur? Quibus in rebus si quando vir ille videtur nimis excandescere, non hujus vitio, sed depravatoribus istis erat imputandum. Denique nimio consultius fuerat alieno abuti vitio, quam ob unam maculam à tot commoditatibus alienari. Sunt enim prorsum quædam ἀναγκαῖα κακὰ, quibus tamen vel sua causa sapientes abuti consueverunt. Postulabant sic depravatæ, sic contaminatæ literæ audacem Zoilum, ac βαρβαρομάστιγα magis quam *Partheniam*, id est, acrem censorem, ac plane *Momum* quempiam: & si vis etiam, contumelionum, qui nimirum auderet ἀποτέρδειν πρὸς τὰς βρύτας, ut vetus habet Comœdia*, quique malo nodo malum cuneum adhiberet. Itaque unius *Laurentii* mordacitas (siquidem ita malunt appellare) non paulo plus conduxit rei literariæ, quam plurimorum ineptus candor, omnia omnium sine delectu mirantium, sibique invicem plaudentium, ac mutuum, quod ajunt, scabentium. Quod si quis perpenderit, quam fœde disciplinas omnes confuderint isti *Gothi*, quanto supercilio suam inscitiam perdoceant, quam stolida pervicacia & propriam tueantur ignorantiam, & alienam eruditionem adspernentur, fortasse permodestus videbitur *Valla* dolor, pia stomachatio, ac necessaria magis quam procax reprehensio: quæ quidem vel ob hoc ipsum favorem eruditorum promerebatur, quod quum per se sit invidiosa, tamen est ab *Laurentio* nostri juvandi causa suscepta. Ac vide, quæso, quam hic studio sumus iniqui, imo quam nobis ipsis inutiles. *Poggius* rabula adeo indoctus, ut etiamsi vacaret obscœnitate, tamen indignus esset qui legeretur; adeo autem obscœnus, ut etiamsi doctissimus fuisset, tamen esset à bonis viris rejiciendus. Hic, inquam, talis, ut homo candidus scilicet sine invidia passim habetur in manibus, lectitatur in nullam non linguam transfusus: *Laurentius* neque obscœnus, & centuplo doctior, laborat invidia mordacitatis, atque ut bos cornupeta vitatur: etiam ab his qui scripta hominis nunquam legerunt. Sunt enim qui, quod est nimis profecto ridiculum, nihil quicquam de *Valla* didicerunt, nisi quod est mordaculus, atque hac una in re illum imitantur, vel superant potius, quod mordent etiam ignotum. Prorsusque homines, sapientes ideo perpetuo barbari esse præoptant, quod mordax est *Laurentius*. Quin *Epicteti* magis pulcherrimam regulam secuti, ea quemque ansa prehendimus, qua commode teneri queat, hac nimirum, qua *Virgilius Ennium*, *Cyprianus Tertullianum*, *Hieronymus* præter alios *Origenem*, *Augustinus Ticonium*, arripuerunt? *Laurentium*, quum tam multas habeat ansas, quibus possit utiliter teneri, cur hac sola apprehendimus, quod est mordacior? Cur non potius leve vitium tot virtutibus compensamus? Imo cur ingrati necessariam libertatem maledicentiæ titulo depravamus? Sed his de rebus hactenus. Nunc ad ea veniendum, quæ hujus argumenti sunt propria. Futurum enim auguror, ut quidam vixdum perlecto operis titulo, priusquam de re cognoscant, illico τραγῳδικῶς sint exclamaturi, O cœlum, ô terra! quum belle moneat *Aristophanes* in Pluto, ὃ χρὴ κλαίειν καὶ βοᾶν, πρὶν ἂν μάθῃς. Atque haud scio, an hi sint omnium odiosissime obturbaturi, ad quos maxima pars utilitatis pertinet, nempe Theologi. Non ferenda, inquient, temeritas, hominem grammaticum post vexatas disciplinas omnes, ne à sacris quidem Literis petulantem abstinere calamum. Atqui si *Nicolaus Lyranus* auditur, non dico indoctus, sed certe recens, *Hieronymum* γεροντοκομοῦντα, multaque convellens, tot jam seculorum consensu consecrata: idque ex *Judæorum* libris, (unde ut donemus nostram hanc manare editionem, tamen haud scio, an studio depravatis) quod tandem flagitium est, si *Laurentius*, collatis aliquot vetustis atque emendatis *Græcorum* exemplaribus, quædam annotavit in Novo Testamento, quod sine controversia totum ab illorum fontibus manat, quæ vel dissonent, vel dormitante interprete, parum commode reddita videantur, vel quæ significantius apud illos dicantur: postremo, si quid apud nos depravatum appareat? An dicent, non idem esse juris *Valla* Grammatico, quod *Nicolao* Theologo? Ut ne respondeam interim, *Laurentium* à magnis viris inter Philosophos quoque ac Theologos referri? *Lyranus* quum vocem excutit, num Theologi ac non magis Grammatici vices agit? imo totum hoc, divinas vertere Scripturas, Grammatici videlicet partes sunt. Neque vero absurdum, si quibusdam in rebus plus sapit *Jethro* quam *Moyses*. Ac ne ipsa quidem, opinor, disciplinarum omnium regina Theologia, ducet indignum admoveri sibi manus, ac debitum exhiberi obsequium à pedisequa Grammatica: quæ tametsi nonnullis est dignitate posterior, nullius certe opera magis necessaria. In minimis versatur, sed sine quibus nemo evasit maximus: nugas agitat, sed quæ seria ducunt. Quod si reclament, majorem esse Theologiam, quam ut Grammaticæ legibus teneatur, totum interpretandi negotium de Sacri Spiritus afflatu pendere: nova vero Theologorum dignitas, si solis illis licet barbare loqui. Sed expediant interim, quid sibi velit, quod *Desiderio* suo scribit *Hieronymus*: *Aliud est*, inquiens, *esse vatem, & aliud interpretem. Ibi Spiritus venturu prædicit: hic eruditio & verborum copia, quæ intelligit, transfert.* Tum quorsus attinuerit, eundem de ratione vertendi divinas Literas præcipere, si facultas ista divino contingit afflatu? Postremo, cur *Paulus* in *Hebraica* lingua quam *Græca* dictus est disertior? Quod si fieri potuit, ut Veteris interpretes Testamenti erraverint alicubi, in his præsertim, in quibus fides non violatur, quidni potuerint labi & Novi? quod quidem *Hieronymus* non

* Vide Erasmi *Adagia*, Chiliadis 1. Cent. VII. Proverb. LXXVI.



Digitized by Google

An. 1505. tam vertit, quam emendavit, idque modice, relictis, ut ipse testatur, verbis, quæ potissimum excutit *Laurentius*. Verum, num etiam nostros errores ad Spiritum auctorem referemus? Esto, bene verterint interpretes: sed bene versa pervertuntur. Emendavit *Hieronymus*: at rursum depravantur emendata. Nisi forte nunc aut minor audacia semidoctorum, aut peritia linguarum major, aut non facillima depravatio propter artem chalcographicam, quæ unicum mendum repente in mille propagat exemplaria. At, *fas non est*, inquiunt, *in sacris Scripturis quicquam immutare, propterea quod illic ne apiculi quidem mysterio vacant*. Imo tanto magis nefas est depravare, tantoque attentius corrigendum à doctis, quod per insciticiam est adulteratum: ea tamen cautione temperantiaque, quæ quum omnibus libris, tum sacris in primis debetur. Verum non recte, ajunt, sibi sumit *Laurentius*, quod *Hieronymus* mandante *Damaso* suscepit. Ne propositum quidem simile. *Hieronymus* veterem editionem nova sustulit: *Laurentius* quod annotavit, in privatos commentarios refert: neque postulat, ut hinc quicquam in tuo codice demutes, quanquam ipsa nostrorum exemplarium varietas satis arguit ea non carere mendis. Porro ut veterum librorum fides de *Hebræis* voluminibus examinanda est, ita novorum veritas *Græci* sermonis normam desiderat, auctore *Augustino*, cujus verba referuntur in *Decretis* distin. IX. Quo quidem in loco neminem esse tam saxeum arbitror, quin misereat, neminem tam ἀγέλαστον, quin rideat insulsissimum glossema, nescio cujus, somniantis, *Hieronymum* in epistola ad *Desiderium* affirmasse, *Latina exemplaria castigatiora esse Græcis, Græca Hebræis*. Non vidit autem eum illatione rei palam absurdæ confirmasse quod proposuerat, atque hæc verba, *aliud est si*, perinde valere, ac si dicas, *nisi forte*. Alioqui quæ tandem dementia fuerat, alterum Testamentum ab *Hebræis* vertere, alterum à *Græcis* emendare, si nostra erant utroque in genere meliora? Quorsum attinebat, ut in *Viennensi* Concilio (quod refertur *Clemen.* libro secundo, titulo *De magistris*) tam sollicite statuerit auctoritas ecclesiastica de parandis trium linguarum doctoribus? Quo in loco rursus admiror, quo consilio *Græcam* linguam eraserint. Verum hæc doctos admonuisse tantum, sat habeo. Illud audio quosdam dicere, veteres interpretes, trium linguarum peritos, satis explicuisse sicubi fuit opus. Primum, malim ego meis oculis cernere, quam alienis: deinde, ut plurima dixerint, certe multa posteris dicenda reliquerunt. Quid quod, ut ea enarrantes intelligas, opus est mediocri linguarum peritia? Postremo, ubi veterum libros in omni lingua depravatos (ut sunt) offenderis, quo te convertes? Proinde vero verius est, quod tu, doctissime *Christophore*, sæpenumero soles dicere, neque cor, neque frontem esse iis, qui audent non solum in sacros, sed omnino in ullos veterum libros scribere, ni literaturam utramque mediocriter teneant: fieri enim, ut dum isti moliuntur maxime, seseque doctissimos ostentare conantur, ibi linguarum peritis sint maxime deridiculi, totusque ille tumultus prolata *Græca* voce eludatur. Quod si quibus non vacat totam *Græcorum* linguam perdiscere, hi tamen *Valle* studio non mediocriter adjuvabuntur, qui mira sagacitate Novum omne Testamentum excussit, non pauca obiter annotans & ex Psalmis, quorum usitata nobis editio à *Græcis* fluxit, non *Hebræis*. Plurimum itaque studiosi debebunt *Laurentio*, *Laurentius* tibi, per quem publicum accepit, cujusque & judicio bonis ingeniis erit commendatior, & patrocinio contra maledicos instructior. Vale. *Parisiis* Anno 1505.

## EPISTOLA CIV.

*Joanni Coleto Erasmus Rot.* S. D.

An. 1506. POSTEAQUAM relicta *Britannia Gallias* repetii, difficile dictu, quam varie fuerim affectus. Neque enim facile judicarim, utrum lætior fuerim, qui pridem relictos in *Gallia* amicos reviserem, an tristior, qui nuper in *Anglia* paratos reliquerim. Nam illud vere possum affirmare, nullam esse regionem, quæ mihi vel universa tam multos peperit amicos, tam sinceros, tam eruditos, tam officiosos, tam splendidos, tam omni virtutum genere decoratos, quam multos una peperit urbs *Londinensis*: quorum quisque sic in amando me, juvandoque certavit, ut nesciam, quem cui debeam præponere, necesseque habeam omnes ex æquo redamare. Horum desiderio non possum non excruciari: at rursum recordatione recreor, dum illos mihi perpetua cogitatione quasi præsentes reddo, dumque spero propediem futurum, ut eos repetam, haud unquam postea relicturus, nisi si mors una divulserit. Id quo fiat ocyus atque commodius, confido te pro tuo in me amore studioque cum reliquis amicis daturum operam. Dici non potest, quam mihi placeat indoles liberorum *Baptistæ*, nihil modestius, nihil tractabilius, nihil in literis diligentius: quibus rebus futurum confido, ut & paterno animo, & meo studio respondeant, magnumque olim *Britanniæ* decus adferant. Vale. *Parisiis* 19. Junii, Anno 1506.

## EPISTOLA CV.

*Erasmus Roter. Thoma Linacro* S. D.

LVTETIAM pervenimus, cætera quidem incolumes, verum navigatione quatriduana molestum quoddam malum contraximus collecto frigore, quod etiam nunc sinciput meum male discruciat. Tument utrinque sub auribus glandes, palpitant tempora, tinniunt aures ambæ. Atque interim nullus adest *Linacer*, qui me arte sua liberet. Tanti jam nunc constitit nobis σωθήκη Ιταλική. Nam mihi nihil unquam æque fuerat decretum in vita, quam ne quando fluctibus & ventis me committerem, ubi terra pateret iter. *Gallis* revixi mus, nam hic constans perpetuaque fama dissiparat, *Erasmum* ad superos abiisse. Eum rumorem auguror è *Milonis* illius *Galli* morte per errorem natum fuisse: siquidem & ille è *Gallia* profectus, in *Montjois* familiam concesserat, pauciique post diebus pestilentia correptus, interiit. Huic autem errori (nam omine nihil moveor) illud certe debeo, quod jam nunc vivus prægustarim, quid sint superstites dicturi de mortuo. Sic mihi arridet reverso *Gallia*, ut dubium sit, utrum magis animo meo blandiatur *Britannia*, quæ tot, talesque mihi pepererit amicos, an *Gallia*, vetere familiaritate, tum libertate, postremo propenso quodam in me favore ac studio, dulcissima. Quo fit, ut duplici quadam voluptate perfundar, dum pariter juvat, & *Britannicæ* consuetudinis meminisse, præsertim quam brevi sperem mihi repetendam, & *Gallicos* amicos revisere. Non possis non ridere, si scias quam avide meus *Græculus* δῶρον illud à me pro calamis *Cypriis* promissum exspectarit, quoties δώρου meminerit, quoties incusarit, quod non mitteretur. Juvat profecto sic corvum delusisse hiantem. At homo stupidus non animadvertit me scripsisse ad hunc modum, πέμψω δῶρόν τι ἄξιον σου, id est, rem malam. Provinciam susceptam de *Baptistæ* liberis instituendis, spero feliciter cessuram. Video enim pueros bene ingeniatos, modestos, tractabiles, & qui jam nunc plusquam pro sua ætate sapiant. *Clystone* illo eorum curatore nihil candidius, nihil amantius, nihil officiosius. Vale, doctissime atque humanissime præceptor, & crebrius ad nos scribe, vel paucis, modo scribas. *Parisiis* An. 1506.

## EPISTOLA CVI.

*Erasmus Rogerio Wentfordo suo* S. D.

An. 1507. INTER multos amicos, quos mihi dulcissimos *Britannia* conciliavit, tu, mi *Rogeri*, vel inprimis occurris, qui me tam constanter amasti, sic tua consuetudine delectasti, sic officiis juvisti, ut quocunque terrarum mea me fata deferent, *Rogerii* mei jucundissimam me-

An. 1507. memoriam mecum sim ablaturus. Atque utinam eam libertatem tua tibi fortuna permitteret, uti nos in *Italiam* consequaris: possideres totum *Erasmum*, quem jam multis modis tuissimum, ut ita dixerim, effecisti. Iter sat bene vertit, nisi quod odiosa fuit navigatio. Quatuor enim noctes de ventorum ac fluctuum arbitrio pependimus: unde & capitis dolorem contraximus, quo quidem brevi levabimur, spero. Mirum quam mihi arrideat *Gallia*, hoc dulcior, quod jam diu non visa. Uti *Britanniæ* desiderio tenear, illud potissimum facit, quod in ea reliquerim amicos, tam multos, tam doctos, tam integros, tam amantes, tam officiosos, tam jucundos, denique sic de me promeritos. Inter quos tu præcipuo loco ponendus. Quare fac ut in amando *Erasmo* tui similis esse pergas. Ego vicissim in complectendo *Rogerio* meipsum quotidie vicero. Vale *Parisiis* 19. Junii, Anno 1507.

## EPISTOLA CVII.

*Erasmus Roterod. Coleto suo* S. D.

DE reddita quiete dici non potest, quam tibi gratulier. Suffraganeum demiror quid sibi velit; quum has exactiones sciret indictas, jam tum, quum pensionis onus reciperet. Atque id temporis de communicando onere decimarum, ne verbum quidem. Sentio te substomachari, quod iterum te insalutato *Londinum* reliquerim, & impatientiam taxas meam. Equidem non inficias eo morbum meum, verum nihil tum fuit ejusmodi, cujusmodi suspicaris. Primum nihil erat, quod tecum agerem, & palam admonuit me tuus *Guilielmus*, te literis scribendis occupatissimum esse, ne quid obturbarem, quanquam ego nec in hoc veneram, sed ut literas ad me missas à tuo *Guilielmo* reciperem. Et adeo me properabam isthinc subducere, propter metum pestis, ut ne cubiculum quidem meum fuerim ingressus. Item quum redirem, avecturus libros, solus omnes libros, resque composui: quo peracto, sero autem perfeceram, isthinc abduxi me; nec in cubiculo meo cubui: negotium de transferendis sarcinis *Jodoco* commisi. Hoc animo non salutavi te. Literas tuas, septimo Octobris die scriptas, pridie calendas Novemb. accepi: & ego iisdem de rebus iterum ad te scripseram. Si *Matthæus* non est apud te, apud *Roffensem* est, id quod magis etiam conjectabam. Sed quia separatim dederam, non adjunxit reliquis: quod si periit, mihi ipsi imputabo, & repetiti laboris tædio, faciilitatis pœnam à me exigam. Nos hinc passim fugientibus omnibus, & ipsi rus concesseramus, sed vini inopia fortasse nos *Cantabrigiam* rediget. Gratulatus sum proximis literis, & iterum gratulor, quod ad sanctissimos illos ac saluberrimos concionandi labores redieris. Arbitror enim cessatiunculam illam, in bonum etiam versum iri, dum avidius audient, cujus vocem aliquandiu desiderarunt. Incolumem te tueatur Opt. Max. *Jesus*. *Cantabrigia* 1. Novemb. Anno 1507.

## EPISTOLA CVIII.

Jacobus Piso Erasmo Rot. suo *S. D.*

An. 1509. QVOD *tuis, alioqui jampridem mihi redditis*, Erasme *doctissime, æquo forte serius respondeo, perfrixisse tibi in amicitia fortasse videri possum, à quo tantum revera absum, ut strenue negem, te sine ullum mihi momentum fluere. Eatenus enim cordi meo insedisti, ut nulla unquam ætate, nulla arte inde revelli possis. Et nego & inficias eo, ullam mihi aliquando conversationem cum quocunque fuisse amœniorem. Nam usufructum taceo: quem tamen non absque ingenti fœnore accepi, debebo plane perpetuum tibi, qui me literatissima atque humanissima tua conversatione, ad literas jampridem residem, quasi postliminio revocare cœperis. Atque utinam perpetem mihi vitam tecum liceat traducere, & diutius & jucundius forte viverem. Quod quum fieri haudqua-*

A *quam possit, mutuis saltem literis quantulamcunque capiamus voluptatem. Nolo te altius emonere, ne me forte de tua erga me benevolentia dubitare putes. Ego item abs te invitari nolo; qui jam sponte paratus sum, nihil minus quam ad te meas negligere. Veniam mihi non gravatim, spero, hujus moræ dederis, cui profecto tantum forte inciderat occupationum, ut ne meus quidem esse complures dies potuerim. Testes mihi erunt,* Muschoronus *&* Thomas *nostri, quibus cum soleo, quoties per ocium licet, familiarissime agere. Cum* Christophoro *tuo, post te absentem, nihil nisi obiter egi. Nosti quæsim fronte, in amicis nihil candori confero, adeo non præfero quippiam. Quo ille in te sit animo, me nosti me-*
B *lius. Puto tamen recto atque constanti esse. De me autem id tibi persuadeas velim, esse plane neminem, cui in te amando cesserim: vellem id mihi ita licere, ut lubet, re ipsa comprobare. Animum certe Fortuna neque unquam abstulerit, neque mutaverit, quin & tecum ubique, & tuus sit omnino totus: utere ergo* Pisone *tuo & semper & libere. Non fallam opinionem tuam. Conditionem ex* Anglia *tibi delatam, plurimum laudo. Tardiore sum ingenio quam ut consulere tibi valeam, (non enim sus* Minervam) *te tamen ipse examina, sed ita, ne exanimes. Festiva quidem res est, divitem esse, mul-*
C *to tamen festivior, liberum esse. Si utrunque simul Fortuna porrigit, utraque manu assere. Meretur omnia animus ille tuus, nulla non virtute insignis: merentur &* Græcæ *&* Latinæ *literæ, quibus ad invidiam usque excellis, qua vel ipse tibi plurimum debent: neque patronum suum diu patientur latere. Alii quod velint, dicant, ego ingenue fateor, lucubrationibus tuis me veterno excussum esse. Vale, doctissime, & idem suavissime* Erasme. *Ego valeo.* Roma 30. *Junii Anno* 1509.

*Exspecto abs te epitaphia scurrula istius merobibi. Te precor, ne me fallas. Ab aliis doctis tuis amicis alia*
D *super eo impetrabis, & ad me mittes.*

## EPISTOLA CIX.

*Erasmus Rot. Thomæ Halseyo* S. D.

TANDEM expugnavimus omni machinarum genere & ego & *Bernardus. Montjoius* resolvit triginta ducatos. Si præsul *Roffensis* in tempore cognovisset animum meum, & ego illius, fortassis jam istic adessem. Aut egregie fallor, aut is vir est unus, cum quo nemo sit hac tempestate conferendus, vel integritate vitæ, vel eruditione, vel animi magnitudine: unum excipio *Cantuariensem* tanquam *Achillem:* qui solus hic me retinet, etiamsi non admodum volentem. Saluta *Pacæum* nostrum, & ingenii mei fœtus illi commenda, ne pereant. Scripsi jam senas literas, nullæ adhuc ad me venerunt, præter unas *Pacæi*, & eas quidem a-
E pertas, & sero. Saluta humanissimum illum Oratorem *Pannoniorum* (nam adesse suspicor) *Joannem Polonum* collegam tuum, ac reliquos amicos. Bene vale. *Lon-*
*dini* 8. Febr. Anno 1510. An. 1510.

## EPISTOLA CX.

*Erasmus Andreæ Ammonio* S. D.

DE Præfatione carminum quid fieri velis, quam primum rescribe, mi *Andrea:* nam *Montjoius* omnino non probabat. Proverbium, quod isthic ostendisti, annota: nam mea hic denuo imprimentur. *Aldina* habentur venalia, & quidem mediocri precio,
F hoc est, sesquiscutato, cum pluris *Romæ* venirent. Si qui volent, petant ab *Italo* illo, qui solus *Aldinos* libros distrahit. Reverendo patri Episcopo *Dunelmensi* modis omnibus me facies commendatum: cui scribam, ubi & ocium contigerit, & nuncius paulo certior. *Parisiis* 27. Aprilis, Anno 1510.



Digitized by Google

## EPISTOLA CXI.

*Eraſmus Rot. Andreæ Ammonio ſuo* S. D.

Epiſtola familiariter jocoſa.

An. 1510. DE Muſis & opibus pulchre ſane philoſophatus es in tuis literis. Ac mihi videtur *Pacæus* noſter, & ipſe data opera bonas diſſimulare literas, & neſcio quod dictionis genus affectare, quod *Midæ* placeat potius quam Muſis. Quod ſi hac iter eſt ad divitias, ut ais, ſi quis ſit à Muſis alienus, certe non in poſtremis foret *Eraſmus*, vel judice *Carmiliano*. Nam quod teipſum in hoc numero ponis, quis non videt te palam ludere? Porro ſplendida illa vocabula, *Muſarum delicium*, atque id genus alia, ſic interpretor, ut exiſtimem te vel hallucinari amore noſtri, vel tuo candore largiri, quod non promereor: vel quod eſſe veriſſimum arbitror, amiculum parum felicem iſtiuſmodi laudatiunculis erigere conſolarique velle. Utcunque eſt, vel debeo tuo in me ſtudio, vel ingenii benignitatem amplector, vel officium amo. Quod ſerio mones, ut Fortunam ambiam, agnoſco verum & amicum conſilium, & experiar, tametſi vehementer animo reclamante, nihilque proſperum ac lætum præſagiente. Si me Fortunæ aleæ expoſuiſſem, uterer lege luſus, & repulſus boni conſulerem, non ignarus hunc eſſe Fortunæ ludum, ut alios erigat, alios reficiat, utcunque lubitum eſt. Verum exiſtimabam me id curaſſe, ne mihi res eſſet cum hac hera tam procaci, cum *Montjoius* nos ad portum ac rem factam accerſeret. Nec me vel tantillum cruciat Fortunæ benignitas in alios, quantumvis indignos, ita me Deus amet: tui vero tuique ſimilium ſucceſſus veram ac non vulgarem adferunt mihi voluptatem. Denique ſi ad meritorum calculum ac rationem vocandus eſſem, hanc ipſam Fortunam puto ſupra meritum eſſe. Metior enim ipſe me meo pede, non tuis laudibus. Unum illud male habet animum, quod is verba dedit, cui uni tam unice fidebam. Et rurſum licet graviſſimum ſit onus paupertas, præſertim χαλεπῷ ἐπὶ γήρᾳ ἀδῷ, tamen pudore magis commoveor quam inopia. Quanquam hic quoque mihi concoquendus dolor, & perfricanda facies: ſi his fatis natus ſum, non eſt meum θεομαχεῖν. Quod tuas res, mi *Ammoni*, feliciter provehit φέρων ἄνεμός τε ἠΰ ὕδωρ, maximopere gaudeo, non ſolum quod iſta contingunt amico, verum etiam quod promerenti. Quanquam quid adhuc in te contulit Fortuna, vel iſtis literis, vel iſtis dignum moribus? Subvererer, ne tuæ felicitati blandiri viderer, ni noſſem tibi ſatis perſpectum eſſe ingenium meum, qui ne ſatrapis quidem ſoleam aſſentari. Verum aut me fallit animus, aut ſummi honores manent *Ammonium*. Vide, quæſo, quam ſim φίλαυτος in *Adagiis* meis, ut nemini putem eſſe nota, niſi mihi. Siquidem ſuſpicabar fugere te proverbium illud, ἀδὲν πρὸς ἵππον. Huic autem errori meo anſam dedit, σοὶ, Pronomen abs te additum, &, ni memoria labor, πρὸς omiſſum. Nam in præſentia non erat ad manum Epiſtola tua: ὑποκείμενον enim facile conjectabam, ἀπέκειντο te voluiſſe ſcribere. Non redditas fuiſſe nec tuas illas priores, nec *Baptiſtæ* literas, hoc certe nomine gaudeo, quod interim curam doloremque lucrifecerim, quem morbus illius nunciatus attuliſſet. Neque voluptatis lucro fruſtror, quod revixerit, ſimulque mihi gratulor, qui domi remanſerim. Iſtos hoſtes magis metuebam quam *Gallos:* quanquam anceps bellorum exitus. Quod offert hoſpitii menſæque communionem, & amo & habeo gratiam. Video totum illi mutatum eſſe conſilium, poſteaquam accerſit filios. De *Carmiliano* non modo ſatisfacis, ſed pietatem etiam laudo, qui neglecto nebulone patriæ conſulas honori. Sed utinam omnes hominis mendas poſſis tollere, magis conſuleres patriæ, hoc eſt, τὸ ὅλον ἀνελεῖν καλόν ἐστιν. Demiror te poſſe ſuccenſere tuo *Thomæ*, famulo tam prudenti, tamque vigilanti, ut rebus tuis melius conſulat quam tu ipſe. Rogo ne hoc illi, ſed meis fatis imputemus. Nunc ad *Panegyricum* tuum accedo, cujus me, ſi diis placet, judicem facis ac cenſorem, tantumque poteſtatis permittis, quantum *Homerus* tribuit *Jovi*, ut nutu ac renutu probem quæ velim, jugulem quæ lubeat. Equidem non mihi tantum arrogo, vel ingenii, vel eruditionis, ut tua vel emendare poſſim, vel cenſere. Illud ingenue fateor, nihil eſſe quod abs te proficiſcatur, quod non vehementer admirer, ſive mihi contingat hoc judicio, (quandoquidem de ſummis operibus judicant nonnunquam & mediocres artifices) ſive ſenſu quodam ingenii. Amore certe non labor, qui hunc amorem ex admiratione ſcriptorum tuorum hauſerim. Verum uti diverſis oculis aliæ atque aliæ placent formæ, diverſa palata cibus alius atque alius delectat: ſic opinor & in ingeniis varium quendam eſſe ſenſum, & arcanam quandam cognationem, vel etiam diſſidium. Oſtenderat olim *Haltus* noſter, neſcio quas ſchedulas de nihili rebus, ſic neglectim abs te ſcriptas. Ex harum guſtu protinus conceptam admirationem & amorem ingenii tui mecum in *Italiam* extuli: eamque rurſus venam in *Montjoicis* literis agnovi; tametſi manus penitus exciderat. Habes ſententiam meam de tuis omnibus. Jucundum autem eſt tua non eruditis modo placere, quibus, niſi ſint invidentiſſimi, non vehementer probari non poſſunt, ſed ſummatibus etiam viris, atque adeo Archiepiſcopo *Eboracenſi*. Quod eruditorum calculis approbaris, non poſſum iſto nomine te vocare felicem. Feliciſſimum autem jure dicam, qui iſti tantopere placeas viro, plurimumque debes *Rhamnuſiæ*. Sed tu jamdudum judicium efflagitas exactius, atque hanc clamas laudationem eſſe, non cenſuram. Age, ne parum morigeri videamur amico, cui nihil negare ſit fas, τῷ λέοντι τῷ ἐνδύσομαι, ſimulque cenſoris & virgulam ſumam & ſupercilium. Ita rem geſtam narras, ut ex nullius commentariis potuiſſem plenius cognoſcere. Primum de latronibus interceptis: deinde quemadmodum fruſtra Regem conati ſint hoſtes intercludere: deinde cum reditum eſſet ad pugnam, quam turpiter fugerint, ducibus ipſis captis: præterea *Morinum* captum, *Scotos* interim duobus prælliis ad internecionem pene conciſos: ad hæc, invitante ſcilicet cœli ſerenitate, quaſique ſuadentibus ſuperis, captum *Tornacum*: ſuper omnia majeſtatis Imperatoriæ in caſtra tam familiarem adventum. Sunt qui poema non putent, niſi deos omnes è cœlo, mari, terraque, ſubinde advoces, niſi ſexcentas infulcias fabulas. Mihi ſemper placuit carmen, quod à proſa, ſed optima, non longe recederet. Quemadmodum *Philoxenus* ſuaviſſimos judicavit piſces, qui piſces non eſſent, & jucundiſſimas carnes, quæ carnes non eſſent. Rurſus amœniſſimam exiſtimavit navigationem juxta littus, ambulationem juxta mare: ita me vehementer delectat poema rhetoricum, & rhetor poeticus, ut & in oratione ſoluta carmen agnoſcas, & in carmine rhetoricam phraſin. Aliis longius petita placent, at mihi vel præcipue probatur, quod orationem ex ipſis rebus ſumis, nec tam ſtudioſus es oſtentandi ingenii, quam oſtendendæ rei. In pauculis verſibus deſidero compoſitionem paulo molliorem: verum, id accidere ſolet, aut quoties non vacat ſæpius eadem recudere, aut cum majoribus intenti virtutibus, illa negligimus. Unum carmen mihi viſum eſt humilius,

*Ut poſſis oculum Gallis exſculpere utrunque.*

Hæc jam ſi nimium libere facere videor, tibi imputabis, qui mihi perſonam hanc impoſuiſti. Carmen hoc impendio nobis arriſit,

*Dum tu abſens procul, & regno diviſus ab Anglo,*
*Gallorum diffringis opes & victor oberras;*

propterea quod mire rem mihi certe ſubjecerit. Jam enim videre videbar *Alexandrum* illum magnum ultra *Indos* armis graſſantem, & tranſmiſſo oceano, alium orbem quærentem, quem vinceret: ac victricibus copiis per omnes nationes late vagantem, paſſim capi, vinci, dedi, quicquid obvium. Fuere quos ſerio verſus hic offenderet,

An. 1510.



Digitized by Google

An. 1510. *Nostrorum Princeps tam re quam nomine Regum.* Itaque qui transcripsit, *Vachanus* homo doctus & candidus, mutaverat *cunctorum*: *Dego* subjecit, *nullorum*, non placuit: rursum alius mutavit *stultorum*; ne id quidem. Rursum, *Dego*, *Non re*, *sed nomine*, rejectum est: *nec re*, *nec nomine*, abnuerunt. Denique quando nec hoc placet, quod abs te positum est, nec quod ab aliis mutatum: ipse videris, quid scribi velis. Arrisit & proximus versus,

*Augusta nuper qui majestate remissa:*

ajunt enim, qui rerum arcanas vires scrutantur, hanc esse vim τῷ χρυσῷ, ut adstricta laxet ac dilatet. Item ille,

*In tua felici se contulit omine castra,*

εἰς οἰωνὸς ἄριστος ὁ χρυσὸς, præsertim ἀποφῆνα. Sunt & alia permulta digna quæ notentur asteriscis: quæ si scholiis aliquot in carmen tuum additis, indicavero, ecquid erit precii? Illud apprecor, ut quam erudite, quamque ingenioſe κολακεύεις, tam idem facias feliciter. Habes *Aristarchi* de carmine tuo judicium, at vicissim hujus judicii te judicem facio. Ex *Pacai* literis intelligo te *Scotici* conflictus historiam descripsisse: eam legemus, quum advenerimus. *Pacai* tam candidum in te animum esse summopere gaudeo: nihil est eo viro nec amantius, nec integrius. Lusimus & nos pridem in fugam *Gallorum*, sed Musis & *Apolline* nullo: carmen ad te misimus: non potest nisi semel esse molestum, quum sit brevissimum. Qui te meis oneravit literis, haud fecit ex animi mei sententia: ipse literas ad omnes efflagitarat, jactans sese nusquam non iturum, ac tantum non universam lustraturum *Angliam*. Si dabitur commoditas, redde: sin minus, conjicito vel in ignem, potius quam ut eo graveris officio. De literis, quas me negabam accepisse, nihil addubitabam: tamen lucro fuisse tuam suspicionem gaudeo. Neque enim mediocre solatium adferunt tuæ literæ, præsertim in tanto rerum tædio. Includimur pestilentia, obsidemur latrociniis, pro vino bibimus vappam, & si quid vappa deterius: truncatur sensus, Io triumphe, sic ovamus orbis victores. Carmen tuum & hic passim rapitur, transcribitur, ac laudatur ab omnibus ut eruditum & ingenioſum. In negotio *Proverbiorum* pessime sum acceptus ab istis bibliopolis. Quidam ea formulis excudit *Tubingæ*, sed ita imitatus editionem *Aldinam*, ut parum attentis eadem videri possit. Commiseram exemplar emendatum ac locupletatum *Francisco*, qui libros ferme omnes solitus est huc importare, ut vel *Badio*, vel ex illius sententia committeret alii. Is bonus vir recta *Basileam* deportavit, ei in manus dedit, qui jam excuderat, ut hæc tum demum edat, cum sua divendiderit, hoc est, post decennium. Complures item libellos, ex *Plutarcho* ac *Luciano* versos, commiseram *Badio* tradendos, ut superioribus, quos habet, adjungeret, & hos illi, uti suspicor, tradidit, utque plures mittam rogat. En *Sicambricam* fidem. Sed est quo me ulciscar: servatum est *Adagiorum* exemplar, & quidem aliquanto copioſius eo, quod ille abstulit. Cretisabimus cum *Cretensi*. A natali statim isthuc advolabo, nisi *Jupiter* nos alligarit domi. *Laracum*, virum omnium, quos in *Anglia* noverim, humaniſſimum, candidiſſimumque, quæso uti meis salutes verbis. Rogo ne graveris in proximis ad *Pacæum* literis adscribere, uti tibi significet, quid actum sit de libris meis, quos *Ferrariæ* reliqueram: nonnihil suspectum est mihi illius silentium: non quod quicquam de fide illius addubitem, sed quod verear, ne quid acciderit commentariis meis, quod ambo nolimus. Bene vale, *Ammoni*. *Cantabrigiæ* 21. Decembris, Anno 1510.

## EPISTOLA CXII.

*Erasmus Rot. Thomæ Moro* S. D.

LVPSETVS existimat se nostra renatum opera, plane neque ab inferis emersisse. Magistri moliuntur omnia, quo retrahant adolescentem in suum pistrinum. Nam statim eodem die sophisticis libris distractis, *Græcos* emerat. Vide, ut cum inciderit opportunitas, gnaviter agas partes tuas. Nihil hujus ingenio gratius, nihil amantius. Bene vale. Verto librum *Plutarchi de discernendo adulatorem ab amico*, longiusculum, sed quo non alius mihi magis placet. Absolvam faventibus superis intra dies octo. Videtur mihi hoc propemodum magis ad rem pertinere, quam digladiari cum *Vigilantio*, duce *Hieronymo*. Rursum vale.

Si videris *Lazarum* nostrum hominem plane Musis & Gratiis natum, quæso salutes diligenter: hortare, ut perscribat mea, quæ habet in manibus: nam habeo quædam plus quam nova, quæ non dubitem illi futura gratissima. Millies vale. *Cantabrigiæ* Anno 1510.

## EPISTOLA CXIII.

*Erasmus Rot. Ammonio suo* S. D.

MAJOREM in modum te rogo, si quid isthic exstiterit novi, cures uti quam primum sciam. Nam cum *Londino* discedebam, audiebam Oratorem ex itinere revocatum regiis literis, quod Pontifex denunciasset, ante Novembrem non futurum generale Concilium. Novum fabulæ genus, lagena tua etiammum stat *Cantabrigiæ* una cum vino, ut audio, sed jam viciato. O stipites! si quid erit magni, quod mea valde putabis interesse, ne graveris aliquem cum equo mittere, sed re prius communicata cum *Coleto*. Bene vale. *Joanni* bene precor. *Cantabrigiæ* 16. Feb. Anno 1511.

## EPISTOLA CXIV.

*Andreæ Ammonio Erasmus.* S. D.

SI quid est certi rumoris apud vos, quæso ut nobis impartias. Nam magnopere velim audire, num vere *Julium* agat *Julius*, & num *Christus* antiquum obtineat morem, ut quos maxime suos videri velit, eos maxime adversæ fortunæ procellis exerceat. Ego, mi *Andreæ*, pro felici rerum ecclesiasticarum successu votum susceepi. Jam scio religionem probas. Visam virginem *Walsagamicam*; atque illic *Græcum* carmen votivum suspendam. Id si quando te illo contuleris, require. *Bovillus* gnaviter Græcatur, ac te diligit unice. *Joannem* omnis humanitatis antistitem diligenter meo nomine saluta. *Petro Carmiliano* meis verbis gratias ages, quod tam amanter de me mentitus est, in eruditissimis illis suis ad *Brianum* literis, in quibus me *doctorum doctissimum* appellat: eam laudem quo minus agnosco, hoc magis debeo illius in me benevolentiæ studioque tam non vulgari. Mihi certe & honorificum fuit, & jucundum laudari à viro laudatissimo. Bene vale, doctissime atque humaniſſime *Ammoni*. *Cantabrig.* 8. Maji, Anno 1511.

## EPISTOLA CXV.

*Erasmus Rot. Joanni Coleto* S. D.

AD Epistolam joco scriptam respondes serio. Non decebat fortasse cum tanto patrono jocari. Sed tamen mihi tum libebat cum amico tam singulari *Atticis* salibus ludere, magis humanitatis tuæ memori quam magnitudinis. Tuæ facilitatis erit nostram ineptiam boni consulere. Scribis me tibi debere, etiamsi nolim. Omnino, *mi Colete*, *durum est*, ut inquit *Seneca*, *debere cui nolis*: at ego neminem novi mortalium cui libentius debeam quam tibi. Et is semper in me fuit animus tuus, ut etiamsi nihil accessisset officiorum, tamen debiturus tibi plurimum fuerim: tantum autem accessit & officiorum & beneficiorum, ut si non agnoscam, sim unus omnium ingratissimus. De tenuitate tua prorsus & credo & doleo: sed mea tenuitas gravius me premens, coegit ut tuæ tenuitati negotium facesserem. Quod quam fecerim invitus, vel hinc potes colligere, quod jam olim abs te promissum tam sero petii.



Digitized by Google

An. 1511. tii. Excidiſſe tibi promiſſum haud miror, quippe homini tot occupato negotiis. At in horto tuo cum incideret de *Copia* ſermo, & indicaſſem mihi eſſe in animo, ut nuncuparem puerile opus Principi noſtro puero, rogabas ut novum opus novæ ſcholæ tuæ dicarem. Reſpondi ſubridens, ſcholam tuam eſſe pauperculam, mihi opus eſſe qui aliquantulum daret in manum. Arridebas. Deinde cum multos titulos adduxiſſem ſumptuum, nonnihil cunctatus negabas te poſſe ſuppeditare, quantum meæ res poſtularent, verum quindecim angelatos lubenter daturum. Idque cum alacri vultu repeteres, rogabam num ſatis eſſe videretur. Reſpondebas etiam alacrius, hoc certe te libenter impenſurum. Tum ego, & ipſe, inquam, libenter accipiam. Ex hac commemoratione fortaſſe res redibit in memoriam tuam. Poſſem & aliis argumentis adſtruere, niſi tu mihi tua ſponte jam fidem haberes. Sunt omnino quidam, iique amici, (nam cum inimicis nihil mihi commercii eſt, nec eorum dicta pili facio) qui te duriuſculum prædicent, & in diſtribuenda pecunia diligentiorem. Idque non accidere (ſic enim illis approbantibus interpretabar) vicio tenacitatis, ſed quod improbe inſtantibus & urgentibus negare non poſſes ob ingenii verecundiam, in amicos non moleſtos minus eſſe profuſum, quandoquidem utriſque non poſſes ſatisfacere. Nec tamen hæc res ad me pertinet, qui quanquam non ſum admodum improbus ac moleſtus flagitator, tamen te ſemper benigniſſimum ſum expertus. Non igitur hoc accepi à tuis obtrectatoribus, ſed ab iis, qui tibi ex animo bene volunt. Quorum tamen ſententiæ nec accedo, nec refragor, niſi quod tuam in me benignitatem ſingularem agnoſco. Si reliquum promiſſi non gravaberis dare, equidem, ut nunc res meæ ſunt, accipiam, non uti debitum, ſed uti beneficium, relaturus ſi qua poſſim, certe gratiam habiturus. Injucundus mihi fuit Epiſtolæ tuæ finis, cum ſcribis moleſtia negotiorum te ſolito gravius vexari. Equidem cupiam te quantum poteſt longiſſime à mundanis negotiis ſemoveri, non quod verear ne mundus hic, ut eſt hamatus, te ſibi vendicet, ac manus injiciat, ſed quod malim iſtud ingenium, iſtam eloquentiam, iſtam eruditionem in ſolidum impendi *Chriſto*. Quod ſi non potes explicare te, cavendum tamen ne in dies altius atque altius immergaris. Vinci fortaſſe præſtiterit, quam tanti emere victoriam. Maximum enim bonum, mentis tranquillitas. Atque hæ ſunt ſpinæ, divitiarum comites. Interim malevolorum blateramentis oppone rectam & ſinceram conſcientiam, in unum illum & ſimplicem *Chriſtum* te colligе, & minus turbabit multiplex mundus. Sed quid ego ſus *Minervam* doceo, & ægrotus ipſe medico mederi ſtudeo? Bene vale, præceptor unice. *Cantabrigiæ* 11. Julii.

ABSOLVI collationem Novi Teſtamenti: nunc divum *Hieronymum* aggredior; quo confecto ad vos revolo. Tuus ac vere tuus alumnus *Tho. Lupſetus*, magno mihi eſt & uſui & oblectamento, quotidiana conſuetudine, & opera, quam mihi commodat in his caſtigationibus. Et operam opera penſo: facturus idem copioſius, ſi per illius ſtudia vacaret, à quibus nolim abducere adoleſcentem. Crede mihi nihil eſt eo tui amantius. Rurſum vale. An. 1511.

## EPISTOLA CXVI.

*Eraſmus Andreæ Ammonio* S. D.

BIS nos exhilaras, *Andrea* ſuaviſſime, dum vino jucundiſſimo literas addis multo jucundiores, planeque tuum ingenium, tuoſque mores, reſipientes, quibus, mea quidem ſententia, nec fuit unquam, nec erit quicquam mellitius. Quare duplici nomine tibi gratias agimus. De pecuniæ mentione quod ſuccenſes, equidem non ignorabam animum tuum, regia fortuna dignum, verum exiſtimabam te miſſurum utrem majuſculum, in menſes aliquot duraturum: quanquam hic quoque major erat, quam ut ab homine modeſto gratis accipi poſſit. De *Græco* epiſtolio riſimus adſatim. Iniquiſſimus ſim, niſi *Moro* dem veniam, tam ſeriis occupato negotiis. Demiror te ſic perpetuo nidum premere, nec uſquam evolare. Hanc Academiam ſi quando libeat reviſere, multis gratiſſimus veneris, mihi inprimis. Quod jubes me iſthuc redire ſi perduret languor, nihil video quod mihi blandiatur *Londini*, præter duorum aut trium amicorum conſuetudinem. Verum his de rebus alias. Audio *Julium* maximum vita defunctum. Vale, optime *Ammoni*. An. 1511.

Frequenter ad nos ſcribas rogo, gratius mihi facere potes nihil. *Cantabrigiæ* è collegio Reginæ 17. Auguſti, Anno 1511.

## EPISTOLA CXVII.

*Eraſmus Coleto ſuo* S. D.

SI tibi riſum movere poſſunt noſtra infortunia, mi *Colete*, eſt quod abunde rideas. Nam præter ea, quæ jam *Londini* contigerant, equus miniſtri mire claudicabat, mutarat enim auriga eum, quem *Bovillus* miſerat: deinde toto itinere nihil erat quod ederetur. Poſtero die, perpetua pluvia uſque ad prandium: à prandio fulgura, tonitrua, imbres, equus ter collapſus in caput. *Bovillus* conſultis aſtris, ait ſe deprehendiſſe, *Jovem* nonnihil iratum. Hoc mihi jam nunc placet, video veſtigia *Chriſtianæ* paupertatis. Quæſtum uſque adeo non ſpero, ut intelligam hic demum effundendum mihi quicquid à *Mecænatibus* queam avellere. Eſt hic medicus noſtras, qui præſidio *quintæ eſſentiæ* prodigioſa deſignat facinora, è ſenibus juvenes, è mortuis vivos facit: unde nonnulla ſpes eſt futurum, ut rejuveneſcam, ſi modo liceat *quintam eſſentiam* deguſtare: quod ſi contingat, non omnino pœnitebit huc adveniſſe. De quæſtu nihil video, quid enim auferam à nudis, homo nec improbus, & *Mercurio* irato natus? Bene vale, præceptor optime. Ubi cœperimus profiteri, ſignificabo quo pacto res ſuccedat, ut magis etiam rideas. *Cantabrigiæ* è collegio Reginæ 24. Auguſti, Anno 1511.

Audebo fortaſſis & *Paulum* tuum aggredi. Audaciam *Eraſmi* tui ſpecta. Rurſum vale. An. 1511.

## EPISTOLA CXVIII.

*Eraſmus Rot. Andreæ Ammonio ſuo* S. D.

MITTO ad te literas ad *Bombaſium* ſcriptas. De ſtatu meo nihil adhuc novi eſt, quod ſcribam, niſi iter fuiſſe incommodiſſimum, & valetudinem adhuc ſubdubiam eſſe à ſudore illo. Videor mihi ſaltem ad dies aliquot in hoc collegio commoraturus. Auditoribus nondum copiam mei feci, cupiens valetudini inſervire. Cerviſia hujus loci mihi nullo modo placet, nec admodum ſatisfaciunt vina, ſi poſſis efficere, ut uter aliquis vini *Græcanici*, quantum poteſt optimi, huc deportetur, plane bearis *Eraſmum* tuum, ſed quod alienum ſit à dulcedine. De pecunia nihil ſis ſollicitus, mittetur & ante tempus, ſi voles. Jam hoc commodorum, quæ ex bullis ſanctiſſimis capiuntur, initium eſt, ſiti enecamur. Tu conjicito cætera. Et nondum trajecimus. Bene vale, chariſſime *Ammoni*. Ex collegio Reginæ 25. Auguſti, An. 1511.

## EPISTOLA CXIX.

*Eraſmus Rot. Ammonio ſuo* S. D.

JAM dederam ad te literas, quas nunc opinor eſſe redditas. Sed perquam gratum mihi fuit, quod in tuis ad *Joannem* literis *Eraſmi* tui feceris mentionem, & quidem tam amanter. Τὰ γενικὰ σου ἀγγέλματα, quæ quondam ſacrorum ſcriniorum magiſtro nuncupavi, nuper *Londini* ſunt excuſa formulis non omnino invenuſte. *Joannes* pollicitus eſt ſe ad te miſſurum unum aut alterum codicem. Si is, cui dicavi libellum, in caſtris

Digitized by Google

An. 1511. stris adest, & incidet opportunitas, quæso, ut hominem meis verbis salutes, ac libellum exhibeas. Sic enim emendavi, ut vix eundem esse sit creditur us. *Londini* non minus sævit pestis, quam isthic *Mars*. Itaque *Cantabrigiæ* nos tenemus, quotidie circumspectantes, ut commode avolemus. Sed non datur opportunitas. Et retinent triginta nobiles, quos ad *Michaelis* exspecto. *Sixtinus* jam evolavit in *Brabantiam*. Ad *Hieronymum* emendandum & scholiis illustrandum, ita mihi fervet animus, ut afflatus à Deo quopiam mihi videar. Jam pene totum emendavi collatione multorum ac veterum exemplarium. Atque id ago incredibili meo sumptu. Risi affatim castrensis vitæ formam tam graphice in tuis ad *Joannem* tuum literis depictam: adeo hinnitus, clamores, equorum concursus, tubarum clangores, bombardarum tonitrua, fulmina, vomitus ægrotantium, gemitus morientium, oculis subjecisti. O te felicem, si, quod Deus optimus faxit, incolumis nobis redieris. Quam jucundas in omnem vitam fabulas, malorum istorum experientia ministrabit! Sed te per Musas & Gratias etiam atque etiam oro, mi *Ammoni*, memineris, id quod proximis admonui literis, vide ut tuto pugnes. Calamo quantum voles ferocias, & decem myriadas hostium eodem confodias die. Rem nostris succedere, in tantum gaudeo, ut nec lingua, nec literis liceat explicare. Si quando vises divum *Audomarum*, & inciderit commoditas, salutabis Abbatem divi *Bertini*, singularem patronum meum. Præterea œconomum illius *Antonium Lutzenburgum*, Canonicum apud divi *Audomari*, tum medicum Abbatis & urbis *Gunbertum*, duos candidissimos amicos meos: ad hæc Decanum ejus ecclesiæ, singulari probitate virum, & literarum amantissimum; cum quo si continget colloqui, rogo percunctare quid actum sit de *Mauricio* meo quondam ministro: cui profecto lubens, si quid possim, benefecero. Non ausim abs te tot vexato tum mâlis, tum, uti conjicio, negotiis, petere, ut aliquando scribas ad nos quoque. Tamen si quando non gravaberis, erit id mihi tam gratum, quam quod gratissimum. Ut *Joannis* tui negotio faveas, & ut quam felicissime procedat adjutes, sciebam necesse non esse, ut quisquam te roget, nedum ego. Novi quanti hominem facias. Ille te diligit unice, & non consuevit *Ammonius* amore superari. Præcipuam negotii spem in te fixit. *Baptistam* meo nomine ut diligenter salutes, te etiam atque etiam rogo, à quo jam non nisi *Græcas* exspecto literas. Precor ut bene volens Deus aliquis ventos mittat magis secundos. Οὕτω γὰρ ἄνεμος ἔτε πλεῖν ἐᾷ. Bene vale. *Londini* 1. Septembr. Anno 1511.

## EPISTOLA CXX.

*Erasmus Gonello suo* S. D.

SEMPER equus meus ad me redit & habitior, & alacrior, mi *Gonelle*, satis præ se ferens nutricii sui tum diligentiam, tum felicitatem. Quare te majorem in modum rogo, uti pergas, quemadmodum cœpisti, curare bajulum nostrum. Quidni nostrum appellem, cum amicorum communia sint omnia? Dabo operam ne officium tuum in hominem parum memorem, parumque gratum, collocasse videaris. Bene vale, *Gonelle* charissime. *Cantabrig.* 26. Septembr. An. 1511.

## EPISTOLA CXXI.

*Erasmus Rot. Coleto suo* S. D.

JAM nunc subodoror genus hoc hominum, de quo memineras: qua de re plura coram. Quum proxime essem *Londini*, non adii te, ne quid tibi molestus essem: nam erat statim à prandio equitandum. *Petrus* unoculus, casu mihi factus obvius, indicavit te proximis literis meis respondisse, verum eas nondum accepi. Nisi me deterreret pestilentia, sub Decembrem me ad vos reciperem, præsertim si redeat *Montjoius*, ut liceat mihi domo illius uti, quod nunc per *Cerberum* illum non licet. Bene vale, præceptor unice. *Cantabr.* 5. Octob. An. 1511. An. 1511.

## EPISTOLA CXXII.

*Erasmus Ammonio* S.D.

MALO quodam genio meo non licuit tecum, cum isthic adessem proxime, congredi, mi *Andrea*: nam cum primum advenirem, nihil minus suspicabar, quam te etiamnum apud *Morum* agere, præsertim cum *Jodocus* bibliopola mihi confirmasset, te jam in collegio divi *Thomæ* versari. Postridie mane pulsavi fores cubiculi tui, nec eras domi. Ubi redissem à sacro, sensi strepitum equitum: jussi *Linacrum* prospicere, nam ego scribebam, nescio quid: ille nunciat te discedere. Sed posteaquam jam abieras, multis modis cupiebam tecum colloqui, verum id alias licebit. Rogo facias me certiorem, quid de adventu *Montjoii* isthic feratur: præterea num pestis tanta, quantam prædicant: postremo si quid est de rebus *Italicis*, *Gallicisque*, quod tuto literis committi possit. Bene vale. *Cantabrigiæ* 5. Octob. An. 1511.

## EPISTOLA CXXIII.

*Erasmus Ammonio* S. D.

NIHIL erat novi, quod scriberemus, nisi quod mihi decretum est, neminem, qui modo certior contingat, nostris ad te literis inanem hinc dimittere. Scripseram ante dies pauculos. Cupio scire quid valeas, num *Montjoius* meus jam redierit: tum quid procedant res *Italiæ*: quid agat invictissimus *Julius*. Sub brumam ad vos, superis volentibus, remigrabo, si modo rigor hyemis pestem restinxerit, quam audio isthic increbescere: nec ea quidem longius hinc abest. Hactenus prælegimus *Chrysoloræ* Grammaticen, sed paucis: fortassis frequentiori auditorio *Theodori* Grammaticam auspicabimur: fortassis & Theologicam lectionem suscipiemus, nam id nunc agitur. Quæstus minor est, quam ut me moveat, tamen interim & bene meremur de studiis, pro nostra quoque virili: & menses aliquot, ut *Ovidiano* utar verbo, decipimus. Cura ut recte valeas, mi *Andrea*, mortalium omnium mihi charissime. Fac uti frequenter ad nos scribas. *Cantabrigiæ* 16. Octob. An. 1511.

## EPISTOLA CXXIV.

*Erasmus Rot. Ammonio suo* S. D.

REMITTO lagenam tuam, quam vacuam diutius apud me detinui, quo vel odore vini fruerer *Gracanici*. Tu pro optimo vino versiculos accipies pessimos, hoc est, plane καὶ τὸ Ὀμηρικὸν ἐκεῖνο, χάλκεα χρυσείων. Porro Jambi me auctore jam discunt ἰγνυμιάζειν. Carmen adscribam.

*Quicunque dotes reputet*, Ammoni, *tuas*,
*Oculisque totum lustret admotis prope*
*Oris decus*, *proceritatem heroicam*,
*Vultuque toto*, *& universo corpore*
*Bene temperatam dignitate gratiam*,
*Nitentium blandum vigorem luminum*,
*Linguaque plectrum tam suave tinniens*,
*Mores dehinc*, *horas ad omnes commodos*,
*Faciles*, *amicos*, *melle melleos magis*,
*Veneres*, *lepores*, *Gratias*, *risus*, *jocos*,
*Mitem indolem*, *mentisque candorem novum*,
*Mireque mixtam simplicem prudentiam*:
*His pectus adde*, *sordido aversum lucro*,
*Dextramque quam pro sorte largiusculam*:
*Jam quambenigni vena dives ingeni*:
*Quot animus unus expolitus literis*:
*Ac rursus his par addita est facundia*.
*Demum universa hac rara condit comitas*,
*Et improbi livoris arcet fascinum*

Mo-

Digitized by Google

An. 1511. *Modeſtia jocunditas, cum dotibus*
*In tam ſuperbis, nil ſuperbum in moribus.*
*Hæc quiſquis, inquam, penſitet, tot affatim*
*Congeſta in unum: nonne merito dixerit,*
*Soli parentem fuiſſe naturam tibi,*
*Contra, novercam cæteris mortalibus,*
*Horum ipſe quamvis debeas tibi pleraque.*
*Reſtant tua, Fortuna, jam partes, uti*
*Dotes ita amplas, opibus exeques tuis,*
*Niſi vis videri aut cæca plane, aut invida.*

Rogo ut has literas, quas tuis adjunxi, reddas Epiſcopis, ad quos ſcriptæ ſunt, ubi vel ipſe viſes regiam, vel certum hominem nactus eris. Cura ut recte valeas. Jubet te ſalvere *Bovillus*, candidus, ac tui non diſſimilis amicus. Exſpecto literas tuas: nam unas adhuc duntaxat accepi. Si inciderit opportunitas apud tuos Epiſcopos, fac is ſis, qui ſemper in *Eraſmum* tuum eſſe conſueviſti. Si tua carmina veneunt *Londini*, rogo ut libellum unum huc mittas. *Cantabrigiæ*..... Octobr. Anno 1511.

## EPISTOLA CXXV.

Andreas Ammonius Eraſmo ſuo S.D.

VICISTI, Eraſme, *tuis literis omnem meam exſpectationem, deſiderium tamen non expleſti. Scripſiſti ad me ſæpius, ut verum fatear, quam te facturum putabam, multo tamen, quam exoptabam, rarius: quod amantiſſimum tuum officium tanti apud me eſt, quod eo me tibi penitus, penitusque obligaſſes, ſi devinctior eſſe potuiſſem; nam tuis literis nihil accipio ſuavius: & me haud vulgariter abs te amari, hoc (mea ſententia) non levi argumento perſpexi: id quod ſane antea credebam, nunc vero mihi videor plane ſcire. At non licuit mihi eſſe erga te perinde officioſo, partim regiis (vide quam glorioſam excuſationem prætendam) & intricatiſſimis amicorum negotiis: partim culpa eorum, quibus alteras ad te literas dedi, quas intelligo tibi non fuiſſe redditas, licet pro vectura nonnihil dederim. Ego tres tuas Epiſtolas accepi, duas plenas ſacchari, tertiam nectaris, quam ex inſcriptione, & vini* Græcanici *mentione, primo ad me ſcriptam non dubitavi: ſed mox ubi ad carmina perveni, ſuſpicari occepi, quando ea, qua illic extollis, mea eſſe non agnoſcerem, ad alium aliquem te ſcribere. Sed ubi te dubio procul de me loqui perſpexi, mecum continuo, Quid times* Eraſmo *de te credere, cui & vitam crederes? Ac in ſumma, niſi tuum in me amorem huic tuo* Lynceo *alioquin judicio imponere exiſtimaſſem, egomet mihi impoſuiſſem: & utcunque, ne quid tecum diſſimulem, paulo plus tuis carminibus quam antea mihi placeo: vel hoc ſolo, quod* Eraſmum *nactus ſum laudatorem. Qua in re* Alexandro Magno *fortunatiorem me arbitror, &* Achilli *ne tantillum quidem invideo. Id vero ipſe verius quam tu dicere poſſum χάλκεα χρυσείων, quod æneum vinum aureis, imo ſmaragdinis, imo auro, lapillis, & metallis omnibus precioſioribus carminibus permutaverim. Sed improbus ſum, nec ingenti hoc lucro contentus: nam ſi lagenam, quam vacuam remittis, recipere potero, animatam jubebo ad te iter remetiri, ut experiar, an alios poſſim verſiculos elicere: qui etſi mentiantur, elegantiſſime tamen canunt. Literas tuas Epiſcopo* Wintonienſi *&* Dunelmenſi *intra paucos dies in manum ſpero me redditurum: quod ſi mea oratione commendatiorem te illis facere potero, ipſum* Tullium *vincam. Quem enim quamvis infantem tam bona cauſa non modo diſertum, ſed etiam eloquentem non redderet? De rebus* Italicis *hæc habentur.* Hiſpanus *apertum propemodum cum* Gallo *bellum gerit, cujus* Angli *non erunt, ut conjicitur, tantummodo ſpectatores.* Julius Maximus *ad templum* Deiparæ *in* Laureto *ſe contulit, ſalutem ſuam diva gratulaturus.* Veneti *ſupra quingentos, ſic fertur,* Gallorum *equites ex inſidiis delevere.* Imperator *ita friget, ut ex ſuis hypocauſtis prodire non audeat.* Florentini, Piſanique, *diris deteſtationibus ſunt acti, quod conciliabulum ſchiſmaticis illis Cardinalibus præbent. Cardinalis* Rheginus *in fata conceſſit. Nos hic in gratiam cum peſte nondum redivimus. Ego in collegium divi* Thomæ *tandem immigravi, ubi ſum nihilo magis ex ſententia mea, quam apud* Morum. *Non video τί Ἀερπύας τὸ ἄſκυλον ῥόμφον, ſed multis aliis offendor, ut neſciam, ita me Deus amet, quo in* Anglia *jam pacto ſim victurus. Primum apud noſtros mercatores, quod animo meo gratum eſſet, honeſte me negant eſſe poſſe: tum iſtorum ſordes, quas jam ſatis ſum expertus, mihi omnino non placent: domum vero conducere, & ut volim vivere, paupertas non ſinit. Sed ut hoc tædium pellam, ego quoque poetabor.*

Vis tanta, *Eraſme*, carminis fuit tui,
Ἄμυσον ut me prorſus, & lapidem merum
Certare tecum Jambicis adegerit:
Sed vellit aurem *Apollo* continuo mihi,
Et rana bubus audet, aut oloribus
Certare corvus? inquit, extemplo manu
Delapſa noſtra perculit ſolum lyra:
Refrixit ille mentis & brevis furor,
Ac paucula hæc ægre potui ad te ſcribere:
Addam, ſed hæc *Apolline* invito tamen,
*Eraſme*, noſtri ſeculi decus, vale.

*Cras regiam petam, tuamque rem ſedulo illic curabo, & negotium alicui dabo, ut quum* Cantabrigienſes *carrucarii huc revenerint, altera lagena vini cum his literis ad te referatur.* Bovillum *millies reſaluta meis verbis. Cura iterum ut valeas, & me, ut facis, ama.* Londini 27. *Octobr. Anno* 1511.

## EPISTOLA CXXVI.

*Eraſmus Andreæ Ammonio ſuo* S. D.

REMISI tandem œnophorum tuum una cum verſiculis male natis. Auriga confirmat ſe reddidiſſe *Moro*, quod id temporis aberas. Ad Cal. Januarias iſtuc remigrabimus, ut vel fotu mutuo minus algeamus: nam hic æſtivare malim, quam hybernare. Poſtremo non expedit diutius tam procul abeſſe à *Jove* meo; quanquam hic locus non omnino mihi diſplicet. Tum quæſtus video nonnihil, ſi quis ardelionem poſſit agere. Perquam cupio ſcire quo animo *Wintonienſis* & *Dunelmenſis* meas acceperint literas, ad hæc ſi quid aliud eſt novi. Gratum mihi feceris, ſi has literas, quas tuis adjunxi, in *Italiam* perferendas cures: nunc plane eſt illud *Homericum*, ἄωστος ὁμιλος. Opinor auditas à *Jove* preces iſtius, cujus libellum tibi tradidi, qui fontes, fluvios, lacus, ſtagna, ad lachrymis deplorandam *Italiæ* calamitatem invitat. Ἡμᾶς λύκος εἶδε πρότερος, ut nutibus ſit loquendum; tanta eſt raucedo. Bene vale, ac frequenter ad nos ſcribe. *Cantabrigiæ* 2. Novemb. Anno 1511.

## EPISTOLA CXXVII.

Andreas Ammonius Eraſmo ſuo *S. D.*

AUT *egregie infauſtus eſt miniſter meus, ut quicquid per eum agatur male cedat, aut vulgus* Cantabrigienſe *barbarie inhoſpitales illos* Britannos *antecedit: ita omnium officiorum eſt ignarum, & omnis prorſus humanitatis expers, cujuſmodi videre aliquot opto illam longam ex ſe literam facientes. Neſciunt iſti fere quid ſit epiſtolam ſuſcipere, quid poſtea non reddere: neſciunt, (ne leniſſime dicam) quot homines ſua voluptate defraudent, quot ut inofficioſi judicentur, efficiant: neſciunt porro non unius tantum hominis ſalutem ex unis quandoque literis pendere. Conatus ſum ſimul atque tuas literas accepi, eis, quam celerrime potui, reſpondere, ut ſi non ſtilo, ad ſaltem officii celeritate placerem. Dedi pro literarum vectura id pauxillum quod petiere. Remiſi poſtremo cum epiſtola* Græcanici *alteram lagenam, unas tamen literas ad te ſolum perlatas fuiſſe video: & una cum officio curam, ſi quam in ſcribendo adhibui, periiſſe. O hominum monſtra, qua (ita me Deus amet) jamjam diſcerpi libenter ſpectarem! Unum tamen me ſolatur, quod ita meum*

Digitized by Google

An. 1511. *meum erga te animum perspectum tibi esse puto, ut licet tibi nunquam scriberem, nihilominus tui me studiosum & amantem existimares. Noviſsime literas, & alteram, ut dixi,* Græcanici *lagenam, ei, qui tuos libros isthuc advexit, meus* Thomas *credidisse se ait, alias vero quibus dederit nescio. Vinum si epotum est, da operam ut lagenam saltem recuperes. Sed facessat hæc bilis, qua profecto totus ferveo. Tuas literas Domino* Wintonienſi & Dunelmenſi *in manum reddidi, ambo vultu sane quam hilari excepere, ambo rarae dotes tuas mirifice laudarunt.* Wintonienſis *te accusare videtur, quod exterum secum agas, nec unquam ad se accedas: respondi, ut in buccam tunc venit, subrustica quadam verecundia te id agere, ipsi tamen quod sciebam esse deditissimum: nonnullaque alia pro tempore. Sed hæc antequam Epistolas tuas legerent. Post illa fuerunt ita publicis rebus occupati, ut interpellare de te non fuerit visum. Verum suo tempore non omittam. Tuus* Mecænas, *ut audivi, neque enim adhuc vidi, jam triduo fuit urbanus.* Jupiter *est nobis iratissimus, die pluit, nocte pluit, raro cessat. Pestis modum savitiæ ferme imposuit. Sed fames, nisi magistratus remedium aliquod adhibeant, subsequetur, malum nihilo peste mitius. Lignorum precium auctum esse non miror, multi quotidie haretici holocaustum nobis præbent, plures tamen succrescunt: quin & frater germanus mei* Thomæ, *stipes verius quam homo, sectam (si dis placet) & ipse instituit & discipulos habet. Sed ad* Italica *transeamus. Fœdus* Romæ *inter Pontificem, Regem* Hiſpaniarum & Venetos *ictum palam fuit, his legibus: Rex* Hiſpaniarum *equitibus cataphractis, quos* lanceas *vocant, mille &* CC. *levis armaturæ itidem mille, peditibus decem* M. *Pontificem juvabit. Pontifex vero equites cataphractos* D. *peditum octo* M. *habebit, in stipendium præterea auxiliariorum aureorum quadraginta* M. *in singulos menses dabit.* Veneti *exercitum, quem poterunt, togent. Concilium* Pisanum *male coit. Ferunt Cardinalem sanctæ crucis auctorem schismatis, impetrata per Regem Aragonum Pontificis venia, in* Campaniam *se proripuisse. Licet, quod præterieram, intra quadraginta dies cuicunque* Christiano *Principi idem fœdus inire. Postea arbitrio Pontificis admittetur. Nostri quid acturi sint, ut conjicitur, magno remigum compendio nondum deliberavere. Imperator hujus rei spectator solum erit. Rumor est* Florentinos *a* Gallis *defectionem parare. Habes de rebus* Italicis, *quæ hactenus ferantur. Tuam raucedinem, si hic fuisses, una potiuncula extemplo cum assem. Doleo spem tui ad nos reditus ad Calend. usque Januarias productam. Gaudeo tamen istam tibi Provinciam non male obtigisse, desiderium tui commodorum tui magnitudine solabimur. Reliqua tuæ literæ in* Italiam *cras sedulo perferentur: in tempore enim, ac prope in ipso tabellarii discessu, advenere. Cura, mi* Erasme, *ut valeas, &* Bovillum *nostrum terque quaterque meo nomine salvere jube. Iterum vale.* Londini 8. *Novembr. An.* 1511.

## EPISTOLA CXXVIII.

### Andreas Ammonius Erasmo *S. P. D.*

JAM *discesserant vestri carrucarii, quum tuam Epistolam, sine aliqua ad* Montjoium, Jo. Morus *mihi attulit, ideoque exspectandus est illorum nebulonum reditus, aut casus aliquis, qui mihi γραμματοφόρον objiciat, cui has ad te literas dem. Intellexi te lagenam resignatam & semiplenam, tandem nequaquam gratis accepisse: nam sex denariis eam vappam, carnificum reliquias, chare te emisse arbitror: novi præterea, quam ille calvus consueverit calvere. Sed recte mones, non esse ab his monstris officium aliquod hominis exigendum: verum si* Socrates *cum belluis istiusmodi fuisset aliquando conflictatus, neque animum, neque vultum semper eundem servare potuisset. Cæterum non idcirco vinum remisi, quod tu id laudasses, sed quod negotiatio bene cesserat.* Χρύσεα *enim acceperam,* χάλκεα *qui dederam: & ideo rursus tentabam, an alios versiculos haberes, quos eodem pacto velles permutare: non quod eorum mendaciis delecter, sed elegantia, suavitate,*

A *tuoque illo amico errore, quo alium me putas quam ego sim. Ex* Linacro *audivi, tuum ἀρχιερέα opem tibi argentariam* An. 1511. *destinasse: & certum solum ad te habendum quærere: id si ita est, querimonias tibi minuet: si quæ tamen supererunt, in amicum effundes sinum, & fœnus à me accipies, nam beatum te judico præ me. Tu enim quod sectatus es, summam eruditionem, nomen, qua* Romana *patet eloquentia, clarissimum, denique immortalitatem es adeptus. Ego ad ultimos usque* Britannos *post Fortunam cucurri, nec unquam assequi potui: nam subinde longius me fugit, imo vero & magis me terret. Duos homines, qui me unice amabant, sed qui omnium sententiis & conjecturis pauperes abjectique semper fore existimabantur, miru quibusdam modis, quasi*
B *in invidiam solummodo meam, alterum* Romanæ *Ecclesiæ Vicecancellarium, alterum modo summum Pœnitentiarium fecit, gradumque ad amplissimum provexit: & nunc mihi uterque stultitiam, quod se, Fortunaque sedem urbem* Romam Britanniæ *postposuerim, exprobrat, meque vicissim contemnit, nec omnino immerito. Tu porro quocunque te vertis, famam præmittis, nec potes non magnos patronos ubique invenire. Ego nisi apud hos, quos multo labore, longo tempore, non parvis sumptibus demereri sum conatus, aliquod mala ætati viaticum coegero, quo confugiam nescio, quum plane in his* Κιμμερίαις σκοτίαις *consenuerim: ante annos enim cani (quos mortis aquiliferos*
C *dicunt) agminatim toto vertice mihi erumpunt: sed longa est nænia, hoc fœnus tibi servo.* Montjoium *nondum salutavi, ita mihi accidit, dum officium de die in diem produco. Episcopus* Dunelmenſis *operam & studium suum tibi pollicetur.* Wintonienſis *minus publica locutus est, sed magis amica: putabat sacerdotium te habere: respondi, spem quidem sacerdotii tibi datam, sed sacerdotium nondum datum: ille subridens, interrogavit, num illa spes alere te posset? subrisi vicissim: atqui, inquam, auri & temporis dispendio hanc spem* Erasmus *emit: tunc ille jussit me hac de re secum alias commodius loqui, quod mihi hactenus non est visum: sed gavisus vehementer sum*
Wintonienſem *tam de te amanter sermonem habere: quod reliquum est, operam dabo ne quod officium meum*
D *desideres. De alveario, quo te recipias, quid certi scribam, non habeo: apud* Augustinenſes *nullus est, cui convictor esse queas: nescio an velis cæcum Poetam à me rogari: sunt illic, ut audio, quædam inania cubicula, quæ conduci possent, sed supellectile opus esset. In hoc cœnobio, in quo ipse sum, farta omnia esse ajunt: præterea mensa est infra mediocritatem. Circa eadem* Pauli *collegium est, ut nosti, quorundam doctorum, quos ajunt laute vivere, ego puto in cloaca habitare. De* Franciſco *periculum facere, nil fortassis noceret, sed mihi videtur* Iro *miserabilior. Denique quid in hac re pronunciem, nondum habeo: si quid in mentem venerit, intelliges. Quid te* Griphi *benignitatem percunctor, nunc præsertim cum* J.
E Baptiſta Boncantus *abest? Rescribe quid velis, interim si redeas, cubiculum non deerit.* Morum *hactenus non vidi, nec putavi dedita opera interrogandum esse, an literas illas reddiderit, quas non reddere vix potuit: quotidie enim Archiepiscopum aut videt, aut alloquitur. Ex* Italia *novi nihil, sed nec literarum quidem aliquid habemus.* Bovillum *nostrum, postquam tanti salutationem meam facit, plurima rursus meo nomine impartias velim. Gratum in primis mihi feceris, si modis omnibus curaveris, ut pulcherrime valeas.* Londini 18. *Novembr. Anno* 1511.

## EPISTOLA CXXIX.

F *Erasmus Andreæ Ammonio* S. D.

EXSPECTO jam magnifica illa ſtratagemata, tum quantum in zonis ſit allatum. Scripſeram ad te in caſtris agentem, ſemel & iterum per *Joannem Lotharingum.* Nobis interim non minus acre bellum fuit cum mendis *Senecæ* ac *Hieronymi*, quam tibi cum *Gallis.* Quanquam non fuimus in caſtris, tamen de *Gallicis* manubiis decem coronatos dedit *Dunelmenſis.* Sed hæc quum te videro: interim literas tuas exſpecto militares. Bene vale, amice ſingularis. *Cantabrigiæ* 26. Novembr. An. 1511.



Digitized by Google

An. 1511. NON est necesse rogare te, quod semper tua sponte facis, tamen rogo, ut si quando inciderit opportunitas, commendatione vocis tuæ juves res nostras. Certum his mensibus paucis, sacram jacere ancoram: si succedet, imaginabor hanc esse mihi patriam, quam *Romæ* prætuli, & in qua me senectus deprehendit: sin minus, abrumpam me; nec magni refert, quo: certe alibi moriturus. Superos omnes testes invocabo, fidei, qua me is, quem scis, perdidit. Quod si tribus verbis essem pollicitus, quod ille toties tam magnificis recepit, scio quid pollicear, summa præstabo fide: disperem, ni mori malim, quam hominem ex me pendentem destituere. Tibi, mi *Ammoni*, gratulor, cui Fortuna, sicut audio, feliciter adspirat, non usquequaque iniqua qualis qualis in nos est. Rursum vale. Anno 1511.

## EPISTOLA CXXX.

*Erasmus Ammonio suo* S. D.

TANDEM ad octavum Calendas Decembrias mihi redditæ sunt tuæ literæ: quas sexto Calendas Novembres scripseras, prorsus, mi *Andrea*, ut brevissime laudem, te dignas, hoc est, juxta candidas atque doctas: ad quas si brevius respondeo, divo *Hieronymo* debes imputare, quem interpretandum suscepi, Provinciam νὴ τὰς Μούσας longe difficiliorem opinione. Tametsi me non tam cruciat labor quam sollicitudo. Quod versiculos illos meos tantopere laudas, video te plane ῥητορίζειν, ἢ πρὸς τὸ λόγων ἐπίδειξιν, ἐκ μύας ἐλέφαντα ἀπεργάζῃ ποιεῖν. Quos equidem ut inelegantissimos, ita minime mendaces existimo, hac sane in re δὶς διὰ πασῶν à te dissentiens. Nec carminis ejus argumentum aliunde, quam à teipso sum mutuatus. Itaque *Ammonium* depinxi, optimis quidem coloribus, quippe tuis, sed artifex non optimus, nec optimo penicillo. Sed quid istud est obsecro, quod scribis te ceu rem magnam perspicere, *Andream* amari ab *Erasmo*? Nam si istiusmodi hominem, & ita promerentem, non amare possem, tum profecto sim *Erasmus* ἐκ ὑπὸ ᾧ ἔφασθε, ἀλλὰ ἀφ' ὧν τὸ ἔφης, hoc est, ἀνεφησόβατος, & quem vel ipsi *Tauro-Scythæ* barbarum, ipsæ feræ ferum debeant appellare. Quid ais, ὁ ἀρχιερεὺς ad *Lauretanam*? ὦ τῆς εὐσεβείας. De bello moveri cœpto, vide ne *Græcum* illud proverbium habeat aliquando locum, πυρρίχης μόρος. Etenim si quid acciderit Ecclesiæ *Romanæ*, cui quæso possis justius acceptum ferre, quam τῷ Γαλίῳ nimium forti? Sed obsecro te, finge *Gallos* ab *Italia* depulsos: jam mihi cogita, utrum *Hispanos* malis Dominos, an *Venetos*, nec suis tolerandos. Nam τὰς ἱερεῖς Principes nunquam ferent. Nec rursum inter ipsos convenire poterit, propter factionum dissidia, plusquam capitalia. Vereor ne *Italia* Dominum mutet, dumque *Gallos* ferre non potest, bis *Gallos* ferre cogatur. Sed hæc viderint αἱ μοῖραι, nos ἔξω βελῶν ζῶντα μαχόμεθα. Migrationem non cessisse ex sententia doleo, sed tamen nonnihil gaudeo mihi ὁμόψηφον contigisse. Nam isti cum plane sint Κύπριοι βόες καὶ σταλοφάγοι, tamen solos sese ἀμβροσίας καὶ Διὸς ἐσκεφάλας σιτεῖσθαι credunt. Perplacet, ὅτι Λυκιανίζεις· ubi *Londinum* rediero, id erit ante Idus Decembres, faventibus superis, συνελπίσωμεν, interim exspectabo literas tuas, quibus oro me certiorem reddas, ecquid novi *Montjoius* meus. Nam bis jam ad illum scripsi, verum novi morem illius, respondet ille nunquam οὐδὲ γρύ· deinde quid spei tui Ἐπίβουποι, tum jam ne pestis deferbuerit, & in quem nidum mihi potissimum censeas immigrandum. Jam ternas abs te literas accepi. Scripseram & *Coleto*, & *Petro* unoculo, sed suspicor eas suppressas. Mandaram *Moro* literas *Roffensi* reddendas, an reddiderit nescio. Quo minus responderim carmini tuo languor in causa fuit, ubi redierit alacritas, tum non omnino silebimus. Bene vale, mi *Andrea*, amice plusquam *Pyladee*. *Cantabrigia* 26. Novembr. Anno 1511.

## EPISTOLA CXXXI.

An. 1511.

*Erasmus Rot. Ammonio suo* S. D.

GRATIAS, veneres, lepores, denique Musas, ac literas omnes tam mihi iratas imprecor, quam sunt *Carmeliano*, si quicquam accidit hoc anno tuis literis jucundius. Hoc jusjurandum sanctius esse puta, quam si tibi juret *Jupiter Stygii* per flumina fratris. Has unas accepi. Superiores mihi redditæ non sunt. Et te crebrioribus oneassem literis, verum spes non erat posse perferri: eam simulatque feciisset *Joannes* tuus, nihil mihi jucundius fuit quam tecum qua licuit confabulari. Quod nec in tanto rerum tumultu tibi exciderit *Erasmus*, quodque frivola mea tam officiose curaris, tametsi tu quidem nihil facis novi: tamen ego quasi novum aliquid feceris, & admiror animi tui candorem, & exosculor tuum erga nos studium. Equidem perinde habeo gratiam, quasi vinum acceperim. Demiror tamen te nebulonibus his quicquam istiusmodi credere, perfidiam illorum non semel expertum. Auriga, qui reddidit literas, negat sibi sinum fuisse traditum. Respondit ὁ Δυνελμαῖος, sed ὀδὲν πρὸς ἔπος. Quum urgerem autem percunctando, eo vultu quasi libenter discederet ab eo sermone: Opinor, inquit, esse apud Οὐιντονίενσεν, verum certum non scio: moxque redibat ad intermissas fabulas. Erga τὸ Βασιλεὺς animum δυσμενῆ palam præ se ferebat, quum à me nulla daretur ansa. Verum hæc ἀπόῤῥητος. Quo minus ante natalem *Christi Londinum* me conferam, partim pestis est in causa, partim latrocinia, quorum nunc apud *Anglos* messis est. Pridie quam tuæ mihi redderentur, scripseram per *Brianum*. Is hanc *Gallorum* historiam volumine complexus est. *Carmiliani* Epitaphium vidi; quumque legerem *pullulare*, hic, inquam, scabies est: deinde cum sciscitanti respondissent esse *Carmiliani*, respondi, sane ipso dignum est. Id quidam sic acceperunt, quasi dixissem *Scotorum* Rege dignum: quibus pluisculum erat nasi, subrisere. Sed næ tu homo nimium es candidus, qui belluæ istius famæ consulas. Ita me Deus amet, magno emerim, si filiusses. De *Baptista* miror tantum in literis tuis esse silentium. Nam *Bovillus* mox adfuturus nunciatur. Age, *sanctissimum* me vocas, at non sine summi Pontificis injuria. Quod autem epitheton rectius quadrabat in militem & victorem quam *fortissimi*? Etiamsi nugarum ἀμάξας habeas, non modo sacculos, nunquam tamen animum meum explebis, si contigerit tecum colloqui. Video *Joannem* tuum, imo nostrum, in curandis literis nostris diligentissimum fuisse. Itaque pluris hominem facio, quanquam & antea mihi charum. Is, uti narrat, non ambit mediocria, sed meras episcopas. Utinam succedat, videtur amici candidique animi. Nos, mi *Ammoni*, jam menses aliquot plane cochleæ vitam vivimus, domi contracti conditique mussamus in studiis. Magna hic solitudo: absunt pestilentiæ metu plerique, quanquam quum adsunt universi, tum quoque solitudo est. Sumptus intolerabiles, lucrum ne teruncii quidem. Puta me jam hoc tibi per omnia sacra dejerasse. Nondum quinque menses sunt, quod huc me contuli, interim ad sexaginta nobiles insumpsi. Unum duntaxat ab auditoribus quibusdam accepi, eumque multum deprecans ac recusans. Certum est his hibernis mensibus πάντως λίθον κινεῖν, planeque sacram, quod ajunt, ancoram solvere. Si succedit, nidum aliquem mihi parabo; sin minus, certum est hinc avolare, incertum quo: si nihil aliud, certe alibi moriturus. Bene vale. *Cantabrigia* 28. Novembr. An. 1511.

## EPISTOLA CXXXII.

Andreas Ammonius Erasmo Rot. *S. D.*

ITANE *tandem*, Erasme, *tuum* Ammonium *ludos, & delicias facis? quæris quid sit, in quo non stadiis multis* Erasmum *præcurram: infra quem vel centum* parasangis *pe-*

Digitized by Google

An. 1511. *positum me esse non ignorem. Sed si possent omnia permutari, faxo actutum quod modo ais, neges. Nam extemplo ad permutationem te provocarem. Jam Pontificio & quidem amplissimo dignum me arbitraris? aut tam tu me amas quam cupio, aut certe ἐρασμιχῶς jocaris. Quod me, etsi nihil accesserit, fortunatissimum censes, fucum rhetoricum agnosco: quod vero bene ominaris, licet id potius à tua voluntate, quam à certa aliqua conjectura proficiscatur, pergratum tamen est. Sed heu vates divinasti tandem cur λευκὰς τρίχας deplorem, quasi ista puella capillos, & non loculos potius inspectent. Aureus hercle nummulus, qui summis digitis refulserit, ipso me* Nireo *pulchriorem reddere potest: non ea de causa tristor, sed quod video me ἀγχεῖον consensisse. Bene rursus mones, δεῖ τὸ παρὸν εὖ τιθέσθαι. Sed iter mihi monstres velim, dum non plane philosopheris.* Wintonienſem *iterum de te admonui, ἀλλὰ ἀκαίρως. Verum quum tu aderis, aliquam egregiam opportunitatem inveniemus. De cubiculo quid velis propemodum intelligo, sed non respondes an libeat apud* Griphum *diversari.* Sixtinum *conveniam, & de literis quod mandas renunciabo, alloquar &* Montjoium, *ac quam potero apte, an illi aurei fuerint persoluti odorabor. Ac nescio, an intellexeris* Alanum *ipsum hic esse, quod sæpe tibi significare constitui, & semper tamen excidit: fuit sub specie quadam honoris revocatus, re autem vera, quòniam Archiepiscopi* Cantuarienſis *negotium* Romæ *parum, ut audio, prudenter agebat. Opto istos octo dies, quibus isthic te adhuc futurum scribis, plusquam brumales, noctesque pares diebus, ut una citius vel invita* Nortia *nugemur, & ego* Eraſmi *hilaritate perfruar. Accepi à bibliopola binas tuas cum* Icaromenippo *literas, ad quas etiam respondi.* Bovilli *Epistola, lagena, & illa tua breves literæ mihi reddita nondum fuere, da operam ut valeas.* Londini 5. *Decembris, An.* 1511.

## EPISTOLA CXXXIII.

*Eraſmus Rot. Ammonio ſuo* S. D.

PRECOR ut istæ venationes tam sint fauſtæ vobis, quam mihi fuerunt infauſtæ: jam primum enim Regem mihi adimunt: deinde profecto Cardinale dies aliquot me sunt remoratæ. Ad hæc *Ursewicum* misso Novo Testamento captaram: equum promissum literis petieram. Hunc cum die Lunæ visurus peto, ille commodum se venatum proripuit, non rediturus ante septem dies. Ad hunc modum is *Thynnus* elapsus est. Demum nunc te mihi præripuit venatio. Proinde quod coram volebam, literis ago. Epistolam à puero scriptam ad Pontificem, si voles, resigna: mihi videtur parum apte scripta. Si judicabis ad rem pertinere, cura denuo describendam accuratius, ut & hoc interim addas officii. Salutem meam tibi commendo. Nec rogo diligentius, cui toto pectore confido: nec polliceor magnifice, cui re, si queam, gratias referre malim quam agere. Et mihi certe spes est succesſurum quod agimus, non solum quod agitur per hominem mihi chariſſimum, verum etiam per *Ammonium Eraſmo* feliciſſimum. Bene vale.

Poterant hæ duæ causæ me dies aliquot in *Anglia* remorari, spes equi ab *Urſewico*, quem haud dubie daturus erat, & tuum colloquium, ni jam me tæderet *Britanniæ*, & sentirem me vetulum jam hospitem uxori *Moricæ* supputere. Utinam mature felix oraculum per te redeat. Rursum vale. An. 1511.

## EPISTOLA CXXXIV.

Gulielmus Archiepiscopus Cantuarienſis Eraſmo Rot. S. D.

An. 1512. ERASME, *si valentibus dicimus salutem in capite literarum, multo magis convenit ægrotanti tibi optare salutem. Tametsi fausto omine auguror, te jampridem calculis purgatum, saltem posteaquam celebravimus memoriam purgationis* Mariæ. *Quid sibi volunt saxa in corpusculo tuo? aut quid super hanc petram inædificandum est? non enim construendo es magnificas domos, vel ejusmodi quippiam, ut opinor: quocirca quum non sint è re tua calculi, cures quamprimum te superfluo onere liberare, desque pecuniam ut auferantur ii lapides, secus quam ego quotidie do pecuniam, ut lapides afferantur ad mea ædificia. Id quod ut facilius facias, nec tibi desis, dedi filio cujusdam aurifabri* Londinenſis *triginta angelatos, quos in decem legiones mutatos velim: id auri pharmacum nonnihil energiæ in se continet, eo utere ad salutem, quam tibi emere multo pluris cupiam. Restant enim multa egregia opera per te edenda, quæ, nisi valeas, obire non queas. Cura ut valeas, nec nos defraudes per ægritudinem tuam, pulcherrima spe & dulcissimo fructu doctrinæ tuæ. Ex* Londino 5. *Feb. An.* 1512. An. 1512.

## EPISTOLA CXXXV.

*Antonio à Bergis, Abbati divi Bertini, Eraſmus Rot.*

SALVTEM plurimam, pater reverende. Parum abfuit, quin ipse vos reviserim, hujus *Britannicæ* legationis comes. Nam reverendus Episcopus *Roſſenſis*, vir non solum admirabili integritate vitæ, verum etiam alta reconditaque doctrina, tum morum quoque incredibili comitate commendatus, maximis pariter ac minimis, me, tametsi nihil omnino sum, pro sua humanitate, singulari favore semper est prosequutus, & hujus itineris comitem volebat: sed serius mihi fuit indicatum, quam ut vacaverit res meas componere. Quare putavi officii mei esse, ut tam singularem patronum, saltem per literas salutarem, præsertim quum proxime reversus è *Lutetia*, insalutato te discesserim. Quod ipsum tamen casu sic evenit. Nam arbitrabar me menses aliquot in arce *Hammenſi* commoraturum; quæ me res plane fefellit: quemadmodum optime novit *Ghisbertus* medicus tuus. De nostro statu, si quid cupis cognoscere: Jam *Eraſmus* prope totus est in *Anglum* transformatus, tam insigni benignitate me prosequuntur cum alii permulti, tum præcipue *Mecænas* ille meus unicus Archiepiscopus *Cantuarienſis*, imo non meus, sed omnium eruditorum, inter quos ego postremas teneo, si modo ullas teneo: Deum immortalem quam felix, quam fœcundum, quam promptum hominis ingenium? Quanta in maximis explicandis negotiis dexteritas? quam non vulgaris eruditio? Tum autem quam inaudita in omnes comitas? quanta in congressu jucunditas? ut, quod vere regium est, neminem à se tristem dimittat. Ad hæc quanta, quamque alacris liberalitas? Postremo, in tanta fortunæ dignitatisque præcellentia, quam nullum supercilium? ut solus ipse magnitudinem suam ignorare videatur. In amicis tuendis nemo neque fidelior, neque constantior. In summa, vere Primas est, non solum dignitate, verum & in omni genere laudis. Hunc quum habeam propitium, quid est quo minus mihi videar egregie fortunatus, etiamsi nihil accedat? Sed ô terque quaterque felicem *Carolum* illustrissimum Principem nostrum, qui talem sit sponsam habiturus. Nihil à natura fingi possit venustius, nihil absolutius. Nec minus superat omnes bonitate prudentiaque quam forma. Bene valeat *R. T. Londini* 6. Februarii, An. 1512.

## EPISTOLA CXXXVI.

*Cardinali Nanetenſi Eraſmus* S.

REVERENDISSIME pater, hisce literis tantum illud testari volui, me nec esse adhuc, nec futurum unquam immemorem humanitatis, qua me nihil promeritum tua sublimitas, tum in itinere, tum *Romæ* commorantem est prosequuta. Ut urbis liceat obliviſci, quærendus est mihi fluvius aliquis *Lethæus*, ne me diutius cruciet ejus desiderium: nam non possum non dolere, quoties in mentem venit, quod cœlum, quos agros, quas bibliothecas, quas ambulationes, quam mellitas eruditorum hominum confabulationes, quot mundi lumina, quam fortunam, quas spes tam facile



Digitized by Google

An. 1512. reliquerim. Lenit tamen hoc desiderium *Guilielmi Warami* Archiepiscopi *Cantuariensis* inaudita quædam in nos non humanitas modo, verum etiam benignitas, ut si pater esset aut frater, nihil possit amantius. Complectuntur & cæteri complures hujus regni Præsules, inter quos præcipuus iste Episcopus *Roffensis*, vir præter summam vitæ integritatem, doctrina quoque varia reconditaque, tum animo minime sordido, & ob has dotes hic summo in precio habitus. Hujus comes *Romam* adissem, si paulo tempestivius factus fuissem certior. Si quid erit negotii, in quo servuli infimi opera non gravetur uti, mandet ac præcipiat amplitudo tua. Modo dictus Archiepiscopus *Cantuariensis* non titulo tantum ac dignitate Primas *Angliæ*, sed eruditione, integritate, fide, humanitate, modestia, modis omnibus primas tenens, me licet immerentem, singulari favore complectitur. Is *Romanæ* Sedis ornamentis ita favet, ut nemo omnium magis: quanquam totum hoc regnum propensissimo in eam est animo. Precor Deum, ut sua sancta pace omnia conciliet; conglutinetque. Bene vale. *Londini* 8. Februarii, Anno 1512.

## EPISTOLA CXXXVII.

*Erasmus Rot. Joanni Baptistæ* S. D.

CVM superioribus diebus, tanto amico xeniolum aucupanti, forte incurrisset in manus *Luciani de astrologia* commentarium, ipso statim titulo delectatus, majorem in modum optare cœpi, esset ejusmodi quod dignum videri possit, primum & tuis in me meritis, & meo in te animo: deinde dignum eo viro, qui singulari doctrina sua, fide, prudentia, primi medici locum tot jam annos meruerit, idque apud duos seculorum omnium primos *Angliæ* Reges, *Henricum* septimum, inaudita sapientia Principem, & hujus filium, non nomine tantum & specie, sed omnibus regiis dotibus ita patrem nobis referentem, ut ille non decessisse, sed in hoc repubuisse videatur. Postremo dignum eo, qui in hac excellentissima astrologiæ disciplina sic excellat, ut reliqui tecum collati, umbræ volitare videantur, quemadmodum inquit *Homerus*. Sed munusculum hoc qualecunque, primum offerentis animus apud te commendabit; deinde tui candoris erit, atque adeo moris, è pusillo amplum, è mediocri præclarum atque eximium reddere: id ita fiet, siquidem exibit libellus in lucem, non modo *Baptistæ* calculo commendatior, verum etiam lima tersior. Nobis quidem in eo potissimum arrisit antiquitas, cæterum tu quo es oculatior, hoc plura perspecturus es, quæ probari mereantur. Nam à *Luciano* nihil fere triviale solet proficisci. Nos interpretis haud infidelis officio functi sumus: tu pariter de Auctore, & de interprete sententiam feres. Bene vale. *Londini* 11. Novembr. Anno 1512.

## EPISTOLA CXXXVIII.

*Erasmus Ammonio suo* S. D.

PRIDIE *Martini* redditæ sunt mihi tuæ literæ, si notam quæris, stomachantes, una cum lagena vini *Græcanici* semiplena. Qui attulit, poposcit duas drachmas, dedi denarios sex: deinde literis tuis diligentius inspectis, animadverti lagenam non cum proximis literis, quas ad VI. Idus Novembres scripseras, sed cum superioribus fuisse missam, nam id etiam vini color indicabat. Quin cum primum mitteres, admirabar te non obsignatum misisse per eos, quibus nihil est obsignatum. Plane cum hoc hominum genere nobis hic res est, mi *Andrea*, qui cum summa rusticitate summam malitiam conjunxere: nec est omnino quicquam, quod mihi hujus secessus nomine gratuleris, verum solus pudor querimoniis finem imponit: sed hæc coram in sinum. Non exspectabam alteram lagenam, nisi quod tu, ut es mire civilis, cum laudarem vinum, quasi denuo rogarem, interpretabaris. De recuperandis literis tuis magis laboro, quam de vino aut lagena, quod quidem ad me pertinet. Nam si nonnisi unam & alteram lagenam misisti, neutra periit. Remisi priorem, & eandem, ni fallor, cum proximis tuis literis accepi. De meo auriga mihi narras? quid si vidisses mea scrinia undique lacera? quid si audires fucum de equo, tum diceres, & calvus ille nebulo nunquam hic in conspectum prodiit: proinde vide ne sit ineptum, ab his monstris ullum hominis officium requirere. Sed non potui temperare à risu, cum video *Andream* quoque, Charitibus, & amicitiæ, lenitatique natum, bili potuisse effervescere, cum ipse jam *Mitionem* mediter, posteaquam jam propemodum mea me victum docuit fortuna dolere, cœpitque placere *Virgilianum* illud,

*Una salus victis nullam sperare salutem.*

Denique nullo infortunio non dignus mihi videor, quoties succurrit, qualem *Italiam*, & quam mihi arridentem *Romam* reliquerim: οἵ μοι τὸ ἀμοιβῆς, ἀπὸ δεῦ τὸ παρὲὸν εὖ τιθέσθ. De rebus *Italicis* mihi parum læta nuncias, non studio *Galli*, sed odio belli. Etenim cum quotidie videamus, vel levissimum latrociniolum vix multis annis confici, quid exspectandum erit, si bellum tam grave semel motum fuerit? neque tamen habeo cui succenseam, nisi verpo illi τῷ ἀιχιερέως ἰατρῷ, qui quidem aut parum est artifex, aut prorsus effœtæ sunt *Anticyræ*. Sed ipsa fata viam inveniant. Istis hæreticis, vel hoc nomine sum iniquior, quod instante brûma nobis auxerint lignorum precium. De fame non perinde laboro, liceat modo vivere. Habeo gratiam & pro redditis *Wintonienſi* ac *Dunelmenſi* literis, & pro tuo tam amico patrocinio, & pro vino, etiam non exspectanti, misso; & pro literis tam diligenter in *Italiam* transmissis. Sed quid ego paucos recenseo titulos, cum tu nulla in re non agas *Ammonium*, hoc est, candidissimum amicum? Priusquam istuc me recipiam, parandum est alvearium aliquod tepidum, in quod me condam hac bruma. Mallem non abesse longius à *Paulo*: nam ædes *Montjoicas*, donec obsidebit *Cerberus* ille, certum est vitare: quanquam nec illic locum video satis idoneum brumæ, ni velim ipsum herum depellere. Fortassis apud *Augustinenses* aliquod est. *Franciscus Patavinus* me ad suas ædes invitat literis suis, ac vitam *Italicam* pollicetur: super hac re si quid habes quod consulas, imparti. Gratulor Domino *Montjoio* felicem reditum: rogo cures ut accipiat literas meas. Scripseram per eundem, qui proximas attulit & Episcopo *Roffensi*: si dabitur occasio, cognosce, num sint redditæ. Apud reliquos duos agas, obsecro, quod cœpisti: exspectabo literas tuas prius quam hinc me moveam. Resalutat te *Bovillus*, mirum in modum lætus tua salutatione. Si quando fuerit obvius *Morus*, percunctare, num meas literas Archiepiscopo reddiderit, & num quas ipse ad me dederit suas, vel alienas. Bene vale, amice singularis. *Cantabrigiæ* 11. Novembr. Anno 1512.

## EPISTOLA CXXXIX.

*Erasmus Roter. Andreæ Ammonio suo* S. D.

VIDE, quæso, insignem impudentiam meam. Mitto ad te *Icaromenippum*, ut aut ipse describas, si citra tædium aut incommodum queas, aut agas cum *Moro*, ut fratri transcribendum committat. Nam ecas aliquot paro in Calendas Januarias, etiamsi frustra, ni fallor. Et hic (ô Academiam!) nullus inveniri potest, qui ullo precio vel mediocriter scribat. Sed omnia potius, mi *Andreæ*, quam ut mea gratia tædium ullum capias. Literas oro reddendas cures iis, ad quos destinatæ sunt. Cura ut te quam optime valentem offendam. *Cantabrigiæ* 27. Novembr. An. 1512.

## EPISTOLA CXL.

Andreas Ammonius Erasmo *S. D.*

NVNC *una, nunc alia causa factum est, ut per istos nebulones vestros ad te bis jam non scripserim, dedi ta-*

Digitized by Google

An. 1512. *tamen nudiusquartus, aut quintus, cuidam sacerdoti ad te Epistolam, quam propere absolvi, quod ille isthuc se properare ajebat. Significavi* Wintonienſem *amicissimum in te animum præ se ferre. Sed idem est ita his rerum turbinibus occupatus, ut egre rebus aliis vacare queat. Verumtamen si urgere me velis, non cessabo, sed cogita utrum expediat te adesse; meo judicio multum moveres. Nihil est si huc veneris quod valetudini timeas, omnia sunt hic saluberrima, ne nomen quidem pestis auditur. Præterea si* Cerberum *illum* Montjoicum *omnino reformidas, aliquod alicubi, quod tibi non penitus displiceat, brevi una cubiculum inveniemus. Nam mihi pro* Erasmo *non facile aliquod placeret, si solus perquirerem. Accepimus literas ex* Italia, *quibus intelligimus* Gallorum *partes adhuc prævalere.* Hiſpanos *vero raros, eosdemque macros, & excalceatos comparere, conventum* Pisanum *procedere, Cardinalem sanctæ crucis,* Conſentinum, Bajocen. & Narbonen. *ordine in publico senatu motos, ac sacerdotiis omnibus privatos: postremo famem, pestem, cædem, rapinam à* Bononien. *meritas perfidiæ pœnas exigere. Hæc tantum ex* Italia. *Cura, mi* Erasme, *ut valeas, &* Bovillum *nostrum meis verbis salutes.* Londini 28. *Novembr. An.* 1512.

## EPISTOLA CXLI.

*Erasmus Rot. Ammonio suo* S. D.

TVAE literæ faciunt, mi *Andrea*, ut isthuc advolare gestiam, quo tam dulci amico propius frui liceat: ac rursum eædem faciunt, ut hic durare possim, propterea quod tam crebro me mellitissimis confabulationibus reficiunt, ut mihi non videar abesse *Londino*. Sed quid isthuc obsecro? Itane meam Fortunam cum tua, hoc est, rosæ comparas anemonam? Quæso te quanam in re tu non multis stadiis *Erasmum* præcurris? nam famæ, si qua est, nihil aliud acceptum ferre possum, nisi quod, ceu face prælata, non finat me clam esse miserum, ut jam gravius sit pudere, quam pigere Fortunæ. Sed hanc cicatricem nolo refricare. Sit mea Fortuna me digna: sic enim libet interpretari. De tua jure optimo quereris, si quis dotes tuas expendat: has si quis metiatur, quis tibi non vel summum Pontificium tribuat? Sed nosti, mi *Andrea*, Fortunæ cæcum illum ludum, quo minus te debent excruciare, quos illius temeritas in fastigium evexit. Quod si omnino voles emergere, nonnihil abjiciendum est ejus, quod te vel maxime bonis omnibus commendat, puta modestiæ. Ego te jam nunc, etiamsi nihil accesserit, tali patria, forma, ætate, ingenio, moribus, optimi cujusque favore, fortunatissimum existimo. Et ni prorsus fallor augurio, non procul abest dies ille, qui pulcherrimas dotes tuas sit pulcherrimis Fortunæ ornamentis æquaturus. Quod *Romam* relictam deploras, quid attinet undas præteritas numerare? δᾶ τὸ παρὸν εὖ λυπέσθαι. Porro cur pili λάχνοι te tantopere crucient, videor mihi propemodum ariolari. Metuis puellarum convicium, ô quam acerbum, & plane ἀνεφόβητον δηκτήριον. Et te & *Wintonienſem* amo meritissimo, te qui tam amice rem meam egeris, illum qui tam impense faveat. Sed cave urgeas ullo modo. De cubiculo tantum optem nidum aliquem probe defensum à ventis, & foco luculento, victum more solito adornabimus. Ad tempus nolim te loqui quicquam hac de re, tamen si quid olfeceris, velim cognoscere, num meus *Mecænas* resolverit viginti nobiles illos *Bernardo:* quæ res facit, ut nonnihil abhorream à *Londino*, quippe qui nihil oderim æque, atque appellari. Tamen de domo licebit cum eo agere, si forte inciderit. Misi nudiustertius lagenam una cum literis brevissimis. Accepi literas tuas binas, ad quas his unis respondeo. Quod ni me sic torqueret *Hieronymus*, non solum versiculis, sed justis voluminibus tecum agerem. Verum intra decem dies absolvero mensem. *Bovillus* ad te scripsit. Si forte videris *Coletum*, & orta fuerit mentio mei, offer operam tuam, si quid velit ad me scribere. *Sixtino*, si fuerit obvius, dices illius literas mihi longe gratissimas fuisse. Mihi adhuc septem aut octo dies in hoc pistrino sudandum, tum ocioſi jucundissime congerrabimur. Vale, amice unice. *Cantabrigiæ* 2. Decembris. Scripsi & alteras ad te literas, quas, opinor, *Gerardus* quispiam bibliopola tibi reddidit. Anno 1512. An. 1512.

## EPISTOLA CXLII.

*Erasmus Rot. Ammonio suo* S. D.

ITA me omnes oderint Musæ, mi *Andrea*, si quid de tua Fortuna φυκιόω· ἐκ θυμοῦ ἅπαντος. Nos die conceptæ Virginis *Mariæ* graviter parturivimus, ac scopulos aliquot peperimus. Quin tu igitur inter felicitatis nostræ calculos, hunc quoque calculum ponis? Cum *Wintonienſi* vide ne quid ἀκαιρότερον· ὦ εἰ τῷ τὸ παρὸν εὖ λυπέσθαι consilium à me petis. Age, docebo sus *Minervam*, nec admodum, quod tu vetas, philosophabor. Principio perfrica frontem, ne quid usquam pudeat. Deinde omnibus omnium negotiis te misce. Protrude quemcunque potes cubito. Neminem nec ames, nec oderis ex animo, sed omnia tuo compendio metiare. Ad hunc scopum omnis vitæ ratio spectet. Ne quid des, nisi unde speres fœnus: assentare omnibus omnia. At ista vulgaria sunt, inquis. Age, quando ita vis, accipe peculiare consilium, sed heus in aurem. Nosti τὴν Βελγικὴν ζηλοτυπίαν· hac in tuum bonum abutere. Duabus sedeto sellis. Suborna diversos procos, qui te ambiant. Minare & appara discessum. Ostende literas, quibus magnis pollicitis avocaris, subducito te nonnunquam, ut subtracta copia desiderium acuat. Cum *N.* mihi nihil est negotii. Qui si quid prudenter egisset, homo μωρίας αὐτῆς μωρότερος, mihi ostenti loco fuisset: at succesſit non multo sapientior. *Griphus* mihi mire placet per omnia, sed magis placet libertas. Auriga affirmat sese literas & lagenam reddidisse. Bene vale, optime *Ammoni. Cantabrig.* 9. Decembr. An. 1512. An. 1512.

## EPISTOLA CXLIII.

*Erasmus Rot. Adolpho Principi Veriano.*

SALVE multum, ornatissime Princeps. Jampridem molior hinc ad vos evolare, retinet adhuc quorundam singularis quædam in me benignitas, præcipue *Cantuarienſis* Episcopi. *Guilelmus Montjoius*, Præfectus *Hammenſis*, amantissimus tui, in his belli tumultibus semper favet tuis, eisque pro virili subvenit. Verbis consequi nequeam, quam ex animo doleam, tantos rerum humanarum motus exoriri, idque nemine obsistente. Magis autem doleo, nostram patriam paulatim his implicari malis, præsertim tam diutinis bellis non vexatam modo, sed propemodum exstinctam. Utinam hisce de rebus, quæ sentio, liceat tuto literis committere. Quoties pœnituit me, fortunam, quam ante triennium mihi *Lovanii* offerebas, non amplexum fuisse? Sed tum quidem amplæ spes me ferocem reddiderant, & aurei *Britanniæ* montes animo concepti: sed eam cristam mihi depressit Fortuna; nunc si vel mediocris istic detur, cupio cum *Ulysse* patriæ fumum subsilientem conspicere. Te rogo, ut me jam olim tuum *Erasmum* adjuves; potes enim, nec minus vis: tantum ut memineris. Bene vale. *Londini* Anno 1512.

## EPISTOLA CXLIV.

*Erasmus Rot. Antonio à Bergis, Abbati Bertini,* S. D.

ORNATISSIME pater, ex oratione Episcopi *Duelmenſis*, & *Andreæ Ammonii* Secretarii Regii, cognovi studium in me tuum, planeque paternum quendam amorem: quo magis gestio me patriæ restituere, si modo detur à Principe fortuna, quæ possit ociolum nostrum alere. Non quod mihi displiceat *Britannia*, aut *Mecænatium* pœniteat. Sunt & hic amici An. 1513.



Digitized by Google

An. 1513. amici complures, multorum Episcoporum non vulgaris in me benignitas: tum vero *Cantuarienſis* Archiepiſcopus ſic me fovet, ſic complectitur, ut ſi frater eſſet, aut ſi pater eſſet, non poſſit amantius: ex hujus dono penſionem habeo, ſacerdotio reſignato, ſatis amplam. Tantundem addit alter ille *Mecænas* de ſuo: accedit non parum ex procerum benignitate, multoque plus accederet, ſi vel paululum ambire velim, ſed bellum, quod adornatur, genium hujus inſulæ ſubito vertit. Rerum omnium caritas hic in dies creſcit, decreſcit liberalitas. Quidni parcius dent homines toties decimati? Et nuper ob inopiam vini, ex malis vappis collecto calculo propemodum exſtinctus fui. Ad hæc cum omnis inſula per ſe relegatio quædam eſt, tum nunc bellis etiam arctius includimur, adeo ut nec Epiſtolis ſit exitus. Et video magnos rerum motus oriri, qui quorſum evaſuri ſint, incertum: utinam Deus propitius hanc orbis Chriſtiani tempeſtatem dignetur componere. Sæpe demirari ſoleo, quæ res, non dico Chriſtianos, ſed homines, huc adigat veſaniæ, ut tantis ſtudiis, tantis ſumptibus, tantis periculis in mutuam perniciem ruant. Quid enim aliud in omni vita quam belligeramur? Non belligerantur quælibet bruta, ſed feræ duntaxat: ne hæ quidem inter ſe dimicant, ſed cum diverſi generis belluis, & ſuis armis pugnant: non uti nos, arte diabolica excogitatis machinis, nec rurſum quibuslibet de cauſis, ſed aut pro fœtu, aut pro cibo. Noſtra bella pleraque vel ab ambitione, vel ab iracundia, vel à libidine, ſimilive animi morbo proficiſcuntur: denique non tot millibus conglobatis, ſicuti nos, in mutuum inſtruuntur exitium. Nobis qui *Chriſti* gloriamur cognomine, qui nihil niſi manſuetudinem & docuit, & exhibuit: qui unius corporis membra ſumus, una caro, eodem vegetamur ſpiritu, iiſdem ſacramentis alimur, eidem adhæremus capiti, ad eandem immortalitatem vocati ſumus, ſummam illam ſperamus communionem, ut ſicut *Chriſtus* & Pater unum ſunt, ita & nos unum cum illo ſimus: poteſt ne ulla hujus mundi res eſſe tanti, ut ad bellum provocet? rem adeo pernicioſam, adeo tetram, ut etiam cum juſtiſſimum eſt, tamen nulli vere bono placeat. Quæſo te, cogita per quos geritur, per homicidas, per inceſtos, per aleatores, per ſtupratores, per ſordidiſſimos conductitios milites, quibus lucellum charius eſt vita: hi in bello ſunt optimi, cum quod ante ſuo faciebant periculo, hic mercede faciant, & cum laude. Hæc hominum colluvies, in agros, in urbes recipienda, ut bellum geras. Denique his ſerviendum, dum alium ulciſci volumus. Adde nunc quot facinora belli prætextu committantur, dum inter arma ſilent leges bonæ: quot rapinæ, quot ſacrilegia, quot raptus, quot alia dedecora, quæ pudet etiam nominare. Hæc peſtis morum in multos annos duret neceſſe eſt, etiam exſtincto bello. Expende mihi nunc ſumptus, ut etiamſi vincas, multo tamen plus ſit damni quam lucri. Quanquam quo tandem regno poſſis tot millium vitam ac ſanguinem æſtimare? Atqui maxima malorum pars ad eos redit, ad quos nihil pertinet bellum, pacis commoda ad omnes perveniunt: in bello plerunque flet etiam qui vicit, tantum malorum agmen ſecum trahit, ut non ſine cauſa Poetæ finxerint bellum ab inferis per Furias immitti. Ne jam commemorem expilationem populi, ducum colluſionem, rerum commutationes, quæ nunquam ſine ſummo incommodo novari ſolent. Quod ſi gloriæ cupiditas nos trahit ad bellum, non eſt gloria quæ affectatur, præſertim ex malefactis. Et multo glorioſius eſt, civitates condere, quam evertere, ſi quid libet glorioſum deſignare. Nunc plebs exſtruit & excolit urbes, ſtultitia Principum evertit. Sin lucro ducimur, nullum bellum tam feliciter ceſſit, quin plus attulerit mali quam boni. Et nemo bello nocet hoſti, quin prius multis malis afficiat ſuos. Poſtremo, cum videamus res humanas in morem *Euripi* ſurſum ac deorſum mutari miſcerique, quorſum attinet tanto rerum molimine parare imperium, mox qualibet occaſione ad alios devolvendum? Quanto ſanguine paratum eſt *Romanum* Imperium, & quam mox cœpit concidere? Sed dices, jus Principum vindicandum eſt. Non eſt meum de Principum factis temere loqui. Hoc unum ſcio, ſæpe ſummum jus ſummam eſſe injuriam, & nonnullos eſſe Principes, qui primum, quod velint, ſtatuant: deinde titulum aliquem quærant, quo factum prætexant ſuum. Et in tantis rerum humanarum commutationibus, in tam multis pactis & ſolutis fœderibus, cui, quæſo, titulus deeſſe poſſit? Quod ſi maxima ſit altercatio, cujus ſit ditio, quid opus tanto ſanguine? Non enim agitur de ſalute populi, ſed hunc an illum debeat appellare Principem. Sunt Pontifices, ſunt Epiſcopi, ſunt prudentes & integri viri, per quos iſtiuſmodi negotiola tranſigi poſſint, ut non bellum ex bello ſeras, & divina pariter atque humana commiſceas. Hoc eſt proprium *Romani* Pontificis, hoc Cardinalium, hoc Epiſcoporum, hoc Abbatum munus, Chriſtianorum Principum diſſidia componere: hic auctoritatem ſuam proferre, & quantum pro ſua reverentia valeant, oſtendere. *Julius*, certe non ab omnibus laudatus Pontifex, potuit hanc bellorum tempeſtatem excitare; *Leo*, vir doctus, integer ac pius, ſedare non poterit? Suſcipiendi belli prætextus erat *Julius* periclitans: ſublata eſt cauſa belli, nec tamen ceſſat bellum. Ad hæc meminiſſe debemus, homines eſſe liberos, præſertim Chriſtianos: qui poſteaquam diu floruerunt ſub aliquo Principe, eumque jam agnoſcunt, quid opus eſt novandis rebus orbem commovere? Principem diuturnus conſenſus facit etiam apud Ethnicos, multo magis apud Chriſtianos, apud quos Principatus adminiſtratio eſt, non dominium; ut cui pars aliqua ditionis ſit adempta, is oneris parte levatus, non læſus eſſe videatur. At non concedit, inquis, bonorum virorum arbitrio pars altera: quid hic me vis facere? Primum, ſi vere Chriſtianus es, ferre te velim & quieſcere, & tuum illud qualecunque jus negligere. Deinde, ſi tantum vir prudens es, expende quanti conſtatura ſit tibi tui juris vindicatio: Si nimio, (& omnino nimio, ſi vindicas armis) noli tanto generis humani malo, tuum titulum, fortaſſe falſum, aſſerere, tot cædibus, tot orbitatibus, tot tuorum ſuſpiriis. Quid credis ſentire *Turcas*, cum audiunt Chriſtianos Principes tantis furiis inter ſeſe debacchari? idque tantum ob imperii titulum. Jam vindicata eſt à *Gallis Italia*. Quid actum eſt tanto ſanguine, niſi ut ubi ante *Gallus* adminiſtrabat, nunc alius quiſpiam adminiſtret? Et prius magis florebat, quam nunc floret. Sed nolim altius in hæc deſcendere. Quod ſi qua jura bellum admittunt, ea craſſa ſunt, & *Chriſtum* jam degenerantem ſapiunt, ac mundanis opibus oneratum. Et haud ſcio an omnino hæc bella probent, ſed quoties ſtudio tuendæ fidei pax Chriſtiana adverſus Barbarorum incurſus defenditur, ibi video nonnunquam à piis viris non improbatum bellum. Sed cur illa pauca nobis in mentem veniunt ab hominibus tradita, potius quam tam multa à *Chriſto*, ab Apoſtolis, ab orthodoxis ac probatiſſimis Patribus, de pace, deque malorum tolerantia dicta? Quid eſt quod non aliquo modo defendi poſſit? Præſertim ubi qui gerunt rem, ſunt ii, quorum etiam facinora per adulationem laudantur à multis, errata nemo auſit reprehendere. Sed interim obſcurum non eſt, quid precentur, quid optent, quid ſuſpirent bonæ mentes. Quod ſi propius inſpicias, pleraque privata ſunt Principum, ob quæ bellum ſuſcipitur. Quæſo te, an hoc humanum cenſes, mox orbem ad arma commoveri, quoties hic aut ille Princeps ob quidvis ſtomachatur in Principem, aut fortaſſe ſtomachum ſimulat? Nos optare poſſumus optima, ſed optare tantum. Ego certe quicquid habeo fortunæ, id habeo apud *Britannos*: verum id totum libenter reſignem, hac lege, ut inter Chriſtianos Principes Chriſtiana pax coiret. Ad eam rem non mediocre momentum tua adferet auctoritas, quæ multum apud Principem *Carolum*,

Digitized by Google

An. 1513. volum, plurimum apud *Maximilianum* valet, *Britannis* etiam proceribus gratiosa. Neque dubito quin ipse jam expertus sis, quid dispendiorum in bellis adferant etiam amici. Proinde tuum quoque negotium ages, si adniteris quo bellum hoc finem accipiat, ne tibi videare gratis hoc operæ suscepturus. In tuos complexus accurram, simul atque licebit hinc evolare. Interea bene vale, pater amplissime. *Ghisberto* medico, *Antonio Lutzenburgo*, omnia fausta lætaque precor. *Londini* 14. Martii Anno. 1513.

## EPISTOLA CXLV.

Andreas Ammonius Erasmio Rot. *S. D.*

ITA *visus mihi fuisti trans æquor properare, ut ne bidui quidem moram abs te petere fuerim ausus. Sed audendum esse video, tametsi scio non omnes esse* Roffenses, *imo vero perpaucos æque dignos, qui* Erasmo *fruantur, istam sponsionem ἄνευ τῆς ἄτης futuram nihil ambigo. Venationem tibi male cecidisse quis miretur? homini non ejusmodi saltibus venari assueto. Cæterum id tibi fœneratum dices. Nova certe μεταμόρφωσις, libros in equos vertere, sed quando video te equo egere, albo equo (scis quanti hoc olim fuerit) à me donaberis ex* Juverna *ultima advecto. Accipe qualemcunque tibi nunquam imputandum. Literæ, quas* Moro *reliquisti, redditæ mihi fuere, sat fore arbitror, prioribus ad* Leonem *literis. De tuo negotio nihil aliud, quam quod inter nos convenit, occurrit. Commentum illud constanter probo, de ejus autem cura, sane quam velim in aurem te, ut dicitur, utramque: hercle non minore studio à me curabitur, quam si de meo ipsius capite ageretur. Veruntamen celeritatem non est quod eximiam exspectes, nam itinera sunt tabellariis impedita, καὶ οἱ ῥεῖθροι multos deterrent, persuasum utcunque habe nullum me studiosissimi tui officium prætermissurum. Vale, &* Roffensi *me reverenter commenda.* Lond. *ex* Westmon. 26. Julii, Anno 1513.

## EPISTOLA CXLVI.

*Erasmus Rot. Andreæ Ammonio suo* S. D.

PRECIBVS extudit *Roffensis*, ut decem dies secum commorarer, at me sponsionis plus decies pœnituit, ut hic quoque ἀληθέσαλον senserim proverbium, ἐγγύᾳ, πάρα δ' ἄτη· interim è *Latino Græcum* reddam. Hanc μεταμόρφωσιν in me recepi. Captaram *Ursewicum* misso Novo Testamento, hac spe, ut ille mihi vicissim novum mitteret equum, quod vetus ille bibendo periret, *Flandrica* nimirum peste. At dum ille abest in venatu, mea frustra fuit venatio. Hac gratia puerum meum isthuc remisi, simulque ut te conveniat; quo si quid aliud fors in mentem venit, significes: nam hinc non discedimus ante hujus finem hebdomadis. Scripsi ad te per *Morum* discedens, relicto exemplo epistolæ ad *Leonem*, sed parum apte descripto, πρὸς τὸν Μῶρον, mi *Ammoni*: tu, quod soles, amicum præsta; ego memorem & gratum præstabo animum. Bene vale. *Roffæ* 17. Augusti, Anno 1513.

PLVRIMVM, mihi crede, gratiæ accedet, mi *Ammoni*, isti beneficio ex celeritate conficiendi: nam & citius hanc sollicitudinis nubem ex animo discutiemus: & si quid forte exstiterit Tragœdiæ, tutiores erimus. Rursum vale.

## EPISTOLA CXLVII.

*Erasmus Ammonio suo* S. D.

PLANE vapulaturus erat *Joannes* meus, ni *Morus* illi in tempore commodus patronus adfuisset. Nam is simulatque rescivit nos hæsisse *Roffæ*, accurrit, iterum visurus *Erasmum*, quem vereri videtur, ne brevi non sit visurus posthac. Is igitur famulo in consilio fuit abducendi equi, posteaquam tua sponte offerres. Video circumspectius tecum agendum: adeo captas o-

A mnem donandi ansam. Remissurus eram munus tuum, An. etiam *Moro* dissuadente, ni veritus fuissem, ne suspi- 1513.
careris aut parum mihi placere, aut me *Ammonio* parum libenter debere, cum nulli debeam libentius, ut nec amo quenquam effusius. Disperem, *Ammoni*, ni istum tuum animum tam excelsum, tamque amice amicum, pluris facio, magisque amo, quam universum strepitum Pontificiæ fortunæ: nec mihi possum unquam parum videri fortunatus, quoad istiusmodi amici erunt incolumes. Perplacet equus candore insignis, at magis animi tui candore commendatus. Malueram in alios quosdam prædonem agere, in *Eboracensem*, *Coletum*, *Ursewicum*: verum illi sapiunt, quanquam *Ursewicus* pollicetur insignem equum, nec addubito quin B sit præstiturus, idque ad Calendas non *Græcas*, sed Octobres. Bene vale, doctissime & idem humanissime *Ammoni*. E *Brabantia* scribam *Eboracensi* & *Larcho*. *Roffa* 22. Augusti, Anno 1513.

## EPISTOLA CXLVIII.

*Erasmus Rot. Henrico Bovillo suo.*

EX tuis literis satis intelligo meas, quas apud *Thomam Morum Londini* reliqueram, tibi nondum esse redditas. Veterem istum erga nos animum, mi *Boville*, libens & agnosco & exosculor. Atque utinam liceat ad pristinam vitæ consuetudinem, ac multo jucundissimam studiorum societatem aliquando redire. *Lovanii* sumus hyematuri. Tu interim quid è re sit tua, dispicito. Novum Testamentum, nostra instauratum industria, probari isthic ab optimis quibusque, imo ab omnibus, qui (ut scribis) sani gustus sunt, sane gaudeo. Quanquam narrarunt mihi quidam, πάνυ ἀξιόπιστοι, unum apud vos esse collegium θεολογικώτατον, quod meros habet *Areopagitas*: qui gravi senatusconsulto caverint, ne quis id volumen, equis, aut navibus, aut plaustris, aut bajulis, intra ejus collegii pomœria inveheret. Obsecro, *Boville* doctissime, hæc utrum ridenda sunt, an deploranda? O homines studio pravos, D & sibiipsis iniquos & iratos, suis ipsorum commoditatibus invidentes! Quod genus hoc hominum, usque adeo morosum, ut officiis irritentur, quibus mansuescunt & feræ belluæ: tam implacabile, ut eos nec tam multæ apologiæ lenire possint? imo (quod est impudentius) isti damnant ac lacerant librum, quem ne legerint quidem, alioqui nec intellecturi si legant. Tantum audierunt inter cyathos, aut in conciliabulis fori, prodisse novum opus, quod omnibus Theologis, ceu cornicibus, oculos tentet configere: ac mox meris convitiis insectantur, & auctorem qui tantis vigiliis, studiis omnium prodesse studuerit, & librum, unde poterant proficere. Istuc vero Philosophicum est aut E Theologicum? Pestilens quædam res sit oportet Philosophia, si tales reddit; inefficax ac diluta, si tales non mutat. Jam non refellunt & corrigunt, quæ perperam à nobis scripta censeant; sed hoc ipsum damnant scripsisse. Fas esse negant tentare quicquam hujusmodi, nisi ex auctoritate Concilii generalis. At istoc quid iniquius? Ipsi quotidie depravant sacros codices, sola insciticia ac temeritate in consilium adhibita: nobis non licebit ex veterum sententia restituere quod corruptum est, nisi totius orbis Christiani convocato Concilio? Adeo pejorem volunt esse conditionem mendum submoventis, quam invehentis, bene merentis sua industria, quam male merentis sua incogitantia. Verum, illud F mihi respondeant velim, hæc ipsa quæ illis tantopere placet editio, utrum ab interprete suscepta fuerit ex auctoritate Concilii generalis: an prius edita, ac deinde judicio Patrum comprobata. Prius scriptam opinor, postea comprobatam. Atqui idem potest in hac mea evenire, quod ipse tamen, nec ambio, nec postulo. Tametsi ne id quidem concesserim. Mihi magis videtur usu irrepsisse, ac paulatim progressu temporis collegisse robur. Alioqui si publico Concilii judicio fuisset approbata, traditaque, omnes ea communiter

Digitized by Google

An. 1513. niter usi fuissent. Nunc aliud citat *Ambrosius*, aliud *Augustinus*, aliud *Hilarius*, aliud *Hieronymus*. Imo nec hujus ætatis exemplaria consentiunt. Quod si protinus actum putant de religione Christiana, si quid usquam variet, etiamsi nos dormissemus, jam illi periculo eramus obnoxii. At utuntur, inquiunt, hac editione Patrum Synodi. Veteres ne, an recentiores? Aut cur minus valere debeat veterum Conciliorum usus, quam recentium? maxime, quod ad hanc rem pertineat. Quanquam illud erat docendum, ea, quæ citantur in Conciliorum actis, à nostra emendatione dissidere. Quid quod pleraque Synodorum acta Græco sermone prodita fuerunt? Denique fieri potuit, ut aliter ab illis citata, mutarit aliquis ad hanc nostram editionem, id quod quotidie deprehendimus factum in *Hieronymianis* & *Ambrosianis* Commentariis. Ante annos ferme viginti *Lutetiæ* formis excudebantur sacrificiorum, ac precum horariarum codices, juxta ritum Ecclesiæ *Trevirensis*. At opifex, qui literas gustarat modo, cum sentiret pleraque dissonare, correxit omnia ad hanc nostram editionem; idque ipse mihi confessus est, arbitratus se rem præclaram moliri. Jam non arbitror absurdum, si quid etiam fugiat generale Concilium, in his præsertim, quæ non attinent ad necessitatem salutis. Satis est hoc reprehendi non posse, quod agitur in Synodo. Postremo, quam ob rem magis trepidamus, si quid secus lectum fuerit in divinis Libris, quam si quid secus enarratum? Certe utrobique par discrimen. Atqui videmus interpretes non modo diversa, verum etiam pugnantia dicere sæpenumero. Quin & illud dilemma, si possint, explicent: Utrum permittunt aliquid novari in sacris Libris, an omnino nihil? Si quicquam permittunt, cur non excutiunt potius, recte mutatum sit, nec ne? Sin minus, quid facient illis locis, in quibus mendum inesse manifestius est, quam ut negari, dissimularive possit An hic sacrificum illum malunt imitari, qui suum *mumpsimus*, quo fuerat viginti usus annos mutare noluit, admonitus à quopiam *sumpsimus* esse legendum? Vociferantur ἡ χειλιάζουσιν, ô cœlum, ô terra, corrigit hic Euangelia! At quanto justius exclamandum erat in corruptorem, ô sacrilegium, depravat hic Euangelia! Neque enim nos novam prodimus editionem, sed veterem pro virili restituimus, at ita ut hanc novam non labefactemus. Qui pro hac nova tanquam pro aris ac focis dimicant, habent quod amplectuntur, nihil illis perit, aliquid de lucro accessit. Hanc, quam adamant, emendatius legent posthac, & rectius intelligent. Quid si Libros divinos omnes paraphrasi explanassem, quo possent incolumi sententia & legi inoffensius, & percipi facilius: num isti dicam mihi scriberent? Laudem etiam promeruit *Juvencus*, qui Euangelicam historiam ausus est versibus includere. Quis in jus vocat eximium Theologum *Ægidium Delphum*, qui totum ferme divinæ Scripturæ corpus carmine complexus est? Canuntur in templis quotidie juxta veterem editionem Psalmi: & tamen exstat divi *Hieronymi* recognitio; exstat ejusdem juxta veritatem Hebraicam interpretatio. Illa leguntur in choris, hæc in scholis aut domi. Neutra alteris officiunt. Atque adeo nuper, *Felix Pratensis* Psalterii totius novam edidit interpretationem, ab omnibus superioribus admodum dissidentem. Quis huic unquam movit tragœdias? *Jacobus Faber Stapulensis*, amicus noster, dudum id fecit in *Paulum*, quod ego in totum novum Instrumentum. Cur hic demum tanquam ad rem novam commoventur quidam? An aliis omnibus istud licere volunt, mihi uni non volunt? Atqui *Stapulensis* non paulo plus ausus est, quam ego. Ille suam interpretationem veteri opposuit, idque in Academiarum omnium regina *Lutetia:* ego recognitorem modo professus, locos aliquot aut corrigo, aut explico. Nec hoc dixerim, quo *Fabrum* in communem invidiam vocem: nam vir ille jampridem gloria superavit invidiam; sed ut palam faciam, quam inique faciunt quidam, qui quod jamdiu est à multis factitatum citra calumniam, in me veluti subitum ac novum calumniantur. Quid decessit *Aristotelicis*, posteaquam *Argyropylus*, *Leonardus Aretinus*, & *Theodorus Gaza* novam editionem produxerunt? Num ideo supprimenda, aut abolenda censebitur horum interpretatio, ne superiores illi *Aristotelicæ* Philosophiæ Professores quædam ignorasse videantur? Num ea res *Guilielmum Copum* à vertendis *Galeni* & *Hippocratis* voluminibus deterret, ne mundus intelligat superiores medicos multa perperam interpretatos? Dixerit aliquis, In humanis disciplinis expedit, in divinis Libris idem passim & à quibuslibet fieri, grave periculum est. Principio, nec passim muto, nam summa constat: de locis modo aliquot disceptatio est. Nec omnino opinor, certe quod ad hanc rem pertinet, de media plebe censendus sum. Ostendo locis aliquot lapsum esse *Hilarium*, lapsum *Augustinum*, lapsum *Thomam:* idque facio, sicut oportet, reverenter, citraque contumeliam: adeo ut si viverent ipsi, mihi qualicunque sic admonenti gratiam habituri sint. Summi erant homines, sed tamen homines erant. Demonstrent isti, eos recte sensisse, meque refellant argumentis, non convitiis, & apud me magnam inierint gratiam. Qui quicquid *Lyranus* scripserit oraculi instar haberi volunt, tueantur illum in illis locis, in quibus ab eo dissentio. Nam in *Hugone* quærere quod reprehendas, stultissimum arbitror. Paucula tantum annotavi; sed insigniter absurda, quo nimirum cautiores redderem eos, qui hujusmodi Scriptores, summa fiducia, nullo judicio legunt. Et tamen qui hujusmodi tribuunt omnia, defendant suos amasios, doceant nos hallucinatos, illos attigisse scopum. Sed indignum se judicant, ad istas Grammaticorum minutias descendere. Sic enim vocare solent eos, qui bonas didicere Literas, atrox esse convitium existimantes, Grammatici cognomen. Quasi vero laudi vertendum sit Theologo, si Grammaticen nesciat. Non facit Theologum sola Grammaticæ cognitio. At multo minus Theologum facit ignorata Grammatica: certe conducit ad Theologiæ cognitionem hujus disciplinæ peritia, officit imperitia. Neque negari potest, *Hieronymum*, *Ambrosium*, *Augustinum*, quorum auctoritate potissimum res Theologica nititur, ex hoc Grammaticorum ordine fuisse. Quandoquidem id temporis nec *Aristoteles* etiamnum in Theologorum scholas erat receptus: & hæc Philosophia, qua nunc in scholis utuntur, nondum erat nata. Quanquam modesti hominis est, à quocunque libenter admoneri. Cæcus uti si monstret iter, tamen adspice, inquit *Flaccus*. Jam nec hi, qui totum hoc negotium non ad judicium, sed auctoritatem vocant, multum habent, quod in me desiderent. Siquidem cautum esse constat in hac Synodo *Lateranensi*, ut liber edatur ab ordinario comprobatus, aut ab iis, quibus ille suas vices delegarit. At opus nostrum, & scriptum, & editum est, teste & approbante ejus loci Episcopo: neque quovis Episcopo, sed præter ætatis reverentiam, præter imaginum commendationem, singulari vitæ integritate, raraque doctrina, insigni. Nec is vero comprobavit modo, verum etiam nihil non detulit, si secum manere voluissem. Et abeuntem, tantis officiis, tanta munificentia prosecutus est vir incomparabilis, ut me referre pudeat. Ac ne his quidem contentus, ultro scriptis ad Archiepiscopum *Cantuariensem* literis tum me honorificentissime commendavit, tum illi meo nomine gratias egit. Itaque si non à Synodo, certe juxta Synodi constitutionem approbatus est labor meus. Talis est auctor, ut unus plurimorum instar haberi debeat: & hoc plus etiam ponderis habere debet illius suffragium, quod nec precibus, nec ullis obsequiis impetratum, sed ultro ac pene fugitanti delatum sit. Quod si cui parum gravis est unius hominis auctoritas, Episcopi judicio subscripsere duo Theologiæ Professores, sed omnium longe principes; *Ludovicus Berus*, vir, id quod constat, omnibus virtutum ac disciplinarum ornamentis cumulatus; tum autem in Theologica palæstra sic exercitatus, ut apud



Digitized by Google

An. 1513. *Parisios*, inter eos, qui Doctoris titulo insigniebantur, primum meruerit locum. Huic adeo displicuit opus nostrum, ut fortunas suas omnes, quas habet amplissimas, mihi communes detulerit. E duabus Præbendis, quas habet, alteram ultro in manum dederit. Ad hæc *Fabritius Capito*, ob insignem Theologiæ cognitionem, in *Basileensis* Ecclesiæ Collegium cooptatus, ubi publicum concionatorem agit, vir, præter alias egregias disciplinas, trium linguarum non vulgariter peritus, Græcæ, Latinæ & Hebraicæ. Denique vita tam integra, moribus tam piis, ut nihil unquam viderim incorruptius. His testibus liber est editus, quorum judicio nihil addubitaret, quamlibet gravi in re, fidere Episcopus, si ipse parum certo esset judicio. Neque tamen quisquam cæterorum Theologorum damnavit opus nostrum. Tantum deplorabant nonnulli se pueros non didicisse Græce, & sibi sero librum eum prodisse in lucem. Referre poteram, quid venerandus ille Prior *Cartusiensis* apud *Friburgum*, *Gregorius Reischius*, cujus sententia apud *Germanos* oraculi pondus habet: quid eximius ille Theologus *Jacobus Wimphelingius*, de nostra senserit editione. Proferre poteram innumeras Epistolas insignium virorum, quibus mihi gratias agunt, quod ex meis lucubrationibus, præcipue quas in Novum edidi Testamentum, & meliores evaserint, & eruditiores, ni vererer, ne quis hæc à me glorioſius dici putare posset, quam verius. Et tamen qui in *Germania* mecum egerunt consuetudinem, & quibus in *Anglia* res omnes meæ perinde ut mihi notæ sunt, norunt quam parce hæc attigerim, nimirum invitus: partim quod à nulla re magis abhorream, quam à jactantia; partim quod nolim amicorum cuiquam, quicquam ex me invidiæ accidere. Nam ut de aliis taceam, scis ipse, mi *Boville*, cujusmodi vir sit egregius ille Præsul *Roffensis*, vestræ Academiæ Cancellarius, sive virtutem ac pietatem spectes, sive doctrinam. Et non pudet istos tenebriones convitiis insectari, quod ille tantus heros approbat ac legit? Imo non pudet τελοβόλως ἀνθρωπίσκους suo arbitratu lacerare, quod ipse summus approbat Pontifex: nam ni mea probaret, non utique scripsisset, se maximi muneris loco habiturum, si studiorum meorum proventum omnem suo dicarem nomini. Plus quam approbat, qui præmium etiam pollicetur. Ostenderam illi literis meis quid molirer; explorans, num sibi cuperet inscribi. Ille protinus unicam Epistolam duabus pensavit: altera meæ respondet, & amanter, & honorifice, & erudite; altera me, meaque studia sereniſſimo *Anglorum* Regi commendat, quam diligenter, quamque effuse, probabis ipse. Nam exemplar utriusque una cum hisce literis ad te misi. Responderat uterque Cardinalis, nimirum *Grymanus*, & *Georgianus*: verum eas literas *Andreas Ammonius*, præcipuum quoddam vestræ *Britanniæ* ornamentum, ad *Richardum Pacæum* misit: qui sui Regis nomine apud *Helvetios* & MAXIMILIANVM legatione fungitur: ut per eum mihi redderentur, id temporis *Basileæ* agenti, quas hactenus tamen non recepi. Misimus hyeme proxima volumen unum *Leoni*, cui dicatum est: quod si redditum est, nihil addubito, quin ille summis præmiis sit vigilias nostras proseeuturus. Quid supereſt igitur, quod isti in me desiderent? Nec primus, nec temere negotium hoc aggressus sum. Secutus sum Synodi constitutionem. Approbant si non omnes, certe primi. Si quid illic impium esset, displiceret piis: si nihil eruditionis, rejicerent eruditi. At nulli magis amplectuntur, quam hi quos & insignis vitæ sanctimonia, & eruditio non vulgaris commendat. Si quem magis movet doctrina, probatur à doctissimis: si integritas, probatur ab integerrimis: si auctoritas, probatur ab Episcopis, ab Archiepiscopis, ab ipso summo Pontifice. Neque quicquam tamen horum mihi prosit suffragium: si compertum fuerit, me cujusquam omnium ambisse favorem. Quicquid hic datum est, rei datum est, non homini. Hæc tam multa non impetrant ab istis: ut quod male didicerunt, velint dedisce. An verentur ne ad hæc avocatis juvenibus, frigeant istorum scholæ? Cur non illud potius perpendunt secum. Ante annos ferme triginta, nihil tradebatur in schola *Cantabrigiensi*, præter *Alexandrum*, *parva logicalia*, ut vocant, & vetera illa *Aristotelis* dictata, *Scoticasque* quæstiones. Progressu temporis accesserunt bonæ literæ: accessit Matheseos cognitio: accessit novus, aut certe novatus, *Aristoteles*: accessit Græcarum literarum peritia: accesserunt auctores tam multi; quorum olim ne nomina quidem tenebantur, nec à summatibus illis Iarchis. Quæso, quid hisce ex rebus accidit Academiæ vestræ? nempe sic efflоruit, ut cum primis hujus seculi scholis certare possit: & tales habet viros, ad quos veteres illi collati umbræ Theologorum videantur, non Theologi. Non inficiantur id majores, si qui sunt ingenio candido. Aliis suam felicitatem gratulantur, suam complorant infelicitatem. An hoc istos male habet, quod posthac & plures legent Euangelicas, Apostolicasque literas, & attentius: & vel hoc temporis his studiis decidi dolent, quibus omne tempus oportebat impartiri; malintque universam ætatem in quæstionum frivolis argutiis conteri? Atqui hoc sane nomine non admodum pœnitet me mearum vigiliarum. Compertum est hactenus quosdam fuisse Theologos, qui adeo nunquam legerant divinas Literas: ut nec ipsos sententiarum libros evolverent, neque quicquam omnino attingerent, præter quæstionum gryphos. An non expedit ejusmodi ad ipsos revocari fontes? Ego, mi *Boville*, labores, quos certe non mediocres omnibus juvandis suscepi, cupiam omnibus esse frugiferos. Nam præmii summam ab ipso *Christo* exspecto, tantum ut promerear: verum si fieri non potest ut omnibus probemur, hoc interim me consolatur, quod ubique ferme probamur à probatissimis. Et spero futurum, ut quod nunc placet optimis, mox placeat plurimis. Aliis gratiam conciliavit novitas, at huic operi novitas invidiam peperit. Proinde diversum opinor accidet. Illis ætas favorem adimit, mihi fortassis apponet. Illud certe præsagio, de meis lucubrationibus, qualecunque sunt, candidius judicaturam posteritatem. Tametsi nec de meo seculo queri possum. Plus mihi tribuit, non dico, quam postulem, sed quam aut merear, aut tueri queam. Cum enim sint tam varia, tamque fastidiosa mortalium judicia, præsertim in literis, meis tamen scriptis, non impiis quidem illis, sed parum eruditis, si cum aliorum libris conferas, nemo detraxit hactenus; nisi pauculi quidam, sed adeo morosi, ut nihil omnino probent, nisi quod ipsi faciunt: aut adeo stupidi, ut nihil sentiant: aut adeo supini, ut nec legant quod carpunt: aut adeo indocti, ut nihil judicent: aut adeo gloriæ jejuni, avidique, ut carpendis aliorum laboribus sibi laudem parent: & sunt ex hoc numero, qui foris damnant & rejiciunt, quod domi legunt ac probant. Fortasse pudoris est, dissimulare per quos profeceris; sed tamen ingrati pudoris & illiberalis. At eorum in publico lacerare famam, quorum sudoribus domi juvaris, id vero longissime abest ab omni humanitate. Quanquam hoc quoque devorandum ei, qui CHRISTO militet. Quod concionaris apud populum, probo tuum institutum; quod succedit, gratulor, præsertim cum CHRISTVM pure doceas, non hominum jactes, aut ostentes, argutias. De puero quod scribis, dicam paucis: Mihi uno plus satis est, tantum abest, ut pluribus onerari velim. Salutabis diligenter meis verbis amicos, quos animo mecum circumfero, Doctorem *Phaunum*, doctissimum *Joannem Brianum*, humanissimum *Joannem Vachanum*, officiosissimum *Omfridum*, ac veterem hospitem meum *Gerardum* Bibliopolam, nam *Watsonum* audio abesse. Bene vale, doctissime *Boville*. *Roffæ* in ædibus Episcopi 31. Augusti, Anno 1513.



Digitized by Google

## EPISTOLA CXLIX.

*Erasmus Joanni Coleto* S. D.

An. 1513. MITTO quæ petis, Officium *Chrysostomi*, & Epistolam: in qua, ni fallor, erunt quæ non probabis, propterea quod tu rationem & artem contemnis: ego his nonnihil tribuo, præsertim in præceptore. De *Linacro* cave ne cui temere credas: nam ego certis argumentis habeo compertum, illum observantissimo in te esse animo; & de rejecta grammatica non magnopere laborare: quanquam id est hominum ingenium, ut suis quisque scriptis, ceu parentes filiis, impensius faveant. Quod si quid etiam ea res hominem movet, tuæ dexteritatis erit dissimulare, neque refricare eam cicatricem, vultuque & consuetudinis alacritate magis quam excusatione, præcipue per alios facta, revocare: hoc pacto, si quid illi dolet, tempore sensim evanescet. Sed næ ego egregie impudens, qui hæc tibi, hoc est, sus *Minervæ*. Nondum occurrit, quem existimem idoneum hypodidascalum tuæ scholæ: pergam inquirere, & simulatque reperero, certiorem te faciam. Bene vale, præceptor optime.

Est hic mihi nonnunquam dimicatio pro te cum his *Thomistis* & *Scotistis*, sed de his coram. Cœpi vertere *Basilium* in *Esaiam*, mihi quidem opus valde placet. Exhibebo gustum Episcopo *Roffensi*, experiarque, num is velit hos labores nostros aliquo præmiolo lenire. O mendicitatem! jam rides, sat scio. At ego meipsum odi, planeque decretum est, aut aliquam nanciscì fortunam, quæ me ab his mendicabulis eximat, aut prorsus *Diogenem* imitari. Rursum vale. *Cantabrigiæ* 13. Septemb.

Si quas pecunias habes in manibus, in hoc commissas, ut dentur in subsidium, rogo mittas aliquot nobiles *Richardo Croco*, quondam ministro ac discipulo *Grocini*, qui nunc *Parisiis* dat operam bonis literis. Juvenis est bonæ spei, & in quem recte beneficium collocaveris, nisi me plane fallit animus. Rursum vale, unice præceptor. Anno 1513.

## EPISTOLA CL.

*Erasmus Rot. Joanni Coleto* S. D.

IN absolvenda *Copia* mea nunc sum totus, ut jam ænigmatis instar videri possit me simul & in media *Copia*, & in summa versari inopia. Atque utinam liceat utranque pariter finire: nam *Copiæ* brevi finem imponam, si modo Musæ melius fortunarint studia, quam hactenus Fortuna rem. Atque id quidem in causa fuit, quo & brevius, & indiligentius tuis literis responderim. Cum *Scotistis*, invictissimo hominum genere, & quo non aliud felicius sibi placeat, non admodum dimico, ne oleum perdam, & operam; tum autem crabrones irritem. A *Basilio* vertendo propemodum alienatus est animus, non tantum ob id, quod subolet aliquot conjecturis opus non esse germanum, verum etiam quod Episcopus *Roffensis*, ad quem degustationem misi institutæ translationis, Epistola testatus, me hoc agere, ut *Basilius* illius auspiciis, atque adeo ut ex illius Academia in manus *Latinorum* veniret, visus sit non admodum avidus: & ut ex amico quodam cognovi, suspicatur me non vertere è *Græco*, sed ab alio versum expolire. Quid non venit in mentem hominibus? Quod de *Diogene* rides, equidem gaudeo me tibi quoquo pacto voluptati esse. At ego serio *Diogenem* agam, si pergat Fortuna: non ut mihi Rex Regum maximus videar, sed ut plane vitam ipsam contemnam: alioqui quid aliud sit hac ætate, atque hac valetudine, *Diogenem* agere? Quid autem non postea contemnat, qui vitam negligat? Verum id quovis loco licebit vel apud *Garamantes*: tametsi hoc quoque felicius cessurum arbitror, quam hanc ambitionem multo infeliciissimam, etiamsi fœda non esset. De *Croco* scripsi, non quod mihi persuasum esset, apud te pecunias esse alienas, ut quem sciam & ultro traditas abjecisse, sed existimabam in *Anglum* te libentius collocaturum, si quid forte esset: præterea in juvenem rectius etiam collocari beneficium, si modo bonæ sit spei: & destituitur ille à nonnullis, qui promiserant subsidium. Porro quod mihi tuas offers pecunias, agnosco veterem tuum in me animum, & gratiam habeo quam possum maximam. Sed pupugit nonnihil animum meum verbum illud, quamlibet joco dictum, *Si humiliter mendicaveris*: fortasse significas, & vere significas, quod sortem nostram tam iniquo ferimus animo, id totum ab humana superbia proficisci: nam vere mitis animus & *Christianus* omnia boni consulit. Hoc magis admiror, quo modo humilitatem cum inverecundia copularis. Sic enim scribis, *Si humiliter mendicaveris, & si inverecunde petas*. Nam si vulgari more humilitatem vocas, quæ pugnet cum arrogantia, quî convenit impudentiæ & modestiæ? Sin humiliter appellas serviliter atque abjecte, longe dissentis à *Seneca*, mi *Colete*, qui putat nihil constare charius, quam quod precibus emitur: nec eum omnino amici officio fungi, qui ab amico verbum illud humile, *rogo*, exspectat. *Socrates* aliquando cum amicis confabulans, *Emissem*, inquit, *hodie pallium, nisi mihi pecunia defuisset. Sero dedit*, inquit *Seneca, qui post hanc vocem dedit*. Alius quidam amico cum & egeret & ægrotaret, utrunque tamen pudore quodam dissimulanti, pecuniam sub cervicale dormienti subjecit. Ego cum hæc adolescens legerem, mirum quam alterius verecundiæ faverim, alterius candorem amaverim. Sed obsecro, quid me potest esse inverecundius, aut quid abjectius, qui jam diu publice mendicem in *Anglia*? Ab Archiepiscopo tantum accepi, ut plusquam improbissimum sit, ab eo quicquam, etiamsi offerat, accipere. Ab *N.* satis audacter petii, at ille impudenter rogantem, impudentius repulit. Jam etiam *Linacro* nostro videor parum verecundus, qui cum sciret me *Londino* discedere, vix sex instructum angelatis, & valetudinem optime norit, ad hæc instantem hyemem: tamen sedulo monet, uti parcam Archiepiscopo, uti parcam *Montjoio*. Sed ipse potius me contraham, & assuescam fortiter ferre paupertatem. O amicum consilium! Atqui hoc nomine vel maxime odi fortunam meam, per quam non liceat esse verecundum. Cum vires ferrent, libebat dissimulare inopiam: nunc non licet, nisi libeat & vitam negligere; quanquam non usque adeo perfricui faciem, ut omnia petam ab omnibus. A cæteris ne frustra petam: à te vero qua fronte, quæso, petam? præsertim cum ipse hoc opum genere non admodum abundes? Attamen si tibi probatur inverecundia, finiam Epistolam clausula, quam possum, impudentissima. Nec adeo possum perfricare faciem, ut nullo titulo abs te petam: nec adeo superbus tamen sum, ut munus rejiciam, si quis talis amicus libenter dederit, præsertim hoc rerum statu. Vale.

Sum oblitus brevitatis, quam proposueram. Venit in mentem quiddam, quod ridebis, scio. Cum inter magistros aliquot proponerem de hypodidascalo, quidam non infimæ opinionis subridens: *Quis*, inquit, *sustineat in ea schola vitam agere inter pueros, qui posset ubivis quomodocunque vivere*? Respondi modestius, hoc munus mihi videri vel in primis honestum, bonis moribus ac literis instituere juventutem, neque *Christum* eam ætatem contempsisse, & in nullam rectius collocari beneficium, & nusquam exspectari fructum uberiorem, utpote cum illa sit seges ac sylva Reip. Addidi, si qui sint homines vere pii, eos in hac esse sententia, ut putent sese nullo officio magis demereri Deum, quam si pueros trahant ad *Christum*. Atque is corrugato naso, subsannans: Si quis, inquit, velit omnino servire *Christo*, ingrediatur monasterium ac religionem. Respondi, *Paulum* in charitatis officiis ponere veram religionem: charitatem autem in hoc esse, ut proximis quam maxime prosimus. Rejecit hoc tanquam imperite dictum. *Ecce*; in-

Digitized by Google

KONINKLIJKE
BIBLIOTHEEK

Digitized by Google

Digitized by Google

An. 1513. inquit, *nos reliquimus omnia*, in hoc est perfectio. Non reliquit, inquam, omnia, qui cum possit plurimis prodesse labore suo, detrectat officium, quod humilius habeatur. Atque ita, ne lis oriretur, hominem dimisi. Vides sapientiam *Scotisticam*, & habes dialogum. Rursum vale. *Cantabrigiæ* 29. Octobr. An. 1513.

## EPISTOLA CLI.

*Erasmus Rot. Andreæ Ammonio* S. D.

MALE precor isti τῷ δ' ἀρχιερέως secessui, qui meam remoratus sit felicitatem. Crede mihi, optime *Ammoni*, nunc ἱερὰ ἡμῖν κεχάλασαι ἄγκυρα, καὶ πᾶς ἔρριπται κύβος· qui si parum ex sententia ceciderit, πέπρωται· si succedit, debebo summam tuo animo & humanissimi *Wigornienſis*: sin minus, agnoscam familiarem illum & nimium mihi notum genium meum. Præbendam arte conflavi in pensionem. Quod hortaris, ut *Jovem* propius adeam, enitar, ac tum magis, ubi certum vigilans audiero oraculum, unde rerum mearum summa pendet. Scis quam sim crassus, in hisce præsertim rebus. Quod si quid censes faciendum mihi, quod gratum futurum sit *Wigornienſi*, quæso submoneas. Itidem ne quid addubites σοὶ τὰ χρημάτων· etiamsi destituat ὁ Καισαρίων ἐκεῖνος, sunt hic à quibus unico nutu possim impetrare. Maximum hic in præsentia rerum omnium aucupium est: at ego nunc ἄχειρός εἰμι. Hoc male me habet. *Italos*, *Hispanos*, *Getas*, *Danos* candidiores experior in me, quam meos: famelicum hominum genus, & soli ventri natum. Cancellario debeo plurimum: at non ego solum, verum omnis hæc regio. *Tonstalli* consuetudinem merito mihi gratularis: nihil adhuc expertus sum hoc homine amicius. Ei legi tuam illam majorem Epistolam: magnopere delectatus est ingenio tuo. Mihi subinvidere visus est, quod tu illi tam λακωνικῶς scripseris: sed eum excusarem occupationes tuas, facillime accepit. Τὸν λύκον jam reliqueram, *Carmelitam* βλάσφημον semper neglexi, & tamen à canibus, ut scribis, accipietur & ille, ut dignus est. Volumina *Hieronymi* jam hic divendita sunt. *Franciscus* affirmat se duo millia florenorum fuisse lucraturum, si majorem codicum vim deportasset. Quid ego audio? toties *Romæ* morior & reviviſco? Quis istuc *Virbius* aut *Theseus* potuit? Sed ita demum mihi videbor revixisse, si quod agimus successerit. Tu, mi *Ammoni*, περάτις ὁ περάτεις, & *Æsculapium* age. Bene vale. *Bruxellis* 9. Novemb. Anno 1513.

## EPISTOLA CLII.

Udalricus Zasius Erasmo Rot. *S.*

NOLI *mirari*, Erasme, *ter maxime heros, si rarius ad te literas dedero: imo magis mirabere, quod aliquas usquam dedi, ita ad augusta illa tua nomina & oculos præstringor, & mentem. Quem enim* Platones *ipsi*, Cicerones, Fabii, *suorum ordini inseruissent, suis fuissent sedibus dignati, nos elingues, infantes, barbari, quo loco, quo honore, qua venerantia prosequemur? Profecto nisi tua me animasset admirabilis humanitas, quam noster ille* Bonifacius Amorbachius, *adolescens virtute & doctrina clarus, prædicare non cessat, nisi optatissimi tui muneris, quo me ornasti, beneficentia invitaret, quin potius perurgeret, manum calamo (quod boni consulas) prorsus abstinuissem. Mediocris enim ista mea literatio, si in optimis doctrinis perquam exigua mihi contulit, ea me certe discretione instruxit, ut noscam homo infans non ita magnorum heroum auribus esse coram obstrependum, sicut absentium laudes prædicandæ, quod hoc omnibus licuerit, illud non nisi doctrina politioris gradu receptis. Proinde si sileo, veneratio me tui elinguat, nulla abflectit ingratitudo. Equidem ubi ubi gentium degam, quoquo proficiscar, multus mihi in ore, multus fando* Erasmus *versatur. Hujus eminentiam circumfero: hunc mea quamlibet exigua prædicatione celebro: ejus venerandam & omni ætati admirabilem doctrinam extollo, pro numine adorandam jubeo: non hominem esse terrenum, sed ignem de cælo sumptum defendo: hoc doctissimus nostra ætate Jurisconsultus* Pius Hieronymus Balduginus, *Cæsareæ majestatis Consiliarius principalis consistorii, provinciæ nostræ regens testabitur: ad cujus ut veteris amici cœnam, cum hoc dierum in oppido* Ensishem *(ibi enim moratur) vocatus adessem, tuas incomparabiles dotes (quod semper facio) in partem epularum citavi: atque ita citavi, ut cum ipsa ultro cœna omne genus ferculis splenderet, tua tamen nomina splendori auctarium & quidem memorabile adderent. Ignoravit* Hieronymus *te tam vicinum nobis agere, imprecarique Fortuna videbatur, quod ea res tam diu eum (quod minime decebat) latuisset. Is cupit tibi esse notior, amicus esse desiderat: in tuas ardet literas, quibus ut eum impertias & rogo & horter. Vir est & Juris peritissimus & insuper omnibus humanitatis studiis ex pari doctus: &, ut verbo dicam, eum comperies* Hieronymum, *quo pro ratione ætatis, necdum enim tricesimum annum agit, vix alium* Germania *nostra superior exhibebit. Quod ad me attinet, ita Zasio utitor, ut servo à pedibus. Jam enim me candidiori hostia litasse putabo, si me dignum haberi sensero, ut vel inter calunculos tuos dinumerer. Glossæ, quas in certas Juris Civilis partes meditor: Summa Digesti veteris, cui jam prope summa manus imposita est: intellectuum Juris Civilis veritas, qua contra communia doctorum sensa propediem prodetur: de Advocatis opus non pœnitendum, quæ omnia pari sub incude sudant: ea de te prædicabunt, quæ ne coram scribam, & modestia prohibet, & terret pudor. Vale, decus doctrinarum, quod simile vix aliqua videbit posteritas. Ex* Friburgo 22. *Decembr. Anno* 1513.

## EPISTOLA CLIII.

*Gerardo Noviomago Erasmus Rot.* S. D.

QUID tibi imprecer, mi *Gerarde*, dignum istis tuis factis? precor ut brevi magno aliquo sacerdotio onereris. Dixeras, at non solus, *R.* Præsulem nostrum non ante quartum aut quintum diem abiturum: ego juxta vulgarem morem eum numerum conduplicabam, existimans ante octavum diem non mutaturum locum, & erat hic quod agerem. Videbam occupatissimo Principi non vacare tum temporis, præsagiebam vos sero pransuros, & mihi jam stomachus latrabat. Proinde subduxi me, testatus apud te, domi exspectaturum eo die, si quid juberet. Nihil denunciatum est, postridie mane transcurro *Lovanium*, quod arbitrarer haud multum interesse, hic, an istic agerem, quod ad conveniendum Præsulem attinet. Relinquo domi Epistolium, quo testatus sum me ad omnem nutum paratum fore. Hodie propemodum decreveram recurrere, & ecce *Paludanus*, vetus compotor tuus, nunciat hodie dominum proficisci; quod si verum est, egregium patronum agas oportet, ne quid secus suspicetur ille quam res est: imo tu potissimum in jus vocandus, in te cudenda faba, qui me tuis dictis fefelleris. Crede mihi, mi *Noviomage*, nullus est in orbe Princeps, cui magis ex animo cupiam gratificari, quam *Philippo* Præsuli, non solum ob id quod illius subsim ditioni, verum etiam quod eximius sit modis omnibus, quod nostro faveat ingeniolo: denique tacito quodam & arcano sensu mentis ad eum observandum impellor. Aulicis officiis haud sane multum valeo: cæterum qua valeo, declaraturus sum quantopere celsitudinem illius & suspiciam & amem. Id nolim mihi credi, ni propediem ipsa re comprobaro. Non ausus sum ipsum toties meis Epistolis interpellare: tu fac apud illum mihi Epistolæ sis vice. Si vocat, advolabo, sin minus, hoc impensius maturabo profectionem, quo liceat redire celerius. Arbitror me reducem fore ante mensem Octobrem: tum extricatus his spinetis Theologicis, vacuo tranquilloque animo Musis & amicis vacabo. Neque susciperem

An. 1513.

An. 1514.



Digitized by Google

An. 1514 hoc iter periculosissimum, ni me ratio famæ compelleret. Ubicunque gentium futurus est *Erasmus*, certum polliceor, & Præsulis celsitudo clientulum habitura est, ex animo deditum, addictumque, & tua sanctitas amiculum minime fucatum. Bene vale, patrone optime. *Lovanio* 17. Aprilis, Anno 1514

## Epistola CLIV.

*Erasmus Petro Ægidio* S. D.

Nihil unquam mihi accidit, mi *Petre*, tuis literis mellitius: ad quas si breviter respondeo, facile tu quidem ignoscis, si scias quantis studiorum laboribus pene confectus essem: à quibus simulatque dabitur ocium, *Ægidium* meum non literis modo, verum etiam justis voluminibus onerabo. Dabis operam, ut hæc quam primum ad *Jodoci Badii* manus perferantur. Paravi *Proverbiorum* opus, & ita locupletavi, ut prorsus aliud reddiderim: at multo, ni fallor, melius cum esset non admodum malum. Quare nihil est, quod aliorum timeat editiones. Convenerat cum *Francisco* Bibliopola, ut illi exemplar committerem, verum insalutato me discessit. Precium, quod in suis literis præscripsit, lubens accipio: nec enim magnopere commoveor lucello. Ipse paret omnia, ut opus sic exeat ex ipsius officina, ut non facile sit cuipiam æmulari. Absolvam castigationem Novi Testamenti: absolvam Epistolas divi *Hieronymi*, & si dabitur ocium, emendabo & *Senecam*. Fieri potest, ut ipse vos revisam à Pascha: quod si non licebit, mittam in primis *Proverbia*, cum certus aliquis dabitur, per quem mittam. Nonnihil sollicitus sum, ut *Græcis* formulis huic operi satisfaciat, quod semi-Græcum est. Proinde quanta potest cura præparet omnia, atque ipse sese in *Græcanicis* literis nonnihil exerceat: id quod in alias quoque librorum editiones erit usui futurum. Non mittat huc pecuniam neque libros, priusquam ad illum quid velim, perscripsero. Dialogos *Luciani*, quos ad eum misi, nondum prodire video: video quosdam ex illis excusos *Lovanii*: qua de re cupio certior fieri. Verti compluscula *Plutarchi* libros, quos emendatos remittimus. Accepi postremas *Badii* literas per *Anglum* quendam, in quibus scribit *Moriam* à se formulis excusam, quam tamen hic non vidimus. Bene vale. *Lovanio* Anno 1514.

## Epistola CLV.

*Erasmus Roterod. Petro Ægidio* S. D.

Si recte vales, est quod plurimum gaudeam. Diutius commoratus sum in itinere quam putaram: nam & *Gandavi* triduum remoratus est Cancellarius Principis illustrissimi: *Tornaci Montjoius* meus, qui nunc ei præfectus est urbi, regias agens vices: apud divum *Andomarum* Abbas *Bertinicus*. Trajectio sumptuosa fuit, & periculosa, sed tamen velox. Vas meum, quod fratri *Francisci* commiseram, nondum advectum est, qua re mihi nihil potuit contingere infelicius. In eo sunt omnia in *Hieronymum* commentaria, quæ nisi mature recepero, cessabunt *Basileæ* qui excudunt, non sine magno suo malo. Id si casu factum est, factum est infeliciſſime: sin arte & data opera, quo vetera sua proverbia prius extrudant, factum est inimicissime: nihil enim est, in quo me magis lædere potuisset. Exhibiturus eram Episcopis suos libros, eos nunc saluto vacuus, & demittor item ab illis vacuus: quod si vas misissent, sicut erant polliciti, jam nunc istic adessem. Adsunt *Brugis* duo totius *Angliæ* doctissimi, *Cutbertus Tonstallus* Archiepiscopi *Cantuarienſis* Cancellarius, & *Thomas Morus*, cui *Moriam* inscripsi, uterque mihi amicissimus: si quid forte inciderit, in quo possis illis gratum facere, rectissime collocaris officium tuum. Admone *Franciscum* super hisce rebus. Uti spero, ante Julium vos revisam. Interim cura ut recte valeas, amice incomparabilis. *Londino* 7. Maji, An. 1514.

## Epistola CLVI.

An. 1514

*Erasmus Rot. Petro Ægidio* S. D.

Accipies ab hoc nauta *Antonio* mea scrinia, unum quadrum ligneum funibus obvinctum, tria *Gallica* corio suillo superne contecta, repones vel apud te, vel alicubi in tuto, donec ipse advenero. Nautæ, si videbitur, solves, nisi forsitan hic à me pecuniam exegerit, nondum enim cum illo sum pactus. Salutato *Montjoio*, & aliquot amiculis, mox adero, faventibus superis, & omnibus de rebus coram confabulabimur. Illud demiror, *Franciscum* Bibliopolam huc absque tuis venisse literis. Fac ut meæ res in tuto sint, quas easdem tuas esse ducito. Bene vale, amicorum optime. *Londino* Anno 1514.

## Epistola CLVII.

*Erasmus Roterod. Thomæ Linacro, Medico regio*, S. D.

Tametsi novum non erat, tamen gratissimum fuit, quod ex *Mori* literis cognovi te tam amice nobis favere, licet immerentibus. Novum Testamentum adeo placet ubique doctis, etiam ex ordine Theologorum, ut indocti pudore obticescant. Febricula subito oborta fuit in causa, quo minus me navigationi commiserim, præsertim dissuadente medico *Ghisberto*. Majorem in modum te rogo, ut pharmacum, quod, quum proxime essem *Londini*, sumpsi te auctore, denuo descriptum mihi transmittas: nam puer schedulam apud pharmacopolam reliquit. Erit id mihi longe gratissimum. Cætera ex *Moro* cognosces. Bene vale. Ex divo *Audomaro* 5. Junii, Anno 1514.

Crocvs regnat in Academia *Lipsiensi*, publicitus *Græcas* docens literas. Utinam prodirent tuæ lucubrationes, fidem omnibus facturæ meæ prædicationis, qua nusquam non utor, vel quod ita res habet, vel quo magis nostros ad studium inflammem. Si quid erit hujus negotii, in quo tibi queam gratificari, senties hominem ad obsequendum promptissimum. Rursum vale. *Grocino* facito me commendatum, quem adeo non odi, ita me Deus amet, ut ex animo venerer etiam ac suspiciam. Rursum vale. Anno 1514.

## Epistola CLVIII.

*Erasmus Rot. Andreæ Ammonio* S.D.

Gavdeo *N.* ereptum è carcere regio, id si tuo quoque bono factum est, duplici nomine gaudeo. Amo *Coleti* tam *Christianum* animum: nam ejus unius opera liberatum audio, cum is semper à *Coleto* inter amicissimos habitus, cum jam amicus urgeretur Episcoporum calumniis, ab illius adversariis steterit. Epistolas, quas ad *Leonem* & Cardinales scripseram, edidi, sed locupletatas. Si quid responsum est, aut si quid est, quod mea refert scire, quæso scribas per hunc unoculum *Petrum*, quem hac gratia meo sumptu misimus in *Angliam*, mox huc rediturum: nam febricula repente oborta vetat, quo minus trajiciam: & est quod *Carolo* sit ad dies aliquot gratificandum. Superior illa *Germania* sic mihi modis omnibus arrisit, ut vehementer doleam tam sero mihi cognitam. Nihil non detulit honoris *Erasmo* Episcopus *Basileensis*, vir omnino frugalis, ut ferunt, alioqui, obtulit pecuniam, obtulit Fortunam, equum coegit ut acciperem, quem mox urbem egressus, aureis quinquaginta revendere poteram: sed præstat coram hunc *Thrasonem* agere. Bene vale, ac scribe, saltem quid valeas. Apud divum *Andomarum* 5. Junii, Anno 1514.

## Epistola CLIX.

*Erasmus Andreæ Ammonio* S.D.

Aedes tuas non semel adii, quo dulcissimo amicorum omnium supremum dicerem vale, simulque

Digitized by Google

An. 1514. que tua consuetudine, quoad liceret, fruerer, qua quidem haud scio an quicquam in vita contigerit suavius. Trajectio prosperrima fuit, sed anxia mihi duntaxat. Mare placidissimum, venti secundi, cœlum blandissimum, hora commodissima. Solvimus enim ad septimam ferme. At maritimi prædones illi manticam, lucubrationibus meis onustam, in aliam quandam navim deportant. Idque studio factitant, ut si commode liceat, furentur aliquid: sin minus, nummulos aliquot extorqueant, & tibi tuam rem vendant. Itaque cum tot annorum vigilias periisse crederem, tantum animo persensi dolorem, ut existimem, nullum parentem è liberorum suorum obitu majorem sentire. Atque in reliquis quidem omnibus ita tractant advenas, ut satius sit in quosvis *Turcas*, quam in illos incidere. Sæpe mecum demiror, hujusmodi fœcem hominum à Principibus *Angliæ* tolerari magna cum hospitum molestia, nec sine summo totius insulæ dehonestamento, dum quisque domi narrat quam inhumaniter fuerit acceptus, & cæteri ex illorum prædonum factis gentem æstimant. Nescio an tibi retulerim, ipsum me regiam salutasse majestatem. Accepit vultu prorsus amicissimo: deinde præsul *Lincolniensis* jussit esse spe optima, certissimaque. De munere nec meminit ipse, nec ego sum ausus ingerere mentionem, ne viderer improbulus. *Dunelmensis* abeunti sex angelatos dono dedit, idque sponte, & jam, ni fallor, quartum: Archiepiscopus ultro quæsita occasione, tantundem addidit, *Roffensis* regalem; hæc summa omnium, quæ mecum effero. Hoc te scire volui, ne quis existimet me hujus abitus prætextu magnam pecuniæ vim contraxisse. Ago nunc in arce *Hammensi*, pauculos dies cum meo *Montjoio* commoraturus, deinde *Germaniam* aditurus, in transitu salutatis amiculis aliquot. Si Fortuna respondebit & meis optatis & aliorum promissis, maturabimus reditum: sin minus consilium ex re capiemus. Faxit Deus Optimus Maximus, ut incolumis reversus *Ammonium* meum offendam non solum incolumem, verum etiam lautissimis Fortunæ muneribus auctum. Si quando inciderit occasio provehendi res *Erasmi* tui, non dubito quin sis eum præstaturus absenti, quem semper hactenus præstitisti & absenti & præsenti. Bene vale, amice singularis. Ex arce *Hammensi* 8. Julii, An. 1514.

## EPISTOLA CLX.

*Erasmus Rot. Andreæ Ammonio suo* S. D.

VIN' ridere? ubi *Bruxellam* reversus, Cancellarium *Mecænatem* meum salutassem: ille ad Consiliarios adstantes versus, Iste, inquit, nondum novit, quantus sit. Rursum ad me, Princeps, inquit, conatur te Episcopum facere, & jam contulerat Episcopen haud adspernandam, ea est in *Sicilia*: verum post cognitum est, illam è *reservatarum*, ut vocant, catalogo non esse: proinde scripsit pro te summo Pontifici, ut patiatur te potiri. His auditis, non potui tenere risum: & tamen placet animus Principis erga me, vel potius Cancellarii, qui re ipsa Princeps est. Utinam œconomia hujus comœdiæ feliciter cedat: nam eodem ferme tempore & nos scripsimus ex *Anglia*, & hi è *Brabantia*. Sitio audire, quo pacto succedat negotium. Hybernaturus sum *Bruxellæ*. Quicquid *Tonstallo* miseris, mihi protinus reddetur: quod mihi cum homine perpetua sit consuetudo. Animus est à *Lovanio* alienior: illic mihi meo sumptu observiendum foret scholasticis: obgannirent assidue juvenes: castiga hoc carmen, emenda hanc Epistolam, alius hunc auctorem flagitaret, alius alium: neque quisquam est illic, qui mihi vel ornamento, vel subsidio possit esse. Super hæc omnia, audiendum esset nonnunquam, quid obganniant pseudo-Theologi, genus omnium insuavissimum: inter quos & nuper exortus est quidam, qui mihi propemodum Tragœdiam excitavit: in quo plane ἀπ' ὀλίγων ἀλύκου ἴχνος, ὅτε κρητῆν δυνάμενος, ὅτε ἀφῆναι. Blanditur coram, mordet absens: pollicetur amicum, præstat hostem. Utinam magnus ille *Jupiter* universum hoc hominum genus recudat ac refingat: qui cum nihil adferant, quo vel meliores reddamur, vel eruditiores, tamen omnibus facessunt negotium. *Hieronymus Antuerpiæ* prostabat, etiam cum illic essem. Ita *Franciscus* temperat hujus Comœdiæ scenas, ut ubique suum agat negotium. Ne literas quidem meas voluit exhibere, prius quam sibi prospexisset, tantum dixit, è *Germania* ingentem esse farcinam literarum, etiam ab Episcopo. Impartiar nugarum portionem aliquam simulatque recepero. *Antuerpiæ* recepi nuper, quæ tu *Rasileam* miseras, à *Paceo*, sicut opinor, allata: & tamen ipse ne verbum quidem. Bene vale, *Ammoni* doctissime. *Bruxellis* 6. Octobr. An. 1514.

## EPISTOLA CLXI.

Udalricus Zasius Erasmo Roterod. *S. D.*

*HOC velut puncto in præsentem tabellarium, magne* Roterodame, *nostræ ætatis* Varro, *incidi: quem, nisi comitibus meis literis, abire non sum passus; licet jam in cardine obeundæ civilis lectionis*, Bartholus & Baldus, *cæterique id genus illatini auctores auribus circumstroperent. Tuis elegantissimis literis me, si qua est in doctissimorum virorum congressu beatitudo, plane beatum fecisti: & tanta sane mihi gratificandi simul & respondendi sylva in eis offertur, ut alio ad eam rem, & tempore & loco opus esse existimem. Hoc habe, tuam illam, tuam, inquam, illam mellitulam Epistolam toto nostro Gymnasio circumferri, à scholasticis adpeti, mirari tantos eloquentiæ puros fontes, mirari* Roterodami *numen, de cœlo desumptum ignem:* Zasium *magni fieri, digitis denotari, hunc esse, cui* Roterodamus, *cui* Cicero Germaniæ *nunc ætatis nostræ, tam humaniter, tam amice scripserit: felicem, quem eo Fortuna dignetur honore, ut* Roterodami *præconio referatur: non minus* Achille, *qui* Homerum *buccinatorem; non minus* Augusto, *quem* Virgilii *tuba; non minus* Scipione, *qui* Silii *classico innotuerit: non, inquam, minus quocunque, qui à viro laudato laudatus sit, fortunatum. Ita mihi una hæc Epistola existimationem auxit: magni viri conflavit amicitiam, & supra* Crœsi *divitias opulentum fecit. Quæ igitur censes,* Roterodame, *tibi sunt agenda gratiæ? Sed aliud, ut dixi, tempus expostulat. Hæc nostra rudior Epistola, quamvis temere, prævolat tamen, præluditque: ut interim alio tibi genere quemadmodum gratificer cogitare possim. Vale, & nostros aliquando, si tu magnus* Jupiter Faunorum *casulas non dedigneris, lares digneris invisere, optatissimus nobis hospes futurus.* Bonifacius *te plurima salute impartit, cui, post amœna illa humanarum literarum vireta, insuetus est ad durinsculos Juris Civilis scopulos callis: sed pervincet ingenium, sedulitas, fides si qua est interpretis. Vale, delitium non dico meum, quod maxime dico, sed universi literati orbis.* Ex Friburgo 11. *Octobris, An.* 1514.

*Non mihi rescribas tantis rebus fatigatus: sat mihi erit, meis ineptiis vel oculos admoliri.*

## EPISTOLA CLXII.

*Erasmus Rot. Ulrico Zasio* S.

VIX licuit tuas legere literas, mi *Zasi*, quibus alioqui nihil accidere poterat jucundius. Quid ego librum tuum collaudem? compendio dicam; *Zasianus* est, hoc est, absolutissimus: dignus qui fiat orbi communis. Ad id adjuvabimus simulatque vacabit: vacabit autem intra bimestre: quanquam *Aquinate* tam subinde citato, nonnihil inquinasti splendorem tuæ dictionis. Verum id scio quibus tribueris, & fero: mallem alioqui perpetuum illum *Zasiana* dictionis cursum ac tenorem dicendi. *Erasmum* nimis amanter citas, hoc est, longe supra meritum. Bene vale.

*Bonifacium* non uno nomine unice diligo, de quo sane summam spem concepi. Mitto & alterum Epistolium olim ad te scriptum, sed oblivione ministri relictum



Digitized by Google

An. 1514. lictum apud me. Probat & *Beatus* librum tuum, tu cura ut absolvatur: & si fieri potest, velim ea quoque quæ citas ex parum expolitis auctoribus, tamen *Zasiano* lepore convestiri. Rursum vale. An. 1514.

## EPISTOLA CLXIII.

Andreas Ammonius Erasmo Rot. *S. D.*

RISI *equidem serio, tibi isthic quoque* Mecænatem *contigisse, & eum* Mecænatem, *qui apud istum Principem uno omnium ore aque possit ac velit: quod nobis non nisi tua unius causa potest placere.* Περὶ τ ἐπισκοπῆς, *ut nihil aliud ad præsens succedat, permultum sane est, tantorum virorum talem erga te voluntatem perspexisse, quam tibi ex animo gratulor, spei jam solidæ plenus, isti tuo ingenio, doctrinæ, ac virtutibus, Fortunam diutius iniquissimam non futuram. Si Pontifex ταυτην τὴν τῶ ἐπισκοπῶ tibi dederit, magis ipsi tibi, quam Principis commendationi dedisse arbitrabor: sed vereor ne id officiat, quod non dubitabit, quin Princeps hanc in te voluntatem sit constantissime servaturus, & brevi juris ejus futurum, ut ad aliam Episcopen te provehat: quod ni fecerit, spero fore, ut ipsemet Pontifex eum roget, ut qui te honestatum, scio, pervelit: at de alieno potius quam de suo. Scripsi ad eum, & Episcopum* Wigornienſem, *haud multo postquam discesserat. Quod* Bruxellæ *sis hyematurus, consilium probo, tum ut* Lovanienſium *Scholasticorum molestias effugias, tum ut frequens in aulica ista luce conspiciaris, tuosque tui coram submoneas, & suspirantis Fortunæ flatum concipias: poteris & tibi, & patriæ esse utilis, si propius vestrum* Jovem *accedere non gravaberis: non longus erit labor, & aliquid ferendum, & studiis nonnihil detrahendum esse censeo, ut reliqua vitæ commodis & dignitati consulas. Habes aulicam sententiam. Lupum istum si dimiseris, quod citra ullum periculum meo judicio facere potes,* Euripideus *omnino exitus eum manet: quærit hanc famam, ut dicatur cum* Erasmo *contendisse. Sed tu ab ea scabie ungues abstineto, quam hoc magis foveris, quo magis scalpseris.* Βάλε τῶλοιπὸ τ λύκον ἐς κόρακας ἢ πρὸς τὰς κύνας. *De tuo* Hieronymo *gaudeo isthuc esse allatum: brevi enim ad nos transvectum iri scio. Proinde fac, ut ne paginam quidem ad me mittas, nihil propero: siquidem haud tantum ocii mihi est, ut vel* Ciceronem *bis uno mense legere queam. Vis novi aliquid? advenit huc Cardinalis* Sedunensis *ille* Helvetius, *quem sum allocutus, & videtur mihi homo ingeniosus, impiger, acer, facundus, strenuus, & admodum Theologus.* Morus *tuus bellissime habet.* Tonstallo *diligenter me commendabis, cui gaudeo te esse tam familiarem. Beatus mihi viderer, si vestris collocutionibus liceret interesse. Cura, mi* Erasme, *ut valeas.* Lond. *ex* Westmon. 1. *Novembr. Anno* 1514.

## EPISTOLA CLXIV.

*Erasmus Roterod. Zasio suo* S.

SI quo pacto liceret ex hoc evolare pistrino, quod quidem facerem cupidissime, malim extra nuptiarum tempus te visere, quo totus toto te frui possem: nunc in tanta hominum turba, quantula tui portio rediret ad nos? Mitto *Enchiridion* nuperrime excusum. *Beatus* pari diligentia te resalutat: adest & *Gerbelius* & *Oecolampadius*. Bene vale, vir eruditissime. Precor ut nuptiæ filiæ tuæ tibi tuisque sint voluptati pariter ac bono. An. 1514.

## EPISTOLA CLXV.

*Erasmus Rogerio Wentfordo* S. D.

PATER *Joannis* cum apud nos esset, significavit mihi, se filium alteri velle committere, nec verbo sum reluctatus. Præscripsit ille spacium ad Omnium Sanctorum: accepi. Adjeci, si vel ipso momento vellet abducere, me boni consulturum. Non possum illi sucA censere, quippe qui sciam quicquid hujus facit, instinctu facere alieno. Olim abduxerat: deinde reddidit, te auctore, non admodum cupienti, cum semel animum alio flexeram. Rursum cum dies quatuordecim abstraxisset, ipse reduxit, passurus ut me trajicientem quoque comitaretur. Educatus est apud me liberaliter, & meo quidem sumptu: & tametsi non profecit quantum ego cupiebam, tamen illud audacter affirmabo, illum plus scire Latinitatis, quam fuerit in ulla schola, ne *Lilianam* quidem excipio, triennio consecuturus, & scis primos profectus minime apparere: tantum abest, ut omnino temporis jacturam fecerit. Sed quoniam video patris simplicitatem instigationibus B huc & illuc impelli, & matrem inepte amare, non est animus perdere officium. Nihil autem æque perit, atque id quod confertur in ingratos: non eos existimo ingratos, sed magis etiam perit, quod confertur in non intelligentes. Nam ingratus etiam si dissimulat, tamen apud se obnoxius est, & aliquando vel pudore gratiam refert: is qui non intelligit beneficium, etiam sibi deberi putat. Ut igitur stultum est, bene merereri de iis, qui non intelligunt, ita benefacere invitis, extrema dementia est. Dixit hic cuidam mihi intimo; quo minus discat puer, obstare quod *Anglice* nesciam: imo hoc ipsum in causa est, ut quam maxime discat *Latine*, velit, nolit. Quorsum ista, inquis? nempe huc, cum pater super hac re mecum ageret, propemodum certus eram de quodam ministro, is mutata sententia trajecit in *Brabantiam*, rediturus tamen ante natalem. Si ipse trajecero, id quod futurum est paulo post Calendas Novembres, relinquam *Joannem* ubi volet. Sin minus, patietur hunc esse apud me, donec meus ille redeat, ne ob exiguum tempus sæpius ministrum mutem. Id tu illi persuadebis. Quod si omnino nolit, quanquam non dubito quin sit non gravatim passurus, agat ut lubet. Ego minus molestе feram jacturam officii, quod in bonam indolem operam collocarim. Bene vale, mi *Rogeri*, & aliquoties ad nos scribito.

D Jam & illud mihi venit in mentem, cur unus ego videar ei idoneus, qui filium suum meo sumptu & doceam, & vestiam, & alam. Minus subiit sordidi ministerii, quam apud te subiturus fuerit. Habitus est liberaliter: nihil mihi scripsit. Nec alui sordide, nec vestivi, nec docui indiligenter. Et si ille tam fuisset avidus discendi, quam ego docendi, jam nihil opus haberet ullo literatore, aut plagoso Grammatista. Et puto meas literas non esse posthabendas vulgarium Doctorum literis. Non hæc dico, quod admodum laborem de pecunia, sed quod ego præter cæteros videar idoneus qui sic tracter: ac deinde nulla gratia spolier ministro. Verum de his alias latius. Rursum vale, E *Rogeri* clarissime. Anno 1514.

## EPISTOLA CLXV.

*Erasmus Rogerio Wentfordo* S. D.

QVOD *Copiam* nolis edi, nisi te gloriæ meæ ratio moveret; equidem gemino argumento tuam in me benevolentiam agnosco: primum, quod amoris magnitudine cæcutiens tanti facis nugas *Erasmi* tui, ut veluti Thesaurum eximium vulgo profano communicari nolis: deinde quod usque adeo mei nominis es studiosus, ut rursus affectum istum tuum affectu viceris, & quasi clavum clavo pepuleris. Quanquam F ego meæ famæ magis arbitror interesse, si neque transcribantur à quoquam, nisi summo labore elimata, quem ego odi cane pejus & angue, maxime cum videam hinc nihil recipi fructus, præter lippitudinem, senium præmaturum, esuritiones, ac paulum modo gloriæ, cum plurima invidia conjunctum. Nam quod de statu meo cupis cognoscere, equidem aureis promissis plane dives sum. Cæterum fortiter esurio. Quod crumenam inanem tantopere deploras, magis deplores, si scias me istuc distentam attulisse plus septuaginta duobus nobilibus,

Digitized by Google

An. 1514. libus, & ne tantulum quidem superfuisse. Ex his conjecturam facias licebit, quemadmodum hic dilabantur nummi, ubi nihil non meo sumptu geritur, & est mihi res cum duabus *Charybdibus* voracissimis. Quod tam benigne, &, ut mihi persuasum est, ex animo, pecuniam tuam offers, amplector & osculor *Rogerianum* illum animum, mihi jam olim & perspectum & exploratum; cui utinam Fortuna parem facultatem addidisset, & additura est aliquando, nisi plane bonis ingeniis infesta est. Istic nisi cum *Grocino* non video quo pacto possim vivere, & certe cum nemine omnium vivo libentius, sed pudet esse sumptui, praesertim cum nihil sit, in quo gratiam referre queam, & ille pro sua benignitate nihil impendi patitur. Nec admodum cupide istinc discessi, verum hic scrupulus praeter cetera movebat animum meum. Interea, ne nihil agam, perficio opus *De conscribendis Epistolis*; *Copiam* quoque castigaturus, interim subinde devovens literulas meas tam steriles. Vale, mi *Rogeri*, unus mortalium omnium charissime. D. *Grocino* communi patrono ac praeceptori plurimam ex me salutem dices. An. 1514.

## EPISTOLA CLXVII.

*Dominico Cardinali Grymano Erasmus Roterod.* S. D.

An. 1515. QVo minus à primo illo, & eodem postremo congressu repetiverim amplitudinem tuam, quemadmodum & illa jusserat, & ego me facturum receperam: non mea negligentia, sed tua magis inusitata quaedam, & singularis comitas, humanitasque, fuit in causa: ac prorsus novo factum est modo, ut quae res vel maxime debuerat ad reditum invitare, ea sola deterruerit ne redirem. Quid tandem istuc novae rei fuit, inquies? Dicam equidem simpliciter, &, quod hominem decet *Germanum*, ingenue. Id temporis omnino decretum erat adire *Britanniam*. Huc me veterum necessitudinum affectus, huc potentium amicorum ampliſſima promissa, huc Regis omnium florentissimi propensissimus in nos animus vocabat. Hanc insulam mihi patriae vice adoptaram: hanc senectuti meae sedem delegeram. Invitabar, imo flagitabar crebris literis, modo non montes auri pollicentibus. Quibus ex rebus, homo strenuus alioqui pecuniarum contemptor, tantam auri vim animo conceperam, quantae vix decem *Pactolos* eluendae sufficturos crediderim. Proinde verebar, ne si redissem ad tuam celsitudinem, verterem animi decretum. Etenim qui primo statim colloquio sic labefactaras, sic inflammaras animum meum; quid facturus eras, si diutius ac propius fuissem congressus? Quod enim vel adamantinum pectus non flectat, tam amabilis ista morum tuorum comitas, tam mellita facundia, tam exquisita doctrina, tam fida juxta & amica consilia? denique tanti Primatis, tam expositus ad bene merendum animus? Sentiebam jam tum sensim labascentem animi sententiam, & coeperat quidem instituti suppoenitere, & tamen pudebat virum parum constantem videri. Sentiebam urbis amorem, quem vix excusseram, denuo tacitis auctibus glisscere: proinde ni me repente *Roma* divulsissem, nunquam deinde fueram *Romam* relicturus. Abripui me ne rursus afflarer, & in *Angliam* avolavi, magis quam profectus sum. Quid nunc igitur inquies, num poenitet consilii? num poenitet non obsecutum fuisse amanter admonenti? Mentiri sane non est meum. Varie res haec afficere solet animum meum: neque enim non possum tangi *Romae* desiderio, quoties tantus tantarum simul commoditatum acervus in mentem venit. Primum urbis omnium multo celeberrimae lumen ac theatrum, dulcissima libertas, tot locupletissimae bibliothecae, suavissima tot eruditissimorum hominum consuetudo, tot literatae confabulationes, tot antiquitatis monumenta, denique tot uno in loco totius orbis lumina. Speciatim autem quoties succurrit cum aliorum Cardinalium, tum vero praecipue R. D. *Nanotensis*, mirum quoddam erga nos studium, Card. *Bononiensis* propensissimus favor: divi vero *Georg.* Card. non jam favor modo, verum etiam benignitas haudquaquam vulgaris: super omnia felicissimum illud cum tua pietate colloquium. Haec videlicet faciunt, ut nulla prorsus fortuna tam benigna possit obtingere, quae *Romae* semel degustatae desiderium eximat animo meo. Jam apud *Britannos* tametsi fortuna contigit non usquequaque poenitenda, certe meis aliquanto major meritis: tamen ut verum fatear, non omnino respondet nec votis nostris, nec amicorum pollicitis. Quae res non tam accidit illorum perfidia, quam temporum iniquitate. Nam Regem ipsum, alioqui multo Regum omnium benignissimum, ad hoc optime de *Erasmo*, tum sentientem, tum loquentem, (id quod partim ipsius ad me literis, partim multorum praedicatione compertissimum habebam) subito ingruens bellorum procella prope totum nobis eripuit. Tanto animo, tanto studio, pius ac generosus adolescens bellum apparabat, quod ad Ecclesiae *Romanae* dignitatem tuendam pertinere judicabat. Et *Guilielmus Montjojus*, vetustissimus post *Henricum Bergium* Episcopum *Cameracensem*, studiorum meorum *Mecenas*, sic obrutus est belli oneribus, ut magis amaret quam succurreret, vir antiquae sane nobilitatis, & incredibili beneficentia erga bonarum literarum cultores, verum ut inter hujus regni Barones, animo magis quam re beatus. Ut ne quid interim meam ipsius lentitudinem incusem, homo usque adeo non ambitiosus, ut plane *Timothei* fortuna sit opus, quae dormientis impleat rete. Attamen quo minus poenitere queat aditae *Britanniae*, *Guilielmus* Archiepiscopus *Cantuariensis*, totius *Angliae*, non titulo tantum, sed omni decorum genere Primas, potissimum fuit in causa: vir modis omnibus incomparabilis, ac prorsus unicum ejus regni ornamentum & praesidium, sapientia, judicio, doctrina, auctoritate maximus: sed hoc tamen seipso major, quod ob singularem quandam modestiam, solus ipse magnitudinem suam non agnoscit. Mira vitae sobrietas, summa dexteritas ingenii, animus impiger, & ab ocio prorsus abhorrens. Magnus rerum usus, ut qui in gravissimis legationibus, maximisque Regum & regni negotiis, jam olim sit versatus. Unde fit ut tot rebus administrandis, quot aliorum complures vix sufficiant, unus non modo par sit, verum etiam supersit, quod evolvendis bonis auctoribus, quod privatis amicorum affectibus impartiat. Nam praeter Episcopi functionem, totius regni Cancellarium, hoc est, summum Judicem, agit. Is me sic amore complectitur, sic ornat auctoritate, sic benignitate fovet, in summa sic ubique mirum quendam praestat *Mecenatem*, ut si pater esset, non possit indulgentius: si frater, non possit amantius. Unde factum est, ut quod *Roma* in tot egregiis Cardinalibus, in tot ornatissimis Episcopis, in tot eruditissimis viris relinqueram, id totum in uno homine mihi viderer recuperasse. Nunc vero posteaquam opera *Leonis*, Pontificis vere maximi, pax est orbi restituta, multo quidem commodior est *Britannica* Fortuna: & tamen acrius etiam *Romae* desiderio titillatur animus, dum & passim famae praeconio celebratur, & verisimillimum est, sub tali Principe veluti signo dato, quicquid usquam gentium est eruditionis eximiae, quicquid egregiae virtutis, hoc tempore *Romam* velut in suum Theatrum concurrere. Ante biennium igitur adornaram iter, comes futurus R. Patri D. *Joanni* Episcopo *Roffensi*, viro omnium Episcopalium virtutum genere cumulatissimo: & ut compendio laudes illius explicem, *Cantuariensi*, cui subsidiarius est, simillimo. Verum is ex itinere subito revocatus est. Rursum anno superiore meis auspiciis *Basileam* usque processeram. At hic quoque res quaepiam est remorata, nescio quid alii sensuri sint, at meo judicio maxima: nam maximum fuerit oportet, quod ab urbe potuerit avocare. Jampridem hoc moliebar, haud sane mediocribus vigiliis, uti divus *Hieronymus* nobis totus quasi renasceretur: quem sic Latini summum habemus Theologum, ut prope solum dicere liceat: sed eun-

An. 1515.

Digitized by Google

An. 1515. eundem adeo depravatum, adeo confusum, adeo contaminatum, ut cum non sit alius æque lectu dignus, tamen unus maxime sit, qui legi non possit, nedum intelligi. Hujus igitur lucubrationes omnes, præsertim Epistolares, in quibus plurimum erat negotii, primum in ordinem digessimus; deinde mendas, quibus obrutus erat magis quam oblitus, veterum auxilio codicum, nostroque ingenio sustulimus. Addidimus cum argumentis commoda in loco scholia, quo possit vel à mediocriter eruditis inoffensius legi, qui antehac, dicam audacter, sed vere, nec ab eruditissimis intelligebatur. Nam quemadmodum olim *Romulus* dictus est, non minus magnificus ostentator egregiorum facinorum quam gestor, ita videre est in divo *Hieronymo* novam quandam & variam eruditionem, cum sancta quadam ostentatione conjunctam. Græca & Hebraica, quæ vel deerant, prorsus, vel sic erant adscripta ut præstiterit nihil adscriptum fuisse, summa cura restituimus. Suppositicia & adulterina, quæ quidem bona pars est, in suum relegavimus volumen: ut nec desideraret aliquid avidus magis quam eruditus lector: nec rursum indoctissima blateramenta tam incomparabilis viri titulo diutius circumferrentur. Equidem perspiciebam *Italiam*, & bibliothecarum auxiliis, & regionis auctoritate, ad operis editionem magno usui futuram, sed commodum offendi *Basileæ* quosdam ad id operis accinctos, imo jam aggressos: præcipue *Johannem Frobenium*, cujus & arte & impendio magna ex parte res agitur, nec non tres doctissimos juvenes fratres *Amorbachios*, Hebraicarum quoque literarum pulchre doctos. Atque his literis non paucis in locis utitur *Hieronymus*. Ac mihi quidem hac in parte, juxta Græcorum proverbium, *Theseo* quopiam fuit opus, ut qui literas eas vix primoribus (ut ajunt) labris degustassem. His igitur in laboris partem adscitis, *Herculano* (quod ajunt) animo negotium aggressus sum. Fervet ingens officina, excuditur elegantissimis formulis divus *Hieronymus*, imo renascitur, tantis impendiis & pecuniarum & sudorum, ut minoris constiterit *Hieronymo* sua conscripsisse, quam nobis restituisse. Mihi certe tantum hic laboris exhaustum est, ut parum abfuerit, quin ipse immorerer, dum studeo, ut ille renascatur. Summa, ni fallor, Operis ad decem volumina succrescet. Sed quorsum hoc mihi, inquies? Primum sciebam te pro perpetuo quodam tuo erga bonas literas studio, pariter & *Hieronymo* gratulaturum, & nostris fauturum conatibus, imo fauturum pietati Christianæ, cui plurimum adjumenti ex *Hieronymianis* literis accessurum spero. Atqui hæc res, citra plurimarum & locupletissimarum bibliothecarum auxilia confici, ut dignum est, non potest. Proinde si quid habet vel tua Bibliotheca, quam domi habes ditissimam, & omnijugis omnium linguarum libris refertam, vel summi Pontificis, aut aliorum, pietatis tuæ fuerit, in publicam orbis utilitatem impartire. Deinde mihi visum est vehementer congruere, ut summus Theologus summi Pontificis felicibus auspiciis exiret in manus hominum, ita restitutus, ut antehac nec editus videri possit: utque Scriptor omnium eruditissimus, ejus nomine commendaretur orbi, è cujus familia tot literarum proceres nobis prodissent. Sic enim pariter fore, ut tam eximii Pontificis auctoritate, multum *Hieronymo* splendoris ac dignitatis adjungatur, & vicissim ex eminentissimi Doctoris celebritate, non mediocris accessio fiat *Leonis* gloriæ. Nec enim video, quonam alio monumento magis possint illius decora immortalitati consecrari. Huic igitur renatum *Hieronymum* consecrabimus, præsertim si nostro judicio tuus accedet calculus. Nam alioqui propemodum erat decretum, dicare Præsuli *Cantuariensi*, cui debemus omnia. Quanquam is quoque lubens ac volens, hoc quicquid est gloriæ, *Romano* Pontifici cessurus est, sat scio. Eo est in istam Sedem animo. Et nos hujus memoriam ita cum *Leonis* laudibus copulabimus, optimi cum optimo, Primatis cum primo, ut hac via rectius etiam consultum fuerit, & *Hieronymo*, & *Mecænatis* mei nomini. Edidimus, præter alia permulta, *Chiliadum* Opus à nobis emendatum, & ita locupletatum, ut quarta voluminis pars accreverit. Proxima æstate emissuri varias, nec infrugiferas (ut opinor) annotationes nostras in Novum Testamentum, una cum Apostolicis Epistolis, sic à nobis versis, ut intelligi possint. In quo labore ita puto me versatum, ut non sine causa post *Laurentium Vallam*, post *Jacobum Fabrum*, virum juxta doctum ac diligentem, videar hoc negocii suscepisse. Est in manibus libellus *de instituendo Principe*, quem illustrissimo *Carolo* Archiduci *Burgundiæ*, MAXIMILIANI nepoti, destinavimus. His defuncti rebus commentarios, olim in *Paulum* inceptos, in manus revocabimus. Decretum enim est, quicquid superfuturum est ævi, id totum arcanis dedicare literis. Nec ullus labor ab instituto deterrebit, si tuo tuique similium favore fulciemur. Scis enim jam vetustissimum illud esse, ut invidia, quavis excetra nocentior, egregiis conatibus semper obsibilet. Id quod nuper in summo illo viro *Johanne Reuchlino*, non sine summo animi dolore conspeximus. Jam par erat, jam tempus erat, ut homo venerandæ senectutis, suis pulcherrimis studiis frueretur, & ex honestissima juvenilium segmente laborum, suavissimam caperet messem. Conveniebat, ut vir tot linguis, tot disciplinis instructus, hoc velut ætatis autumno divitem ingenii proventum in universum orbem effunderet. Ad hoc erat laudibus exstimulandus, præmiis invitandus, studio inflammandus. Et exortos audio, nescio quos, qui cum ipsi nihil præclarum efficere possint, perversissima via gloriam affectent. Deum immortalem, quam frivolis ex nugis quantas Tragœdias concitarunt! Ex libellulo, imo Epistola, eaque *Germanice* scripta, quam nec ediderit ipse, nec edendam putarit, tantum excitari tumultus? Quis unquam vel scriptum noviſſet eum libellum, nisi isti mundo publicassent. Quanto placabilius erat, si quid ibi fuisset erratum (ut errant homines omnes) id vel premere, vel candide interpretari, aut certe tam eximiis hominis virtutibus condonare? Non hoc dixerim, quod illic ullum videam erratum, qua de re sane aliorum est pronunciare: illud dicam, si quis ad istum modum malignius, & ut *Græci* dicunt ἀποτόμως, excutiat divi *Hieronymi* libros, permulta reperiet à nostrorum Theologorum decretis longe lateque discrepantia. Quorsum igitur attinebat virum, & literis & ætate venerabilem, ob rem nihili in hujusmodi pertrahi turbas, in quibus jam septimum, opinor, perdit annum? Utinam hoc operæ, utinam hoc temporis, licuisset adjuvandis honestissimis literarum studiis impendere. Nunc omnibus dignus præmiis, molestissimis litibus involvitur, non mediocri Doctorum omnium, imo totius *Germaniæ* & dolore & stomacho. Quanquam his omnibus spes est futurum, ut vestra opera vir tam eximius & orbi restituatur & literis. Hyeme proxima *Romæ* nos videbit, si modo faverit *Christus* Opt. Max. & regia majestas, una cum Archiep. *Cantuariensi*, denuo facultatem permittent abeundi; quam si non ipse, certe divus *Hieronymus* ab illis impetrabit. Te in plurimos annos incolumem ac florentem nobis, imo literis & orbi, servet optimus ille *Samarites Christus*, cui me totum addico, dedicoque. *Londini* 31. Martii, Anno 1515.

## EPISTOLA CLXVIII.

*Raphaeli, Cardinali Sancti Georgii, Erasmus Roterodamus* S. D.

QUOD annis jam aliquot meæ siluerunt literæ, non tuorum in me meritorum oblivio fuit in causa R. P. quæ sane nec desii, nec desinam unquam, vel prædicare, vel meminisse: sed partim pudor quidam obstitit, quod improbum existimarem, tot gravissimis negotiis districtum, nostris insuper interpellare nugis, (etenim aliquoties officiosum est, non salutare) partim tem-

Digitized by Google

An. 1515. temporum ipsorum iniquitas, quæ nobis plus quam ferrea inciderunt. Nam si leges silent inter arma, quanto magis tum silent Musæ virgines, cum tantis rerum procellis, personant, perturbantur, miscentur universa? Verum posteaquam *Leonis* Pontificis, modis omnibus maximi, lætissimis auspiciis, pax tandem est orbi reddita, compositi Principum motus, sublatum illud omnium pernicioſissimum mundi dissidium, jam non solum meæ literæ *Romam* ire gestiunt, verum ipse quoque mira quadam ardeo cupiditate revisendi veteres illos meos *Mecænates*. Est quidem apud *Britannos* fortuna mediocris, ut minor & meis votis, & amicorum promissis, ita meritis nostris major. Siquidem Rex ipse *Henricus* octavus, cujus natura, mihi crede, nihil cogitari potest, vel melius, vel felicius, ita de nobis & loquitur & sentit, ut nemo vel amantius, vel honorificentius. Favent Episcopi, cum cæteri ferme omnes, tum præcipue *Dunelmensis*, qui Regi est à secretis. Item *Roffensis*, vir pietate doctrinaque singulari. Ad hæc Archiep. *Eboracensis*, cujus nunc est incredibilis apud regiam celsitudinem, tum gratia, tum auctoritas. Nam regiis curis sic adest, ut maxima pars publicorum negotiorum in hujus inclinet humeros. Porro R. Archiep. *Cantuariensis*, totius *Angliæ* Primas, in quo viro summum est, quicquid est optimum in rebus mortalium, sic perpetua quadam benignitate, vel (ut verius dicam) pietate, nos fovet, tuetur, ornat, ut si frater esset aut pater, non posset amantius. Et tamen non possum non discruciari *Romanæ* urbis desiderio, quoties animo recursat, quam libertatem, quod theatrum, quam lucem, quas deambulationes, quas bibliothecas, quam mellitas eruditissimorum hominum confabulationes, quot mei studiosos orbis proceres, relicta *Roma* reliquerim. Atque adeo nonnunquam ipse mihi quovis infortunio dignus videor, qui te tantum ac talem *Mecænatem*, sic de me meritum, sic ad ornandum & evehendum me modis omnibus propensum & expositum, cum quavis fortuna commutandum duxerim. Sed quid facerem? Montes aureos, imo plus quam aureos suis literis pollicebantur amici. Certa promittebat *Guilielmus Montjoius*, & quidem ingentia, eaque rursum cum summo ocio, vitæque libertate conjuncta, quam ego sic amplector, ut si quis hanc adimat, vitam esse non putem. Defuncto Regi successerat plane divinæ cujusdam indolis juvenis, nec inelegantter bonis literis initiatus: nostri vero adeo jam multo ante studiosus, ut paulo ante patris obitum, cum in *Italia* viverem, literas ad me dederit, & suopte *Marte* conditas, & propriis descriptas articulis: sed ejusmodi, ut vel ex his singulare quoddam & regno dignum ingenium possis agnoscere. Ex hisce videlicet rebus totos *Midas*, plus quam *Pactolos* ac *Tagos* animo conceperam. Seculum quoddam vere aureum, & Insulas Fortunatas somniabam, κατ' ἀνηχόμλω, ut inquit *Aristophanes*. Quanquam, ut vere dicam, non tam mihi defuit Fortuna, quam ipse Fortunæ defui, homo sic abhorrens à communibus negotiis, sic alienus ab ambitione, imo adeo socors, ut plane *Timothei* fortuna sit opus, quæ dormientis retibus felicitatem implicet. Itaque nihil est, quod incusem amicos, quibus una mecum blandissima spes imposuit. Siquidem cum reliquos amicos, tum Regem ipsum, aurei seculi parentem, mox secuta bellorum procella, Musis omnibus præripuit. Adeo *Juliana* illa tuba mundum universum ad *Martis* studium exciverat. Cæterum rebus jam vestra sapientia tranquillatis, velut de integro totus ad literarum accingor munia. Quanquam nec in mediis illis bellorum tumultibus unquam est à nobis cessatum. Emisimus enim cum alia permulta, tum *Adagiorum* opus, diligenter à nobis recognitum, & ita locupletatum, ut quarta voluminis pars accreverit. Excuditur jam dudum divus *Hieronymus* totus, imo renascitur, antehac adeo depravatus ac mutilus, ut nunc non tam restitutus, quam primum editus videri possit. Hunc non æstimandis sudoribus, multis collatis exemplaribus, iisque pervetustis, emendavimus, adjectis in loco scholiis, quo possit inoffensius legi. Scis enim apud hunc passim insulciri, quæ lectorem obscuritate remorentur. Græca atque Hebraica vel reposuimus, vel correximus. Nothos atque supposititios libros, quorum alios casus, alios impostor aliquis admiscuerat, non amputavimus quidem, sed in suum rejecimus Tomum, neve quid desiderare possit lector avidior quam elegantior, neve insulsissimi blateronis nugæ, tam excellentis viri titulo diutius sese venditarent. Excuditur ingens opus, ad decem opinor volumina rediturum: & excuditur tantis impendiis, tanta cura, ut ausim dejerare, his annis viginti, nullum opus ex ullius exisse officina, pari sumptu, parive studio elaboratum. Nec arbitror ipsi *Hieronymo* tantidem constitisse suas lucubrationes conditas, quanti nobis constabunt restitutæ. Ipse certe in hoc negotium tanto incubui studio, ut parum abfuerit, quin memet labore confecerim, dum operam do, ut reviviscat *Hieronymus*. Verum ita fert animus, tam pio, tamque frugifero labori, vel immori libet. Nam mihi res quam cordi sit vide: Anno superiore totos octo menses *Basileæ* sumus hac gratia commorati, non sine summo rei pecuniariæ dispendio, ut laborem, & iter omnium periculosissimum negligam. Ac proximo rursum autumno, certum est *Italiam* repetere, quo videlicet ditissimas istas lustrem Bibliothecas. Nullius unquam laboris me piguerit, modo sensero tuum, tuique similium favorem, nostris adspirare conatibus. Ad hæc, nondum statui, sed ex tuo constituam consilio, cui sit hoc operis inscribendum. Archiepiscopo *Cantuariensi* nihil non debeo; digniſsimus enim est, quem unum omnis mea celebret pagina. Alioqui prope videbam conventurum, ut Theologorum omnium Princeps, Pontificum omnium Principi consecretur, imo ut omnes bonæ literæ ejus auspiciis reflorescant, per quem pax est rebus humanis reddita, literarum ac studiorum altrix. Video vicissim & *Hieronymo* non parum accessurum commendationis, ex *Leonis* nomine, & hujus nomini plurimum decoris additurum *Hieronymianarum* lucubrationum dedicationem. Verum hisce de rebus coram & pluribus, & diligentius. Interim oro, ut si quid inciderit, eum patronum præstes *Erasmo*, quem *Romæ* sum semper expertus. Si qua res exorietur, in qua infimi clientuli obsequio non gravaberis uti, præsertim apud Archiepiscopum *Cantuariensem*, efficiam ut intelligas, omnia mihi defuisse potius quam fidem ac diligentiam. Sed illud pene exciderat, majorem in modum te & obsecro, & obtestor, per bonas literas, quibus tua celsitudo semper unice favere solet, ut eximius vir Dominus *Joannes Reuchlinus* in suo negotio æquos vos sentiat & benevolos. Eadem opera bene merebimini de literis ac literatis omnibus, quorum ut quisque doctissimus est, ita illi impensissime studet. Huic omnis debet *Germania*, in qua primus Græcarum & Hebraicarum literarum studium excitavit. Vir est enim complurium linguarum egregie peritus, variis expolitus disciplinis, jam libris editis clarus, & orbi Christiano notus, Cæsari *Maximiliano* cum primis gratus, ut cui sit à consiliis, gravis & honoratus apud suos, inter quos Triumviri munere fungitur, famæ semper hactenus incontaminatæ. Ad hæc senectute jam & canicie reverendus. Proinde & ille promerebatur, ut hac ætate honestissimorum studiorum dulcissimam meteret messem: & nos exspectabamus, ut quod annis compluribus condidit, nunc in communem omnium depromeret utilitatem. Bonis igitur omnibus indignissimum videtur, non solum apud *Germanos*, verum & apud *Anglos* & *Gallos*, quibus ex literis notus est, tam eximium virum, tot ornamentis pulcherrimis cumulatum, tam odiosis divexari litibus, idque ex ea re, quæ meo sane judicio vel ipsam asini umbram superet, in quam jocus exstat proverbialis.



Digitized by Google

An. 1515. Principum arma, vestra sapientia, cohibita sunt, eadem & literarum cultoribus suam restituat pacem. Procul ejiciatur, quicquid rancorem, quicquid simultatem sapit. Posteaquam Principes vobis auctoribus in concordiam redierunt, absurdum est eruditos viros libris ac jurgiis inter se conflictari, & cum illi tela habeant innoxia, hos se mutuo stylis, veneno tinctis, configere. Quanto præstiterat hunc hominem, quod operæ, quod sumptus, quod temporis his litium tricis impendit, honestissimis literis impartisse. Multis hic gratiosior est *Julii* secundi memoria, quod *Jacobum Wimphelingum*, virum præter eruditionis & sanctimoniæ commendationem, jam senio quoque venerabilem, sua ipsius voce ab hujusmodi litibus absolvit, & calumniatoribus silentium indixit. Crede mihi, innumeros mortales sibi devincturus est, quisquis *Joannem Reuchlinum* Musis ac literis restituerit. Bene valeat tua pietas, cui me, quantus quantus sum, dico consecroque. *Londino* 31. Martii, Anno 1515.

## Epistola CLXIX.

*Erasmus Andreæ Ammonio* S.D.

Cvm *Dovaria* per occasionem ostendissem *Mecænati* nostro tua poemata, ingenium & eruditionem ubique probavit. Cæterum præfatione tua visus est mihi non admodum delectari, iisdem de causis, quas apud te conjectaram, non ignarus ingenii hominis. Mirum est quam abhorreat ab omni κενοδοξίας suspicione. Itaque admonuit me ut si ederem, præfationem omitterem. Ipsum enim carmen præfationis vice fore: præterea in carmine, cum ais, *Turba tui quod facit ordinis*, moxque *aleas* & *perpotationes* commemoras, veretur ne is locus & tibi & sibi nonnullam pariat invidiam: quasi libenter accipiat, suum ordinem taxari. Si præfationem mutas, addas velim, mentiunculam de ecloga ipsi dicata. Nam id velle sensi, propter *Angliæ* Regisque laudes, quibus unice delectatur. Hac de re tuas literas exspectabo, quas ad *Jodocum Badium* mittes; nam nisi tua cognita sententia nihil omnino tuis in scriptis sum mutaturus. Vale, amice candidissime. *Moro* multam ἀπ' ἐμῦ salutem dicito. *Linacro* meis verbis etiam gratulare. Siquidem audivi apud Archiepiscopum, quod audivi non illibenter. *Morum* admonebis ut τὰ βιβλία, quæ reliqui in cubiculo, *Coleto* reddenda curet. *Dovaria* 10. Aprilis, Anno 1515.

## Epistola CLXX.

*Erasmus Rot. Gonello suo* S. D.

Mvltis modis hæc tempora nos affligunt, mi *Gonelle*. Pestis hic passim scintillat, mox uti videtur sævitura. Bellum imminet, malorum omnium Oceanus. Nos privata etiam quædam incommoda discruciant, præterquam quod nuper exortus est mihi novus genius malus, bestiola quædam perpusilla quidem, sed quæ tantum habeat veneni, ut præ hoc vipera, quin & seps, veneno vacare videatur. Rogo uti per *Watsonum* ad nos scribas. Et quid agat meus *Pegasus* significes, imo quid valeas ipse, quid hospes tuus humanissimus, quid materfamilias, omnis bonitatis exemplar. Fac diligenter salutes *Greanum* commissarium communem amicum, vel, ut verius dicam, patronum. Bene vale. *Londino*, Anno 1515.

## Epistola CLXXI.

*Erasmus Roterod. Gonello suo* S. D.

Londini salutavi *Mecænates* meos, Archiepiscopum & *Montjoium*, ad hæc amicos aliquot destinaram munusculo adoriri, & in his regium Eleemosynarium, nunc Episcopum *Lincolnienſem*, sed offensus *Londino*, nondum enim illic versari tutum est ob pestilentiam, in aliud tempus distuli. Rex laborabat cum illic essem, hoc est, *Richemondiæ*, sabbato proximo, sed medicus ajebat eum evasisse periculum. Adest *Londini* summi Pontificis nuncius, Episcopus *Theatinus*, vir, ut ajunt, undequaque doctissimus, de pace inter Principes tractaturus, sed frustra. Is magis, ni fallor, suum aget negotium, quam nostrum. Proximo Majo Rex trajiciet, unaque sororem *Mariam* secum abducet, nupturam Principi nostro. Equum remisi, mone sæpius, ut pater eum bene tractet. Est apud me, quod putem tibi gratum fore, sed mirum quanta hic scriptorum inopia. Bene vale, chariſſime *Gonelle*. *D. Greanum* meis verbis saluta. *Londino*, Anno 1515. An. 1515.

## Epistola CLXXII.

*Erasmus Rot. Guilielmo Gonello suo* S. D.

De equo voluptatem mihi nuncias, mi *Gonelle*, & animum tuum hac quoque parte agnosco. *Cato* & alia, quæ illi adjecimus, jampridem absoluta sunt, sed unicum nobis duntaxat exemplar est, scribarum inopia. Adjecimus & pristinæ collectioni magnam vim Similium ex *Plinio*: ea puto tibi tuisque magno usui futura, sed deest qui describat. Tanta est apud *Britannos* laboris fuga, tantus amor ocii, ut ne tum quidem excitentur, quum spes dolosi affulserit nummi. Huc si te contuleris, lubens & hæc & reliqua communicabo omnia. An id ex usu tuo sit, ipse expendito: nam mihi certe tuus adventus erit gratissimus: tametsi pestis hic locis aliquot scintillat, ut *Greani* nostri verbo utar, ac nuper aulam quoque regiam invasit audax, exstinctis duobus aut tribus. Verum si advolas, maturandum est, nam ipse ad quadraginta dies fugam adorno, nisi quid novæ obtingat fortunæ, cujus ne somnium quidem adhuc ullum video. De rebus novis scripsi *Greano*. Bene vale, *Gonelle* chariſſime. *Londino* 28. Aprilis.

Et ipse pene oblitus eram quod maxime cupiebas scire, quisnam sit genius ille malus mihi nuper exortus. Est animalculum quoddam pusillum, sed quo non aliud alat nec pontus, nec tellus venenatius, aut pestilentius: nihil enim est nisi merum virus, quod procul etiam afflat & amicis & inimicis. Hanc pestem *Liguria* nobis misit, hujusmodi venenorum ferax, magis quam *Hiberia*. Quod si nomen quoque cupis cognoscere, longe dissidet à moribus *Joannis Baptistæ*, cum quo homo nimium candidus ac simplex pene contraxeram domesticum contubernium, sed gustato veneno resilii. Is dolens elapsum esse me, virus suum procul afflat, ac linguæ venenis me petit. Duo me consolantur, unum quod ipse culpa vaco, alterum quod illi nemo credit, homini sic omnibus invisо, ut nec à fratribus aut liberis ametur, uxoris hostis. Rursum vale, mi *Gonelle*. *Londino*, An. 1515.

## Epistola CLXXIII.

*Erasmus Rot. Gonello suo* S.D.

Nihil est, mi *Gonelle*, quod te unius aut alterius interitus magnopere territet, nisi passim vagari malum cœperit, præsertim quum nunc in *Anglia* mutare locum nihil aliud sit, quam mutare periculum, non effugere. Fuge turbæ colluviem, quantum potes; moderate vive, sicuti facis; tuos item à turbæ commercio cohibe. Jam instat hyems, quæ solet hujusmodi mederi malis. Intelligo te nimium graviter discruciari, ac propemodum despondisse animum, quod tibi crumena cum paucis nummis perierit. Primum quid Musarum alumno cum pecuniis? deinde quid juveni? denique quid est, quod tantulæ pecuniolæ jactura *Gonelli* tangat animum? Ego quum ante quindecim annos redire in *Galliam* pararem, viginti libras in littore *Dovarienſi* perdidi, & nondum ingressus navim, naufragium feci. Universas opes semel perdideram, & adeo non consternatus sum animo, ut alacrior etiam & ardentior ad libros redirem, moxque intra pauciſſimos dies *Proverbiorum* opus edidi. Oble-

Digitized by Google

An. 1515. Oblecta te Musis, mi *Gonelle*: pecuniam istam aliqua tibi reddet fortuna vel cum fœnore. Interim sic existimato, *Erasmi* pecuniolas, quantulæcunque sint, tibi communes esse. Nostri desiderium non tibi molestius est, quam tui mihi: sed non semper sæviet Fortuna. *Joannis* mei discessus initio male me habebat, nunc occalluit animus, ut malim non redire. Quorsum enim attinet beneficium in eos conferre, qui non intelligunt? Nihil æque perit atque id, quod confertur ingratis: at longe magis perit, quod præstatur non intelligentibus. Ingratus dissimulat, non intelligens ne sentit quidem. Si quid novabis, quæso facias me certiorem. Quum dabitur colloqui, communicabo tibi, quod spero non ingratum fore, nec inutile studiis tuis. Bene vale. Salutem ex me dices humanissimæ matrifamilias, ac cæteris omnibus. Demiror *Lupsetum* nihil scribere: audire gestio, quid agat, quid valeat. Rursum vale. *Londini.* Anno 1515.

## EPISTOLA CLXXIV.

*Beatissimo Patri Leoni Decimo, Pontifici vere maximo, Erasmus Roterodamus* S. D.

SI celsitudinis tuæ ratio habeatur, beatissime Pater, nemo vel summorum Principum inveniatur, qui non veriturus sit ad te scribere. Quis enim non metuat eum compellare literis, qui quanto cæteri mortales pecudibus antecellunt, tanto ipse mortales universos majestate superat, & inter homines prorsus cœleste quoddam agit numen? Attamen singularis quædam naturæ tuæ bonitas, & incredibilis humanitas, qua quidem illam ipsam superas magnitudinem tuam, qua superas & maximos, non solum publica totius orbis voce prædicata, verum etiam ipsa, quod ajunt, fronte, totoque corporis habitu relucens, mihi vero, cum olim agerem *Romæ*, domestico etiam congressu degustata, tantum addit fiduciæ, ut nec ipse, infimæ pene sortis homuncio, dubitarim sublimitatem tuam meis interpellare literis. Atque utinam liceat vere beatissimis istis advolutum pedibus oscula figere. Video passim, audio passim, quacunque patet orbis Christianus, summos pariter atque infimos sibi de tali Principe gratulari. Quod quidem cum omnes meritissimo faciant, nullos tamen æque id facere par est atque eos, qui veræ pietatis & optimarum literarum studio ducuntur: primum quod nobilis illa & nominis immortalitate semper victura *Medicium* familia, cui *Leonem* debet orbis, semper excellentium probitate ac literis virorum, & altrix fuerit & ornatrix. Ex qua nobis, velut ex equo *Trojano*, tot eximii in omni doctrinæ genere proceres, paucis jam annis exsilierunt, tot *Ciceones*, tot *Marones*, tot *Platones*, tot *Hieronymi*: ut vel hoc unum omen studiosos omneis summam in spem debeat erigere, numinum providentia *Leonem* orbi datum: sub quo præclaræ virtutes, sub quo bonæ artes omnes refloresçant. Jam vero ab isto tuo genere adeo non degeneras, ut domus alioqui multo omnium laudatissimæ gloriam, tuis superaris virtutibus, atque hoc ipso reddideris illustriorem, quod illius lucem ornamentorum tuorum splendore quodammodo obscuraris. Nimirum ad optimam indolem optima accessit institutio: & felicissimo ingenii tui solo, longe bellissimus obtigit cultor, politissimus ille *Politianus*: cujus opera non spinosis istis ac rixosis literis, sed veris illis, nec sine causa bonis appellatis, ac mansuetioribus, ut vocant, Musis es initiatus: quæ ferum etiam ingenium mite placidumque solent efficere. Neque vero initiatus tantum, verum etiam absolutus. Itaque duæ res, quas in Principe civitatis requirit *Plato*, naturæ bonitas & recta educatio, sic nobis constant in totius Ecclesiæ Principe, ut amplius ne votis quidem concipi possit. Neque vero defuit hisce tam egregiis primordiis, vel tua ipsius industria, vel divini Numinis favor. Quibus rebus factum est, ut cum *Romana* urbis libertas integerrimos quoque viros non raro soleat adspergere: tu ut vitam, ita & famam modis omnibus illibatam ad istam attuleris dignitatem, ad quam usque adeo nullis pecuniarum, aut factionum præsidiis penetrasti, ut nec ambiens, nec exspectans, non tam hominum suffragiis, quam divini Numinis calculo delectus fueris atque adscitus. Neque vero mediocriter illustravit laudum tuarum decus, illa Fortunæ sævientis iniquitas, quæ sane superûm permissu videtur incidisse, quo nimirum genuina virtus animi tui, velut aurum igni exploratum, spectatior redderetur mortalibus. Nam ut *Mario* plurimum addidit laudis Fortunæ vicissitudo, ita quidam *Alexandri* gloriæ, hoc detrahunt nomine, quod perpetuo pene rerum successu fuerit usus. *Timothei* vero felicitas, picturis etiam fuit exagitata. Egregium nauclerum adversa tempestas arguit. Insignis sculptor, quo duriorem ac minus obsequentem nactus est materiam, hoc majus artis suæ miraculum præbet. In quovis rerum statu explicat sese genuina illa virtutis vis: nusquam tamen clarior, quam quoties noverca *Juno Herculem* suum omni genere malorum exercet. Magis illustrarunt *Ulyssem* tot exantlati labores, quam feliciter excisa *Troja*. Quanquam illud sæpenumero videmus accidere, ut qui res adversas fortiter pertulerunt, fortunæ blandientis indulgentia corrumpantur. At tu quam integritatem in rebus afflictis semper præstiteras, eandem hactenus ad summum rerum apicem evectus præstitisti. Nisi quod nunc tuam bonitatem magis sentimus, dum nobis expressius CHRISTI refers imaginem, cujus haud dubie vicem geris, posteaquam ad summam bonitatem, summamque sapientiam, par accessit potentia: ut quantum pro tua bonitate prodesse vis, quantum pro tua singulari sapientia, qua ratione succurrendum sit rebus humanis, perspicis, tantundem pro summi Pontificii fastigio possis. Ut enim nihil possit accidere pestilentius, quam si pravitas ac stultitia, summi magistratus armetur auctoritate: ita non alia res æque salutaris à superis dari potest mortalibus, quam si ad cuncta moderantis Dei similitudinem, tria hæc in Principe copulentur. Porro, quo major est potestas, hoc pernicioſior est, si inciderit in hominem vel stultum, vel malum. Sensit illico mundus *Leonem* gubernaculis rerum admotum, repente seculum illud plus quam ferreum, in aureum versum: ac tanta, tamque fatalis subito rerum omnium commutatio, ut nemini non palam esset, hæc auctore Deo geri. Compositæ bellorum undæ: cohibitæ Principum inter ipsos minæ: acerbis odiis dissidentes maximorum Regum animi in Christianam adacti concordiam: sublatum pernicioſissimum illud schisma, & ita sublatum tam ingens malum, ut ne cicatrix quidem supersit. Ut fileam interim, quod aliquot *Italiæ* Principes suis civibus, quod complures cives in exsilium actos suæ patriæ reddidisti: quod tuam familiam diu Fortunæ injuria vexatam restituisti: quod *Florentinam* civitatem tuam, quæ majorum tuorum prudentia diu florentissima fuit, multo reddidisti florentiorem. Hoc nimirum erat gentilitio *Medicis* cognomini respondere, tot tam immedicabilibus pene totius orbis malis subito mederi: idque non vi, neque severitate, veluti sectionibus, inusturis, aut alioqui tristibus pharmacis: sed consilio, sed prudentia, sed animi moderatione, sed mansuetudine. Alii laudibus vehant bella à *Julio* secundo vel excitata gnaviter, vel gesta feliciter, victorias armis partas recenseant, triumphos regaliter actos celebrent: quantumlibet hisce rebus gloriæ tribuent, tamen eam cum multorum dolore conjunctam fuisse, fateantur necesse est. Ut interim fileam, quod ex rei bellicæ gloria, magnam partem sibi vendicant Principes, quorum ductu auspiciisque negotium agitur: majorem fortasse miles, cujus periculo, manibusque, res geritur: maximam vero Fortuna, quæ nulla in re magis dominatur, quam in bello. Ad *Leonis* autem gloriam nullus est qui ingemiscat, nemo qui musset: neque periculum est, ne quod in plerisque fieri solet, damnet posteritas, cui sua applauserit ætas.



Digitized by Google

An. 1515. Accedit huc, quod tua gloria, præterquam quod nulli non ſalutaris, nulli non lætiſſima fuit, tota tibi cœleſtique numini propria eſt, ut quæ publico omnium bono, bene fortunante Deo, incredibili tua ſapientia contigerit: atque vel ob hoc ipſum magis eſt propria tibi, quod illius munere contigerit, qui non favet immerenti. Ut maximum declararit *Julium* totus pene orbis ad bellum excitatus, certe majorem teſtatur *Leonem* pax orbi reſtituta. Clarius arguit tuam magnitudinem, quod inclytus *Ludovicus*, *Galliarum* Rex, ſe ſuaque omnia tuo ſubmiſit arbitrio; quam *Julii*, quod ab eo bello victus eſt, aut certe vexatus. Magis illuſtravit auctoritatem tuam Sereniſſimus *Angliæ* Rex, hujus nominis octavus, quod te auctore depoſuit arma; quam *Julii*, cum illius inſtinctu ſuſcepit arma: propterea, quod ad capeſſendum bellum facile quemvis alliciat victoriæ ſpes, nemini non blandiens: & haud ſcio an illis potiſſimum, quibus inſidias ſtruit Fortuna. At vero efficere, ut tantus Rex, imo ut juvenis excelſo atque invicto præditus animo, ad hæc tanto rerum ſucceſſu velut exſultans, victoriam jam certam amittat è manibus, atque ex hoſte acerrimo in ſummam tranſeat concordiam: id vero plane divinitatis cujuſdam eſſe videtur. Denique ut pro tempore neceſſaria fuerit *Julii* ſeveritas, certe magis ſalutaris fuit *Leonis* manſuetudo: multoque propius ad ejus accedens exemplar, cujus locum inter mortales occupat *Romanus* Pontifex: nempe *Solomonis* illius pacifici, qui ſua concordia cœlum pariter ac terram conciliat atque conglutinat, qui tolerantia vicit, non copiis; qui moriendo triumphavit, quique non aliorum ſanguine ſibi vindicavit imperium, ſed ſuo ſanguine nobis regnum cœleſte comparavit. Proinde optimo jure ſibi gratulatur orbis Chriſtianus, talem *Leonem*, in cujus ore reperit mundus plus quam melleam dulcedinem. Quid enim pace dulcius? præſertim poſt graviſſimos ac diutinos bellorum tumultus, quibus inter nos collidebamur, immenſa Chriſtiani ſanguinis jactura, ingenti bonarum mentium dolore, magno *Turcarum* gaudio. Ad ipſam etiam illorum temporum recordationem inhorreſcit animus. Sed cuicunque malum illud acceptum feret poſteritas, *Medici* certe debemus remedium. Quod ſupereſt, confidimus fore, ut quemadmodum *Sampſonis* ænigma jam perſpeximus, ita Chriſto res tuas bene fortunante, mox & illud *Apocalypſeos* in te quadret, *Vicit Leo de tribu Juda*. Sapientiæ moderationiſque tuæ dulcedinem jam ſenſimus omnes. Et *Leonem* videlicet illum victorem, brevi ſpectabimus. Hoc nobis de te pollicentur virtutes iſtæ tuæ jam incomparabiles: hoc utrunque nomen ominatur, & quod ad ſummum Pontificium attuliſti, & quod creatus Pontifex adoptaſti. Etenim cum *Joannem* audimus ac *Leonem*, quid aliud intelligamus, quam eximiam bonitatem cum invicto animi robore conjunctam. Quin illud quoque felix auſpicium habere videtur, quod non ſolum *Leonem* habemus, quo nomine nullus adhuc fuit *Romanus* Pontifex, non egregie laudatus, verum etiam *Leonem* decimum. Nam quicquid ingens eſſet, id *decuplum* appellabat antiquitas. Proinde quicquid virtutum in ſingulis *Leonibus* excelluit, id totum exſpectamus à *Leone* decimo: Primi *Leonis* felicem auctoritatem; Secundi eruditam pietatem, & ſacræ Muſices ſtudium; Tertii præter ſalutarem eloquentiam, animum quoque ad utranque fortunam infractum; Quarti ſimplicem illam & à Christo laudatam prudentiam; Quinti ſanctam tolerantiam; Sexti pacis ubique ſarciendæ ſtudium; Septimi cœlo dignam ſanctimoniam; Octavi integritatem; Noni effuſam in omnes benignitatem. Hæc, inquam, omnia nobis promittunt, non ſolum nominum ipſorum haudquaquam contemnenda auguria; verum etiam hæc, quæ jam abs te præſtita videmus, quæ videmus apparari. Felices rerum orſus felicem portendunt exitum. Porro, victoriæ ſpem hoc nobis facit certiorem, quod optime perſpicit ſapientia tua, ut eſt gemina victoria, ita bellum quoque gemi-

A num eſſe: alterum cum vitiis, nimirum omnium peſtilentiſſimis, & haud ſcio an ſolis Chriſtianæ profeſſionis hoſtibus: Alterum cum impiis & barbaris, Chriſtiani nominis, & *Romanæ* Sedis inimicis. Ac prius quidem illud, ut magis neceſſarium eſt, ita & longe difficilius, & à nobis maxime pendens, eoque majore tractandum cura. Quod ſimul atque à nobis rite confectum fuerit, poſterius hoc facile Christo auxiliante conficietur. Ut ne dicam interim utriuſque belli longe diverſam eſſe rationem. Alterum eſt ejuſmodi, ut à bonis nonnullis improbetur. Alterum uno cunctorum ore laudatum. Nam ad bellum cum vitiis gerendum, haud dubie, adhortatur Christus, exſtimulat *Paulus*: at belli cum *Turcis* ſuſcipiendi, nec auctor eſt Christus, nec adhortatores Apoſtoli. Ut demus utrunque gerendum, certe majore ſtudio moliendum, quod indixit Spiritus ille cœleſtis, quam quod inſtituerunt homines. Et haud ſcio, an, quemadmodum ipſe Christus, una cum ſuis Apoſtolis ac Martyribus, beneficentia, patientia, ſancta doctrina ſibi ſubegit univerſum orbem, ita rectius *Turcas* vitæ pietate ſubacturi ſimus quam armis: ut iiſdem rationibus vindicetur Chriſtianum imperium, quibus olim paratum eſſe conſtat. Quod ſi utrunque probandum eſt, probandum autem proculdubio quicquid *Romanus* approbarit ſenatus; neutra certe in re ceſſat inaudita tua C pietas, Pater beatiſſime, quæ ſimul & Chriſtianæ plebis religionem, jam olim multis collapſam modis, & in dies magis ac magis collabentem, ſaluberrimis, ut audio, Synodi conſtitutionibus ſarcit ac reſtituit: & hujuſmodi conſtitutionibus, non quæ quæſtum, aut dominandi libidinem, aut tyrannidem oleant, ſed quæ vere ſpiritum referant Apoſtolicum: quas quivis à patribus, non à dominis profectas poſſit agnoſcere, in quibus piæ mentes ipſum Christvm veluti loquentem venerentur. Hac igitur via molitur ſanctitas tua, ut Christi Eccleſia veris ac ſuis opibus locupletetur, ut ſua præmineat gloria, ut ſua polleat ditione: breviter, iis cœleſtibus donis cumuletur, quæ D nonnunquam tum potiſſimum exuberant, cum cæteris illis deſtituimur maxime. Quanquam nec alteram illam virtutis functionem videris negligere, ut qui conciliandis omnium inter ſe Principum animis, componendiſque Chriſtianorum rebus, pulcherrimam pariter ac tutiſſimam ſtruis viam, ad impiam *Turcarum* gentem vel ſubigendam, vel profligandam. Non ferent aliquando *Leonis* noſtri rugitum immanes illæ belluæ; ſentient, ſentient invictum illud *Leonis* manſuetiſſimi robur quantumvis truculentæ feræ, impares erunt Pontifici, magis pietate quam copiis armato; ac numen etiam immortale ſecum in bella trahenti. Video jam dudum, beatiſſime Pater, quam ingens laudum E tuarum campus ſe nobis aperiat, ſed longe impar eſt hujus ingenioli vis, rebus tantis explicandis; ad tam divina facinora, noſtra non adſpirat eloquentia, vel potius infantia. Atque utinam hoc ſtudium detur eruditis omnibus, ut velint, tum ea facultas, ut poſſint omnium ſeculorum memoria dignas *Leonis* decimi virtutes, dicendi viribus exæquare. Me quidem procul abſterret tua celſitudo; quem enim illa non abſterreat? Et tamen neſcio quo pacto, mihi vehementer geſtit animus pro virili omnes ingenii nervos in hoc explicare, ut quanta exſtiterunt *Leonis* in Chriſtianam gentem merita, tanta & poſteris habeantur ac celebrentur, nullo unquam tempore intermoritura. Qua de re diu F cogitanti mihi, cum exploratum haberem, nequaquam ingenii noſtri præſidio confici poſſe, propemodum viſum eſt, fieri poſſe, ut hac ratione utcunque, quod conor, liceat aſſequi, ſi ad id efficiendum immortalis alicujus per ſe nominis adminiculo fuerimus uſi. Perſpiciebam divum *Hieronymum* ſic apud *Latinos* eſſe Theologorum principem, ut hunc prope ſolum habeamus, Theologi dignum cognomine; non quod cæteros damnem, ſed quod illuſtres alioqui, ſi cum hoc conferantur, ob hujus eminentiam velut obſcuren-

Digitized by Google

An. 1515. rentur: denique, tot egregiis cumulatum dotibus, ut vix ullum habeat & ipsa docta *Gracia*, quem cum hoc viro queat componere. Quantum in illo *Romane* facundiæ? quanta linguarum peritia? quanta omnis antiquitatis, omnium historiarum notitia? quam fida memoria? quam felix rerum omnium mixtura? quam absoluta mysticarum literarum cognitio? super omnia quis ardor ille? quam admirabilis divini pectoris afflatus? ut unus, & plurimum delectet eloquentia, & doceat eruditione, & rapiat sanctimonia. Atqui ut hunc virum unum habemus digniſſimum, qui legatur ab omnibus: ita unus sic depravatus erat, sic contaminatus, sic conspurcatus, ut nec à doctis posset intelligi. Videbam facinus quidem pulcherrimum, si nostra cura Doctor tam eximius orbi restitueretur. Verum, perspiciebam tantum esse in eo negotio difficultatis, ut ea res non unum desideraret *Herculem*: tantum aberat, ut unum me parem esse posse confiderem, adeo non *Hercules*, ut vix etiam homo. Attamen certatim adhortantibus eruditis, efflagitantibus Episcopis, nominatim autem unico illo, non meo tantum, sed & omnium literarum, omnis virtutis, apud *Britannos Mecænate*, D. *Guilielmo* Archiepiscopo *Cantuarienſi*. Quo quidem viro ut nihil habet illa insula, vel eruditione, vel integritate, vel omnibus denique ornamentis episcopalibus absolutius; ita non alium habet, ad provehendum optimarum rerum studium propensiorem: porro, in omnibus negotiis, quæ ad Sedis *Romanæ* dignitatem, amplitudinem, ac majestatem pertinent, ea pietate, ut majore non possit. Deinde jam veluti restitantem, & ob immensam laboris magnitudinem, susceptæ Provinciæ suppœnitentem, Reverendi in CHRISTO Patris *Joannis Petri Caraffæ* Episcopi *Theatini*, qui nunc apud *Anglos* nomine sanctitatis tuæ Oratorem agit, denuo redaccendit Oratio; suaque voce & applausu, reddito mihi animo, in certamen revocavit. Quid enim non persuadeat illa tam singularis hominis eloquentia? quem non permoveat, tam integri, tam gravis auctoritas Præsulis? quem non inflammet, tam rara optimi viri pietas? Nam ad trium linguarum haud vulgarem peritiam, ad summam cum omnium disciplinarum, tum præcipue Theologicæ rei cognitionem, tantum homo juvenis adjunxit integritatis & sanctimoniæ, tantum modestiæ, tantum mira gravitate conditæ comitatis: ut & Sedi *Romanæ* magno sit ornamento, & *Britannis* omnibus absolutum quoddam exemplar exhibeat, unde omnes omnium virtutum formam sibi petere possint. Hic tantus tantum tribuit hisce meis laboribus, ut ne, si immodestissimus quidem sim, possim agnoscere. Et tamen nescio quo pacto laudibus illis suis, jam fesso calcar addidit, fatiscentem erexit, deficientem restituit. Horum igitur & his consimilium hortatibus exstimulatus, atque in primis ejus auxilio fretus, qui non solet unquam piis deesse conatibus, veluti novus jam ad intermissum opus redeo. Epistolarum volumina, nam hæc mihi proprie sumpsi, à mendis, quibus exstincta fuerant verius quam depravata, partim veterum collatione codicum, partim nostrapte sagacitate repurgavimus; Græca, quæ vel deerant omnino, vel perperam erant addita, reposuimus diligenter. Quod idem factum est & in Hebraicis: verum οὐκ ἄνευ θεοῦ, ut Græcum habet proverbium, quod eas literas ipse primoribus modo labris degustarim. Ad hoc quoniam divus *Hieronymus*, ut est omni genere literarum absolutissimus, ita mirus est opum suarum ostentator: ut qui passim gaudeat infulcire, quicquid usquam apud omnis linguæ scriptores abstrusum ac reconditum habeatur: unde fit, ut eruditus etiam lector ad plerosque locos, velut ad salebras, restitet: adjecimus commoda suis locis scholia, quoties incurrit, quod lectorem remoraturum esse videbatur. Præterea, quoad licuit, in ordinem redegimus omnia. Nothos ac subdititios libellos, quos partim casus, partim librariorum quæstus, aut inscitia, partim improbissimi cujusdam impostoris temeritas, *Hieronymianis* lucubrationibus admiscuit, non resecuimus quidem, sed ab aliis semotos, ademptis titulis, in suum relegavimus Tomum: ut neque sit quod desiderare posset avidus magis quam elegans lector: neque rursum tam insulsæ neniæ sese posthac tam incomparabilis viri titulo venditarent. Atque id ne audacter magis quam judicio feciſſe videremur, præfationibus & censuris additis, quid in his secuti simus, lectorem docuimus. Quid multis? Tantum hic laboris exantlatum est, ut parum abfuerit, quin meipsum enecarim, dum sedulo adnitor, ut *Hieronymus* renascatur. Neque verebor illud vel jurejurando confirmare, minoris ipsi *Hieronymo* constitisse, suas scripsisse lucubrationes, quam nobis restituisse & illustrasse. Fervet igitur jampridem ingens opus, & apud inclytam *Rauracorum Basileam* totus renascitur *Hieronymus*; idque in Officina *Frobeniana*, qua non est alia vel accuratior, vel unde plus bonorum exeat codicum, præsertim qui ad sacras pertineant literas. Neque vero unius hominis hic labor est, neque unius hominis impendium. Nam in cæteris *Hieronymi* monumentis, quæ mihi non sumpsi, etiamsi pro tempore nonnihil opitulor, à compluribus eruditissimis viris jam pridem est desudatum. Inter quos est eximius ille vir *Joannes Reuchlinus Phorcensis*, trium linguarum Græcæ, Latinæ, & Hebraicæ pene ex æquo peritus: ad hæc in nullo doctrinæ genere non versatus, ita ut cum primis certare possit. Unde merito virum hunc ceu *phœnicem*, & unicum suum decus tota suspicit ac veneratur *Germania*. Neque parum attulit momenti *Conon Nurenbergensis*, Theologus ex instituto horum, quos vulgo *Prædicatores* vocant, vir ut Græcæ literaturæ calentissimus, ita in adjuvandis bonis literis infatigabili quadam diligentia. Cumque his *Beatus Rhenanus Selestadiensis*, juvenis tum exquisite doctus, tum in judicando naris emunctissimæ. Porro, plurimum attulerunt momenti, fratres *Amorbachii*, quorum & impendiis & sudoribus cum *Frobenio* communicatis, hoc negotii potissimum peragitur. Quæ quidem domus in hunc usum ab ipsis fatis parata videtur, ut ejus opera reviviſceret *Hieronymus*. Pater, vir omnium optimus, tres filios in hoc Græcis, Hebræis, ac Latinis literis curarat instituendos. Ipse decedens liberis suis studium hoc velut hæreditarium commendavit: quicquid erat facultatum huic negotio dedicans. Atque optimi juvenes pulcherrimam Provinciam, ab optimo parente mandatam, gnaviter obeunt, sic mecum partiti *Hieronymum*, ut quod ab Epistolaribus libris supereſt, id ad illorum pertineat curam. At quorsum hæc, inquiet sanctitas tua? Nimirum huc ibam, beatissime Pater, nihil est *Hieronymiano* nomine celebrius, nihil ipso comprobatius, & tamen video quantum huic lucis, quantum ponderis & auctoritatis sit accessurum. *Leonis* gloria nihil luculentius, & tamen haud mediocris, ni fallor, huic adjungetur accessio, si tam rarum, tam ingens, tam inclytum opus, felicissimo tui nominis auspicio, veluti denuo renatum, in lucem & in hominum manus exeat. Et pulchre videtur convenire, ut omnes bonæ literæ, quæ pacis alumnæ sunt, per eum Pontificem reflorescant, per quem ocium & pax studiorum altrix, orbi terrarum parta est. Et pulchre quadraverit, ut primus Christianæ religionis doctor, ejusdem religionis antistiti summo dedicetur: & optimus omnium Theologus, omnium optimi Pontificis titulo commendetur. Equidem haud sum nescius, religiose quoque tentandum, ut beatitudini tuæ quicquam dedicetur, dignum numine sit oportet, quod numini consecretur. Attamen si sensero hac in re tuæ quoque majestatis favorem, non solum hasce lucubrationes, verum etiam universum studiorum meorum proventum cupiam *Leoni* consecrare. Ipse ex tantis sudoribus non alium exspecto fructum, quam ut nostra qualicunque industria, Christiana pietas ex *Hieronymi* monumentis adjuvetur. Is abunde rependet præmium, in cujus gratiam hoc laboris desudo. A pluribus legetur,



Digitized by Google

An. 1515. tur, si fuerit à pluribus intellectus *Hieronymus*. Sed & libentius legetur ab omnibus, si tanti Pontificis calculo fuerit comprobatus. Sanctitatem tuam nobis & universæ Reipublicæ Christianæ, quam diutissime servet incolumem, semperque felicibus incrementis in majus provehat, idem qui te donavit orbi *Christus*, Optimus, Maximus. Datum *Londini* 28. Aprilis, Anno 1515.

## Epistola CLXXV.

Andreas Ammonius Erasmo Theologo *S. D.*

VIDEO, *mi officiosissime* Erasme, *ineptiarum mearum præfationem* Montjoio *(quod tuo divino judicio conjectaras) minime probari. Ideoque aliam ad te mitto: at equidem recenti fœtura mihi videtur minus mala quam altera erat, & si felici tua lima dignaberis, ausim sperare bonam. Sin vero manus tua materiam istam refugiet, mihi certum est non amplius, ut in hoc tibi placeam, laborare. In re tua vel capitis discrimen subire possum. Utcunque, mi* Erasme, *meum nomen, quantulumcumque est, tibi iterum atque iterum commendo. Si vides has nugas commiserationem mihi aliquam allaturas, pone illis, rogo, modum quem voles, & in summa tui amiculi honori consule. Scio te plus in re mea, quam egomet, sapere, nec vereor quin tantundem sis effecturus: novi enim quam sis amicus amico, ideoque* —— verbum non amplius addam. *Tua* Adagia *istic rursus excusum iri gaudeo, quanquam ego* Aldina *exemplaria malim, cum ob* Latinorum, *tum ob* Ἑλλενικῶν χαρακτήρων χάριν. *Verum ad quem* Italum *me alleges non intelligo, neque enim quenquam* Italum *bibliopolam hic novi: sed perquiram diligentius, nam valde cupio emere. Episcopo* Dunelmensi *te quam potui diligenter commendavi: gavisus est nuncio, & tibi gratiam habet, interrogavitque quando esses rediturus: respondi, quantum ego conjicerem, brevi. Caterum male sit illi, cui tuas literas ad me dedisti, ejus enim negligentia factum puto, ut cum tu quinto Calend. Majas dederis, non ante* XVII. *Calend. Junias mihi redderentur, ut sane verear ne serum jam sit ad ea quæ scribis respondere. De rebus* Britannicis *quod operæprecium sit scire, novi fere nihil est, præterquam de ipso Rege, qui divinior in dies se præbet. Sed hoc vetus tibi est: de te vero mirum mehercule desiderium, obtundor his vocibus, quoniam me tibi contubernalem norunt,* Quid de Erasmo? quando reveniet? Est plane sol nostri seculi, ô si redeat! *& multa alia, quæ scribere nolo, ne quid postea in me referas.* Morus *noster mellitissimus, cum sua facillima conjuge, quæ nunquam tui meminit, quin tibi bene precetur, & liberis, ac universa familia pulcherrime valet.* Linacer *sacerdotio auctus est, pro quo omnes Musas Fortuna gratias egisse arbitror: tuus* Leucophæus *salvere te jubet: tu cura ut valeas, & ad nos sospitem te referas,* ἀλλὰ ἢ παῤ ἐμὲ τὸ φίλτατον πολυγεφύρον ἀσπάζε, ἢ τὸ συμβόλαιον ἐδαμῶς περᾶν φράγγελλε. Londino 19. *Maji, An.* 1515.

## Epistola CLXXVI.

*Joanni Sylvagio, Regis Catholici Cancellario summo, Erasmus Rot.* S. D.

TANDEM explicui me è laboribus *Basilienſibus*, vir clarissime, fortassis serius & meis votis, & amicorum exspectatione, sed tamen pro operis modo pene præpropere, quippe qui libello, *De Principe instituendo*, nondum absoluto discesserim, cum magnopere cuperem id muneris offerre Principi, deerat nonnihil adhuc & in *Hieronymo*. Quod supereſt ex tuo potissimum consilio faciam, quod erit faciendum. Has literas hoc consilio reliqui *Antuerpiæ*, ut si forte fortuna non contigisset mihi *Bruxellæ*, aut *Mechliniæ*, tui conveniendi copia, hac saltem ratione tuam celsitudinem salutarem. Nam ipse *Montjoicam* arcem adeo, illinc quempiam in *Angliam* transmissurus, qui volumina *Hieronymi*, quorum editionem inscripsi *Cantuariensi*, illi reddat, simulque cæteros amicos meo nomine conveniat, ac censum anni superioris colligat. His rebus confectis, mox ad vos me recipio. Interea valeat incolumis tua celsitudo, vir incomparabilis, & patrone summe. *Antuerpiæ* 1. Junii, An. 1515. An. 1515.

## Epistola CLXXVII.

Andreas Ammonius Erasmo *S. D.*

COCLITEM *discessisse arbitratus, amico cuidam meo trajicienti, &* Bruxellas *(quo te venturum conjectavi) profecturo tres versus ad te confestim dedi, una cum exemplo literarum, quas tibi jam pridem scripseram, & per nostrum* Pacæum *miseram, quibus junxeram Pontificis Max. ad te* Breves *appellatas, alteras ejusdem exempli apud me retinui, quas tibi per tuum* Coclitem *nunc mitto: sed* Breve, *quo idem Pont. Max. Regi te studiose commendat, tibi servo, quoniam tametsi isthic haberes, huc tamen esses relaturus, & circumlatum posset excidere. Aveo* Germanicas *gerras ex te audire, quanquam quid mirum si terra illa, quam* Tacitus informem, cœlo asperam, tristem cultu, aspectuque, *nisi si patria sit, tibi arriſit? qui possis* Riphæos *montes serenare, feras & saxa mollire, cui si propius accedas, non minus quam suo* Orpheo Hæmus *aduletur, in quem nihil potest tam magnificum conferri, quod meritis comparatum (ut ita dicam) parvificum non sit habendum. Sed coram (ut tu ais) melius de his nugabimur. Valde hic non à me solum, sed ab omnibus exspectaris, ipse quoque* Larchus, *qui est apud* Eboracensem *summus, munusculum tibi adventitium destinavit. Caterum cura te amabo diligenter. Sexto Calend. Quintiles, (26. Junii) odi enim* Julianum *nomen.* Londino *ex* Westmon. *Anno* 1515.

## Epistola CLXXVIII.

Leo X. Pont. max. dilecto filio Erasmo Rot. *S. D.*

DILECTE *fili, salutem & Apostolicam benedictionem. Lætati admodum sumus ex tuis ad nos literis* Londini *datis: pertulerunt enim cum amorem tuum, tum præclarum de nobis judicium, quod facis: quorum utrumque nobis gratissimum, hoc etiam erant ambo illustriora, quod non à quovis homine, sed à viro doctissimo & nobis probatissimo, quem & in minoribus cognovimus, illa nobis accidebat gratulatio, quam summa scribentis fides, & summa eloquentia commendaret. Quapropter volumus tibi certo persuasum esse, nos alterum effecturos, ut virtutem & benevolentiam tuam erga nos singularibus nostræ paternæ charitatis, occasione oblata, excipiamus officiis: in altero conaturos, ut tuis egregiis de nobis judiciis studia nostra consentiant: utinam auctor ille summus bonarum non actionum solum, verum etiam mentium, qui nos, nullis insignibus meritis ornatos, sola sua liberalitate & providentia ad hunc altissimum gradum produxit dignitatis amplissimæ, quemadmodum ea optare nos voluit, quæ ad optimum Christianæ Reipublicæ statum faciunt, & sunt idonea: ita viam muniat, qua sit nobis expeditus cursus ad veram pietatem, atque virtutem inter homines instaurandam: & sunt adhuc quidem aliqua inchoata per nos, quæ tu amanter in tuis literis attingis. Sed restant majora multo & difficiliora, ad quæ divino maxime opus est auxilio: quod si affuerit, dabimus operam, ut qui bene de nobis & natura nostra sentiunt, id vere judicio facere videantur. Verum hæc Deus misericordia viderit. Nos & volumina divi* Hieronymi *& Novi Testamenti, tua cura elaborata, jucunda quadam cupiditate exspectabimus, & promissum tuum, quo omnium studiorum tuorum fructus te nobis delaturum affirmas, in maximi muneris loco ducemus, in eoque gratiam tibi summus habituri. Amamus autem multum hoc nomine venerabilem fratrem Archiepiscopum* Cantuariensem, *quod in tua virtute studiis suis confovenda satis ipse egregium testimonium perhibet, & virtutis & dignitatis suæ. Nos tum communi studio nostro, & amore erga bonas literas, tum præcipua quadam opinione virtutis & doctrinæ tuæ*

*desi-*

Digitized by Google

An. 1515. *desideramus admodum tuis ornamentis & commodis patere aliqua occasione liberalitatem nostram, sicut & nostra in te voluntas postulat, & virtus tua meretur. Datum* Romæ *apud sanctum* Petrum, *sub annulo piscatoris, 10. Julii, Anno 1515. Pontificatus nostri anno tertio.* Ja. Sadoletus.

## EPISTOLA CLXXIX.

### Leo X. Papa Regi Angliæ Henrico, ejus nominis VIII.

CHARISSIME *in* CHRISTO *fili noster, salutem & Apostolicam benedictionem. Exstat quoddam nostrum studium erga homines doctos & ejusmodi literas, quæ & re sunt ipsa & appellantur bona, ac animi affectio prope singularis innata quidem nobis à pueris, & domestica disciplina confirmata, sed ætate progrediente etiam judicio aucta: tum quod homines hosce, qui optimas artes & literas sectantur, minime malos esse, integerrimaque fide præditos sæpe jam experti sumus: tum quod ab hac scientia, & sancta Ecclesiæ doctorum eloquentia, scimus maxima non adjumenta modo, verum etiam ornamenta in Christianam Rempublicam profecta fuisse. His causis adducti, diligimus admodum in Domino dilectum filium* Erasmum Roterodamum, *quem inter primos hujus scientia atque artis esse judicamus: notum quidem nobis ex domestico congressu antea cum in minoribus essemus, sed deinde longe magis ex eis ingenii monumentis, quæ literis mandavit, non notum solum, verum etiam maxime probatum. Is ad nos ex* Anglia, *ubi nunc commoratur, literas misit plenissimas officii; nobis hoc etiam gratiores, quod afferunt secum ab illo testimonium Regiæ istius virtutis & magnanimitatis tuæ, qua commemoratione nihil nobis est pro nostra summa in majestatem tuam benevolentia jucundius. Eum nobis visum est majestati tuæ commendare, neque illi nos nunc certam rem ullam à te petimus: neque vero ipse hoc à nobis postulavit, sed facimus sponte nostra, ut quibus nos ex animo bene volumus, eisdem ab aliis, qui possunt, similem voluntatem & benevolentiam requiramus. Erit igitur nobis vehementer gratum, siquid ipse majestatis tuæ gratiam, favorem, humanitatemve desideraverit, ut ei præter eam liberalitatem, quam sponte tua deferres, etiam ostendas, magnum hac nostra commendatione pondus accessisse. Hoc tum pergratum nobis fuerit, tum majestati tuæ, ut quidem arbitramur, perhonorificum. Datum* Romæ *apud sanctum* Petrum, *sub annulo piscatoris, 10. Julii, Anno 1515. Pontificatus nostri anno tertio.* Ja. Sadoletus.

## EPISTOLA CLXXX.

### Raphael, Card. S. Georgii, Erasmo Rot.

CLARISSIME *vir, amice singularis, salutem. Duo præcipue tuis in literis exosculati sumus: priscam quandam planeque* Romani *candoris facundiam, sed eam nobis jampridem cognitam perspectamque, abunde quidem ex tuis eruditissimis colloquiis, sed multo uberius ex præclaris ingenii tui monumentis, qua abs te & Græca Latinaque literatura, & prosa pariter atque carmine perpolita in lucem prodierunt: quæ ut nomen tuum seculorum æterna memoriæ consecrabunt, ita* Britanniæ, *multis rebus per se clara, non parum splendoris adjunget alumnus* Erasmus. *Alterum non minus gratum fuit, quam est novum. Significas enim te consultare de repetenda Urbe, quod quo vehementius optamus, hoc minus audemus nobis polliceri, ne nos ipsos conjiciamus in falsum gaudium. Utinam quod deliberas, semel statuisses. Vereor enim, ut sunt volubiles hominum cogitationes, variaque rerum ac temporum occasiones, ne qua res alio deflectat animum tuum, nec ad diem abs te præscriptum nos invisas. Tum quemadmodum invitus te dimisimus, nec alio nomine potuisti commeatum à nostris affectibus impetrare, nisi quod dicebas te serenissimi Regis, Archiepiscopi* Cantuariensis, Guilelmi Montjoii *crebris literis invitatum in* Britanniam, A *ita non audemus te à tam eximiis Mecænatibus improbis hortatibus avellere. Arbitror animum meum tibi non ignotum esse. Hoc tantum admonemus prudentiam tuam, præsentem hujus Urbis occasionem non esse negligendam, sive quæris emolumentum, sive dignitatem spectas: quorum neutrum censeo tibi contemnendum: siquidem & imminenti senectuti mature procurandum est viaticum, & dignitas te ab invidia, quæ semper egregiæ laudis comes esse solet, morsibus vindicabit. Quicunque literis pollent, ad Urbem hanc, velut ad theatrum convolant undique, ubi non solum summis viris, id est, tui similibus, amplissima virtutis præmia parata sunt, verum etiam vulgaris nota hominibus non deest suus honos, quo* B *provocentur ad altiorem gradum. Quid quod* Roma *te suo jure veluti suum reposcit, & quanquam hoc habet cum multis urbibus commune, quemadmodum* Homerum *septem urbes sibi certatim vendicabant, tamen hæc Urbs in hoc certamine, nullius studio cessura videtur. Aliis alia patria est,* Roma *communis literatorum omnium & patria est, & altrix, & evectrix. Contristasti nos discessu tuo, utinam reditu lætifices. Quod divum* Hieronymum *emaculatum in lucem revocasti, ad me nonnihil videtur attinere, qui sacerdotium cum illo commune in* Romana *Ecclesia obtineo. Na tu præclarum illi monumentum erexisti, tui quoque nominis æternam memoriam servaturum. Proinde curabitur, ut quamprimum illum* C *nobis denuo comparemus, quo videlicet in eo versantes, & sermonis elegantia delectemur, & saluberrimis præceptis ad pietatem instruamur, quod utinam aliquando liceat tecum, qui mihi, quum hic ageres, ad dicendi facultatem tantum aperuisti lucis, quantum antehac ab alio nemine fuit ostensum. Bene vale.* Roma 18. *Julii, Anno Domini 1515.*

An. 1515.

## EPISTOLA CLXXXI.

*Leoni X. Pont. vere max. Erasmus Roterodamus* S. D.

ABVNDE felix mihi videbar futurus, beatissime Pater, si sanctitas tua boni modo consuluisset meam vel temeritatem, vel sedulitatem, qui non veritus essem Pontificiæ majestatis celsitudinem, & quod est augustius, LEONIS incomparabile fastigium, ultro meis interpellare literis. Verum hæc, ut video, audacia mihi longe felicissime cessit. Vicit enim & spes, & vota nostra, pietas ista tua plus quam paterna, sponte missis duobus *Brevibus*, quorum altero me meaque studia locupletissimo simul & gravissimo testimonio ornat, altero regiæ Majestati, non minus amanter quam diligenter commendat. Summum est, numinis æterni suffragium promeruisse, huic certe proximum esse reor, summi Pontificis oraculo comprobari: plus etiam LEONIS, hoc est, ejus, qui summam inter mortales dignitatem omni virtutum ac literarum genere viciſſim condecorat. Ea si mihi mature fuissent reddita, *Basileæ* tum agenti, ne itinerum quidem ulla pericula me deterrere potuissent, quo minus ad beatissimos istos pedes advolassem. At nunc in patriam reversum, cum ætas nonnihil ingravescens remoratur: tum vero Principum retinet benignitas, & rarus quidam patriæ in nos affectus alligat. Siquidem illustrissimus Princeps CAROLVS, Rex Catholicus, hujus seculi nostri lumen ac decus incomparabile, in cujus ditione natus sum, cujusque patri PHILIPPO, quondam fui non modo notus, verum etiam charus, & absentem me annuo salario benignissime invitavit, idque nec ambientem, nec exspectantem: & reverso, ac vix etiam reverso, sacerdotium, tum amplum, tum honorificum detulit. Cæterum, quantum serenissimi Regis *Anglorum* pristino erga me favori, quantum reverendissimi Cardinalis *Eboracensis* in me benevolentiæ, & quantum Archiepiscopi *Cantuariensis* veteri erga me studio, è commendatione tuæ sanctitatis accesserit, certis argumentis habeo compertum. Ea tum mihi gratior accidit, tum apud illos fuit efficacior, quod non extorta precibus, sed ultro præstita fuerit.

Proin-

Digitized by Google

An. 1515. Proinde cum perſpiciam me tuæ beatitudini debere permultum, plurimum eidem debere cupio. Imo juvabit omnes fortunas meas ac felicitatis ſummam uni LEONI acceptam ferre. Eſt autem meo quidem animo nonnulla felicitatis pars, debere libenter. Quid id ſit, reverendus in CHRISTO Pater, Epiſcopus *Wigornienſis*, invictiſſimi *Anglorum* Regis apud tuam ſanctitatem perpetuus Orator, coram exponet, & *Andreas Ammonius*, tuæ ſanctitatis apud *Anglos* nuncius, literis ſignificabit. Qua quidem in re, non dubito quin eam bonitatem ſenſurus ſim, quam mihi, tum iſta naturæ tuæ benignitas, qua vel maxime CHRISTVM, cujus vices meritiſſimo geris, refers; tum ſanctitatis tuæ literæ ultro pollicentur: præſertim cum ejuſmodi ſit negotium, ut non perinde ad meam pertineat dignitatem, cui candide faves, quam ad publicam orbis utilitatem, cui omnes tuæ vigilant ſollicitudines. Poteram ad hancce rem impetrandam ſummorum Principum abuti commendatione, verum malui quicquid hoc eſt beneficii, in ſolidum, tuæ unius debere benignitati. Quod ſane quanquam non ignoro fore majus, quam ut ullis mortalium officiis rependi queat, ad hæc eam eſſe fortunæ tuæ magnitudinem, ut à nemine ſibi referri gratiam poſtulet: mei tamen officii fuerit adniti manibus pedibuſque, ne tam eximiam beneficentiam in hominem, aut omnino indignum, aut parum memorem, parumque gratum, collocaſſe videaris. Novum Teſtamentum, ſimul & Græce & Latine editum, à nobis recognitum, una cum Annotationibus noſtris jampridem in lucem exiit, fauſtiſſimi tui nominis auſpiciis. Quod opus an omnibus probetur, neſcio: certe hactenus à probatiſſimis, ac primariis Theologis, probari comperio, cum primis autem ab incomparabili antiſtite CHRISTOPHORO Epiſcopo *Baſilienſi*, quo teſte liber excuſus eſt. Nec enim hoc labore veterem, ac vulgo receptam, editionem convellimus, ſed alicubi depravatam emendamus, aliquot locis obſcuram illuſtramus; idque non ex animi mei ſomniis, nec illotis (ut ajunt) manibus, ſed partim ex vetuſtiſſimorum codicum teſtimoniis, partim ex eorum ſententia, quorum & doctrinam & ſanctimoniam Eccleſiaſtica comprobavit auctoritas, nempe *Hieronymi*, *Hilarii*, *Ambroſii*, *Auguſtini*, *Chryſoſtomi*, *Cyrilli*: ſemper interim parati, aut modeſte rationem reddere, ſi quid recte docuimus, aut libenter corrigere, ſicubi imprudentes, ut homines, lapſi ſumus. Volumen unum recens adhuc, & ab ipſa etiamnum calens officina, *Romam* hyeme proxima miſimus, quod ſanctitati tuæ redditum opinor. Et nunc alterum mitterem, ni ſcirem nuſquam terrarum non jam vulgatum opus. In eo tametſi ſudatum eſt à nobis acriter, quantum & temporis modus à Principe indulti, & valetudinis ratio patiebatur; tamen haud defatigabor unquam, haud conquieſcam, donec ita locupletatum, elimatum, elaboratumque reddidero, ut *Leone*, & præter Pontificii dignitatem maximo, non omnino indignum videri poſſit. *Hieronymus* totus, haud malis, ut opinor, avibus renatus, menſe Septembre proximo, ingenti doctorum omnium exſpectatione, proditurus eſt in lucem. Quin poſthac nulla ab *Eraſmo* proditura eſt pagina, quæ *Leonis* optimi juxta ac maximi Pontificis præconium non ſit habitura. Non poſtulat hoc tua ſingularis modeſtia, verum id debetur tuis divinis meritis; & totius orbis intereſt, tam undique laudati Pontificis exemplum in poſteros tranſmitti. Sin natura nobis ad hoc efficiendum deerit, tamen ipſa beneficii tui magnitudo, ipſe hujus pectoris tibi dediti ardor, ante omnia divinæ iſtæ tuæ virtutes, ingenii vim, ac dicendi copiam ſuppeditabunt. Bene valeat tua ſanctitas, quam CHRISTVS Optimus Maximus religioni ſuæ illuſtrandæ, propagandæque, ac ſublevandis rebus mortalium, quam diutiſſime ſervet incolumem. *Londino* 9. Auguſti, Anno 1515.

## EPISTOLA CLXXXII.

*Eraſmus Rot. Gulielmo Montjoio.*

SALVE, *Mecœnas* optime. Biduum apud Abbatem commoratus ſum, eos dies multa cum hilaritate tranſegimus, dimiſit non ſine Xenio, pollicitus item amantiſſime multa. Denique læta omnia, & ecce ſubito me Fortuna perdidit, docuitque nulli rerum ſucceſſui fidendum eſſe. Vix egreſſus ſum diverſorium quoddam, quod eſt medio ferme ſpacio inter *Ruſellam* & *Gandavum*, cum equus meus, viſis pannis aliquot humi ſtratis, conſternatur, dumque inflexus paro, neſcio quid, dicere miniſtro, rurſum territus equus in diverſum fertur, atque ita diſtorquet imam dorſi ſpinam, ut repente magnis clamoribus cruciatum intolerabilem teſtari cogerer. Conor ex equo deſcendere, non poſſum, miniſter manibus exceptum deponit, ſævit dolor, nullis explicandus verbis, maxime ſi corpus inflexiſſem. Erectus, minus affligebar, ſed tamen ipſe me non poteram erigere, ſemel incurvatus. Eram illic in agris, nulla diverſoria, niſi frigidiſſima & ruſticiſſima, & aberam à *Gandavo* ſex maximis paſſuum millibus. Senſi ambulatione minus ſævire malum, & tamen longius erat iter, quam ut vel à ſano pedibus confici poſſet. Cogita quid mihi hic fuerit animi. Vovi divo *Paulo*, me commentarios in Epiſtolam ad *Romanos* abſoluturum, ſi contingeret hoc periculi evadere. Aliquanto poſt cum deſperarem, coactus ſum experiri, num equum poſſem conſcendere: conſcendi præter ſpem, ambulo lente, fero, jubeo miniſtrum progredi paulo celerius, fero, tametſi non ſine cruciatu. *Gandavum* pervenio, deſcendo ex equo, ingredior cubiculum, ibi dolor ſe totum prodit, maxime à quiete. Stare non poteram, niſi à duobus utrinque ſublatus in altum, idque valide: quod ſi vel paulum me remiſiſſem, intolerabilis redibat dolor. Nec ſedere poteram, jacens nec tantulum me poteram movere. Accerſo medicum, & pharmacopolam. Ita modis omnibus affectus fui, ut nihil niſi de morte cogitarem. Mane dum alvum paro dejicere, paulum conor me movere lecto, procedit, ſto, moveo, ſedeo, nullo ſuſtinente. Ago gratias *Deo*, & *Paulo*. Manet adhuc ſenſus mali, maxime ſi corpus diſtorqueam. Itaque *Gandavi* dies aliquot commoratus ſum, amicis retinentibus, & malo ita ſuadente, de quo nondum ſecurus ſum. Neque enim vulgare fuit, quicquid fuit. Offendi hic Præſidem *Flandriæ*, virum in omni literarum genere doctiſſimum, & Conſiliarios duos, *Antonium Clavam*, & *Guilielmum Walam*: nam Cæſarem & alios quoſdam antea noveram. Nunc *Antuerpiam* pergam, ſi modo per morbum licebit, & ubicunque locorum ero, reddam te de valetudine mea certiorem. Bene vale.

An. 1515.

Principem *Verienſem* ſalutavi *Bergis* una cum matre, ſed offendi ſollicitum, nam uxor à partu nonnihil ægrotabat, & nunciabantur ex *Zelandia* parum læta. Salutavi illum tuo nomine, & admonui de favore, quo uſus eſſes in illi ſubditos. *Baſileam* veni poſt Annunciationis. *Germania* tanto honore me excepit, ut propemodum puderet. Nunc incluſus æſtuariis *Germanicis*, curo edendas nugas meas, non minus tumultuans in hoc negotio, quam Cæſar in expugnandis *Venetis*. Reditum maturabo quantum licebit. Faxit Deus, ut vos omnes offendam incolumes. *Baſilea* 29. Auguſti, Anno 1515.

## EPISTOLA CLXXXIII.

Joannes Watſonus D. Eraſmo Roterod. *S. D.*

TERTIO *Idus Auguſti literas, quas Nonis Junii ad me ſcripſeras, accepi, idque mihi crede, ſuaviſſime præceptor* Eraſme, *non ſine ingenti lætitia, ut ex quibus intellexerim, tum incolumem te eſſe, tum gratiam & auctoritatem nactum apud veſtratem Principem* Carolum. *Magno me munere donaſti, ſimul atque literas ad me de-*

Digitized by Google

An. 1515. *dediſti: quandoquidem, ita vivam, eo ſum animo erga* Eraſmum, *ut duas treſve pagellas ejus ad me ſcriptas, propemodum tanti faciam, quanti ſacerdotium etiam opulentiſſimum. At ridens dices, Probe tu quidem addis* propemodum. *Ingenue fateor extraria hæc me non prorſus contemnere, ſed nec ſic amplecti, ut bonis literis & doctorum familiaritati præponam, modo rationi victus fuerit ſatisfactum. Dubio procul adeo erant mihi grata, pretioſæque litera tua, ut ſi rei votiſque meis par opulentia ſuffragetur, ſingulis literis ſingulos aureos redderem. Miror in dies magis ac magis* Eraſmum, *quo magis in annos proceſſerit, eo magis grandeſcere, ac quotidie novum & auctiorem ſeſe oſtendere. Celebraris paſſim in* Italia, *præſertim apud primi nominis doctos: incredibile dictu eſt, quanto affectu paſſim tuam* Copiam *complectuntur, ſimul &* Moriam, *haud ſecus quam ſummam ſapientiam. Conveni ego multos, qui mihi videbantur apud ſe videri doctiores, quod te noſſent, apud quos & ego pluris habebar eodem nomine, tituloque.* Raphael Regius Venetiis *adhuc profitetur* Quintilianum, *impenſis & mercede ex publico erario. Doctus quidem ille, & mediocriter eloquens, ſed longe infra alium ibi Profeſſorem, qui Græcas literas præcipit etiam publica mercede, cujus nomen excidit †, qui & te novit optime, miriſque effert præconiis. Cum* Ambroſio *medico, cujus meminiſti in Proverbio* δὶς διὰ πασῶν, *quotidie ferme fabulatus ſum in officina aromatarii ad ſignum corallii, qui me fecit plurimi tua cauſa: quomodo fecerunt* Petrus Halcionius, *meo judicio egregie facundus, & alii complures. Socer* Aldi *bibliopola, in ſigno ancoræ, neſcio quoties de te locutus, promiſit domum ſuam, & omnem humanitatem, ſi quando libuerit tibi illuc advenire. Spargitur quaquaverſum in toto Chriſtiano orbe fama tua, omnium doctorum uno ore & conſenſu prædicaris doctiſſimus, ac utriuſque linguæ peritiſſimus. Cæterum ut omnes divitias tuas proferant, ſive doctrinæ tam variæ, ſive raræ cujuſdam facundiæ, ego nihil ita ſtupeo ut modeſtiam, qua te omnibus infimum præbes, cum ſis omnium calculis undecunque ſummus. Solent hujus generis literæ, quibus tu gaudes, inflare poſſeſſorem: & ſicut ſingularem reddunt, ita quoque à communi hominum grege & familiaritate ſeparare. Tu tamen totus generoſus omnibus te communicas, nullius adſpernaris familiaritatem, ut omnibus proſis. Quare & ubicunque es, ita vivis, uti ſingulis locis Chriſtiani orbis preſens eſſe videaris, immortali fama, egregiiſque monumentis deinceps ſemper victurus. Caſtigatione Novi Teſtamenti ſimul & annotationibus tuis mirum quam illuſtraſti* CHRISTVM, *optime meritus de omnibus ejus ſtudioſis. Deus centuplum tibi referat una cum vita æterna: ſiquidem meo judicio non potuiſti facere quicquam Chriſtiano Profeſſore dignius. Incidi ante paucos dies in* Catonem *minorem, quem commentariolis elucidaſti, in quibus non crederes quantum me oblectarim, admirans tam dulcem & uberem frugem, in tam modica gleba. Obſecro facias adſcribi omnium operum tuorum indicem, uni aut alteri librorum. Nam ſicut de hoc libello mihi non conſtabat, ita vereor ne ſint etiam alii, quos ignorem.* Hieronymum *obviis ulnis, votiſque omnibus, excipiemus, acturi gratiam cultori & reparatori ejus.* Petrum Falconem Elvetium, *quem nos* Angli *agnomento* Magnum *appellavimus, valde diligo. Porro erat diligentiſſimus peregrinorum patronus, ſimul & jucundiſſimus comes: habebat in triremi caudatam ſimiam, miro ingenio, qua geſtibus, cachinnis, clamore, ſaltu, cæteriſque ludicris, quotidie nobis riſum Sardonicum movebat: ad hæc rerum novarum & artium ac machinarum curioſus, geſtabat ſubinde ad cingulum ſuſpenſam Bombardam, accurate notabat oppidorum locorumque ſitum, & nomina, atramento ex minio facto oblinebat librum peregrinationis, & de te mecum fabulans, ſubinde gloriabatur te unus ad ſe dediſſe literas. Rogo ſi quando ad eum ſcripſeris, hominem meis verbis ſalutes. Gratulor tibi nobis reddito, imo nobis te redditum, quantum cui maxime. Utinam daretur copia tecum fabulandi, ego arbitror ſi te totum mihi effuderis,*

† Is eſt Marcus Muſurus: vide infra Epiſt. CXCII.

*& ego me tibi, nec te* Thraſonem *agere poſſe, quemadmodum dicere ſoles, nec me* Gnathonem *ſi quippiam in laudem tuam dixero: quippe cum nihil tale inter vere amicos eſſe poſſit, quin potius ſcelus eſſet celare aliquid. Sum avarus viſendi tui, ſi manſeris iſtic uſque ad* Michaelis, *viſam te Deo bene juvante: quod ſi libebit interea te huc recipere, quod maxime velim, nemini erit optatior acceſſus tuus quam mihi. Agemus ferias amœniſſimas. Quicquid apud me eſt, quod aut voluptati, aut uſui eſſe poterit, tuum erit. Bene vale.* Cantabrigiæ ..... *Auguſti, An. 1515.* An. 1515.

## EPISTOLA CLXXXIV.

Joannes Kirherus Seleſtadienſis Eraſmo Roterod. *S. D.*

ETSI *diu antea,* Eraſme *doctiſſime juxta & diſertiſſime, tuam erga ſtudioſos humanitatem comitatemque exploratam habui, idque ex variis ingenii tui clariſſimis monumentis, quæ has ſimul & alias virtutes conſequio trahere ſolent; tamen ab eo tempore, quo* Spiræ *nobiſcum prorſus hilare verſatus es, tuam in omnes facilitatem longe clarius perſpexi. Ita enim humaniter atque amœniter te nobis præſtitiſti, ut ingens cunctis te amandi colendique deſiderium reliqueris: quod inde cuivis ad liquidum patere poteſt, quod omnes uno ore* Eraſmum *laudent, loquantur, prædicent, unum vere doctum, unum modeſtum, dulcemque convivam dictitantes: ſibique divinitus contigiſſe autumant, quod tua non ſolum præſentia uti, ſed (qua tua eſt affabilitas) familiaritate etiam frui potuere. Quæ cum ita ſint, in ſpem venio haud dubiam, me abs te quod peto, communis amici cauſa, non gravate impetraturum. Incidit nuper* Maternus *noſter, cui tecum non vulgare hoſpitii jus eſt, in quendam divi* Hieronymi *locum, qui in proœmio contra* Jovinianum *eſt, ubi* De numeris conjugii, viduitatis, & virginitatis *agit: ibique ſatis ſubtiliter, & proinde obſcure nimis eoſdem numeros in digitos mittit, quorum varia connexione, plicatilique poſitura, veteres alias triceſimum, alias ſexageſimum, alias centenarium ſignificari voluiſſe prodidit. Quæ quidem digitorum ratio, cum nobis numeris (quod ajunt)* Platonicis *obſcurior eſſet, cœpit* Maternus *neque non tamen Theologos ea de re conſulere. At Deum immortalem, quam frigide jejuneque reſponderunt? ut facile crederes, eos non primarios Eccleſiæ Scriptores volvere, ſed circa minutas, nodoſas, frivolaſque quæſtiunculas magis occupatos eſſe: neque id mirum mihi viſum eſt,* ἢ γὰρ κοινὸν λύρᾳ ἢ ὄνῳ. *Fruſtratus igitur* Maternus *(ut eſt in talibus importunior) conſtituit rem ad te deferre: utpote tibi propter multijugam eruditionem cognitiſſimam, in cujus ſtatim ſententiam pedibus omnes manibuſque diſceſſimus. Voluit itaque* Maternus *pro veteri noſtra benevolentia, ut ego pro tempore hac ad te ſcribendi legatione fungerer: obſecutus ſum homini, neque perinvitus hanc Provinciam ſubivi. Proinde petit ille, imo petimus, obſecramuſque, fandi dulciſſime* Eraſme, *ut cum per ocium, occupationeſque tuas (quæ jam maximæ ſunt) licuerit, hunc nodum* Hieronymianum, *nobis certe* Herculanum, *diſſolvere velis, poteris enim ſi modo velis. Duo autem ſunt, quæ potiſſimum tibi ad hoc, quod in tuo luco & fano ſitum eſt, cupidius perſequendum, calcaria admovere debent. Primum, quod eo, & quidem prolixo beneficio, ſummam apud nos inibis gratiam. Alterum, quod hujus loci interpretatione, inanium Theologorum ſupercilium franges, reclamantiumque ſemper melioribus ſtudiis, capita ſibilantia, velut* Hercules Hydræ, *contundes. Quod ſi huic honeſtiſſimo deſiderio noſtro morem geſſeris, quod tua profeſſio, & noſtra in te obſervantia poſtulat, ſpero fore, ut nunquam te collati in nos beneficii pœnitere queat, curabimuſque pro virili, ſemper omnia facere, quæ intereſſe tua, aut etiam velle te exiſtimabimus, ſi nullo pacto facere poſſumus. Vale, unicum bonarum literarum decus, &* Kirheri *auſus boni conſule.*

Thomas Truchſes *tui ſtudioſiſſimus, te qui cœnis ſuis adhibuit,* Maternus *item, in are tuo eſſe cupiunt,*



Digitized by Google

An. 1516. *ſalvumque te, dinque rei literariæ propagandæ ſupereſſe deſiderant.* Spiris 16. *Septembr. Anno* 1515.

## EPISTOLA CLXXXV.

*Eraſmus Rot. Joanni Kirhero* S. D.

CVM ipſe doctiſſimus tot habeas eruditos amicos, demiror cur hoc à me tam ambitioſe quærendum putaveris, optime *Kirhere*. Quid autem eſt tam arduum, quod *Maternum* hoſpes meus non vel tribus verbis à me impetret, ſi modo ſit ejus generis, ut præſtare poſſim? Sed de ratione numerorum, qui geſtu digitorum olim notabantur, ex *Bedæ* fragmentis nonnihil annotabimus; quod hic repetere perlongum ſit, cum brevi ſit exiturum volumen. Quanquam mihi non admodum probatur hujuſmodi arguta curioſitas in numeris explicandis: neque ſatis liquet, an eadem ratio, quam tradit *Hieronymus*, fuerit apud *Hebræos*. Studiorum ac laborum moles, in quibus verſor, non ſinunt ut in præſentia pluribus reſpondeam. *Thomam Truchſes* virum & citra oſtentationem eruditum, & citra fucum humaniſſimum, ac *Maternum* nivei pectoris amicum, diligenter ſalutabis meo nomine. Bene vale, *Joannes* amice non vulgaris. *Baſilea*, Anno 1515.

## EPISTOLA CLXXXVI.

Andreas Ammonius Eraſmo *S. P. D.*

TERNAS *à te in caſtris literas accepi, quibus ne* Gallorum *quidem fuga mihi gratior exſtitit. Primis reſpondi caſtrenſi dictione, neſcio utrum literas acceperis: ad tuas autem noviſſimas, quia ſub noſtrum ex* Gallia *diſceſſum, videlicet cum ad ovationem reverteremus, mihi fuerunt redditæ, nihil reſcripſi: quæ tamen mandaſti curavi. Nam* Bertinico *Abbati diligenter te commendavi, eique omnem illam tuam nomenclaturam de tuis apud eum amiculis perlegi, ille mirum quam ad* Eraſmi *nomen fuerit continuo exhilaratus, Hercule non ſecus ac mater vidua ad peregrinantis filioli nuncium: apprehendit me, & cum multi adeſſent, ſeorſum abduxit, ac multa de te amantiſſime percunctatus; poſtremo, ut tibi* Britannia *incidiſſet, quæſivit: reſpondi, quod erat, omnia longe tuis meritis inferiora: ad ſummam viſus eſt tui quam ſtudioſiſſimus. Porro ſcriniorum magiſtrum conveni, quæ de eo ſcriberes, ipſi oſtendi, &* Plutarchi *libellum obtuli, paucis gratias egit, & quoniam erat (ut videbatur) occupatiſſimus alio ſe proripuit; ejus poſtea alloquendi non fuit commoditas. Simulatque* Anglicum *ſolum tetigi, ubi locorum eſſes rogare cœpi. Siquidem* Cantabrigienſem *peſtem fugere te ſcripſiſti, unus tandem* Sixtinus *mihi dixit, te quidem* Cantabrigiam *ob peſtem reliquiſſe, & conceſſiſſe neſcio quo, ubi cum vini penuria laborares, & eo carere peſte gravius duceres,* Cantabrigiam *repetiiſſe, atque inibi te nunc eſſe. O fortem* Baſſarei *commilitonem, qui in ſummo periculo ducem deſerere nolueris; quam ob rem mitto ad te Imperatoris tui munuſculum, vini* Cretenſis *ſinum, ſed quod* Jupiter, *cum in ea inſula educaretur, ſuo peniculo eminxit, hoc eſt neſcio quid ex lacte & nectare profectum: quod ſi mature huc te receperis, licebit tibi aliquanto largius haurire. Cæterum quod auctam fortunam mihi gratularis, haud amice facis, niſi & tibi pariter gratuleris, etſi ea perinde ut tua non uteris: & ego viciſſim cum de multis aliis rebus, tum de decem illis aureolis, quos* Δωρελμᾶν *tibi donavit, gratulor, non tam muneris gratia, quam quod ille nonniſi in eos, quos unice amat & ſuſpicit, ea liberalitate uti ſolet: at quod de me interroganti ſol* πρὸς ἑπῶ ἐχ ὑπέκρινεν, *non miror, & cauſam tamen neſcio; nam paulo antequam è noſtris caſtris diſcederet, quandam mihi indignationem ſignificavit: ſed unde eam conceperit, nequeo divinare, dum ipſe quod mei fuerit officii fecero, & culpa vacavero, quo animo hic, ille in me ſit, non ero magnopere ſollicitus. Habeo præterea multa, quæ ad tuas literas reſpon-*

*deam, habeo & plenum ſacculum nugarum, quem cupio in tuum ſinum effundere. Proinde ubi ubi primum huc reveneris, fac extemplo ut ſciam: ſed hoc prætereundum non eſt,* P. Carmilianum *Regis* Scotorum *Epitaphium nuper edidiſſe muliebribus maledictis refertum, quod* Pinſonicis *characteribus excuſum propediem leges: eo* Carmilianus *magis ſibi placet, ſeque magis miratur quam* Catullianus *ille* Suffenus, *& tamen niſi ego admonuiſſem,* pullulare *prima correpta poſuiſſet. Utcunque multa reſtant quæ rideas, & in primis aliquos inveniri, qui ejuſmodi ineptias ſerio laudent. Vale, mi ſuaviſſime* Eraſme, *& me ut facis ama.* Londino 24. *Novembr. An.* 1515. *Quod me* fortiſſimum *appellas, pari te talione percutiam.* An. 1515.

## EPISTOLA CLXXXVII.

*Thomæ, Card. Eboracenſi, Eraſmus Rot.* S. D.

REVERENDISSIME Pater ſalutem plurimam. Tametſi non ignorabam antea celſitudinis tuæ in me favorem, tamen id plenius hodie cognovi ex oratione clariſſimi *Montjoii.* Eram coram acturus gratias, ſed hic ventus & libri, jam pridem relicti, me jamdudum revocant. Et ſciebam quantis negotiorum undis in præſentia jactetur exerceaturque tua ſublimitas. Quod ſupereſt hujus negotii, literis tranſigetur. Ubi vobis decretum erit, quantum meo ocio ſatis eſſe putetis, meum fuerit dare operam, ut ita dimittar à Principe meo, ſicuti par eſt ab optimo & bene merito diſcedere. Cæterum quicunque erit eventus, pro regia in me indulgentia, proque celſitudinis tuæ propenſiſſimo ſtudio, ſemper debiturus ſum: quam utranque incolumem in multam ætatem tueatur Omnipotens. *Londino*, Anno 1515.

## EPISTOLA CLXXXVIII.

*Eraſmus Rot. Gulielmo, Archiepiſc. Cantuarienſi*, S. D.

INCIDIT *Eraſmo* tuo periculoſa & omnium graviſſima cum calculo conflictatio. Deventum in manus medicorum, & pharmacopolarum, hoc eſt, carnificum & harpyiarum. Adhuc parturio. Malum in coſtis etiamnum affixum eſt, quando pariturus, aut quid pariturus, incertum. Suſpicor hoc morbi debere me cerviſiæ, quam dies jam complures inopia vini bibi. Hæ nimirum primitiæ fructuum, quos ex præclaro adverſus *Gallos* bello capiemus. Has literas dictavi modo, nec id citra moleſtiam, tu cura ut quam optime valeas, optime *Mecænas. Cantabrig.* Anno 1515.

## EPISTOLA CLXXXIX.

*Gulielmo, Archiepiſc. Cantuarienſi, Eraſmus Rot.* S. D.

CVM ab ingratitudine non ſecus abhorream, atque *Achilles* ille *Homericus* à mendacio, mecumque perpenderem, quam eſſet immenſum, quod tuæ deberem benignitati, rurſum & illud viderem, mediocribus amicis, de mediocribus beneficiis gratias agi convenire, porro tam excellenti, vereque Primati, gratiam referre conari, tantum abeſſe à grati hominis officio, ut potius ingratitudinis, vel certe inſolentiæ genus eſſe videatur: videlicet optimum factu judicavi, ut tibi literaria ſtrenula, ceu floſculo quopiam à Muſarum hortulis decerpto, animum memorem atque amantem utcunque teſtificarer. Itaque *Saturnalia Luciani*, Latinitate donata, bonis avibus mitto, libellum, niſi fallor, nec infeſtivum, nec à me alteri dicatum, & inprimis opportunum, ſi quando ridere libebit, imo ſi licebit, in tanto negotiorum agmine, quæ tibi (ut *Horatianis* dicam verbis) *per caput & circum ſaliunt latus.* Cur autem vitio detur ſummatibus viris, ſi quando curis delaſſatum animum riſu reficiant; cum apud *Heſiodum*, rideat & maximus ille πατὴρ ἀνδρῶντε θεῶντε *Jupiter*, præcipue ſi riſus ſit, cujuſmodi hunc eſſe puto, nec illiberalis, nec ἄμουσος, imo haud ſcio an

ali-

Digitized by Google

An. 1515. aliquanto plus frugis etiam adferens, quam seria quidem illa sed permolesta negotia? Vale, Pater amplissime, & *Erasmum* tuum, ut facis, à monstro illo pluſquam *Lernæo* vindicare perge. An. 1515.

## EPISTOLA CXC.

*Erasmus Rot. Theologo cuidam* S. D.

PRÆCEPTOR eruditissime, video virus hoc obtrectationis indies latius serpere, & lethalius reddi, tam manifesta mendacia licentissime de me prædicavit *N.* quidam licentiatus, ut vocant, primum *Lovanii*, deinde *Mechliniæ*, mox *Antuerpiæ*, nec video remedium, nisi tua prudentia atque auctoritas finem imponat huic malo. De modo viaque convenerat tecum, & cum *Dorpio*. Me mea conscientia non remordet, quod scriptis meis nunquam offecerim *Christianæ* pietati. Dissidii causa nolim esse, cavebo pro virili, ne sim occasio. *Latomus* invitarat, ut rationem rationi opponeremus: id fecimus summa lenitate, ut ni morosissimus sit, offendi non debeat. Sed præstat omnia coram, si dignaberis horam præscribere. *Christum* mihi iratum imprecor, si quid affecto, quod *Christo* displicere sciam. Nullum convicium non feram, etiam falsissimum, modo ne falso traducar hæreticus, quod à nonnullis fieri præsens docebo. Bene vale. Anno 1515.

## EPISTOLA CXCI.

*Erasmus Roterodamus Ludovico Bero* S. D.

An. 1516. AN merito mihi gratuleris, optime *Bere*, nondum scio: tu certe amantissime facis, somnians eam fortunam mihi contigisse, qualem amor iste tuus optaret. At qualis qualis est hæc mea sors, si scias quam ambierim, nova quædam videatur; si merita æstimes, magna; si animum, satis: quanquam eam Præbendam vertimus in pensionem, censui detrahentes, ne quid ocio decederet, cujus nobis prior, quam pecuniæ ratio. Te merito amo, vir humanissime, qui pari studio procul absentem prosequeris, quo præsentem semper complexus es. Invidiam merebantur fortasse, qui præclarum aliquid profitentur, aut rara quapiam eruditione premunt aliorum gloriam, aut submotis plerisque se jactitant. At quid rei mecum est invidiæ, qui nec profiteor quicquam, & vix mediocri literatura, nullius officio luminibus, neque cuiquam mortalium meipsum antepono, aut æquo etiam. Tantum mea qualicunque opella pro viribus adjuvo publica studia. Sed nonnullis alicubi videor liberius incandescere, verum iis, qui non perpendunt, quam indignis modis acceptæ sint sacræ Literæ, ac virorum sanctissimorum lucubrationes. Cum in ipso grassarer opere, sæpenumero stomachum ob rei indignitatem efferveſcentem cohibuit ratio, ubique dissimulare non potui. Et tamen posthac moderationem fecit mira quorundam morositas. Etenim si qua fieri possit, ita cupiam prodesse studiis, ut neminem omnino mortalium offendam. Id si minus contingit, lenit nonnihil hanc molestiam primum recti conscientia, deinde quod adhuc probor à probatissimis. Et spes est fore, ut quod nunc placet candidis, mox placeat omnibus. Certe quod indoctum sit, aut impium, absit ut mihi unquam placeat, vel in meis ipsius libris. Bene vale. Apud R. P. Episcopum *Basilienſem*, tu fac mihi sis Epistolæ vice. Memini, memini, semperque meminero, quantum illi debeam Principi. *Bruxellis* 1. Januarii, Anno 1516.

## EPISTOLA CXCII.

*Erasmus Roterodamus Joanni Watsono, insigni Theologo*, S. D.

QUAM mihi rem, optime *Watsone*, narras? Itane tecum in ipsam usque *Syriam* peregrinatus sum? Neque secius ipse, cum amicos omnes, tum in primis *Watsonum* meum animo mecum circumfero, quoquo terrarum me recepero, memor suavissimæ familiaritatis nostræ, & noctium etiam fabulis jucundissimis citra tædium nobis transmissarum. Quin & illud voluptati fuit, quod veterum amicorum, quibuscum *Venetiis* egi consuetudinem, memoriam mihi refricuisti. Cæterum cujus nomen tibi exciderat, *Marcus* est *Musurus*. Novi candorem istorum, sic *Erasmum* onerant suis laudibus, ut si superis placet, sunt qui illi invideant etiam, id quod ego profecto nunquam exspectaram fore, ac vix etiamnum mihi persuadeo. Novum Testamentum tibi, hoc est, viro tum integro, tum erudito probari, non molesto fero, de quo tamen ipse nihil ausim profiteri, nisi nos annixos pro virili, ut qualicunque industriola nostra, CHRISTI philosophiam bonis mentibus commendaremus. Tuumque, mi *Joannes*, animum magnopere probo, qui sic in *Scoticis* labyrinthis versaris, ut tamen hæc simpliciora crassioraque non adsperneris, pariter & illis satisfaciens, & tuo nihilominus fruens judicio. Convenit hoc istis tuis moribus ita piis, ut supercilio careant, ita comibus, ut absit levitas, ita severis, ut absit asperitas. Sed desinam, ne hæc videantur σὺν ἐπαίνῳ, ἀλλ' ἀμοιβῇ. *Petrus Fabco*, vir apud suos primæ auctoritatis, domum reversus, multa de duobus *Anglis* scripsit, oblitus opinor nominum. Mihi illico tetigit animum. At at, hic ille *Watsonus* meus. Nam profectum acceperam. Jam equum conscenderam, *Cantabrigiam* aditurus, & ecce quidam nunciat *R. P.* Episcopum *Roffensem*, vestræ scholæ Cancellarium, eodem die *Londini* futurum. Hunc dum in singulos dies operior, desedi dies aliquot *Londini*. Nec tuæ literæ mihi redditæ sunt, nisi post menses aliquot. Quod mearum *lucubrationum* indicem petis, jam id inscio me præstiterat *Adrianus Barlandus*, homo venusto ingenio, nec inamœna sermonis facilitate. Ipsius igitur Epistolam ad te mitto. Salutabis amicos nominatim omnes, etsi id ipse nominatim non jubeam. Bene vale, amice mellitissime. *Bruxellis* 13. Januarii, Anno 1516.

## EPISTOLA CXCIII.

Leo Pont. Max. dilecto filio Erasmo Rot. *S. D.*

*DILECTE fili, salutem & Apostolicam benedictionem. Vitæ morumque tuorum honestas, eruditio rara, ac eximia virtutum tuarum merita, quæ non solum studiorum tuorum monumentis ubique celebratis testatissima sunt, verum etiam eruditissimorum hominum suffragio, denique duorum illustrissimorum Principum* Regis Angliæ, *&* Regis Catholici, *literis nobis commendata, faciunt ut te præcipuo ac singulari quodam favore prosequamur. Unde postulationi tuæ libenter annuimus, uberius etiam nostram in te pietatem declaraturi, cum occasionem vel ipse ministrabis, vel casus objiciet, æquum esse judicantes sanctam tuam industriam, publicæ utilitati assidue desudantem, dignis præmiis ad majora conandum excitari. Datum* Romæ *26. Januarii, Anno 1516. Pontificatus nostri quarto.*

## EPISTOLA CXCIV.

*Leoni decimo Erasmus Roterodamus* S. D.

UT ubique, beatissime Pater, incredibilis ista tua bonitas pietasque vincit, non solum merita nostra, verum etiam vota. Quod meus pudor contractius parciusque rogabat, tua benignitas largius ac prolixius indulsit. Nec illud sane me clam esse voluit; quibus hoc beneficii deberem, cum ipse cuperem in solidum tuæ unius debere sanctitati. Sciebam *Regem Catholicum* me suis literis tibi commendasse, sed alia de causa, atque id tamen factum est, non solum absente me, verum etiam inscio. *Anglorum Regi* licet aliis pluribus nominibus deberem, tamen hic calculus me prorsus latebat hactenus. Intelligo, intelligo, beatissime Pater, quam gravem, quamque multiplicem sarcinam humeris sustineam. Primum enim manibus pe-





An. 1516.

An. 1516. dibusque adnitendum est, ut isto munere, quod tua pietas indulsit, sic utar, ut tum dante, tum accipiente dignum est. Deinde conandum est, ut aliqua certe ex parte tantorum Principum commendationi respondeam: quandoquidem his beneficii tui gratiam communem esse voluisti. Postremo danda est opera, ut non dicam officio, (quis enim præstet officium, aut *Christo*, aut huic proximo, Pontifici?) sed tamen aliqua grati animi significatione respondeam accepti muneris magnitudini, quod ipsum jam protinus difficillimum esse video: deinde *Leonis* amplitudini, sic modis omnibus maximi, ut quantum *Romani* Pontificis fastigium inter reliquos mortales eminet, tantum *Leo* inter *Romanos* Pontifices excellat: id quod multo etiam difficilius. Hoc an præstaturus sim nescio, certe sic adnitar, ut omnes intelligant mihi præter vires nihil defuisse, suppetat modo vita, quam mihi non optarim longiorem, quam quæ posteritati consecrandis *Leonis* Opt. Max. divinis virtutibus ac meritis sufficiat. Minus infeliciter aggredi solet ardua, qui & libenter aggreditur, & suscepti negotii pondus non ignorat. Quod si nos justæ vires destituent, auxiliares eruditorum hominum suppetias implorabimus, quorum nemo est usquam qui non fateatur sese plurimum tuæ pietati debere, pacis publicæ vindici, quæ semper honestorum studiorum altrix fuit. Libet interim, tum mihi privatim hanc gratulari felicitatem, cui contigerit probari, non solum Pontifici Maximo, sed *Leoni*, inter maximos suis dotibus maximo: tum autem publice seculo huic nostro, quod prorsus aureum fore spes est, si quod unquam fuit aureum, ut in quo tuis felicissimis auspiciis, tuisque sanctissimis consiliis, tria quædam præcipua generis humani bona, restitutum iri videam; Pietatem illam vere Christianam multis modis collapsam; Optimas literas, partim neglectas hactenus, partim corruptas; & publicam ac perpetuam orbis Christiani concordiam, pietatis & eruditionis fontem, parentemque. Hæc erunt nunquam intermoritura *Leonis* Decimi trophæa, quæ doctorum hominum literis, æternæ memoriæ consecrata, tuum Pontificatum, tuamque gentem semper illustrabunt. Deum Opt. Max. precor, ut istam mentem tibi perpetuam esse velit, te nobis quam maxime diuturnum, quo rebus humanis, ex animi sententia compositis, sero in cœlum redeat *Leo*. *Bruxellis*, Anno 1516.

## EPISTOLA CXCV.

Sylvester, Episcopus Wigornienſis, sereniſſimi Anglorum Regis perpetuus apud *S. D. N.* Orator, Erasmo Roterodamo *S. D.*

VENERABILIS *vir, tanquam frater observande, pergratum mihi fuit datam fuisse occasionem, tibi mea opera gratificandi. Mirifice enim singularem doctrinam egregiasque virtutes tuas semper colui. Nec quicquam magis quam propensissimum in te animum declarare posse optabam. Itaque nactus opportunitatem negotium tuum libentissime suscepi, de quo plura diligenter ac studiose cum S. D. N. egi. Qui profecto tum ob suam bonitatem, tum ob præcipuam ac singularem benevolentiam, qua dotes tuas eximias unice prosequitur, libenter tuis votis annuit. Sed scis hæc negotia plurium opera confici. Proinde non defuit unus aut alter, qui rem retardarent, sed S. D. N. per omnia favente, negotium omne ex animi sententia confecimus: per meam diligentiam non stetit, quin hæc citius expedirentur, sed adversa quædam valetudo, nec non perturbationes Ducatus* Urbini, *non parva molestia S. D. N. affecerunt, & fuerunt in causa, ut serius hæc conficerentur, quam nos volebamus. Quod superest, ago tibi gratias immortales de optima opinione, quam te de me concepisse ex tuis humanissimis & gratissimis literis intelligo, quod humanitati tuæ non meis meritis adscribo. Attamen qualiscunque sum, totum tibi deditissimum esse pro certo habeto. Et quacunque in re tibi, aut amicis tuis me posse prodesse arbitreris, de me a-*

*que atque de fratre tuo germano omnia tibi polliceri potes. Optime vale, & me ama.* Roma 31. *Januarii, Anno* 1516. An. 1516.

## EPISTOLA CXCVI.

*D. Sylvestro, Episcopo Wigornienſi, sereniſſimi Britanniæ Regis apud summum Pontificem Oratori, Erasmus Rot.* S. D.

DUPLICASTI beneficii tui gratiam, amplissime Præsul, dum singulari officio, quo me nihil promeritum es prosecutus, addis literas humanitatis plenas. Multa mihi de singulari tua in doctos bonitate prædicaverant multi, sed nunc omnem famam infra verum fuisse comperio, qui mihi videris huic potissimum rei natus, ut de omnibus bene mereari. Quid enim non præstaturus sis aliis, cum hæc præstes *Erasmo*, vix de facie noto? Proinde mirari desino, quod te pari favore, parique benevolentia prosecuti sunt pridem *Henricus*, ejus nominis Septimus, Regum longe cordatissimus, nunc ejusdem nominis *Octavus*, Patri simillimus filius, quod te *Leo* Pont. Max. singulari charitate complectitur. Tot rerum similitudo vos conciliat. Utrique virtus, utriusque Fortunæ vicibus exercita, factaque illustrior. Utrique studium bene merendi privatim ac publice de omnibus. Utrique ingenii lenitas ac benignitas mira. Ipsi per literas utcunque gratias egi, sed id per te fiet rectius, ut cujus opera factus sum illi obnoxius, per eundem me gratum esse cognoscat. Non gravaberis hoc velut auctarium addere tuis in nos officiis & alioqui maximis. Bene valeat T. R. sublimitas, cui me totum dico dedicoque. *Bruxellis*, An. 1516.

## EPISTOLA CXCVII.

Guilielmus Budæus Erasmo Roterod. *S.*

IN *magna exspectatione eram, cum hæc scripsi, ob Epistolium tuum; quod ita ad me scripsisti, quasi longissima scribenda Epistola, brevi nacturus occasionem; simul scire gestiebam, quid sit quod* Tonstallus, Britannus *regius istic Orator, homo singulari doctrina, ut audio, ultro etiam ad me scripturus erat: id est, ad amicitiam me provocaturus, hominem sibi ignotum, ac doctis pene omnibus, nisi qui de facie noverunt. Interim vero dum vices meas scribendi nondum venisse interpretarer, Epistolis libens supersedebam. Quod quidem ad te attinet, ut qui sim ad scribendas literas etiam vernaculo sermone cunctantior, ac plane etiam cessator: etiamsi non satis scribendo novi Epistolarum modum, ut tu antehac expertus es. Sed hujusmodi repente se obtulit occasio, quam libens arripere debeam. Heri animi causa (id quod raro soleo) tabernis bibliopolarum obeundis, pomeridianas aliquot horas consumere statueram: ad* Joannis Parvi *tabernam nobilis bibliopola offendi* Guilielmum Parvum, *illi, ut arbitror, gentilem: virum eundem magnum in primis, Theologumque eximium: eorum sodalium decem, quos* Dominicales *appellant, cognomento* Prædicatores, *qui nunc est à sacrosanctis confessionibus Regi: quod munus sacrum* oricularium *appellare soleo: haud alio concionatore aula ac regius comitatus in magnis celebritatibus utitur, nec* Ludovici *Regis tempore usa est: vir omnino ad Ecclesiasticos panegyrismos exacte à natura concinnatus. Is cum mihi familiariter amicus est, amicosque meos amat, tum eo nomine eum præcipue observo, quod librorum reconditorum conquisitor est, atque investigator sagacissimus, ac bibliothecarum pene compilator. Sed nescias, utrum omnia volumina avidius corroget, an benignius amicis impartiat & commodet. Ad summam, cum eum hominem multis de rebus ac moribus amem, uno tantum nomine odisse eum possum, dicam enim libere, nihilque aliud ei succensere quam quod* Erasmo *nimium faves homini externo, cui ego jam invidere cœpi ob nimiam istam gloriam, qua non modo* Germaniam, *(de reliquis Provinciis nunc silebo) sed* Galliam *etiam nostram ita irradiat, ut*

Digitized by Google

Digitized by Google

KONINKLIJKE
BIBLIOTHEEK

Digitized by Google

An. 1516. *ut gloriolam noſtram præradiet, & jam nobis eſſe obſcuris ac videri neceſſe ſit. Et ſi* Budæus *agere cum eo obſtructi luminis ſpecioſe non poſſit, cui ex ejus ſcriptis luminis plus acceſſit. Ut ad rem redeam,* Guilielmus Parvus *ejuſmodi mecum verba fecit, ut affirmares studium (ut arbitror) tertius ſermonem apud Regem excitatum eſſe de viris literatis. Ibi cum multa de* Eraſmo, *de aliis, de* Budæo *fortaſſe dicerentur, Rex* Minervæ, *ut ſpero, numine afflatus ita inſit: in animo ſibi eſſe lectiſſimos viros in regnum ſuum præmiis opimis adſciſcere, ac ſeminarium, ut ita dicam, eruditorum in* Francia *inſtituere: quæ verba cum* Parvus *jamdiu occaſioni imminens excepiſſet, eſt enim ut literatorum omnium ſuffragator, ſic doctrinæ induſtriæque tuæ admirator & commendator, adſciſcendumque* Eraſmum *in primis cenſere ſe dixiſſet: idque per* Budæum *optime tranſigi poſſe, qui ob communem utriuſque linguæ ſtudium, & alias ſumma cum illo amicitia devinctus eſſet: ad poſtremum, Regem impetu animi egregio eo eſſe productum, (aderant enim & alii literarum tuique fautores) ut diceret eam per me conditionem tibi offerri verbis ſuis velle, ut ſi iſtinc demigrare in animum induceres, operamque literis hic navare quam iſtic conſueſſes, ſacerdotium ipſe tibi ad mille* Francicos, *& eo amplius, collaturum ſe ſponderet. Hic fidem meam hactenus intercedere intelligis, ut internuncii, non etiam ſponſoris partes agam, & quæ ab illo accepi, bona fide deferam. Neque enim in rem præſentem veni, neque hac Principis voluntate mihi aliquid acceſſit, ac ne acceſſurum quidem mihi perſuadeo, qui rationes meas diverſas, atque adeo averſas ab aula & hujuſcemodi proceſſibus ſentiam, ac mihi enim eſſe genium divinitus, ut interpretor, datum, qui nec aulæ, nec ſibi in aula placere poſſit. Atqui huic meo genio, ac plane ingenio vim afferam neceſſe eſt, ſi creſcere ornamentis fortis fortunæ mediter: tametſi hæc mihi multorum votis optantur, deberique exiſtimantur, cum quibus non ſentio, ut qui me melius & exploratius ad manumque æſtimarim. Tua omnino fert aliud ratio, a quo nihil exigetur aliud, quam quod tu facile præſtare, atque hilariter poſſis. Quod ſi donorum liberalitatumque paginas Reges noſtri profanis nominibus tam luculenter implere, quam ſacris ac ſpiritualibus poſſent, ego mihi quoque homini conjugi nonnihil in adventitiis ſpei reponendum exiſtimarem. Nunc autem ita fert ratio & inſtituta mihi vitæ & ſtudiorum meorum, ut mihi aulicis in rebus, ac ne in publicis quidem propemodum nihil aut ſeratur, aut metatur. Unde fit ut homines multi conſilii mei ignari, ea me colere ſtudia exiſtiment & dictitent, quæ facunda multo magis quam fœcunda eſſe poſſint: nec eo minus tamen inde uberem mihi frugem promitto, cum ſenectuti meæ ſuffecturam, tum etiam nepotibus meis ac poſteris ſubſidii nonnihil ad vitam aut exiſtimationem allaturam. Sed ſuper omnia eſſe duco, quod in animi alimentum ſuppeditaturum eſt, & ad vitæ æternæ ac ſummi boni adeptionem conducturum. Quares hic fortaſſe, quid tibi auctor ſim? quid aliud potius, quam ut hanc conditionem protinus accipias, & amplectaris? Primum, quod ita te eſſe animatum velim vel mea unius cauſa: Deinde, quod ſi eam acceperis, non magis fortunis tuis, quam honori, atque opinioni conſulueris. Proh Divi immortales! quam id tibi honorificum erit, quam ad omnium Doctorum exiſtimationem ſplendidum, & fortunatum, iſtius te doctrinæ commendatione à maximo & illuſtriſſimo Regum in longinquam regionem petitum eſſe, & accerſitum? Rex hic eſt, non modo* Francus, *quod ipſum per ſe amplum eſt, ſed etiam* Franciſcus: *nomine hoc primum ab ipſo inter regia relato; &, ut augurari licet, ad magnas res ominoſo. Idem literarum non neſcius, quod ſolenne eſt noſtris Regibus: ſed idiomate facundus, ingenioſus, decens, mollis atque obvii acceſſus, raris corporis, animique dotibus large à natura proditus, priſcorum Principum admirator & prædicator, qui quidem unquam animi magnitudine, ac rebus geſtis inclaruerint. His accedit, quod habet omnino quod det, ut ſi quis unquam Regum: & dat nemo largius, aut benignius. Et quantum conjicere*

*licet, præclari cupit eſſe conditor inſtituti, ut in poſterum artes liberales etiam pertinere ad compendium videantur, contra quam ſolitum eſt jamdiu. Quo maxime modo illuſtrare memoriam Principatus ſui poteſt. Verum ut tibi ſucceſſura omnia ſpondeam, facit quod* Parvum (*ut dixi*) *orientalium ſacrum Principis univerſa doctorum navis, atque etiam virtute præſtantium, habitura mihi videtur quaſi actorem quendam publicum, qui in commune ſtipuletur, aſſidnumque veluti admonitorem, qui præclari propoſiti Principem obliviſci non ſinat, in te etiam ipſum, ac tua ſcripta peculiariter propenſum. Deinde Antiſtes* Pariſienſis Stephanus Poncherius, *vir ſummæ doctrinæ, ac moribus compoſitis, & emendatis, ut ſi quis alius Antiſtitum, ingenio atque induſtria ſingulari, cis Alpes, ultra Alpes, nuſquam non obeundis legationibus, per omnes vitæ gradus auctus, per omnia Reipublicæ munia exercitatus, literatorum hominum evocator & amplexator, eoque nomine & alias in* Italia *nobilis & celebratus: qui cum mihi cognationem intercedere prædicandum ſæpe duco, legatus nunc agere* Bruxellæ, *Imperatoremque operiri dicitatur, ad renunciandam legationem: qui jam (ut opinor) te ad ſe accerſivit, ſi* Bruxellæ *fuiſti, quæ eſt in te voluntate affectus, ut ab eo intellexi, cum hæc ipſe iter fecit, ad legationem properans. Is, ut ex fratris ejus filio audivi, quem ferre in oculis dicitur, librorum tuorum ſtudioſus eſt, quantum temporis ſuccidere neceſſariis rebus licet. Vidi tuam Novi Teſtamenti editionem apertam in cubiculo ejus remotiore. Nam & ipſe contra iſtos archaiſmi, id eſt, inveteratæ ac deplorate ignorantiæ patronos & aſſertores,* Saturnias *lemas olentes (ut eſt in proverbio) tui veritatiſque poſtliminio redeuntis, impugnatores, propugnare tibi ac veritati ſumma auctoritate ſolet. Ac ne Regis voluntatem impetum eſſe potius, quam judicium propoſitumque certum ſuſpiceris, idem Præſul mihi dixit, cum de te, ac ſummæ notæ ſcriptoribus loqueremur, Cordi eſſe Regi literas altiores, elegantioreſque, ſecumque verba feciſſe Regem, de conquirendis viris doctrina eminentis. Dixi tum poſſe te honeſto premio evocari in* Franciam, *idque me curaturum (ſi res ita tuliſſet) pollicitus ſum, effecturumque: diu te* Pariſiis *ſtuduiſſe, nec minus te* Franciam, *quam locum incunabulorum tuorum noſſe. Is, quantum opinor, ſumme tibi favebit. Summa autem porro ipſe auctoritate apud Principem pollet, ut qui in ſanctius conſilium Principis allectus ſit inter paucos, quos* apolectos, *&* ſelectos *appellarunt Antiqui. Tu hac de re ſtatues, & ad me, aut alium quemvis ſcribes, ſi alium eſſe tibi amiciorem me putas: ut ſi hanc conditionem acceperis, hoc eſt, accipiendam cenſueris, nova tibi ſtipulatione, certioreque caveatur à Principe, ejus præcipue opera, cujus hortatu ad te ſcripſi. Ipſe enim maxime velim, ut hoc negotium ſine captione ulla tua tranſigatur. Exiſtimo* Guilielmum Copum *medicum regium, hominem utraque lingua doctum, & tibi amicum, ac benevolum, de hoc ad te ſcripturum, & alios, fortaſſe Principis juſſu, vel ipſum etiam Regem. Mirum quam tibi* Guilielmorum *natio dedita ſit & literis. Jam enim tres* Guillielmos *in eodem negotio ſtudioſos habes tui. Sed* Stephanus Pariſienſis (*id eſt, corona*) *ſi tecum (ut ſpero) locutus eſt, magnum omen attulit ad ſummam, felicemque manum imponendam incæpto. Utcunque ſit, ſi ad Regem ipſum ſcripſeris χαριστηρίων ἐπιστολὴν, rem ei gratam feceris, & tibi prædicabilem. O quæ jam tellus ſatis ima dehiſcat corniculis iſtis garrulis, quarum tu oculos quotidie configis!* Τυτυσὶ τὺς ψιθολόγυς φημὶ, τὺς ἐπανασάντας σοι, καὶ φθονοῦντας τῇ δὲ τῇ εὐδοξίας, καὶ ξὺν παυδήμῳ κρότῳ. Καὶ μὴν καὶ ἐμοί γε (εἰ δεῖ τ' ἀληθὲς φάναι) βασκαίνειν σοι ἔπεισι, καὶ περ εὐνοικῶς τε καὶ εὐγνωμόνως πρός με διακειμένῳ. Καὶ μικρόν γε μεταξὺ ἐφ' οἷς ἔφθην ἐπαινέσας σε μεταξὺ διαλεξαμένῳ πρὸς τὸ εἰς ἄκρον τῆς καλῆς παιδείας ἐληλυθότων. Πῶς γὰρ ἂν ἀχθεσθείην ἐγωγε τοσούτοις κρηπίδασιν ὑπὸ σῇ παροδοκιμάσθαι, καὶ ζωῇ βεβιωκόσιν τὸν ἀγῶνα τὸν δὲ τῶν ἡμεδαπῶν ἀνθρώπων. Φεῦ τῆς ἀτυχίας τε καὶ τῆς ἀγνωμοσύνης. Ὁ ἄγαν φιλόπαιξις ἐγὼ (id quod pene mihi vitio vertis) καὶ τοῖς ἐμοῖς φερίγκοις νεανικῶς σωειπών, ὃ δ' ἐπὶ τῷ ὁμοφύλων*

An. 1516. δικαιῶν τυγχάνω τ' δικαίων. Ἀλλ' ὦ βέλλιςε, ὅπως μὴ ἀνίλε φθονήσης ἐμοὶ σύγε, ἢ ἢ δὴ ἐπίφθονος τ' ἐμοὶ, ἢ μὴ διερύσαν τ@, ὡς ἐγὼ φημι, ὡς ἢ τ' ἡμελέων πλείως ἀπαλήφασιν ἢ κατ' ἀξίαν περιτίνι@, οἷς δὴ σὺ συγκαλαθήσεσθαί μοι δοκεῖς. Ἀλλὰ μὴν ἤδη τιὼ πενίαν τιὼ σιὼ ἀποσπερχικῶς, ὦ μακάριε. *Apage tamen jam ab adibus nostris; ἢ ταύτῃ μὴν δὴ ἅτω πεπαίχθω. Temperare enim mihi nequeo ad te scribens, quin te jocis provocem, hominem jocis ac leporibus concretum, videlicet quod aiunt, τ' ἵππον εἰς πεδίον προκαλέμεν@.* Ἔῤῥωσο φίλη μοὶ κεφαλὴ, ἢ διατέλοις εὐτυχῶν τε ἢ εὐδοκιμῶν τῇδε τῇ φιλοπονίᾳ. Parisiis 5. *Februarii*, An. 1516.

## EPISTOLA CXCVIII.

### Gulielmus Copus Erasmo Roterod. S. D.

QVOD *toties provocatus literis tuis nihil responderim, nihil aliud causæ fuisse credas velim, quam crassam hanc meam barbariem, quæ doctis auribus tuis obstrepere erubuit, id quod vel silente me facile intelligere poteras, sed cogit me in præsentiarum regia majestas silentium rumpere. Id quid sit, paucis accipe.* Gulielmus Parvus, *doctor Theologus, regius Confessionarius, nominis tui perquam studiosus*, Franciscus de Rupeforti, *Regis, quum in teneris ageret, pædagogus, nunc Abbas, qui summis te laudibus apud proceres nostros efferre solitus est, ambo Regem, quum sacris adesset, adierunt, eique multis argumentis, ut te in* Galliam *vocaret, persuaserunt. Illico Rex intellecta summa ista tua eruditione, jussit ut ad te literas darem, quibus animum tuum explorarem, an cum* Gallis *degere, & qua conditione contineri velis. Pollicetur Rex Christianissimus, si hic nobiscum vivere decreveris, adeo benigne te educaturum, ut nunquam te instituti hujus pœnitere possit. Proinde rescribas velim. Nondum videre potui Aphorismos tuos. Vale.* Lutetia 6. *Februarii*, An. 1516.

## EPISTOLA CXCIX.

### *Erasmus Roterodamus Thomæ Greio, & Petro Viterio*, S. D.

EODEM die mihi vestræ redditæ sunt literæ querelarum plenæ, quod nihil respondeam. Præter has postremas expostulatrices, imo objurgatrices, binas duntaxat à vobis accepi, hoc est, à singulis singulas; quibus hactenus non respondi, sed tamen, nisi fallor, jussi vos salvere in literis ad *Badium* datis. Nec ideo minus vos amo, si scribo rarius, qui sic distrahor, partim his aulæ tumultibus, partim iniquitate Fortunæ, nonnihil etiam studiis, ut vix sim apud me. Hæc scripsi graviter ægrotus, non pituita, sed verius peste, quæ plurimos hic jam tenet. Quod deploras, mi chariſſime *Viteri*, te istuc à me missum, quo mea consuetudine careres; scis ipse te quorundam malitia *Caletio* depulsum fuisse, quem exitum ego semper exspectabam. Atque utinam nunc ea tibi esset Fortuna, qualem ego optarim. Sed tamen est aliquid in patria vivere, præsertim tali. Et sortem tuam ita reddes tolerabiliorem, si quod sis, esse velis. Quod si quid est in quo requiras officium nostrum, fac periculum, num idem sim *Erasmus*, qui semper fuerim. Literarum officio non possim omnibus respondere, etiamsi nihil agam præterea. Tuum, mi chariſſime *Greie*, studium atque animum tam pium, dici vix potest, quantopere exoscular. De filii indole gratulor ex animo. Quod ipse sacra potissimum amplecteris, hoc est, ea per quæ vivas feliciter, & moriaris felicius, prudenter facis, & rectissime tibi consulis. Quanquam tu quidem superstes eris in liberis, quibus bis pater es: quippe non contentus in hanc lucem produxisse, *Christo* parturis eosdem. Valete ambo, quos ut æque tum mihi, tum inter vos charos, epistola quoque conjungere visum est. *Bruxellis* 13. Februarii, Anno 1516.

## EPISTOLA CC.

### *Erasmus Rot. Gulielmo Budæo suo* S. D.

NAE tu homo πάνυ βασιλικῶς munificus es, eruditissime *Budæe*, qui pro tam indocta Epistola, tam eruditam; hoc est, juxta *Glaucum Homericum* pro vix ærea reddideris plus quam auream, tum pro mediocri tam uberem, tamque prolixam: imo non Epistolam, sed volumen: atque, ut melius dicam, Thesaurum. ὦ φίλαι Μῶσαι, quantum illic eruditionis, haudquaquam trivialis! quantum eloquentiæ priscæ, nec hujus omnino seculi! Quid non ibi deliciarum? Quid non leporum? Ut prorsus hic *Budæum* agis? Ut insigniter teipsum exprimis? Hanc meam sententiam complurium calculis approbarem, ni tam paucos haberet hæc regio, qui tuas bilingues literas queant assequi, ne μονογλώτλυς quidem admodum intellecturi, ni fallor. Certe *Cuthbertum Tonstallum*, cujus unius judicium mihi quantumvis frequentium comitiorum instar est, ita rapuit, tenuit, afflavit tua Epistola, ut prorsus non legerit, sed devorarit, ut terque quaterque relegerit, nec omnino potuerit ea nisi conviciis è manibus hominis extorqueri. Quod ni derepente à Principe *Carolo* ad Cæsarem *Maximilianum* fuisset avocatus, magnisque mox negotiorum undis obrutus, jam adornabat ad te scribere. Nec enim arbitrabatur convenire, ut cum viro non literis tantum eximio, tamque exquisitæ ubique, diligentiæ, neglectioribus literis amicitiam auspicaretur, cum ego tuam exaggerans facilitatem, auctor essem ut interea scriberet, ὅ τι ἂν ἄκεφαν ἐπὶ γλῶτταν ἔλθοι. Verum ille quo doctior est, hoc penitius tuas dotes perspicit, atque ob id religiosius quam ego suspicit, ac veneratur. Jam meum judicium quanti fiat ab aliis nescio, tu certe non potes omnino rejicere, qui ultro efflagitaris, qui ταύτην τὴν λεοντὴν imposueris, ac me tuarum lucubrationum *Aristarchum* feceris. Equidem haud pono meum nomen in eruditorum albo. Inter tuos autem amicos sic ambio numerari, ut cætera quamlibet inferior, studio tamen tui nemini cessurum me recipiam. Nec tamen usque adeo sum à Musis ac bonis literis alienus, opinor, ut non aliquo modo perspiciam rariſſimas istas, ac pene divinas opes ingenii tui, quando quæ insigniter eminent atque elucent, vel à luscioſis cerni solent: nec rursus in tantum tui studio cæcutio, ut amore exoculatus parum recte dispiciam, id quod tum accidere solet, quoties judicium ex amore nascitur. Cæterum ubi contra amor à judicio proficiscitur, tantum abest, ut oculis captus sit, ut nihil sit oculatius: fitque tum ut quo impensius amamus, hoc & perspiciamus acrius, & certius judicemus. Jam olim mihi videbar odorari tibi certamen istud susceptum cum *Italia*, pulcherrimum quidem illud, sed idem longe difficillimum: at ne quid fingam, propemodum desperabam succesſurum. Nunc adeo succeſſisse video, ut neminem hac ætate putem esse apud *Italos*, tam improbum, sibique fidentem, qui super ista sane laude cum *Budæo* congredi, manusque conferere sustineat: quod quidem & citra invidiam, & cum *Italiæ* pace dictum velim, cui cum faveo multum, tum tribuo plurimum. Quis enim jam in hoc certamen velit descendere, posteaquam videmus egregios illos heroas, & omnium consensu prorsus inimitabiles, *Hermolaum Barbarum*, & *Angelum Politianum*, pari utriusque literaturæ facultate copiaque, longe abs te superatos? O felicem *Galliam*, quas cristas tolleret, si suas opes ipsa nosset? Sed ita fere est ingenium mortalium, ut, inquit *Flaccus*, virtutem præsentem si non odimus, certe negligimus, sublatam ex oculis quærimus invidi. Quod si fiat, ut qui nunc meus est sensus, idem est universæ *Galliæ*, nimirum *Budæus* ille in omnibus basilicis ἀλόχευτ@ staret: quanquam ille quidem, diutius victuris statuis, in omnium eruditorum pectoribus consecratus dicatusque semper stabit. Atque hæc quidem aliis adulantius, aliis arrogantius à me dicta videbuntur, sat scio: sed

Digitized by Google

An. 1516. sed iis modo, qui tuas exquisitissimas lucubrationes, aut nondum cognorint, aut certe non assequantur. Quorum utrunque quisquis fecerit, is me protinus utroque crimine liberabit. Et post hoc jocaris τί γὰρ ἄλλο, nos tuis officere luminibus. Dicam paucis quod sentio, mi *Budaee*. Si quid hactenus obstitit tuæ gloriæ, nihil aliud in causa fuit nisi quod perpauci mortales novam istam ac retrusam eruditionem adhuc assequuntur: quod simul atque contigerit, dispeream, ni tu protinus nominis tui fulgore, & oculos perstringes omnium: & quotquot sunt usquam, qui nunc illustres habentur, laudem obscurabis. Nec ulla tamen nobis in te competet actio, ut me quoque interim ponam inter eos, qui alicujus sunt nominis, hoc est, ὡς ἀληθῶς τὸ κόρχορον ἐν λαχάνοις. Nam in vestro foro qui plus justo tollunt ædificium, suum commodum vicinorum incommodo comparant, & alienis damnis ipsi πλεονεκτοῦσιν. Hic è diverso, & qui lumini officit alieno, beneficio juvat, non damnum dat: & cujus luminibus officitur, non ille quidem minus habet lucis, ac fortassis aliquanto plus, sed quod habet, id jam minus eminet. Itaque nulla hic damni dati actio, non Hercule magis, quam sit stellis minoribus, subito solis exortu conditis atque evanescentibus. Et tamen videas quosdam adeo perverse invidos, ut sibi detrahi judicent, quicquid aliis accreverit. Ego porro quantumvis cætera δυσυχῶν, tamen hoc animo mihi videor non omnino infortunatus, quod amicorum gloria magis etiam delecter, quam mea ipsius: & inimicorum celebritate non urar, modo prosint aliqua bonis literis. Atque utinam is sit jam nunc, quem brevi futurum auguror, meliorum studiorum successus: ut *Erasmus*, cui quidam eruditionis nonnihil tribuunt, eloquentiæ mediocritatem, neque scire quicquam, & prorsus infans atque elinguis esse videatur. Jam ut carptim ad aliquot Epistolæ tuæ parteis respondeam: Si unquam mihi contingat apud judices de capite periclitari, non alium mihi patronum optem quam *Budaum*: tantum in ista tua Apologia præstas artificem, cui non satis fuit omnia mea ἐνθυμήματα refellere, nisi mea tela protinus in meipsum retorsisses, subitoque ex judice faceres reum. Sic enim texis totam defensionem tuam, ut aut absolvendus mihi sis, aut eadem sententia ipse me necessario condemnem, quancunque in te pronunciavero. Vide quantum possit ista tua admirabilis facundia, qua efficis, ut reo securo judex periclitetur, & bene secum agi existimet, si modo liceat reum nulla sua fraude dimittere. Hic vero cum me tecum componis, committisque, confestim mihi succurrit, mi *Budaee*, *Græcorum* illud adagium, μύρμηξ ἢ κάμηλος: aut si quid is quoque dissimilius. Quæso quid inter nos simile, aut ullo pacto affine, præter hunc fortassis animum, non abhorrentem ab honestis studiis. Eleva tuam felicitatem quantum libet, αὐτομαθὴς, ὀψιμαθὴς uno certe calculo te vinco, ἀμαθὴς καὶ ἀτεχνῶς ἀπαίδευτος. Neque vero crediderim istam collationem abs te hoc animo institutam, quod existimares hanc meam tenuitatem cum ista tua opulentia ullo pacto comparandam, sed ut me propius admoto, tua magis elucescerent: quo nimirum consilio pictores in tabulis umbras addere dicuntur, si qua velint insignitius eminere. Et matronæ quædam callidæ, quo magis commendent oculis intuentium formam suam per se egregiam, pedissequas parum formosas secum ducere curant. Nec aliud mihi videtur egisse *Politianus*, cum aliorum ad se Epistolas suis intertexeret, idque nullius ferme exemplo. Sunt enim illic, quorum impudentiam non alia ratione magis potuerit traducere. Sunt rursus, quos per se facundos, ad hunc collatos, dicas obmutescere. Neque hæc dixerim, quasi tute per te parum sis illustris, ut meis tenebris debeas commendari: sed hac arte mihi videris quorundam errori voluisse mederi, simulque mihi falsa existimatione gravato succurrere. Sunt enim qui mihi plus nimio tribuant, quorum aliquos & ipse prodidisti, nempe *Deloinum* & *Ruzæum*, qui me, ut scribis, *Varronem* nostri temporis faciunt, nisi quod

A plus amplector eloquentiæ. Nec enim suspicari fas est, An. 1516. ista te de tuo admensum esse, quo mihi illos hoc veluti lenocinio redderes commendatiores. Et sunt rursum qui mihi nihil non adimunt; illis nihil nescio, his nihil omnino scio. Nec adhuc satis mihi liquet, utri pejus de me mereantur, illi no prodigi, quorum candor me laudibus immodicis onerat, quas nec agnoscere possim, nisi sim aut egregie φίλαυτος, aut insigniter impudens: an hi, quorum malignitas sic me nudat, ut nihil omnino reliquum faciat. Nam quemadmodum non sum tam insolens, ut id haberi postulem in re literaria, quod in re bellica fuit *Achilles*, aut *Diomedes*; ita non usque adeo mei ipsius sum ignarus, ut *Thersiten* mihi putem anteponendum. Et tamen nonnihil molestum est, quod nec illis irasci possim, amore studioque mei cæcutientibus, nisi hominis inhumani notam malim incurrere: nec hos refellere, quibus nescio quomodo sum æquior, quod magis ad animi mei sententiam facere videantur. Quo sane nomine te quoque amo, mi *Budaee*, quod ab immodicis illis admiratoribus dissentias: sic enim interpretor quod scribis, te mihi ea in parte nonnihil invidere. Equidem istam invidiam, hoc est judicium severius malim, quam aliorum effusissimum favorem, qui me vera onerat invidia, hominem omnium potius misericordia, nullius invidia dignum. Sic enim mihi placeo, ut quod *Socrates* εἰρωνεύων, id mihi vere atque ex animo propemodum videar posse profiteri: *Unum hoc scio, me nihil scire.* Fortasse non sum aliis facturus fidem, at tu certe illud mihi credas velim, *Budaee*, si quid omnino credis, nihil unquam tam feliciter à me elaboratum, quod meo animo arriserit. Hic mihi continuo in os jecerit aliquis, *Quorsum igitur tantum voluminum nobis offundis, si nihil istorum probas?* Primum, nequeo dormire. Nam hoc lemmate se purgat *Horatius*. Deinde, ut aliquid audeam scribere, quorundam insignis facit impudentia: qui cum juxta sint infantes, atque indocti, tamen miro supercilio docent quod nesciunt. Tibi *Plinius*, *Hermolaus*, *Politianus*, ad scribendum addunt calcar. Mihi animos adjiciunt *Passavantii*, *Hugones*, *Summularii*. Siquidem ad illos plus quam mutus, tamen ἐν τούτοις ἀμυστοτάτοις ὅπωσῦν φθέγγεσθαι τολμῶ κόρυδος. Verum ut ad id quod instituī recurram, tametsi videam id magno existimationis meæ detrimento fieri; tamen interim gaudeo utcunque conferri cum *Budæo*: præsertim cum tute id facias; Deum immortalem, quam erudite, quam eloquenter, quam divinitus, ut non alibi magis declararis, quanto te sim inferior, quam ubi me tibi nunc parem, nunc superiorem etiam, si Musis placet, facis! Et tamen interim (ut dixi) mihi blandior, hoc certe lucri facturus, ut quamvis victus discessero, tamen cum *Budæo* studiorum antistite collatus dicar, ceu *Thersites* quispiam cum *Achille*: Quid mea? collatus tamen. Etenim ut sunt quos vicisse pudeat, ita sunt à quibus vinci quoque abunde pulchrum sit. Hoc laudis animo meo satis est. Cur enim tibi non fatear ambitionem meam, ὦ τῶν ἐμῶν φίλταξε, cum tu te mihi totum, ut scribis, bona fide indicaris? Negas tu quidem, perinde invisam esse mihi *Peniam* uxorem, atque adamatam hujus pellicem *Encliam*: quod haudquaquam scripsisses, εὖ οἶδ' ὅτι, si me penitius & interius nosses. Etenim ut juvenis nonnihil tangebar gloriæ studio, atque id sane leviter: ita nunc nihil malim, quam quicquid est hoc nominis, quod solum præmii mihi mea studia retulere: nec id tamen parum multa invidia corruptum fermentatumque, ut non paulo plus aloes sit quam mellis: vel deponere si detur, vel abjicere, ὅπως οἱ ἔλαφοι ζᾷ κέρατα, νὴ τὸν ἡμῖν κοινῶς ἐρομένων φιλοσοφίαν, si parum credis injurato. Hic igitur cum prorsus à te dissentiam, tamen haud iverim inficias, magno sensu voluptatis pertentari animum meum, quoties tui similium scriptis aut laudor, aut certe non contemnor: quibus vel notum charumque esse, præcipuam quandam felicitatis partem esse duco. Tuam autem eloquentiam seorsim sic amo, suspicioque,

Digitized by Google

An. 1516. que, ut jucundum ſit tali ore vel reprehendi, teloque tam inſigni vulnerari. Neque enim me clam eſt, quot modis me ſuggilles in Epiſtola tua, dum tuam cauſam defendis: ut me ſurſum ac deorſum ſalibus tuis exagites, ludoſque facias. Verum iſta per me ſæpe facias licebit, modo pari facias eloquentia, etiamſi nunc tu quidem amiciſſime quoque facis, uſque adeo tuum iſtud ingenium deamo. Neque verebor poſthac quoquo pacto calamum tuum in me laceſſere. Poſteaquam cœpi, certum eſt totum animum meum effutire. Non ignorabam, optime *Budæe*, morum ingeniique tui placabilitatem, & tamen nonnihil metuebam, ne quid offenderet mea tam audax cenſura lucubrationum tuarum: perinde quaſi *Areopagites* aut *Ariſtarchus* quiſpiam eſſem, ac non magis *Eraſmus* τερωβόλιος ἀνθρωπίσκος. Verum poſteaquam hæc temeritas tam feliciter cecidit, nihil dubitabo poſthac vel quodvis συκοφαντεῖν, modo quacunque improbitate tales Epiſtolas liceat à *Budæo* extundere. Sed quando tua illa ἀντικατηγορία me vel ex judice, vel ex actore reum fecit; haud ſane conabor cum tam confertis ſimul & inſtructis argumentorum tuorum copiis aperto *Marte* juſtaque acie confligere, quod ipſe *Xerxes* vix poſſet: attamen aggrediar, ceu populabundus, incurſionibus inceſſere aliquot agminis tui partes, nunc hac, nunc illac aſſiliens; & caudæ equinæ pilos paulatim vellere. Singulis fortaſſis negotium exhibuero, quum univerſis par eſſe non poſſim. Primum, meam εἰσαγωγὴν, in qua me ſcribis argutari, vel ἀκκίζεσθαι potius: belle tu quidem eludis, ſi modo per nos impune liceat auferre, quod non aliter atque maxime confeſſum aſſumis: videlicet à me præſtari poſſe quippiam quod ab alio nemine poſſit. Atque iſtuc ipſum eſt, quod ego conſtanter clareque nego, atque etiam pernego; utpote vix mediocribus etiam par argumentis. Quid ſi quædam ſunt, inquis, quæ tu unus poſſis abſolvere? Quid ſi cœlum ruat? Ad hæc cum orationis meæ mediocritatem cum tua grandiloquentia componis; fortaſſis erat accuratius explicandum, quibus tandem in rebus iſtam amplitudinem ſitam eſſe putes. Etenim ſi in genere argumenti, nihil adhuc à nobis grande ſuſceptum eſt quod cothurnum requiret. Nec tuus *Aſſis* per ſe grande eſt argumentum, niſi quatenus difficile: ſed tua eloquentia grande eſt. Alioqui mihi videntur maxima, quæcunque ſint optima. Sin in ipſa phraſi majeſtatem ſitam eſſe putas, equidem in hac ſum ſententia: ut illud orationis genus exiſtimem magnificentiſſimum, quod efficaciſſime perſuaſerit id, quod eſt inſtitutum: hac quidem in parte nonnihil à *Quintiliano* diſſentiens, *qui negat eloquentiam eſſe vocandam, quæ non habeat admirationem.* Cum enim bona pars artis ſit artem diſſimulare, quod dicenti fidem abroget artificii ſignificatio; non video quî poſſit efficax eſſe eloquentia, quæ ſe jactet, oſtentetque. Neque enim ut veſtis eadem, & ſplendida poteſt eſſe, & nihilominus ad uſum accommoda: itidem poteſt oratio ſimul ad permovendos animos, & ad oſtentationem ingenii eſſe appoſita. Ut optimus eſt jaculandi artifex, non cui pharetra ſit gemmis diſtincta, cui arcus quam maxime inſignis; ſed qui certiſſima manu ſcopum feriat: ut ingens Philoſophus, non qui *Stoicorum*, aut *Peripateticorum* dogmata pulchre teneat, ſed qui philoſophiæ rationem vita ac moribus exprimat, qui proprius eſt philoſophiæ finis: ita ſummi Oratoris munus abſolvit, quiſquis quod voluit, perſuaſit. Alioqui an non videatur ineptus, ſi qui populum à belli tumultu ad pacis ſtudium revocare inſtituerit, oratione phalerata, atque elaborata, hoc tantum perſuadeat, ſe virum eſſe cum primis eruditum, plurimæque lectionis? Atqui non hoc agebatur. Ne ſcenæ quidem quavis ex re captant admirationem. Damnatur hiſtrio, qui peregrinis opibus oculos populi detinet, cum is actione & argumento fuerit ad plauſum invitandus. Ego ad hoc ut grandis ſit dictio, verborum apparatum minimum momenti adferre exiſtimo, nec ita multum conferre ſchematum ornamenta, niſi ſi qua in rebus ſita ſint, non in verbis. Neque parvi refert utrum fabulam mireris, an apparatum. Certe, Rhetorum etiam conſenſu, illud naturale dicendi genus primam laudem obtinet. At non aliud minus eſt admirabile. Quis enim admiretur artem, quum putet natura dici? Ac prorſus δὶς διὰ πασῶν inter ſe differunt, quod illi primum judicant, & quod tu videris amplecti. Ut ſileam interim, ſtultiſſimum eſſe admirari quod non intelligas. Unde potiſſimum perſpicuitati ſtudendum eſt ei, quiſquis admirationem eloquentiæ captat. Jam ſcis ipſe totum hoc orationis expoliendæ ſtudium, vix à bonis viris olim fuiſſe receptum: vixque perſuadent Rhetores, alioqui facundiſſimi, utilem eſſe Rhetoricen, aut viro bono dignam. Quo mihi videris iniquius facere, qui ſcenicam etiam eloquentiam exigis à Theologo Chriſtiano; cum *Cicero* ab Ethnico Philoſopho non requirat omnino ullam: hoc contentus, ſi intelligatur modo. At tui Rhetores, qui (ſicut par eſt) ſuæ profeſſioni impendio favent, non probant tamen iſtas orationis delicias, ac πολυτέλειαν, niſi in uno duntaxat genere; nimirum *Encomiaſtico.* A quo nullum longius abeſſe puto, quam quod totum in docendo verſatur: atque adeo in docendo, non quaſvis res, (nam de fulminum aut terræ motuum cauſis ſplendide diſſeri poſſit) ſed res per ſe minutas ac tenues, tum ſic impeditas involutaſque, ut quantumvis diſtincte, quantumvis dilucide, quantumvis ſimpliciter, aut commode explices, tamen vix etiam ab attentis capiantur. Quod ſi uſquam alibi, hic certe videbatur rei difficultas orationis facilitatem deſiderare, ne lector gemina oneraretur moleſtia, primum argumenti, deinde explicationis. Et cum aliud ex alio pendeat, atque ob id lector avidus ad finem anhelet, non videbatur objectis ſalebris ac lamis à curſu retardandus. Ad hæc ſi maxime probatur oratio, quæ maxime congruat rei quam tractat, vide num conveniat quiritari, ut tuo utar verbo, in argumento tam exili. Neque enim continuo quod eſt difficillimum, idem eſt & grandiſſimum: imo contra fere uſu venit, ut plurimum habeant difficultatis, quæ ſunt minutiſſima. Habet tamen & hoc genus ſuas dotes, ſed mea ſententia quaſvis potius quam δεινότητα, aut μεγαλοπρέπειαν. Tuum ipſius animum nunc appello, *Budæe*, ferres ne *Euclidem* de figuris Mathematicis iſtoc orationis apparatu diſſerentem? Sed harum rerum haud neſcius, opinor, cum exquiſito undique opere, ingenii tui ſpecimen dare velles eruditiorum duntaxat panegyri, callido quodam conſilio *Aſſi* tuo, ceu agro ſenticoſo, digreſſionum aliquot vireta miſcuiſti, ut in his lector argumenti aſperitate laſſus, ſubſideret, ac reſpiraret. Quod idem me in *Chiliadibus* feciſſe criminaturum te minaris, niſi te criminari deſinam, qui inſtituti oblitus in *Silenis* mundi ſcenam agam, in adagio γλυκὺς ἀπείρῳ πόλεμος adverſus bellatores iſtos belligerer, in *Scarabeo* ludam ac laſciviam, in proverbio κατάρατον ἔλαχες, τάῦλαν κόσμει, aliiſque compluribus declamem. Utinam mihi liceat hic peccatum tecum commune fateri, modo idem mihi pariter ſucceſſiſſet. Quanquam ſi libeat tergiverſari, reſpondere poſſem cauſam tuam non omnino ſimilem meæ. Tuus *Aſſis*, catenæ ritu, ſic totus ſibi cohæret, ut non perinde locus ſit longioribus digreſſionibus. Mearum *Chiliadum* ea ratio eſt, ut ubi ubi quodvis finieris adagium, imaginari poſſis jam explicitum volumen. Et incidunt permulta, quæ ad declamandum velut invitent. Age, dic mihi πρὸς τῶν Μουσῶν, cum ab *Aſſis* partibus exorſus πάνυ διδασκαλικῶς ſub finem operis tam diu cum tuo *Deloino* deſidens confabularis de ſtatu, moribuſque noſtrorum temporum, an non vereris, ne quis *Momus* tibi *Horatianum* illud occinat,

——— *amphora cœpit*
*Inſtitui, currente rota, cur urceus exit?*

Exſpatiatur & *Plinius* in Hiſtoria mundi, ſed in ampliſſimo argumento, ſed brevius utroque noſtrum, me etiam rarius. Exſpatiatur & *Seneca* in quæſtionibus cauſarum

An. 1516.

An. 1516. sarum naturalium, sed infrequentius. Vides quanto parcius id mihi permiserim in Novum Testamentum, etiamsi nec hoc argumentum sic inter se contextum est, ut tuus *Assis*. Audio quosdam idem sentire de Annotationibus tuis in *Pandectas*, quæ quanquam plurimum attulere tibi gloriæ, tamen aliquanto plus laturas fuisse, si resectis iis, quæ tu non quasi diligens promuscondus, sed profusus quispiam *Lucullus* è confertissimo penu effundis verius, quam promis, ea potissimum in medium attulisses, quæ proprie ad institutum argumentum faciebant: veluti, ut hoc exempli gratia proferam, si vindictam enarrans, non illico congessisses, quicquid usquam apud ullum auctorum genus de vindicando, de vindicta, de vindiciis reperiatur: sed ea duntaxat, quæ peculiariter ad eum locum illustrandum pertinebant. Nunc eruditionem nemo quidem desiderat, cæterum qui aut avidiores sunt, aut occupatiores, aut etiam morosiores, causantur ingens esse volumen, & tamen ex tam multis paucos locos illustratos: tametsi quæ infulcis, eruditiora sunt, quam ut otiosum & candidum lectorem pœniteat τ̃ παρεργίας. Verum ad dicendi genus jam redeo. Scio, scio, doctissime *Budæe*, quæ tua felicitas est, quodcunque dictionis genus assequi posse te, modo volueris, id quod ipse quoque significas, atque ob hoc dignus, qui quod optimum est velis, cum efficias quicquid volueris. Mihi quidem nunquam placuit balbuties & infantia quorundam, qui bonam eruditionis partem videri volunt, elinguem esse, aut quod mea sententia miserius est, spurce prodigioseque dicere. Nam ut sermo præcipua mentis imago est, mentem vero decet esse purissimam, cum vitio detur vestis immundior, magis arbitror orationis puritatem ac munditiem bono viro præstandam esse. Atque huc quidem semper annisus sum à puero, quantum nostra regio, seculum, fortuna, denique quantum hæc ingenii tenuitas ferebat: & tamen cum viderem artificium dicendi à probatis viris tam gravatim probari, magis affectavi mundam orationem quam phaleratam, & solidam masculamque potius quam splendidam aut scenicam, quæ rem ostenderet citius, quam quæ scriptoris ingenium ostentaret. Votum meum audis, cæterum an assequutus sim nescio. Et fortasse dum hoc genus sequor, ita ut fit, in aliud huic finitimum incidi, dilutum, triviale, expositum: quod gustasse lectori abunde satis sit, videlicet unedonum ritu: cum nihil illic sit, quod paulo quis elegantiore palato regustare velit, nec ullos aculeos relinquat in futurum, sed ad præsens tantum mulceat. Nam hujusmodi ferme coloribus me mihi depingis, mi *Budæe*: & haud scio an verissime. Plus enim tuo unius judicio tribuo, quam aliorum complurium. At ego ut phaleratam orationem non ambio, ita puram, aptam, facilem ac dilucidam optarim, si contingat: sed ita facilem, ut tamen neque nervis, neque aculeis, ubi res poscit, deficiatur, quam si minus assequor, ingenii culpa est, non instituti. Quanquam vide quam interim inique mecum agitur, qui utrinque male audio: à vestro, hoc est, doctissimorum ordine culpor, ut citra impetum, ut eiumbis, ut remissus, fluens: ab hoc meo reprehendor & quidem quotidie, quod nimium exquisitis schematum & verborum ornamentis plebejum lectorem procul à me submoveam, atque in ipsis etiam scholiis alia flagitant scholia. Quid facerem? Ita tempero dictionem, ut neutris per omnia obsequar, & tamen utrisque dem aliquid. Ad hæc non parum assequutus videtur, qui id impetrat à lectore, ut totum librum avide devoret, & pari contentione ad finem usque deproperet. Atque haud scio an tutius etiam sit facilitate transmittere lectorem, quam difficultate deterrere: & tolerabilius est non regustari, quam omnino non gustari. Quanquam regustari contingit & iis, qui facilitate commendantur. Alioqui quid *Cicerone* facilius, & quis repetitur avidius? Quid tribuas *Minervæ* nostræ tu videris, ego quam sit maligna sentio. Nam quod scribis περὶ τ̃ θεολογικ̃ ἀχήματ@, deque legibus, quibus quod adstrictior sim quam tu, cogar esse circunspectior, istud quidem eatenus valet, ut mihi minus peccare liceat quam tibi, cum minus sit veniæ, non ut cogar pejus dicere. Nam quod ad παῤῥησίαν attinet, ut nusquam vel obscœnus sum, vel seditiosus, quorum utrunque oportet à bono viro procul abesse: ita multis in locis καθ' ὑπερβολὴν παῤῥησιάζομαι, neque id sine magno meo malo, τοσαύτην τεθεγωδίαν μοι ἐκίνησαν οἱ κακοδαίμονες ἤτοι μαζιόλογοι, οἷς σοίγε, βέλτιστε Βυδαῖε, Ἡ ἐφίκοιτο, μήποτε γένοιτο ἐμπεσεῖν ἐν τῷ βίῳ, ὧν ἡδὲν ζῶον ἔστε ϖ θαλασσίων ἔστε ϖ χερσαίων ἐξολέσειεν. Porro, quod putas me senectute frugaliorem reddi, nihil repugno, nec adeo mirum, si mihi usu venit, quod *Isocrati*, quod *Lysimacho*, quod ipsi *Ciceroni* videmus usu venisse. Atque utinam usu veniat, ut quemadmodum illis, ita mihi quoque accessus ætatis, orationem sic leniorem reddat, ut tamen meliorem. Quanquam si libeat utriusque nostrum ætatem expendere, haud ita multum interest, nisi aut te, aut me fallit supputatio: siquidem ego jam annum ago primum & quinquagesimum; tu, ut scribis, non procul abes à duodequinquagesimo. Mihi igitur longe plus senii est quam tibi, senectutis non ita multum. Sed effundam in sinum tuum, quæ res stylum meum aliquanto facit deteriorem. Scis hunc lectione non secus atque agrum stercoratione reddi vegetiorem, & novalibus alternis annis vacatio permittitur, ne assidua cultura sterilescant. At ego compluribus jam annis fundum hunc, per se malignum, nec soli admodum felicis, perpetuo cultu exhaurio: nec intermissionis ullo laxamento succurrens, nec lectionis lætamine. Nam illa tumultuaria lectio, qua *Chiliadum* opus, & Annotationes in Novum Testamentum, ac *Hieronymum* congestæ sunt, adeo non reddit ingenium vegetius, ut non temere alia res æque officiat, vel memoriæ, vel mentis acrimoniæ. Tum ipsum argumenti genus respuit etiam orationis majestatem. Tu felix, *Budæe*, cui contigerit argumentum, ceu campum ac theatrum tibi aptum deligere, in quo raræ istius eruditionis, & eloquentiæ specimen orbi dares. Ego in hæc incidi, cum ad nullum omnino scripti genus minus essem natura appositus. Et tamen ubi semel incideram, fabulæ scenæque serviendum fuit. Nonnullas ὑποθέσεις amicorum precibus dedi, ut vix unquam hactenus mihi contigerit in mea versari arena, meoque ipsius servire genio, si quis omnino meus est genius. Ne querar interim ut nihil honoris esse his studiis, præsertim apud nos, sic judicia perversa. Cui nunc velis placuisse? Ad cujus plausum admittas equos tuos? Jam ne mihi sis impune suggillatus, quod manum de tabula tollere nequeas, obiter recriminaris, ὅτι ϖ̃ς τὸ δεον τίμᾳ ϖ̃ρὸς τῶ ϖαροιμιολογεῖν. Verum non satis intelligo, utrum usum adagiorum immodicum reprehendas, an nimis anxiam & morosam collectionem. Memini me & fateor quondam ambitiosius hoc genere ceu meis opibus uti solere: sed post sensi, cœpique frugalius adhibere. Porro, in colligendo, ambitiosiorem me fecit, partim *Robertus Gaguinus*, qui mihi olim sub aliena persona suam indicans sententiam, retulit in hoc me à Criticis reprehensum, quod in primis illis collectaneis oppido quam jejunus essem, & è tam multis paucula modo recensuissem. Partim *Polydorus Virgilius*, vir eruditus, mihique nunc amicissimus, qui passim etiam prædicabat, me suis ingredi vestigiis, æmulum operis alieni, non auctorem mei: cum hoc libelli quicquid erat, annos aliquot edidissem, prius quam *Polydori* nomen nossem. Demum ubi *Polydori* librum essem nactus, ipsa chalcographi inscriptio declarabat, me mensibus aliquot antevertisse: cum ille ederet in *Italia* suum, ego meum *Lutetiæ*. Et tamen *Lucas* quidem *Sanromata*, Theologus *Lovanienses*, vir non ob aliud, opinor, infensus bonis literis, nisi quod eas annis permultis, sed infeliciter, planeque Musis iratis, affectasset, pertinaciter asseverabat, me alienis inventis ostentare me. Has cavillationes dum avidius studeo effugere, in vicinam incidi foveam, ut apparet, proque jejuno immodicus esse cœpi. Quanquam nec usque adeo promiscue,



Digitized by Google

An. 1516. albaque (quod ajunt) amuſſi, ſtudium fuit converrere omnia, quin multa rejecerim, quæ tamen in *Gracorum* collectaneis habebantur, quod mihi ſuboleret quædam è vulgi horum temporum fece hauſta, quædam affectata ſtudio majore quam judicio. Jam quod argumentatus fueram, non ejuſdem eſſe hominis *Peniam* habere domi, & *Lucullianas* ſubſtructiones tollere: ita tu quidem ἀντιστρέφεις, ut hoc ipſum exiſtimes argumentum, *Plutum* ex ædibus tuis in malam rem aliquo profugiſſe, & in hujus locum *Peniam* immigraſſe. Recte ſane iſtuc, ſi prædia villaſque in tuis bonis non numeras, cum hinc locupletes potiſſimum nomen invenerint. Hæc, optime *Budæe*, cavillari libuit verius quam συλλογίζεσθαι: vel quod tu ſic juſſeras, vel quod dulce eſt, quidvis cum amico tali nugari: vel quod minus etiam tibi magnificum fore judicabam, ἑρήμην νενικέναι. Cæterum, nihil eſt tuum, quod non unice tum probem, tum admirer. Id quod cum antehac ſemper fecerim, tamen in dies quo propius te contemplor, quo penitius introſpicio, hoc & amo, & ſuſpicio magis. Nec enim te ſolum hominem abſolute doctum, ac divino quodam ingenio, parique judicio præditum declarant tuæ lucubrationes, admirabili doctrinarum omnium penu refertæ: verum & integrum probumque virum arguunt, qui tanto animi ardore deſtomacheris in corruptiſſimos hujus ſeculi mores. Quod ſi quid etiam peccas in phraſi, aut copia, quod ego ſane non puto, ſed tamen ſi quid peccas, primum vitiis, ut ipſe veriſſime ſcribis, honeſtis peccas: tum adeo feliciter, ut ego ſane non paulo tua malim ἁμαρτήματα, quam aliorum κατορθώματα. Inter tot Scriptorum ſpecies, nullos minus fero, quam iſtos quoſdam *Ciceronis* ſimios, à quo genere non ita multum abeſſe mihi videtur *Pontanus*. Nam *Apulejanos* τερατολόγους & pueri rident. Tu mira temperatura ſic es elaboratus & exquiſitus, ut nec facilitas deſit, nec perſpicuitas: ſic copioſus & exuberans, ut tui ſemper inſtituti memor: ſic ſplendidus & ingens, ut nuſquam deſint nervi vigorque: ſic picturatus ac floridus, ut magis tamen eruditione quam ornamentis dicendi commenderis. Hoc uni *Budæo* datum eſt. Sed ut eſt noſtræ mediocritatis non invidere tuæ felicitati nulli prorſus imitabili, ita tui candoris eſt, meæ ſortis ac notæ Scriptores non faſtidire: præſertim cum fatearis, ut ſuam cuique faciem, ſuam cuique vocem, ita ſuum cuique ſtylum & inſtitutum ſemper fuiſſe. Tu maluiſti ab eruditis duntaxat intelligi, ego ſi poſſim à plurimis: tibi propoſitum eſt vincere, mihi aut docere, aut perſuadere. Etiamſi hæc quoque tu præſtas, ſed non ſola. *Aſſem* abs te locupletatum, jampridem emi juſſeram, nunc tandem cum hæc ſcriberem, extorſi de manibus eorum, qui libros concinnant: ita tua diligentia duplici precio nos mulctat, ſed ut id crebro facias, opto. Utranque editionem à capite uſque ad calcem perlegam: ſed adhibito ſynanagnoſta, quo certius deprehendam, quid mutandum aut adjiciendum judicaris. Reddet ea lectio me ſi non ſatis diligentem, certe paulo minus indiligentem. Τὸν χολιασμὸν τὸν, διὰ τί ἐκ τῆς φερούσης ἐπέγνωκα, πάνυ γὰρ περισφρῆ αὐλῷ τῷ συγγεγραφέναι, κλέπτιλλον ἢ κλέπτης οἶδα, καὶ λύκον λύκος. Pro tam erudita, tamque honorifica *Deloini* ad me epiſtola, tibi quoque gratiam habeo, cujus hortatu ſcriptam conjicio. Alioqui quî veniſſet in mentem homini tanto, tantis diſtento negotiis, ad nos ſcribere? O vere deorum vitam, ſi qua uſquam eſt! Quid enim aliud eſt, cum talibus amicis quotidie in amœniſſimis Muſarum viretis verſari, ludere, oblectari? O quæ fabulæ, quæ colloquia, quæ commentationes: qui ſales, quales *Cicero* cum ſuo *Bruto Pomponioque* ſolet agitare. Neque enim ego dubitarim *Deloinum* & *Ruzeum Bruto Pomponioque* vel anteponere, ſi tu modo te patiaris æquari *Ciceroni*, quem noſtra certe ætate refers. Hic nihil ſimile, ſed neſcio quo pacto durius adhuc habentur bonæ literæ. In cauſa eſt, opinor, quod frigeant *Mecænates*, & regnent meliorum literarum hoſtes. Unus prope clariſſimus vir *Joannes Sylvagius*, *Burgundiæ* Cancellarius, ut patriæ, ſic etiam optimis ſtudiis conſulere ſtudet, ſed cujus bonam partem nobis adimunt publica regni negotia. Scis nullius boni magnopere jucundam fruitionem abſque conſorte. At ni forte *Tonſtallus* adfuiſſet, neminem habiturus eram, qui cum, me tuæ mellitiſſimæ literæ delectaſſent. Jam iſtam conditionem, quam offers, perlubens accipio: ut invicem poſthac communis ſit inter nos omnis omnium amicorum poſſeſſio. Quod enim lucrum offerri potuit luculentius? certe quod ad me pertinet, dabo operam, ne cui charus ſit *Eraſmus*, quin idem optime ſentiat de *Budæo*. *Deloino* ſum auſus ſcribere, ſive quod tam amanter ab ipſo laceſſor, ſive quod tu ſic obteſtaris, ut religio ſit non parere. Alioqui, ne quid mentiar, non alia ratione magis à ſcribendo deterrere poteras, quam iſtiuſmodi literis provocando. Quod ſi meæ exiſtimationis tantopere mihi ratio haberetur, quantopere tu putas; profecto nec illa mihi tecum communis amica philoſophia, nec *Jupiter* amicitiæ præſes, nec mei nominis gloria, quam tu facis admirabilem, nec hujus ingenii felicitas, quam mihi prope divinam tribuis, eo impudentiæ me adegiſſent, ut ad tam eruditas epiſtolas reſcriberem. Nunc quoniam tuæ gloriæ ſic faveo, ut non poſſim impenſius: & ipſe famæ jam pene ſatur ſum, hoc libentius etiam ad te ſcribo, quod augurer fore, ut tuam eloquentiam poſthac vehementius ſuſpiciant omnes, poſteaquam animadverterint *Eraſmum*, cui hactenus tribuebant eloquentiam, te loquente, prorſus obmutuiſſe. Totum illum locum περὶ τῆς χρυσώσεως, περὶ τῆς ἰθελοδουλείας riſu proſequebar. Aut inſigniter ignoras ingenium meum, aut vaferrime diſſimulas. Hactenus quidem hic ſementem facio, cujuſmodi meſſem facturus, incertus: meo etiamnum ſucco victito, ad cochlearum exemplum: imo polyporum in morem, arroſis meis ipſius brachiis, me ipſum paſco: niſi quod ſalarium promiſſum eſt ex ærario Principis, & una jam data Præbenda, quam ipſe verti in annuam penſionem: ἐμπίπλησι μὲν ἐνθάδε πάμπολλα πλήματα: ſed hui vulturum immenſa turba, & ego quidvis eſſe poſſim citius quam vultur. Si qua res animum meum à literis avocare potuiſſet, aut hæc valetudo jam caduca pridem avocaſſet, aut iſte τουτογὶ φθόνος, ὁ δεινὸς τῶν ἀπαιδεύτων ματαιολόγων, quorum improbitate tantum non lapidatus ſum. Qui te iſtic adierant, iidem me convenere *Bruxellæ*, quorum conſpectus mihi partim lætus fuit, quod illorum oratio tui memoriam renovaret, partim triſtis, quod ſine tuis literis venirent, etſi ſpem tuarum literarum adferrent. Horum alter eſt *Marianus Siculus*, priſcam illam gentis ſuæ feſtivitatem referens, vir præter eruditionem candidiſſimo pectore, plane ad amicitiam natus, cujus familiaritas mihi non mediocri voluptati fuit. De tuis Epiſtolis mendoſius excuſis, non injuria expoſtulas. Nam idem mihi quoque non mediocriter ſtomachum moverat, ſed unicum hunc habemus τυπογραφέων, καὶ λόγου γε ἄξιον ἡμῶν. Cæterum eas Epiſtolas *Petrus Ægidius*, ab actis Curiæ *Antuerpienſis*, vir doctus & humanus, tuique nominis inter primos ſtudioſus, evulgandas curavit: me ſane non quidem conſcio, ſed tamen nonnihil ſuſpicante, & connivente verius quam volente, quod cuperem tuas ſaltem ab omnibus eruditis legi: vel ob hoc ipſum quo tua tam inſignis præminentia noſtratium veternum excuteret, & altiſſimum hunc ſomnum tuæ vigilantiæ claritas diſpelleret. De jure trium liberorum adempto, de uno ſex liberorum abducto, mecum agas oportet, cujus errore id factum eſt; ſed brevi tibi ſarcietur hoc damni, id curaturum me recipio, & quidem propediem. At vero quod tuas in Novum Teſtamentum Annotationes mihi credere vis, quæſo an non pudebit poſthac iſtos, qui ultro lucubrationes alienas ſibi vindicant; aut qui ſibi habent non literis, quicquid habent? O pectus vere candidum atque amicum, & ab omni invidentiæ morbo alieniſſimum! Recte dictum eſt, *Scriptores opera ſua non ſecus ac liberos adamare*. Tu non gravaris filium fraudare, quo me ditea: & cum plerique pro gloria, perinde atque pro

Digitized by Google

An. 1516. pro vita digladientur; tu non recusas tuam ipsius gloriam in amicum transfundere. Quis hoc ingenium non adamet? non deosculetur? Sed cave faxis istud, mi *Budae*. Neque enim mei ingenii est, alienis opibus venditare me, etiamsi in Hebraicis passus sum non nihil operae subsidiariae, sed id sane perparce, nec dissimulanter tamen: simul de studiosis pessime merear, si ea mihi sumpsero, quae scio felicius abs te tractatum iri. Denique cum publica feceris, mea nihilominus erunt quam tua, licebitque iis uti, cum *Budai* mei nomenclatura, quod ego non tam candide facio, quam ambitiose. Illud modo volebam, degustato opere nostro submoneres, si quid desiderares, aut si quid offenderet, ut id in proxima editione, quam adorno, sarcire liceret. Nondum scio, an hoc quoque nomine tibi debeam gratias agere, quod omnibus virtutibus multo ornatissimus Praesul *Parisiensis*, qui nunc vestri Regis nomine apud nostrum legatione fungitur, me credat aliquid esse in bonis literis: ac prorsus agerem, ni istud immodice feciisses, ut incusandus mihi sis potius, qui tantum virum in tantum induxeris errorem: simulque meam inopiam, quam oportebat tibi non ignotam esse, tanta exspectatione oneraris. Sed quicquid hoc est, seu beneficii, seu sedulitatis, hoc est, seu officii, seu culpae, totum tibi commune est cum *Fabro*, *Copoque*: sic enim mihi visus sum intelligere ex oratione Legati. Certe mihi cum primis gratum fuit; virum tam pium, tam eruditum, tam humanum cognoscere, cui vix eloqui possim quam sim obstrictus: ut qui me non solum suo praeconio, suaque consuetudine, ac mensae etiam consortio honestarit, (scis enim apud Poetas deos fieri, quos dii suis mensis adhibere dignantur) verum etiam *Christianissimi* Regis nomine invitarit ad vestrae *Gallia* contubernium, si modo per hunc meum *Principem* liceret. De *Jacobi Fabri* adversa valetudine, eaque diutina ac pene perpetua, rem mihi nuncias haud sane mediocriter acerbam. Siquidem is vir est ea pietate, ea humanitate doctrinaque praeditus, sic de studiis ac studiosis omnibus meritus, ut indignus sit, qui aut senescat unquam aut moriatur: sed tamen Episcopi me recreavit oratio, qui mihi narravit eum jam aliquanto firmiorem esse. Efflagitaras, mi *Budae*, tua quoque prolixiorem epistolam. En ὅταν, habes non minus magnam, quam malam: nam tuae parem referre facile possum, similem qui possim? Vide nunc an posthac expediat *Erasmum* ad prolixas epistolas provocare. Quoque magis in posterum id metuas, addam & coronidem. Sunt hic *Itali* quidam, quos offendit ἐπιγεγραμμάτιον, quod in *Assis* frontispicio addidisti, μιμήσασθε ταῦτα ῥᾷον ἐστιν ἢ μιμήσασθε, velut arrogantius, nimirum Veneris sandalium calumniantes, cum in ipsa nihil reperiant quod vituperent. Ego negabam operae precium mihi videri, in eo cavillari, quod fortasse Chalcographus de suo addidisset. Aggrederentur potius ipsum Opus, in quo si vel unum aliquod cementum convellerent, totam illico structuram ruituram. Vide quantum fiduciae mihi tua praebeat diligentia: qui non metuam quoslibet etiam in te provocare, quo fias illustrior. At idem in me fieri nolim. Jam ad te miseram epistolium velut hujus arrhabonem; cui quanquam haec serius successit, tamen propere veniisse dicas, si scieris quam me complures dies afflixerit pituita: publica pene hic omnium pestis, à qua vix post mensem revixi. Accessit crebra migratio ac remigratio. Bene vale, amicorum doctissime, & doctorum amicissime. *Antuerpia* 15. Februarii, Anno 1516.

## EPISTOLA CCI.

### Franciscus Deloinus Erasmo Roterodamo *S. P. D.*

MIRABERIS *forsan*, Erasme, *vir undecunque doctissime, quid me potissimum impulerit, hominem nulla dicendi facultate praeditum, nulla familiaritate tibi junctum, ut ad te ultro scriberem: quod profecto desines admirari, si te literarum, quas haud pridem ad* Budaeum, *unicum* Galliae *nostra decus, scripsisti, oblivio non coperit: quibus &* Coleti *praedicatione, & aliis item nominibus, notum me tibi esse affirmas. Quanquam enim litera tua, primum quod abs te profecta, deinde quod* Budaeo *scripta, jucundissima mihi fuerint: tamen, ut verum fatear, nulla re magis me oblectarunt, quam quod tam amice, tam benevole, in* Deloini *mentionem incidisti: quem etsi ipsum totum sibi* Budaeus *dudum vendicaverit; tamen non usque adeo maligne possidet, ut tecum amicum communem habere eum, aut alium quenquam gravetur: ut ipsum erga te affectum esse video. Jam vero non possum non deamare plurimum* Coletum *illum tuum, virum doctrina, vitaque sanctimonia clarissimum: qui te, ut scribis, veteris amicitiae ac consuetudinis commonuit, quae mihi cum illo non vulgaris olim intercessit, quum* Aureliae *studiorum causa ageremus. Tanti ille, qua est in omnes humanitate, nostram amicitiam fecit, tam constanter servavit, ut ejus perinde ac recentis, nulloque aut temporum, aut locorum intervallo obliterata, apud te meminerit: longe ab eorum moribus alienus, qui novis amicitiis allecti, veteres aut contemnunt, aut negligunt. Porro autem ecquis tam duro, tamque ingrato animo esse potest, quin tibi libens gratuletur, tot tamque praeclara in omnium disciplinarum genere, ingenii atque industriae tuae monumenta contrectans? quibus tu plane cum ipsa antiquitate certare, & omnibus nostrae aetatis Scriptoribus palmam praripere videris, doctorum omnium opinione, non nostra tantum: dum è mediis ignorantiae tenebris ingenuas artes, atque adeo sacras Literas vendicas: & longo veluti postliminio redeuntes in suum quodammodo regnum dignitatemque restituis. Nam* Adagiorum Chiliadas, Moriae encomium, Militem Christianum, Novum Instrumentum, *ceteraque id genus, qua ex tua officina felicibus avibus profecta, ad nos plausibiliter pervenerunt, jam pene, quantum per occupationes nostras licuit, legendo contrivimus. Sunt in manibus divi* Hieronymi *Opera, strenuus sane labor: & nonnisi* Herculis *cujusdam, hoc est,* Erasmi *viribus suscipiendus. In quibus ipsum* Hieronymum *mihi videre videor, tua cura, diligentia, labore summo in lucem rediisse: & promissum sacris elogiis Anastaseos diem quodammodo praevenisse, ut qui purgatis (quibus undique sciebat) mendis, nova quadam immortalitatis veste abs te donatus, nativo germanoque decori restitutus est. Succurrunt Annotationes tuae, Deus optime, quam erudita, quam religiosa, quam omnibus numeris absolutae! quibus ita quorundam, qui se magnos videri volunt, luminibus obstrexisti; & ut dici solet, cornicum oculos confixisti, ut splendore veminis tui exacuati, & maximis eloquentiae tuae viribus in ordinem coacti, manum tandem dare, & commeatum temporum suorum inopiam insciitiamque miserantes, praesentis seculi felicitatem admirari coperint. Quos etiam videas abjectis crassis, ne dicam, sesquipedalibus verbis, quibus olim tumentibus buccis uti consueverant, summissos, & suo se pede nunc primum metientes. Perge itaque, mi* Erasme, *de literis, de rebus divinis, de Christiana Philosophia, de Republica Ecclesiastica, optime semper, ut facis, mereri. Qua in re ut perpetuum habebis fautorem* Budaeum, *ita me utrinsque vestrum, si quid infimi muneris erit, assectam assiduum, & laudum honorumque vestrorum praeconem, etsi non vocalissimum, at certe animosissimum: quanquam majora omnino merita vestra esse intelligam, quam ut cujusquam, nedum nostro praeconio egere videantur. Quod superest, Deum Optimum Maximum precor, ut animos istos vobis, hoc est, tibi &* Budaeo, *nova in dies proferendi, animisque istis tempus in hac vita quam longissimum tribuat, ut peractis qua promisistis, majora concipiatis. Nam quae ultro spopondistis, appellantur quotidie & flagitantur: ac jam periculum est, ut* Plinii *verbis utar, ne cogantur ad exhibendum formulam* accipere. *Vale, & me ama.*

*Quum epistolam hanc jamjam obsignaturus esset* De-

An. 1516. loinus *noſter*, *interveniens ego ſalutem hic* Deloini *ipſius conſilio propria manu adſcripſi tibi, id quod hoſpitalis cujuſpiam teſſeræ loco tibi fuerit.* Lutetia, *An.* 1516. Nicolaus Beraldus.

## EPISTOLA CCII.

*Eraſmus Roterod. D. Franciſco Deloino* S.D.

VIDEO, ſplendidiſſime *Deloine*, quot quantiſque nominibus debeam *Guilielmo Budæo*, non veſtræ modo *Galliæ*, quod tu veriſſime ſcribis, verum etiam totius ævi noſtri decori, atque ornamento incomparabili: qui non contentus ornare me teſtimonio ſuo apud omnes ubique doctos graviſſimo, nobilitare tot eruditiſſimis epiſtolis, inſuper amicis tam multis locupletat beatque, atque ô Deum immortalem, cujuſmodi? An non merito ſic exiſtimem, ingentem acceſſionem factam meis poſſeſſionibus, poſteaquam *Guilielmus Parvus*, *Franciſcus Deloinus*, *Ludovicus Ruzeus*, amicorum meorum numero additi, in bonis meis eſſe cœperunt? porro cum tria nomina recenſeo, boni ſuperi, quot egregias dotes, quot ornamenta rariſſima compendio ſum complexus? Nec hos ſolum illius opera lucrifacio, quin ille jam verbis conceptis mecum pactus eſt, quicquid uſquam gentium nobis eſt amicorum, id lege Pythagorica noſtrum utrique fore commune. Eſt ille quidem, fide optima, ut ſi quiſquam alius: ſed tamen eſt apud me hujus pacti ſyngrapha ipſius digitis deſcripta, ſi quid inficiari velit. Quidvis patiar citius quam ſemel traditam poſſeſſionem tam præclaram interverti mihi. Ad egregias iſtas laudes, quas mihi tua tribuit epiſtola, nihil habeo quod reſpondeam, niſi vos de me ſane, amantiſſime errare. Jam quod lucubrationes meas omnes abs te non legi modo intelligo, ſed excuti quoque, ſed penitus introſpici, utrum ne felicem me dicam, cui à ſummis eruditione pariter atque auctoritate viris, hoc dignationis & honoris habeatur: an infelicem potius, qui talis cum ſim, neque enim meipſum neſcio, in judices tam oculatos inciderim? id quoties mecum reputo, quo pudore me ſuffundi putas? Libet vociferari, non ſcripſimus iſta *Deloinis*, hoc eſt, plus quam *Læliis* ac *Perſiis*, iſta literariæ militiæ Tyronibus parata ſunt, aut certe craſſulis quibuſdam & amuſis Theologis, quibus antehac erat ad Catholicarios, ad Mammetrectarios velut ad *Apollinis* tripodem fruſtra confugiendum. Horum Cimmeriis tenebris conati ſumus quantulumcunque lucis aperire. Cur vos ſummates viri, patriciique ordinis puderes, ad hoc plebejum convivium voſmetipſos ingeritis? Non iſtis palatis hæc parabantur legumina. Video, video, quantum ſollicitudinis mihi ſit adjiciendum operis noſtris, ſi quid poſthac emiſero. Cum ante paucos menſes apud *Coletum* tui facerem mentionem, protinus agnovit nomen *Deloini*, ac recordatione veteris conſuetudinis viſus eſt admodum delectari. *Nicolaus Beraldus* lepide nimirum hoſpitalis teſſeræ meminit in ſubſcriptione ſua. Nam memini, cum olim eſſem *Aurelia*, *Italiam* aditurus, me hominis hoſpitio uſum, atque apud eum dies aliquot ſane quam benigne comiterque habitum. Etiam nunc audire mihi videor linguam illam explanatam ac volubilem, ſuaviterque tinnientem & blande canoram vocem, orationem paratam ac pure fluentem: videre os illud amicum & plurimum humanitatis præ ſe ferens, ſupercilii nihil: mores venuſtos, commodos, faciles, minimeque moleſtos: quin & interulam ſericam velut apophoretum obtulit abituro, vixque ab homine impetravi, ut liceret recuſare. Hujus igitur teſſeram ſubens agnoſco. Salutem hilaris accipio, meamque multo cum fœnore reſcribo. Si cauſaberis hanc epiſtolam parum eſſe copioſam, fac eas legas, quas ad *Budæum* miſimus, & queri deſines: poſteaquam enim lex illa placet, ut amicorum omnia ſint communia, ſi quid literarum ad illum datum eſt, id ad te quoque datum eſſe putabis. Bene vale, patrone incomparabilis, & *Ruzeum* meo nomine ſaluta diligenter. *Antuerpiæ* 21. Februarii, Anno 1516. An. 1516.

## EPISTOLA CCIII.

*Eraſmus Rot. Guilielmo Budæo* S. D.

VIX tandem explicaveram me ab illa loquaciſſima epiſtola, quæ quam tibi moleſta futura ſit, vel hinc conjicio, quod mihi quoque ſcribenti tædio fuerit: eam vix dum obſignaveram, cum alteræ tuæ mihi redduntur literæ, quibus *Chriſtianiſſimi* Regis animum erga me ſignificas. Ad has λακωνικῶς reſpondeam oportet, ſimul ne te pariter ac me tædio loquacitatis enecem, ſimul quod eodem tempore ad plures item alios mihi ſcribendum ſit. Regis animum, vere Principe dignum, atque adeo tali Principe, merito probo atque exoſculor. Quod de nobis tam magnifice ſentit, id potiſſimum vobis amicis debeo, qui me illi depingitis, non qualis ſum, ſed qualem optatis haberi. Atque id ſane facitis non mediocri periculo, nec id meo tantum, verum etiam veſtro. Quanquam eadem de re jam diligenter egerat Regis nomine clariſſimus Orator Epiſcopus *Pariſienſis*, quem virum tu non minus vere, quam graphice depingis in tuis literis. Perlongum fuerit conſultantium more, quæ res ad hoc invitent, quæ contra deterreant epiſtola complecti; tuum conſilium quod ſit video. Id ego felicius etiam fore judico, quod datum ſit ab homine, non prudentiſſimo ſolum, verum etiam amantiſſimo. Nam ſi uſquam locum habet *Græcorum* proverbium ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα, in conſiliis locum habere puto. Cæterum ut hac de re fateor me plurimum debere cum vobis omnibus, tum in primis Regi munificentiſſimo, optimoque: ita non poſſum in præſentia certi quicquam reſpondere, niſi communicato conſilio cum Cancellario *Burgundiæ*, qui nunc abeſt, *Cameracum* proficiſcens. Interea dum & ipſe negotium meo cum animo diligentius perpendo, & amicorum ſententiam exquiro, ille, ut ſpero, redierit: cujus animum ſimul atque cognovero, faciam te certiorem de toto meo animo. Hoc ſolum in præſentia dicam, mihi *Galliam* multis nominibus ſemper fuiſſe charam; ſed nunc haud alio nomine commendatiorem, quam quod *Budæum* habet: à qua non eſt quod me facias alienum, &, ut tu vocas, externum: nam ſi Coſmographis credimus, ad *Galliam* pertinet & *Hollandia*. Commodum admonuiſti, quod ipſe ſæpenumero admiratus ſum, *Guilielmorum* gentem mihi tantopere favere, ſive id fato quodam accidit, ſive caſu. Olim vix decem natus annos, colluſorem amavi *Guilielmum*. Rurſum quindecim annos natus, ſic æqualem quendam dilexi, ut mihi eſſet meipſo charior. Huic ſucceſſit *Guilielmus Hermanus*, homo doctus, cujus hymnos opinor vidiſſe te: poſt hunc *Guilielmus Montjoius*, perpetuus & conſtantiſſimus *Mecænas* meus. Deinde *Guilielmus Latamerus*, vir in utriuſque literaturæ præſtantia *Linacro* non inferior, homo vere Theologus, hoc eſt, integerrimus ſimul & eruditiſſimus, noſtrique cum primis ſtudioſus. Ad hæc, *Guilielmus Grocinus*, cujus Epiſtolam habes ſphæræ *Proculi* additam. Jam quot *Guilielmos* æquat unus ille *Guilielmus* Archiepiſcopus Cantuarienſis? Ad hæc *Guilielmum Copum* ſic totum totus amo, ut ad ipſum etiam hominis nomen recreer. De te vero parcius dicam in os. Sed ditior ſum, quam exiſtimaram. Neſciebam inſignem illum & omnium ore celebratum Theologum *Guilielmum* cognomento *Parvum*, virtutum eminentia maximum, uſque adeo meum eſſe. Mane, nondum omneis *Guilielmos* meos recenſui. Eſt *Baſilea Guilielmus Neſenus*, optimarum literarum ardentiſſimus conſectator, mihi ſic unice deditus, ut *Pyladem* meum appellare jure optimo poſſim. Is nihil cunctetur, quodvis etiam capitis periculum adire pro ſuo *Eraſmo*. Ex Oratore veſtro cognovi *Paulum Æmilium* tandem evulgare rerum *Gallicarum* hiſtoriam. Non enim poterit non eſſe abſolutiſſimum opus, quod à viro non minus docto,

Digitized by Google

ćto, quam diligenti, plus annis viginti ſit elaboratum. *Utopiam Thomæ Mori*, ſi nondum videre contigit, fac cures emendam, neque pigeat per ocium legere. Non pœnitebit operæ inſumptæ. *Thomæ Linacri* lucubrationes ex officina *Badiana* propediem exituras, dici non poteſt, quam gaudeam. Nihil ab eo viro exſpecto non abſolutiſſimum omnibus numeris. Deum immortalem! quod ſeculum video brevi futurum, utinam contingat rejuveneſcere. *Petrus Ægidius* hoſpes meus, ut bonarum literarum & admirator, & egregie peritus, ita tui cum primis ſtudioſus, rogavit ut ſuis verbis tibi ſalutem adſcriberem. Is ſuis digitis prolixam illam ſcripſerat epiſtolam, quanquam alias occupatiſſimus, cum mihi non vacaret reſcribere, & alterum è miniſtris *Lovanium* ablegaſſem, alter ab oculis laboraret. Bene vale. *Antuerpiæ* 21. Febr. Anno 1516.

An. 1516.

D. *Cuthbertum Tonſtallum* à nobis avulſit Imperator *Maximilianus*, cui poſteaquam Orator aſſignatus eſt, ſucceſſore miſſo, qui apud *Carolum* noſtrum ageret, deſiit diutius eodem in loco commorari. Quod vitæ genus non omnino diſpliceret, modo bibliotheca nos quoquo iremus comitaretur. Huc ſi venerit, coram, ſin minus, abſentem literis appellabo, de literis ad te. Rurſum vale.

## EPISTOLA CCIV.

*Chriſtianiſſimo Galliarum Regi Franciſco Eraſmus Roterodamus* S. D.

CVM inclytum *Franciæ* regnum, omniumque conſenſu longe florentiſſimum, plurimos ediderit Principes, pietate, bellique gloria præſtantes, *Franciſce* Regum optime juxta ac maxime, tu tamen in primis ſpecioſiſſimum illud & *Gallorum* Regibus peculiare *Chriſtianiſſimi* agnomen mihi præſtare videris. Etenim cum CHRISTVS ipſe Regum Rex, ac Principum Princeps, haud alio inſigni, ſymboloque ſuos dignoſci voluerit, quam mutuæ inter ipſos concordiæ: tu poſteaquam bello adverſus *Elvetios* geſto, quam tibi nec animus, nec apparatus, ad bellum gerendum deeſſet declararas, tamen huc totis nervis incumbere maluiſti, ut compoſitis in æternum bellorum tumultibus, præcipui Chriſtianæ ditionis Principes perpetua jam pace inter ſeſe conglutinarentur: nimirum prudenter illud animadvertens, *Ex Regum inter ipſos diſſidiis ſemel omnium rerum bonarum peſtem, ac perniciem; contra, malarum omnium colluviem, ac mare in vitam mortalium invehi: quorum animos & opes, ſi pax & amicitia ſincera conjunxerit, mox futurum, ut jam velut aureo quodam ſeculo, pietas, optima leges, & quicquid eſt honeſtarum artium, ſimul efflореſcat: quæ ſemper pacis & comites eſſe ſolent & alumnæ.* Intelligit, videt, perſpicit, animus iſte tuus vere regius, ita maxime fore te Principem felicem & eminentem: non ſi quam plurimis, ſed ſi quam optimis ac feliciſſimis imperaris. Illud igitur quo magis efficiat vigilantiſſima tua majeſtas, cum tot habeat in regno ſuo viros, omni virtutum ac literarum genere præcellentes: tamen undique præmiis ampliſſimis adſciſcit, quo regnum per ſe ornatiſſimum talibus honeſtamentis reddat ornatius, haud ignara iſtiuſmodi decoribus multo verius, ac pulchrius, illuſtrari ditionem ſuam, quam opibus, trophæis, pyramidibus, aliiſve quantumlibet magnificis ſubſtructionibus. Porro, quod inter hos me quoque tua benignitas dignata eſt honeſtiſſimis præmiis ſollicitare; video ſane quantopere debeam animo tuo non minus humano quam excelſo. Atque utinam adſit mihi tanta vis ingenii & eruditionis, ut aliqua ſaltem ex parte tanti Principis exſpectationi reſpondere queam: tantum autem eloquentiæ, ut heroicas iſtas virtutes tuas, eximiaque decora, dignis aliquando præconiis poſteritati commendem, atque in primis hoc divinum reſtitutæ pacis beneficium, te cum primis adnitente, partum orbi Chriſtiano. Precor Deum Optimum Maximum, ut poſteaquam illi complacitum eſt pulcherrimos iſtos impetus animis veſtris immittere, idem provehat, beneque fortunet. Vere profecto ſcripſit Rex ille pacificus, *Corda Regum in manu Dei eſſe, & illius arbitrio huc aut illuc impelli.* Quis enim dubitet iſtam mentem hujus afflatu vobis dari? Proinde ſpes eſt fore, ut qui novam hanc felicitatem orbi Chriſtiano largiri cœpit; idque per te potiſſimum, idem munus ſuum veſtra pietate, conſtantiaque, quam maxime diuturnum ac proprium velit eſſe. Is majeſtatem tuam, Rex excellentiſſime, diutiſſime felicem, ac rebus omnibus florentem regno, imo orbi terrarum ſervet, ac tueatur, cui me totum trado, dedicoque. *Antuerpiæ* 21. Febr. Anno 1516.

Ant. 1516.

## EPISTOLA CCV.

*Eraſmus Roterod. Guilielmo Copo* S. D.

O FELICEM *Galliam* tali Principe! O te fortunatum iſtiuſmodi patrono! O me beatum tanti Monarchæ favore! Cæterum ad tuas literas, quas Regis tui juſſu ſcripſeras ad me, nondum licet certi quippiam reſpondere. Sed brevi ſtatuam, ac renunciabo: interim hujus honoris uſura fruar, quod laudatiſſimorum hominum commendatione, laudatiſſimo Regi placuerim, pro cujus erga me ſtudio quantum debeam, nec diſſimulabo, nec obliviſcar unquam: ejus majeſtati per literas utcunque gratias egi. Sic enim juſſit *Budæus*; ſed tu idem dexterius feceris oratione, nec ipſi ſolum, verum etiam eximio Theologo *Guilielmo Parvo*, & reverendo Patri *Franciſco de Rupeforti*, qui quam errant amanter, tam officioſe ſunt de nobis mentiti Regi. Quod Aphoriſmos noſtros deſideras, cave putes iſtius eſſe generis, cujuſmodi ſunt tui *Hippocratis*; alia res eſt. At ſi libellum poſces *Eraſmi De inſtitutione Principis Chriſtiani*, iſtoc titulo citius inveneris. Bene vale. *Antuerpiæ* 24. Febr. Anno 1516.

Audio ſane & gaudeo, *Thomæ Linacri* lucubrationes excudi *Lutetiæ*. *Utopiam Mori*, ſi nondum legiſti, fac requiras, ſi quando voles ridere, imo ſi fontes ipſos intueri, unde omnia fere Reipublicæ mala oriuntur. Rurſum vale.

## EPISTOLA CCVI.

*R. D. Ludovico Canoſſæ, Epiſcopo Bajocenſi, Eraſmus Roterodamus* S. D.

ET felicitatem iſtam tibi gratulor, cujus meritis favore *Leonis*, Pontificis vere maximi, contigerit iſta dignitas, & animum tuum erga bonas literas magnopere probo: denique pro tuo de me judicio, vel, ut melius dicam, pro iſto tam amico de nobis errore, gratiam habeo maximam, neque ſecus debere me puto tuæ benignitati, quam ſi quod offert (offert autem conditionem liberaliſſimam, ac plane meis meritis ampliorem) jam accepiſſem. Cæterum, quoniam nunc abeſt Cancellarius *Burgundiæ*, cujus opera pridem adſcitus ſum in famulitium Catholici Regis *Caroli*, non habeo quod certum in præſentia reſpondeam, id tamen faciam propediem. Interea perge favere tuo (ubi ubi terrarum futurus eſt) *Eraſmo*. Bene vale, cui me totum addico. *Antuerpiæ* 24. Febr. Anno 1516.

## EPISTOLA CCVII.

*Eraſmus Rot. Gnolfgango Fabricio Capitoni* S. D.

NON ſum equidem admodum vitæ avidus, eruditiſſime *Guolphange*, ſive quod animo meo jam propemodum vixi ſatis, videlicet annum ingreſſus primum & quinquageſimum; ſive quod in hac vita, nihil adeo magnificum aut ſuave video, quod magnopere ſit expetendum ei, cui Chriſtiana fides vere fidem fecerit, qui pietatem hic pro ſua virili fuerint amplexi, hos multo hac feliciorem manere vitam: ſed tamen in præſentia pene libeat aliquantiſper rejuveneſcere, non ob aliud, niſi quod videam futurum, ut

An. 1516. propediem aureum quoddam ſeculum exoriatur. Adeo cernimus ceu divinitus immutatos Principum animos, ad pacis concordiæque ſtudium totis viribus incumbere, idque præcipuis auctoribus *Leone* Pontifice, non titulo tantum maximo; & *Franciſco Galliarum* Rege, non minus egregiis factis, quam ſolenni cognomine Chriſtianiſſimo. Huic cum & animus, & opes ſic ad bellum gerendum ſuperent, ut nemini Principum magis: tamen graviter perpendens, hujuſmodi Principum diſſidiis conflictationibuſque & Chriſtianorum vires, opeſque maximopere labefactari, & è diverſo noſtræ religionis hoſtibus opes & animos addi: tum quæ major etiam peſtis, quicquid eſt veræ religionis, quicquid bonarum legum, quicquid civilis diſciplinæ, quicquid proborum morum, quicquid honeſtarum artium, militari licentia inter aſſiduos armorum crepitus, aut intermori prorſus, aut certe frigere vehementer: proque his ſemel univerſum malorum & calamitatum agmen inundare in vitam mortalium, nihil non tum facit, tum patitur, ſubmovendi belli paciſque conglutinandæ ſtudio: his quoque ultro ſubmittens ſeſe, quibus haudquaquam par erat, ſi celſitudinis ac dignitatis ſuæ rationem habere maluiſſet, quam communibus mundi commodis conſulere: hac quidem in re, ſicut in cæteris omnibus, animum vere ſublimem ac germane regium præſtans. Itaque poſtquam video ſummos orbis Principes, Regem *Galliæ Franciſcum*, *Carolum*, Regem *Catholicum*, Regem *Angliæ Henricum*, Cæſarem *Maximilianum*, funditus reciſis bellorum ſeminariis, pacem ſolidis, &, uti ſpero, adamantinis vinculis adſtrinxiſſe, nimirum certam in ſpem vocor, fore, ut non ſolum probi mores, pietaſque Chriſtiana, verum etiam purgatiores illæ, ac germanæ literæ, pulcherrimæque diſciplinæ partim reviviſcant, partim eniteſcant: præſertim cum hoc quoque pari ſtudio jam agant diverſis mundi regionibus, *Roma Leo P. M.* apud *Hiſpanos Cardinalis Toletanus;* apud *Anglos* Rex *Henricus*, ejus nominis octavus, nec ipſe literarum imperitus; apud nos Rex *Carolus*, divinæ cujuſdam indolis adoleſcens; apud *Gallos* Rex *Franciſcus* huic negotio veluti natus, qui præmiis etiam ampliſſimis invitat, & allicit undecunque, viros virtute, doctrinaque excellentes; apud *Germanos* cum alii complures egregii Principes & Epiſcopi, tum præcipue *Maximilianus* Cæſar, cujus ſenectus tot jam bellis feſſa, in pacis artibus decrevit acquieſcere, quod ſimul & ipſius ætati magis fuerit decorum, & orbi Chriſtiano felicius. Horum igitur pietati debemus, quod paſſim videmus, ceu ſigno dato, excitari, erigique præclara ingenia, & ad reſtituendas optimas literas, inter ſeſe conſpirare. Quid enim eſt aliud, quod tam multi eruditiſſimi viri, aliunde alius, operas inter ſeſe partiti, non acriter modo, verum ſatis etiam feliciter puleherrimum hoc negotium aggrediuntur, ut certa pene ſpes ſit, diſciplinas omneis multo purgatiores ac ſinceriores in lucem prodituras. Primum enim politiores literas pridem ad internecionem pene exſtinctas, jamdudum & *Scoti*, *Danique* & *Hyberni* colunt, amplectunturque. Medicinam vero quam multi vindicant? *Roma Nicolaus Leonicenus*, *Venetia Ambroſius Leo Nolanus*, apud *Gallos Gulielmus Copus*, ac *Joannes Ruellius;* & apud *Britannos Thomas Linacrus;* Jus *Caſareum* inſtaurat *Lutetia Gulielmus Budæus*, apud *Germanos Udalricus Zaſius;* Mathematicen apud *Baſileam Henricus Glareanus*. Porro in re Theologica pluſculum erat negotii, quod hanc fere profeſſi ſunt hactenus, qui à melioribus literis pertinaciſſime ſolent abhorrere, quique ſuam inſcitiam hoc felicius tuentur, quod id faciant prætextu pietatis, ut indoctum vulgus, ab his perſuaſum credat religionem violari, ſi quis illorum barbariem cœperit inceſſere. Nam iſti apud imperitam plebeculam potiſſimum ſolent quiritari, & ad lapides provocare, ſi periculum viderint, ne quid neſciſſe videantur. Verum hoc quoque ſucceſſurum confido, ſi trium linguarum cognitio publicitus in ſcholas, ita ut coepit, recipi pergat. Nam & hujus ordinis qui doctiſſimi ſunt, minimeque maligni, partim adjuvant, partim favent huic inſtituto: quo quidem in negotio præter alios, non inſtrenuam operam præſtitit *Jacobus Faber Stapulenſis*, quem tu ut cognomento, ita pleriſque dotibus refers. Nos porro, ſicut par eſt, infimam hujus operis partem ſortiti, an aliquid contulerimus neſcio; certe iis, qui nolint mundum reſipiſcere, ſic ſtomachum movimus, quaſi noſtra quoque induſtriola momenti nonnihil attuliſſet: quanquam mihi quidem non hac fiducia labor ille ſuſceptus eſt, quod confiderem docere me poſſe præclarum aliquid, ſed libuit aliis majora conaturis viam munire, quo minus offenſi ſalebris ac lamis, ſpecioſa illa ac ſublimia facilius inveherent. Et tamen hoc quicquid eſt induſtriæ noſtræ docti candidique non adſpernantur, nec oblatrant niſi quidam adeo ſtupidi, ut apud idiotas etiam paulo cordatiores explodantur. Nuper hic quidam apud plebem, in ſacra ſcilicet concione, lachrymabili voce deploravit, actum eſſe de divinis Literis ac Theologis, qui hactenus fidem Chriſtianam ſuis humeris ſuſtiſſent, poſteaquam exſtitiſſent, qui ſacroſanctum Euangelium, atque adeo ipſam precationem Dominicam emendarent: perinde quaſi ego *Matthæum* aut *Lucam* reprehendam: ac non eos potius, quorum inſcitia incuriave depravatum eſt, quod illi recte ſcripſerunt. Apud *Anglos* unus aut alter vociferatur, indignum facinus *Hieronymum* tantum virum à me doceri: quaſi mutarim id quod ab *Hieronymo* ſcriptum ſit: ac non magis reſtituam quod ille ſcripſit. Et tamen magni Theologi ſibi videntur, qui nenias hujuſmodi obganniunt, quas & fullones exſibilent, paulo ſaniores. Sed poſteaquam nos provinciam tradidimus, ut multo quam ante faciliorem, ita non paulo minus obnoxiam jam invidiæ, age, accingere, *Fabriti* optime, & hanc lampadem à nobis traditam accipe. Nos pro noſtra infelicitate, quod licuit præſtitimus, tibi nihil non egregie ſuppetit, quod ad hoc pulcherrimum facinus requiri videatur. Ætas integra, & vigens etiamnum virenſque; corpus vegetum ac laborum patiens; ingenium felix, judicium acre, trium linguarum haud vulgaris cognitio, eloquentiæ tantum, quantum non ſuſtinendo ſolum, verum etiam illuſtrando negotio ſufficiat; pectus ardens, nec ullius rei appetentius, quam bene merendi de mortalium univerſo genere; fortuna, ſi non ampliſſima, certe ſufficiens, atque etiam honeſta; auctoritas adeſt, tuis potiſſimum virtutibus tibi parta, quippe qui ſub ornatiſſimo Præſule *Baſilienſi Chriſtophoro* in æde celeberrima, concionatoris munus obeas. Super omnia mores ſic integri, fama ſic illibata, ut nemo ſit tam impudens ſycophanta, quem non pudeat male loqui de *Fabritio*. Nam ut apud *Aulum Gellium* olim, bonam laudatamque ſententiam auctoris improbitas elevabat: ita jure optimo ſtudiorum fructum auctoris exiſtimatio commendat. Adjuvabit & illud, quod præter iſtam penitiorem doctrinam tuam, etiam illa in ſcholis ſolennia, quæ cæteri ſola probant, ſic calles teneſque, ut non alius magis, ne quod ſolent, cavillari queant, te ob id ad diverſum ſtudii genus divertiſſe, quod illa parum fueris aſſecutus. Efficaciſſime refellit, quiſquis errorem optime novit. Nemo melius medetur morbo, quam cui malum maxime cognitum eſt. Non quod optem hoc Theologiæ genus, quod hodie receptum eſt in ſcholis, obliterari: ſed quod acceſſione veteris veræque literaturæ, cupiam & locupletius reddi, & caſtigatius. Neque enim hinc vacillabit ſacrarum Literarum, aut Theologorum auctoritas, ſi quædam poſthac emendata legentur, quæ hactenus habebantur depravata, aut rectius intelligentur, in quibus hactenus Profeſſorum vulgus hallucinabatur; imo hoc gravior habebitur illorum auctoritas, quo ſincerius divinas Literas intellexerint. Primam coitionem, quam *acerrimam* vocat *Terentius*, nos ſuſtinuimus: quanquam huic quoque difficultati, tú ceu *Geryones* quiſpiam, triplici literatura inſtructus, imo tot præſidiis

An. 1516.

diis

diis armatus fultuſque, maxime poteras eſſe par. Ad
An. 1516. hæc video tibi nec *Theſeas* defore, negotium hoc ſemel aggreſſo. Tum ea eſt animi tui fortitudo, ut invidiam, quæ ſic ex virtute eximia naſci ſolet, quemadmodum ex lumine umbra, facile contemnas: ea rurſum morum tuorum ſuavitas, ut moroſis etiam placere poſſis. Quid multis? Omnia mihi pollicentur, rem feliciſſime ſucceſſuram: unus adhuc ſcrupulus habet animum meum, ne ſub obtentu priſcæ literaturæ renaſcentis caput erigere conetur Paganiſmus: ut ſunt & inter Chriſtianos, qui titulo pene duntaxat *Chriſtum* agnoſcunt, cæterum intus Gentilitatem ſpirant: aut ne renaſcentibus *Hebraorum* literis, Judaiſmus meditetur per occaſionem reviviſcere: qua peſte nihil adverſius, nihilque infenſius inveniri poteſt doctrinæ *Chriſti*. Sic enim fert natura rerum humanarum, ut nullius unquam boni tanta fuerit felicitas, quin hujus prætextu, mali quippiam ſimul conaretur irrepere. Optarim frigidas iſtas argutias, aut amputari prorſus, aut certe ſolas non eſſe Theologis, & *Chriſtum* illum ſimplicem ac purum penitus inſeri mentibus hominum: id quod hac potiſſimum via fieri poſſe exiſtimo, ſi linguarum adminiculis adjuti, in ipſis fontibus philoſophemur. Sed utinam ſic hoc mali vitemus, ut non incidamus in aliud fortaſſe gravius. Nuper exierunt in vulgus aliquot libelli merum Judaiſmum reſipientes. Video quantum ſudarit *Paulus* ille noſter, quo *Chriſtum* à Judaiſmo vindicaret, & ſentio quoſdam eodem relabi clanculum. Tum audio nonnullos alia quædam moliri, quæ ad *Chriſti* cognitionem nihil adferant, ſed fumos tantum offundant oculis hominum. Quo magis optem te hanc provinciam capeſſere, cujus ſincera pietas nihil aliud ſpectabit, ſat ſcio, quam *Chriſtum* ipſum, cui uni omnia tua deſudant ſtudia. Reverendo Patri *Chriſtophoro* Epiſcopo *Baſilienſi* fac me diligenter commendes. Cæteris item amicis ſalutem meis verbis annunciabis: nominatim autem *Ludovico Bero*, *Henrico Glareano*, *Beato Rhenano*, fratribus *Amorbachiis*, *Guilielmo Neſeno*, LL. Doctori *Luca*, LL. Doctori *Geraldo*, *Joanni Fabro* Officiali, cæteriſque omnibus, quorum, cum iſtic eſſem, ſuaviſſima conſuetudine magnopere delectabar. Bene vale. *Antuerpiæ* 26. Febr. Anno 1516.

## EPISTOLA CCVIII.

*Eraſmus Rot. Thomæ Moro* S. D.

NUPER faſciculum epiſtolarum ad te miſi una cum exemplo *Utopiæ* per quendam tibi vehementer, ut ajebat, amicum: oneraſſem pluribus, ſed verebar. Nunc alium nactus, mitto *Reuchlinica* omnia in uno libello, quem ita communicabis *Roſſenſi*, ut quam primum legat, ac remittat: nam quædam ſunt quæ nuſquam reperias. Tu lege propoſitiones plane Theologicas, abyſſales ſapientias, & articulos *Arnoldi Tungrenſis*. Mitto unam epiſtolam ad *Marlianum*, quod is ſuſpicatus eſſet priorem librum *Utopiæ* à me profectum: id nolebam ſerpere, quum ſit nihil vanius. Dialogus ille *Julii* & *Petri*, ut intelligo, jam τῷ Καγκελλαρίῳ μεγάλῳ in manibus eſt, & unice placet. *Moriam* in dies exſpectamus. *Utopiam* tuam recognitam huc quam primum mittito, & nos exemplar aut *Baſileam* mittemus, aut ſi mavis, *Lutetiam*. Si quid habet *Ammonius*, cura ut quam primum ad nos veniat: nam Princeps abitum adornat, & nos quo aut quando profecturi, incertum habemus. Exigitur à populo ingens pecunia, eaque præſens. Poſtulatio recepta eſt ab optimatibus, ac prælatis, hoc eſt, his qui ſoli nihil daturi ſunt. Nunc civitates conſultant. Ὁ αὐτοκράτωρ alias ἀνοπλος, nunc adeſt manu magnifice armata, & agri paſſim explentur militum gregibus, ſed unde, aut cujus nomine veniant, incertum. O miſeram hanc regionem, à tot vulturibus arroſam! O feliciſſimam, ſi civitatum inter ipſas eſſet concordia! Significa num eodem animo ſit in me *Cantuarienſis* & *Coletus*, atque item *Roſſenſis*, de quo tibi nuper ſcripſi. Pater ejus, qui
An. 1516. has reddit, nos lautiſſimo prandio accepit, vir dives ac probus, multa teſtatus de tuo erga ſe officio. Adjuva me, quæſo, tuo conſilio. *Budaicam* poſtremam ad te mitto. Precor *Maruffo* quo dignus eſt, cum ſua ſyngrapha. Nam *Saulos* iſtos nuſquam licet comprehendere, ni *Brugas* proficiſcar. Bene vale, *Moro* ſuaviſſime. *Antuerpiæ* 1. Martii, An. 1516.

Adeſt iſthic *Franciſcus*, ſi nondum *Hieronymus* expletus eſt *Cantuarienſi*, ab hoc exigat: debet enim. Remitte exemplaria epiſtolarum, quas nunc mitto, & quæ reddidit *Lupſetus*, ſed per hominem certum. Rurſum vale cum tuis. An. 1516.

## EPISTOLA CCIX.

*Eraſmus Rot. Petro Ægidio* S. D.

VTINAM eſſem ſanior animæ tuæ pars, quemadmodum tu vocas. Nunc ipſe parum valens, ægroto morbo alieno, & tamen ob negotium Novi Teſtamenti non vacat ægrotare. Non video ſpem, niſi primum imperes tibi ipſi: deinde ſuſcipias iter aut huc, aut *Gandavum*. Illic eſt *Clavus* medicus maledicus, ei te commendabo ſi velis, ut te vel convitiis adigat ad curandam ſalutem. Abſtine à pharmacis dejicientibus naturæ vires. Exſpatiare comite *Nicolao* aut ſimili amico fido ac jucundo. Quicquid eſt litium procul abjice. Prudentis eſt ante omnia vitæ conſulere. Bene vale. Ita & ego minus incommode valuero. *Lovanio* 4. Martii, An. 1516.

## EPISTOLA CCX.

*Eraſmus Rot. Ricardo Bartholino* S. D.

MIRVM quam me ceperint hendecaſyllabi *Gaſparis Velii*, doctiſſime *Bartholine*. Tam erudita facilitate fluunt omnia, ut facile deprehendas ingenii venam non elegantem eſſe modo, verum etiam divitem ac benignam. Sed parcius eum laudem oportet, quod me tam immodice laudarit ipſe. Utinam hanc operam in argumentum felicius collocaſſet. O felicem *Germaniam*, ſi tandem liceat à bellis conquieſcere: id quod Principum ſapientia brevi confore ſpes eſt. Etiamſi nonnullos adhuc habet ignobile vulgus, qui belli in *Gallos* ſuſcipiendi faces ſubjiciant. O cogitationes impias! Chriſtianus orbis adverſus Chriſtianæ ditionis puriſſimam ac florentiſſimam partem conſpirabit? Sola *Gallia* nec hæreticis eſt infecta, nec *Bohemis* ſchiſmaticis, nec *Judæis*, nec ſemi-*Judæis Maranis*, nec *Turcarum* confinio afflata: quemadmodum aliæ, quas & citra nomenclaturam ſuo quiſque animo agnoſcit. Non alibi ſenatus auguſtior; non alibi ſchola vel celebrior, vel ſanctior; nuſquam major legum auctoritas; nuſquam ſimilis regni totius concordia. Qui magis imperio digni, quam qui imperant optime? Quid quod nobis interim peſſime conſulunt, qui bellum moliuntur. *Gallis* ſic undique finitimi ſumus, ut ipſi potius *Galli* ſimus: jamque civile bellum futurum ſit, ſi *Galli* cum *Gallis* pugnemus. Ad hæc quid conſultius, quam cum vicino proximo, tum autem vicino tam potente benevolentia conjungi. Atque iſtis quidem cæcum in *Gallos* odium certam victoriam pollicetur, nec in mentem venit, quot annis, quam infeliciter luctati ſumus cum *Gelriis*: nam de *Friſiis* incertus adhuc eventus eſt. Sed ut contingat victoria, quid æque votis expetant *Turcæ*, & ſi quibus etiam inviſius eſt nomen CHRISTI, quam pulcherrimam ac munitiſſimam orbis Chriſtiani partem ferro, ignique vaſtari, floremque noſtræ religionis indignis modis proteri. Prohibeat Deus Opt. Max. ut iſtorum amentiæ fortunæ favor, aut Principum calculus accedat: ἀλλὰ ταῦτα ἡμῖν γε πάρεργα. Porro, carminis editioni favere quî poſſum, doctiſſimi quidem, ſed tamen immodice de me mentientis? quod nihil aliud, quam illum, qui ſcripſit, admirabilem, me ridiculum faciet. Faverem illius gloriæ, ſi frontem perfricare queam. Abitum veſtrum utcunque tulero, ſi propediem nobis red-



Digitized by Google

An. 1516. reddamini: nam & te propius introſpicere, & *Velium* noſſe cupio. Porro *Paulus Ricius* ſic me proximo colloquio rapuit, ut mira quædam me ſitis habeat, cum homine ſæpius ac familiarius conferendi ſermonem. Præter *Hebræa* linguæ peritiam, quantum ille tenet Philoſophiæ, quantum Theologiæ: tum quæ animi puritas, qui diſcendi ardor, qui docendi candor, quæ diſputandi modeſtia? Mihi ſane vir ille primo ſtatim guſtu placuit olim *Papiæ*; cum illic Philoſophiam profiteretur: nunc propius intuito magis etiam placet. Is demum vere mihi videtur *Iſraelitam* agere, ſuoque cognomini pulchre reſpondere: cujus omnis voluptas, omnis cura, omne otium ac negotium, in divinis eſt Literis. Dignus nimirum animus, cui otium contingat quam maxime honorificum. Eruditiſſimo eruditorum omnium *Mecænati* Cardinali *Gurcenſi* facito me commendatum. Bene vale. *Antuerpiæ* 10. Martii, Anno 1516.

## EPISTOLA CCXI.

*Eraſmus Rot. Ammonio ſuo* S. D.

AN merito nos objurges nondum liquet, certe conſolaris tum amantiſſime, tum eruditiſſime. Alioqui vel illud poteram occinere, *Tu ſi hic ſis, aliter ſentias.* Quod ſi omnes ſic cæcutirent in *Eraſmo*, ut tu, multo minus eſſet infelix. Pro ſtudio in me tuo, vel pietate potius, pudet, ita me Deus amet, agere gratias. Majus enim mihi videtur hoc beneficium, quam ut vulgari more conveniat gratias agere. Et referre quî poſſim? Et tamen adnitemur, ſi modo detur vivere. De *Sixtino* id ſentis, quod ego ſemper ſenſi. Hac igitur ſpe, quam mihi præbes, animum interim fulciam. In literis ſum totus, paro enim quædam *Baſileam* mittenda. Rex *Galliæ* me invitat in ſuam *Galliam*, pollicens mille florenos annuos. Cui ſic reſpondi literis, ut nihil tamen certi reſponderim. Theologi nunc ambiunt etiam, ut *Lovanium* commigrem. Ex *Moro* totam hanc fabulam melius cognoſces. Bene vale, mi *Ammoni*, & perge σῶσαι τ τελσάθλιον Ε'ρεσμον. *Antuerpiæ* 11. Martii.

Nonnihil indignor occupationibus tuis, per quas non licet Muſis totum iſtud ingenium, ut par erat, poſſidere. Video *Morum* quoque antehac ſemper invictum in procellas eaſdem abripi. Ego ſemper mei ſimilis, totis pilea ſarcinis redimo. Rurſum vale. An. 1516.

## EPISTOLA CCXII.

Germanus Brixius Eraſmo Roterod. *S.*

REDIIT *à vobis ad nos nuperrime* Stephanus Poncherius, Pariſienſis *Epiſcopus, legatione apud Cæſarem ſua feliciter functus.* Antiſtitem *hunc noſtrum, difficile adeo dictu eſt, quantopere* Gallia *hac demiretur, quantopere obſervet, quantopere etiam revereatur. Neque id ſane temere: nempe is unus eſt* Pariſienſis, *qui reliquos omnes* Galliæ *noſtræ Pontifices (abſit verbo invidia) tum morum honeſtate, comitate, gravitate, tum vitæ ſimplicitate, continentia, integritate: ſimul ingenii facilitate, candore, bonitate: ſimul juris utriuſque, Theologiæ, Philoſophiæ, diſciplinarumque pene omnium cognitione quadam incomparabili, ſine controverſia antecellit, & longo poſt ſe intervallo relinquit: ut non immerito in eorum albo antea ſemper vel in primis adſcriptus ſit, quorum conſilio, prudentia, judicio, regni hujus moles moderetur. Eundem enim jam* Galliæ *hujus Reges tres, quadam veluti ſucceſſione, alius ſubinde poſt alium, perinde atque conſultiſſimum quendam* Neſtora, *in conſiliis ſuis delectum, magna ubique penes ſe auctoritate honeſtarunt: magno in precio atque æſtimatione nunquam non habuerunt: uſque adeo probata ſpectataque illis fuit* Antiſtitis *fides, & explorata, perſpectaque prudentia, ac præſens quædam in rebus agendis omnibus providentia. Adde, quod vel in tantis Reipub. negociis, ac, ut verius dicam, negociorum fluctibus, quibus ille aſſidue non implicatur modo, verum etiam tantum non obruitur, ſolus de* An. 1516. *tanto Epiſcoporum noſtratium choro, bonarum literarum candidatos non reſpicit ſolum, aut appellat, ſed etiam præmiis exhortatur, liberalitate demeretur, comitate invitat, humanitate allicit, auctoritate ſua fovet, dignitate protegit, ſplendore ornat & illuſtrat: atque ita demum hæc omnia præſtat, ut numeris omnibus ſingularem quendam apud nos agat* Mecænatem *in eos omnes, quos cognoverit literarum eruditionem cum honeſtate morum conjunxiſſe. Felicem vero, ac multo fortunatiſſimam* Galliam *futuram, ſi decem præterea* Mecænates *huic uni ſimiles habeat, quorum favore & benignitate, honeſta tandem ſtudia, ingenuaque artes, Principum horum tenacitate & odio exſtincta, excitarentur, & veluti ex umbra (quod ajunt) in lucem producerentur. Atqui ne forte admireris,* Eraſme *doctiſſime, qua ratione Epiſcopum apud te tot tantiſque his laudibus honeſtandum ſuſceperim: is ſane ſi quid antea fuit de literato quoquam bene meritus, diſpeream niſi recentiſſime de te uno affatim, ambabuſque manibus meritus ſit: quo nomine & nos quoque illi cauſa tua, multo etiam quam antea magis debemus: nimirum arbitrati, quicquid dignationis, quicquid ornamenti atque honeſtamenti uſquam in te confertur; id omne & in Muſas quoque novem (quarum ipſe es cultor primarius, & veluti antiſtes incomparabilis) conferri. Age vero,* Eraſme, *accipe quale ſit, quamque ſingulare* Pariſienſis *in te meritum. Is cum primum ad nos legatione ea, quam ante dixi, functus rediit, nihil potius habuit, nihil ſibi magis præcipuum duxit, quam te, te inquam unum,* Eraſme, *prædicare, quam tuum ingenium, tuam doctrinam, atque eloquentiam* Græcam *juxta ac* Latinam, *tum publice, tum privatim pleno ore referre, & apertis (quod ajunt) tibiis propalam decantare. Legerat quidem antea ſcripta tua quam plurima, te autem, quod aſſerit, de facie nondum noverat. Mirum eſt nunc, quantopere geſtiat, quantopere etiam ſibi placeat, quod* Eraſmum *iſtic & viderit coram, &* Eraſmi *congreſſu ac colloquio, quotieſcunque libuit, (libuiſſe autem ait creberrime) uſus fuerit. Quid non ille prædicat de* Eraſmo? *quid ille* Eraſmo *non tribuit? ejus de te ſermones ſubnectere libuit: faceſſat tamen interim, jubeo, procul hinc adulatio omnis. Magna* Eraſmum *fama præceſſerat, major inventus eſt: quid enim vetat eadem nos de* Eraſmo *pronunciare, quæ de* Iſeo *quondam ſuo* Plinium *pronunciaſſe legimus,* O vere Atticum leporem! ô vere Neſtoream eloquentiam! ô raram eruditionem, ac certe non ſeculi noſtri! *Nihil unquam* Eraſmo *Ciſalpinus orbis produxit omnibus literariis dotibus cumulatius. Abſit verbo invidia; habuit noſtra hæc ætas bonarum literarum proceres duos,* Hermolaum Barbarum, *atque* Angelum Politianum, *Deum immortalem, quam felici ingenio, quam acri judicio, quanta facundia, quanta linguarum, quanta diſciplinarum omnium ſcientia præditos? Hi* Latinam *linguam jam pridem ſqualentem, & multa barbariei rubigine exeſam, ad priſtinum revocare nitorem conati ſunt, atque illis ſuus profecto conatus non infeliciter ceſſit, ſuntque illi de* Latina *lingua tam bene meriti quam qui ante eos optime meriti fuere. Itaque immortalem ſibi gloriam, immortale decus paraverunt, manebitque ſemper in omnium eruditorum pectoribus conſecrata* Hermolai *ac* Politiani *memoria, nullo ævo, nullo caſu, nullo fato abolenda. Vidi & ipſe in* Italia *olim aliquot magni nominis, magnæque in literis opinionis, in quibus & doctrina non vulgaris, & judicium acre, & rara adeo inerat facundia: ſed tamen iſtud ego citra invidiam, & cum* Italiæ *pace dixerim, cui equidem cum favi antea multum, tum tribuo ſemper in ſtudiis plurimum, unus profecto* Eraſmus *Tranſalpinis ac Ciſalpinis omnibus palmam præripit: unus* Eraſmus *omnium lumina eruditionis ac facundiæ fulgore perſtringit: & quod eſt in proverbio, cornicum oculos configit. Etiam nunc* Eraſmum *ipſum loquentem videre videor: dii ſuperi, ut omnia apte, omnia appoſite, ut nihil non erudite, nihil non eleganter & ornate, nihil non diſtincte & ad amuſſim loquitur? Summa eſt facultas,*

co-

Digitized by Google

An. 1516. copia, ubertas: oratio ejus pura, aperta, facilis, dulcis: sermo proprius, tersus, exquisitus, gravis, sensus abstrusi ac reconditi: occursant verba, sed cujusmodi? quaesita, exculta, Latinissima, atque hac quam copiose, quam affatim? uberrimum quoddam dicas eloquentiae horreum: multa lectio in familiari, & vel extemporanea locutione, multa eruditio apparet: incredibilis memoria, repetit altius quae loquitur, ne syllaba quidem labitur: breviter Musam ipsam Atticam non hominem loqui contendas: ut illi Rhetorica subservit; ut illi ad unguem nota est, ut domestica illi ac familiaria Rhetorices praecepta, ut schemata omnia, figuras, dicendi genera singula pro arbitrio modo hac, modo illac in cera modum in usum suum flectit ac reflectit? Jurares Demosthenem esse, aut si quis Demosthene superior esse potest: ut Poetas omnes tum Graecos, tum Latinos familiares peculiaresque habet: ut carmen utraque lingua non poenitendum scribit: ut feliciter scribenti Apollo arridet, Musae omnes certatim adspirant? quo in genere nimirum vel Antiquos ipsos provocare videtur. Jam Theologiam Erasmum non vulgariter esse edoctum, & testantur quidem ejus in ea arte scripta quam plurima: & ego, qui cum homine in ea sum collactatus palaestra, locupletissimus certe, ac vere Atticus testis esse possum. Neque enim Theologiam Erasmus (quod nonnulli fortasse opinantur) primoribus tantum labris degustavit, sed plane ad penetralia usque penitissimosque recessus penetravit. Porro Philosophiam, artium omnium reginam, non obiter, aut veluti a limine tantum salutavit: nota illi sunt & domestica arcana mysteriaque omnia, quae vel divinitus a Platone, vel ingeniose ab Aristotele, vel quicunque alii in Philosophia excelluerunt, prodita ac relicta sunt. Atque in tanta tamque copiosa disciplinarum supellectile bonarum, ecquis modo inveniri poterit, qui cum Erasmo manum conserere, & in arenam descendere audeat? nisi si quis forte Thersites viribus longe inferior cum Achille, aut Diomede congredi praesumpserit, mox magno suo dedecore hastam abjecturus, & tota arena turpiter cessurus. Hominem ipsum invitavi regiis verbis, ac stipendiis, ac nonnihil etiam meis seorsum promissis ad Galliae nostrae contubernium: ac venisset quidem ille non invitus, nisi quod suam jam fidem Catholico Regi Principi suo obstrinxit, & fortuna illi sua, ac potius virtus fautores aliquot apud Principem clarissimos quidem illos, ac principalis aulae primarios viros comparavit: quorum favore atque auctoritate studiorum suorum messem facere, & laborum omnium fructum haud ita multo post colligere exspectat. Hac sane sunt, & his similia praeconia, quibus Erasmum Parisiensis palam ornare, & honestare non desinit: quem equidem tametsi intelligam, vel justissimos tibi titulos tribuisse, nec te aliis quam tuis ipsius coloribus depinxisse, tamen non mediocrem, puto, Antistiti vel duplici nomine debes gratiam: partim quod tibi ille alioqui nihil obstrictus, tamen operam tibi suam tam liberaliter ac profuse commodaverit, suumque erga te animum tam candide ultro patefecerit: partim quod non modico aestimare debes, laudari tibi contigisse a tam laudato, tamque in omni virtutum genere spectabili viro. Siquidem ea demum vera laus existimanda sit, quae de laudati ore procedit. Caterum, Erasme optime, duo sunt in primis, quae me adduxerunt, ut apud te nunc praeconii hujus testimonium ferrem: alterum, quod ego unus maxime omnium justus tibi, fidusque, ac veluti ἐκ τῶν Διὸς ἀέλλων testis esse possum: utpote qui Parisiensem ipsum semel atque iterum ea de re loquentem praesens exaudivi: sum enim frequens apud eum: quod ille non literatos modo exosculetur, verum & literarum quoque studiosos, quorum in numero (modo sta Musis placeat) & nos quoque locum aliquem nobis vendicamus: alterum, quod tua permagni interesse putavi, rescire te, quibusnam maxime deberes, cujusque in aere potissimum esses, quo tu accepti meriti gratiam aut agere, aut etiam, si qua daretur, quandoque referre posses. Sciebam enim, ac multo etiam antea magis cognoveram, te animi esse nequaquam ingrati. Adde insuper, quod ipse quoque olfacie-

A bam, minus tibi suspectum fore nostrum quam cujusquam alterius hac in re testimonium, atque ita te sane judicaturum, me (id quod est) pro veteri illa mea erga te fide, mutuaque amicitia, totam tibi rem simpliciter & aperte enunciasse, nihil adeo adhibentem fuci, sed plane τοῦτο δὴ τὸ λεγόμενον, ὦ σῦκα ζύκα, καὶ τλῶ σαάφλω σαάφλω λέγοντα. Neque enim is sum, mihi crede, qui tibi quicquam imponere velim, aut qui te nunc falsis laudibus perunctum demulcere, καὶ εἰς τλῶ Φιλαυλίαν ἄγειν pertentem, abs qua nimirum, nisi fallor, alienum te semper, & aversum cognovi: neque quicquam aliunde pendentem, ingenium istud suis ipsius dotibus, ac propriis meritis aestimare solitum, nisi si quid forte, ut Homericum
B illud me hic usurpare permittas, ἀλλοῖός μοι ξεῖνε φάνης νέον ἠὲ πάροιθεν, & tu mores tuos, ingenique tui modestiam, ac, ut verius dicam, simplicitatem, ex quo mihi visus non es, immutaveris. Concedis enim & hoc quoque nobis, ut tibi interim aurem vellicantes memoriam paulisper refricemus, consuetudinis illius, atque amicitiae veteris, quae nobiscum olim Venetiis intercessit, dum ego sub Jano Lascare meo (cum dico, meo, praceptorem ac veluti parentem optimum intelligo) vix dum Latinis literis initiatus, Graecis operam navare auspicarer: tu in aedibus Aldi Manutii, singularis etiam dum eruditionis tuae, tum Graecae, tum Latinae, egregia illa, atque inculpata specimina diis hominibusque plaudentibus praeberes. Inter quae exstant Proverbiorum Chiliades quatuor:
C opus non mea quidem unius, sed eruditorum sententia, tanta utriusque linguae eruditione conspersum, tam multiplici lectione distinctum, tanta venustate ac facundia conditum, ut plane si quis recte, ac citra omnem invidentiam perpenderit, ex eo uno manifestissimum fiat, quantum Erasmus cateros omnes literariae palaestrae athletas antecellat, καὶ ὁπόσον δὴ ἡ ζάλπιγξ τοὺς αὐλοὺς, καὶ οἱ τέτλιγες ὡς μελίττας ὑπερφωνοῦσαι, quas ipsas, me Hercule, qui non admirantur, eas procul dubio aut omnino non legerunt, aut si legerunt, plane in literis caecutiunt. Nam ut obiter illud tantum attingam, quid eruditius? quid ornatius? quid copiosius? quid elegantius? aut Latinum magis,
D tuis illis, nescio quot, digressionibus, in quibus vere nobis non alium quam Erasmum ipsum, hoc est, Quintilianum quendam declamantem repraesentas? Successerunt his, Moriae encomium, Miles Christianus, Institutum utrunque, Christiani Principis institutio, Hieronymi restituta ac distincta Opera, atque alia id genus quam plurima, ὦ φίλαι Μοῦσαι, quo favore, quo plausu, quibus amplexibus, quibus osculis ab omnibus hic politioris disciplinae studiosis excepta? Quibus omnibus, quid aliud plane Erasmum effecisse credimus, nisi quod manifestissime nobis indicavit, quam felici ingenio, quam sagaci naso, quam purgatis auribus, quam divina memoria, quam ubere facundia, quanta utriusque linguae eruditione, quanta styli
E exercitatione ac majestate, quanta disciplinarum omnium scientia praditus ornatusque sit? Ac per Deum immortalem, quis jam inficiabitur Erasmum, quendam veluti inexhaustum perennis eloquentiae fontem, latissime manantem, in pectore ac precordiis gestare? de quo tam varii passim, tamque exundantes rivuli in studiosorum vireta copiosissime derivantur? Quis inficiabitur in aliis quidem permultis, alias atque alias dicendi dotes, ac virtutes eminere? In Erasmo autem uno τῶν πάντων ἀγαθῶν ζωρὸν, τῶν πάντων ἀγαθῶν μυρμηκίαν, τῶν πάντων ἀγαθῶν θάλασσαν εἶναι. Jam nos, Erasme eruditissime, tametsi intelligamus, scripta tua non nisi oculatissimo cuique lectori patere, nec palato huic convenire tam delicatas, tamque regales dapes,
F ac ut verius dicam, ταύτλω τλῶ τῶν θεῶν τροφλῶ, tamen, ὦ θεοὶ εὐδαίμονες, πῶς μὲν γὰρ ἂν οἷός τε εἴην τοιαύτης θοίνης ἀπέχεσθαι, καὶ ζῶ εἰς τοσοῦτον λιμώττων & διψῶν; Lego equidem diligentissime, ac cupidissime revolvo tuas omnes lucubrationes, quarum, vel decies jam repetitarum, nulla me tamen adhuc satietas, certe recens quaedam semper capit admiratio: ac, me Hercule, quo sapius illa a me, quo vicinius ac pressius introspiciuntur, hoc magis ac magis placent, magis afficiunt, magis delectant. Ac per Deos immortales, qui non delectarent, cum & Deloinum meum, hoc

An. 1516. *est, cujus ego uter familiari consuetudine ac quotidiano prope convictu, quæ vetus hominis est in me humanitas: & Ruzeum insuper, cujus & singularis est quadam in nos benevolentia: patritii ordinis summates viros, ab humanitate, politioribusque literis bene audientes, non afficiunt modo, aut delectant, sed plane & capiunt, & eo usque rapiunt, ut illis Erasmus unus in manibus versetur, Erasmus unus instar omnium neotericorum habeatur. Et me jam pœnitebit tantorum virorum exempla sequi? & vestigiis tam certis inhærere? ut fileam interim Guilielmum Budæum, virum amplissimum, & Galliæ hujus nostræ singulare quoddam ornamentum, ac gloriam in literis inconparabilem: qui cum se tribus nobis (ut est ingenii candidissimi) familiarissimum præbeat, eumque nos præceptorem, ac veluti Apollinis cujusdam loco veneremur, tuam adeo eruditionem, tuam istam multiplicem lectionem, eloquentiam, copiam prædicare nobis non cessat: tuaque scripta omnia magnificare, & albo, quod ajunt, calculo insignire. Ac nos sane, ut aliis omnibus, ita in ea quoque re Budæum ipsum emunctissimæ naris judicem, ἡ ἡμῖν μοῦσις ἡγεμονέων λίθον ὄντα, sequimur; tanta est apud nos hominis vel religio vel auctoritas. Proinde, Erasme amplissime, quandoquidem subodoror, me prolixitate hac tibi homini, puto, occupatissimo, & ocium istud (si quod suppetit) nonnisi legendis exquisitissimis scriptis consumere solito, fastidium jam, ac nauseam peperisse, epistola finem faciam: modo te unum id præmonuerim, videlicet, me tametsi tua jam pridem præsentia privatus sim, & longo tecum locorum intervallo disjunctus, nihilo tamen secius tui memoriam assidue in animo ac pectore meo sacrosanctam circumferre, teque perinde amare, atque observare, ac si præsens præsentis quotidiano in hunc usque diem contubernio usus fuissem. Neque enim is sum, qui amicos absentes absens aut oblivisci, aut negligere soleam, cui sane nunquam illud fuit non exosum, τηλοῦ φίλοι ναίουσιν, οὐκ εἰσὶ φίλοι. Peropto tamen, ac nimirum supra quam dici potest concupisco, uti Regis hujus erga te animus, qui sane haud contemnendus est, & pollicitationes, quas haud inanes futuras arbitramur, te, si qua possint, ad Galliæ nostræ contubernium alliciant: tum ob alia multa, tum ut periclitari potissimum valeas meam erga te fidem, ac benevolentiam, addam & liberalitatem, eorum certe omnium, quibus mediocritatem hanc nullo meo merito fortuna exornavit. Bene vale, & me tui amantissimum mutuo ama.* Parisiis 6. *Aprilis, Anno* 1516.

## EPISTOLA CCXIII.

### Udalricus Zasius Erasmo Roterodamo *S. D.*

*VIDEO, magne heros, splendidissime vir, quo tendas, qui inhumanitatis nescio quam labeculam in te purgare pergis. Cui, magne* Erasme, *persuaderes aliqua te parum servati officii nota laborare? qui si quisquam in orbe, tu unus vel omnium, quæ optima sunt, nedum humanitatis egregia honore præ cæteris decoraris? Sed colligere videor, quid hac tam officiosa excusatione, ductu velut figurato, pertendas. Mea enim inhumanitas percellitur, mihi dica scribitur, qui tot jam tempora te communi vicinum nunquam adierim: te virum in literis principem non convenerim. Et esset sane ea res culpæ nomine cum primis notanda, si nulla mihi in statu assumptivo suppetiæ ferrentur. Verum inofficiosus ne culper, ætas defecta excusat, qui ægre meum oppidum inambulo, nedum ad aliena loca proficiscerer. Accedit lectionis civilis ponderosa & gravitas & assiduitas: si interim negotia taceam, quæ tamen me vel dividunt, ut facile veniam homini noxiam deprecari cupienti sis daturus, & tum facilius, quod vir placabilis, amœni ingenii, comis & totus humanus, à nostro* Amorbachio *in horas prædicaris, qui in meliora vertas, vel quæ nigra sunt, nedum quæ lucem pati possint, improbes, in amico præsertim, erga quem non potest sine piaculo finistrum esse judicium. Vide quo me tuis illis pulcherrimis rhetoriis construdas: prima tuarum literarum frons permovere me poterat, ut de inhumanitate (si diis placeret) te excusarem. Sed altius considerans, magnam mei purgandi necessitatem mihi impositam inveni: proinde vecordiorem illam tuam artem, quid enim tuum est, quod non artis fœtissima sit? nisi persensissem, parum aberat, quin gloriosulus mihi, tuæ contra singulari eruditioni improvidus patuissem. De morsu quorundam quod scribis, noli laborare,* gloriam, *teste* Æmilio Probo, *sequitur* invidia comes. *Hoc esse vera & prima eruditionis, & admirabilis doctrinæ argumentum, ne dubita, si in populares literationis dentes incidas. Hæc tuus te ille* Hieronymus, *ut uno verbo agam, docere poterit. Tandem te per sacra amicitia rogo ad nos venias. Venies exspectatus bonis viris, quos non parum multos hic offendes. Ego tibi hospes ero & desideratus, & præsens, & ad assem volentissimus, nostrisque & Gymnasii pluteis inscribetur, hic fuisse* Erasmum. *Valde & nostrum* Bonifacium *ama, qui te pro numine colit: utinam ita divina, ita superos, ut* Erasmum *colat, & jam calculum beatitudinis meliorii in urnam conjeci. Vale, ornamentum orbis. Ex* Friburgo 9. *Maji, Anno* 1516. *Parce rudi calamo, tabellarius humeros præsit.*

An. 1516.

## EPISTOLA CCXIV.

### Erasmo Roterodamo Bilibaldus Pirckh. *S. D.*

*ANTE quatuor ferme menses ad te literas dedi, mi amantissime & colendissime* Erasme; *cæterum quia nullum à te accepi responsum, suspicor vel meas tibi, vel tuas postea mihi literas redditas non fuisse: verum tamen literarum interim loco tua clarissima fuit editio, qua non minus sancte & fideliter, quam fauste ac feliciter Novum explanatum est Testamentum. Vindicasti tuum nomen ab omni temporis injuria, peregistique rem non minus Deo Optimo & Maximo acceptam, quam omnibus* Christi *fidelibus necessariam & utilem. Macte igitur virtute, qui negotium, cunctis hominibus à mille annis citra negatum, absolvisti. Sed quid ego verbis tuam extollere doctrinam & eruditionem conor, rem viribus meis penitus imparem?*

Οὐδ' εἴμοι δέκα μὲν γλῶσσαι ἦ στόμα' εἶεν,
Φωνὴ δ' ἄρρηκτος, χάλκεον δέ μοι ἦτορ ἐνείη.

*Ut Poeta inquit. Satius igitur verecunde tacere, quam laudes tuas minus digne personare; quas si nimis frigide tractare videor, non viribus, sed imbecillitati meæ imputandum erit: sed de his hactenus. Quid vero agas, quam belle valeas, quid denique parturias, admodum scire desidero, & si tibi molestum non erit, rescribe: ut habeam quod amicorum tuorum incognitorum turbæ respondeam, quandoquidem à me quotidie per literas, quid* Erasmus *noster agat, anxie perquirunt. Vide, mi* Erasme, *quam avidi rerum tuarum, ne dicam ingrati simus, qui cum immensa & majora, quam exspectare potuissemus, præstiteris: etiam ultra quid quærimus, & quodammodo exigimus. Verum id virtuti tuæ, non vitio nostro acceptum referas: & bene valeas, gloria & splendor humani generis. Ex* Nurenberga 20. *Maji, Anno* 1516.

*Salutat te iterum* Stabius *Cæsaris Historiographus, vir doctus & bonus. Salutant te gemina mea sorores, Abbatissa sancta Clara una, altera ejusdem Regulæ sectatrix, quæ assidue tua scripta manibus retinent: maxime vero jam Novo oblectantur Testamento; quo mire afficiuntur mulieres, multis viris, qui sibi scioli videntur, doctiores. Scriberent ad te Latine, nisi indignas suas existimarent literas.*

## EPISTOLA CCXV.

### *Thomæ, Episcopo Dunelmensi, Erasmus Rot.* S. D.

*ORNATISSIME* Præsul, ex *Petro* unoculo, per quem nuper scripsi celsitudini tuæ, cognovi librum *Senecæ* tibi non fuisse redditum. *Franciscum* fatetur apud *Arnoldum* fuisse, à quo reposces, si nondum accepisti. Nos, gratia superis, convaluimus, & brevi, ut spero, veteres patronos revisemus. Faxit *Christus* Opt. Max. ut vos omnes offendam incolumes. Bene valeat tua pietas, cui me totum dedo, dedicoque. *Antuerp.* 9. Julii, An. 1516.

EPI-

Digitized by Google

Digitized by Google

KONINKLIJKE
BIBLIOTHEEK

Digitized by Google

## EPISTOLA CCXVI.

### Eraſmo Bovillus *S. D.*

An. 1516. TVVS *in* Angliam *reditus, præcepter doctiſſime, eſt omnibus amicis tuis* Cantabrigianis *oppido quam gratus: ſuper cæteros tamen mihi longe gratiſſimus, utpote qui aliis omnibus ſum tibi multis partibus devinctior. Itaque quam libentiſſime te in* Cantabrigia *viderem, ut ſi non detur multiplicibus tuis erga me beneficiis, ut vellem, reſpondere; animi ſaltem promptitudinem (quam ſolam ferme poſſim) oſtenderem: ſum enim cupidiſſimus te videndi, ac perpetuo apud te manendi: ſed fatis prohibeor, ac fortuna adhuc paulo invidentiore; alioqui quocunque gentium abires, certum eſſet perſequi. Hic acriter incumbunt literis Græcis, optantque non mediocriter tuum adventum: & hi magnopere favent huic tuæ in Novum Teſtamentum editioni: dii boni quam eleganti, arguta, ac omnibus ſani guſtus ſuavi, ac perneceſſaria! Sed hæc hactenus. Eſt hic juvenis quidam, qui continuis precibus obtinuit, ut ſe tibi commendarem,* Edmundus Polus *arduus, morum perquam candidorum, & tui amantiſſimus: hic ſibi perſuaſit ſe futurum felicem, ſi poſſit recipi in tuum famulitium. Igitur ſi reſcripſeris an eum velis & ſignifices, licet breviſſime, me illum tibi commendaſſe, quia alias non credet me ſcripſiſſe, ſicut ſæpius ſum illi pollicitus, feceris rem te dignam, & mihi pergratam. Vale, hujus noſtri ſeculi decus. Ex* Cantabrigia 13. *Auguſti, An.* 1516.

## EPISTOLA CCXVII.

### Glareanus Deſ. Eraſmo Roterod. *S. D.*

SI *quem amas, chariſſime* Eraſme, *quod te amat, certe ego maxime amandus tibi: nemo enim eſt, tuto crede, te mihi charior, atque utinam tam me poſſes intus introſpicere, quam extra ſæpiſſime vidiſti. Videres profecto alterum* Alcibiadem, *ac eum qui* Alcibiadem *longe antecederet, tantum videlicet, quantum vere* Glareanicus *amor vicit* Socraticum, *ſive quantum ego plus tibi debeo, quam* Alcibiades Socrati. *Magnum erat, mores* à Socrate *didiciſſe, vitam illius monitis emendaſſe: atqui ego longe plura à te habeo; nempe, præter alia infinita, præcipuum illud, quod me* Chriſtum *ſapere docuiſti; neque ſapere ſolum, ſed imitari, ſed ſuſpicere, ſed amare. Quid, quæſo, homuncioni mihi vel utilius, vel dignius contingere potuit? Proinde minime ſeparati ſumus, beneficia tua, in me collata, non ſinunt me tui immemorem. Quicquid ago, præſto es, ludit ante oculos meos imago* Eraſmi, *itque reditque frequens, ſine te non dormio, non edo, abſens ad virtutes ſtimulas, excitas pigrum, rudem doces, & putas me poſſe te non amare? ſed qui poſſem? Lachrymor abſentiam tuam, id quod mihi minime vitio dandum exiſtimo: quid enim æque mihi grave? & jam dixi, non abes, ſed certe abes: revera non abes, loqueris enim mihi quotidie: & tamen abſens es, quia te non video, nec ſuaviſſima tua confabulatione fruor: ſed & præſens es, quia te audio; nam mihi loqueris, ſed ludo, idque inepte, quia amo, idque audacter, quia amo: & dum ludo, lachrymor, quia te amo, chariſſime* Eraſme: *atque cum te chariſſimum appello, dum alii infinitis aliis te onerent, ego unico illo titulo unice te honoro. Quid enim erat dicere, doctiſſimum, eloquentiſſimum, eruditiſſimum, & quæ non amor, ſed aliquoties κολακία excogitavit pleraque alia: nullum enim eorum te melius decet, aut exprimit, quam quod proxime* Chriſtum *accedit. Neque tu tantundem, vel eloquentiæ vel eruditioni me inniti juſſiſti, quam amori vere Chriſtiano: ac proinde non modo habeo tibi gratias ampliſſimas, immortales, ingentes, aut quicquid tale vulgus diſertorum ſeſquipedalibus verbis refert; ſed quas* Chriſtus *dignis tuis in me meritis tribuat. Caterum ut ad epiſtolam quoque tuam reſpondeam, qua de fortuna ais, eam mihi, ſi tecum eſſem, non poſſe deeſſe. Doleo, Hercule, me tecum eſſe non poſſe, ſed differo tamen non abſque cau-*



*ſa. Tumultuatur patria; pax cum* Franco *nondum compoſita, quam* Angli *ne, an Cæſarea majeſtas remoretur, incertum. Legati* Maximiliani *adfuerunt, & item* Anglorum, *non pecuniam, ſed aureos montes pollicentes, ne* Gallis Galli *conjungamur. Sunt qui ſuſpicentur rem agi non juſſu* Britanni *Regis, ſed τῇ τῦ αὐτοκράτορος τέχνῃ: ſic ego pacem ſpero, quæ ſi facta fuerit, Pariſiis ſalarium ducentorum ſcutatorum annue exſpecto. Præterea habeo mecum domi meæ triginta optima indolis juvenes, qui annue ſolvunt centum & viginti ſcutatos, quamvis laboribus meis non ſatis reſpondeat hoc præmium: illud, mi* Eraſme, *chariſſime parens, unice oro, ne damno ſit mihi, vel apud te, vel apud alios dominos, amicos forſitan aliquando futuros, non veniſſe tam humaniter invitatum. Nam ad* Pentecoſtes *diem ſi non erit pax cum* Francis, *& Princeps tuus (quod vehementer opto) ſalvus fuerit, auſim, me Hercule, ad te volare, etiam per medios hoſtes: interim ne abeam conſanguinei & neceſſarii magnopere rogarunt, nihil tamen certi promitto.* Montjoii *nomen charum eſſe mihi non poterit, dum* Eraſmus *charus eſſe deſierit. Quem ut egregium ac optimum virum credam, & opera tua, & præſens quondam de ejus humanitate confabulatio pervicit.* Berus, *cum litera allatæ ſunt, non adfuit: itaque ex eo nihil cognoſcere potuimus. Poſt diſceſſum vero tuum, adeo ſophiſta in me graſſati ſunt, ut de templorum valvis chartulas diripuerint, publiceque* Senecam *legi prohibuerint. Ego autem iis invitis legi, nihil magis veritus, quam ne* Berum *quoque in ſuam opinionem traherent: at ipſe ut vitaret invidiam, negotio ſe non magnopere immiſcuit. Pene tamen carmen meum non miſiſſem, utpote juvenile, & mihi nulla in parte ſatisfaciens pro tanto viro: aut ſi hoc tanquam adulatorium ſpernis, pro tanto amico: ſed ſpero omnia confoſſum iri a te, quæ ſpes niſi me tenuiſſet, eas ineptias in ignem conjeciſſem. Miſi autem & aliud carmen, quod de diſceſſu tuo ad* Oſvaldum *luſi, hominem tui ſtudioſum, ac acerrimum meum in ſophiſtas* Alciden: *cujus pugna memini, ſimul & horologii tui gratiſſimi munuſculi: literas* Ἐρεσμι& Γλαρεανῷ *belle incidit* Aurarius, *ſemper interim ſericis incubuit.* Buſchii *carmen, quod mihi ſummæ placet, quanta potui diligentia excripſi, ex depravato videlicet codice; quare peto, ut tua diligentia excutiatur. Salutationem tuam* Oſvaldus, Rhetus, *atque omnes diſcipuli mei gratiſſimo animo acceperunt, unoque ore te rurſus ſalutari juſſerunt, te felicem, ſalvum, incolumem omnes optant. Juſſiſti me longum eſſe cum ſcriberem, idque feci, ſedulo forſitan magis quam feliciter. Quid enim aliud faciam? λαλεῖν ὄφελ&, ἀδυνατώτα& λέγειν. Vale, chariſſime* Eraſme, *meum ſidus, meum decus.* Baſileæ *ex piſtrino meo, Anno Domini* 1516. 5. *Septembris.*

### HERMANNI BVSCHII PASIPHILI IN ERASMVM, *Coloniam recens ingreſſum,* CARMEN.

DIC puer, *Eraſmum* cupido quis nunciat illum
Adveniſſe mihi, quiſnam hæc mihi gaudia portat?
O feſtum lætumque diem, ſi vera locutus,
Si non hæc vano mendax confinxerit ore.
Quiſquis is eſt tandem, credamne, ut venerit ille?
Ille, inquam, *Eraſmus*, cui *Roterodamica* tellus
Tam debet, docto ſua quam *Verona Catullo*,
Quam tribus *Hiſpanis* urbs inclyta debet alumnis,
*Auſonio* fundata duci, quam *Bilbilis* alta,
Cornipedum gregibus fœcunda, & fortibus armis
Ingenio debet culti celeberrima civis,
Quam cantata ſuo debet *Mevania* vati,
*Parthenopeque* ſuo, fontes qui carmine *Thebas*
Eruit, & ſylvas plectro modulatus eburno,
Magnanimum in *Troas*, & in *Hectora* movit *Achillem*:
Quam *Sulmo* tibi *Naſo* tener, quem barbarus *Iſter*,
Braccatique *Getæ*, cygnea voce canentem
Triſtia, fleverunt: quam *Mantua* priſca *Maroni*,



Digitized by Google

An. 1516. Quo duce Muſarum meruit domus ipſa vocari,
Et fama pulſare polos, & ſydera laude,
Omneque venturæ ſpacium ſuperare ſenectæ.
Eſtne ille *Eraſmus*, modo quem veniſſe loquuntur,
Ipſis qui ſolus poſſit certare *Latinis?*
Quem probat, extollitque virum clariſſimus ordo,
Pontificis *Romæ* qui limina ſcandit in oſtro,
Quemque per *Italiam* paſſim lectiſſima turba,
Cordaque ſuſpiciunt doctiſſima *Grajugenarum*,
Qui ſibi quæſivit nomen, per *Gallica* regna,
*Hiſpanumque Tagum*, per *Hibernica* litora, perque
*Orcadas*, & noſtro ſemotos orbe *Britannos:*
Terrarum Reges, quem fulvo munere jungunt,
Conciliantque ſibi, quo fante, ignobile ducunt
Eloquium *Pylia* quod fluxit ab ore ſenectæ:
Quo citharam tendente, & Apollinei peragente
Officium vatis, ſtupet ipſe ad carmina *Phœbus*,
*Calliopeque* ſui gemitu reminiſcitur *Orphei.*
Venit, certa fides, vidi, vidi ipſe cupitum
Optatumque mihi toties, occurrere vultum
Hoſpitis egregii, dextramque amplexus inhæſi.
O blandi mores! ô fandi exacta facultas!
Quanta vetuſtatis, linguæque ſcientia docto
Quanta utriuſque viro, quantum diſceſſit ab illo
Barbaries, ruditas, ignava ſuperbia, livor
Degener! imo alios multos ſecum attulit ipſe
Diverſos comites, gravitas ſine nube renidens,
Ingenuuſque lepos, *Pitho*, *Chariteſque* ſorores,
*Pegaſideſque* omnes, greſſus comitantur euntis,
Florenteſque roſas geſtans, poſita ægide *Pallas.*

*F I N I S.*

AD EVNDEM.

Hæc legit *Eraſmus* ſi carmina fronte ſerena,
Tum longe accepi plus, minus ipſe dedi.

## AD ERASMVM ROTERODAMVM

*Hecatoſtichon*

### HENRICI GLAREANI,

*Helvetii Poetæ Laureati.*

SOMNVS iners homines, mutumque invaſerat orbem,
Preſſerat & terram nocte ſilente quies.
Ipſe ſoporifero ponens mea membra grabato
Occubui, & tenebris pene ſepultus eram.
Ecce ſub obſcuro viſa eſt tua Muſa nigrore
Ante oculos volitans protinus eſſe meos.
Non ſecus ac nebulis latitet ſi *Phœbus* opacis,
Aut ſub nube nigra, candida Luna micet.
Tum pepulit radiis quodcunque obſtabat amœnis,
Ceſſit & omne, illa diſcutiente, chaos.
Subticui, caput haud tenuem erecturus ad auram,
Exſpecto ſitiens quid velit illa loqui.
Diva verecundo dum me videt ora tacentem,
Auriculam prendens vellicat atque premit.
Cur meme dixit, cur compellare vereris?
Cur noſtros ſurda negligis aure ſonos?
En venio, quia doctiloquus ſic juſſit *Eraſmus*,
Ne tituba, votis præſto erit ille tuis.
Illius ambroſio quanquam frons nectare fuſa eſt,
Atque *Helicon* ſacro laverit amne comam:
Nec tamen exiguum parvo de flumine rivum,
Nec tremulæ ſpernet ſtamina rauca lyræ.
I celer, optatum invenies, & habebis amicum,
Quem dare non alium ſecula poſſe putes.
Dixerat, & ſonitus blanda cum voce receſſit,
Inque levem volitans aera præpes abit.
Excutior ſomno; video cecidiſſe figuram,
Cui reſponderem nemo niſi aura fuit.
Ergo ô præſidium, & ſpes jucundiſſima vitæ,
Dux & iter veræ, dulcis *Eraſme*, viæ;
Auſculta, tua Muſa meis diſceſſit ocellis,
Illi debueram paucula verba loqui.
At quia diſceſſit, nec ſit cui ſingula dicam,
Hæc juſſi Muſam verba referre meam.

A Scilicet ut dignas tibi, vir doctiſſime, grates An. 1516.
Offerat, id quanquam non bene poſſe reor.
Nanque ego cui moduli, cui nec ſit culta *Minerva*,
Qui poſſim dignum ludere, quæſo, melos?
Nec tibi pro meritis, quas dicam, noſco Camœnas,
Da veniam modulis, ingenioque meo.
Sunt mihi rauciſono ſtridentia carmina plectro,
Et tenuis ſurdo murmure vena data eſt.
Clauſerunt placidæ *Dircæa* flumina Muſæ,
Et mihi *Parnaſſi* blanda fluenta negant.
Arida vix mihi *Clitorio* ſitis amne levatur;
Vix mihi *Salmacides* mollia damna patent.
Si tibi raucidula ſtridentem voce cothurnum
B Percutiam, dices, Heus miſer, ito foras.
Si rurſus citharam plectro crepitante fatigem,
Nænia ineſt, dices, carmine barda tuo.
Quid, pie *Eraſme*, canam? niſi garrulus inter olores
Argutos ſtrepitem, corvus & anſer iners.
O utinam *Andini* mihi ſit facundia vatis,
Et ſint *Peligna* carmina docta lyræ;.
Te canerem longo, vir præſtantiſſime, libro,
Nullaque pars vacuo margine abiret iners.
At longe tua me probitas, tua vivida virtus
Vincit, & eſt verſu non bene picta meo.
Quæ natura ſagax imis tenet abdita valvis,
Tota intra ingenium ſcis poſuiſſe tuum.
C Tuque oculis certus cœleſtia regna ſubintras,
Tu penetras ſummi limina celſa poli.
Quot ſint, quæ rerum ſpecies, quæque orbis origo,
Utque locum capiant quæque elementa ſuum.
Splendida quo rapido volvantur ſydera lapſu,
Unde tuum lateat, candide *Phœbe*, caput.
Quidque ſubobſcuram cogat decreſcere Lunam,
Unde pluat roſea diſcolor Iris aqua.
Quæ ſolidas quatiat violenta potentia terras,
Cur volitent dubio fulmina ſæva polo.
Cur ſcindant piceas horrenda tonitrua nubes,
Unde ruit gelidis ſtridula grando globis.
Cur quod non cecidit ſydus cecidiſſe putetur,
D Et quæ ſint reflui ſemina cæca maris.
Quæ ſubſunt caſu, quænam fortuna volutet,
Perfida ventoſis non bene recta rotis.
Cur Sol *Æthiopes* urat, cur denigret *Indos*,
Cur minuat radios trux *Arimaſpe* tibi.
Omnia pernoſcis, majore es dignus honore,
Quam tenui verſu commemorare queam.
*Roma* velut digne magno *Cicerone* ſuperbit,
Et *Demoſtheneis Attica* turba ſonis.
Septem urbes certant docto quæ patria *Homero*,
Tres genuit magnos *Corduba* clara viros.
Unum te Solem, quamvis & ſydera multa
Protulerint oris *Belgica* regna ſuis.
E O lætum feſtumque diem, qui numine dextro
Te dedit in noſtros, mitis *Eraſme*, lares!
Qua ſcindit liquidus *Baſileia* mœnia *Rhenus:*
Qua ſunt *Helvetiis* fœdera priſca viris.
Eſt in te gravitas matura, modeſtia prudens,
*Socratici* mores, Cæſareuſque decor,
Ingenium felix, quo non præſtantius ullum
Dotibus hiſce tuis *Attica* terra tulit.
Sed te præcocibus jam parcere verſibus opto,
O decus, ô *Batavi* gloria prima ſoli.
Tu dabis omnigenam matura in carmina venam:
Tu dabis ad Muſam calcar & arma meam.
Hactenus hæc, *Batavæ* ſydus venerabile gentis,
F Lux *Alemannorum*, candide *Eraſme*, vale.

*F I N I S.*

## AD OSVALDVM,

*Lucernanum Helvetium,*

### ELEGIA GLAREANI.

CANDIDE pars ingens noſtrorum *Oſvalde* laborum,
Seu qualem *Alcides*, *Pirithouſve* petat.

Sur-

Digitized by Google

An. 1516.
Surgit *Amazonio* pharetrata caterva flagello:
Et mihi *Centauri* bella cruenta parant.
Huc ades, ô *Theseus* tua ope est opus: accipe tela,
Tela cataphractis objicienda malis.
Omnia in hoc mundo vincit patientia longa:
Et labor, & probitas, ingeniumque sagax.
Laudo tuum ingenium, quod & ipse probavit *Erasmus*,
*Pallados* ille pater, *Mœonisque* chori.
*Socraticis* se temporibus *Plato* gaudet *Athenis*
Natum, atque exuvias ille triumphus habet.
Dictus *Alexander* felix cognomine *Magnus*:
Cui nasci obtigerit tempore *Aristotelis*.
Lætor ego quod temporibus sum natus *Erasmi*,
Gaudeo, & exsultans bella trophæa fero.
Ah quoties agro comites affatus amice est,
Pabula quanta animæ contulit ille meæ?
Is docuit mores, meliusque infudit JESVM,
Is docuit cœlum perpetuasque domos.
Et docuit penitus stultum contemnere mundum,
Vexit & ad superos mentem animumque meum.
Quid dare plus posset *Crœsusve Cyrusve* roganti?
Quid *Calaber* dives, quid *Sybarisve* potens?
Ille hinc digrediens, docta sciotericon umbra
Dona dedit dextræ munera eburna meæ.
Accipe, ait, nostri monumentum & gluten amoris,
Accipe *Phidiaca* dona polita manu.
Umbra tibi vitam notat, & vaga gaudia mundi:
Circulus æthereo sydera clara polo.
Elige utrum malis, utinam tibi sydera cordi,
Et qui syderibus præsidet orbis herus.
Accepi lachrymans, nomenque incidere jussi,
Osculaque insculpto terque quaterque dedi.
Sed redeo, gratare tuis, *Osvalde*, Camœnis,
Est aliquid tanto complacuisse viro.
Plus certe, quam si gelidis mea Musula metris
Strideat, atque oneret teque tuumque caput.
Gratulor & patriæ, ventura gaudeo vita,
Quæ *Grajos* fontes, *Romuleosque* refert.
*Helvetios* priscos, gentem in fera prælia natam,
Comperimus *Grajo* verba notasse stylo.
Atque utinam positis etiam nunc refluat armis
Quicquid apud *Grajos*, *Romulidasque* fuit.
Ecce *Camillus* adest, pius & facundus *Erasmus*,
Quo nil candidius *Romula* terra tulit.
Miles ego, quamvis imbellis, inutilis, æger,
Ære tamen mereo, teque merere velim.
Nec timeas vulgus nebulonum, & inutile mundo,
Nec *Chrysippeas* fulmina cæca faces.
Chare vale, pharetrata fugit tua tela caterva,
Chare vale *Theseu*, quo duce tela dedi.

*F I N I S.*

*Ad Sodales, Erasmo Roterod. consuetudine junctissimos, Joannes Sapidus Selestadiensis Germanus.*

O *Listri*, *Bruno*, *Basili*, *Rhenane*, *Frobeni*,
*Nesene* candidissime,
*Helvetiæ* decus æternum *Glareane*, probatis
Tum literis, tum moribus,
Integer interpres divinæ mentis, & idem
Trilinguis *Oecolampadi*,
Tu quoque *Gerbelli*, gemini laus splendida Juris,
Utranque callens *Palladæ*,
Artis *Apollineæ Reti* celeberrime mysta,
*Fonteie*, vosque cæteri,
Dulce sodalitium, cum vestro tam bene *Erasmo*
Vobis, & illi cum suis.
Quam bene sylvestri cum lectis esse *Diana*,
Nymphisque scimus cum dea.
Vos adeo consuetudo devincit *Erasmi*,
Huicque vestra convenit.
Primum aut postremum quid dicam aut mirer eorum,
Queis læta corda pascitis?
Si tractat joca, ridetis; si seria, vultus
*Catonianos* sumitis;
Si jubet arrectas, suadetve, advertitis aureis:
Si humana quam miramini,
Si divina docet, mox raptis mentibus, inter
Cœli incolas versamini:
Si graditur, comites estis, stantemque repente
Si stat corona, cingitis:
Si Genio ad mensam indulget, gaudetis & ipsi
Convivio hoc liberrimo.
Adde quod ingenium, gravitas, facundia, candor,
Honos, decus, modestia:
Tot blandæ veneres, charites tot casti & amores,
Et mille virtutum agmina:
A pede quæ certant imo componere totum
Supremum ad usque verticem.
Ceu quod versicolor, gemmis, aurique coruscat
Diadema signis asperum:
Quam vos alliciant, rapiant, faciantque stupere,
Quibus ista distrahant modis.
Qualem *Anchisiaden* radiantia dona, labores
Vivi manus *Vulcaniæ*.
*Latona* ut *Trivia*, sic *Phœbus* gaudet *Erasmo*,
Vos inter adstans nescios,
Digna, die spreta, ô consortia adire vadatis
Quæ diis simul communia.
Hic sincerus amor, procul hinc, procul atra simultas.
Tanti est *Erasmi* gratia.
Aft majora cano, nullumque audita per ævum.
Toti decus *Germaniæ*.
En volsam danteis herbam præcellit *Athenas*
Urbs barbaro solo sita,
*Bajana* secta aurifero *Basileia Rheno*
Amœnitate amœnior.
Estis Io nati felici sydere, quando
Sors tanta vobis obtigit.
Inter at ignarum vulgus ludique popellum
Miseram nimis vitam tero.
Visendique meos quanquam præberier ansam
Tristis vetat necessitas;
Sed solet hoc animos unum relevare dolore
Miserando alioqui & hostibus,
Quod me quæ sequitur tragicis *Rhamnusia* fatis,
Meis frui det optimis.
Ergo alacres *Sapidi* memores jam vivite vestri
Mihi sodales mellei.
Tu quoque re quavis semper, dignissime *Erasme*,
Germane *Phœnix* unice,
Vive tuos annos, & me dignare favore
Tuo tuum, si sum meus.

*F I N I S.*

## EPISTOLA CCXVIII.

*Erasmus Rot. Thomæ Moro* S. D.

JAM ad iter accincto, binæ simul mihi redditæ sunt literæ, neque puer ullus, neque mercator nos visit. *Marussi* syngrapham exhibui *Gaspari*, ea jubet dari ducatos largos justi ponderis, aut valorem. Agnoscis non *Castrense*, sed *Metentiale* verbum. Rogavi quis esset valor. Respondit *Stuferos* 37. cum dimidiato. At mihi, inquam, valor nihil aliud significare potest, quam publicam Principis æstimationem. At nos, inquit, hunc habemus morem. At ista, inquam, ratione nos fallimur, qui vestrum morem divinare non possumus ex syngrapha. Recepi syngrapham meam. Admonebis igitur hominem non esse mihi consilii quindecim florenos perdere in sexaginta angelatis. Rogabis Archiepiscopum, ut pecuniam tibi tradat, tu collocabis apud *Germanos Sterlingn.* & scriptum huc mittes, quo hic recipiam: nisi erit per quem huc mittas rectius. Exhausi loculos omnes dum me vestio. Crede mihi, mi *More*, effudi supra quadringentos florenos. Jam periculum est, ne bene vestitus fame moriar. Si *Tonstallus* hic hyemat, illi me adjungam, nam id impensissime cupit. Adiit, hæc cum scriberem, *Petrum Ægidium* hospes *Anglorum*, offerens precia librorum, cæterum de nostra pecunia nullum verbum. De *Urse-*



Digitized by Google

An. 1516. *wico* fac inſtes. *Hieronymus* intra biduum aderit cum ingenti ſarcina literarum ad me. Ubi accepero, faciam te certiorem, ſi quid erit quod te ſcire oporteat. De inſula, deque cæteris curabuntur omnia. Hæc ſcripſi inter componendum ſarcinas, mox equum conſcenſurus. Bene vale, chariſſime *More*, cum tuis omnibus. *Antuerpiæ* 2. Octob. Anno 1516.

Curavi ut *Cantuarienſis*, *Coletus*, *Roffenſis*, *Urſewicus*, & tu, ſi vis, inter primos accipiatis *Hieronymi* volumina. Rurſum vale.

*P. Ægidius* plane te deamat. Nobiſcum aſſidue vivit. Mire favet tuæ *Utopiæ*, teque valde ſalutat cum tuis omnibus.

## EPISTOLA CCXIX.

*Deſ. Eraſmus Rot. Petro Ægidio ſuo* S. D.

NACTVS ſum hic cubiculum, quod in tanta hominum frequentia perdifficile eſt, ſed perquam anguſtum, vicinum tamen aulæ, & quo mihi magis commendatur, vicinum *Tonſtallo*. Proinde fac, ut primum licebit, libros meos huc tranſmittas ſeu navi, ſeu vehiculo, ſimulque per alium quempiam ſcribito, cui commiſeris, & quo juſſeris deportari. *Pompilius*, ut video, artificem agit, morem videlicet antiquum obtinens, quo fero moderatius. Aliquando fortaſſis uſu veniet, ut par pari referam. Vis audire quod rideas? Quod aliis diu multumque ſudantibus ſæpe non contingit, id mihi pene obtigit dormienti. Rex Catholicus me propemodum Epiſcopum fecerat: ubi inquies? non apud extremos *Indos*, unde tamen aurum attrahit noſter *Barbirius*, præfectus iis quos nunquam viſurus eſt, verum apud *Siculos*, *Græculos* olim, & nunc quoque dicaces ac feſtivos; ſed feliciter erratum eſt, & ex animi mei ſententia. Poſtea compertum eſt, ejus honoris collationem ad ſummum Pontificem pertinere: mox Rex literis à Pontifice flagitavit, ut ſui reſpectu fineret eam collationem valere. Hæc *Bruxellis* aguntur, dum nos *Antuerpiæ* ocioſi nugamur in Literis: atque id erat, cujus gratia me juſſerat evocari Cancellarius: quod ſi ſuboluiſſet, cunctantius huc commigraſſem. Cum advenienti gratularentur, quiqui erant conſcii, beneque ominarentur, ego nihil aliud quam ridere poteram, & tamen pro animo gratias egi, ſed admonitis, ne poſthac in hujuſmodi negotio ſuſciperent inanem operam: me meum ocium cum nullo, quamvis ſplendido, Epiſcopatu permutare. Habes ſomnium, quod rideas: & tamen mihi non diſplicuit tanti Principis animus, qui fere non favet, niſi quos probos aut novit, aut certe putat. Gaudeo, mi ſuaviſſime *Petre*, quod te tanta levarim moleſtia: jam enim me tui tuæque uxorculæ miſcreſcebat, nec mihi tamen hoc quicquid fuit moleſtiæ potes imputare. Animus iſte tuus, amore quodam immodico, officiis in me congerendis nunquam ſibi ſatisfaciebat, uxor raro tibi, quæ id cumprimis habet ſtudio. Nunc abſente *Eraſmo*, fruere tua commodius. Quantulum enim eſt hoc quod nobis adimit locorum ſejunctio? Quod ipſum tamen licebit crebris ſarcire literis, quas opto ut quam maxime alacres hilareſque nobis mittas: ſic enim intelligam te recte valere, quod ita mihi cordi eſt, ut nihil magis: hujus rei pars maxima, mihi crede, tibi ipſi in manu eſt. Plerique morbi nobis ab animo proficiſcuntur, & minus offenderis ſtudii laboribus, ſi ratione ſtudia tua modereris. Bibliothecam tuam, epiſtolas ac ſchedas omnes in certos nidulos redigas, neque temere nunc in hunc, nunc in illum auctorem rapiaris, ſed unum aliquem ex præcipuis in manus ſumito, non relicturus prius, quam ad calcem uſque perveneris, annotatis interim, quæ digna memoratu videantur. Certum aliquod vitæ genus ipſe tibi præſcribito, quid quibus horis agere velis. Nec alia ſuper alia congere, niſi prioribus explicatis: ita diem, qui nunc pene totus intercidit, tibi reddideris longiorem. Et quoniam incuſas memoriam, mea ſententia profuerit, ſi in ſingulos annos faſtos pares, non eſt res magni negotii, ſinguliſque diebus annotes verbo, ſi quid exſtiterit, quod nolis obliviſci. Novi qui hac diligentia plurimum profecerint: in primis egregius ille *Franciſcus Buſlidius*, Archiepiſcopus *Beſontinus*. Ante omnia vero te rogo etiam atque etiam, ut in rebus agendis conſueſcas judicio potius quam animi impetu duci. Si quid offendes, ſtatim diſpice, ſi qua mederi poſſis, aut ſi qua minui queat malum: id rectius diſpicies tranquillus, quam commotus: ſi quid eſt remedii, utere; ſin minus, quæſo te, quid boni adfert ira, aut mœror? niſi quod malum tuapte culpa conduplicas. Obſecro te per amicitiam noſtram, nihil tibi ſit antiquius vita & ſalute. Si rem tueri potes hac incolumi, tuere; ſin minus, diſpendioſum compendium eſt, rem incolumem præſtare ſalutis aut tranquillitatis jactura. Denique ſi tibi ipſi parum es charus, vide ne duos eadem perdas opera. Neque enim aliter nobis videbimur incolumes, niſi te incolumi: quem ego, ſic me Deus amet, potiorem mei portionem duco. Ne nimium operæ ſumas in rebus leviculis: fugax ætas & vitrea res valetudo, non quibuſlibet eſt impendenda, quædam deſpicienda ſunt, & animus ad magna erigendus. *Senecam* ac *Platonem* tibi facito familiares: hi ſi crebro tecum confabulentur, animum tuum non ſinent jacere. Vere magni eſt animi, quaſdam injurias negligere, nec ad quorundam convicia habere vel aures, vel linguam. Fac aliquoties periculum, quanto plus valeat obſequium & cordata blandiloquentia, quam animus præceps & impotens. Patris optimi ſenectutem, ita ut facis, officiis ſubleva, non ſolum quia pater eſt, ſed multo magis quia talis pater. Sinceris amicis utere, fictis abutere. Cum uxorcula ſic vivito, ut non tantum coitus cauſa te diligat, nec diligat modo, verum etiam revereatur: ei ſic fidas, ut ea duntaxat communices, quæ vel ad rem domeſticam, vel ad vitæ jucunditatem pertinent. Ita tuearis auctoritatem erga tuos, ut nihilo ſecius conſuetudinem domeſticam condiat morum comitas. De liberis educandis fruſtra tibi præcipiam, cum tale exemplum habeas à patre. Vides, *Petre* ſuaviſſime, ut tibi conſulam, ipſe mihi parum conſulens, ſed ut ſic ineptiam, tui compellit amor. Recte vale cum tuis omnibus. *Bruxellis* 6. Octobris, An. 1516.

## EPISTOLA CCXX.

Gulielmus Budæus Eraſmo Roterod. *S. D.*

IDENTIDEM *literas tuas repeto, varie enim me affecerunt.* Οὔτε μὴν ὑφορώμην τὴν δεινότητα τὴν σὴν, τήν τε ἐν τοῖς λόγοις κομψότητα ἐξετήλην, δοκῶ μοι χαλέντως ἔχειν σὲ καὶ ἀγελαίως, *neque enim uſque adeo ſtupide mihi faveo, ut non mediocritatem meam agnoſcam, quam te inter prima nota ingenia ponis.* Οὔτε δ' αὖ πάλιν τὴν ὑπείκειαν τὴν τρόπε σε ſοχαζόμην ἐκ τῶν συγγεγραμμάτων σῶν, τὴν ὑπιολὴν δὴ τὴν ἀποδοθεῖσάν μοι παρά σε ὑπογύως, ἔχ ὡς πεπαιγμένην ἀποδέχομαι, ἀλλ' ὡσανεὶ ἐσπουδασμένην. *Ex hac tamen opinionum alternatione ſtatui, mihi faciendum eſſe, ut vel ἀήθως πιſθύσαντα, homini Theologo potius me prabeam, quam ut animo ſuſpicaci de te male mereri, deque amicitia ipſa videar.* Καὶ μὴν δὴ καὶ γνῶναί με πονηρίαν τινὰ ἂν ἤθες ὑλαβοίμην ἄν, εἰ ἐνομότως χρεών τι γράψαι τῷ φίλῳ σοι ἐκ ὑπίδυον. *Stat igitur ſententia ita credere, & conſidere bona te fide ſcripſiſſe. Itaque magnopere triumpho, Legatum illum Regis* Angliæ Cutbertum Tonſtallum, *virum (ut mihi fidem feciſti) in primis commendabilem eximia & amœna utriuſque linguæ peritia, ultro etiam mihi tecum teſtimonium prabere, præſertim quod ad* Græcam *eruditionem attinet: nam veſtra amborum auctoritate fretus, judicio meo ipſius interdum fidem abrogo, ut vel me quoque Græce ſcriptitare epiſtolia confidam.* Ἐνάμιλλον δήθεν ἐμαυτὸν τιθεὶς τῷ αὐτομαθῆ, τῷ ὀψιμαθῆ, τῷ ὡς ἔτυχε πεπαιδευμένον, τοῖς τῶν νεωτερικῶν ὀνομαστοτάτοις ἐκ τῆς παιδομαθείας τετυχηκόσι. *Id quod libens atque perlibens fecerim ad te ſcribens,* διὰ νυμοσύνη δήπε τὴν σὴν τεθαρρηκὼς ἔκ πάντ' ἀεί σε. *Totum enim me*

Digitized by Google

An. 1516. *me tibi indicare optima fide mihi certum est: atqui ante-*
*hac in utraque lingua præceptore me tantum ac prælectore usus sum, (id quod gemens refero) sero saltem melior censura tua fiam. Atqui si te aliquando feriatum nostris avocamentis sensero, exercebo te sane frequentibus literis, vel ad odium usque.* Καὶ μήν, ἢ ἔγωγε ὑμῖν ὑγιέμαι ἀμφοῖν τοῦτο πολὺ διαφέρειν συχνᾶς γε πρὸς ἀλλήλας ὑπαρχούσας, τιὼ ἡμετέραν εἰς τύπιον φιλίαν εἶναι βεβαίοτον, ἢ γνώσιμον ἐν τοῖς πολλοῖς. Ἀλλ' ὦγαθὲ, *amabo te si quid exierit, vide ut sine captione nostra fiat: mihi enim errata ἀξιολογωτάτων τυπογράφων præstare te æquum est, atque etiam mea ipsius, si usu ita venerit: præsertim si Autographis meis errata quoque modo admissa (ut fit) oculos recognoscentis fefellerint. Quidni enim id a te exigam, ut sartam tectamque præstes existimationem meam? etiamsi merito te conquestum esse non inficior: quod nuperrime nostra negotium tibi non parvum exhibuissent: quem epistolæ tuæ locum cachinno effuso prosecutus sum.* Ὃς γε αὐτὸς καλῶς χειροχαφήσας, ὅμως ἐγκαλεῖν σοι κακογραφίας ὑπέμεινα, *quanquam quod in te negligentia est, etiam est in me imperitia. Quare si mihi in posterum in eo indulseris, per me licebit, ut quoque modo scribas,* ἢ δὴ ἢ ἤδη μετὰ σῦ σωτίθεμαι ἐφ' ᾧτε, αὐτὸς μήτ' ἐγκαλεῖν ὕστερον μήτ' ἐγκαλεῖσθαι. *Epistolam unam meam vidi inter tuas impressam, in qua cum multa menda sunt, tum id molestum fuit, quod in fine* quinque *legitur pro* quique, *id est,* ὅστε, *non parvo meo dispendio: quippe qui bis trium filiorum pater & unica filiola, ad quinque filios redactus sum, quæsique jure duplici trium liberorum imminutus. Proinde criminosam quampiam dicam impressori tuo dicam, nisi id mihi damnum primo quoque tempore sarcietur; atque etiam tecum fortasse experiar, si ab ipso servare indemnem me non potuero.* Περὶ λεπτολογημάτων *jam te conquievisse puto, & nostram satisfactionem accepisse. Quin tu ipse incommode interpretaris, qui id de scholiis in Novum Instrumentum, & rursum de paræmiis intelligis, quarum ipsarum volumen tantum abest, ut λεπτολογημάτιον esse censeam, ut σμικρὸν ἴνα λογοθήκιον* ἢ ἀξιοθέατον *esse antumem, utriusque linguæ deliciis refertam & exornatam: & si verbo* Homerico *uti mihi permittis,* σιγαλόεσσαν, *tametsi* ὡδὶ ἢ δεινῶ πολὺς εἶναί μοι δοκεῖς πρὸς τῷ παροιμιολογεῖν, *ut obiter te recriminer, qui me eo nomine notasti, quod manum tollere de tabula non nossem. Ne illud perplacet, quod scribis, nonnihil te monitis meis existimulatum,* ἵν' ἐν τοῖς μὴ ζῶῦ, ἐπιχειρήσῃς τοῖς μείζονῶ φρονήμασῶ χωρηλικοῖς. *Agedum,* ἀναδέχομαι τάτε ἢ ἐγχειρήμασῶ κίνδυνον ἐφ' ἅπασί μι τοῖς κλήμασι. Τί γὰρ ἂν ὁ καλορθώσας, ὦ θεῖοι πανάγαθοι, ὧν γὲ δὴ αἱ πρὸς ζῶλ τ φύσεων, ἢ εἰς ἄκρον τ παιδείας ἐξησκημένῳ δυνάμενῖ ἐν ἐφικέσθαι. *Hic tu delicias facis, mi* Erasme, *& pede, inquis, meo me metior, nec omnes* Budæi *sumus. Ne cavillatorem quendam facetum & calidum esse te oportet. Quasi vero quicquam mihi incommodius accidere possit, quam si pes meus cum eo pede componeretur, cui vix satis esse* Maximini *calceus possit.* Ἡμῶν γοῦν παρ' ἀλλήλοις θεωρεμένων δυζεμιόλιόν ζε φανῆναι ἂν ἐπάναγκες. *Enimvero demiror, deosculor, amplector, suspicio tuum istud tam acre, tam exactum, tam celere, tam præsens, tam sibi constans judicium. Ut me uno obtutu totum perlustrasti, ut excussisti, ut penitus exploraſti! Certe his literis omnem mihi spem fallendi tui in futurum præcidisti. Usque adeo omnes animi mei sensus velut quodam specillo pertentasti judicii acrimonia, & tanquam ad manum me absentem inspicis, introspicis, perspicis: mihi adeo notior ipse esse cœpi, ex quo tu me consideraſti, expendisti, æstimasti.* Ὦ τ σῆς ὀγχινοίας δαιμονεσάλης τε ἢ πάνλων ὀπιλυχόσης ἂν εἰ σύ γε πλειόνων τε ἢ μειζόνων ὀπιβάλοιο: *si nostra illa iterum & tertium relegisses, & tu quivis alius, & non* Erasmus *esses, quid tandem ultra animadvertere posses? At ego certo certius habeo vix tibi vacasse, quos tibi locos notaveram, vellicatim legere, occupata jam mente in urgente negotio. Sed scilicet (ut ajunt) leonem ab unguibus, me vero etiam,* ἢ τὰς τυχόντας, *à digitis primoribus. Hic frontem perfricabo,* ἢ ἐπὶ σῷ δικασῷ ἀπολογίαν ἐνσήσομαι ὁποίαν δήποτε. *Vi-*

A *deo enim qua tu vitio vertas, etiamsi id dissimulas. Quæ* An.
*etsi merito & acute notasti, (quo nomine ingentes tibi gra-* 1516.
*tias debere me fateor, qui hoc precibus meis dederis) non tamen deterrebor, nec committam, ut mihi vel in mala causa adesse & superesse non potuisse dicar, quippe qui sim unus ex bonis illis viris, qui causam inferiorem, dicendo facere superiorem non didicerunt quidem, sed discere conati sunt. Rem mihi tamen difficilem tu reddidisti, qui ita solerter & clementer officium inter amicum & emendatorem temperasti, ut de te quidem nec queri possim si velim, ni improbior videri velim omni philocolace, sicque tibi nihilo secius utcunque negotium facessam, ne*
B *argumentum non habeas epistolæ meæ rescribendi. Ais, quæ nativam simplicitatem redolent, melius & gratius insidere in animos hominum, atque etiam intentioni magis & labori lectorum lenocinari: à qua simplicitate cum longius recesserim, necessum est, ut non temere scriptorum meorum lectione delectetur, nisi doctissimus quisque lector, isque intentissimus. Hanc enim arbitror esse verborum tuorum sententiam, quoniam cum hæc scriberem epistola tua penes me non erat, quæ ut* Apellis *tabula quædam visenda per amicos circumfertur, qui mihi eam extorserunt. Cætera addis eodem pertinentia de translationum usu frequenti ac pertinaci: quod ipsum utram in partem acceperis latere me voluisti, certe intelligere non potui, etiamsi suspicor. Tum illud addis,* τί ταῦτα πρὸς Διονύσου; *Hæc*
C *cum inficiari nequeam, reliquum est, ut excusare quoquo modo contendam, cum pœnam deprecari in animum non induxerim: tametsi ea criminose non objeceris, utpote qui singulari dexteritate emendatoris usus, ea quæ plane vituperare jure tuo poteras, in laude interim ponas reprehendendo, ut hortari me magis certo quodam modo admonens erroris, quam deterrere videare, & nihilominus circumspectiorem in posterum & emendatiorem reddere, si quando auscultare meliori didicerim. Quid igitur hic primum respondeam nescio, nisi si hoc dicam* ἐπειδὴ δοῦναί μοι τιὼ ἰδέαν τιὼ ἢ ᾧ λόγῳ, ἰὼ σὺ ἂν φῇς δικαίως τὲς ἐντυχόντας τε ἢ τὲς ἐντυγχάνοντας αὐτῇ τῇ βίβλῳ, τὲς γε μὴ ἄκρως πεπαιδευμένους, μηδ' ἐπιχόντας ἢ νῦν ἄλεως, *sic re-*
D *ferro mea id temporis existimabam, ut à paucis intelligerer: atque ita intelligerer, ut tamen, si res ita tulisset, in vulgus essem inficiando, quod quisque me dixisse pro captu interpretaretur. Quare nonnulla αἰνιγματωδῶς ἐπειρημένα, quæ magna ex parte lucidiora fient altera Editione ex persona* ᾧ σχολιαστᾧ, ἵν' αὐτὸς ὡσανεὶ ἀρτιληπτῶς ἔχοιμι ἢ ἀσφαλῶς, *& nihilo secius animo meo obsequerer* εἰς τὸ παρόν, *id quod tu satis intelligens* Loxian *illum Delphicum imitari me dicis. Nostin' illud scitum* Solomonis δόξα Θεῦ κρύπτειν λόγον; *noluit enim ille Sapiens, cum de arduis & arcanis loqueretur, à profanis intelligi, ne à delicatis quidem, sicut nec cæteri oraculorum auctores. At sunt (inquies) quæ ab omnibus percipi interest, neque in iis te*
E *submittis ad popularem captum, mirum, quin ad plebejum. Nam ne argumentum quidem libri & explicatio earum rerum, quæ ab Asse & partibus ejus manant, nisi à semidoctis percipiuntur, ac ne ab ipsis quidem, nisi attente, iterumque legentibus. Nullum intractabilius argumentum suscipere,* ὑδεμίαν πολυπραγμονεστέραν ὑπόθεσιν ὑποθέσθαι *quisquam potuit, & ad extremum proferre & absolvere. Neque id mihi primum in mentem venit, ut aggrederer explicare. Nulla res fere tot manus irritas experta est.* Οὐκ ἐστὶν ὅτῳ τ δοκίμων ἢ ἐνδόξων τ τε καθ' ἡμᾶς, ἢ τ ἄνωθεν ὁ ᾧ τ' ἐπολυπραγμονεῖτ' αὐτὸ, ὑδὲ ἂν ἕνα ὅροις μὴ σφαλέντα ὑπὸ τ θεμελίων ἄχρι τ ἀνωλάτω, ὅμως μέντοι αὐτὸς τ ἀγνώτων χρεὼν εἰς ὧν, τάτων ὅτως
F ἁπάντων τετυχηκέναι μοι δοκῶ, δι' ὅλον τε καλορθῶσαι, ὡς ἐλέγξαι τις πειρώμενῳ ζὰ σωλεζασμένα ὑπ' ἐμοῦ, οὐκ ἂν φθάνοι πολὺν ἀναίδειάν τε ἢ ῥᾳθυμίαν ὄφλων. *Quod ad reliqua pertinet, sic sentio, quod* φιλομεζάφορῳ εἰμι, *id exemplo procerum Latinæ linguæ facio, qui translationi primas partes in elocutione dederunt, iisque plurimum ipsi scribendo indulserunt, quod etiam* φιλομειδέστερον, οὐκ ἀνδρὸς ᾧ πρέποντῳ *id fecisse videor. Quis enim proborum & laudatorum scriptorum non grandia & dignationis, indignationisve plena, sublimiter & splendide dicere conatus*

Digitized by Google

An. 1516.

tus est? nisi si quis excandescere, & quiritari non grandi voce potest. Cum tua lego ἐν τοῖς Σειληνοῖς, ἐν τῷ γλυκὺς ἀπείρῳ πόλεμον, quem nobis arrhabonem antipolemi tui dedisti, idem propemodum argumentum vario nos genere tractasse existimo: ego ἐν ἐφυρχικῷ τοῖς πολεμικοῖς συσκευχυμένα, ἢ τῷ ὁσίαν τ' ἀνθρώπων ἕξιν μεταχειρίζεσθαι ἐν εἰς τὸ πλεῖον ἀνήκουσα, ἐδυσχέρανα, δέον αὐτὸς κήδεσθαι τ' ἐπ' ἐσχάτων Φερόντων: id argumentum a te accepisse videbor, si quis utrunque nostrum legerit; cum eadem de re eadem prope dicam. Sed tu δίλαβῶς, ὁμιλητικῶς, ἀφελῶς, δημαγωγικῶς, ἢ εἰς τὸ πίπαν καθεσηκότως, ἁρμοτόνως δήπουθεν τῷ θεολογικῷ σχήματι, ὅπερ σὺ ἀρτίως ἐπανήρεσε. Ἐγὼ δ' ἀφειδῶς, ἀδέως, ἐνθουσιαστικῶς, νεανικῶς, ἐπιδεικτικῶς, ἐσχηματισμένως, εἴθε δ' οὐκ ἀπειροκάλως. Ταῦτα γὰρ οἶμαι οὐκ ἀσχημονεῖ ἐπὶ ἐλευθεριάσαι. Λόγε γὰρ ἐπὶ τῇ παῤῥησίᾳ φιλοτιμησαμένε, ἣν σὺ ὡς ἀληθῶς φραστικὴν ὀνόμακας. Proinde nec tropis, nec numeris, nec reliquo apparatu epidictico parce usus sum: nec translationibus, iis duntaxat, quæ se benigne, non quæ gravate obtulerunt. Nam eas procaciter me accersisse, aut corrogasse impudenter, improbeve, tu sane non contendes, qui noris me instrumento & ornamento non libenter uti translatitio & protrito: nec morose tibi videbuntur affectata, quæ ducuntur a me, non trahuntur, aut vexantur, nisi me longe fallit opinio. Tu legibus adstrictior, Minervæ tuæ inservire te causaris, quam vere popularem esse & coronæ jucundam tu recte interpretaris: ego enim eo amplius & senatoriam esse dixerim & consularem, siquidem tam populariter apud omnes ordines excipi scripta tua video, ut tibi jam invideam. Sed quid facerem? operis blandimentis captus, ut semel expassis velis abreptus sum in altum, nec colligere vela, nec tenere modum fortasse velificando memini, ventis me permitto, & quo tulit cunque ἐνθουσιασμὸς auferor: interim etiam fortasse transversus agor, sicubi vehementius efferbui. Quod tamen ipsum judicii tui esse volo. Id demum meminisse videor, ut cursus tenorem eundem semper servem, ut semel cœpi impetum, aura utique eadem a tergo jugiter adspirante, ut velis maxime, non etiam remis, incitari me sentias, si propius accesseris, ἁδὲν ὡς οἶσθα ἀγελώτερον τῷ πνεύματι ἐκείνε ἢ ἀπὸ τ' δόξης ὁρμωμένε. Hoc flatu (leni quidem ipso, etiamsi valido) blandiente, jactabunde (ut opinor) & æstuose: sed secundo tamen fluctu, minimeque turbido deferri me judicas. Sed paucos lectorum assequi me posse dicis, tam procul emicantem ab eorum prospectu. Sit hoc verum: non enim de eo tecum altercabor, id modo credere mihi permittas, qui semel assecuti fuerint, libenter in eandem contentionem, rationemque dicendi incubituros, & longe fortasse me relicturos. Tu in hoc certamine exercitatior, & artis consultissimus, ita vela tua in potestate habes, ut leniter & composite, & æquabiliter vehare per vada, per alta, per brevia, per scopulos, & etiam medio in pelago ἢ κατ' ἦρον Φερόμενον, non tam secundo fluctu, quam flumine deferare. Rara est ista felicitas. Neque tu tamen interim, ὦ σεμνολογώτατε, eadem aura gloriæ non incitaris, sed rationem cursus tui novisti, & modicis commodioribusque velis uteris. Quare inter nos hoc interest, quod quæ tu sermocinantis more, & lepide & festiviter dicis, hæc ego concionabunde quidem, non tamen immani voce, sed exaudibili effero, vel etiam vociferor. Sicque fortasse ego vim affero, tu eblandiris & impetras: ego irrumpo, tu irrepis: ego πανοπλίαν ἐνημμένον τῷ τ' νεανικῶν, tu ἡμιοπλον: tu minore, sed certo conatu; ego ingenti, reductisque supra modum brachiis, non idem, quod tu, efficio. Denique quod oppugnantem, expugnantem, propugnantem deceat tu melius nosti, palæstramque illam philosophicam tenes, ego ἀπάλαιστος præ fervore destinatum impeto. Sint ista sane vera, nihil, ut arbitror, ulterius de me censere potes. Sic apud illos majorum gentium scriptores, sua cujusque semper fuit nota: sic semper natura tulit, ut vel vitiis nostris indulgeamus, vel invitis nobis se proferant. Tutiora ista, nec proinde exsultantia te decent, sed & grandia decebunt cum voles, & ad summa plausibiliter assurges, denique nihil non assequere, si paulum adnitare; nec minus ego te

A

B

C

D

E

F

An. 1516.

novi, quam tu me. Plus ego mihi impero, aut amplius, etiamsi nihil ultra vires exigo: tu nimium tibi indulges, & intra facilitatem, ac citra impetum incitaris, quare ad nova semper capessenda integrum te omnes esse mirantur, nunquam fatiscente animo: quippe qui nunquam specimen sui à se exegerit, & qui assiduo labore potius quam intenso documentum sui præbeat, etsi id alius prater te nemo efficere queat. Equidem calamum deducere meum ad vulgi humilitatem non tam facile mihi persuaserim, cum hæc ἀξιωματικὰ scribo, non è medio sumpta, quam ad eorum imitationem concinnare, qui admirationem sui posteris reliquerunt. Si annotationes jam diu desitas aliquando resumpsero, deductiore filo utendum meminero, in ea textura, quæ populari trutina omnino expendenda est, copia neutrobique deficior, ut arbitror. Sed hæc tibi fastidium peperisse videtur, etiamsi mihi indulgens, alienum magis judicium quam tuum interponis. Eodem certe tendimus, nisi conjectura me fallit. Καὶ γάρ τοι δόξαν ἄμφω σὺκ εἰκαίαν, ἃ τῷ τυχοῦσαν, ἀλλ' ὡς ἂν τύχοι μέτιμεν. Σὺ δ' δὴ ἢ μεταθεῖς, qui nunquam interquiescis. Ἀμέλει ἐφάμιλλον τ' ἀγῶνα τεθοῦ, ἢ τ' ἐν ἀξιώμασι τῷ τ' παιδίας μίμησις, ἡμῖν τε ἢ πᾶσι τοῖς γε τῆ καλῆ ὀρεγομένοις ἀπέφηνε, κἂν, ὦ φιλοσώκρατες, σὺ redigere te in ordinem non illepide dudum cœperis, quo Theologum magis agas, aut istis Theologis tuam probes industriam. Id etiam tu (si diis placet) cum ad me scribens placere me mihi jubes. Quod autem τὸ φιλοσόφημα τὸμὸν τὸ ἢ τὸ τέλον ἑκάστης βίβλε, ἁδὲν σοφίσκειν πρὸς τὴν ὑπόθεσιν τῆ Ἀσιαγῆ δοκεῖ, (sic enim sentire videre) qui minus mihi quam tibi connectere res diversissimas licuit! Tu Silenos & Paulos personas inter se dissidentes, planipedesque petulantes cum heroica gravitate, & Liberalia cum Eleusiniis istum facundiæ glutino copulasti, ad unguem exacta commissura, oculosque fallente, versatilemque ibidem scenam mundi ostendens, novas rerum facies, & antea inauditas stupentibus nobis edidisti. Τί δῆτα σοὶ τ' Σειλήνων; ἢ πρὸς αὐλὸν τ' Διονύσου; adeo pro aris sanctissimis concionem habiturus non dubitasti τὴν ἀφορμὴν, themaque (ut ajunt) ipsum ab Ithyphallorum propemodum carminibus mutuari. Idque in rem tuam haud dubie vertisti. Quid hujus simile in meo Asse legisti? cujus hunc esse scopum intelligere te volo, ut patefactis prisci ævi conditoriis, clausterisque omnibus reseratis, Ægyptiorum opes, & Chaldæorum (ut elogia vestra loquuntur) longo intervallo promptas, in publicumque prolatas, ac are nobis æquali æstimatas, ab uno me collybista, multo majores fuisse ostenderem hominum opinione, & eas tamen, quamlibet magnas, nihil aliud esse, quam titionarii cujusdam opulentiam: eosque, qui hæc munera hodie omni ope persequuntur, de asini (quod ajunt) umbra contendere: quo ab errore cum philosophia vindicare studiosos sui possit, veramque homini gloriam immortalemque parere, quid in germana philosophia, quoque ad eam pacto adspirare & evadere studiosissimi literarum possint, explicare dicendo conatus sum. Hæc cum de Tractatu De Asse, rebusque in eo proditis, ita cohærere censeo, ut lumina cum umbris in pictura, si modo decenter & apte ea, quam vocant harmogen, uti mihi contigit: utrum ista eloqui non tota contentione potui, aut tanta contentioni non omni ope, omnibusque adeo opibus asservire? Tuum est istud, qui per sublimia volare, aut raptim, aut remisse ita soles, ut alas non quatias: hoc tandem deprecor, ne mihi fraudi sit uno aut altero loco longiusculas digressiones fecisse: easque res velut emblemata locis quibusdam hiulcis inseruisse: quæ sibi non perinde opportunum locum privatim dicatis operibus invenissent, id quod ipse εὐσόχως existimasti. Latere tamen te nolo, librum eum De Asse altera editione publicatum esse: multo locupletiorem, si quando forte tibi vacet non legere, sed evolvere, & singulis pagellis in quaterniones defungi. Quod sequitur, addubitare me facit. Video te (inquis) parabolis impense delectari, quas & raras, & insigniter arduas habes: sed quam semel amplexus es, ab ea divelli non potes. Βάλε τοίνυν τοῖς λόγοις ἢ περίλημμα· ὧ τάτοις τοῖς τρόποις ὕπερ εὖ μὲ χρήσασθαι. Hoc enim recte uti esse censebam,

cum

An. 1516. *cum susceptam metaphoram non anteponerem, quam sententiam coeptam* ἐμφαλικῶς *absolvissem: an id censes, ut potius puto,* θεῷ δεόντως καὶ ἱκανῶς ἐνασχολεῖσθαί με καὶ ἐνδιαλείψαι τοῖς δὲ τοῖς καλλοπίσμασι, ὡς τροπομανῆ καὶ ἀνεχεώμενον ἀπειροκάλως τοῖς τοῦ λόγου ἡδύσμασιν. *Hujus culpa germana est illa, gemmeam esse potius, quam gemmis distinctam orationem meam, ita ut nulla insignia emineant, cum summi voluerint auctores distinctam esse potius quam aptam orationem: primum respondere possim si velim, me ita censuisse, digressiones illas libro insertas, & finem ipsius libri, velut insignia quadam etiam esse & lumina obscuri per se tractatus, cum alioquin ponderum & nummaria rei explicatio, & mensurarum scrupulosa investigatio refractariam lectionem haberet. Juvat apud te, mi* Erasme, *causam dicere, velut reus factus sim apud te literarum censorem: ob exemplum à me proditum prelauta cujusdam pranitentisque copia ac luxu redundantis, contra morem institutumque majorum, quorum haud dubie placitis pro legibus doctissimorum ordo utitur. Equidem non adeo vitiis meis faveo, ut si ita vel ingenii mei, vel eruditionis ratio tulisset, non culpa carere mallem, quam culpam deprecari & excusare: verum cum id mihi non contigerit, secundam esse sortem puto in liberaliorem partem peccare. Quis enim non malit luxus ac munditiæ profusæ, quam sordium aut frugalitatis jejunæ postulari? Scripsi aliquando tibi villas me* Lucullianarum *amulas ædificare: tu me etiam cum* Luculliano *quodam patrefamilias componis, sed qui suam supellectilem norit, & promere ad usus quamque suos didicerit: hanc esse non minorem laudem puto, quam si licentiore hac ætate* Pisonem *quendam frugi me esse dixisses: nihil est omnino quod tibi succenseam, ovile* Aquilinum *invideo, plenas* μὲν τοῦ χάους, ὑδὲν δὲ τοῦ ἐπήρειαν ἀποφυγόντων, ὑδαμῶς δὲ παρεγκλίνοντας ἀπὸ τοῦ καθήκοντος, αἰεὶ δὲ τὸν ἀληθείας λόγον ἔχοντας. Ἐξὸν γάρ σοι τοῦτο μὲν ἐνός ἡμᾶσθαί μοι εἰ κελικῶς γε τοῖς ἐμοῖς συγγράμμασι καὶ ἐπηρεασικῶς τοῦτο ἐνωτενιώεγξο, πάντα δὴ ζὺ τὰ ἡμαρτημένα μοι τῇ Φιλίᾳ καὶ ἐχαρίσω. Καὶ μὲν ὑδεὶς ἂν οἶμαι τὸν ἀπαιδεύτων ἀνθρώπων μὴ οὐχὶ δεῖν τῷ σῷ ψηφίσματι ἀκολουθεῖν, καὶ τοῦτο θέσθαι, εἰ σοί γε τοῦτο ἐδόκει, τρυφερολογίαν ἵνα ὑπερμαζῶσαν ἐμοῦ καλαγινώσκειν. Νῦν δὲ τῇ σῇ κεχαρισμένῃ ψήφῳ ἀνθ' ἑνὸς δοῦναι δίκην δεκαπλασίαν καὶ τολμήματος, καὶ δόξαν ἢ οἴσομαι τοῦτο τοῖς τῶν ὑπεναντίων τῶν σῶν ἀναγνωσομένοις. *Hactenus, ut vides,* τὰ καλὰ τῶν ὑπερολογίαν. Ἤδη δὲ ἐξίσου σοι κοινολογοῦμαι. *Custodem equidem mihi me apponere ipsum soleo, & ad scripta mea quasi aliena accedere ex intervallo: haud dum tamen pœnitere mihi contigit, quod naturæ servierim & ingenio obsecutus sim: mihi enim quoque scribo, non tantum scenæ servio & populo, quanquam ab Orchestra maxime plausum peto, in qua tu primarium locum obtines: & ista hæc me magis capiunt, quæ cum argute, tum splendide dicuntur, quæque primo adspectu, non ita lectori obsequuntur & asserviunt, ut celeri lectione perfunctus ad ulteriora deproperet: cum aculeum nullum in futurum relinquant, sed in præsens tantum mulceant. Tu mire mediocritatem illam tuam retines, quam lectores ut avide devorant, sic diu fortasse non regustant, nec iterata sapius lectione persequuntur, quasi tu sentias quæ facilius manduntur melius ad stomachum facere; sed ego non præsentem tantum voluptatem attendo, in posterum prospicio, & ad fastidium copia eximendum acrimoniam pro sale esse puto. Scilicet tu rationibus tuis servis, & vides quid istud χῆμα deceat. Itaque extra præscriptum palæstræ tuæ non prosilis: ego ista religione solutus & observatione, quidni latius exsultantiusque exspatier? Nec tamen unquam ita adnitor, ut ὑπὲρ ζὼ ἐσκαμμένα emicare cupiens, virium rationem non habeam impetum capiendo. Gestientis est ista ingenii culpa, stylo nimium indulgentis, seseque pascentis opere, non animi vitium sibi ultra vires imperantis. Id quod tum demum sentio, cum fervor animi consedit, id est, longo post tempore. Neque vero tu semper alienus ab hac animi affectione fuisti, nec ego non possim in alio genere a me operas exigere, si id alia postularit ratio. Id quod ex dialogo nostro cum* Deloino *in fine ejusdem libri intelligere poteris. Porro autem aliquando*

*commonefactus a te, vel ætate melior factus, tui similes imitabor* κεκολασμένους ῥήτορας, καὶ πρὸς ἀκρίβειαν τοῦ φράσεως ἐσμιλωμένους, νυνὶ δὲ τὸ ἐγκαλλώπισμον τοῦ λόγου καὶ τὸ μὴ ἁπλῶς ἀστράζεσθαι, πρὸς ἡλικίας εἶναι τοῦ νεανικῆς ἡγοῦμαι, *etiamsi anno duodequinquagesimo proximus esse cœpi,* ὑδὲ δὴ ἀπειρικὸς τοῦτο καὶ ἀφεσηκὸς σύγε εἶναι φήσεις ἂν, ὧν χάριν προειλόμην. Τῶν γὰρ Ἑρμολαοειδῶν τε καὶ τοῦ Πολιτιανοειδῶν οὐκ ἔσθ' ὅς τις οὐκ ἂν θηρῶτο ζωῦζαι, ἐάν τε πολυλεκτίαν τινὰ ὑπιπολάζουσαν ἀποκαλῆτε ὑμεῖς οἱ θεολόγοι τε καὶ σεμνοπρόσωπῆνες. Τύτης τοίνυν ἄγαθῆ τοῦ πολυμαθείας καὶ τοῦ λόγων εὐωθάς σου. *Sed rursus tu in me apparatus modum desideras. Ita non genere peccare me censes, sed exuberantia. Sic sum certe, promere religiose non soleo ex copiosa penu: nec tu non habes locupletiorem penum, sed circumspecta senectus frugi te, non natura fecit: circumciſiorem etiam te in dies facit institutum Theologicum: quod adeo credo omnes gloriæ stimulos tibi aculeosque exemit, ut jam nec fama, nec existimationi magnifice servias, dummodo publice prosis: sic mihi omnino credere imperavi, ne non in omnia tibi obsequar. Quanquam existimem alioqui non tam male te odisse* Peniam *illam tuam conjugem, quam perdite amare pellicem ejus* Eucliam: *nec immerito, cum te velut umbra quoquo sequatur gentium. Hic pergis argutari, vel ἀκκιζεσθαι potius: si magna (inquis) suscipimus, præripimus majoribus, si mediocria, mediocribus. Quid si quædam sunt, quæ tu unus possis absolvere, & interim dum tu mediocribus operam istam navas, aliquid tibi acciderit? (Id quod divi illi avertant sacrosanctæ disciplinæ præsides) quis hoc damnum mundo sarciet? Non manes tandem tuos ob hanc culpam pœnas daturos putas, qui talenta ista tot tantaque non in zebus prima nota & indicationis summa occupas: id quod Evangelicum dogma præcipit. Equidem sic contendo:* Πάντες οἱ τοῦ τυχόντων εἰσὶ τοῦ μελέων ἅπλεσθαι, οἱ δὲ δὴ τοῦ ἐφεξῆς τούτων, ὧν αὐτοὶ οὐκ ἐφίκοιντ' ἄν, ὕτιοι δήπου δεῖ τὰς τούτων κρείττους ζώας αὐτοῖς ἀναλόγως ἔχοντα πρὸ πάντων ἀναιρεῖσθαι, καὶ τὰς δὴ ἂν ἐξοχωλάτας, καὶ τοῖς ἐξαιρέτοις γε καὶ ἐνδόξοις τοῦ συγγεγραμμάτων ὑπλεθεῖσθαι, οἷς δὴ σὺ σωτεξεταζόμενος, ἀτακτίως ἂν δοκοίης τοῦ μελέων καὶ τοῦ καλλιέρω τούτων ἐπειλῆφθαι. Τοῦτό γε ἓν ὅμοιον εἶναι φαίη τις ἂν, ὡσανεί τις ἄρα εὔπορος ὢν τοῦ εἰς τὸν βίον τὸν πολυτελῆ, ὅμως ζὼ ἐν τελόδοις ἐγκαλαλελειμμένα τοῦ ἀβελυχόντων ἔρμαια ἀναιροῖτο. *Venio ad illud quod villas* Lucullianas *ædificasse me argumentum esse dicis, non esse mihi* Peniam *tuam familiarem, atqui ἔγωγε* τοῦτο ἔλεγχον εἶναι εἰποιμ' ἂν εἰπόντι ἐξελέγξαιμ' ἂν καὶ δεσπότην ἐκεῖνον πλούτου εἰς κόρακας ἀποφυγόντα, καὶ πενίας δηλαδὴ καὶ σῆς εἰς τὴν ἐμὴν οἰκίαν αὖτ' ἐκεῖνον εὐθέως εἰσφθαρείσης. Εὖγε τῆς δεινότητός ἐμῆς. Ὅρα ὡς ἐλεγχικὸν ἀπέφηνεν ἐμὲ ἡ ἐπιστολή ζου ἐνθυμημάτων γέμουσα, ἁλισκόμενον δήπουθεν τῇ σῇ πολυλογίᾳ τῇ δυζελέγκτῳ. Deloinus *noster, qui jam tuus bona ex parte factus est, ad te scribet (quantum ab eo intellexi) amicissime. Literas enim tuas ei pluribusque aliis ostentare soleo, tantamque amicitiam inter amicos depradicare. Quo maxime nomine fidem meam & auctoritatem tueor inter eos homines, qui te* Varronem *esse memoriæ nostræ autumant, nisi quod plus eloquentiæ amplecteris. Ibi ego tametsi aliquantulum tibi invideam, tamen in universitatis sententiam ut eam necesse est: non pedibus modo, sed & ore, & omnibus sensibus: usqueadeo ista styli puritate, & ingenii amœnitate, omnium puncta emeruisti.* Ludovicus Rusæus Parisinus *suppræfectus, quamvis in juris studio versetur, ob munus judicandi quo fungitur; natura tamen totus ad literas amœniores fertur, in quibus jamdiu tirocinium posuit, in compositione facilis & elegans. Is mihi omni genere officii conjunctissimus est, ut jam* Deloinus *ipse nostra non sit familiæ notior & foribus, ac nescias utrius jam limen magis teram: hos pro* Pomponio & Bruto *haberem, si aliqua ex parte* Ciceronis *similis essem, totosque jam possiderem, nisi tu absens in meorum amicorum possessionem invasisses, ὦ πάντων τοῦ ἐνδόξων πλεονεκτικώτατε, quos tamen ipsos cum nec vi, nec clam, nec precario possideas, (ultro enim sese ingerentes tibi posides, & palam sese addicentes) non est quod tibi judicem aut recuperatorem feram, apud quem tecum interdicto*

An. 1516. *contendam. Itaque jam tecum societatem amicorum coeo, si per te licet: præsertim cum me etiam ipsum, non meos tantum, tuum feceris: ut jam sit illud inter nos pactum non vulgaris amicitiæ, his verbis bona fide conceptum: αἱ ἡμῶν ξυνθῆκαι ξυλεθείσθων ἐφ' ᾧ ἅπτε πάντα κλεσόμεθα κοινὰ, καὶ τὰς φίλας κοινὰς ἕξομεν. Tametsi video in hac me societate non æquas partes laturum, ἐδὲ τὰ δικαίων τελέσομεν. Siquidem illi ipsi jam tuorum scriptorum amantiores cupidioresque facti sunt quam meorum: quapropter tuam gloriam non modo nostris, sed etiam omnium prope dixerim æqualium luminibus officere intelligo: usque adeo ab omnibus adamare & suspicere, ut ne obtrectare quidem hic tibi quisquam audeat, si maxime cupiat. Quod librum nostrum nemini privatim dicavimus, malo te causam quamvis suspicari, quam à me certiorem fieri. Obviam aliquot jam mensibus* Jacobo Fabro *factus sum, dum villam meam viserem: is tunc me oravit, ut verbis suis te salutarem, excusaremque adversam valetudinem ejus, quod ad te non scriberet: tanta enim infirmitate erat, & adhuc est hodie, (ad me enim hodie amicum quendam suum misit) ut ne epistolam quidem dictare posit. Nosti hominem esse non modo doctum, sed etiam probum. Finem hic, ut arbitror, epistola faciam: licet summa voluptate oblecter ad te scribens, mœstitiamque animi mei ex infirma valetudine frustrer: sed heu tu, literas tuas etiam ultimis longiores, hoc labore paciscor, ac jure meo postulo. Spero autem te ab editis illis* Hieronymi *voluminibus aliquid sumpturum laxamenti, καὶ μεταξὺ σχολάζοντα ὑμᾶς ἀσπολαύσειν ζῆ. Mi* Erasme, Erasme *mi, imo vero* Erasme *noster, πρὸς τὰ φιλοσοφίας, τὰ ἐρωμένης κοινῆς ἡμῶν, πρὸς τοῦ Διὸς τοῦ Φιλίου, πρὸς τὰ δόξης ζῆ τὰ θαυμασίης τὰ τῶν ἡλικιωτῶν δύκλειαν (ἀπείη γὰρ φθόνος) παροδοιπορίσασης, πρὸς τὰ δίφυιος ζῆ ταύτης δίχνώμονός τε καὶ θπιεικοῦς καὶ σχεδόν τι θεαζούσης, μὴ ὀκνήσης, μὴ ἀμελήσης, μὴ ἀμνημονήσης θπισέλλειν τε, καὶ προσεπισέλλειν ἐμοί τε καὶ τοῖς φίλοις μου, καὶ πολλάκις τοῦτο ποιεῖν, ἕτως ὄναιο τοσούτων καὶ ἡλικούτων φιλοπονημάτων: sic denique ista tua uxor* Penia, *invisa tibi, longissime à te facessat, sic tibi nuncium remittat, sic contubernium renunciet, & semel te tuamque domum aversetur, ut tu in hoc mihi obsecutus fueris. Σκόπει δὲ ὅπως μὴ ἕτω μηδέποτε σχολὴν ἄγῃς, ὥστε μὴ σχολὴ ἄγειν τὸ καθῆκον θεραπεύειν. Ἔρρωσο καὶ ἀγαθῇ τύχῃ κέχρησο, καὶ νὴ Δία κεχρύσωσό γε, εἰ μοὶ ἦ φιλόχρυσος γένοιο· ἐμοὶ ἦ ὁ θεὸς οὐ βούλοιτο χρήσθαι. Χρονία γάρ τοι τὰ δυσυχιῶν χρήσει ὁποίᾳ δήποτε τύχῃ ἐξέμαθον χρήσασθαι, ἄλλως τε ἡ αὐτάρκης καὶ μεγαλόδωρος φιλοσοφία ἴδιον ἑαυτῆς ἐμὲ χρονίαν νομὴν ἐποιήσατο: Juris autem conditores τλὼ δεκαετίαν καὶ εἰκοσαετίαν longam possessionem vocant, qua rerum dominia quæri statuerunt τοῖς καλῇ πίστει νεμομένοις. At ego jam annos quinque & viginti bona fide servio studio literarum: ὥστε καὶ πολλῶν γε ἄσπρος, εἰσόκε ὑδενὸς ἐν χρείᾳ καθεστηκέναι μοι δοκῶ. ἡνίκα γε δὴ ἡ ἐρωμένη με φιλοσοφία τὰ ἐμῶν φρενῶν κεκράτηκεν, αὐτάρκως αὐτὴ χορηγήσειν ἐμοί τε καὶ τοῖς φιλτάτοις μου παλεπαγγελλομένη. Ἐπειδὰν δ' αὖ τρεῖς ἡμέρας καθ' ἣν ἂν αὐτὴν τύχῃ ἀφημερεύσω τε καὶ ἀποκοιλήσω ταύτης, τότε δὴ τότε αἰσθάνομαι τὰ μαλακολογίας αὐτῆς (εἰ θέμις εἰπεῖν) θπιδαψιλευομένης μάτην καὶ φιλοτιμουμένης θπὶ τῇ πολυδωρεᾷ πρὸς τὰς εὐλυγχάνους. Ἀλλὰ μὴν ἴσως ὑμῖν τοῖς μεσεωρολογοῦσί τε, καὶ τοῖς τὰ σοφῶν συγγράμμασι ἄνδικους ἀπολωληκόσι, τὰ αἰσχυροβόλια τὰ ἐλπίδων. Ἐν γὰρ τῷ βίῳ τάδε δύσαθῶς ἐρήρεισαι. Ἡμῖν δὲ τοῖς μὴ ἄπω τὰ φιλοσοφίας καρπῶν ἀσπολαύσασιν, ἥ τε ζωοικόσης γυναικὸς καὶ τὰ φιλτάτων ἀγάπη παρενοχλεῖ. Quod si quando isti inauratores vendicare te sibi institerint, (absit enim ut ultro in eorum te servitutem & mancipium addicas) ipsa hominum vel virorum potius assertrix Philosophia, quæ mihi hactenus in judicio assertionis affuit, παραχράψεται οὐ οἶδ' ὅτι τοῖς δυλαγωγοῦσας, καὶ τῇ μακροτάτῃ χρόνῳ παραφθῇ ἀνθεχομένῃ σῆς ἀληθείας. Sin tu ἐθελοδυλήσας πολὺ status tui controversiam patinon recusaris, aliudve quippiam in istius doctrina suggillationem admiseris, denuncio me tibi oblocutorem acerrimum futurum, ne dicas non prædictum. Eo die, quo hæc scripsi post meridiem,* Ascensius Badius *deducendos ad me curavit nobiles duos viros; alterum* Neapolitanum, *alterum* Hispanum: *quorum nomina si tenerem, huic epistola inservissem: ii amore literarum ducti, ad me se venisse ajebant, fama (quantulacunque est) nominis nostri excitati: his literas ad te daturum me spopondi, avebant enim te videre, ut ex iis intellexi: habebam epistolam in scheda compositam, hanc in pura charta iterum mihi scribere necesse fuit, & quoniam postridie mane discessuros se dicebant, post cœnam lucubrare, id quod nunquam soleo, homo scilicet gravedinosus, ut si quis unquam. Si igitur hæ ad te pervenerint, facito ut primo quoque tempore sciam, ne me laborem perdidisse doleam, &* Deloinum *nostrum, qui ad multam noctem literas ad me misit, qua tabellarium exspectabant.* Κακοηθείας σφάλμα *non necesse habeo deprecari, cum & noctu & festinate scripserim, oculis cacutientibus post cibum.* Ἔρρωσο πάλιν φιλέρων, *qui te non* Budæum *esse dicis, sed* Erasmum, *nec cujusvis esse, id est, tui* Corinthum *adire. Vale etiam nunc iterum,* καὶ ἀσπάζου τοὺς ἡμετέρους λόγους καὶ σωτηρίους διδύμους. Parisiis 27. *Octobris An.* 1516.

*Habeo annotatiunculas aliquot in Novum Testamentum, quas Annotationibus in Pandectas, quas aliquando editurus sum, inserendas servabam: sed post te verbum nunquam faciam, ne absurdus esse videar, si post* Homerum *errores* Ulyssis *scribam, & alioqui ne improbitatis me damnem. Si tibi igitur usui futuræ sunt, donabuntur, ne pereant.*

*Facito me certiorem posthac ubi futurus sis.*

## EPISTOLA CCXXI.

*Erasmus Budæo suo* S.D.

MIRVM in modum delectatus sum proximis tuis literis, eruditissime *Budæe*, erant enim non solum eruditæ, quod quidem ut tibi perpetuum est, ita mihi jam novum esse non potest, verum etiam gratiis, leporibus, salibus, sic undique scatentes, ut nemo sit tam ἀγέλαστος, quin his legendis hilarescat. Adest hic *Cuthbertus Tonstallus* apud *Anglos* scriniis præfectus, sui Regis nomine apud *Carolum* Principem nostrum Orator, vir præter utranque literaturam, qua neminem suorum non superat, judicio excusso, ac naris emunctissimæ, tum modestia quadam inaudita, postremo moribus festivis, ac citra gravitatis detrimentum amœnis. Huic (quo me beatum duco) ὁμοδαίτυζος εἰμι. Itaque crebro tuis literis bellariorum vice reficimur. Nam dici vix potest, quantopere vir is suspiciat eruditionem tuam, quam alioqui nemo non admiratur, nisi qui non intelligit. Nam sancte dejerat neminem omnium τὰ νεωτερικῶν argutius aut elegantius scripsisse Græce quam *Budæum*. At idem non negat tibi *Romanum* sermonem non solum esse purissimum, castissimumque, verum etiam uberem ac locupletem. Cæterum, ut paucis jam ad tuas respondeam literas, primum molestis quibusdam οἰκείοις καὶ αὐλῆς negotiolis odiose distentus, deinde ἀῤῥωστίας ἔχων ob pituitam, næ tu familiariter & amice facis, quod me ob neglectius scriptam epistolam sic μασιγοῖς. At vide quantum profecerim, πολυχαρῶν ὤν, male scribere didici. Quanto tu consultius, qui recte scribendo καὶ τλὼ λαχυχαφίαν es assecutus: quanquam est, quo crimen hoc partim elevare queam, partim in te retorquere, hoc est, ἀντικαλημγορεῖν. Primum enim vide ne parum civile sit ab homine magnis voluminibus describendis occupato, ad hæc cui nonnunquam uno die viginti sint scribendæ epistolæ, literas accurate scriptas, velut ab otioso flagitare. Quod si laborem iterum mea describere, prorsus impar sim oneri ferendo: sin id muneris aliis delegem, vix quinque ministri sufficerint. Atqui uxor illa mea, in quam tu falsissime ludis, vix unicum ali sinit, adeo domi regnat imperiosa, domina verius quam uxor. Jam quantopere te torserit scheda, ut vocas, nostra, nescio. Illud scio, tuam illam puram putam epistolam tantum negotii nobis exhibuisse, ut mihi fuerit hisce digitis denuo perscribenda, quo posset primum à nobis, deinde ab eruditis amicis legi, siquidem antea vix à me ipso, à cæteris omnino non legebatur: Non tam ob id, quod indiligenter scri-

Digitized by Google

An. 1516. scripsisses, sed quod tuo more. Quanquam huic incommodo sic facile medebcris, si curaris ut frequentes huc tuæ commeent literæ, sic enim tua manus nobis reddetur familiarior. Quod λεπτολογήματα vertis in συγγεφυμάτια, equidem protinus agnovi, risique *Aristophanicam* illam ἐπανορθώσεως ῥοφῶ, ὦ κέκλοφας, ἀλλ' ἥρπακας. De lucubrationibus nostris amo te, qui mecum sentias, tantum abest, ut sim reclamaturus: verum, quod tu de *Copia* sentis, *Luciani* Dialogis, & *Catunculo* restituto, id ipse de cæteris item omnibus sentiendum puto. Nam ut est majusculum Adagiorum volumen, ita argumento quid esse potest humilius? Et tamen ita mihi videor in eo versatus, ut superiores omneis vicerim: quorum sane exstent monimenta. Tum quæ functio potest esse in sacris Literis humilior, quam ea, quam nos in Novo suscepimus Testamento? Minoribus vigiliis constaturum erat nobis longe splendidius argumentum. At quid facias, si his minutiis sum natus? Neque enim (ut mihi quidem videtur) tam reprehendi mereor, qui argumenta hujusmodi suscipiam, quam laudari, quod juxta præceptum *Horatianum* expendens,

——— *quid ferre recusent,*
*Quid valeant humeri,* ———

abstineam ab his, quæ sustinere non queam. Tibi fortassis debetur venia, qui studio quodam immodico mei cæcutiens, me posse credis quod non possum. Mihi laus etiam, qui meipsum meo metiens pede, mecum habitem, & norim quam sit mihi curta supellex. Jam periculum quod ostendis ne nomen meum tot libellis obsolescat, id vero ne tantulum quidem me commovet. Quicquid hoc est, famæ verius quam gloriæ, quod mihi meæ peperere lucubrationes, æquissimo animo lubensque posuerim, si liceat. Alios alia delectant studia. Et aliis in rebus alii valent. Nec omnium idem est genius. Mihi cordi est, in hujusmodi frivolis philosophari, in quibus & minus video nugacitatis, & aliquanto plus fructus, quam in magnificis illis, ut ipsis videtur, argumentis. Denique qui unum hoc spectat, non ut sese ostentet, sed ut prosit: huic non perinde refert in quam splendidis versetur, atque in quam utilibus. Non refugiam etiam illo contemptissimo *Catunculo* contemptiora, modo sensero ad provehenda bona studia conducere. Non scribuntur hæc *Persiis* ac *Laliis*, pueris & crassulis scribuntur. Et vide, doctissime *Budæe*, quam verum est illud *Flacci* nostri,

*Tres mihi conviva prope dissentire videntur,*
*Poscentes vario multum diversa palato.*

*Copiam*, quam nos contemnimus, (nam hic sane ὁμόψηφοι sumus) complures ὑπὲρ τῶν λυχνούχων laudibus vehunt: asseverantes nullum unquam Opus à me scriptum, vel æque frugiferum vel dexterius. Quanquam hac in parte non satis video quomodo sibi constet tua sententia. Incusaveras quod humiliora susciperem argumenta, eaque præriperem inferioris notæ Scriptoribus: hic suggillas quod argumento suscepto parum responderim. Atqui longe diversum opinor crimen est, ob jacentem, parumque sibi notum animum, indigna te aggredi: & ea suscipere, quæ suscepta sustinere non possis. Nolim hæc in eam interpreteris partem, mi *Budæe*, quasi quicquam tuis literis offendar, sed quod non illibenter cum amico festivissimo simul & doctissimo συμπαίζομαι καὶ συμφιλοσοφῶ. Titulus tibi videtur magnum quiddam polliceri. Cæterum non probas, quod ea ex locis sumpserim communibus, id sentiens, uti conjecto, è vulgatis ac passim obviis auctoribus desumpta. Sed quid facias, si præterea nemo quicquam de *Copia* præcepit? *Fabius* paucis attigit modo. *Trapezuntius Hermogenis* compilator copiose pollicetur de *Copia*; at cum pollicitantem usque sequenti mihi jam vertigo capitis oboriretur, nihil unquam de *Copia* comperi, quod alicujus esse momenti videretur. *Venetiæ* καὶ ἐν τῷ Ἐρασμογένους διήλθον magis quam legi. Nec apud hunc reperi, quod usui futurum videretur. Post editum Opus, comperi apud *Rodolphum Agricolam* nonnihil: quem virum si fatorum invidia superesse voluisset, haberet *Germania* quem *Italis* opponeret, qualem nunc habet *Gallia Budæum*, sed unum. Equidem videbam exemplis ex optimis auctoribus allegandis permultum majestatis accessurum Operi, verum partim horrebam voluminum magnitudinem, partim perisset utilitas iis, quibus labor ille peculiariter desudabat: quando nunc quoque passim queruntur literatores, argutius esse Opus, quam ut à mediocriter doctis possit intelligi. Jam vero quod te movet mediocrium causa, quibus nolis suam provinciam præripi, eodem argumento deterrere poteras, ne quicquam omnino scriberemus: nam si magna suscipimus, ea præripiemus majoribus, si mediocria, mediocribus, si infima, infimis. Quin illud nemo nescit, omnibus in medio palmam esse positam, qui artem tractant Musicam. Liberum est cuivis & post meam editam *Copiam*, de *Copia* præcipere. Mihi sat laudis est, quod de ea vel primus prodiderim aliquid, vel diligentius & exactius cæteris, id quod ipse, ni fallor, non inficias ibis. Age vero, quam falsum illud, quod scribis exemplum tuarum literarum tibi domi servatum in scheda, ne quando tecum, ut ais, obsignatis literis acerbius agam. At quid tandem tibi profuerit ista tua cautio, postquam ad judices ventum erit? Tu chirographum proferes, ego item αὐτόχαφον, sed tu schedam, ego puram putam epistolam. Negare non potes, talem ipse vis videri: sed ὡς ἐπὶ τῶν λεπτολογημάτων nimium fortassis diu λεπτολογῶμεν. Cæterum, ut seriis agamus: Agnosco nonnihil, optime *Budæe*, meam indiligentiam, vel potius infelicitatem. Et tamen tuis animati literis fortassis audebimus nonnihil μεγαλοφρονέστερον, quod utinam tam feliciter succedat, quam tu confidis: ὦ παντὸς ἀνδρός. Nec omnes *Budæi* sumus. Non sum ex eorum numero, qui nihil, nisi quod ipsi faciunt, rectum putant. Suspicio tuam istam exactam diligentiam, animique sublimitatem & argumentis & ipsa phrasi sese proferentem. Recte hæc suscipit *Budæus*, qui præstare potest, cujusque virium est, ex *Assa toiauta, ek toiautôn, tous paideias talanta* depromere. Decent hæc eum, qui de *Galliarum* publica laude cum *Italis* μονομαχεῖ, cui cum *Hermolais* & *Pliniis* concertatio est: denique *Gallum* ista decet μεγαλοφροσύνη, non *Hollandum*, & ἵνα συλλήβδην λέξω, *Budæum* decet, non *Erasmum*. Sed ô Deum immortalem, quid ego audio? uxorem ne meam haud longe abfuisse à tuo contubernio? quanta felicitas vacare zelotypia. Utinam illa jamdudum aliquo demigrasset, non in tuas ædes, in quas optarim omnes bonas felicitates simul commigrasse, posteaquam eas tu gratiarum & omnium virtutum domicilium ac sedem reddidisti: sed vel ad Fratres *Franciscanos* hujus procos, vel ad alios, si qui vehementius etiam adament. Quanquam (ut jocari desinam) mea tenuitas mihi non admodum displicet. Alioqui licuerat jam olim augere rem, ni semper hoc animo fuissem, ut mallem expeditam fortunam quam amplam. Et magnus ille meus *Mecænas Cantuariensis* tantum sua benignitate suppeditat, quantum huic ocio, quantum huic animo satis est. Neque quicquam ambio apud benignissimum Principem meum: sed mihi parum humanum videbatur primum tali Principi, deinde patriæ sic efflagitanti meum hoc qualecunque obsequium pernegare. Illud mihi vehementer molestum, mi *Budæe*, adesse *Peniam*, non item adesse Philologiam, hoc est, umbram adesse, non adesse corpus. Fortunatissimus mihi viderer, si utraque mihi ξυνοικοῖ esset. At vide ne cui, quod scribis, αἰζύσαλον videatur, tibi rem esse cum *Penia*, cum eodem tempore duas ædifices villas; easque, ut ipse fateris, *Lucullianas*. Porro quod jocaris esse periculum, ne quando me deserat literarum amor posteaquam contigerit inaurari; quod ad hanc sane rem attinet, in utramvis aurem otiosum te dormire jubeo. Neque enim aut hujusmodi sunt tempora, aut ejusmodi præsentis aulæ status, ut inaurentur, qui sic ambiunt, hoc est, qui pene fugitant. Hactenus exauramur & exhaurimur largiter, at auri ne tenuissima quidem adhuc accessit bracteola. Quanquam ut nihil unquam accedat, jam nunc omnia me debere sentio, vel opti-



An. 1516.



Digitized by Google

An. 1516. mo Principi Carolo, vel omnibus omnium virtutum numeris absoluto *Joanni Sylvagio Burgundiæ* Cancellario: qui talem quendam heroa præbet nostræ ditioni, qualem pridem ille, vel tuo unius præconio futurus immortalis, à Rupeforti *Guido* tuæ præstitit *Galliæ*. Τῷ δ' ἐπιτεμπλον ἀῤῥωσίαν ἐπιτρέψοι Ζεὺς ὁ ὑψιβρεμέτης, ὡς Ὁμηρικῶς λέξω, cum mea sententia dignus sis cui contingat τὸ ἓξ τιθωνῦ γῆρας. Sed spero fore, ut ætatis progressu commodior sit valetudo. Id quod haud sane paucis usu venisse scio. Nos præter ἀῤῥωσίαν non crebram modo, verum pene perpetuam, jam pulsat etiam τὸ χαλεπὸν γῆρας, νόσημα φυσικὸν, καὶ τότε ἕνεκα ἀνίατον. Ludis tu quidem tota epistola: quæ res mihi non mediocri voluptati fuit, ut quæ mihi testaretur *Budæum* non tantum incolumem esse, verum etiam alacrem ac lubentem. O te felicem, cui liceat ad istum modum frui literis! At non alibi magis videre mihi ludere, quam ubi serio jam agere videri vis. Negas tibi persuaderi posse, libros tuos à nobis legi, nisi si quis amicorum, inter confabulandum orta tui mentione, fuisset anagnostes. Adeon'me aut fastidiosum existimas, ut legere graver tam erudita? aut adeo inhumanum, ne dicam invidum, ut talis amici lucubrationibus parum delecter? Imo ne sis insciens, nihil est omnino tuorum studiorum, quod non inter præcipuos auctores nostra habeat bibliotheca. *Annotationes* tuas in *Pandectas*, & *Assem*, oraculorum instar habeo: ad quæ confugere soleo, si quid ambigo, nec ab istis vulgatis auctoribus succurritur. Neque vero me piget aut pudet, *Budæum* inter probatos jam & ævo consecratos auctores testem adducere. Cur enim vivis hoc honoris invideamus, si modo promereantur? cur non potius id eruditioni tribuamus, quod vulgus tempori,

*Qui redit ad fastos, & virtutem æstimat annis,*

ut ait *Flaccus?* Loca tametsi jam ante non omnino indiligenter legeram, tuo monitu relegi. Ob primum illum non mediocriter tibi debent bonæ literæ, atque harum candidati, quarum causam tam gnaviter agis. Vero verius est quod scribis: nulla regio non gignit eximia ingenia, si modo sint, qui foveant, provehantque. At iis, quorum arbitrio res fere verfantur mortalium, nihil æque invisum, ac ea studia sine quibus nec homines sumus. In secundo sæpe demiratus sum tuam istam ὡς ἀληθῶς Φερεγκικὴν παῤῥησίαν, ὐδὲ τὲ ἀῤχιερεως αὐτῦ φειδομένην, sed primum ἀζφαλέστερον καὶ ἀκινδυνώτερον δάκνειν ἢ ἀποθανόντα. Deinde prodest hac quidem in parte, quod à paucissimis intelligitur τὸ δῆγμα; siquidem cum ubique sic intendas eloquentiæ tuæ nervos, ut non *Midæ*, sed *Apollineis* auribus canere videaris, tamen illic data opera Λυκοφρόνειόν τι miscuisti, *Loxian* quempiam nobis referens. Idque magis etiam facis in priore illa stomachatione: quam nec ipse quivi intelligere, quod res ipsas parum notas habeam, & tu nomina supprimis. Jam in operis calce mire philosopharis cum tuo *Deloino*, viro jam olim mihi cognito ex *Coleti* prædicatione: deinde ex congressu quoque prius *Aurelix*, mox *Parisiis*. At hic quoque Deum immortalem, qua vehementia, qua libertate καταβακχεύσας καὶ ἀσεφέψας εἰς τὲς ἱερέας τὲς νυῦ. Sed illud quam festivum, exigis, ut de tuo ingenio pronunciem, quasi vero is sim, qui vel assequar rarissimas istas ac pene divinas animi tui dotes. De *Budæo* jamdudum eruditissimorum hominum senatus magno consensu pronunciavit. Quorum sententiæ si subscripsero, quantulum fuerit hoc momenti, quod unius homunculi plebeji possit adferre calculus? Sin dissentiam, quis ferat impudentiam? Cum tua lego, mi *Budæe*, videre videor locupletissimum quendam patremfamilias, non qualis fuit *Lucullus*, cui plura domi erant, quæ fallerent dominum, quemadmodum inquit *Horatius*, & prodessent furibus: sed non minus diligentem, quam locupletem, cui suæ opes & probe cognitæ sint, ac singulis in suos digestis nidulos, cuncta in procinctu sint, ac velut in numerato. Præstant hoc tibi partim accuratissimi indices, quos olim in hunc usum ad omnes tuos codices parasti: partim atque adeo multo maxime feliciſſima ista memoria, & quovis indice fidelior: unde fieri video, ut aliquoties insignium rerum hinc atque hinc sese confertim offerentium copia velut obruaris ac degraveris, neque sinaris manum de tabula tollere. Atque ita accidit fortassis, ut lector ceu conviva fastidiosulus alicubi modum apparatus in te desideret. Ad hæc cum nihil usquam esse patiaris, nec in rebus, nec in verbis, quod cum vulgo triviisque tibi commune sit, hoc est, quod non insigne sit & exquisitum, eque penitissimis Musarum adytis depromptum, nusquam remissus, nusquam oscitans, sed semper urgens, & instans tibi: fieri necessum est, ut non temere tuis delectetur, nisi lector egregie doctus, & idem otiosus, nec minus interim attentus, atque is plus prope laboret legendo, quam tu scribendo. Nam tibi quidem eam facultatem diutinus jam & exactissimus dicendi, scribendique usus peperit, ut ea quoque tibi citra curam fluant, quæ nobis magno studio videantur elaborata. Jam animadverto te metaphoris ac parabolis impendio delectari: quas habes pleraſque mire raras, & insigniter argutas, sed quam semel amplexus sis, ab ea vix unquam divelli potes: unde fit, ut cum totus sermo gemmeus sit potius quam gemmis distinctus, nonnihil videatur à naturali simplicitate recedere. Atqui cum in iis, quæ constant artificio, alios alia capiant: quod nativum sit, id occulta quadam vi tangit & allicit omnes, nec paulo jucundius irrepit & illabitur in animos hominum, veluti cognatum. Nam quod ubique πάνυ φιλόπατρις es, à multis laudi dabitur, à nemine non facile condonabitur: quanquam φιλοσοφικώτερον est mea sententia, sic de rebus & hominibus agere, ut mundum hunc communem omnium patriam esse ducamus, etiamsi pulcherrimam orbis Christiani partem *Galliam* esse fatear. Ad hæc, dum in παρεκβάσεις eruditissimas simul & amœnissimas crebrius exspatiaris, & in his longule commoraris, periculum fortassis est, ne quis morosior ita secum cogitet: præclara quidem hæc & splendida, sed ut olim, τί ταῦτα πρὸς τὸν Δώνυσον, ita quid ista ad *Assem*? Cæterum ego & video, ni fallor, & probo tuum hac in re consilium. Istiusmodi locos aliquot tibi paraveras, usurus simul atque incidisset occasio. Eos non incallide miscuisti argumento quanquam alieniori: ut hac arte pariter & laterent fallerentque τὲς βεβήλυς, & legerentur ab eruditis & candidis, nec unquam intercíderent intermixta rebus, vel ob solam utilitatem victuris. Unum illud non satis potui conjectare, quo tandem consilio Opus tam eximium, & dubio procul immortale futurum, nemini volueris dicare nominatim. Neque enim dubito, quin id certo aliquo consilio sit factum. Video quidem jamdudum, quam sim ineptus, qui de tuo ingenio extra omnem aleam censuræ posito quicquam judicem. Sed quid facerem? Ita jubet *Budæus*. Minus improbum arbitror ineptire, quam tibi parum esse morigerum. Neque tamen hæc dixerim, quod ullam ingenii dotem in tuis scriptis desiderem, aut ullo offendar incommodo. Primum enim admodum sim incivilis, si me in corpore tam specioso unus aut alter nævus offendat. Deinde sic amo *Budæum*, ut etiamsi quis inesset nævus, is meis oculis blanditurus sit. Neque tamen usque adeo amore tui cæcutio, quin illud vere perspexisse me credam, nihil hactenus produxisse *Gallias*, quod cum ingenii tui monumentis in certamen venire possit, & tamen omnibus à tergo relictis, quotidie temetipsum superas. Bene vale, καὶ οἰκοδόμησον ἀγαθῇ τύχῃ, ut summam votorum habeas, & tu mihi aliquando gratulari possis παλιγρύσῳ, ego tibi *Lucullo*. *Bruxellis* 28. Octobris, Anno 1516.

## EPISTOLA CCXXII.

*Erasmus Roterod. Petro Ægidio* S.

SALVE, chariſſime *Petre*. Per omnia sacra te oro, ut fortem humanæ conditionis forti feras animo.

De

Digitized by Google

An. 1516. De patre bene ſpero, ſed tamen ſi quid accidat, cave ne duos ſimul amittam. Quid juvat inanis, imo noxius dolor? Mone *Nicolaum* inprimis, ut rem diſſimulet, neque cuiquam effutiat ad quem adeat in *Angliam*, aut cujus nomine accerſitus: etſi non eat, tamen taceat: fingat cauſam à vera alieniſſimam. Rem ex ſecretarii literis, & ex *Jacobi* mei ſermone cognoſces. Bene vale, amicorum optime, & virum te præbe, imo memineris hominem eſſe te, & vitæ hujus fabulam age. Bene precor tuis omnibus, & in primis optimo patri. Scripſi *Baniſio. Lovanii* 3. Novembris.

Mi anime, poſt iſtas procellas inſignem aliquam ſerenitatem exſpecta, atque illi te ſerva. Rurſum vale. Si quid opus erit vel in tuo negotio, vel in negotio *Nicolai*, ipſe advolabo. Anno 1516.

## EPISTOLA CCXXIII.

### Ludovicus Berus Eraſmo Roterodamo *S. D.*

QVEMADMODVM *quotidiana lucubrationum tuarum lectio*, Eraſme *amicorum integerrime, incredibili animum meum ſemper afficit voluptate: ita dici non queat, quam me oblectarint litera tuæ, quibus de felici ſtatu tuo me certiorem reddidiſti. Itaque cum amicorum omnia ſint communia, mihi equidem gaudeo, tuaque dignitati ſumma gratulor, de tam honorifica, & ubere à Principe oblata Prebenda canonica, deque tam proſpero rerum tuarum ſucceſſu, ut fortuna, literarum & virtutis ſtudioſis ſemper novercari ſolita, abs te quemadmodum contempta, ita & victa, & prorſus tibi dedita videatur. Nec obtrectatorum quorundam inſania, magis quidem elaborantium, ut accuratiſſima tua ſcripta, & exquiſitiorem doctrinam, aliqua ex parte falſo calumnientur, quam ut ſane cum fructu intelligant, felicitatem tuam imminuere poterit, ſed augebit potius. Quæ enim ſpes gloriæ, ſi nulla victoria? Victoriæ autem quis locus eſſe poteſt, ubi pugna non eſt? Sed neque deſunt, nec unquam deerunt* Eraſmo *doctiſſimi & optimi patroni, quanquam ipſe ſibi abunde & patronus, & ſemper (Deo duce) futurus eſt victor glorioſus. Literas tuas, ac item Archiepiſcopi* Cantuarienſis, *ad reverendum dominum* Baſilienſem, *ejus reverendæ paternitati diligenter reddendas curavi. Aliarum etiam literarum exempla ad me tranſmiſſa, mihi quidem abs te munus gratiſſimum, communibus amicis noſtris (ut decebat) communicavi. Vale ſemper felix in* CHRISTO. *Ex ædibus noſtris* Baſilea 12. *Novembris, Anno Domini* 1516.

## EPISTOLA CCXXIV.

### Ludovicus Canoſſa, Epiſcopus Bajocenſis, Eraſmo Roterodamo *S. D.*

EA *ſemper mihi voluntas, ea mens, is animus fuit, ut quandocunque per fortunam aliquanto faverabiliorem liceret, & ſtudiis bonis noſtrum omne ocium applicaremus, & ſtudioſum aliquem, literatumque hominem domi foveremus. Itaque mihi perſuaſum cum ſit, eum te,* Eraſme, *eſſe, quem animo ipſe concipio, quemque unum in primis una mecum eſſe ac vivere exopto, cujus videlicet & ſingulari ingenio recreari, & literatis colloquiis frui, & multiplici etiam doctrina paſci, atque erudiri valeam: dignum equidem putavi, ſimul atque Chriſtianiſſimi hujus Regis (apud quem ſummi Pontificis Oratorem ago) benignitate ac favore,* Bajocenſi *Eccleſia me licet immerentem ſummus ipſe Pontifex præfecit, tibi fortunam hanc noſtram ſtatim nunciare, teque inſuper hortari & invitare, ſi commodo tuo ad me demigrare potes, una mecum deinceps commoraturus, excepturum te me, ſi non omnino ut ipſe mereris, at ſaltem pro virium noſtrarum quantulacunque facultate: curaturumque ut &* Eraſmo *quantum in me erit ſatisfaciam, &* Eraſmum *ad* Bajocenſem *Antiſtitem acceſſiſſe pœnitere nunquam debeat. Quem tantiſper dum beneficiis amplioribus ornavero, annua ducentorum ducatorum penſione honeſtabo, præter tuam ac famuli unius, itemque equorum duorum impen-*



*ſam. Bene vale, & mihi animum tuum renuncia.* Amboſia 13. *Novembris, Anno* 1516. An. 1516.

## EPISTOLA CCXXV.

### *Eraſmus Ammonio ſuo* S. D.

ΠΡΟΣ τὴν δίδαιμονίαν τὴν σὴν, σεός τε τὴν ἐμὴν δυσχέρειαν, ſic & illam tibi propriam ac perpetuam eſſe velim ſuperi, & hanc mihi leviorem, *Ammoni* humaniſſime, urge literis tuis *Wigornienſem*, ut quam primum explicetur noſtrum negotium. Favent omnes ferme hujus aulæ proceres, & cum primis Cancellarius, ac Rex ipſe. Audio Theologos, neſcio quos, moliri, ut publico mandato delegetur Scholæ *Lovanienſi*, & hujus germanæ *Colonienſi*, meorum voluminum examinatio: quod ſi fit, primum habent quod agant in biennium: deinde quiſquis delegabit examinationem, eadem opera mandabit *Græcæ Latinæque* linguæ peritiam, qua illi ex æquo vacant: tametſi reor hoc ἀνεμώλιον fore: nam & hic optimi quique mihi favent, & inter Theologos quoque primores bene volunt. Scripſi de meo negotio ante dies aliquot per curſorem *Tonſtallicum*: is homo magnifice de te, tuoque ingenio ſentit. Ajunt brevi ſummorum Principum conventum fore *Cameraci*, *Maximiliani*, Regis *Gallorum*, & noſtri *Caroli*: ibi de pace nunquam interrumpenda tractabitur. Iterum atque iterum te rogo, mi *Andrea*, ut maturetur, quoad fieri poteſt, quod agimus. Ego præſtabo, ne poſſim meo merito dici ingratus. Bene vale. 29. Decembris, Anno 1516.

## EPISTOLA CCXXVI.

### Bilibaldus Pirck. Eraſmo ſuo *S. D.*

REM *gratam, vir præſtantiſſime, non ſolum mihi, ſed pluribus tuis feciſti amicis, cum certiorem me reddideris, quam valeas, quid nam, & ubi agas. In primis itaque placet in tantorum te eſſe dignatione Regum: verum diſplicet illorum affectum tam diu effectum haud ſortiri; ſiquidem non verba magnifica quempiam opulentiorem reddunt, ſed in actione demum omnis laus virtutis conſiſtit. Novi ego probe conditiones Principum, utpote diutius inter hos verſatus, & eorum promiſſionibus vel ditiſſimus: quibus tamen ſi ſuſtentari deberem, bonis (ut ajunt) ſæpe dentibus male comedere cogerer. Sed plerumque ita evenit, ut qui vel maxime bona fortuna ſint digni, illa careant: ſed quid dico* careant, *cum ſæpius hi, qui male fortunati cenſentur, omnium ſint fortunatiſſimi, etſi opulenti ſint minime? Quis enim te fortunatior? qui non externis bonis tibi laudem peperiſti, ſed virtute & eruditione ita excellis, ut non ſolum in vita ſis clariſſimus, ſed & immortalitatem & quidem vivens induiſſe videaris. Sed de his ſatis, ne adulari videar. Gratum fuit, mi* Eraſme, *tibi meas non uſquequaque diſplicuiſſe nugas: longe vero gratius, quod tam ſincere & candide, quid non probes oſtendis: quod profecto minime faceres, niſi me & vehementer quidem amares, niſi mea ex omni parte abſoluta eſſe cuperes. Verum noſti, nemini unquam excuſationem defuiſſe, ac maxime unumquemque in propria defenſione ingenioſum eſſe. Ne igitur in hac parte ſolus hebes videar, benigne excuſationem meam audi. Atqui nolo cantilenam eam prætendere, homo ſum variis negotiis tam publicis quam privatis implicatus: ac potius ardore quopiam ſtimulatus, quam vera ratione ductus, ſcripſi, ſcriptaque præcipitanter emiſi: nam in promptu eſſet* Catonis *illud*, ſed tacere poteras. *Verum audi. Non ego,* ornatiſſime mi Eraſme, *eos homines, qui in catalogo noſtro recenſentur, omnes honoris gratia appellavi. Minime enim me latet, indoctos doctis, ac improbos bonis permixtos eſſe: & quod plus aliquis miretur, inimicos amicis. Verum docti & boni laude digni erant, boni vero & potentes quamvis non admodum eruditi, quaſi pro vallo malis objiciendi: at docti, ſed minus boni, vel ſocii dubii incitandi, aut confirmandi: inimici verò inimicis ſuſpecti reddendi. Nec opinione penitus deceptus*



Digitized by Google

An. 1516. *ſum, majores enim quam ſub initium putaveram, turbas concitavi: non ſolum enim vacillantes ſtabilivi, ſed & pleroſque ad nos traduxi, ita ut verbis & ſcriptis rem noſtram defenderint. Quin inimicorum noſtrorum amiciſſimos ac fautores quoſdam in ſuſpicionem ingentem, & non parvum perduxi odium: niſi forte reprehendendum cenſes, quod crabrones cum crabronibus commiſerim: & quod riſum mihi ciet, coguntur ſanctiſſimi viri conceptam indignationem ſupprimere, & laudem moleſtiſſimam lata fronte diſſimulare: non quod ita me ament, ſed quia me rebus ſuis & prodeſſe & obeſſe poſſe cognorunt. Noſti enim quam ſoleant omnia ex commodo ſuo metiri, ſed id ſub pretextu honeſto. Maluiſſes dein, dum in dialecticos exſpatior, me cæteris intactis hoc ſolum agere quod agebam. Atque fateor, mi* Eraſme, *hac potius animi quodam impetu, quam judicio præmeditato ſub initium conſcripta eſſe: verum cum fervor ille, ſeu, ut rectius dicam, perturbatio aliquantiſper deferbuiſſet, pleraque male concocta eſſe * digeſta, multa immutata, nonnulla penitus obliterata ac deleta: & quamvis mihi tum quod agebam agere viderer, (ſiquidem demonſtrare volebam* Reuchlinomaſtiges, *non ſolum improbos, ſed & penitus indoctos & barbaros eſſe, ac* Luciani *inſtar, quaſi per tranſennam oſtendere, quantum eis ad perfectam deeſſet eruditionem) omnino tamen egreſſionem illam abolere decreveram, ſed reclamantibus amicis, contra mentis voluntatem intacta remanſit. Quin tum prædixi fore, ut ad ingenii ſeu eruditionis potius oſtentationem, quam ad rem, de qua agebatur, pertinere videretur. Proinde etſi facta infecta fieri nequeant, ideo tamen placent, quia tuam amiciſſimam ſuſcitarunt admonitionem, & quæ longe mihi gratior fuit quam ſi te cuncta probare ſcripſiſſes. Nam plane liquet te noſtris [illegible]tem adhibuiſſe, & non minimam curam exiſtimationis meæ gerere, in qua re plane benevolum & verum te oſtendis amicum. Utinam tibi pares gratias aliquando referre poſſem. Facerem id equidem non tam benigne, quam libenter, utpote homini omnium qui vivunt amantiſſimo & obſervando. De* Reuchlino-Zoilis *nil ſcribo, ſiquidem nil tuis diſertis & veriſſimis ſcriptis addi poterat. Valeant igitur. Audio eos neſcio quid per idolum ſuum contra me moliri, ſed quicquid id ſit, parum me movebit: tamdiu enim jam in publicis verſor, ut injurias & calumnias non ſolum patienter ferre, ſed & irridere didicerim. Sed audi, obſecro, quid nefandi nebulones egere. Cum* Joannem Reuchlein *undique oppugnaſſent, tandem Principis ſui, quod ſemper timui, neſcio quibus fraudibus indignationem concitarunt: id ne in extremam calamitatem hominem conjiciat vehementer timeo, nec eum à Tyranni faucibus, niſi Deus eripiet. Vide, mi* Eraſme, *quid iniquitas non audeat, præcipue illorum hominum, qui populi devorant peccata, cœlique claudendi & reſerandi ſe jus habere exiſtimant. Novum Teſtamentum tuum avide exſpectamus, quin &* Pauli *magni enarrationes. Verum injurii ſumus, cum tu tam multa præſtes, nos vero in dies alia poſtulemus. Sed tu in cauſa es, qui nos ſemper allicias, nunquam tamen exſaties: vel, ut verius dicam, avaritia noſtra nos reddit inſatiabiles.* Apologiam *tuam non ſine animi dolore legi, non quia amico ficto fictis reſpondes verbis, ſed quia vereor ne majores inde concitentur turbæ: quamvis te pleriſque cauſis coactum fuiſſe recte conſiderem, ut acrius inſurgeres. Sed licet aliquando, imo neceſſe eſt incandeſcere, ſi pacem habere velimus, quam abſque bello conſequi minime poſſumus. Vale, mi eruditiſſime* Eraſme, *& bene vale, meque ut facis ama, quare nil mihi gratius evenire poterit. Utinam te aliquando coram cernere poſſim: utinam tibi in mentem veniat, ut me aliquando viſites, nam id te feciſſe non pœnitebit, idque abſque incommodo fiet, ſi unquam* Baſileam *proficiſci volueris. Senties equidem benevolentiam meam, non verbis, ſed re ipſa, & ſi non eam qua dignus es, ſed eam ſaltem, quæ opis erit noſtræ. Iterum vale, literarum decus eximium.* Nurenberga 31. *Decembris, Anno* 1516.

* *Eſſent* legitur in Bilibaldi Pirckh. Epiſt. p. m. 270.

## EPISTOLA CCXXVII.

Thomas Morus Eraſmo Rot. ſuo *S. D.*

An. 1516. *POSTEAQVAM à nobis digreſſus es,* Eraſme *chariſſime, ter omnino literas abs te recepi: ſi toties dicam reſcripſiſſe, fidem fortaſſe mihi non es habiturus, etiamſi ſanctiſſime mentiar: præſertim cum ipſe me tam probè noſcas, & ad ſcribendas epiſtolas pigrum, neque tam ſuperſtitioſe veracem, ut mendaciolum uſquequaque velut parricidium abominer.* Pacæus *noſter iſthic legatione fungitur, quanquam non prorſus iſtic; ita enim abeſt à nobis, ut tamen non adſit tibi. Per literas enim nobiſcum ei licet loqui, præſenti vero nec tecum: utinam re bene geſta brevi redeat domum, ut dimidia ſaltem mei pars mecum vivat. Nam te quando liceat exſpectare non video, cui animus eſt* Italiam *petere, ubi in eos incides, qui vereor, ut te patiantur avelli. Ego interim videor mihi dimidio carere, dum abeſt ille: altero dimidio, dum tu. Spero propediem fore, ut illi egregia aliqua, dignaque illo viro fortuna contingat. Ita plane ſentio, & Regis animum, & Cardinalis voluntatem, & bonorum prorſus omnium ſtudia, in eum ornandum evehendumque propendere. De te vero niſi me mea ſpes tam ſæpe fruſtraretur, etiam multo majora ſperarem, quanquam nunc quoque bene ſperare quid vetat? Neque enim quia parum proceſſit hactenus, ideo futuri quoque ſpes adempta eſt, imo nunc maxime confido. Neque eadem perpetuo cuiquam eſt fortuna, neque diutius poteſt eſſe maligna tibi, cui Pontifex, Reges, Epiſcopi, omnes prope mortales, quaquaverſus orbis patet Chriſtianus, impendio favent, ac demirantur. Apud nos quo in te animo ſint Epiſcopi, & ſeorſum* Cantuarienſis, *tum Princeps ipſe quo te favore complectitur, ſupervacaneum foret commemorare. At quod hactenus nullum in te beneficium aut te dignum, aut tam magno tantorum amore virorum provenerit: partim tute, qui neglexeris ea quæ ambiunt alii; partim neſcio qua fortuna fuit in cauſa, veluti nunc quoque accidit, de illo Canonicatu, quem vocant,* Tornacenſi: *quem dominus* Montjojus *obtinuerat tibi, videris nunc ab eo non abhorrere. Scribis enim omnia te miſiſſe inſtrumenta* Montjoio, *quæ ad eum tibi conferendum viderentur idonea. At ego, ſi meminiſti, cum eſſes mecum* Brugis, *ea de re ſermonem habui tecum, in quo tu enumeratis omnibus ejus beneficiis commodis & incommodis item, alieno eſſe animo videbare: nec id celaſti* Sampſonem, *quiſe* Tornaci *gerit* Eboracenſis *Epiſcopi vicarium; in quam ſententiam non hoc te ſolum impellebat, quod verebare ne non eſſet tibi perpetuus, niſi alterius etiam Epiſcopi conſenſus acceſſiſſet, à quo non exſpectabas, ut illius factum haberet ratum, cujus omnia facta conatur infringere: ſed illud quoque quod præterquam quod propemodum decem libra noſtrates illico tibi in primo erant ingreſſu numeranda, domus præterea ducentis nobilibus, aut pluris etiam redimenda: ea eſt ibi conſuetudo, cui niſi parueris, vix ſex nobiles annuos conſequeris, at nec illos quidem, quantum accepi, niſi ibi perpetuo degas. His tu rationibus adductus, mihi ac* Sampſoni *videbare illum Canonicatum non admiſſurus. Paulo poſteaquam tu à me diſceſſeras, ego* Tornacum *conceſſi, ibi à domino* Montjoio *atque item à* Sampſone *audivi, Archiepiſcopum* Eboracenſem *utrique eorum ſcripſiſſe, ut id beneficium donaretur alii, cui (ut videbatur) fuerat pollicitus, quum ignoraret tibi fuiſſe deſtinatum. Hoc ego quum audivi, diſſimulato quod intellexi, beneficium animo non admodum reſpondere tuo, ſuaſerunt reſcriberent tibi eſſe conceſſum: remque in eo eſſe ſtatu, ut mutari non poſſit, niſi tibi de meliore fortuna prius eſſet proviſum. Reſcripſit* Eboracenſis *eum locum haudquaquam fore idoneum tibi, quod & præſenti parum eſſet locuples, & nihil adferret abſenti, ſe ſponſorem acciperent melioris tibi conferendi: ita quum ego aderam, nec me certe diſſuadente, decreverant; illud beneficium ei donare, cui volebat Epiſcopus. Quid ſit factum poſtea, neſcio. Verum hoc ſcio, niſi illud habeas, Cardinalem & pinguius tibi debere, & brevi ſpero perſoluturum. Amiciſſimam ſæpe de*

Digitized by Google

An. 1516. *de te mentionem injicit. Pensionem tuam non erat opus ut ego ab Episcopo exigerem: ipse enim ex semet memor, prius quam meas accepisset literas, egerat de ea re cum* Maruffo, *cujus ad hac (ut scis) negotia operâ semper utitur, interim etiam pecuniâ, quoad collata ratione, statis temporibus, paria inter se faciat. Verum protinus habitis literis meis (nam versabatur* Oxfordiæ) *iterum hominem exstimulat per epistolam, ut viginti libras nostrates celeriter ad te transmitteret; pollicitus eas* Maruffo *redditurum se, ubi primum ex tuo chirographo cognovisset eas ad te esse perlatas. Conveni* Maruffum, *ipse ait se scripturum tibi, ut chirographum properes ad se mittere, quo te testeris accepisse pecuniam, quo ad Episcopum delato, nummos ea velut occasione sibi numeratos, tum demum ad te curaret perferendos. Ego quum hæc audirem, veritus sum aliquid subesse periculi, ne sic pecunia jam tum non solveretur ei, ea mora vicissim derivaretur in te. Ergo non est, inquam, hac simulatione opus; aut pecuniam illico mitte, Episcopi nomine ac fide: aut si, nisi prius receptum, graveris impendere, efficiam protinus, ut in manu habeas: imo, inquit ille, nihil est quod metuas: nam sic agam, ut* Erasmo *statim hac pecunia adsit, quin jam nunc quoque adest: nam habet à me chirographum, quo possit ubi volet ducatos mille conficere: è quibus quicquid acceperit, debet hoc mihi, sic enim inter nos convenit, ex hac pensione resolvi. Hac ille dicit. Ego vix credo nisi collata prius in ejus mensam pecunia, ullas eum literas tibi pro conficienda pecunia tradidisse. Quare si res secus habet quam dicit, effice mature ut intelligam. Archiepiscopus* Cantuariensis *officio Cancellarii, cujus onus jam aliquot, ut scis, annos, mirum quam laborabat excutere, tandem exsolutus est: ac desideratum jam diu secretum nactus, gratissimo inter literas ocio, ac negotiorum bene ab se gestorum recordatione perfruitur. Princeps ei Cardinalem suffecit* Eboracensem, *qui ita se gerit, ut spem quoque omnium, quanquam pro reliquis ejus virtutibus maximam, longe tamen exsuperet, & (quod est difficillimum) etiam post optimum decessorem valde probetur, ac placeat. Nostra legatio, quoniam hac quoque tibi cura est, ut mea omnia, satis feliciter processit, nisi quod longiore tractu, quam aut speravi, aut volui, res protelata est. Etenim quum domo discedens, vix bimestrem absentiam expectaverim, ultra sex menses in ea legatione contrivi. Verum longam tandem moram exitus satis gratus est insecutus. Ergo ubi negotium, quamobrem ipse veneram, ad finem vidi perductum, & alia tamen rursus ex aliis nasci, quæ longioris mora viderentur initia (neque enim unquam inter Principes desunt) datis ad Cardinalem literis, redeundi veniam impetravi mihi: usus ad eam rem cum cæsareorum amicorum opera, tum præcipue* Pacæi, *neque enim adhuc abierat. Sed dum redeo* Gravelinii *subito accurri, idque tam propere festinanti, ut vix ei liceret, dum nos mutuo salutaremus, subsistere.* Tonstallus *jam nuperrime reversus, dies vix decem hic moratus, nec ullo tamen eorum pro suo arbitrio suaviter acto, sed omni eo tempore anxie atque odiose consumpto, in earum expositione rerum, quas Legatus in mandatis habuerat: ecce rursus eodem subito nova legatione retruditur, idque certa scio, si negare liceret, invitissimus. Mihi nunquam admodum Legati munus arrisit. Neque videtur perinde nobis laicis quam sacerdotibus convenire vobis, qui primum uxores ac liberos, aut domi non habetis, aut ubique reperitis. Nos sicubi paulum absumus, conjugum protinus ac sobolis desiderio revocamur. Deinde sacerdos quum amittitur, totam familiam potest ubi velit circumducere, & regiis interim expensis pascere, quos domi pasturus erat suis: at mihi absenti duplex alenda familia, altera domi, altera peregre. Commeatus mihi satis benigne dabatur à Rege, pro eorum numero, quos eduxi mecum: verum eorum, quos interim necesse fuit domi relinquere, nulla est habita ratio: à quibus ego, quanquam scis, quam clemens maritus, quam indulgens pater, quam mitis dominus, tamen ne tantulum quidem quivi impetrare, ut mea causa tantisper quoad domum redirem, jejuni persisterent. Postremo sacerdotibus laborum atque impensarum gratiam auctoramentis Ecclesiasticis proclive est Principibus sine ullo sumptu suo rependere. Nobis neque tam laute, neque tam facile prospicitur: quanquam mihi revertenti pensio annua ab Rege decreta est, eaque plane, seu quis honorem spectet, seu fructum, neutiquam contemnenda: quam ego tamen hactenus recusavi; videorque mihi perpetuo recusaturus: quod ea suscepta præsens hæc mea in urbe conditio, quam ego etiam meliori antepono, aut mihi foret relinquenda, aut, quod minime vellem, cum aliqua civium offensione retinenda: quibus si qua cum Principe, quod nonnunquam accidit, oriretur de privilegiis quæstio, minus me sincerum ac sibi fidum ducerent, tanquam annuis Principi mercedibus obstrictum. Caterum, in illa mea legatione quadam me impendio delectarunt. Primum, tam longum ac tam perpetuum* Tonstalli *contubernium, quo ut nemo est omnibus bonis literis instructior, nemo vita, moribusque severior, ita nemo est usquam in convictu jucundior. Deinde, quod cum* Buslidio *mihi intercessit amicitia, qui me, & pro egregia fortuna sua magnifice, & pro animi bonitate comiter recepit. Domum tam singulari artificio excultam, tam eximia supellectile instructam ostendit. Ad hæc tot vetustatis monumenta, quorum me scis esse percupidum. Postremo, tam egregie refertam bibliothecam, & ipsius pectus quavis etiam bibliotheca refertius, ut me plane obstupefecerit. Eum audio jam nunc ad Principem nostrum legatione functurum. Sed in tota peregrinatione mea nihil mihi contigit optatius, quam* Petri Ægidii Antuerpiensis *hospitis tui consuetudo, hominis tam docti, faceti, modesti, ac vere amici, ut peream nisi ejus unius convictum libenter mihi velim bona mearum fortunarum parte redimere. Is ad me misit Apologiam tuam, & Commentarios item in Psalmum illum,* Beatus vir, *quos tu* Beato Rhenano, *vel tanto, ac tam perpetuo amici monumento vere beato dedicasti.* Dorpius *epistolam suam imprimendam curavit, & Apologiæ tuæ præponendam. Illum optaveram, si qua incidisset occasio, convenire. Id quando non licuit, per epistolam saltem salutavi, imo per epistolium quoddam* Laconicum, *nam longiori non suppetebat tempus: at insalutatum pretereire non potui hominem, qui mihi mirum in modum, cum ob eximiam eruditionem, tum multis etiam aliis nominibus placet, nec ideo in postremis, quod taxata* Moria, *scribendæ tibi Apologiæ præbuit occasionem. Gaudeo* Hieronymum, *ac Novum Testamentum tam bene procedere: mirum est quanto undique desiderio exspectantur ab omnibus.* Linacer, *mihi crede,* Erasme, *de te & optime sentit, & ubique loquitur, id quod ego nuper ab his accepi, qui ei amantissime atque effusissime apud Regem in cœna de te loquenti affuere: quo in sermone Rex ea vicissim respondit, ut hi, qui mihi retulerunt, opinionem plane conceperint fore, ut brevi aliquid egregiæ in te fortunæ conferatur, quod ego superos precor ut ratum esse velint. Vale,* Erasme *charissime, &* Rhenanum *ac* Lystrium *meo nomine saluta, quos ego & tua prædicatione, & ipsorum scriptis, & chariores habeo, & penitius etiam notos, quam multos ex his, quibuscum versor quotidie. Uxor mea te salutat, & item* Clemens, *qui literis & Latinis & Græcis ita proficit in dies, ut non exiguam de eo spem concipiam, futurum eum aliquando & patriæ & literis ornamento. Iterum vale, atque his unis literis in multos menses esto contentus, quibus avaros sum imitatus: qui quod raro quenquam invitant, si quando ad cœnam vocant, prolixissime convivium instruunt, ut una cœna quotidianum sumptum invitandi effugiant. Jam tertio vale: Episcopus* Dunelmensis *inscriptionem* Senecæ *gratissimam habuit. Vide quam te libenter imiter, qui tibi nunc itidem, ut tu nuper mihi, aliena manu scribo, tam certus imitator, ut ne hoc quidem meapte manu fuerim adscripturus, nisi ut certum tibi facerem, literas has meas esse.* Londino, *Anno* 1516. An. 1516.

EPI-

Digitized by Google

An. 1516.

## EPISTOLA CCXXVIII.

Ricardus Bartholinus Eraſmo Rot. *S. D.*

VENISSEM *ad te, ſuaviſſime* Eraſme, *niſi nuntio, qui craſtinam profectionem ſignificavit, impeditus fuiſſem: nolui tamen ut tuis fraudareris præconiis, mitto igitur natalem tuum verſibus & pluribus & concinnis celebratum: auctor eſt* Gaſpar Velius, *juvenis tum Latinis, tum Græcis literis non mediocriter eruditus, aulicus noſter, ac nominis tui amantiſſimus. Scripſit ad me, ut lineas ſubjicerem, ſi qua forent quæ minus feliciter eſſent compoſita. Perlegi omnes curſim, dum iterum attentius rem ſcrutor, quædam in prima ſtatim fronte animadverti: non quia ferula mea digna viderentur, ſed ut tuum judicium obvium haberet, ſi quid correctioni ſuæ reſarciendum eſſet. Ego provinciam proſequi haud potui, tibi onus incumbit, quoniam in tui natalis laudem ſcripti ſunt, ut quam candidiſſimi prodeant. De ingenio autem hoc affirmare auſim, me hominem in* Germania *ſimilem huic reperiſſe neminem. Vale, & me &* Paulum *literatum tuarum aliquando participes facias.*

## G. VRSINI VELII,
*SLESII GERMANI,*
*Genethliacon*
## DESIDERII ERASMI.

NATALIS rediit dies *Eraſmi*,
Partus conſcia lux beata magni,
Fauſto ſydere, ſole gratulante,
Et diis auſpicibus favente cœlo
Adſenſu genii beatioris
Exſultantibus *Aonos* puellis,
*Phœbo* dulcius accinente carmen.
Ad communia ſacra jam frequentes,
Et natalitias adeſte pompas,
Quorum frons hedera viret ſequaci,
Et *Parnaſſia* luculenta *Daphne*
Lambit tempora, quoſque ſemidivos
Virtus nobilitat, manuſque bello
Non inſtrenua, quoſque ſemidivos
Vatum carmina naviter bearunt.
Hac nil candidius die, *Batavis*
Illuxit, populiſque, quos inundant
*Iſter* maximus, auriferque *Rhenus*,
Qua lætus puer extulit ſub auras
Tam ſanctum caput: affuit beatæ
Dextra *Juno* facillima parenti.
Ter *Lucina* vocata, ter repreſſit
Ultro parturientis hæc dolorem.
Extemplo poſitum eſt onus ſuave,
Et felix utero receſſit infans,
Vitæ ad munera, luminis ſub oras.
Natum prima vocat recens *Eraſmum*
Divorum monitu beata mater,
Rebus nomen & omen auſpicatum,
Ut quo nil meliuſque, gratiuſque
Largiri potuere fata nobis,
Nil concedere dii queunt benigni,
Majus nec dederunt prius, dabuntque.
Nati lanificæ manum ſorores
Admorunt niveis repente filis,
Et lætos glomerant dies benignæ.
Porro, limen ad extimum comatus
Magnæ *Cynthius* adſtitit parentis,
Vitæ cum cecinit Deus, futurum
Divino *Pataræus* ore curſum,
Et ſanctam pueri indolem retexit
Fœtuſque ingenii laborioſos.
Cum *Phœbo* cecinere tum puellæ
*Hippocrenides*, audiit ſub imis
*Rhenus* fluctibus, extulitque canum
Rauco fonte caput, ſimul lacertos
A Muſcoſo levat uvidus ab antro. An. 1516.
Inſuetæ ſtupet evocatus amnis
Blanda ad murmura vocis, & novarum
Miratus faciem nimis dearum
Intonſique Dei fides canoras,
Mox curſum requievit incitatum,
Cum *Latonius* interim *Phanetes*
Et carmen cecinere tale Muſæ,
Sed divinius ore grandiori,
Terris orte puer modo *Batavis*
Acceſſure meæ novum cohorti,
Et primum decus ævitatis hujus,
Summis macte bonis. Tibi ecce fontes
B Pandit *Cyrrha* ſuos, & ampliori
Vena *Pierii* fluunt liquores:
Atque arces reſerat ſuas *Citheron*,
Et ſacrum penetralius recludit
Imis ex adytis. Puer *Latina*
Junges *Pallada Cecropis Minerva*
Admirantibus omnibus viciſſim
*Romanis* ſimul, & ſimul *Pelaſgis*.
Quin ſub tempus idem, probe rotundo
Ore, atque eloquio diſertiore
Inſectabere *Barbaros* magiſtros,
Incultamque redargues loquelam,
Inſanas & ineptias refelles
C Sana mente, ſeveritate juſta.
Poſt idem reducem ſuis *Philippum*
Regnis uſque ab *Ibericis* profectum
Verbis excipies: & univerſi
Conſenſu populique, patriæque
Dices nomine gratulationem:
Caſus difficiles, iterque durum,
Attactumque *Britanniæ* minaci
Tempeſtate ſolum: proinde geſtas
Tot res egregie domi foriſque
Ingenti ſimul explicabis ore,
Regis quo nihil orbis ante majus
Vidiſſet, propria hæc tibi fuiſſent
D Si *Germania* dona, *Cæſarique*
Æqua mente *Dieſpiter* faveret.
Verum heu vocibus uſque luctuoſis
Immaturum obitum, necemque acerbam
Deflebis juvenis, manumque duram
Et fati violentiam maligni
Incuſabis, & uſque & uſque amaras
Nequicquam querimonias profundes.
Exin majus opus reconditumque
Nulli conſimili modo priorum
Tentatum aggrediere, quodque abunde
Diverſa ſcatet eruditione.
E Non calle ingredieris ante trito,
Nec veſtigia nota conſecutus,
Aut preſſa alterius ſolo meabis.
Et jam *Græca Paræmia & Latina*
Terſa fronte aperitur explicata.
Dii quantum eſt operis? quid hoc librorum?
Pleno eſt copia florulenta cornu.
Tum *Graii* generoſus *Euripidis*
Aſſumens tragicam ſeveritatem,
Ad proſcenia *Romuli* vocabis:
Cum vates opera tua *Pelaſgus*
Fortunas *Agamemnonis* cadentes
F Et fletus *Hecubes* amarulentos
Orcheſtram bene ductus in *Latinam*
*Romano* gravis intonabit ore.
*Plutarchi* tetricas ſubinde chartas,
Necnon ſcommata ſalſa *Luciani*,
Queis mores hominum ſuave carpit,
Illuditque deis, nihil verendo,
Donabis nivea Latinitate.
Dein mentes hominum libidinoſas,
Necnon pectora cæca pravitate,
Et vitæ tenebras periculoſæ
Scite nomine *Moriæ* notabis.

Scri-

Digitized by Google

An. 1516. Scribes milite digna Chriſtiano,
Et quæ vir ſapiens bonuſque vitet
Trades, quæque ſequatur examuſſim.
Tum vero ſua Principes docebis
Quæ ſint officia: & quibus reguntur
Gentes artibus, & tenentur urbes.
Purgabis veteres Sophon libellos
Mendis: interituque vindicabis
Scripturas *Senecæ* catas ſeveri.
Et ſanctos *Hieronymi* labores
Antiquum revocabis ad nitorem.
Legum denique ſacra tu novarum
Cunctis Biblia rectius legenda
Et *Graiis* dabis, & dabis *Latinis*.
Tu quicquid rigida phraſi per orbem
Ætas priſca rudiſque publicavit,
*Pauli* dogmata, & irreprenſa *Chriſti*
Edicta, ac monitus benigniores
Trades omnia puriore lingua,
Divinæ bonitate fretus auræ.
Oſtendes duce cœlitum favore,
Quanta numinis incitata flamma
Summi buccina patris inter ægros
Tum degens homines, ſalutis auctor
Et vitæ melioris excitator,
Princeps luminis, ore quo profari,
*Chriſtus* vel potuit, vel eſt locutus.
Myſtes ſacrificus Dei ſubinde
Placabis prece cœlites, & aras
Coliuſtrabis odoribus *Sabæis*,
Semper rite litabis adprecatus.
Tu decreta Dei atque jura cœli
Perſcrutabere funditus, perennem
Callebis ſapientiam deorum
Supremis animum artibus colendo,
Quæ poſthac pius omnibus repandens
Magnis digna diis, loqueris unus.
Sed cum livor edax, & invidendi
Infelix rabies, ſibique tantum
Importuna lues, & atra peſtis,
Summis immineat ſubinde rebus:
Nil acti cruciabili furore
Vecordes tibi *Zoili*, tot uni
Vaſta intemperie ſua nocebunt,
Non impune tibi graves futuri.
Latratus facies pili improborum.
Pelles inſidias furentum inanes,
Vim rupturus & impetum malorum,
Et linguas cohibebis impudentes.
Quin plures veluti manu retuſi
Convicti rationibus difertis
*Enuello* tibi concident *Darates*.
Cui pœnas tibi ſunt daturi eaſdem,
Quas victus mihi *Marſias* pependit
Detracta cute, nudus & cruentus.
At longum fuerit, nimiſque longum
Complecti numero tuos labores,
Et producere cuncta nominatim.
Ex te, ſicut *Hymettiis* ab alveis
Favis *Attica* mella cum *Latinis*
Undabunt locupletius per orbem.
Primas quicquid agas feres, rotundi
In leges bene carminis ligabis
Sermonem, & facies repente verſus
Affines *Lyricis Horatianis*.
Scribes verba modis celer ſolutis,
Magno cum *Cicerone* fulminabis.
Promes *Socraticis* frequens ab arcis
Præſentes animæ omnibus medelas.
Et ſanctæ dubis inſtituta vitæ
Ingens ſobrietate vel *Platonis*.
Scripturas quoque temperabis omnes
Feſtivo ſale, Comico lepore.
Hæc tum feceris antequam ſenecta
Tangea undecimum gravante luſtrum,



A Et terras ſimul exteras adibis.
Primum *Lutetiæ Pariſiorum*
Sectatus ſapientiæ magiſtros
Intrabis penitus larem Sophiæ.
Mox *Romæ* tereti & potente lingua
Facunda *Ciceronis* in palæſtra
Deſudabis: & impiger diſertis
Libris, *Felſinea* vacabis urbe.
Viſes cæruleos item *Britannos*,
Et verſabere regiis in aulis
Inter nomina magna, & optimates,
Heroas, procereſque purpuratos.
Et dignaberis omnium favore
B Vita mirifice decorus omni,
Pura mente, ſuavitate morum,
Et dulci eloquio, ac deæ ſuaſu
*Pithus*, omnibus unus adlubeſces.
Imprimis, hominum eruditiorum
Ingens præſidium decuſque rarum
Præclaris *Guilielmus à Waramis*
Nullis non animique corporiſque
Fortunæ quoque dotibus beatus
Te magni faciet. Nec ille ſolum
Primas inter erit viros *Britannos*,
Sed virtute ſua, ſibi hoc vel ipſum
Toto nomen in orbe vendicabit.
C Amplexabere candidos politi
Mores ingeniumque dulce *Moris*
*Mori*, cui fluet undequaque verſus
Conditus ſale, melle, felle, riſu.
Tunc pro materia rei notatæ
Hic comis popularitate vitæ,
Prudens, ingenuuſque, perſpicaxque
Omnes ante alios placebit unus.
Cui tu credere cogitationes,
Quin & ſeria libere jocoſque
Audebis, tibi dedito fodali
Mutam præcipue fidem colenti.
Illinc deinde reverſus adjacentes
D *Rheno* belligeras adibis urbes
Duri ex *Helvetiis* jugis profectus.
Hic te CAPNION innocens videbit,
Pullati rabie gregis tot annos,
Rictu & mordicus appetitus atro.
Oblectaberis hoſpitalitate
RHENANI & ſtudiis ſimul BEATI.
Doctorum tibi quicquid eſt ubique
Applaudet reduci, tibi & *Latina*
Aſſurget bona pars ſodalitatis.
Noſtri & nominis univerſus ordo
Inclinet caput omnibus theatris.
Illis culte locis, *Eraſme*, canus
E Poſt quinquennia jam decem peracta
Nocturnas vigilabis ad lucernas.
Hebrææ ſalebroſa verba linguæ
Exemplum ſtudioſus ad *Catonis*
Ediſces. Sitis impotens honeſti
Et famæ precium, nihil jubebit
Non tentare boni: proinde nunquam
Magnorum obſaturaberis laborum.
Porro, cætera quæ ſequetur ætas
Divinis inhiabit apta rebus,
Humanis moderatius vacabit.
Quanquam conſiliis ſenatuique
Regum addictus eris, fideliorque,
F Et non ultima pars patrum fereris.
Te vitæ tenor innocens, & uſus
Commendabit honeſtior: tibi uſque
Cordi ſimplicitas, bonum, piumque
Et recti ſtudium, inque taminatus
Vitæ candor erit beatioris:
Et victus ſine ſorde mundiores.
Hæc tum *Phœbus Apollo* vera nobis
Olim præcinuit. Deo canenti
Fatorum ſtabilis ſtatim poteſtas

An. 1516.



Digitized by Google

An. 1516. Subscripsit. Subito, ô *Erasme*, prodis
In lucem, nova lux tibi tuisque
Non solum genitus, sed universo
Orbi nasceris, optimum deorum
Munus: quale nec antea dederunt,
Nec sunt, ut reor, amplius daturi.
Debebunt alii penatibus diis,
Communi & patriæ, parentibusque:
Vni patria debitrix *Erasmo* est.
Huic *Germanicus* orbis & *Latinus*,
Nec non *Græcia* restituta debent,
Tot propter varios viri labores,
Dotesque ingenii affluentiores.
Hunc quantum est hominum modo bonorum,
Quantum vivit in orbe candidorum,
Hunc & fœmina, virque, & hunc puellæ,
Imberbes pueri, senesque cani
Exornate diem, dies *Erasmi*
Hic natalitius meretur esse
Toto festus in orbe. Vos *Erasmum*
Et donis, & honoribus deorum
Omnes accumulate. Nunc & omnes
Ante aras bona dicitote verba,
Et linguis animisque confavete.
Illi nunc bona comprecemur omnes,
Soles ariolemur & beatos.
Quot vixit, numeret tot ille posthac
Natales celebres & auspicatos.
Hæc illi rata vota dii benigni
Possunt reddere: vota dii vel ista,
Ut justi fuerint, rata exsequentur.

*F I N I S.*

## EPISTOLA CCXXIX.

### Johanni Fabro Urbanus Regius *S. D.*

SCRIPSI *nuper ad te, clarissime vir, quo in statu res meæ sint positæ, quæ studia consectter, quid denique post tanta conditionis meæ discrimina sperem. Quam grata item mente tuam Doctorisque* V. Fabritii Capitonis *beneficentiam acceperim, animo complecti facilius, quam scribere possum: intellexisti tamen, omnia mihi potius, quam fidem & gratitudinem deesse. Frater meus, qui meas tibi reddidit literas, aliud à te nihil petit, quam unam & eam perexiguam curam disquirendi famulatus: ferocientem juvenis spiritum, quem nostra indulgentia auxisset, haud magno negotio exsilium & aliena increpatio retundent. In hoc si puero rudi quidem, caterum fideli, tuleris suppetias, jam alterum tibi fratrem mancipasti. Fama est* Roterodamum *lumen illud doctorum esse apud vos, cui te & studiorum & vitæ similitudo jampridem reddidit conjunctissimum. Quapropter quæ illum scire pervelim, tuæ humanitati Doctorique* V. Fabritio Capitoni *committam: quod ego ad tantum virum citra decori rationem scripsissem. Credo equidem te non latere quanto amore, & benignitate plus quam paterna, Dux* Hernestus, *illustrissimus* Bavariæ *Princeps, Gymnasium nostrum* Angelopolitanum *confoveat, excolat, ditet, sueque præsentiæ splendore illustret, ut vel cum summis Academiis literariis contendere audeat: estque ei in animo doctissimos passim, ubi ubi in* Germania *fuerint, conducere, suaque liberalitate magnifice exornare, quo tandem suo auspicio, omnes bonæ literæ, quæ utroque cornu hactenus laborarunt, profligata barbarie, reflorescant, nativoque restituantur nitori. Porro in primis* Erasmus *polyhistor ille, vir admirabili & divino ingenio, ac doctrina singulari, visus est Principi nostro, omni honore & favore dignissimus: ob id & diligenter inquisivit, an aliqua ratione magnus ille literarum antistes posset induci, ut aliquid apud nos ordinaria professione docens, sua tum eloquentia, tum eruditionis multijuga flumine, nostram irrigaret ariditatem, quibusdam obnixe negantibus, aliis vero ejus viri præsentiam sperandam adserentibus. Princeps ipse proposito suo pertinacissime adhæsit, non sumptibus ullis parsurus, quo* Erasmum *ad nos perducat. Cu-*

*pio itaque ex te scire, quid sentias, an conditio opulenta* Erasmo *sit conferenda: si putas eum persuaderi posse ad annuendum tanto Principi, cui est acceptissimus, ad me quam primum perscribe. Multa namque sunt, quæ eum permovebunt, ut* Germanus *in* Germania *reliquum vitæ transigat. Primum omnium tanti Principis favor propensissimus, & sincerus in studia politiora amor; in iisce enim à præceptoribus minime pœnitendis pulchre eruditus est Princeps: quare ei foret* Erasmus, *vel ipsa charitate charior, quod magnanimo viro debet videri magnum. Dein salario honestissimo, sacerdotiisque, si acceptabit, uberrime providebitur & condonabitur. Quod si senium, cui docendi labores sunt molesti, causabitur, nihil hoc ipsum remoratur, quippe suavissima dabitur quies. Non enim vocatur, ut fatigetur, verum ut videatur vir rarus, suaque præsentia lucem adferat nostro* Lyceo. *Accedit gratissima loci amœnitas, aerisque, quantam non facile alibi reperiet, mira quædam salubritas, ut merito studiosorum sedes appellari queat* Angelopolis. *Adde honorem, quem erecta mens ceu virtutis præmium exosculatur, qui tam cumulate homini impendetur certatim, ut onerari potius se officiis (quæ ejus est modestia singularis) quam honorari sit conquesturus. Et, ut semel finiam, nihil non adblandietur* Erasmo: *quod si antequam hujusmodi conditionem recipiat, placeret adire nostrum Principem, invisere locum, Princeps viarum impendia, & honorarium neutiquam despicabile libentissime offert. Tuum itaque fuerit* Erasmum *convenire, omnibus quibus potes modis allicere, adhortari, exstimulare, & quam gratus sit Principi, cum exaggeratione manifestare, & si licet urgere, ut in* Germania *cœlo patrio potius cum suis vivat, illis prosit, quam cum exteris: ubi etsi omnia, quæ vel ad vitam, vel honorem spectant, suppetant supra vota, antiquior tamen & venerabilior debet esse patria, præsertim tot votis, tam ardentibus desideriis, omnis doctrina Principem & præceptorem suum sitiens & suspirans. Hæc sunt quæ in præsentiarum ad te patronum & præceptorem scribenda non abs re instituì: tanta enim auctoritate polles & vales gratia apud* Erasmum, *ut persuadere ei nemo te melius faciliusve possit. Vale, doctorum decus. Ex* Angelopoli, *Anno* 1516. An. 1516.

## EPISTOLA CCXXX.

### Urbanus Regius Johanni Fabro.

OPTIME *vir, illa ego scripsi ex jussu Principis* Hernesti, *& domini* Leonardi Eck, *viri nobilis, Artium & Jurium Doctoris, nostri Gymnasii moderatoris, cui sum familiarissimus, ille nostras literas vidit, approbavitque: præterea ita exspectat Princeps* Erasmum, *ut hunc, quem vides, tabellarium ad* Basileam *solum illius negotii gratia,* Erasmi *utpote vocandi, miserit: quod si animo apud nos manendi venire recusaverit, aureos ducentos quotannis si noluerit, & opulentissima sacerdotia respuerit, Princeps tamen hoc unum petit, confiditque se exoraturum: ut videlicet* Erasmus *visendi Gymnasii causa veniat. Huic itineri mensem impendat, ut à Principe videatur, excipiatur, amplexetur, videre enim ex animo* Erasmum *cupit. Et sumptus ad iter ministrabit magnificos, remunerabitque virum liberalissime, ut videat Principem nihil aque ac literatos & literas amare, observare, suspicere. Denuo vale. Hæc velut Amanuensis Principis nostro, & ipso dictante scripsi: quare ita accipias, ita rem agas ex fide, ac si Princeps tibi coram loqueretur. Mitto tuæ humanitati* Eckii *nostri Theologi, honorificentissimo de te sentientis, aliquot Orationes.* Angel. *Anno* 1516.

## EPISTOLA CCXXXI.

### *Erasmus Andreæ Ammonio suo* S. D.

VIX credas, mi *Ammoni*, quam pene hic Theologorum invidia conflagrarim. *Lovanii* gladiatorio animo ad me affectabant viam, idque conjurati, *Atensi* duce, hoc nocentiore, quod hostis amicum

Digitized by Google

An. 1516. cum simulat : agebant & apud Principem sedulo, ut Pontificis auctoritatem cum hujus auctoritate conjungerent. Sed ipse tandem *Lovanium* profectus omnem illum fumum ita discussi, ut cum maximis ac minimis Theologis summam inierim amicitiam. In aula molitiones partim Procerum favore, partim eruditorum, & in his præcipue *Theatini* opera coercitæ sunt. Τὸν χρημάτων τὸν σωτήριον jamdudum exspecto. Quod si non successerit, tam periit Ἐφέσιος, quam extrema faba, neque quicquam supereſt, nisi ut illi Epitaphium pares. Equidem maluissem bis *Romam* proficisci, quam hoc tam diutino tædio cruciari. Nec hoc dico, quo tuum elevem beneficium. Scio moram hanc non tui esse animi, sed mei fati. *Hieronymum* librariorum manibus commisi, quo concinnatum mitterem. Ii suo more dant verba. Quod si nondum emisti, mittam: tum quicquid imperaris pecuniæ præsto erit. Nec unquam tamen desinam in solidum hoc beneficium tibi debere. Tantum matura, ut ante Pascha sim incolumis, vereque *Æsculapium* præsta. Quod si quid incidet, cur mihi sit desperandum, beneficii pars fuerit, inani spe quamprimum liberari. Quanquam ne desperem tuum ingenium facit. Offert *Gallia* montes aureos. Sed mihi manus obstrictæ sunt. Si quid habes quod me in vitam restituat, mitte per *Morum*, nisi contigerit certior. Bene vale. *Antuerpia* sexto Calend. .... Anno 1516.

## EPISTOLA CCXXXII.

Paschasius Berselius Erasmo Rot. *S. D.*

An. 1517. CERTE *probare nunquam potui illorum industriam, vel avaritiam potius, qui passim amiculis strenulas mittunt, ut apophoreta recipiant. Tantum ego veri amoris qualecunque pignus semel ad te miseram, at tu bellum callidus ex amore finxisti, ut vinceres. Scribis enim te muneribus à me provocatum, nec tamen velle adhuc contendere, bellum omnino non detrectans, sed in idoneum tempus differens. Quorsum istud quæso? Num interim copias colligis, & machinas tormentaque paras? Noli laborare, bone vir, non te provoco, nec irritatum velim; coerce animos, tibique tempera, major es quam ut mecum in arenam descendas. Quid enim* Paschasius *ad* Erasmum? *hominem in quovis literarum ac officiorum genere ad palmam natum? Desine, satis est, nolo quicquam per nos sanguinis manet, ultro tibi manus porrigo.* Paraphrasis *ista fecit, qua nimium mihi formidabilis visus es, ut qui meus esse non possum, jam toto pectore sim jure belli tuus. Quinto Calendas Januarias me contuli ad humanissimum Principem in arce* Hujiensi, *qui me perbenigne & humaniter, ut solet, excepit. Reddidi illi epistolam tuam, ac* Paraphrasin, *quod is, cui negotium commiseras, id facere nequicquam semel ac iterum attentasset. Legit Princeps clara voce quæ scripsisti, & munusculum subinde exosculatus,* Erasmum *præ gaudio identidem inclamabat. Jussus sum eo die in arce manere. Audita re divina, venit prandii tempus. Ingredimur aulam principalem, magnis altisque tapetibus ornatam. Paulo post, dantur aquæ manibus. Sedit Princeps, ac juxta illum frater* Robertus *nomine, vir in armis strenuus, & nostri seculi velut alter* Achilles. *Tertium locum ejus Hegois uxor occupabat, vita* Penelope, *moribus* Lucretia. *Quarto sedebat filia, virgo jam nubilis, ac vultu ipso* Dianam *referens. Quintum & sextum duo illius* Heroidis *fratres tenebant, quos vere credere posses* Ledæ *gemellos. Inter tot deos deasque, vocatus ab* Jove *nominatim, & ego* Scarabeus *accubui, oculos auro, gemmis, ac purpura, aures dulcibus melis, palatum ambrosia & nectare pascens. Ubi exempta fames, mensis epulisque remotis, canuntur superis gratiæ, surgimus, ludere cœperunt alii fritillo, alii latrunculis. Vocor interim ad Principem, multa ibi de te honorifica confabulatio. Nihil te uno apud illum est antiquius. Cupit te videre, & complecti medium, sed ut parentem, sed ut numen quoddam è cœlo in terras delapsum. Te literis ad se vocat, noli tardare. Pergratum illi facies, si moras omnes abruperis. Cave per Deum immortalem, ne longum tui desiderio tantus Heros torqueatur. Alius est, quam quos in* Italia, Gallia, Britannia, Scotia, Germania *vidisti Præsules. Non sunt omnes cum hoc conferendi: sive enim species animi divitias, seu corporis dotes, seu fortuna bona, omnes longo intervallo post se relinquit. Vicissim tibi salutem adscribunt, quos per me nuper tuis verbis salvere jussisti, in primisque* Baptista, *qui te non secus amat ac patrem. Saluta, si me amas, filium tuum ac meum fratrem* Rutgerum Rescium, *scribam illi cum per ocium licuerit. Vale, literarum decus. Si quid ad Principem voles, recte huic sacrificulo commiseris. Iterum vale, è cellulla nostra apud* Leodium, *7. Januarii, Anno 1517.*

An. 1517.

## EPISTOLA CCXXXIII.

*Erasmus Roterodamus Paschasio Berselio* S. D.

NAE hominem bellacem oportet esse te, qui nihil nisi bellum, testudines, vineas ac tormenta crepes. Age, munito te quantum voles, nos tamen te vel cuniculis aggrediemur. Nunc hoc saxum volvendum est, vel potius in hoc molendum pistrino. Sed gratulor tibi jam, opinor, semideo facto, cui contigerit epulis accumbere divûm. Cujus tamen felicissimi convivii me quoque participem esse voluisti, cum adeo graphice depinxeris, ut etiamnum inter deos deasque mihi videar tecum accumbere. Extra jocum, totam hanc noctem cum Episcopo transegi fabulis mutuis. Eum haudquaquam torquerem diutino mei desiderio, mi *Paschasi*; sed primum vides anni tempus, quo non solum innavigabile mare, verum etiam terra immeabilis, ut tecum agam verbis poeticis. Deinde ea est corporis valetudo, ut vix eam tuear domi abditus, & ad focum luculentum obambulans, aut coccycis in morem nido immersus, & tamen hic nidus mihi plusquam pistrinum est. Versor enim in labore longe omnium molestissimo, in quo tamen jam eo provectus sum, ut per densissimas montis perfossi tenebras, qualis penetrandus est *Neapoli Cumas* adeuntibus, procul exiguum lumen, ceu stella quædam exitum promittat, atque in fluctibus laboranti, è longinquo portus appareat. Intra mensem, auxiliante *Christo*, ex hoc labyrintho me extricabo. Quod si nunc labor hic interrumperetur, nunquam animo meo queam imperare, ut rursum sese in hujusmodi pistrinum immittat. Nunc dum captus est *Proteus*, stringenda sunt vincula, donec in se reversus oraculum absolvat. Et mox se remittet hyemis rigor, ut liceat cum ciconiis & hirundinibus evolare. Quod Principem omnibus anteponis Præsulibus, idque in omni virtutum aut ornamentorum genere, non admodum tecum pugnabo, præsertim cum nec id solus prædices, & mihi vel *Aleander* evectus, vel ipsius denique epistola novam & inauditam, ac vere generosi ingenii humanitatem præ se ferens, fidem faciat. Et tamen Archiepiscopus *Cantuariensis* mihi talis est, ut commodiorem ne possim quidem optare. Hoc uno sat felix essem, si aut hic contigisset, aut *Britanniam* nobis pons aliquis jungeret. Adeo male odi fretum illud immanissimum, & nautas freto immaniores. Verum, ut olim apud *Scythas* parum secundæ famæ fuit *Polyphilia*, (quanquam video & *Hesiodo* juxta turpe videri, ἄξενον εἶναι τὴν πολύξενον) ita fortasse apud populum poeticum parum honestum esse ducitur, eidem multos esse *Mecænates*, etiamsi mihi nihil magis in votis est, quam optimis probari, quandoquidem omnibus non possumus. Atque id sane nobis non perinde male contigit atque fero. Jam opus sit *Mecænate*, non qui in fortunæ scenam producat, qui fortunæ ornamentis oneret, sed qui corporis vires sarciat, qui ingenii vigorem restituat: quas res semper in me exiles, partim ætas, partim jugis studiorum exhausit labor. Nunc & animus honestum ocium flagitat, & valetudo etiam imperat. Restat enim extrema hujus fabulæ Catastrophe, quam utinam sic liceat agere, ut



Digitized by Google

An. 1517. *Christo* Chorago probetur. Amplam fortunam nunquam ambii, ut parvis animis & parvo corpore majorem. Nunc etiamsi ambiam, par esse sustinendæ non queam. Proinde stat sententia, ocium hoc meum tueri mordicus, in quo tamen sic versabor, ut quoad per vires licebit, Reipublicæ sim profuturus, etiamsi ab hujusmodi laboribus, plusquam juvenilibus, quibus nunc conficior, sum in posterum temperaturus. Sub quadragesimam incipiam evolare è nido, si Præsul boni consulet, res in hoc tempus differetur. Sin minus, vel cum valetudinis periculo tanto Principi gratificabimur. Vides, mi *Paschasi*, ut me totum in sinum tuum effuderim. Bene vale. *Paraphrasis*, quæ te terret, ut scribis, magis placebit, si propius contuleris. *Lovanio* 7. Januarii, Anno 1517.

## EPISTOLA CCXXXIV.

*Erasmus Bilibaldo Pirckh. suo* S. D.

ORNATISSIME *Bilibalde*, nuper mihi redditæ sunt tuæ literæ, quibus expostulas, quod tuis non responderim. Id adeo miror, cum mea responsio copiosa jampridem excusa sit *Basileæ*. Demiror, te citatum esse *Romam*, cum sciam, Pontificem hoc inprimis dedisse in mandatis, ne quem innoxium læderent, imo conscios etiam ac fautores, ut ipsi vocant, hæreseos, modis omnibus allectarent. Sed aliter visum est furiosis Theologis aliquot. Cupio te quam optime valere, ac † fugere postea feliciter. Ego hic in quotidianis concionibus lapidor à prædicatoribus, & *Luthero* copulor, quicum mihi nihil est negotii, sed ita stolide rem gerunt, ut populus etiam crassissimus intelligat. Non poterunt magis officere *Romano* Pontifici, neque magis *Lutherum* commendare affectibus hominum. Nunc demum incipiunt illi favere. Utinam *Leo* sciret, quibus modis hic res agatur. In illos primum esset leo. Bene vale, vir optime. *Lovanio* 26. Januarii, Anno 1517.

## EPISTOLA CCXXXV.

*Erasmus Rot. Stephano Poncherio, Episcopo Parisiensi, Christianissimi Regis apud Catholicum Oratori, S.*

QVANQVAM *Franciæ* regnum totius orbis Christiani longe florentissimum esse constat, ornatissime Præsul, mihi tamen hoc nomine præcipue felix esse videtur, quod Principem nactum sit, non titulo tantum *Christianissimum*; sed omnibus vere regiis dotibus eximie cumulatum, tum ætate florenti, ut spes sit hanc felicitatem vestræ *Galliæ* ac nobis vicinis & amicis diuturnam, imo perpetuam fore. Indoles erecta vividaque, animus, non Rege modo, sed tali quoque Rege dignus, sic ardens & excelsus, ut tamen ad omnem humanitatem sit propensissimus: rursum sic erectus ac simplex, ut summa vigilantia prudentiaque sit præditus. Siquidem nuper in conflictu cum *Elvetiis* satis declaravit, ita se paratum instructumque ad bellum gerendum, si pacem non liceat adipisci, ut multo tamen pacem malit quam bellum. Magis enim habet studio, ut regnum suum optimis legibus, incorruptis moribus, honestissimis studiis locupletet, exornet, illustret; quam ut ditionis suæ pomœria proferat. Nimirum intelligit hæc demum esse vera regni decora, has veras opes, hanc veram & nullis unquam seculis cessuram gloriam. Proinde parum esse putat justis præsidiis regnum suum munisse, nisi idem viris eruditione juxta ac vitæ integritate præcellentibus ditet atque honestet: hoc potissimum pacto felicem ac magnum Regem se fore judicans, non si quam plurimis, sed si quam optimis imperet. Quos cum plurimos habeat domi, cum primis autem incomparabilem illum *Guilielmum Copum*, Medicinæ vindicem atque antistitem; quem certatim sibi vindicant, hinc *Gallia*, hinc *Germania*: præterea *Guilielmum Budæum* certissimam

† Forsan *vivere*.

*Galliarum* gloriam, qui jamdudum *Italis* utriusque literaturæ palmam magno eruditorum omnium consensu præripuit: sic cæteros omnes vincens in *Romani* sermonis eloquentia, ut in *Græca* dictione vincat seipsum: tamen aliunde quotidie præmiis accersit allicitque, veterum ac laudatissimorum Regum jamdiu obsoletum exemplum hic quoque nobis referens. Cæterum, quod inter hos & nostri rationem habere non gravatur, equidem video quantum illius animo debeam. Atque utinam is sim, qui tam eximii Principis judicio respondere queam. Onerat me quorundam candor ejusmodi laudibus, quas nec agnoscere possim, nisi sim improbissimus: nec tueri, nisi longe alius sim quam ipse me novi. Alioqui *Gallia* vestra cum aliis de causis mihi semper cordi fuit, tum hac etiam peculiariter jucunda, quod illic annos aliquot in optimis literarum studiis suavissime sim ociatus; sed jam ætas hæc à vertendo solo dehortatur, ut etiamsi non delegissem hanc sedem, tamen sedendum esset, ubicunque senectus deprehendisset. Ad hæc alligat *Caroli* Principis optimi benignitas, & animus in evehendis optimis studiis, sic cum tui Regis animo consentiens, ut hujus laudis certamen cum illo suscepisse videatur. Quamobrem nihil est quod in præsentia super hac re certo respondeam, nisi me & penitus agnoscere Regis optimi erga me studium, & gratiam habere, perinde ac si delata illius benignitate jam usus essem: neque defuturum me in posterum voluntati tanti Principis, ultro sua liberalitate provocantis, siquidem id bona cum fide cumque decoro licebit: quod si non continget, ego me nihilo minus debere putabo *Galliæ*; & vos vicissim boni consuletis, si non præsto quod non possum. Corpusculum hoc haud possum omnibus commune facere, animum animique proventus possum. Cæterum, quando video celsitudinem regiam tuamque amplitudinem id tantopere conari, ut *Galliam* vestram egregie probis ac literatis viris exornetis, commodum mihi succurrit *Henricus Glareanus*, pridem mihi *Basileæ* domestica consuetudine notus, homo mea sententia ad vota vestra, si quisquam alius, accommodus. Eum tibi paucis delineabo, sed verissime. Genere *Elvetius*, (nam hæc quoque natio studiorum gloriam cum militiæ laude incipit conjungere) ætate florenti, quippe nondum tricesimum egressus annum, valetudine firmissima, ac laboris tolerantissimus, annos jam aliquot versatus in professione liberalium disciplinarum, primum *Coloniæ*, mox *Basileæ*, nec id sane sine summa laude. Septem artium, quas vocant, Doctor, non titulo tantum, quemadmodum vulgus ejus ordinis solet. Sophistices peritissimus, sed quoniam resipuit, nunc ejusdem hostis ac perfuga. Theologiam non tantum à limine salutavit, verum ad ipsa usque penetralia progressus quondam, sed offensus partim frigidis illis argutiis, quibus solis pene nunc in scholis applauditur, partim inexplicabili Theologorum inter se contentione dissidioque, pedem retulit, & *Christum* ex ipsis fontibus, quam ex illorum lacunis haurire maluit. In hunc usum *Græcam* literaturam magno studio cœpit amplecti. Poeta non invenustus, nam in hoc genere quondam admodum adolescens apud *Coloniam Agrippinam* à Cæsare *Maximiliano* lauream meruit. In oratione soluta talis, ut nec ingenium, nec eruditionem desideres, usum fortassis & exercitationem alicubi requiras. Magna historiarum cognitio, in Musica, in Cosmographia, in cæteris item disciplinis, quas Mathematicas vocant, exercitatissimus. Nam in his præcipue regnat ille. Jam, quod in hoc hominum genere rarum esse solet, moribus est adeo castis ac puris, ut non animus modo, sed aures etiam ab omni turpitudinis commemoratione abhorreant, veræ pietatis cultor ardentissimus. Ne *Momus* quidem ullum in eo vitium notare possit, nisi quod in spinosos Sophistas magna libertate debacchari solet: si tamen hoc vitio, ac non potius judicio tribui debet. Nosti enim quam sit hoc hominum genus insolens ac procax, nisi

si

An. 1517. si quis ei studio meliores literas adjunxerit. Cum his non minore animo depugnat *Glareanus*, quam olim cum monstris *Hercules*. Et in hos quantumvis clamosos sufficiunt illi latera, sufficit vox & imprimis animus invictus, vereque *Herculanus*. Et ob id non admodum illi convenit cum Theologis, non dico eruditis, cum quibus maxime convenit: sed cum quibusdam istis, qui præter illiteratas literas, & frigidas aliquot quæstiunculas, nihil didicerunt. Hos eo facilius fundit, conscinditque, quod ipse sit olim in illorum castris versatus. Tametsi hunc quoque fervorem & impetum, ac velut ἐνθουσιασμὸν ætas in dies reddit moderatiorem. Cæterum, ab omni supercilio fastuque longissime abest. Moribus facillimis, & ad omnem vitæ consuetudinem appositis. Jusseris canere, nihil cunctatus canet; malis legere, leget. Libet ludere, jocabitur festivissime; vis seriis agere, subito alius erit: atque ita facilis est, ut tamen adulari nesciat. Jam si statum hominis cupis cognoscere, totus est liber: nec libidini deditus, nec admirator pecuniæ, nec uxori alligatus, nec ullis sacris addictus extra baptismum. Is nuper ad me scripsit, fore ut ipsi salarium annuum apud *Gallos* constitueretur ex fisco regio, simul atque pax coisset inter vos & *Helvetios*, quam nunc coisse vehementer gaudeo: quod si est assecutus, quæso ut tua humanitas hominem velit cognoscere; expertura, num falsam imaginem finxerim: sin minus, dabit operam ut accersatur, sed honesta conditione. Scio quid iliius dotes promereantur, sed ut est modestissimus, erit opinor centenis coronatis contentus, quos, mihi crede, non male collocabitis. Novi quam recte moneat *Horatius*, etiam atque etiam adspiciendum, quem cui commendemus. At in hoc nihil vereor, ne mox incutiant aliena mihi peccata pudorem. Solent agere gratias, quorum commendatio valuerit: at ego exspecto ut mihi agantur gratiæ, posteaquam *Glareanus* meus vobis perinde notus esse cœperit, ac mihi est. Hac in re si quid à nobis fieri voles, impera. Nam meis literis evocatus, & lubentius advolabit, & celerius, ne nihil interim magnifice de me ipso dicam: maxime, si quemadmodum illum tibi, ita te illi depinxero. Sed heus tu, vacuis epistolis non est accersendus, viaticum addatur oportet, velut arrhabo reliqui promissi. Vide quam familiariter tecum agam ceu tuæ ceisitudinis oblitus: sed ita me tua corrupit humanitas, quæ hanc docuit impudentiam: quam aut totam ignoscas oportet, aut bonam certe partem tibi ipsi imputes. Bene vale. *Antuerpiæ* 14. Februarii, Anno 1517.

## EPISTOLA CCXXXVI.

### Andreas Ammonius Erasmo Roterodamo *S. D.*

QUIBUS *victimis hoc expiabo, ut binis* Erasmi *mei literis non antea responderim, quam ternas acceperim? Malo crimen fateri, quam causas ineptas afferre: quanquam nonnullæ sunt haud omnino (ut mihi videntur) inepta. Veritus enim sum ne opera, cujus tantis tricis vehementer impeditus parcus esse cogor, jacturam facerem, quum in incertum scribendum ad te esset, quod tu pertæsus hypocausterum nidorem, è* Germania *ad Calendas primo Novemb. deinde festis Natalibus peractis, avolaturum te significabas: nondum tamen constituisse videbare* Romam *ne ires, an huc reverteres, seu* Venetias *te conferres. Quamobrem priusquam ad te scriberem, ubi constitisses, gnarum me fieri exspectabam. Interim tamen si* Romam *petiisses, veteri meo patrono Episcopo* Wigornienſi, *nostri illic Regis Oratori, studiose te commendavi: ex eo, atque adeo ex ipsis palatinis columnis singularem Pontificis Maximi in te animum protinus cognovisses, raptusque confestim ad eum fuisses. Sin vero* Britanniam Italiæ *pratulisses, quid literis inter præsentes opus? Nunc autem postquam, ut tu scribis ad Calendas Martias, ut ipse jam conjecto ad Majas, tuum istinc discessum produxisti, periclitari hanc opellam volui. Quare de his, quæ putem scire te oportere, hac accipe. Ternas Pontificis Maximi literas, quas* Breves *vocant, accepi: binas ad te ejusdem plane exempli, alias ad Regem, quibus ei perquam diligenter, ut ex earum exemplo intelliges, commendarit. Quæ erant ad te, quoniam quid bona spei continerent, scire magnopere avebam, pro nostra amicitiæ jure mihi sumpsi ut resignarem: unas ad te nunc mitto cum exemplo earum, quæ sunt commendatitiæ, ipsas vero literas cum alteris ad te diligenter tibi servo. Si huc non redieris, quid de illis commendatitiis fieri velis, significato. Hoc tibi ante deliberatum oportuisse dices, literasque forte antiquiores judicabis, quam ut Regi sint reddendæ. Sed crede mihi, perinde fore, ac si recens factum fuisset. Vix enim unquam istiusmodi minutiæ considerantur, quando non ex syngrapha pecunia postulatur. Adscripsit præterea mihi Episcopus* Wigornienſis, Leonem *tuis literis mirum in modum fuisse exhilaratum, ac de te diligenter scisciatum, ubinam esses, quid rerum gereres, & an puturet te libenter ad se venturum, compluriaque alia amantissimi erga te animi signa: conversumque postea ad viros quosdam eruditissimos & beatissimos, qui forte adstabant, tuas literas ea tradidisse, adjecto suo præjudicio de tuo raro ingenio, atque eruditione, certatimque in tuas laudes ab omnibus itum: vetus enim mos adhuc perdurat, Tantum admirari, tantum laudare disertos: quanquam* Leo *noster Hercule fovet etiam & beat, spesque studiorum in eo summa. Ad quem curriculo, si tuum commodum spectem, contendere, si meam voluptatem, huc revolare te velim. Deus, quicquid decreveris, fortunet. De* Hieronymo *ambiguum non habeo opera te precium assequutum, valde exspecto ut appareat.* Senecam *à te castigatum venalem jam habemus. Vis dicam quid sentiam?* Apellem *in fingenda* Venere *videris imitatus. De Novo Testamento equidem plurimum gaudeo, & tibi gratulor: est enim mea sententia opus ut religiosissimum, ita & maxime necessarium, quod ab omnibus excolatur, ingeniique ac doctrinæ capacissimum, dignumque in primis te, & Pontifice Maximo, cui inscribendum destinasti. Macte animo, sic itur ad astra. De somnio, quo te ab* Eboracensi *fuisse beatum dicis, & ludibrio habitum arbitraris, vellem explicatius scripsisses. Cæterum, de ludibrio omnia alia, nihil est à viro alienius, quin scio te ab eo fieri maximi: verum aliquid accidit, præter ejus quoque voluntatem ac sententiam, quod corrigi fortassis adhuc posset. Hæc habui, quæ de tuis rebus in præsentia scriberem. Addam aliquid de rebus* Britannicis. *Regina scitulam peperit filiolam; tuus* Cantuariensis *cum bona Regis venia, magistratu se abdicavit: quem* Eboracensis, *impendio rogatus, suscepit & pulcherrime gerit.* Morus *à suis* Belgis *legatione honorifice functus, domum rediit, & palatinos fumos nobiscum frequentat. Nemo temperius eo, matutinum* Eboracensi *portat ave.* Paceus *ita in istis regionibus se gerit, ut maxime ei gratulandum esse censeam. Mihi res agre quidem, sed non pessime procedit: corporis firmitas adsit modo, cui fac, mi* Erasme, *ut sedulo inservias.* Londino 17. *Februarii, Anno* 1517.

## EPISTOLA CCXXXVII.

### *Erasmus Rot. Thomæ Moro* S. D.

MISI duas literarum sarcinas, alteram per negotiatorem quendam, alteram per filium *Joannis Crulli*, cui tu operam tuam navaveras. Ei commendavi codicem, in quo erant *Reuchlinica*, quæ misere desiderabat *Roffensis*. Per priorem misi libellum *Reuchlini*, versum meo sumptu. Mitte *Utopiam* ubi primum licebit. Est *Antuerpiæ* Senator, cui usque adeo placet, ut eam memoriter tenеat. Epistola *Dorpii*, cui tu respondisti, sic à tuis descripta est, ut ne *Sibylla* quidem possit legere, vellem mitteres minus male scriptam. Quæso te ut scribas de omnibus diligenter, cum primum licebit. Nam hic magna rerum mutatio videtur instare: nisi me animus fallit. Bene vale cum tuis omnibus.



Digitized by Google

An. 1517. Qui has perfert probus est juvenis, ei promisit nescio quid *Sixtinus*. Is ea fiducia petit *Angliam*: ignarus ex simplici promisso non nasci actionem. Sed tamen exstimula hominem ut magis ei faveat. Si *Pollio* crebro fuit apud te, facile conjectabis quid ego passus sim *Bruxellæ*, cui quotidie cum tot salutatoribus *Hispanis* fuerit res, præter *Italos* & *Germanos*. Rursum vale. *Antuerpiæ* 8. Martii, Anno 1517.

## EPISTOLA CCXXXVIII.

Erasmo Rot. Jo. Oecolampadius. *S. D.*

VBINAM *te locorum, gloria mea, dulce decus meum, inquiram? Cui incerto nuncio, certissima desideria ut desideratissimo* Desiderio *exponat, credam? Tabellio comparet nullus, ac quid opus tabellione literis rusticanis & incultioribus, quam ut coram ornatissimo prodeant* Erasmo? *Possent, fateor, gerræ meæ intra spelunca meæ angustias contineri, sed amor violentior est, secum habitare nescit, silentium fert minime. Parum illi studia, curæque suæ, nisi ab amato cognoscantur. Ubi ergo te gentium offendam? jam quibus divitiis locupletem esse, quibus voluptatibus frui licebat* Basileæ, *absens & sero cum* Phrygibus *intelligo, sed frustra ἀδρασίαν corrigo. Sat præsens eris, si sciam te scire animo nos sejungi posse nunquam. Hæret alioqui tua maximi herois virtus, & observatur in oculis (*Hebraico *tropo ignosce) pectoris mei, vivit amor, flagrat virtus, suaviloquentia adhuc oblectat aures, obstrepit τῶν παροιμιῶν frequentia, subtinniunt virorum optimorum laudes;* Mori *civilis, inquam, &* Coleti *religiosi. Insonant epiphonemata, illud in primis, illud laudatissimum, illud aureum, nihil in sacris Literis præter* Christum *quærendum. Tamque præsenter hæc adsunt, ut adhuc ab ore tuo pendere mihi videar, neque mihi ipse ipsi esse præsentior. Obliviscor subinde meæ humilitatis, in te admirando occupatior, quoties parvulum illud, sacrum tamen & dulcissimum amicitiæ monumentum, ἀρχὴν ἐξ Εὐαγγελίς τῆς Ἰωάννεν deosculatus sum, eoque tacto, quo non aliud sanctius Christianis juramentum,* Erasmo *me devovi. Matri donaturus eram, si non tanti apud me* Erasmus. *Crucifixo meo* Jesu, *coram quo preculas effundo, appenderam, ut te tuamque fortunam illi commendarem, (ita enim flagitabas, & charitas exigit) neque à tui memoria vel inter sacra avellerer. Imprudentius tamen amiculis τὸ κειμήλιον ostentavi, glorians ab amico dulcissimo profectum: unde factum, ut* Harpyia *nescio quæ sublegerit non mediocri animi mei acerbitate, verum citra memoriæ tuæ periculum. Affixurus eram & epistolium ex* Spiris, *ut reor, ad me datum, nisi rapaculos timerem, verum secretius lectito, subinde suavians. Quid hæc? quomodo animo excideret eximium illud amicitiæ testimonium & ornamentum, quo* Theseum *tuum vocas: quamvis autem tantum onus, ne honorem dicam, male feram, non sum tamen nescius, quid discedens promiserim, daturum me operam, ne omnino vana super* Oecolampadio *dixerit* Erasmus. *Conor quidem, fortasse infelicius, multum negat sterilis* Minerva, *multum & ambigua valetudo, & hæc multum commodi affert, dum compedibus aureis domi detineor.* Hieronymi *interpretationes cum* Hebraicis *confero exemplaribus, quæ prope nunquam è manibus seponuntur. Est mecum adolescens paris studii ac ardoris ad quasvis literas,* Joannes Brentius, *tui nominis studiosissimus, paramus συναχίδιον in germana divi* Hieronymi *Opera. Ludo item tragœdiam,* Nemesin Theophili, *sed tardiore incremento dramatis secundi finem nec dum vidi, quamvis versus sint prope sesquimille: rem mediocritati meæ imparem aggressus sum, & quem exitum sortitura sit dubito. Proinde ejus non meminisse satius fuerat, ne forte in spongiam, sed memor fidei datæ, non indicare non potui. Dabo enim operam, annuat Deus, ne frivole* Oecolampadium *ornarit* Erasmus. *Crebras ad me dat literas* Ph. Melanchthon, *semper tui meminit, semper admiratur, semper commendari tibi rogitat: plane dignissimus* Erasmi *amore, qui alter futurus est* Erasmus. *Quique facundia, ingenio, eruditione, vita, si quisquam* Germanorum, Erasmum *præstabit. Id* Beatum *nostrum, beatius apud te, ejusdem nomine egisse non dubitarim. Me vero hac epistola non rhetoris, sed amici à fuco plane alieni officio egisse, teque mihi semper præsentem arbitreris, mi* Erasme. *Vale, optime* Erasme, עטרת ראשי *hoc est,* corona capitis mei. *Ex specu nostro natalitio* Vinimontano 26. *Martii, Anno* 1517.

An. 1517.

## EPISTOLA CCXXXIX.

*Erasmus Roterodamus Jacobo Fabro Stapulensi* S. D.

DOCTISSIME idemque optime *Jacobe Faber*, jam unis atque alteris literis testatus sum, quam acerbe feram hanc ansam obtigisse maledicis, de nobis garriendi. Præsentiebam hoc malum nasciturum. Sed quia non erat mihi integrum non respondere, è duobus malis, quod levius visum est, delegi. Nunc quod unum supereſt, oro te per Christianam charitatem, per sanctissimorum studiorum communem amorem, per utriusque famam, quam ex amicitiæ lege par est utrique cordi esse, ut communi studio, malo huic qua licet medeamur, ne latius serpat incendium. Vides homines ad malum proclives, undecunque dissidiorum causas arripere. Nullum est pene convivium, in quo non hinc pro *Fabro* adversus *Erasmum*, hinc pro *Erasmo* adversus *Fabrum* disceptetur, præsertim ab iis, qui rem penitus ignorant. Sparguntur tuo nomine diversæ voces, alii prædicant abs te parari recriminationem, alii negant dignari responso *Erasmum*. Rursus alii dicunt te non improbare, quod me defenderim: alii è diverso incusare temeritatem meam. Ego quod ad me pertinet, haud multum laboro, utrum respondeas, necne, modo ab odiosis istiusmodi dictis temperes, quæ nec tibi decorum est in amicum jacere, nec mihi integrum dissimulare. Cæterum, molestum est, nostra causa seri dissidia inter Christianos, exsultare nostra dissentione eos, qui tuis æque ac meis studiis infensi sunt. Non voco te ad palinodiam, licet indignis modis sim lacessitus, tantum epistola quapiam testare, te veri vestigandi studio decertasse, cæterum inter nos animorum esse concordiam. Quod si non placet, denique malim te respondere, quam silentio tuo partes irritare, modo ea utare temperantia, quæ pristinos tuos deceat mores. Nullus mortalium audivit me de *Fabro* loquentem, nisi tum amanter, tum honorifice. Tantum admirari me fateor, quibus rebus adductus ea in me scripseris. Neque secus sentio quam loquor, teste CHRISTO. Bene vale, vir optime. *Lovanio* 17. Aprilis, Anno 1517.

## EPISTOLA CCXL.

*Erasmus Roterodamus Petro Ægidio suo* S. D.

PER nostram amicitiam, qua non potest arctior esse, per tuam incolumitatem, quæ mihi non secus atque mea ipsius est cordi, mi *Petre*, da operam ut reversus, te offendam hilarem ac lubentem. Ita mihi demum videbor reversus incolumis. Tempera victum, in reditum *Adriani* tui, cui mehercle plurimum fido. Est aliquid amico uti medico. Interim cave ne crebris pharmacis vires nimium exhaurias. Inprimis tempera tibi ab omni vehementiori motu animi, ab immodico gaudio, ab intemperanti risu, ab ambulatione graviore, à studio vehementi, sed ante omnia ab iracundia. Mi *Petre*, omnia vitæ posthabenda sunt. Fortassis hæc admoneo importunius, sed utinam tam feliciter admoneam, quam ex animo. Ego meum periculum contemno, modo contingat te reviviscere, hoc est, firmum validumque fieri. Bene vale cum suavissima conjuge, dulcissimisque liberis. *Lovanio* 17. Aprilis, Anno. 1517.

EPI-

Digitized by Google

## EPISTOLA CCXLI.

*Eraſmus Roterodamus Richardo Pacæo ſuo* S. D.

An. 1517. OVere ſplendidam veſtræ *Britanniæ* regiam, ſedem & arcem optimorum ſtudiorum ac virtutum! Et vobis, mi *Pacæ*, gratulor, talem Principem, & ipſi Principi gratulor, cujus regnum tot ingeniorum luminibus illuſtretur. Utroque vero nomine gratulor veſtræ *Angliæ*, quum alias multis modis felici, tum iſtis ſic excellenti titulis, ut nulla regionum cum ea queat conferri. Nunc demum juvat, univerſam ætatem apud *Anglos* exigere, ubi favore Principum regnant bonæ literæ, viget honeſti ſtudium, exſulat aut jacet, cum fucata perſonataque ſanctimonia, futilis & inſulſa doctrina quondam ἀπαιδεύτως πεπαιδευμένων. *Grocinum* deficere doleo: ſed rurſum video pro uno tam multos brevi ſuppullulaturos. Quod negotium meum tam amanter egeris, veterem tuum in me animum libenter agnoſco. Utinam liceret hanc provinciam edendi Novum Teſtamentum alteri committere. Verum hoc quicquid eſt mortarii, quando intrivi, mihi totum eſt exedundum, quæ res iſtis μαλαιολόγοις vertat male. Utinam mihi magis incidiſſet in mentem, de hominibus quam de portentis bene mereri. Cum *Lovanienſibus* Theologis mihi probe convenit. *Colonienſis* Academia diſſidiis inamœnis conflictatur. Dentata charta res agitur. Jamque & meum nomen paulatim admiſcent. Curſitant ſurſum ac deorſum perſonati præcones, fœdum rumorem ſpargentes in vulgus, impudentiſſime mentientes, quod illis commodum bonumque eſt apud eos, qui nihil omnino de re norunt, non magis quam ipſi. *Dorpius* mihi videtur ex animo factus amicus. Adnitar ut ante hyemem vobis reſtituar, ſi modo reditum dabunt ſuperi. *Paraphraſis* rurſus excuſa eſt *Baſileæ*. *Apologia*, qua *Fabrum* placo, nuper *Baſileæ* prodiit, cum annotamentis jampridem excuſa *Argentorati*. Precor Deum Opt. Max. ut tibi iſtum animum, te nobis diu ſervet incolumem. *Lovanio* 22. Aprilis, Anno 1517.

## EPISTOLA CCXLII.

*Eraſmus Gonello ſuo* S. D.

GRATVM erat tuum munuſculum, gratior epiſtola tam amica, gratiſſimus animus, nihil etiamnum immutatus diutina conſuetudinis intermiſſione. *Clementem* ſummæ ſpei juvenem meis verbis admonebis, ut ab intempeſtivo ſtudio temperet. Memini quam ille ſit libro affixus, præſertim ut à nocturna ſcriptione quantum licet abſtineat, & ſi forſitan ob Cardinalis negotia cogetur ſcribere, ſtans & erectus ſcribere aſſueſcat. Nolim hoc ingenium ante diem perire, malimque ſervari ſtudiis, quam Cardinaliciis negotiis impendi. Bene vale. *Lovanio* 22. Aprilis, Anno 1517.

## EPISTOLA CCXLIII.

*Eraſmus Rot. Henrico Bovillo ſuo* S. D.

VIDEO, mi *Boville*, tantam hominum perverſitatem & ingratitudinem, ut propemodum in animo ſit, edito rurſus Novo Teſtamento, mihi canere & Muſis. Conſpirant perſonati quidam hiſtriones, qui Curios ſimulant, & procul allatrant: coram, nemo verbum. Spargunt in vulgus, talibus ſcurris digna mendacia, perinde quaſi hoc ipſum eſſent profeſſi, famam alienam mendaciis ſuis contaminare, quaſique pro hierophantis ſycophantæ eſſe decreverint. Nunc mihi non eſt ocium, ſed ſi pergant, accipientur ut digni ſunt aliquando. Vos iſtic pro me & *Fabro* inter vos concertare doleo. Scripſi nuper homini, ut aut epiſtola quapiam edita teſtetur inter nos convenire, ſi pudet παλινῳδεῖν, aut reſpondeat, ſi quid habet quod defendat, modo temperet à tam amicis ac peramicis dictis, quibus antehac in me luſit. Nunc illius ſilentio magis excitari diſſidium video, dum quiſque pro ſuo animo ſuſpicatur. Rixarum nullus eſt finis. Quod ſi hoc mali conjunctum eſt ſtudiis, mihi valebunt potius. Dormire præſtat quam ſcribere. Bene vale, doctiſſime *Boville*. Amicis omnibus ſalutem dicito, nominatim *Vachano* & *Briano*. *Lovanio* 23. Aprilis, Anno 1517. An. 1517.



## EPISTOLA CCXLIV.

*Eraſmus Roterod. Cornelio Batto* S. D.

CHARISSIME fili, tuam erga me pietatem lubens amplector, faciamque pro virili mea portione, ut intelligas defuncti *Batti* neque memoriam, neque charitatem apud me intermortuam, tu modo cura, ut optimo doctiſſimoque patri literis ac moribus reſpondeas. Ego nunc *Baſileam* adeo, ſic enim res poſtulat. Si iſtic es tolerabili conditione, perdura uſque ad reditum meum. Redibo enim, volente *Chriſto*, menſe Octobre: ſin minus, conveni *Lovanii Joannem Hontiſcotanum Lilienſis* pædagogii moderatorem, & ex illius conſilio pete *Brugas*, conventurus *Marcum Laurinum* coadjutorem, ut nunc loquuntur, Decani S. *Donatiani*, cui de te ſcribam hodie. Optimum & humaniſſimum patrem *Goſvinum* meis verbis ſaluta diligenter. Optarim te literis *Græcis* operam dare, & evolvendis bonis auctoribus. Accipies his literis incluſum nobilem *Flandricum* aureum, animi in te mei pro tempore qualecunque pignus. Bene vale, mi *Corneli*. *Lovanio* 29. Aprilis, Anno 1517.

## EPISTOLA CCXLV.

*Eraſmus Rot. Marco Laurino* S. D.

SCRIPSIT ad me *Batti* ſinceriſſimi quondam amici mei filius *Cornelius Battus*: juvenis bene linguax, ſatiſque doctus, ſed loripes: is tenetur hujus regionis deſiderio: nam *Gruningæ* agit hypodidaſcalum. Si forſitan te adierit, expende num tibi poſſit uſui eſſe: ſin minus, remitte illum *Lovanium*. Nolim ut mea cauſa quicquam agas adverſus animi tui ſententiam. Bene vale. Scribam alias copioſius. *Lovanio* 29. Aprilis, Anno 1517.

## EPISTOLA CCXLVI.

*Eraſmus Rot. Antonio Clavæ* S. D.

NVPER videbaris optare *Græcum Herodotum*: eum ad te dono mitto; nam facile mihi reperietur alius in hoc itinere. Bene vale. *Robertum Cæſarem* vix poſſum ſalutare, qui nuper nos tam ſuperbe deſtituerit in cœna. *Lovanio* 29. Aprilis, Anno 1517.

## EPISTOLA CCXLVII.

*Eraſmus Johanni Coleto, Decano S. Pauli*, S. D.

PATRONORVM optime, pro tuo in me officio jam egi gratias per *Franciſcum*, & ſyngraphan tradidi, qua teſtor mihi de regia pecunia ſatisfactum. Accingor ad iter periculoſiſſimum, ob nuper dimiſſos ſceleratiſſimos prædones, qui millibus aliquot conglomeratis ex ſua libidine graſſabantur in quoſvis. Hæc eſt crudelis Principum clementia, parcere impiis parricidis, & ſacrilegis nefariis, non parcere civibus ſuis. Adeo chariores ſunt illis, per quos opprimunt populum, quam populus ipſe. Utinam adjeciſſes duobus verbis, quare in capite ſeptimo tibi non ſatisfecerim, fortaſſe quod ego ad affectus retuli, tu malebas ad legem *Moſaicam* referri. Sed *Paulus* illic adeo lubricus eſt, nunc huc reſpiciens, nunc illuc, ut in his explicandis ſummopere ſudet *Origenes*. Alias polliceris te ſcripturum, verum hoc alias ſerum erit. Opere jam abſoluto totus ad vos advolo, præſertim ſi quid bonæ fortunæ paratum erit. Quod ut fiat perge, te quæſo, adniti. Bene vale. *Lovanio* 1. Maji, 1517.

EPI-

Digitized by Google

## EPISTOLA CCXLVIII.

*Eraſmus Roterod. Joanni Botzemo* S. D.

An. 1517. HOc mihi jocundior tua fuit epiſtola, vir clariſſime, quod novi lucrum amici cum veteris recordatione copulavit. *Urbanum* jampridem amabam. Abſtemium libenter agnoſco. Fortunæ tuæ gratulor, non aliter quam ſi eſſet mea. Cætera placebant omnia. Cæterum, quod ſcribis iſthic circumvolitare *Apologiam in Pacæum* ut ſuſpicor, male diſcruciat animum meum. Utcunque illi hoc excidit de *Conſtantia*, ſcio non dictum malo animo. Eodem in libello multa jocatur & in me, quæ nollem ſcripta ob quoſdam nihil non detorquentes ad calumniam. Novi *Pacæum* intime. Nihil illius ingenio candidius, nihil integrius, nihil amicius. Simplicitas hæc eſt, non malevolentia. Eruditus eſt, ſed cum librum, id quod res indicat, effudit ex tempore. Et curatum eſt à nobis, ne rurſus excudatur, niſi ab auctore recognitus. Ego in hoc odioſiſſimo rerum tumultu, quem præter *Dominicanos* ac Theologos excitat *Eduardus Leus*, quo uno nihil unquam adhuc terra produxit, nec arrogantius, nec virulentius, nec ſtultius, ſum *Pacæum* expertus talem amicum, ut nemo fratri frater poſſet eſſe amicior. Eſt cum ſummatibus omnibus, tum optimo Regi, longe chariſſimus: ſucceſſit nuper in dignitatem *Joannis Coleti* Decani apud divum *Paulum*, provehendus haud dubie ad ſummas dignitates. Quare velim ut ſi quid animo conceperis iræ in illum, penitus ejicias, vel mea cauſa. Non enim poteris me ullo officio demerere magis. Ego vero poſthac *Botzemum* in amicorum faſtis, vel inter præcipuos ſcripſero. Ad *Zaſii* mentionem exſilii. Utinam egregius ille ſenex nobis diutiſſime ſuperſit. *Dorpio* noſtro literæ tuæ fuere longe gratiſſimæ. Erat reſponſurus amicis, ſed in præſentia deerat ocium. Propediem reſpondebit omnibus. Optimo patrono meo urbaniſſimo *Urbano* plurimam ex me ſalutem dicito; item *Oecolampadio*, ſi iſthic adeſt, & ornatiſſimo *Johanni Fabro*. Hæc ſcripſi pluſquam occupatiſſimus, ſcripturus alias accuratius. Vale. *Lovanio* 16. Maji, Anno 1517.

## EPISTOLA CCXLIX.

Guilielmus Budæus Cutberto Tonſtallo *S. D.*

EADEM *opera fidem* Eraſmi *tui meique liberaſti*, Cutberte *doctiſſime: & ita me tibi obſtrinxiſti, ut vel juris cujuſvis, vel neceſſitudinis nexu tenacius adſtringi, certiuſque non potuerim. Nullo enim nomine in Calendarium meum referri vel auſpicacius, vel honorificentius poteras, quam ut tu ingenii iſtius ac doctrinæ ſpecimen mihi dares, tam gravi, tam terſa, tam plena benevolentiæ atque elegantis cujuſdam ingenuæque humanitatis epiſtola: quam ad me ſcriptam eſſe ſcio in magnis tuis occupationibus, vel Principis tui potius: quem ego ipſum hoc præcipue nomine olim fore illuſtriſſimum duco, quod obeundis legationibus ſuis viros deligere novit, doctrina judicioque præſtantes: qui ſi tui ſimiles unum & alterum in regno ſuo habet, etiam ſumme ut felix ſit, neceſſe eſt. Equidem epiſtolam tuam identidem lectitans, quantum debeam* Eraſmi *amicitiæ, perſentiſco: quo cum nuper pepigi de communicandis inter nos amicis, ut alterutri acceſſerint, illa ut arbitror epiſtola, quam tu tibi magnopere affirmas placuiſſe: quo pacto non rationes meas auxiſſe luculenter, fortuniſque meis præſidium firmum quæſtuiſſe mihi videar? Ecquod enim conventum, ecquis contractus, ecqua negotiatio rem meam auctiorem reddere, uberioremque potuit, aut penates meos beatiores facere (quos non tam ipſos ſubſtructionibus mirificis architectari, quam ingenii & induſtriæ monumentis mihi promptum eſt) quam iſthac cum* Eraſmo *coita ſocietas, amicorumque communio? quorum ut ſpero judicio & arbitratu, operum meorum ſtructuram poſteris approbabo. Profecto* Jovem *ipſum* Philium *juris amicitiæ præſidem & interpretem jurare (ſi liceat) non dubitem, tanti eſſe mihi hoc pactum, ut ſi mihi conditio nunc feratur homini non locupleti, prædium tamen opimum merere unum nolim, ut iſtam ſocietatem* Eraſmo *renunciem, ex qua lucri jam tantum feci. Nec recuſo quin ob unum te* Eraſmus *ſe mihi perpetuo ſuamque imputet amicitiam, duntaxat ſi id ſine contemptu mei facturus eſt. Neque tamen ſic quoque cum* Eraſmo *paria non facio, ſive ex rerum eventis officium amicitiæ, ſive ex animi candore ac probitate ſpectes; utpote qui omnes amicos meos in commune contulerim, viros cum cætera egregios, tum in amicitia perquam officioſos, tametſi nondum omnes apud eum profeſſi ſunt: ut ne apud me quidem* Eraſmi *omnes amici; ſiquidem ita ſpero rem utrinque eſſe tranſactam, ut primo quoque tempore, vel cum ita res tulerit, aut ultro aut citati in medium nomina daturi ſint. Porro autem ne tu mihi hanc fortunarum partem aut vilem eſſe aut parum charam putes, quam tam bona fide in medium conferam: velim ita exiſtimes, cenſus me bonam partem in amicis habere, niſi mihi homines impoſturam factitant, verborum vultuumque comitate. Certe plus induſtriæ (quam mihi pecuniæ ingentis loco eſſe duco) in emerendis amicis occupavi; quam in emercandis prædiis. Verum epiſtolam illam tuam jucundam, ſuavem, mellitam, ſaccharatam eandem & ſalſam, ac mirifica quadam ſenſuum acrimonia conditam, accepi pridie Nonas Majas, quum non ita multos ante dies peregre rediſſem, nec tum ſatis eſſem commoda valetudine, ob idque ſubtriſtis, & ad ſtudium inſtaurandum remiſſus, ac languidus. Hac epiſtola curſim primum ac pene ſingultim devorata, deinde iterum iterumque lecta & reguſtata, ita ſenſim, vel repente potius, recreatus ſum & hilaratus, ut omnem mihi triſtitiam & ſocordiam abſterſam, omnemque alacritatem reſtitutam, mecum ipſe demirarer. Id demum ſuppudebat, quod eam in me ingenii ac doctrinæ præſtantiam non agnoſcerem, quam tu mihi tribuis. Sed & hic mihi ſtimulus acutus fuit ad inſtaurandum ſtudii mei laborem, illamque animi contentionem expergiſcendam, quam (ut ingenue fatear) ſemper aluit gloriæ cupiditas: cujus etiam ipſius igniculos ingenuiſſe naturam animis, non ſordidis, nec queſtuariis video, conjecturam ex iis Auctoribus faciens, quorum nunc ſcriptis literarum auctoritas, diſciplinarumque majeſtas humaniorum conſtat. Quanquam autem quærenda hujus gloria propoſitum, ita comparandum eſſe optimo cuique ſemper exiſtimarim, ut poſteritatis magis, & memoriæ in ſecula permulta perennaturæ, rationem habere, homines doctrina præſtare contendentes, debeant, quam vel ſui ſeculi æqualiumque judicii, quod plerunque ambitioſum, aut iniquum eſſe ſolet, vel præmii præſentanei: quod perinde ego eſſe puto, ac ſi annua, bima, trima, quadrima, (ut Juris noſtri Civilis conditores loquuntur) aut paulo majore die, ſolvendum ipſe ſtipuler id opera mihi precium, pro tantis, tot annos exantlatis arumnis, quod non niſi æterna perſolvi præſtatione poteſt: vel (ut commodius loquar) ſi annua deſpicabilia, per omnes venientis ætatis annos ſtipuler vergenti jam ætati, ſub mortem mox ceſſura: cujus ut ſemper diem ipſe nondum veniſſe ſperem (qui error eſt fere æternus mortalium) ab incunte tamen vita ſemper ceſſiſſe ſciam. Quanquam igitur in diem fructum hujus gloriæ mihi promitti malim, quam nunc repræſentari, ſit tamen nihilo ſecius, ut quadam aura famæ ſpirari vela noſtra in curſu gaudeamus, utque gloriola afflatum, quamvis tenuem, captantes, noſtrum levari laborem in contentione ſentiamus. Neque te autem ita exiſtimare, neque alium quempiam volim, quaſi ego tantæ intentionis ſtudium, non alium finem habere cenſeam, quam memoriæ commendationem, rem ſane fluxam & adſpernabilem: ſi quidem res mortalium ſuo ac vero precio æſtimarentur, ac non populari trutina, fallaciique expenderentur. Eſt ſua Philoſophia libra, quam nec forum venalium, nec judiciale novit, quod rebus ipſa caducis, & tempore perituris, æſtimationem, quanta minima ſtatuit; æternum autem quanti plu-*

An. 1517. plurimo, ne à verbis Juris conditorum recedam: hujusmodi æstimationis fructum Philologia, altera mihi conjunx, ex dote sua tandem perceptum ire me subinde mihi spondet: quam ego non more nostratium hominum deamare, sed misere deperire ab amicis meis gentilibusque dictitor. Ex quo enim illam in domum meam induxi, nec fortunis, nec valetudini recte consuluisse visus sum. Id quod quum mihi vitio jure vel injuria vertatur, homini sex liberis aucto, unicaque filiola, ab iis quidem qui se ideo frugi esse homines censent, quod argentariam facere, ac patrimonia quantumvis ampla architectari norint: haud dum tamen uxoris illecebris, ac puerilibus blandimentis, rei familiaris procacibus avocamentis, medicorum minacibus interdictis, denique morbi tædio ac carnificina adduci aut perpelli potui, ut hujus Ægeriæ meæ congressu diurno, nocturno, domi, peregre, ruri, aut in urbe abstinerem: cui ipsi cum annos abhinc duodecim uxorem ducerem liberorum meorum matrem, contra omnium ferme uxoriorum hominum opinionem, nuncium non remisi: sic enim statuebam mihi esse faciundum, ut conjugem quidem legitimam haberem liberorum parentem, ex Philologia autem libros, id est, nominis mei æternam memoriam, prolemque immortalem gignerem. Liberos jam plures aliquanto quam libros genui, plus corpori fortasse quam animo indulgens. Posthac (ut spero) marcescente corpore, animus in dies vegetior & vividior fiet: utrunque autem simul ex æquo prolificum esse nequit, sed cum emerita facultates corporis esse cœperint, tum demum viribus animi stipendia plene procedent. In hoc autem studiorum progressu persæpe inhibitus sum, ac prope retroactus adversa valetudine, quæ mihi negotia tam multa exhibuit, ut non semel impetum ceperim, vitæ à me institutæ tenorem abrumpendi, & desidiæ atque inertiæ affectum jam corpus dedendi. Quis enim in tam longa, tamque molesta valetudinis tædio, non se vel medicorum placitis, vel uxoris precibus, vel amicorum monitis permitteret? Certe nisi genesim Philosophicam habuissem, jamdiu Philologiam meam, domo exactam, habere res suas sibi jussissem: ut priscum verbum usurpem. Non igitur me prateriit, quum superiora illa dicerem, ex literarum studio, recte atque ordine instituto, sperandam illam esse enthymiam in scholis Philosophorum cantatissimam: homini præsertim orthodoxæ Philosophiæ initiato, ejusque decretis digitis (ut ajunt) consertis hærenti: aut, si ad normam veritatis loqui volumus, enthymiæ simulacrum & imaginem: quandoquidem germanam enthymiam, id est, animi plenam securitatem (quæ non nisi coercitis affectibus, ac rationis vi compositis, omnibusque sensibus ad obsequium animi redactis, suos impleſſe numeros dici potest) in hac vita haberi non posse existimo. Quippe divi Pauli religionis veræ ac pietatis architecti elogio novimus imminere nobis illum hostem infestum, simul & perpetuum dæmonarchen, primigeniæ noxæ suasorem & impulsorem, contra quem in procinctu nunquam non stare nos debere autumat, nec interim unquam securitati indormiscere. Esse enim ejuscemodi hostem, qui prælio quidem interdum, bello nunquam vincatur: is in omnes occasiones intentus & imminens, quum magnos subinde tumultus atque improvisos in sensibus cieat, non est utique quod quisquam sartum se ac tectum fore ab ejus incursionibus confidere debeat, tanquam intra Philosophiæ præsidia atque in arcem ipsam enthymiæ penitus se abstruserit, quum nullum sit hosti præsidium inaccessum, nobili ejusdem divi Pauli exemplo: qui ne gratiæ quidem majoris prærogativa, huic eximi certamini potuit. Sed vereor ne in ἀπεδροπαλείας & ineptiæ vitium imprudens delapsus sim, cui in epistolæ brevitate philosophari obiter succurrerit. Proinde ad epistolam tuam redeo, in qua illud perfacetum mihi visum est, quod Erasmum & Budæum quasi duos Milones in arena quadam Palladia committere videris, Mercurio designatore & agonotheta, instructoreque certaminis, spectatore te eodem & plausore ancipiti, atque in utriusque favorem ambigente: quo quidem epistolæ tuæ loco quum a me gratiam sane bonam iniviſti, tum vero id minime periculum est, ne in Erasmi offensionem impegeris. Si- A quidem qua est animi æquitate Erasmus, etiam me sibi æquari non gravabitur, ut qui ne præferre quidem ipse gravetur, quum ad Socraticam ironiam se composuit, & risum genuinum è comica fronte detersit: vereor enim dicere frontem eum perfricuisse, quum uno nomine ἀπαιδευσίας omnia mea epitheta superasse se diceret, id est, ὀψιμαθῆ, αὐτομαθῆ, atque etiam κακομαθῆ. Atque ego nisi utrunque vestrum opinione falli, ac plane nihil videre in æstimatione mei libentius crederem, tametsi aliorum in scriptis perspicaces, bellissimos vos esse irrisores conjuratosque clamarem. Egone ut illo cum Milone conferere manus audeam, ni confidam eum remissum ire mihi multas arctasque prehensiones? nec totos in me lacertos B adhibiturum? atque in universum ineluctabiles illas vires ad captum submissurum mediocritatis nostræ? Equidem præclare atque ample mecum agi putarem, si si isti Miloni Submilo esse possem, aut etiam Milomaster. Age, quonam tandem modo athleta non ineptus, non absurdus, non explodendus esse potest, qui ut viribus fortasse non careat, athleticam tamen illam palæstram, artis & industriæ commendatricem, sub palæstricis nunquam didicit? id quod quum de me dicam, tu fidem magis moribus meis indulgere videris, quam id simile veri esse credere. At vero libens id abs te contenderim, ut si quando publicis muneribus perfunctus, ludicris aliquantisper feriabere, tu cui nunc tantum vacat certamen hoc nostrum animi causa spectare, de podio C vel gradibus in arenam descendas, ac specimen tui præbeas: ego enim non te spectatorem tantum esse arbitror oportere, sed etiam ex illis unum quos Ephedros appellabant; non ad spectandum tantum ipsos sedentes, sed ad id veluti subsidiarios atque succenturiatos, ut ne victorem statim securum esse palmæ sinerent, victoque solatium afferrent, cum victore congrediendo. Atque quum epistolam tuam lego, non jam Erasmo quamlibet gravi auctori, amplissime de te censenti, sed mihi ipse credo: nihil apud memet gratiosæ amicitiæ tuæ tribuo, id quod illum feciſſe, quum ad me de te scriberet, suspicari quis poterat: mihi qui videre tu omnes hujus palæstræ numeros ita tenere, ut sub pædotriba non pœnitendo didiciſſe te exD istimare debeam, cum illoque Milone melius ac facilius paria esse facturum: si tamen cum quisquam nostrum æquare potest. Nam mihi videtur Erasmus non jam Milo, sed Pentathlus quidam esse nobilis, cujus gloriæ quam latissime pateat: qui terrarum peragrator nullibi non documentum ingenii sui dederit, ac periodum prope vicerit, in sacris, in profanis, atque in omni parte orbicularis disciplinæ certaverit, quam Encyclopædiam vocant, & nusquam non probatus sit. Etenim ut mittam Panegyricum & Christi militem, multorumque ejus Operum nobilium nomenclaturam, & Morias Encomium, quod studiosi fere habent in deliciis, certe quum Iliadem (ut ita loquar) illam leporum Græcorum juxta Latinorumque lego, quæ Paræmiæ vocantur, nunc logothecam Minervæ videre mihi videor, nunc Mercurii salinum, quem Logium appellant, arte eximia fabrefactum, & in quo tamen ipso materia cum opificio certet, unde sales candidissimos oratoria, comicaque facundia ad usus dicteriorum sumat. Nunc Pithus delicias & condimenta vel Suadæ medullam, interdum visendam quandam copiosamque supellectilem, longo intervallo promptam (si tamen unquam sic confertim prompta est) in taberna amplissima expositam prædivitis cujusdam institoris, eloquentiæ ordine descriptam digestamque decentissime. In eo volumine invenias duarum elegantium matronarum poeticæ & oratoriæ artis cultum, mundicias & ornamenta, ornatricisque earum, quam Venustatem vocant, pigmenta atque lenocinia, quibus artifices dicendi, & qui Logodædali dicuntur, scripta quondam sua vendibiliora reddebant. Rursus cum ea lego, quæ in Novum Instrumentum religionis ac pietatis edidit: quæque in divi Hieronymi libris (quo uno ferme interprete juris divini prudentia nititur) immenso labore explicuit, enarravit, digessit, interpolavit, & plane instauravit, ibi sacrosanctam disciplinam, qua vivendi moriendique ratio nobis constat, recte



Digitized by Google

An. 1517. *atque ordine constitutam, atque etiam restitutam, etati huic nostræ posterisque gratulor. Simul istos triumpho in ordinem esse coactos, senilis infantiæ ac rusticæ & elinguis doctrinæ ut patronos & assertores, sic improbos obtrectatores elegantiæ, qui nihil esse sanctum putant, nisi squalore sordibusque sermonis horreat: quique Philosophiæ ipsi, omnium bonarum artium auctori & locupletatrici, honestatis gravitatisque antistiti & interpreti, omni nitore atque elegantia verborum sententiarumque interdictum esse contendunt Senatus orthodoxi consultis: qui ex majoram (quod dici solet) gentium patribus conscriptisque cogebatur. Ceu vero, si quando usu venerit ut Philosophia in scenam per prosopopœias theatrales exitura sit (ut assolet apud nos per licentiam scholasticis antehac fere indultam regaliorum festis, qua* Theophania *vocantur) non tragicam illi personam Choragus, aut prætextatam induere, sed togatam atque adeo tabernariam debeat. Juvat igitur hæc me legentem animadvertere, Stoicastros illos barbaricam loquacitatem antea populariter professos, ita nunc cum suis cavillamentis è classibus doctorum, atque adeo de ponte literis suffragantium, esse dejectos, ut qui prius arcem tenere Philosophiæ putabantur, & suffragiorum prærogativam in disciplinis habere, nunc* Saturniis *lemis caligare (ut proverbio alludam) ab omnibus dictitentur; iis quidem certe, qui aliquo sese numero videri inter literatos volunt. Ecquis est autem tam adversis Gratiis natus, cui jam non sordeat pinguis illa ac tenebricosa* Minerva, *ex quo Literæ quoque sacræ,* Erasmi *industria tersæ, mundiciem priscam splendoremque receperunt? Quanquam id longe majus est, quod idem eadem opera præstitit, ut veritas ipsa sacrosancta ex* Cimmeriis *illis tenebris emergeret; etiamsi nondum plane Theologia è schola sophistica pedore enituit. Quod si quando factum fuerit, seculi utique nostri primordiis debebitur. Certe hactenus jam profectum est, ut eorum partim fastum illum supercilii ponere videantur, erroremque taciti agnoscere: partim quibus integrum est per ætatem & vitæ institutum, sortis suæ pœnitentes, nunc literas meliores capessere & amplecti. Eandem à me operam in literis civilis prudentiæ eodem cum successu navatam esse, tuarum (ut spero) literarum elogio in posterum credetur, si quando in publicum exierint. Ac mihi quidem hæc scribenti, ridere eorum vanitatem atque ineptias subit, qui obvio cuique ab adspectu aut ingressu, statuere precium & æstimationem solent. Hic verba & sententiam usurpabo cujusdam viri gravis, solertis hominum æstimatoris, qui haud ita pridem vidit* Erasmum. *Quis est enim tandem, cui de corporis totius facie atque habitu, omnibusque affectibus, quibus obnoxia sunt corpora humana,* Erasmum *æstimare in mentem venerit, nec esse famigeratum illum* Erasmum *suspicatus sit, qui arbitretur eum* Mercurium *in ore,* Genium *in præcordiis,* Palladem *in capite, ut* Jovem *quondam illum, habere? Et post hæc audet ipse mentionem mei facere, non jam ut sibi paris, sed etiam, si* Christo *& veritati placet, majoris: quasi vero nec me, nec* Erasmum *noverim, qui præclari instituti vel conditor, vel relator, reliquit exemplum posteritati, ut non ante Theologum profiteri jure suo se quisquam posset, & ad Libros sacros evolvendos publice, enarrandosque, accedere, quam in omnibus Camœnarum fontibus manus se satis lavisse confisus sit. Cui utinam ipsi tam par propemodum esse possem, quam æqualis prope sum, ut ex eo epistolæ ejus loco video, ubi de senectute & senio cavillatur. Nisi vero credere par est illud, quod de agro ingenii sui exhausto jugi fœtura scribit. Qui locus etsi mihi inter alia epistolæ loca multa placuit, tamen ei non assensus sum, quum ipsius ingenii fœcunditatem eam esse viderem, eamque ubertatem doctrinæ & copiam, quæ in omnes bonas fruges semper restibilis sit: nec alia atque alia identidem lectione, velut novis subinde riguis, indigeat. Siquidem ita fert natura (nisi fallor) ut soli præfœcundi sic eximiæ mentis, ut anniversaria ejus fœtura luxurie carentem, non etiam effœtam efficiat segetem. Ex hujusmodi ingenio* Erasmus *quasi ex latissimo quodam latifundio, atque ubertatis inexhaustæ, multis jam annis luculentam messem colligit solidæ illius & expressæ gloriæ, in seculaque ituræ. Tametsi ad eum scribens ita cum eo agere solitus sim, itaque irrequietum ejus animum exagitare, ut ista diligentia atque industria satis eum facere mihi negem, nisi majora in dies majoraque suscipiat, id est, magnitudini ingenii sui congruentia, animoque quantumvis sublimi non pœnitenda. Inde illa inter nos concertatio, quum ego multa exigua vel mediocria (pro portione captus* Erasmi *loquor) accepto laturum me pro magnis plane nego: etiamsi opera perfecta, probata, præstita lege erunt, ut utar priscæ formula verbis; utpote qui hoc contendam, hominem tam alto, tam capaci, tam versatili ingenio præditum, in nulla non officina Musarum expolitum, grandissima quæque opera nunc suscipere debere. Indidem illa inter nos epistolaris velitatio, quam tu (ut video) animi causa spectas: qua nuper ad conferendas manus jamjam exarsura videbatur, ut illa prægrandi epistola apparet, qua omnes ipse copias argumentorum meorum disjecit. Colligere enim reliquias agminis mei statueram, copiasque supplere, ac rursus certamen experiri. Verum, id ne facerem, ab amicis meis deterritus sum, qui me imparem tandem futurum videbant, si ille per ocium acrius incaluisset. Deinde non satis indulgere imperitiæ meæ, aut rusticulæ ferociæ, visus est homo urbanitatis & facetiarum artifex. Etenim cum omnia simpliciter scribere ad eum mihi videar, fit tamen nescio quomodo, ut vel in usurpando amicitiæ jure nonnunquam, vel aliter imprudens in oxymora quædam incidam, quibus ille veluti subdolis cavillis, aut figuris nonnihil offenditur, aut certe offendi se simulat: videlicet hoc illud est quod dixi,* Eorum sum similis athletarum, quos Apalæstros vocant, qui non norunt quid deceat simul, & ad id quod agitur, valeat. *Itaque fit, ut quum ego lienem scriptitando exercere gaudeam, ille vel stomacho, vel incommodæ suspicioni nonnihil dare videatur: sive id immerito suspicari interdum in mentem mihi venit, sive ille veteranus certator, ac plane in hac parte veterator, rudem adhuc me tironem, petulantius me inferentem, hoc pacto emendandum castigandumque censet, id quod ipse libentius mihi persuaserim. Quod si inter nos hac de re secum suspicaremur, tu Juris non modo Civilis, sed etiam amicitiæ consultus, jus nobis (ut arbitror) redderes, aut litem componeres: certe quidem per me liceret ut id faceres, nec ei quam mihi æquior esses, ut opinor, etiamsi tibi ipse familiaris est, & (ut ab eo audio) propemodum sodalis, quod prædicandum merito esse putat. Nolim tamen ut quæ de offensionis suspicione dixi, serio à me tu dicta esse credas, quum nihil minus cogitem: sed velim ut* Erasmo *persuadeas, me ob eam suspicionem non rescribere volumini illi epistolari, quo aciem ille inventionum mearum fudit, non prorsus inconditam. Malo enim ille existimet victoriam me indulsisse auctoritati suæ, integris adhuc viribus, quam herbam porrexisse, quum ultra sustinere impetum ejus nequirem. Scripsi ad eum dudum, & iterum (ut spero) scribam, sed aliud argumentum eligam mihi tractabilius, & si occasio se dederit, in articulo eum opprimam. Certe hoc non committam, ut alias quam incautum & lassum ab opere serio adoriar. Enimvero gratum, per (inquam) gratum est mihi, quod simplicitati morum meorum credis, id quod ad* Erasmum *scribens, obiter deploraveram, mihi me præceptorem prælectoremque fuisse, nisi interim suspicarer facile id te credere, conjecturam ex stylo scriptorum meorum facientem: in quibus subvereor, ne aliquid fortasse structuræ refractariolæ deprehenderis, aut rudiusculi schematis, quod nec limam, nec scobinam officinarum expertum esse videatur. Sed rursus id minime sentire mihi videre, quum etiam eo nomine placere me mihi ac gratulari jubeas, idque ipsum acceptum summi loco beneficii referre providentia. O festum te hortatorem, & jucundum ac solertem, qui τὰμὰ ἐλατώματα εἰς πλεονεκτήματα τρέπεις, & quod summe pudendum esse censebam, aut certe tegendum, si celari potuisset, id & utile & honestum, & mihi prædicandum esse doces. Mane dum paulisper, omnia tibi indicare in animum in-*

An. 1517.

Digitized by Google

An. 1517. induxi, quandoquidem te clam clementem ac dextrum consolatorem nactus sum. Dixeram me αὐτομαθῆ τε καὶ ὀψιμαθῆ fuisse; & non modo praceptore nullo, sed etiam sero literis bonis studuisse: nunc eo amplius dico, literarum me rudimenta & Grammatices principia, ut tum ferebant mores, simplicitatis nunc obsoleta, in hac urbe didicisse triviali sub ludi magistro literarii. Cumque hiscere Latine vix cœpissem, ad Juris studium transviisse, aut transiluisse potius, dispendioso temporis compendio. In quo cum triennii operam lusissem, domum reversus salutem dixi literis, studiis utique indulgens juventutis illiteratæ: quoad post aliquot annos intra paternos parietes clam studere mecum ipse instituì, procul omnibus conventiculis hujus urbis scholasticorum, excitante me tantum patris exemplo doctrinæ laudatore, & librorum emaciſſimo. Ibi à deterrimo quoque, ut fit, auctore auspicatus, cum glossematum fecem per imprudentiam hausissem, errore tandem intellecto, cum ad libros meliores me contulissem, paulatim redundantem illam præcordiis meis fecem rejeci. Ecce autem aliud incommodum, quum accipitrariis & venatoribus salute semel dicta, annos abhinc sex & viginti, libris, ut dixi, non magistris aliquo cum successu operam dare cœpissem; statim Græcum quendam nactus sum senem, aut ille me potius: illi enim vectigal magnum attuli, qui literas Græcas hactenus, aut paulo plus noverat, quatenus sermoni literato cum vernaculo convenit. Hic quibus me modis torserit, mox dediscenda docendo, nisi quod & legere optime, & bene pronunciare sciebat, non bene tribus chartis scriberem, cum interim ipse ut unum eum esse Græcum in Francia audiebam, sic esse doctissimum Græce existimarem, & ille ostendens mihi Homerum, nonnullosque Auctores famigeratos nuncupans, flagrare me studio insano intelligeret. Accedebat illud erroris, quod qua erat in eo ignorantia, ego ludificationem esse putabam, quo diutius ille me stipendiarium haberet. Tandem literis apud nostros paucis annis illustratis Italiæ commercio, libriſque sensim utriusque linguæ advectis, cum ego sarcire damnum contenderem ætatula transacta per inscitiam: nec pecuniæ in coemendis magno libris, nec labori in ediscendis parcerem, ac quotidianas sesquioperas à me plane exigerem: eo primum perveni, ut dedisceere instituerem, qua male edoctus eram: deinde ut ultra præceptori illi Græco ne auscultarem, etiamsi ad me ventitabat, libros empturienti venditans ac scriptitans, quanti semel indicasset. Quid tu hic? potesne iterum, quod incommodo mihi verto, id tu in bonum cessisse, cessurumve ostendere? Jam vero adversam valetudinem non tam mihi agnatam (ut arbitror) quam cognatam & ingenitam, quantum mihi facessisse negotiorum putas? cum mihi se semper sequaciorem umbra præberet, quocunque agerem me terrarum: eo jam ipsa molestior, quod ejus crimine literarum studium cum à medicis, tum ab omnibus mihi obviis, plus jam annos quindecim male audit, ut insanum & exitiabile: literarum eo amplius Græcarum, ut vesanum & piaculo simile, etiamsi nuper cœpit esse plausibile. Nec tamen ideo velim ut omnino me expungas è numeris classicorum, ut domestica atque umbratica eruditione institutum: passe enim sic quoque mihi videor inter juniores centuriari, cum inter munifices profiteri cœperim, nec præpropere, nec infelicissime, ut vestra amborum auctoritati, aliorumque credo. Interim bis Romam adii, urbesque insignes Italiæ, doctos ubi homines per transennam vidi potius quam audivi, & literarum meliorum professores tanquam à limine salutavi: quantum scilicet homini licuit Italiam raptim peragranti, nec libera legatione: sed & domi nonnunquam doctorum hominum familiaritate usus sum. In queis præcipue colui Joannem Lascarim, virum Græcum, utraque lingua pereruditum: qui nunc in Urbe, Græcorum scholæ præfectus est à Pontifice: is quum omnia causa mea cuperet, non magnopere juvare me potuit, quum ageret fere in comitatu Regis multis ab hac urbe millibus distractus, & ego frequens in urbe, raro in comitatu fuerim, fecit libens id demum quod potuit, ut & nonnunquam præsens mihi aliquid prælegeret, id quod vicies non contigit, & absens librorum scrinia concrederet, & penes me deponeret. Certe tirocinium nullo sub deductore feci. En tibi studiorum meorum curriculum, quod sub patre indulgente suppeditanteque facile inchoavi, haud scio quam auspicato. Patre orbatus annos abhinc quindecim, ac multa incommoda perpessus, fortunæque improbitatem multipliciter expertus, cursum nihilo secius institutum peragere velis remisque contendi, remoram tantum unam molestissimam sensi adverse valetudinis: ac nihil æque mihi animum illum alacrem in hac studia incumbentem contraxit ac demisit, quam assidua mortis meditatio in horas imminentis, quum sæpe mihi spiritum intercluſum, subindeque restitutum meminerim. Patri copiose hæres relictus non ex solida uncia, (semisse enim maximus fratrum primigeniorum jure tulerat) ac matris hæreditate eandem partem quadriennio post habui: hoc fere fuit subsidium instituti mihi cursus, cum iis quæ accesserunt, ita ut interim nihil quicquam acceptum tulerim liberalitatibus, aut Regum, aut fortuna. In quo cursu patrimonii jacturam multam feci per incuriam, etiamsi naufragium evasi. Id quod sequitur ex tua epistola, non tam mihi jucundum, quam quibusdam amicorum meorum fuit, qui tibi ob eam rem multa bona dari divinitus cupiunt. Hortaris me ut in locis Juris explicandis emendandisque ne lassescam, mihi ita gratulari videre, quasi laboris & conatus ratio mihi constiterit, in eorum hominum elevanda auctoritate, quos Juris magis Accursiani, quam Civilis & Romani consultos fuisse apud doctos convenit. Atqui ut mihi ille labor nunquam pœnitendus visus est, cum ob alia multa, tum ob id præcipue, quod ejus laboris fructus latissime patere, & ad plurimos studiosorum pertinere dictitabatur: ita nescio quomodo piget opus diu desitum jam, ac pene derelictum, retractare, quodque tumultuosis primordiis memini esse inchoatum. In quo meam culpam & agnosco & deprecor, (si etiam nunc deprecari liceat) qui flagranti tum animo moderari non potui, quo minus Jurisprudentia causam velut in consilio antiquitatis peritorum agerem, cum eorum hominum convitio, qui Juris Civilis majestatem imminuere ladereque non verebantur: quibus ut ipsis crimen id verti à nonnullis videbam, ita neminem adhuc exstitisse sciebam, qui ex formula legum postulatos, etiam perageret reos criminibus enarratis, ac judicibus missis in consilium. In eos dicendi primas partes occupavi, libentius sane quam nunc alteram actionem suscipiam. Si quis alius exsistat, qui has sibi vices deposcat; est alia mihi instituta commentatio, qua animi mei contentionem à lectione Juris avocarit in diversum: juvantque me magis ea scribendi argumenta, quæ non tam angustis finibus circumscripta sunt: neque enim movere se libere, exspatiarique potest animus lectione longa ac multiplici, quasi farragine obesus & lasciviens, nisi late patentem materiam, veluti campum liberum & apertum ad excursionem habeat. Neque hoc non esse vitium interdum intelligo animi parum frugi, sibique indulgentis, sed si normam severitatis & frugalitatis adigerem, moderarique gestientem stylum in animum induxerim, cum omnem animi alacritatem abstulerim, & fortasse jejunum exsuccumque reddiderim, tum etiam Genio Minervæque repugnarim: id quod mihi in eam causam valere volo, quam cum Erasmo in judicium deduxi. Verum enimvero, cum hunc mihi laborem lucrifacere, animoque meo obsequi per eorum veluti creditorum flagitationem non liceat, quod me de pollicitatione temeraria identidem appellant, ipsorumque adeo Juris studiosorum, quos jam ipsos mecum in gratiam redisse demiror ac stupeo, injuriaque mihi persequutionem condonasse: quam ipsi non solum atrocem, sed etiam sacrilegam esse putabant, ob suggillatam à nobis numinum suorum majestatem: non id gratia, aut potentia mea, sed veritati tribuentes: quam sensim & ipsi agnoscere cœperunt: simul cum tu ejusce rei mihi auctor sis & adhortator; idque gravissimi quidam viri non nesciant, qui epistolam tuam quasi visendum quoddam mercimonium exoticumque admirantur, facere (ut opinor) non



Digitized by Google

An. 1517. *potero, quin ad aliquot menses in id pistrinum rursus me dedam, aliquidque priori editioni Annotationum addam perfunctorie, nisi forte alium comperero antevertisse mihi, id quod diu exoptavi. Sentio me modum epistolæ superasse, sed te oblectari epistolis meis dixisti, & ego lubens tecum verba facio: & quum tu me honesto officio provocaris, decuit me nonnihil admetiri auctarii nomine, ut debitores liberaliores faciunt: nec totidem verbis rependere vices tam eleganti, tamque benignæ epistolæ potuissem. Denique hac epistola alteram à te paciscor, atque etiam alias multas, cum per otium licebit, siquidem eodem filo eas contexturus es. Sanctius autem scrinium meum tuis &* Erasmi *literis dicabitur, habebuntque epistolas vestras in deliciis, veluti tesseras quasdam amicitiæ, cum viris summis literarum commendatione contractæ, honestorumque officiorum vicissitudine cultæ, quas præcipuorum legatorum instar (ut spero) charissimo cuique liberorum meorum relinquam. Vale,* Parisiis 19. Maji, Anno 1517.

Τετοισὶ τοῖς χάμμασιν οἶδα μὴ πρεσίσμαζά σοι παρέξων, τοῖς ἀκαθάρτοις τε ἢ κακῶς γεχαμμήνοις. Δοκῶ δέ μοι δίκαιον εἶναι συγγνώμης ἀφ' σε τυγχάνειν τῆσδε τ ἁμαρτίας, ὅς γε ὑπὸ ζ πάντ' ἀρίσε Ἐρέσμε συγγνωσὸς εἶναι ἠξιώθην· οὐ γὰρ ἂν οἶμαι ἴσα ἢ ἐκεῖν ὀπικικής τε ἢ δυγνώμων εἶναι δοκῶν, ἧττον αὐτὸ συγγνωμονικὸς δοκεῖν εἶναι ὑπομείναις. Ἔῤῥωσο πάλιν, ὦ πλείσε ἄξιε τῇ παιδιᾷ, ἢ πρόσειπέ μοι τ κοινὸν ἡμῶν φίλον, τ ἔναγχον ὑπὸ τ Βρεζανίας ἀφικόμενον.

## EPISTOLA CCL.

### Guilielmus Budæus Erasmo Roterod. *S. D.*

DICI *non potest, inquis, mi* Budæe, *quantopere & tua faveam gloriæ, & eruditionem admirer. Istud quoque posterius, bonan' fide? Bona certe, inquis. Egone id credam? Quidni, inquis? Equidem mihi hoc lubens persuaserim, πῶς γὰρ ἔ, ὅς γε ἄνδρα σε εἶναι ὀπικῆ πέπεισμαι· ἔ γὰρ ὅπως Θεόλογόν σε, ἀλλὰ ἢ τὼ ἀλήθειαν σεβόμενον ἡγοῦμαι, τότε παρ' ἐμοὶ πίσιν ποιησαμένης τ ὠφελείας ζ Χρισιανῆ, ζ ὑπό σου πάλαι πολὲ ἐκδοθείσης. Ego vero nec dicere, inquam, nec eloqui, ac ne proloqui quidem possim. O noster* Erasme, *major enim esse mihi videre, quam ut meum te appellem, cum omnibus nostris unus satis esse possis. Quin & usque adeo publicus scriptis tuis factus es, ut nemo sibi privatim vendicare te possit. Verum, ut dixi, exprimere nequeo, quam tuum me nuper feceris, posteaquam epistolam tuam accepi. Reddiderat illam juvenis is, quem mihi commendasti,* Sorbonæ *nunc agentem, μᾶλλον ἢ ἐν Σορβωνίδι λίμνῃ Δαείσοντα, ἔτω γὰ ἂν εἰκότως ἀμποκαλοίημὴν τὼ τ σοφισῶν τέλωνι Δαβεδὼ. Reddita igitur mihi epistola tua, & semel iterumque lecta, ἀχρεῖμα τ μὴ χέσας ἀφέμην, scholazin soi μόνῳ αὐτίκα δὴ μάλα ἐγνώκην· ἢ δὴ τῇ ὑσερείᾳ τ ὀποδόσεως, ἢ τῇγε ἓν ζαύτης ἐξῆς τ Σενέκαν σὲ ἕνεκα διεξιέναι ἠρξάμην. ἔτω γάρ σ κελεύθ ἐδόκεις, εἰ ἢ μὴ πῶς ἂν μαρλυρεῖν ἂν δυναίμην τῷ ἐνυπνίῳ τῷ σῷ. τῷ τοίνυν Σενέκᾳ ὀπικεκυφότι μοι, ἰδοὺ δὴ παρεῖναι τὸ ὄργανον τ δυσεβείας ἀπηγγέλθη, τὸ ὑπὸ ζ Ἐρέσμε, τὸ ἀμφίλωτον, τὸ ὀπίδοξον. Nam tu de eo quoque ad me scripseras, συσήσας μοι τ τυπογρέφον· αὕτη ἡ βίβλ παρῆσα, τ διὰ χρόος ἐχόμενον ἤδη Σενέκαν ἐξελίναξεν ἡμῖν. Apologia igitur tua, & paraclesi, ac præfatione legendis dimidiatum diem Dominicum consumpseram, hujus mensis vigesimum septimum: pridie enim liber allatus erat. A prandio statim cum* Franciscum Deloinum *viserem, hominem doctrina & auctoritate summa, Guriæ Principem, ut scriptorum tuorum lectorem avidissimum, sic meorum meique amantissimum: cujus nomini dicasse librum* De Asse *mihi videor, cum eum circa finem libri mecum disserentem faciam. Sic enim tum tulit mea ratio. Et alioqui ejus dicationis memoriam nunquam nisi cum libro interituram videbam, cum sæpe præfationes pereant. Sed cum ad eum adissem, ecquidque novi haberem interrogasset, ut respondi nihil me habere. At ego, inquit, habeo, quod ad te pertineat, quodque tibi jucundum futurum sit. Quid id esset, me rogante; Ecce tibi, inquit, elogium ab ea auctoritate profectum, quam tu instar senatusconsulti* Romani *habiturus sis. Solebas enim optare, ut treis aut quatuor* Erasmos *in* Gallia *haberemus, (si tamen tot simul* Erasmi *similes una ætas efferre posset) ut tibi animo tuo aliquando obsequi liceret, ingeniique tui mediocritati liberius vela pandere. Nihil autem tibi molestius esse, quam quod inferveſcente stylo, quasique Musarum aura plenius adspirante, vela tu sæpe contrahere cogerere, atque ad eum modum velificandi impetum moderari, quem nostratium hominum ferret captus, ac libenter admitteret. Ecquis enim æquo animo ferre posset, semidoctos homines, intelligentiæ suæ finibus Latinæ linguæ copiam circumscribere? Hunc ipsum igitur* Erasmum *habes operum tuorum non modo lectorem, sed etiam præconem. Quæ cum ille dixisset, & ego suspensus exspectarem; promit librum tuum solutum adhuc & recentem ab officina, locumque ostendens ἐν τῷ καλῷ Λευκᾶν: O virum, inquit, eleganter ac probe amicum hunc tuum* Erasmum, *cujus tu haud falso, ut video, amicum esse dictitabas, cuique non gratuitum sæpe testimonium tulisti. Equidem, inquit, cujus antea ingenii præstantiam mirabar, nunc etiam candorem exosculor. Videndum tibi,* Budæe, *omnino, ne qui principum in re literaria virorum æmulatione accensus es, nunc hujusmodi viro officio te provocanti cessisse videare. Hactenus ille. Σὺ τοί νυν ἴσθι ἄνερ μοὶ φιλέσαλε, σὸκ ἐλάτλω που οἰσόμην, ὧν εἰς ἐμὲ ἐχαρίσω. ἔ γὸ ἂν ἐν τούτῳ γε ἐκσῆναί ζοι ὑπομήναιμι, ὡς μὴ τοῖς ἴσοις ἀμείψαδ τ δίηρετηκόζ με φίλον ἄνδρα, ἢ τό γε αὐτῆ μέρ, τὼ μνήμλω ἀπηθαναληκότα ζ γένης τ Βυδαίων. Ἄλλως τε πρότερον αὐτὸς ὑπὸ ζ κρείτλον εὖ πεπονθὼς ζώ γε μὶ τόκῳ τὸ χρέ ὀποδώσω σὸκ ἂν ὑποχρέοδ τολμείλω, ὀπλωίκα ἢ τὸ ὀχαῖον αὐτὸ ἐκλίνων, πάνυ ὶ κεκμηκὼς εὖ οἶσθ' ὅτι ἔσομαι. Ἐγὼ μὴ δὴ εἰς γενοχωρίαν ἶνα αἰσθάνομαι ἤδη καθεσὼς τῷ δε ἐκωμίῳ, ᾧ δὴ ἐλέφαν φαζιν ἐκ μύρμηκ ἀπέδρξας· οἶσθα γὰρ δήπ ὡς ἂν μὲν ἀφθόως τε ἢ πισῶς ζὼ ὀπιβάλλονζά ζοι ὀποδ (ὀπιβάλλ γάρ τοι ἕκασον τ πρεσβῶν ἐπαίνων) σὸκ ἂν φθάνοιμι ἔγω γε ἀνθαρείζεσθαί ζοι δοκῶν, πρά γε ἔν εἰδόζι ζὼ ὑπό ζ γεχαμμένα, τελέσι πρὸ πᾶζι. Ἰὸς γὰρ ἔ Δημοσθένει ἀναγινώσκων ζὼ ὀπὸ σῦ. Ἂν δ' αὖθις αὖ τῦτ' ἀνασκάπτω φθόνως πως ἢ ἀκριβιγῶς τ ζῶν ἐπαίνων τ ἀμφιλαφῶν ἄψομαι, ἵ δὴ ἄλλο, ἢ ἀδικῶν τ παντὸς ζε ἄξιον, κακοήθης εἶναι δόξω. Οὐκοῦν εἰς τοιαύτ με ζὺ τὼ ὀπορίαν καλέσηζας, ὁ ὑπάρξας τ δυεργεζίας εἰς φίλον τ ἀξιολογωτάτης, δέον αὖ προλαβόν με τῦτό ζοι τὸ πρᾶγμα πρᾶξαι ἀγχινύσερον ἂν ἀπαλλαχθέν ταύτης τ δυχερείας· οὐ μὶ ἀλλ' ἐλπίζω διρήζειν τε τρόπον ἵνα διπρόζωπον, πόρον τε δύπορήσειν, ἐφ' ᾧ ἀπαλλάξαι πως τυδὶ ζ ὀφλήμα, καθάπαξ ἢ ἀπαλλαχθήζεδ, σὸκ ἂν δὶς ἔγω γε ἐλπίζαιμι, μείζον δὴ ὄν ὡς ἀληθῶς ζ δανείυ, ἢ καλῶ τὼ ὑπάρχον μοι· ἀλλὰ μὶ πανὶ ἂν μᾶλλον ὀποδεξαίμην, ἢ τοζαύτ ἢ τοιαύτ ἀχαρισίαν ὄφλειν. Καὶ μὲν δὴ ἢ χάριν ζοι οἶδα ἢ ὁμολογῶ, τ ζυγγνώμης ζοι τ πρὶ ζ πρακολυθηκόν ῥήμα, quam molli articulo ibi me tractasti, imo quam mihi me reprehendendum, emendandumque, reliquisti? Agnosco, fateor, deprecor, non culpam, sed pœnam, sed ignominiam, qua fatenti remitti solet. Potuisti jure tuo τὸ Σφάλμα μ ἐπανορθωτικῶς γε δὴ σημάζαδ, ut etiam critica severitate abstineres, ἔδοξε καμοὶ πρακολυθηκότι ἄνωθεν πᾶζιν. Ego ita locum transtuli, quasi* Lucas *se ἀκόλυθον τ αὐτοπτῶν diceret, cum hic πρακολυθηκότι idem quod ἐφισμένῳ significet, ut tu ipse sentire videris, etiamsi Latine* assecuto *improbare videris, pro τυχόν, ἢ ἐφικομένῳ, ἢ καλορθῶν.* Assecuto *ut probem facit* Demosthenes *ἐν τῷ πρὶ πραπρεσβείας his verbis: Ἵνα ὡς μὴ πλείσης ζυγγνώμης παρ' ὑμῶν ὁ τὰ τότε πονηρδύμαλα εἰδὼς ἐγὼ ἢ πρακολυθηκὼς ἅπαζι, καλήγορῶ. Hic utrum* Demosthenem *intelligam omnia Æschinis flagitia criminaque comperiisse, accurateque in eum inquisiviſse, quasique omnia ejus gesta factaque è vestigio ita persecutum, ut tandem investigarit: an arbitrum & spectatorem fuisse rerum perperam ab eo gestarum, ut æqualem, ut ζυμπολιδώμενον, ut eadem legatione functum. Idem alibi, ὑμεῖς γὰρ δικασὶ ῥᾴον πρακολυθήζελε πᾶζι τοῖς λεγομένοις. Nihil vos fugiet, sed omnia ut à me dicta erunt, intellectu assequemini. Sic* Galenus, *πρακολυθῆζαί ἶνι θεωρίαν, dixit, animo ita percipere, ut speculamentum non fugiat τ ἐνθυμή-*

Digitized by Google

An. 1517. μάμενον. *Tu ad historiam texentis ordinem retulisti. Quod si recte sentis, miror cur dixit,* καθεξῆς σοι γράψω. *Oportuit enim primum ordine omnia didicisse, deinde* γράψαι. *Et tamen utraque sententia idem dixit:* persequi *enim dixisti non* assequi, *id cum tu dicas, non tamen probas. Omnino locus* δυσνόητός ἐστι. Ἄνωθεν *recte reddidisti pro* ἀπ' ἀρχῆς *& retrorsum. Absit autem ut inficiator esse mediter potius, quam ut me ipse profecisse fatear. Sed de* καληχῇ *te memoria lapsum scio, cum* Lucianus *tuus in Asino utatur:* Ἐμὲ γάρ, *inquit,* ἀπέδωκεν ἀπελθόντι λύρᾳ τῇ ἑαυτοῦ νεανίσκων, ἢ εἶπε καληχεῖν ὅσα ποιῶν μάλιστα ψυχαγωγεῖν αὐτὸν δυναίμην: *de asino loquens, quem saltationem doctum fuisse narrat,* καληχεῖν ἀντὶ τοῦ διδάσκειν *dicens, alibi pro* commonefacere, *id est,* νουθετεῖν: Εὐσόμαι καὶ μηδὲν εἶπης φαῦλον, ἀλλὰ καληχούμενον πείθει παρ' ἐμοῦ. *Unde &* καλήχηται Dionysio: *deinde* καληχήθης *quasi* καλήχησο *vertis. Caterum, utinam tam tibi placeres, quam nobis, in istis eximiis &* μεγαλοπρεπέσι: *jam enim tibi admonitorem me ingeram: ut enim tecum familiariter agam,* πολλάκις θαυμάζειν με ἔφησά σε, καταχρωμένου τηλικαύτῃ καλλιλογίᾳ καὶ δόξῃ εἰς λεπτολογήματα ἵνα, *in quibus tu interquiescere soles:* ὥσπερ ὁ ποδηκὸν τὸ μέτρια τῶν συγγραμμάτων καὶ τὸ μικροπρεπὲς, τοῖς ποσὶ τοῦτο συμμέτρως ἔχουσι καλαλιμπάνειν. Σὺ μέντοι τὰ πρῶτά τε, καὶ τὰ τελευταῖα, καὶ τὰ τούτων ἐφιζῆς, τῷ αὐτῷ νῷ φιλοκάλλων, τοῦτο μὲν ποδαναπαύειν τὸ τῶν ἡττόνων τε καὶ μετρίων ἔπαθλα αἰτίαν ἂν ἔχοις. Τοῦτο γὰρ καὶ τὸ σανιδισμὸν οὐκ εἰς δέον καθαναλίσκειν, πρὸς γὰρ τούτοις καὶ τὸ ἀξίωμα τῆς καλλιλεξίας τε καὶ μεγαλονοίας κολοβοῦν, *quod Prisci* minuere majestatem *appellabant. Postremo quam te amari a me putas, de Praefatione illa tua* περὶ τῆς ἀρχιερέως, *cujus tu* τὸ ἀξίωμα οἱονεί τι φυλακτήριον φιλόπλων τῷ συγγράμματι τῷ σῷ φιλέθηκας *scite sane & solerter,* ἐπὶ τῇ ἀποζοφίσει τῶν νυκτικῶν τούτων σφηκῶν τῶν ψιθυροθολούντων. *Ac ne quid tibi interim deperiret,* δεδωρημένης ἤδη βίβλου ὅμως ἀνυπαβόλως τὸ ἀρχιεπίσκοπον τὸν διεργέτην ἠβαλήθης, κομψῶς δὴ δύο τοίχους *eadem fidelia, &, ut nostrates ajunt, unica filia, procis quidem pluribus digna, generos tibi duos adsciscens. Obe, inquis! Jam ad calces charta tua deventum est. Hic igitur desinam. Scripsisti ad me Laconice: ego ad te Asiatice fortasse, vel si qui pejores etiam fuerunt, sed sic sum, si placeo utere. Rarus tardusque sum ad scribendum, multus autem scribendo; ubi incalui, toliere manum nequeo. Simul* ἀνεπισέλαφόν σε προσέρομαι, εἴ πού σε χολῶ ἄγοις *ut paria facias, charta dico dispendio, cui non parcere me vides. Certe quidem fecies, ut hanc epistolam te recepisse sciam, & me interim ingrati judicio non periclitari: quod non ante credam, quam a te certior factus:* μαχαιρίζω σε τὴν χολῆς ταύτης καὶ ποδῆς τὴν περὶ σοῦ θεῖαν, *quam mihi jam diu promitto. Sed œconomico mihi magis esse, quam* φιλοσόφῳ *vacat.* Πῶς γὰρ ἂν τῷ γε ἐξ ἡμέων παιδείτε καὶ τροφεῖ, ἵνος θυγατρὸς ἀδελφῶν; *quique ut* φιλοσόφως ἔχω ἐν τοῖς μάλιστα, οὕτω τοι ἀμελῶς ἔχων αἰεὶ ποτὲ δ' ἀπελέλειπτα τὴν περὶ τὴν πολυπαιδίαν ἐπιμηδίων. *Vale,* καί με ἀσπάζου ἀμοιβαίως. *Parisiis, festo Adscensionis Domini, cum ego votivam peregrinationem postridie initurus essem, Anno* 1517.

## EPISTOLA CCLI.

*Erasmus Roterod. Guilielmo Budaeo suo* S. P. D.

JAM ὁ γραμματοφόρος ad iter erat accinctus, quum mihi è Principis aula *Antuerpiam* reverso tuæ redduntur literæ, idque decimotertio Calend. Julias, atque hæ sane tandem è *Colonia* receptæ. Ad quas ut λακωνικῶς respondeam potius, quam ut nihil respondeam. Quid ego audio? *Budæus* quicquam debet *Erasmo*, δύτυχέσι τῷ τῶν ἀπάντων δυσυχεστάτῳ; Quod in annotamentis nostris *Budæi* feci mentionem, Operi nostro è tui splendore nominis nonnihil ornamenti conciliare volui, id captabam: tantum abest, ut quicquam hinc mihi deberi putem. Quod factum si tu boni consulis, tibi ut aliis pluribus, ita hoc quoque nomine debeo: sin minus, tamen rapto fruar. Sive id feci recto judicio, sive secus; certe feliciter cecidit, posteaquam hac occasione tam eruditam, tam amicam, tam copiosam epistolam, vel promeritus sum, vel extorsi. Nec est quod te sollicitum habeat τὸ ἀμοιβῆς ratio. Si quid pro studio in me tuo debebatur, id cumulatissime, multoque cum fœnore tua reposuit epistola. Quod si tuo animo non potes alio pacto satisfacere, quicquid est hoc nostri officii monendo docendoque referas oportet, non laudando. Nam dum ego *Budæum* meum celebro, non simplici fructu id facio. Primum, quod videor tua legisse, & eximias ingenii tui dotes agnoscere. Deinde, doctis omnibus meipsum commendo, ὁμόψηφος ὤν, quorum nullus est, qui *Budæum* non suspiciat. Atque ipse quoque *Linacrus*, vir exacti quidem, sed severi judicii, & qui non temere probet quemlibet, *Budæo* nihil non tribuit. Equidem ceu victor exsultabam, cum audirem hominem totum in meam discessisse sententiam, & veteri meo de te judicio plaudebam. Idem evenit apud eum in *Copo*, cujus omnia citra exceptionem probat. Fortasse non obfui bonis studiis, dum tuas lucubrationes commendatiores reddo apud eos, qui *Erasmum*, cum nihil sit, tamen amore quodam hallucinantes, aliquid esse putant. Quandoquidem video te hanc provinciam suscepisse, ut optimas literas ab istorum ἀπαιδεύτως πεπαιδευμένων tyrannide vindices, & pristinam illam laudem nostræ asseras *Galliæ*. Nihil enim vetat eundem ditione *Germanum* esse, & veterum Cosmographorum descriptione *Gallum*. Atque utinam quidam non conarentur ea distrahere, quæ suapte natura conjuncta sunt. Pulcherrimum profecto munus, & cui obeundo unus *Budæus* par esse possit. De his, in quibus partim à me dissentis, partim assentiris, partim ἐπέχεις καὶ ἀμφισβητεῖς, non poteram in præsentia respondere, primum, quod temporis angustia excludebar, deinde, quod codex nullus adesset: nam erant responsuro relegenda loca aliquot. Fiet id alias, idque brevi. Illud interim in genere dicam, tantum apud me valere *Budæi* judicium; ut si quid illi serio probari sensero, non dubitaturus sim quavis etiam in re παλινῳδεῖν. Quanquam in hoc Opere feci, quod in aliis soleo. Decreveram levi brachio rem peragere, ut in minutiis quibusdam versaturus, & locos duntaxat ceu digitulo indicare. Porro cum jam edendum esset Opus, instigarunt quidam, ut Vulgatam Editionem mea vel correctione, vel interpretatione mutarem. Ejus sarcinulæ accessionem, cum oppido quam levem esse ducerem, longe gravissimam ipsa re comperi. Deinde perpellebant, ut annotationes adderem, aliquanto locupletiores. Jam protinus, ut scis, retexenda omnia. Accessit & illud oneris, arbitrabar *Basilea* haberi emendata exemplaria. Ea spes quoniam fefellit, coactus sum præcastigare codices, quibus usuri erant τυπογράφοι. Ad hæc conducti fuerant duo probe docti, alter Jureconsultus, alter Theologus etiam Hebraice peritus, qui formis castigandis præessent; at hi quoniam hujus laboris erant rudes, quod susceperant, præstare non poterant: proinde necesse fuit, extremam formarum, quas vocant, recognitionem in me recipere. Conficiebantur simul & excudebatur opus, absolvebatur singulis diebus ternio: sic enim nunc vocant: nec interim tamen licebat totum huic vacare negotio. Excudebatur eodem tempore *Hieronymus*, qui sibi bonam mei partem vendicabat: & stabat sententia, aut immori laboribus, aut ante Pascha ex eo pistrino memet explicare. Postremo, fefellit nos voluminis modus, affirmabat typographus fore, ut ad triginta plus minus terniones accresceret: excessit autem octoginta tres, ni fallor. Itaque maxima temporis parte consumpta in his, quæ vel ad me proprie non pertinebant, vel ante destinata non fuerant, delassatus jam ac pene fractus ad adnotationes perveni. Pro temporis modo, proque valetudine præstiti quod potui. Nonnulla prudens etiam præterii, ad multa sciens connivebam, in quibus mox ab editione à meipso dissensi. Proinde τῷ δόλιχον σφαδάζω ἐκδοσιν, in qua te magnopere rogo, ut conantem adjutes. A tui similibus etiam objurgari officii loco ducam. Unum illud φυλάξεις, βέλτιστε Βυδαῖε, ne id suboleat τοῖς πολλοῖς, ἵνα μὴ ζῷ βιβλία οἶκοι μένῃ ζῷ τῷ ἐλευθερίῳ πωλῇ.



Digitized by Google

An. 1517. πωλῇ. Vehementer grata fuit tam amica admonitio, quanquam quæ dicas λεπτολογήματα noſtra, in quibus gaudeam interquieſcere, non ſatis intelligo, niſi quod mihi ſane omnia mea, nugæ videntur: ac ſæpenumero mecum demiror, quid ibi ſit, quod quidam laudibus vehant: nam faciunt id aliquot etiam magni. Vide quam arduum ſit omnium judicio ſatisfacere. Sunt qui me in jus vocent ut audaculum, qui tam nihili cum ſim, tantas res aggrediar. In *Enchiridio* quantum auſus ſum à ſeculo noſtro diſſentire, nullius auctoritate deterritus? In *Chiliadibus*, opere minuto, quoties exſpatior in Philoſophorum ac Theologorum campos, ac velut oblitus argumenti ſuſcepti, altius rapior, quam pro decoro. Id magis liquebit, ſi legeris Proverbium, *Aut Regem, aut fatuum naſci oportet.* Item ἀπάρταν ἔλαχες, ταύταν κόσμει. Item γλυκὺς ἀπείρῳ πόλεμος. Item *Sileni Alcibiadis:* nam in Proverbio Κάνθαρος ἀετὸν μαιεύεται, plane luſimus ingenio. In libello *De Principe Chriſtiano*, ea præcipio, quæ nemo Theologorum auſit attingere; niſi forte *Luciani* dialogos ac tragœdias *Euripidis*, in quibus exercui me, λεπτολογίας vocas. Nihil *Catone* minutius, in quo dieculam abſumpſi. At eas quamlibet minutas nugas, ego ſane ἓ ποτὲ quodlibetis antepono. Cæterum, in Novo Teſtamento nec ignoro, nec inficior, permulta incidere minutula; ſic enim argumenti ratio poſtulabat. Attamen ſi quis expenderit, imo ſi quis experiatur, quid ſit ea vertere, quid tractare; is intelliget non ita multo majore negotio juſtos commentarios ſcribi potuiſſe, quam quo nobis illæ minutæ minutiæ ſcriptæ ſunt. Atque hæc qualiacunque λεπτολογήματα graviſſimi Theologi amplectuntur, ex his ſe plurimum hauſiſſe lucis fatentur; niſi forte mihi blandiuntur tot integerrimi viri, quorum & nomina recenſerem, & epiſtolas producerem, ni mihi vehementer diſpliceret κενοδοξία. Et alioqui ſi meipſum meo pede metiri velim, nihil niſi minutum ſuſcepturus ſim, ac defugiam onus, parvis animis & parvo corpore majus. Denique neſcio quo modo magis arridet animo meo in nugis admiſcere ſeria, quam in magnis rebus nugari. Et mihi videtur nihil nugacius, quam in his quæſtiunculis, quibus Theologi complures ſibi dii videntur, argutari, ἔξεστι γὰρ πρὸς σέ γε ἀληθεύειν. Jam in hoc argumenti genere videor mihi ſuperiores omnes, ſi non eruditione, certe diligentia ſuperaſſe. *Hieronymus* in emendatione Pſalterii, quam multa pene frivola adnotavit? Nec mihi deero, ſi modo vita vireſque ſuppetent. In Pſalmum *Beatus vir*, præluſi. *Paulum* aggrediar. *Hieronymus* prodibit totus renatus. Hæc adeo magna ſunt, ut ob quorundam invidiam vix ſubſiſtam. Quam tibi magna videantur neſcio, certe majora quam pro meis viribus & fateor, & intelligo. Verti ex *Plutarcho* libellos aliquot, in quo Scriptore nihil mihi non graviſſimum eſſe videtur. Non gravaberis igitur explicare, quas λεπτολογίας à me vitari velis: ut certius hac in re tuum ſequar conſilium, quod ubique ſequi non ſecus atque oraculum eſt animus. De Præfatione, qua Novum Teſtamentum *Leoni* dico, nihilominus admiſcens *Archiepiſcopum Cantuarienſem Mecænatem* meum, næ tu probe conjectas. Iſtuc ipſum ſpectabam id temporis. Quod gratularis ocio noſtro, & tuam deploras fortunam: iſta quidem in re, mi *Budæe*, longe lateque abs te diſſentio. Libri tui ſatis teſtantur, *Budæo* non omnino deeſſe ocium: quanquam & alioqui tam ſingularis iſta ingenii tui felicitas, ac fœcunditas, quamlibet multis occupationibus ſufficere poſſit. Porro liberis, uxori, reliquæque curæ domeſticæ ego unicam uxorem meam oppono τλὼ κατάρατον πενίαν, quam nec adhuc humeris excutere poſſum, adeo ἅπαντα φιλεῖ. Obſecro te per tuam immortalitatem, quæ te, tuoſque omnes haud dubia manet, ut magno infractóque animo, qua cœpiſti, pergas, & bonis ſuccurrere literis, & tuæ *Galliæ* nunquam intermoriturum decus, eruditiſſimis tuis lucubrationibus parere. His interim contentus eſto. Ad reliqua ſcribam, ſimul atque loca relegero. Bene vale, & *Eraſmo*, quod facis, fave. Agitur hic apud Principem de inaurando me. Verum haud ſcio, quî fit, ut, mea ſententia nuſquam quam hic contemptiores ſint bonæ literæ: αἴτιοι οἱ ἄρχοντες ἀμουσώτατοι. Magna tamen ſpes eſt in *Joanne Sylvagio*, *Burgundiæ* Cancellario, qui quidem, ut ipſe non ſolum maximus eſt, ac prudentiſſimus, verumetiam eruditiſſimus, ita impenſe favet omnibus, quos inſignis eruditio commendat. Hunc heroa ſi nobis ſuperûm benignitas diu velit incolumem, ſpes eſt fore, ut apud nos quoque proveniant, qui ingenii ſui monumentis Principis ſui regnum, cætera feliciſſimum, illuſtrent & ornent. Rurſum vale. *Antuerpiæ*, Anno 1517. An. 1517.

## EPISTOLA CCLII.

*Eraſmus Roterod. Rimaclo ſuo* S. D.

TANDEM effugi ex ergaſtulo *Baſilienſi*, in quo ſex annorum operas, octo menſibus præſtiti. Mirum, mi *Rimacle*, quantis ſtudiis, quibus conditionibus me ſollicitarit ſuperior illa *Germania*, quæ regio mihi ſic modis omnibus arriſit, ut nulla ſub ſole magis. Hanc epiſtolam *Antuerpiæ* reliqui, *Bruxellam* veſtri conveniendi gratia aditurus: idque hoc conſilio, quo ſi forte fortuna evenerit, ut non ſit congrediendi copia, hæc meis verbis ſalutem diceret amicis, quibus me redditum vehementer gaudeo. Bene vale. Et *Aloyſium* (ſi adeſt) meo nomine ſaluta diligenter. *Antuerpiæ* 1. Junii, Anno 1517.

## EPISTOLA CCLIII.

Cutbertus Tonſtallus Guilielmo Budæo *S. D.*

QVOD *meaſponte per ocium, vir eruditiſſime, facturus eram, ut ad te ſcriberem, mihi id in mediis meis occupationibus crebris ſuis literis extorſit* Eraſmus: *qui tibi, ut ait, pollicitus eſt id me brevi facturum. Atque ideo ut amici fidem liberem, quod in diem alioqui facere ſtatueram, repræſentare ſum coactus. Nam dum ille ſuis ad te literis, de tua in utraque lingua peritia, meum velut idoneum affert teſtimonium, tuque illi de me fidem habens, noſtrum non adſpernaris judicium, velut me in judicum agnoſcens albo, putabam ad meam verecundiam non parum attinere, ut qua arena duo noſtri ſeculi* Milones *in literis, amiciſſimis epiſtolis, inter ſe certarent, quaque alter de altero cenſuram ageret non ineruditam, ex ea me quamprimum ſubducerem, cum nec is ſim qui cum* Eraſmo *cenſuram agere de literis, neque de* Budæo *ſubeunte judicium pronunciare ſim idoneus. Quorum uterque patriam ſuam illuſtrans, & orbi terrarum fama cognitus, ea eſt apud eruditos auctoritate, ut quicquid veſtrum utervis in literis cenſuerit, magno id conſenſu uſque adeo defendant omnes, ut præjudicii vim in poſterum habere videatur. Itaque* Oreſte *non injuria videri poſſem inſanior, ſi utriuſque linguæ imperitus ipſe, judicis mihi deſumam partes inter homines, extra omnem ingenii aleam in utraque lingua poſitos. Sed tamen velut qui præclaras cum admiratione quadam picturas intuentur, imperiti ipſi pingendi, & nec lineamenta ducere, nec colores diſtinguere, neque umbrarum & lucis, ad exprimenda quæ velint, rationem habere perdocti: ſi qua venuſtate quadam ſe commendant, quæque ſpectantes tenent omnes, ea ſoli non laudent, maligni poſſent videri: ita ſi qua malus orationis artifex ipſe ſtupens lego, eorum in laudes non erumpam, livoris ſuſpicionem vix effugiam. Itaque ut meam de vobis ſententiam qualemcunque majoribus judiciis interponam: Plus ad veterem eloquentiam multis antiquatam ſeculis revocandam, plus ad inſtaurandas humaniores literas (abſit invidia verbo) vos duo contuliſtis, quam omnes* Perotti, Laurentii, *addo etiam* Hermolai, Politiani, *caterique omnes qui ante vos fuerunt. Illi ut ocium oblectarent ſuum, quo quemque vocabat ingenium, eo contendentes, jucunda quadam, & ipſa varietate lectorem morantia, congeſſerunt: velut ex amœno quopiam prato ſelectiſſimos carpentes floſculos. Vos* Hercu-

Digitized by Google

An. 1517. culeo *quodam & indefesso labore, densissimas barbarorum acies, &* Xerxis *copiis majores, magno utrique animo adorti fudistis, ac jam pene profligastis; è templis alter, qui sacra omnia profanabant; alter ex foro, qui judicia pessundabant. Illi qua lectores morentur scripserunt multa; vos qua studiosos etiam invitent. Illi qua vitam cultiorem reddant, sed sine quibus transigi possit; vos ea sine quibus hominibus vita nulla putanda est. Illi ne in comœdiis, & epigrammatis, & historiis erraremus, elaborarunt; vos tota de hominum vita tollendos errores curastis. Illi qua pauci lecturi sunt, hique ocioso tractarunt; vos qua nemo, quantumcunque negotiosus, non volet in manus sumere. Illorum vos in restituendis Veteribus gloriam aequastis plane, & nescio an superastis: vestram illi palmam, operis absterriti magnitudine, desperantes non attigerunt. Jam vero ut qua ab illis sunt scripta, legantur accuratissime, quantulum ad plenam & justam eloquentiam promovimus? quamdiu in foro, quamdiu in templis, quibus in locis frequentissime versamur, patimur regnare barbariem? At è diverso reducta in hac loca facundia, ubi latitandi sibi locum amplius reperiet infantia barbara? Sacras vel degustare Literas Christianus nemo non solet, modo non sit ἀναλφάβητος, & qui magis in eas penetrant, abunde se putant disertos, si tandem earum assequantur φράσιν. In foro vero cujusmodi apud omnes gentes in reddendo jure solet esse facundia, ejusmodi est populi magna ex parte sermo: quod cunctos necessitas ad eam facundiam perdiscendam adigit, sine qua sua tueri non possint commode: eorumque qui in foro sunt celebres, similes in dicendo videri cupiunt omnes. Frustra igitur ad instaurandam Latinam linguam diligentiam adhibueris, inanem omnem insumpseris operam, nisi prius in templa, nisi prius in forum, purum sermonem revoces. Vos itaque veram laudis ingressi viam, primum hac repurganda vidistis. Vos immortalem consecuti estis gloriam, quos non operis vastitas, non difficultas moliendi, non perficiendi desperatio, non barbarorum copiae pro castris suis stantes, ac veluti pro focis & aris dimicare parata: non magnus velut augurum numerus religione vos deterrens: non fasces magistratuum ab instituto tam utili remorari potuerunt. Ille genus omne perlustrans Auctorum, Adagia vetera pene tot aenigmatum speciem reddentia, & graves lectoribus offundentia tenebras, industria mirifica, velut alter* Oedipus, *studiosis enarravit. Multaque itidem alia egregia edidit Opera, & quadam titulis humilibus, qua non modo ad majora tendentibus conducunt magnopere, sed velut praeludia quadam Auctorem ipsum ad eam Provinciam parem reddiderunt, quam suo jure sibi desumpsit, sacras illustrandi Literas. Tu non minore diligentia Veteres excussisti omnes: & dum multa ex* Graeco *sermone vertis in* Latinum, *parem in utraque lingua facundiam adeptus,* Pandectas *opus immensum, & in quo non pauciores erant menda quam legum capita, commentantium vero errores multis partibus plures, tibi repurgandum putasti: & dum* Accursianos *errores palam facis, dumque veram reducis interpretationem, multo plus hausisti laboris quam* Hercules *ipse, dum* Αὐγείας κόπρον *è stabulis repurgat. Nam quod* Assem *nobis, partesque ejus enarrasti, ponderaque & mensuras veteres, novus nobis edilis restituisti, Opus est plus quam* Herculeum, *& in quo seculi hujus exspectationem longe superasti. Quis enim unquam putasset rem comploratam, elatam, tot seculis profunda mersam oblivione, tot eruditis viris plane desperatam, in lucem aliquando redituram? Cujus illud tentantis non arguissemus temeritatem? Quem id pollicentem non irrisissemus? An te, quaeso, tulisset quisquam, nisi prius id praestitisses, quam te praediceres facturum? In caeteris itaque tuis commentariis alios longe relinquis, in illo plane vincis teipsum. Sed quid ego in tuis ad* Erasmum *literis, quas is mihi legendas obtulit, vidi? Nonne scribis te* αὐτομαθῆ καὶ αὐτοδίδακτον *sine ulla praceptorum institutione ad istam eruditionis pervenisse frugem: id quod, ni tam simplex animus omnem mendacii suspicionem longe submoveret, vix credibile videretur. Me certe in summam tui admirationem ea res concitavit, dum tuam in evolvendis tot Auctoribus industriam, alioqui vix credibilem, majorem fuisse cogito, quam ut hominis videri possit, cum sub eruditissimis institutos praceptoribus, atque eos ipsos summa diligentia viros,* αὐτομαθὴς *ipse reliqueris tam longe. Deinde cum mecum reputo, quas vicisti difficultates, subit divina quadam providentia factum, ut praceptoribus carueris. Quantum enim sub illis diligentiae nostrae perit, dum praelegentes securi atque oscitantes audimus, eorum secuti fidem, qui ne quid nobis ignorare videantur, ostentandi se gratia, sape falsa pro veris, dubia pro certis docent. Quo fit, ut errores teneris adhuc animis insertis, nobiscum adolescant: quos, ubi altius radices egerint, frustra tentes revellere: adeo nos pudet, qua imberbes didicimus, senes perdenda fateri, teste* Horatio. *At te discendi cupidum, praceptorum inopia, singula notare, nihil pro certo nisi compertum, ducere: nihil tibi temere credere, qua ceteri secure transiliunt, ad illa subsistere: nec nisi examinata, perpensa, propius inspecta, cum similibus collata praeterire subegit. Magno id, inquis, tuo incommodo tibi contigit, at aliorum incredibili futurum erat commodo. Ingens illud tedium vix tandem devorasti, at immortalem ex hoc deportasti gloriam: qua nisi magno sudore non paratur. Tibi debebit posteritas, Forum repurgatum, restitutum Assem tibi acceptum feret. Tu novus nobis* Servius Sulpitius *exoriens, Jus Civile cum facundia, cum qua jam multis seculis fecerat dissidium, reducis in gratiam. Quod vero in calce literarum tuarum adjectum erat, te novas in* Pandectas *annotationes parare, latitia quadam incredibili me perfudit. Mirabar namque cur flatu tam secundo delatus in altum, ancoram in medio lucubrationum tam utilium cursu jecisses: & cum me in amicitiam tuam insinuare cuperem, scribendi argumentum mihi sumere decreveram, ut ad id, quod orsus esses, absolvendum te hortarer. Quod jam argumentum mihi praereptum esse gaudeo magnopere. Facilius enim tua sponte resumpto cursu, ex immensis difficultatum fluctibus, portum tenebis optatum. Porro his* Minerva *qua libens tractat majorem addet fere gratiam. Quantum illa tua mihi placeant commentationes, vel ex hoc conjicere poteris, quod, cum in adolescentia primoribus labris humaniores degustassem literas, ac deinde ad Juris Civilis studium, velut ad rem augendam accommodatius, amicorum suasu, fuissem detrusus, praceptores meos, viros in* Italia *ea tempestate celeberrimos, meros* Scævolas *&* Papinianos *cunctis visos, agitare interdum solebam, cum ab his legem aliquam in suam sententiam obtorto collo miseram trahi viderem, longe aliud, si per vim licuisset, sentientem: gloriantibus interea ipsis, verum (si Deo placet) erutum è lege sensum, quem funditus à se obrutum verius dixissent. Hac ego commotus indignitate, nonnunquam de vera lectione, qua depravatum locum animadvertenti mihi succurrebat interim, de recto interdum sensu submonebam hallucinantes. Verum id quoties feci, tam ego sum illis arrogans visus, quam illi mihi ridiculi.* Accursii *enim, in cujus verba jurarant, sacrosanctam auctoritatem à quoquam minui, flagitium inexpiabile ducebant. Quamobrem miseram illorum temporum deflens tum sortem, optabam aliquando futurum, ut veritatis assertor aliquis in medium prodiret, qui tenebras has è Jure Civili, reducta luce, discuteret. Id quod tandem Dei Opt. Max. benignitate nobis contigit, qui* Budæum *nobis tantum non e cœlo misit. Nam quis, quaeso, est, qui barbaros, Juris Civilis puritatem sordida fœdantes interpretatione, ridiculaque sæpe aenigmata pro jure reddentes, è Foro deturbat? nempe* Budæus. *Quis est, qui Juris nodos, qui legum aenigmata solvat: Quis, qui veterem in Foro facundiam instaurat?* Budæus. *Quis, qui* Scævolam, Papinianum, Ulpianum, Paulum, *caterosque Juris auctores à barbaris diu in vinculis habitos, in patriam ex captivitate postliminio redeuntes, in Forum reducit? an non is est* Budæus. *Perge itaque, vir eruditissime, feliciter, ut coepisti, & hanc gloriam, caeteris intactam, tuo jure solida amplectere.*

An. 1517.

An. 1517. *Etere. Nihil non investigatum ista eruditio dabit, nihil non inventum cum studiosis communicabit iste animi tui candor. Illa vero tua ad* Erasmum *epistola tantopere mihi placuit, ut nihil unquam abs te scriptum viderim vel festivius, vel elegantius, vel quod eruditionis specimen præ se majus tulerit, quandoquidem adeo cum sermone* Latino Græcus *ex æquo certat, ut facile dijudicari non possit, Græcus ne eam scripserit, an* Latinus. *Illud plane nemo non affirmaverit, eam hominis esse eruditissimi, & qui vix hujus seculi possit existimari. Vale.* Bruxellis, *Anno* 1517.

## EPISTOLA CCLIV.

*Erasmus Rot. Guilielmo Latamero* S. D.

PER literas obtestor, humanissime *Latamere*, ut in Novo Testamento adjutes. Editum est pro temporis angustia satis accurate, verum mihi præter exspectationem bona temporis pars præcastigandis exemplaribus, ac formis denique corrigendis, erat insumenda. Tametsi ad id muneris duo docti magno ære fuerant conducti. Sic autem adjutabis, si admonueris per literas, quid mutandum esse ducas: nam alteram mox adornabo editionem. Verum cave ne cui hoc suboleat typographi gratia, cui domi manerent sua volumina, si sentirent emptores. Quanto studio me complexa sit omnis illa *Germania* superior, non commemorabo, ne videar gloriæ causa id facere. Ambit me & nostra regio. Hæc tantum abest ut affectem, ut pudeat etiam honoris, quo me novi indignum. Et tamen gaudeo subolescere bonas literas, ac spero brevi futurum, ut *Erasmus* infans habeatur. Bene vale. 5. Junii, Anno 1517.

## EPISTOLA CCLV.

*Erasmus Ursewico suo* S. D.

EQVI tui genius mihi fuit magnopere felix, nam bis jam *Basileam* usque vexit ac revexit incolumem, itinere licet periculosissimo, non solum longo. Sapit jam non minus quam *Homericus Ulysses: siquidem mores hominum multorum vidit & urbes:* tot adiit Universitates. Dum *Basileæ* meipsum pene laboribus eneco mensibus decem, ille interim ociosus ita pinguit, ut vix ingredi possit. Superior illa *Germania* dictu mirum quantopere mihi arriserit, idque modis omnibus, & quam impense faveat *Erasmo*. Novum Testamentum non dubito quin videris. *Hieronymus* totus propediem prodibit in lucem, una cum libello *De Principis institutione Christiani*. Quatuor *Hieronymi* volumina misi Archiepiscopo *Cantuariensi* per hunc *Petrum* unoculum, tuum alumnum; quem offendi sic incumbentem scribendis libris, ut se laboribus propemodum confecerit. Opinor homini fatum instare, qui tam sui dissimilis sit factus. Quin & abstemius propemodum est redditus, & vini osor: atque hinc pallor insolitus. Tuorum in me beneficiorum semper meminero, quicunque me terrarum angulus est habiturus. Bene vale. Apud divum *Audomarum* 5. Junii, An. 1517.

## EPISTOLA CCLVI.

*Joanni Episcopo Roffensi Erasmus Rot.* S. D.

REVERENDE Pater, si per valetudinem licuisset, ipse coram salutarem amplitudinem tuam, & pro tantis in me beneficiis gratias agerem. Novum Testamentum cum tibi destinassem, cur mutato consilio summo Pontifici inscripserim, literis meis jam pridem exposui: quæ tua est humanitas, imo prudentia, boni consules, spero, quod fecimus. Timebatur hoc Opus antequam prodiret: cæterum editum, mirum est quam probetur omnibus etiam Theologis, vel eruditis, vel integris & candidis. Prior *Friburgensis*, vir summæ auctoritatis apud suos, is est auctor *Margaritæ Philosophicæ*, cum degustasset Opus, ait *se malle carere duobus florenis aureis, quam eo libro.* *Ludovicus Berus*, Theologus *Parisiensis*, vir in ea promotione (ut vocant) primus, exosculatur, adorat, ac deplorat tot annos in scholasticis illis conflictatiunculis consumptos. Idem sentit *Wolphangus Capito*, concionator publicus *Basiliensis*, vir *Hebraice* longe doctissimus; ad hæc in Theologica palæstra exercitatissimus: uterque *Græcis* literis sedulo dat operam. Huic simillimum reperi *Magumiæ* Theologum & *Coloniensem* suffraganeum. Ut reliquos omittam, Episcopus *Basilensis*, vir grandævus, vitæ integerrimæ, & impense doctus, quid non humanitatis in me contulit? Quid non obtulit? Cum omnia recusarem, coegit tamen ut equum acciperem, quem mox urbem egressus quinquaginta florenis aureis revendere potuissem. Dux *Bavariæ Herneſtus*, misso hujus rei gratia *Basileam* usque nuncio, ducentos obtulit aureos annue, præter sacerdotiorum spem, præter munera magnifica, tantum ut *Angelopoli* (ea est *Bavariæ* schola) viverem *. Idem fecit Episcopus quidam *Germanus*, cujus cognomen in præsentia non succurrit. Sed desino gloriari, cum hujusmodi permulta veriſſimè queam referre. Scio me nihil horum promereri, & tamen gaudeo nostras qualescunque vigilias non displicere bonis. Multi legunt hac occasione divinas Literas, nunquam aliàs lecturi, quod ipsi fatentur: complures græcari cœperunt, imo passim. Divus *Hieronymus* proximo mercatu *Francfordiensi* totus prodibit. Nunc per hunc *Petrum* unoculum, hac de causa meo sumptu meoque periculo missum, mitto Archiepiscopo *Cantuariensi* quatuor Epistolarum volumina, quorum copiam ille tibi lubens fecerit. Ad divum *Audomarum* usque perveneram, in *Angliam* trajecturus; sed febricula oborta fecit quo minus me committerem navigationi. Cum licebit, aliqua declarabo me non omnino immemorem tantæ tamque effusæ in me beneficentiæ. Princeps *Carolus* ad regna novem & decem (ut ferunt) accersitur. Mira felicitas: at precor, ut ea nostræ quoque patriæ sit felix, non solum Principi. Cum, *Basilea* relicta, per *Lotharingiam* iter facere parabam, passim obvios habui milites, vidi rusticos supellectilem in proxima oppidula comportare; rumor erat *Lotharingos* adoriri velle, sed incertum erat à quo mitterentur. Mihi subolet à Cæsare dimissos quærere, qui salarium illius vice dependat. O miros *Christianorum* Principum lusus! Sic tumultuamur, sic κυβιόμεν, & tamen *Christiani* nobis videmur. Verum hæc mihi meique similibus tantum deplorare licet. At utinam omnes Pontifices, omnes Cardinales, omnes Magnates, omnes Theologi in hoc conspirarent, ut his malis pudendis aliquando finis imponeretur: verum id nunquam fiet, nisi semoto privati commodi studio, publica tantum spectetur utilitas. Ita fieret, ut & privatim quisque melius haberet. Bene vale: melius valebo, si tuas merebor accipere literas. Apud divum *Audomarum* 5. Junii, Anno 1517.

## EPISTOLA CCLVII.

Guilielmus Budæus Erasmo Roterod. *S. D.*

ACCEPI *literas tuas dies abhinc quinque aut sex: quas avidissime legissem, nisi mihi* περίμαλα παρεῖχε δυσχερὴς ἀνάγνωσις, *adeo tu* ὀλιγώρως καὶ παρημελημένως *epistolam expedieras, tabellario petasato jam, ut conjicio, & flagitante. Jam hoc unum habeo familiaritatis & amicitiæ* σύμβολον ἐξ ὁμοιοῦ, *te ad me* ταχυγράφως τε καὶ ἀπεσχεδιασμένως *scribere longissimam epistolam. Neque enim id fiducia tribuo, quam tibi ille scribendi, dicendique magister stylus ingenerasse potuit & debuit: sed* τῇ ἀφελείᾳ τοῦ τρόπου σου, *& candori animi tui, nihil sinistræ interpretationis ab amico suspicantis: id est, animum alienum ex sese æstimantis. Illud tamen* ἐξ συγγνωστὸν, *quod sine die ac consule scripsisti. Vide ut posthac minus me torqueas,* ἡδέως τὰ πρός σε ἀναλυσόμενον, *modo utaris* χειροχάρῳ *tuo solito in epistolis, quem ego esse pulchrum & dilucidum scio. Sed scilicet, tu schedam ad me*

* Vide hac de re supra Epist. CCXXIX.

Digitized by Google

An. 1517. me pro epistola pura misisti. Vide vero si pergas sic negligere scribere, ne in fraudem quandam haud spernendam incidas ex hac culpa. Ego enim epistolas tuas non solum inter κειμήλια literaria ἀποτίθεμαι, sed etiam hospitatim propemodum circumfero: quod ita interesse existimationis meæ arbitror, tantam mihi tecum intercedere necessitudinem à multis non ignorari: & præterea istis tuis elogiis contra obtrectationes utar, si ita usus venerit. Multos enim meruisse me obtrectatores scio, etiamsi nondum scio, an obtrectatores multos habeam, ἢ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. De altera tua Editione quod scripsisti, id apud me μυστηριῶδες erit. Ita enim epistolas tuas ostentabo, ut id absque captione tua fiat. Si quid in sinu meo depositum esse sensero, quodque clam esse volueris, id per me ne palam fiat, haud periculum erit. Siquidem cum opus est, στεγανώτερος τῶν μυσταγωγημένων εἰμί. Quantum succidere temporis mihi imperiosis occupationibus licebit, adjutare te omni ope conabor, ut suggestor structorem, quod nescio an efficere possim. Nam ut Præfationem tuam, & Apologiam in Novum Instrumentum legi, ita Annotationes aliquot in locis vidi. Paræmias tuas ultimas hodie causa tua à bibliopola mihi curavi. Antehac enim veteres tuas sufficere mihi existimabam, ita ut etiam non perlegerem, sed velut Sibyllinos libros, cum usus venerat, adirem: Silenos tamen, & alia nonnulla legeram in alienis libris, ut fit, cum apud amicos essem. Hæc enim loca maxime celebrari audiebam. Linacrum tuum, virum apprime doctum, ut arbitror, hic allocutus sum non semel, cum invicem viseremus ego & ipse. Visus est mihi vir bonus, benignusque, ac nihil fastus præ se ferens: ei exemplar unum De Asse misi, quoniam sub ejus discessum liber ab officina exiit. Is mihi inter loquendum dixerat, aliqua eorum, quæ explicuisse me plane confido, illustrari hac ætate non posse, & ego me id facturum receperam, quod ille admirabatur. Hac occasione ejus amicitiam quæsitam, in calendarium sanctius retuli, ubi majusculis literis ERASMVS præscriptus est. Εἴθεσοι ἐδόκει πολὺ σαπολαύειν ὑμᾶς ὥρας, ut attente quasdam ejus operis partes legisses: egoque rescisscere alicunde judicium tuum potuissem. In his est locus, ubi respondeo, vel ὑπερδιαλείπομαι potius, εἰς τὰς ἅπαντα τοῖς Ἰταλοῖς ὑπονέμουλας· charta duodecima, ubi causam literatorum obiter agere, quoquo modo videor. Sed id melius charta nonagesima, ubi contra τὰς καταπολιδομένας, τότε Βασιλέα, ἢ τὰς βασιλδομένας, τὰς ἐν ἀξιώματι δηλονότι taxare non veritus sum. Quanquam hæc etiam tibi haud ægre remiserim, si modo tu chartam centesimam quadragesimam sextam videas, & deinceps ad finem libri, ubi jam φιλοσοφικῶς obterere τὴν ψυχὴν ἢ τὴν πᾶσαν αὐτῆς δύναμιν, conatus sum, παράκλησίν τε ἢ προτροπὴν scribere, τοῖς προσήκουσι τῆς τῶν λόγων τέχνης καλλίστων ἀσκδῆ, ut istam philosophiam dedecori eximeremus, quæ meo nomine male audit: ibi tu nonnihil simile invenies iis, quæ in tuis Silenis scripsisti. Liber tamen propediem imprimetur, & plenior & emendatior. Tunc enim in manibus habebam, cum hæc ad te scriberem. Ut autem opto te legisse, ita à te hoc petere non ausim, ne improbus aut importunus esse dicar, si hoc commiserim, ut ἀπὸ τῶν ἀσκδαίων τε ἢ ἱερῶν avocare ad meas nugas videar incommodo reipublicæ. Sed scitum illud, quod mihi persuadere conaris. Primum, inquis, videor tua legisse, eximiasque ingenii tui dotes agnoscere. Ego ut credam te nostra legisse? Nisi si quis amicorum tuorum in mentionem libri inter fabulandum incidit, & tibi ἀναγνώσης fuit. Venio ad λεπτολογήματα illa, quod verbum nescio quonam modo calamo nostro excidit. Volui enim συγγραμματιδία dicere, quæ tamen ipsa aliquando ψδδεπιγραφόμενα posteris videbuntur, ut ingenue tecum agam: in his unus liber est De Copia, qui nec mihi, nec multis ἀ τῶν ἰυχόντων, & tibi faventium, tantum sustinere titulum videtur. Titulum voco, non tantum Copiam, sed etiam Erasmum. Eum tamen & aliquot alios non diligenter legi. Sed cum alios de his loquentes audirem, dixi interdum me in Erasmo animum τοῖς ἀρκοῦσι στέργοντα desiderare. Non enim satis te habuisse videri, & esse πολυτίμητα, nisi etiam πολυγράφῳ vi-

A derere. Id mihi videri obfuisse τοῖς νοήμασί ζ τοῖς μείζοσι. Hujusmodi sunt παρεδολαὶ, & quædam à te traducta etiam ex quo majores spiritus sustuliisti, quæ per se æstimata non carent indicatione, sed cum ipsa ex locis communibus sumpseris, præripuisse ea ἰδίοις ἤθεσι videris. Te enim & istius notæ scriptores ἐκ τῶν ἐξαιρέτων, ἢ ὑπερεχόντων sumere argumentum laudis par esse existimatur. Hæc est mea sententia περὶ τῶν λεπτολογημάτων, quando tu tantopere hoc verbo commotus es. Ego autem exemplar literarum mearum in scheda servavi, ne tu mecum obsignatis literis acerbius agas, si quodam forte in loco ὁ κάλαμός μοι παρώλισθε. Hic etiam, si diis placet, Catunculum te emendasse dices, neque te pœnitere laboris diecularis, ad
B id etiam privatim operula dicata; quasi vero obsolescere nomen tuum tot libellis non possit. Tu de hujuscemodi statues. Mihi autem à te permitti æquum censeo, ut in hoc à te bona tua venia dissentiam, præsertim cum alios in meam sententiam discedentes habeam. Cæterum, quod de Budæo me propemodum βυδαίμονα facis, ἄσμενος τῷ εἰρωνείαν ὑποδέχομαι, κἂν ζυνειδῶ μοι χλευαζόμενος. Quid ni enim id faciam? Quando tu utrumque credere me vis, & te virum bonum esse, & me tibi ingenium meum probasse: verum, cum ad epistolæ finem ventum est, non potui non dolere vicem tuam, meamque, etiamsi tu tuam tantum doles, in hoc certe officio mihi cedens amicitiæ.
C Nam cum sis ipse cœlebs, Peniam quandam nomine uxorem tibi esse conquereris, non tantum domesticam, sed etiam viatoriam, quam nulla quantumvis longa peregrinatione possis à te abigere, usque adeo ab invisa uxore adamare. Hujusque tadium odiumque omnibus œconomicis meis curis, conjugalibusque, & paternis opponis, perinde quasi Peniæ tuæ loco, ego Plutum pusionem jucundum habeam, in quo oblectare me ex sententia animi mei possim. At ego te hoc ignorare nolo, me quidem rivalem esse tibi in amore Philologiæ, sed quam tibi uxorem esse dicis, non longe à contubernio meo abfuisse, ex quo hoc insano literarum amore captus sum. Hoc tantum refert, quod tu eam καλάεγλον πενίαν joculariter, ego serio πενίαν, ἀκ ἀδημονῦσ voco: usque adeo omnes vere studiosos, qui
D rari sunt, ista velut amula Philologiæ comitatur, umbra prope dixerim sequacior: sicque hujus ætatis moribus comparatum est, ac superiorum etiam ætatum, imo sic Philosophiæ fert ratio, ut qui ejus studiosi & cupidi esse cœperint, rem simul ac fidem ignarorum opinione amittant; & qui divites esse cœperunt, aut meditantur, amorem illico disciplinarum vel abjiciant, vel deponant, id quod in te vereor ne experiamur, si quando (ut speras) inauratus fueris. Quod autem ad me pertinet, hactenus fatum meum agnosco, & pene compertum habeo, ut me nec literarum amor, nec ejus comes unquam relicturi sint. Quod ut facile patior, ita cum fortuna redire in gratiam nequeo, cui jamdudum succenseo, quod
E cum illa tua Penia, προσέλη ἢ τὴν ἀρρωσίαν μοι τῷ ὑπηλιώτῃ injunxit, quæ mihi annos jam undecim omnium molestiarum, quas multas expertus sum, negotia mihi plurima exhibuit literis incumbenti, cum eam ut à me submoveam, nihil intentatum reliquerim. Utrunque autem incommodum, adversæ scilicet valetudinis, & imminutæ rei familiaris, ideo mihi amici & cognati objiciunt, & veluti Philologiæ vitio vertunt, quod in cunabulis neutram harum comitum novisse mihi contigit. Hæc occupatissimus ad te scripsi, & rus jamjam profecturus, ac viam iniens. Ne autem mihi vacationem esse putes à curis familiaribus, ego nunc duas villas duobus in prædiis ædifico, longe inter se distantibus, sed villas prope
F Lucullunas, ad quas cursitare mihi, ac ultro citroque commeare necesse est, aut desidiæ culpam dispendio luculento luere. Id quam facile sit homini primum studioso, deinde harum rerum imperito, & quod super omnia est, tenuiter peculiato, tu ipse æstimabis. Vale, κεχρύσωσο ἀγαθῇ τύχῃ, ut summam votorum habeas. Parisiis 7. Julii, Anno 1517.

An. 1517.



Digitized by Google

## EPISTOLA CCLVIII.

Christophorus, Episcopus Basileensis, Erasmo Roterod. *S. D.*

An. 1517. INCREDIBILE *est, quanta perfusi latitia simus,* Erasme *celeberrime, cum ex hoc tuo grammatophoro te valere accepimus. Fecit enim amor, quem tecum superiori anno* Basileæ *contraximus, ut tua de valetudine curam non gerere non possimus. Et quis literarum amator non gerat? Nam si quid* Erasmo *valetudinis adversæ incumberet, opinor & omnes honestas disciplinas indolituras, simulque totam rempublicam literariam periclitaturam. Timebamus non parum, ne cœlum istud novum durius te acciperet. Quod revera nostra tibi precaretur patria, si precandi locus esset, non quod tibi invideat, sed ut cœlum nostrum* Basileanum *revisseres. Et certe nihil æque in votis nobis esset, quam ut te sæpe præsentem adspicere, dulcissimaque ac quidem doctissimæ tuæ confabulationi interesse liceret. Age, mi* Erasme, *si* Basileense *tibi cœlum plus aliis arridet, sub eodem habitemus tecto,* Basileam *repetas, nos, & omnia nostra tua erunt. Hæc scripsimus, ne tui, quoniam ab oculis semoti, pectore immemores videremur. De rebus tuis aliquando ad nos scribe, & feliciter vale. Ex Civitate nostra* Basileensi 13. *Julii, Anno Christiani partus* 1517.

## EPISTOLA CCLIX.

Lucas Paliurus Erasmo Roterod. *S. D.*

EGO *ne hominem illum grammatophorum tuum, maxime & clarissime præceptor* Erasme, *vacuis ad te redire manibus, ut nullas ad te literas mitterem, arduis licet Principis mei detentus negotiis, sinerem? Qui mihi adeo benignum, adeo humanum te sæpenumero præbuisti. Certe ingratum agerem, si hæc non alta mente reconderem, si gratiam non referrem. At quis parem referet, licet quantumcunque etiam gratus? cum tu ita erga omnes sis, neminemque non beneficiis accumules, ut nec singillatim, nec gregatim, literarum amatores tibi satis dignam quocunque munere talionem reponere possint. Ego, ne prorsus ingratus sim, quod unum possum facio, & tui memoriam sæpenumero apud Principem meum refrico: te, ut par est, commendo, & ad cœlum usque laudibus veho, quas ille cupidissime solet audire, & nonnunquam sic addere meis, quasi maligne laudarim. Oro superos, ut in multos annos te servent nobis ac bonis studiis. Alia hoc tempore facere non possum. Vale, omnium, quos vel tellus alit, doctissime, & me ama.* Basilea 13. *Julii, Anno* 1517.

## EPISTOLA CCLX.

*Erasmus Budæo suo* S. D.

NACTVS codicem inspexi loca. Quod idem esse putas παρακολουθεῖν & *assequi**, non omnino tibi assentior. Si quis orationem intellectu perdifficilem perceperit, is assecutus recte dicetur. Cæterum qui cogitatione sequitur dicentem semper attentus, is demum παρακολουθεῖ. Annotavi multa ex Auctoribus exempla, quæ in hoc consentiunt. Quin & ea, quæ ipse adducis, mecum faciunt. Porro, quod admones, omnia prius ordine discenda fuisse, deinde oportuisse scribere; Primum sic verto, quemadmodum tu vis, nisi quod typographus pro *persecutus* mutavit *prosecutus*. Cæterum, in Annotationibus utrumque sensum ostendo, ut possimus παρακολουθηκότι referre, vel ad ordinem vestigantis ac discentis, vel ad seriem narrationis. Et utrumque video probe posse defendi. Nihil tamen defendo, quum liberum fecerim lectori, utrum volet eligere. Jam de καλήχηθης, quod ita reddidi, quasi καλήχησο scriptum esset, quo videris nonnihil offensus: scis tempus esse indefinitum anceps, ni fallor, ad quamvis præteriti rationem: proinde verti per præteritum

* Consule Epist. CCL. pag. 248. circa finem.

plus quam perfectum, quo magis significarem, illum ante Baptismum hæc didicisse. Quod exempla profers ex Auctoribus verbi καλήχεῖσθαι, habeo gratiam. Quanquam is non videtur mihi lapsus memoria, qui negat se meminisse. Alioqui nemo non labitur memoria, quando nullus est, quin quædam non meminerit: verum, qui per oblivionem aliud scribit, & asseverat, quam res habet, is demum labitur memoria. Hæc paucis attigi, jam ad iter accinctus, & ab aula fessus. Nihil mihi potes facere gratius, quam si ad hunc modum de cæteris item admoneas, ita ut facis, amice. Bene vale, decus *Galliarum*, ac literarum antistes. *Antuerpiæ* 14. Julii, Anno 1517. An. 1517.

## EPISTOLA CCLXI.

Guilielmus Waramus, Archiepiscopus Cantuariensis, Erasmo Roterod. *S. D.*

QVVM *non illaudati nominis æternitatem per te sim consecutus, qua multi præclari Reges & Imperatores carent, & a memoria hominum penitus exciderunt, nisi quod tantum vix nominum eorum Catalogus, & id jejune quidem fiat, non video, quod satis sit in hac mortali vita, quod pro immortalitate reddam. Cogito enim quanta mihi tribueris ubique, vel præsens per colloquia, vel absens per literas, aut communiter per volumina: quæ quidem sunt majora, quam sustinere valeam. Judicabis ergo* Cantuariensem *ingratissimum, nisi tui sit habiturus rationem fidelissimam & constantissimam, licet meritis inæqualem & inferiorem. Quod autem sexaginta nobiles non sunt hactenus ad te per commutationem perlati, mensarius in culpa est, qui, & cætera. Editionem tuam in Novum Testamentum aliquot fratribus meis Episcopis & Theologiæ Doctoribus communicavi: qui maxime opera precium in ea re te fecisse uno ore profitentur; quorum judicio adhærens, & omnia summa judicans, quæ à tuo divino ingenio, multiplicique doctrina proficiscuntur, eam omnibus laudibus effero, perinde ut* Hieronymianam *provinciam, quam, in eo es, ut propediem absolvas: per quæ Opera fama immortalitatem inter homines, inter superos divinam remunerationem, & à me quicquid commode & convenienter præstare potero, consequeris.* Hieronymi *volumina nunquam satis laudata à præsentium latore accepi: pro quibus & pro Novo Testamento, quod etiam abs te accepi, gratiam habeo immortalem: hoc est, pro sudoribus, quos in his Operibus exantlasti. Postremo rogo, uti cures has meas literas ad Reverendum & Optimum fratrem, Episcopum* Basileensem, *perferri, & te valetudine eo diligentius liberare studeas, ut quam primum te videamus.* Otfordiæ 20. *Julii, Anno* 1517.

## EPISTOLA CCLXII.

*Des. Erasmus Roterod. Lucæ Paliuro* S. D.

QVOD recte vales gaudeo; quod nostri non solum memor es, verum etiam studiosus, habeo gratiam; quod honestum locum obtines apud Antistitem omnium optimum, magnopere tibi gratulor. Opto ut tua felicitas quam maxime diutina sit, semperque major: ac precor, ut quod facis, facere pergas, ut *Erasmum* integerrimo Præsuli tuo commendatum reddas, quo mihi nihil magis est in votis. Utinam orbis haberet multos illius similes. Bene vale. *Lovanii* 23. Augusti, Anno 1517.

## EPISTOLA CCLXIII.

*Des. Erasmus Roterod. Henrico Stromerio Aurbachio Medico* S. D.

ERVDITISSIME Medice, accepi per meum famulum *Jacobum* literas tuas multis quidem nominibus gratissimas: sed hoc præcipue, quod reverendi Præsulis honestam de nobis opinionem ac propensum fa-

Digitized by Google

An. favorem, simulque singulare quoddam tuum erga me
1517. studium testentur. Erat animus inscribere Archiepiscopo *Suetonium*, aliosque qui Cæsarum vitas descripserunt, à me post omnes non temere recognitos: sed erat cur id fugerim. Nondum ullum illius in me officium sum expertus: sed tamen cum audio celsitudinem illius tanto animo favere bonæ spei ingeniis, arbitror omnium eruditorum esse parteis, ut talem heroem laudibus vehant: mihi quoque hoc magis suscipiendum, quod rebus piis ac sacris faveat tantus Princeps: quo quidem animo si omnes essent præditi, melius, ni fallor, cum rebus humanis ageretur. Porro, quod hortatur ad describendas divorum vitas, utinam sicut præmium pollicetur, ita possit huic corpusculo vires ad id negotii justas addere. Jam annum excessi quinquagesimum, & valetudo perquam est imbecillis, & distringor variis studiorum laboribus. Si posthac continget isthac facere iter, cupidissime fruar optimi Principis conspectu, tuaque consuetudine. Bene vale, *Stromeri* doctissime. *Lovanio* 24. Augusti, Anno 1517.

## EPISTOLA CCLXIV.

*Des. Erasmus Rot. Georgio Haloino* S. D.

CLARISSIME *Georgi*, tandem olfeci; ni fallor, quis fuerit ille *Gandavi*, quem nostra offenderit *Moria*; monachus est, niger est, nihil nisi venter est. Primum à paucis intelligebatur, donec *Listrius* adderet commentaria. Verum ubi per te *Gallice* quoque loqui cœpit, ab his quoque intelligitur, qui nec Psalmos suos intelligunt. Optarim & ipse audire meam *Moriam Gallice* differentem: quod si tibi non est exemplar, saltem commonstra unde possim petere. Totus, hoc est, cum Bibliotheca, *Lovanium* commigravi. Cum Theologis altissima pax, atque adeo necessitudo: nam mihi cum illis bellum esse sycophantæ quidam sparserant: destinant me in suum ordinem cooptare. Quis hoc non malit, quam in deorum contubernium allegi? *Atensis* unice favet. *Dorpius* ex animo videtur amicus. Oblatrant unus & alter τῶν πλωχῶν, sed in absentem. Accipio *Briselotum Antuerpia* gnaviter ac prorsus bonis lateribus in omnibus compotationibus in me declamasse. Verum id de viro tam erudito atque integro, non possum adduci ut credam esse verum. Cura ut optime valeas, teque nobis & rei literariæ serves incolumem. Monacho huic, ut videtur, probo, raræque indolis, vel pro tua humanitate, vel mea causa, si quid opus erit, commodabis. *Lovanio* 29. Augusti, Anno 1517.

## EPISTOLA CCLXV.

*Erasmus Roterod. Ricardo suo* S. D.

NON eo scripseram de *Joanne* meo, ut illum *Tonstallo* obtruderem, sed ut gratum facerem, si hoc illi fuisset cordi. Animum erga me tuum tam amantem ac propensum amplector atque e osculo. Perge, mi *Ricarde* charissime, purissimis moribus puras adjungere literas, quando in hoc esse te video. Bene vale. *Lovanio* 31. Augusti, Anno 1517.

## EPISTOLA CCLXVI.

*Erasmus Rot. Gerardo Noviomago* S. D.

CLARISSIMI Principis *Philippi* à *Burgundia* Præsulis *Ultratrajectini*, tui *Mecanatis*, & nisi invides, mihi tecum communis, inaugurationem adeo graphice perspicueque depinxisti, ut minus visurus fuerim, si ipse pompis omnibus interfuissem. Perplacuit autem quod rem historica fide persequeris, secus quam vulgus scriptorum facit, qui in hujusmodi argumentis multa solent ἐπιμελῶν, hoc est, admetiri, ne dicam admentiri. An gratulari debeam *Philippo*, nondum statui, qui & ante susceptum honorem istum, suis ipsius dotibus erat maximus, & adeo non ambiit, ut recusaturus fuerit, ni hoc patriæ commodis, & *Caroli* Principis affectibus dedisset. Certe diœcesi gratulor, ad cujus An. communionem & ipse pertineo, cui talis contigerit 1517.
& Princeps & Episcopus, qui pro singulari prudentia, proque summa morum integritate, juxta munus utrunque sit expleturus. Id ut confidam fore, non solum ipsius natura facit, nihil non egregium pollicens, verum etiam pater *Philippus Burgundiæ* Dux, quo seculis aliquot nullus contigit huic regioni Princeps laudatior, sive spectes vere regiam animi magnitudinem, sive raram quandam erga suos charitatem, sive pacis alendæ studium, sive morum comitatem, atque ut summatim dicam, ingenium ab omni tyrannide alieniſſimum. Auget hanc spem *David* ille magnus hujus germanus, vir modis omnibus patri adsimilis, sed hoc præcipue suspiciendus, quod ut ipse erat eruditissimus, ita summo studio adnitebatur, ne passim rudes & indocti in cleri gregem irreperent, quod hactenus fieri videmus. Igitur in spem venio, fore ut hic unus & optimum parentem, unde natus est, & optimum fratrem, cui succesſit, non referat modo, verum etiam superet, tibique uberrimam encomiorum materiam suppeditet. Atque ut hac in re me tibi rivalem intelligas, jamdudum *Pacis querimoniam* illi dicavimus, nostri in illum studii primitias. Excuditur *Basileæ* libellus brevi istuc iturus: quem si sensero non displicuisse, fortassis majus aliquid audebitur. Bene vale, optime *Gerarde*, nosque clarissimo Præsuli sedulo commendatos facito. *Lovanio* 31. Augusti, Anno 1517.

## EPISTOLA CCLXVII.

*Des. Erasmus Roterod. Thomæ, Cardinali Eboracensi*, S. D.

AMPLISSIME Pater, non eram nescius, quam religiose tua celsitudo maximis etiam viris sit adeunda, quamque multis male cesserit numina parum rite compellasse. Verum, hanc fiduciam mihi fecit rara quædam & inaudita comitas, quam ipse tum alias, tum nuper expertus sum, cum apud *Britannos* agerem. Eximiæ felicitatis invidia comes esse solet. At mira morum tuorum facilitas omnibus exposita, obviaque, sic prorsus invidiam omnem excludit, ut homines non minus ament naturæ tuæ bonitatem, quam fortunæ magnitudinem suspiciunt. Verum, ne seriis negotiis occupatissimum nugis etiam meis diutius occupem, mitto regiæ majestati libellum utcunque adornatum, ea ferme complectentem, quæ ad rectam Principatus administrationem faciunt. *Philippum Castellia* Regem, sub cujus nomine boni Principis simulacrum effinxi, sereniſſimus Rex *Henricus*, ejus nomenclaturæ octavus, puer juvenem fratris vice dilexit, cujus mortem etiam suis ad me literis olim deploravit, non minus amanter quam eleganter: cum *Carolo* nostro, præter affinitatis copulam, tam arctis fœderibus, tam propinqua necessitudine animorumque fraterno consensu conjunctus est, ut conjunctior esse non possit. Porro, tua reverenda sublimitas regiæ majestati, regnum multo omnium florentissimum longe felicissime administranti, hoc ipsum est, quod olim *Herculi Theseus*, quod *Achates Æneæ* fuisse legitur, ut non inepte tria maxima simul & carissima inter se nomina, liber unus complexus videatur. At volumen, quod olim Regi dicaveram, tuisque manibus obtuleram, nondum opinor per bellorum tumultus licuit evolvere. Sed jamdudum parta tranquillitate, intelligo illum ad literas, olim puero non infeliciter gustatas, rediisse, ac subinde cum libris colloqui non quibuslibet, sed iis potissimum, qui pietatem, qui regiam sapientiam doceant: nam hoc magis sitit virtutem, quo magis possidet. Proinde vetus munusculum renovare visum est, eo quod dicatum non videretur, quod nondum esset cognitum. Adest & tuus libellus, tam exiguus quam ipse magnus es. Haud me fugit, quam utrunque munus pusillum sit: quanquam tantis heroibus, quid alioqui non sit futurum pusillum? Sed



Digitized by Google

An. 1517. perfricui frontem, & humanitatis veſtræ quam celſitudinis malui meminiſſe, & viſum eſt utcunque refricare noſtri memoriam, ſimulque animi majora molientis ſignificationem dare, quando interim Novum Teſtamentum ſic me totum habet ac poſſidet, ut aliud non poſſim. Cui quidem Operi certum eſt immori, aut ita tractare, ut tum mihi, tum *Leoni* P. M. nunquam intermoriturum famæ decus ſit pariturum. Non recuſo quo minus hoc arroganter dictum videatur, niſi re præſtitero, quod polliceor. Huic ſane labori hæc hyems dicabitur, quam *Lovanii* ſum acturus, poſteaquam nec Princeps adeſt, nec Cancellarius *Burgundiæ*. Interim majorem in modum rogo, primum ut tua celſitudo pergat eo favore, quo cœpit, *Eraſmum* proſequi: deinde & hoc qualecunque munuſculum ſereniſſimo Regi commendare dignetur. Aut ſi id parum meretur ipſum munus, certe hunc animum tradere. Rex Catholicus hinc feliciſſime ſolvit, utinam eodem tenore cætera illi ſuccedant in *Hiſpaniis*. Apud nos vereor ne magna rerum novitas exoriatur, ni Numinis favor, Principumque pietas ac ſapientia, rebus humanis proſpiciant. *Ammonii* mortem acerbiſſime fero. Quot in uno homine dotes periere? Periit & *Hieronymus Buſlidius*, qui quidem apud vos legatione functus eſt, & has primitias Orco *Hiſpanico* dedimus, cui jam nimium ſæpe litamus. Bene valeat tua reverenda ſublimitas, cui hunc infimum clientulum diligenter commendo. *Antuerpiæ* 9. Septembr. Anno 1517.

## EPISTOLA CCLXVIII.

*Eraſmus Roterod. Henrico* VIII. *Angliæ Regi*, S. D.

INCLYTE Rex, inter innumeras ingenii tui dotes vere regias, planeque heroicas, quibus laudatiſſimum parentem *Henricum*, ejus nominis ſeptimum, non refers modo, verum etiam ſuperas, alius fortaſſis aliud mirabitur ac laudibus vehet. Mihi nihil non ſuſpicienti, illud in primis probatur, quod cum ipſe pro rara quadam animi perſpicacia ſapias plurimum, tamen prudentum & eruditorum, ac potiſſimum eorum, qui neſciant ad gratiam loqui, familiaribus colloquiis gaudeas, perinde quaſi *Sophocleum* illud alicubi legeris, nec dubito quin legeris, Σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν συνουσίᾳ, id eſt, *Reges ſapientes redduntur ſapientium hominum conſuetudine*. Cumprimis autem, quod inter tot regni, imo mundi negotia, nullus tibi pene dies abeat, in quo non aliquam temporis portionem libris evolvendis impertias, cumque priſcis illis ſapientibus colloqui gaudeas, qui minime omnium aſſentantur, atque his præcipue libris, unde cordatior, melior, regnoque utilior diſcedas, longe diſſentiens ab iſtorum opinione, qui exiſtimant, egregios Principes à nulla re magis abeſſe oportere, quam à libris ſtudioque philoſophiæ: aut ſi quid etiam attingendum ſit librorum, nihil niſi ridiculas, & vix mulieribus dignas fabulas, meraque ſtultitiæ ac vitiorum irritamenta legi oportere: perinde quaſi hæc duo ex diametro inter ſe pugnent, ſapere, & Principem agere: cum ita inter ſe cohæreant, ut ſi alterum alteri adimas, nihil jam relinquas, præter inanem Principis titulum, Cenotaphiorum inſtar, quæ nomina tantum & ſtemmata foris oſtentant, cum intus vacua ſint. Porro, quemadmodum cordatus & pius Princeps omnibus ſapit, omnibus vigilat, omnibus proſpicit in commune, ut qui publicum negotium gerit, non ſuum: ita par eſt, ut hujus curas ac ſollicitudines pro ſua quiſque portione virili conetur adjuvare. Et quo latius imperat, hoc magis eget hoc officiorum genere. Eximia quædam inter mortales res eſt monarcha, ac plane numinis inſtar, ſed homo tamen. Ego vero quando ſolis literulis meis hoc officii penſum poſſum Regibus perſolvere, pridem libellum *Plutarchi*, *De ratione dignoſcendi adulatorem ab amico*, è *Græco Latinum* feci, tuæque Majeſtati dicavi per tuum Cardinalem, qui tibi in regni adminiſtratione id eſt, quod olim *Theſeus Herculi*, aut *Achates Æneæ*. Verum, quoniam id temporis in medias bellorum procellas, publica quædam ac fatalis orbis Chriſtiani tempeſtas ſubito te abripuit, non ſatis vacabat, opinor, literis attendere, cum res ferro eſſet agenda. Nunc igitur eundem, licet jam orbi publicatum, ac tertium typis excuſum, ad tuam celſitudinem mitto, neque id abſque fœnore. Siquidem adjunxi Panegyricum *Philippi Caſtellii* Regis præconem, cujus memoriam ſcio tibi ſacroſanctam eſſe, quippe quem olim puer juvenem fratris vice dilexeris, quemque optimus parens tuus non titulo tantum in filium adoptarat. His adjeci *Principis Inſtitutionem*, quam *Carolo* Regi Catholico, recens inaugurato principatui, nuper obtuli. Non quod is noſtris monitis magnopere egeret, ſed quod, quemadmodum in magnis tempeſtatibus, quantumvis periti gubernatores, ſe vel à quovis admoneri patiuntur, ſic Princeps, tot regnis deſtinatus, nullius omnino conſilium debeat adſpernari, quod ſedulo proferatur animo, ſecuturus quod ex omnibus factu optimum judicarit. Quod autem uſquam fretum tantos habet motus, quantos habent tumultus amplæ ditiones? Aut quis unquam tantas in mari tempeſtates vidit, quantas rerum humanarum procellas paucis hiſce annis vidimus? Et adhuc graviores imminere videntur, ni res, Principum ſapientia pietateque componantur. Poſtremo, quando in conſiliariorum ordinem adſcitus eram, viſum eſt protinus hoc officio meo reſpondere muneri, & non una aut altera in re conſulere, ſed conſiliorum omnium ceu fontes quoſdam oſtendere, egregiæ quidem indolis, ſed adhuc puero Principi. Nam ut tuæ Majeſtati monitis ejuſmodi ſit opus, tantum abeſt, ut qui attentius tuam imaginem contempletur, abſoluti Principis ſimulacrum ad tui exemplar poſſit effingere. Miſi tamen, quod ſcirem, ut nihil aliud accederet, duorum tibi clariſſimorum Regum commemorationem non injucundam fore. Deinde, quod ea præcepta, ſi ſalubria ſuadent, Regibus omnibus commendabuntur, aut Regum filiis, ſi ſenſerint tibi, Regum, qui hodie vivunt, omnium cordatiſſimo, incorruptiſſimo, florentiſſimoque, non diſplicuiſſe. Poſtremo, ipſe ingratitudinis culpam utcunque effugero, ſi non deſinam tuæ Majeſtatis erga nos ſtudium, qua poſſum, ſedulo teſtificari. Quid enim illi non debeo, toties ornatus teſtimonio vocis tuæ? Ad hæc, cum iſthic eſſem proxime, tam benignis conditionibus invitatus, tum ultro, tum regia prorſus comitate, quando hoc ipſum pro magno habeo, quod huic homuncioni talis ac tantus Princeps faves, quod agnoſcis, quod amas. Majeſtatem tuam quam diutiſſime incolumem ac florentem tueatur Principum Princeps Optimus Max. *Jeſus Chriſtus*. *Antuerpiæ* 9. Septembris, Anno 1517.

## EPISTOLA CCLXIX.

*Eraſmus Rot. Joanni Fevino, Canonico apud divum Donatianum Brugis*, S. D.

FACIT hoc quum multorum, tum tua præcipue, patruique tui *Caroli* rara quædam humanitas, mihi pauculis diebus deguſtata, ut & minus quam antea placeat *Lovanium*, & magis lubeat animo *Brugis* vitam agere, ſi modo detur commodus nidus, ac menſa digna philoſophico palato. Audio *Carolo* ferme idem eſſe palatum quod *Eraſmo*. Amat epulas elegantes magis, quam multas, & convivia lauta potius, quam longa. Nec locus deeſſe poſſit in Principis vacuo palatio: neque non perſpexi, quam ſit in nos affectus animus patrui, nam de te nihil interim dicam. Porro ne congerrones quidem deeſſe poterunt, ubi adeſt, præter alios, *Marcus* noſter. Proinde ſi videtur hac de re agito cum patruo, quandoquidem id licebit nullius omnino fraude. Si nihil obſtabit alioqui, de precio inter nos facile convenerit: ſin erit quo minus id commodum ſit, fac me per literas certiorem, ac bene interim vale.

Salutem dices humaniſſimo *Carolo*, ac *Roberto* Affini, cum ſua conjuge. *Lovanio* 9. Septembris.

Sa-

Digitized by Google

KONINKLIJKE
BIBLIOTHEEK

Digitized by Google

Digitized by Google

An. 1517. Saluta Collegas tuos omnes, sed in primis *Cantorem*, ac *Nicolaum Fistulam*. Anno 1517.

## EPISTOLA CCLXX.

*Erasmus Gerardo Lystrio suo* S. D.

IMO tibi gratiam habeo, qui mihi fraterculi istius colloquium adornaris, tantum abest ut fuerit molestum: nam mihi hominis indoles majorem in modum placuit. Uxorem esse tibi ex animi sententia sane gratulor: faxit *Christus*, ut ista felicitas sit vobis perpetua. Quod nobis etiam favet, non illi, sed tibi debeo: amat enim nos, sed tuo animo. *Moria* sic *Gallice* versa est, ut alia dixerit interpres, non solum aliter: & pleraque reliquit, quæ non intellexit, quædam assequi non potuit. His nundinis proximis exibit novum volumen Epistolarum satis magnum: recognoscemus excusas, & additis aliis, in justum volumen redigemus. Scribam *Tilmanno* ut jubes, quum dabitur per quem id faciam, & dabitur propediem. De *Enchiridio* non satis intelligo quid velis, si tu explicabis mihi pergratum fuerit. Si à me vis explicari, notes oportet, quæ videntur obscuriora. Si quid isthic tribuitur *Erasmo*, tuo candori potissimum debeo. Hic serio agunt de sarcienda concordia, posteaquam effuderunt omne virus suum, sed tamen certum est animum *Christianum* ubique præstare. Demiror istos Euangelicam puritatem profitentes, tam non Euangelice debacchari in famam hominis, de his rebus blaterantes, quas non intelligunt, & apud eos qui non intelligunt: quos oportebat non solum esse ludibrio pueris, verum etiam foria lapidari publicitus: vincet tamen veritas, ne dubita. Resaluta *Simonem* & Priorem *Montanum*, sed in primis suavissimam *Justinulam* tuam, cui omnia læta feliciaque precor. Priorem sanctæ *Agnetis* nondum vidi: nec enim licuit, tot tricis involvor. Bene vale, *Lystri* doctissime. *Lovanio* 11. Septemb. Anno 1517.

## EPISTOLA CCLXXI.

*Des. Erasmus Roterodamus Jacobo Fabro* S. D.

QUI nostrum utrique bene volunt, optime *Faber*, utriusque vicem dolent. Tuam, cui tam sinistre, nescio quis, Deus immiserit in animum, ut cum nihil esset causæ, tam odiosa disputatione me lacesseres, atque ita lacesseres, ut mihi non esset integrum obticescere, nisi simul omnia illa crimina agnoscerem, sermonem *Christo* Deoque indignissimum, & sermonem seipsum undique elidentem, & omni ex parte sese falsum esse declarantem, & sermonem intelligentiæ propheticæ adversantem, & sermonem pro pestiferis *Judæis* facientem, unaque cum illis *Christum* contumeliis afficientem, & sermonem *Anticyris* dignum, & sermonem, cui si pertinaciter hærerem, hæreticus essem, aliaque id genus tam multa. Nam unum aut alterum ejusmodi telum fortasse dissimulassem. Meam vero, qui alias occupatissimus, & ab hoc scripti genere maximopere abhorrens, compulsus sim cum homine mihi longe charissimo decernere. Ex adverso gaudent, qui nobis ac rectioribus studiis male volunt. Habent quod utrique objiciant, quo utrique fidem abrogent, quo suam inscitiam consolentur. *Christum* mihi parum propitium habeam, nisi non solum hanc necessitatem, verum etiam hanc victoriam, quam omnes uno ore mihi tribuunt, odi. Quam ob rem, mi *Faber*, per omnia, quæ tibi sacra sunt, rogo, sit hic impii certaminis finis. Παλινδρομεῖν ἄμεινον ἢ κακῶς δέχεσθαι. Quod si omnino placet cum *Erasmo* confligere, ab iis verbis temperato, quæ dissimulari non possunt. Nimium delectavimus istos veteris inscitiæ mystas. Mitto ad te libellum, si forte nondum vidisti: perlege attentius. Deinde teipsum tibi in consilium advoca: nec aliena instigatio te perpellat eo, quo postea pœniteat pervenisse, & tuorum cohibe stylum. Ego meos hactenus coercui. Agamus pura vereque Christiana sincerita-

A te. In me nihil fuci reperies. Bene vale. *Lovanio* 11. Septemb. An. 1517. An. 1517.

## EPISTOLA CCLXXII.

Cutbertus Tonstallus Erasmo *S. P. D.*

VIX *tandem* Hispaniarum *Rex in regnum navigavit, & ego ex* Zelandia *cum meis vix salvus redeo, usque adeo tetro & plane pestilenti cœli illius infestatus odore, ut multorum dierum inedia, accedentem febrem nondum omnino depulerim. Tres ex ministris, atque his quidem commodioribus, ex febre prius decubuerant, quam illinc discessi: quos nisi consulente medico cœli mutandi gratia, statim amandassem, omnes ante hunc extulissem diem. Magno deciderim vel nunc futuros salvos. Neque hæc mea sors solius, magna pars aulicorum ægrotabat: habenda est Deo gratia, quod Rex evaserit. Ex purpuratis afflicti certe aliquot; ita neminem non vexatum dimisit illa insula.* Stygem *arbitror non longe illinc abesse, ea est aquarum nigritudo atque amarulentia. Si domi te in oppido contineas, undique ex vicinia globularum fumus (his nanque vice lignorum utuntur) nares opplet. Hæ ex uliginoso & falso effossæ solo, quantumvis arefactæ sole, dum ardent, fumum reddunt in ipsa penetrantem præcordia, pectus, nares, caput, omnia tentantem. Audivi ab indigenis, vestrates* Hollandicas *ex mitiore erutas solo, thus olere præ illis. Quod si fastidium oppidi levare obambulatione velis (id quod interim fuctitare consuevi) via ipsa, imbre conspersa vel levi, tenacius omni visco pedem moratur (nam ne in cujusquam fundum aut pratum divertas fossarum altitudo vetat) & ut ad aggeres, in littore exstructos arcendo mari, tandem pervenias (quæ una jucunda est ambulatio) priusquam illo pervenias, præter sexcentas fossas tibi transeundum erit, quibus linum macerant, quæ fœdo odore longe superant omnem sentinam. Quantulum cloaca putent præ illis? Ad hæc præter ejusmodi fossas itidem in urbem reditus recreationem, si quam habuisti, tollit, & tristem denuo domum remittit. Tota plane regio duobus passibus est mari humilior in summo æstu: & nisi aggeres arcerent, marina bellua in comessantes atque invicem propinantes incolas irrumperent. Ad hæc incommoda vitanda præsidium unicum esse ajunt, totos haurire congios, remedium certe mihi gravius omni morbo. Nosti enim quam facile in eo genere certaminis herbam porrigo. Sed quid facio, qui tam frugiferam insulam, tamque portuosam infamo, tacitis qua in laudationem ejus dici possent? Vis scire? Juvat aliqua via me de illa vindicare, atque omnem ex ejus tædio conceptam bilem in illam ipsam effundere. Itaque nunc ejus ἐγκώμιον reticebo in vindictam. Sed ut serio tecum agam: Gaudeo me tandem continenti redditum, ubi cœlum salubrius. Et ut patietur concussa valetudo, paulatim adrepam in patriam: meos hic relinquam gravius afflictos, quam ut sequi possint. Deum Optimum Maximum precor, aliquando convalescant. Apologiam abs te missam, qua* Fabro *respondes, una cum tuis literis accepi: atque aliquot ante diebus alteras acceperam, quibus te illi responsurum significasti, sed citra stomachum. Quod certe te præstitisse gaudeo: decreveram enim te hortari, ut Theologum, hoc est, mitem, ageres in respondendo. Quod ille in sua causa pronuncians, atque arrogantius opinionem ingerens suam, minime præstitit, quasi non sit futurum aliorum potius & posteritatis de ea re judicium. Quanquam de veritate neque illi, neque cuiquam mortalium cedendum tibi unquam putavi. Quod vero à cornicula tuas pennas in exordio Apologiæ repetis tam modeste, recte facis. Exspecto quem colorem dicet, sed perfricabit frontem puto. Hominem mihi videre contigit in* Italia, *modestum sane, ut tum videbatur, & cyclopædiam illam, quam adeptos magisterii nomine* Parisii *honorant, penitus callere dicebatur. Nam quod* Græcas *literas attigerat, editis ab eo Commentariis in* Paulinas *Epistolas primum intellexi. Fortasse cum aliquot errata τῶν νεωτερικῶν in sacris Literis deprehendisset ex* Græcis *fontibus opera precium putavit ad famam parandam, quod luscus inter cæcos paulo clarius cerneret, editis Commentariis admonere posteritatem. Qua in re probo hominis institutum, si id præstare potuit: præmium enim ejus rei velut in sacris certaminibus victori cuilibet est propositum. Sed quod in eodem*



Digitized by Google

An. 1517. *ſtadio currentem, quique longe relicturus videretur, maligne ſupplantare voluerit, minime mihi videtur factum probe, nedum theologice. Hic fortaſſe ex ſuis* Pariſiis *orbem terrarum metitur, ubi quanquam aliquot in lingua* Græca *doctiſſimos, & ſeculum ornantes noſtrum videt, non eam vel copiam* Græcis *literis operam dantium, vel eum honorem his habitum, ut ſperet aliquando redituram priſcam eruditionem. Atque ideo fieri poteſt, ut ad editionem fuerit paratior, quod deploratæ poſteritatis cenſuram non eſt veritus. At ſi ſciſſet quam nunc in* Italia, Germania, Hiſpania *florent ea ſtudia, ex* Horatii *puto conſilio librum, nonum preſſiſſet in annum, niſi forte illam utriuſque linguæ peritiam eſt adeptus, ut provocare magis quam timere cujuſquam cenſuram debuerit. Quam an ſit conſequutus, aliorum ſit judicium. Nullum enim eruditionis ejus in eo genere ſpecimen, præter* Paulinas *Epiſtolas, mihi videre contigit. Verum enimvero, quis non videt unde hæc eſt orta malignitas? Tu nuper editis in Novum Teſtamentum Annotationibus,* Græcos *non modo aperuiſti fontes huic noſtro ſeculo: verum tam alte cuncta es rimatus, ut nihil à quovis annotatum, quod operæ precium fuit legere, non tam exacte excuſſeris, ut nihil cuiquam feceris reliquum. Quo tu lucubrationum tuarum ſplendore, velut ſol oriens ſtellas condit, cæteris, ex ea re famam ante tuam editionem captantibus, æternas offudiſti tenebras. Ita gloriolam, quam editione ſua aucupabatur, ſibi vel ereptam, vel imminutam dolet. Sed gratulari magis ſuo ſeculo debuit, quo priſca repullulant ſtudia, quam eorum imitari morem, qui pertinacia quadam nolunt cedere, cum contendere per imbecillitatem non poſſint. Sed quid non facit ambitio? hic humanum impegit in vitium. Tuum eſſe arbitror, τῶν γνησίων Θεολόγων more, ignoſcere. Illud ægre fero, quod dum huic Apologiam paras, jacturam feceris temporis, quo magis poſteris profutura ſcripſiſſes. Illam itaque Annotationum tuarum in Novum Teſtamentum retractationem & limam, quam, te pollicente, avide exſpectant omnes, fac in primis cures. Et qui de profanis literis bene meritus, immortalem tibi famam paraſti, dum illas ornas, quod ſupereſt ætatis, in illuſtrandas ſacras impende. Ita namque ſciet poſteritas chariora tibi fuiſſe ea ſtudia, quæ animæ ſalutem, quam quæ oblectamentum præſtant, nempe cum illa juvenis magis attigeris, hæc matura jam amplexatus ætate digna judicaveris, in quibus conſeneſcas. Theologis* Lovanienſibus *tam eſſe te charum gaudeo magnopere, qui ſi te (ut ſcribis facturos) in ſuum adſciſcent ordinem, ſuadeo ne recuſes: delatus tibi ab his hic honor, atque abs te acceptus, perpetuum erit inter vos amicitiæ pignus. Quod nuncias,* Strabonem, Pindarum, Pauſaniam, *utrunque Teſtamentum* Græcis *characteribus proditurum ex* Aldi *officina, lætitia quadam incredibili me perfudiſti. Proſpicio futurum, ut in omni ſtudiorum genere poſteritas cum antiquitate certet: quæ ſi non erit ingrata, magnam his habitura eſt gratiam; quorum induſtria renaſcuntur ea ſtudia. Quo in numero cum tu ſis futurus, perge bene mereri de poſteris, qui nomen* Eraſmi *perire nunquam ſinent. Vale.* Brugis 14. *Septembris, An.* 1517.

*Priuſquam hanc obſignarem epiſtolam, unum ex meis amiſeram, cujus ego ſalutem omnibus meis fortunis redemiſſem, cujus animæ Deus ſit propitius. De reliquis adhuc dubia ſpes.*

## EPISTOLA CCLXXIII.

*Eraſmus Rot. M. Conrado Goclenio* S. D.

EMORIAR, ni quod tibi ſic affulget undique fortuna, mihi jucundius eſt, quam ſi mihi ſimile quippiam accidiſſet, idque non eo tantum quod tuis faveam commodis, quibus certe, ut par eſt, toto faveo pectore; verum etiam quod bene cupiam optimis literis, quas & tu & eruditione non vulgari, & profitendi diligentia, & ingenii dexteritate, ſic vel ornaſti, vel evexiſti, ut vix alius felicius. Per *Frobenium* tantum ſcripſi *Marvillano* Præſidi veſtræ ſodalitatis, quod propemodum *Quirinus* decreverat in miſeros ſuos. Vix credas, quam infeliciter acciderit, quod non ſaltem per *Nicolaum* miſeris *Auguſtini* libros *De Trinitate* apud *Dorpium* collatos. Jam enim *Frobenio* fervent quatuor præla, quibus fortaſſis accedit unum aut alterum. Itaque te rogo, ne ſaltem nunc negligas per hunc mittere. *Franciſcus Delphus* apud nos agit, utinam tam felix noſtro convictu, quam illius mihi jucundus. Certe quod licebit in his occupationibus, adnitar, ne nullum ex noſtra conſuetudine fructum ferat: vix oratione conſequar, quantopere ſuccenſeam his, qui tam generoſam indolem ad nugas avertere conati ſunt. Hunc noſtro ſumptu conduximus, quum nihil aliud haberet negotii. Quare ne redeat inanis. Verum ita tracta negotium cum illo, quaſi res ad *Frobenium* pertineat, ut revera pertinet. Ἐν τῷ Δέλφῳ τὰ λοιπὰ μὲν ἀφέσεις πάντα· τὴν φιλολογίαν, abs te magnificè prædicatam, in eo deſidero verius, quam conſidero. Meditatur συνεχεῖν τῷ Καρίνῳ. Malim cum alio. Tu facile conjectas cauſam. Ego monendi officio nunquam ſum defuturus. *Frobenius* cogitat excudere *Terentium* cum Commentariis: hic ſi quid potes, opitulare, ſed propere. Sed omnino per hunc veniat ἡ τριάς. Jam opus eſt. Non enim ſemper commodum eſt magno conducere, qui tranſcurrant. Delevi quæ miſſa ſunt. Bene vale. *Lovanio* 15. Octob. Anno 1517.

An. 1517.

## EPISTOLA CCLXXIV.

*Eraſmus Bilibaldo Pirck. ſuo* S. D.

ACCEPI libellum una cum literis tuis, vir clariſſime, ad quas ut paucis reſpondeam, quippe ſummis diſtrictus laboribus, vivo utcunque, verſorque *Lovanii*, cooptatus in conſortium Theologorum, licet in hac Academia non ſim inſignitus titulo Doctoris. Id malui, quam Principem *Carolum* in *Hiſpanias* comitari, maxime cum viderem aulam in tot ſectarum factiones *Hiſpanos*, *Maranos*, *Cyvericos*, *Gallos*, *Cæſareanos*, *Neapolitanos*, *Siculos*, & quos non? Proximo Vere cum *Angliam* ob privatum quoddam adiſſem negotium, Rex ultro me mira complexus eſt humanitate, atque item Cardinalis Rex alter, ut ita loquar. Obtulerunt præter ædes magnificas ſexcentos florenos in ſingulos annos. Sic egi gratias, ut nec acciperem conditionem oblatam, nec rejicerem. Hic licet maximo meo ſumptu vivam, tamen certum eſt menſes aliquot deſidere, partim ut abſolvam quod eſt in manibus, partim ut videam quorſum evaſuræ ſint ſpes ampliſſimæ, quas Principis nomine mihi diſcedens hinc oſtendit Cancellarius *Burgundiæ Joannes Sylvagius*, vir ut eruditiſſimus, ita literatorum omnium patronus. *Novum Teſtamentum*, quod pridem *Baſileæ* præcipitatum fuit verius quam editum, retexo ac recudo, & ita recudo, ut aliud opus ſit futurum. Abſolvetur, ut ſpero, inter quatuor menſes. Perplacuit tuus libellus, ut illa tam amica *Reuchlini* defenſio, in qua mihi videre ſolito facundior, credo quod, ut *Fabius* inquit, pectus quoque te reddiderit eloquentem, non tantum ingenium, aut eruditio. Sed ego nihil puto calamitoſius, quam quocunque modo bellare. Tum autem nihil eſſe calamitioſius, quam ſi res incidat cum hoſte ſordido ac pudendo. Nam cum quibus tandem eſt conflictandum, *Reuchline*? Cum populo crabronum, quem & ipſe *Romanus* Pontifex vereatur provocare, adeo, ut *Alexander* ſolitus ſit dicere, ſe tutius ſibi putare quemlibet è ſummis Regibus offendere, quam unum quemvis è gregibus iſtorum mendicorum, qui ſub abjecti nominis prætextu veram in orbem *Chriſtianum* exercerent tyrannidem. *Etiamſi hoc, quod paucorum vitio committitur, non opinor æquum in ordinem univerſum conferre.* Deinde vide, quæſo, quonam organo utantur iſti veræ religionis haudquaquam veri profeſſores; homine prorſus idiota, frontis perfrictæ, & de quo peccando nullum omnino detrimentum fieri poſſit, cui non eſſet impingendum ſemi-*Judæi* vocabulum, niſi factis ſeſe declararet ſeſqui-*Judæum*. Quod aliud inſtrumentum optaret ſibi Diabolus, *Chriſtianæ* religionis æternus hoſtis, quam iſtiuſmodi angelum Satanæ transfiguratum in angelum lucis, & falſiſſima defendenda religionis prætextu, id ubique turbantem, quod noſtræ religionis & caput eſt & optimum? nempe publicam orbis *Chriſtiani* concordiam.

Digitized by Google

An. 1517. diam. Quid indignius, quam viros immortali memoria dignos cum istiusmodi portento digladiari? cujus ego solo nomine chartas pollui puto. Dispeream, nisi ille se non alio consilio tingendum aqua curavit, nisi ut majore pernicie grassaretur in *Christianos*, & nobis admixtus, universum populum suo *Judaico* veneno inficeret. Quid enim lædere poterat, si *Judæus*, ut erat, mansisset? nunc demum verum agit *Judæum*, posteaquam *Christiani* personam induit: nunc suo respondet generi; illi *Christum* sunt calumniati, sed unum; iste debacchatur in tot integros ac spectatos vita & eruditione viros; nullum officium poterat suis *Judæis* præstare gratius, quam ut perfugam simulans, rem *Christianam* hostibus proderet, homo ad cætera lapis; tantum ad calumniandum ingeniosus. Quod sacrificium poterat Satanæ fieri acceptius, quam inter omnes *Christianos* istiusmodi dissidiorum jaci semina? Unde Satanas dictus *Hebræis*? nimirum ab adversando. An non illius vices gerit, qui claris viris, publicam utilitatem molientibus, nefariis modis obstat & obstrepit, & huic uni rei se natum putat? Unde *Græcis* Diabolus dictus est? non à fœnerando, non ab adulterio, non à furto, non ab alio vitio, sed à calumniando dictus est. An non hujus Apostolus est, qui totam vitam huic studio dedicavit, ut apud imperitam plebem optimorum virorum nomina infamet ac traducat? ad rem omnium scelleratissimam religionis abutens titulo: quæ non cujusvis Dæmonis, sed insigniter versuti cujuspiam techna est. Scit, se doctis ac bonis viris placere non posse, nec his facile imponi. Atque ea gratia apud indoctam plebem quiritatur, inter mulierculas superstitiosas, &, ut *Paulus* inquit, *oneratas peccatis* gannit, & pessimo semini terram captat habilem. His magnificis titulis offundit fumos, his defensionem *Christianæ* religionis, his hæreses & excommunicationes occinit. Qui crassiores sunt, quam ut animadvertant grassatorem lupum sub ovilla pelle latentem. O sceleratum granum, & illi dissimillimum, quod cadens in terram, & mortuum, vitæ pabulum attulit. Hoc granum Diaboli manu jactum est, aconiti puto, aut si quid aconito pestilentius: quod ni in tempore prospicietur, nocentissimum dissidiorum venenum in *Christianorum* invehet concordiam. Quid enim futurum est tandem, si sinetur ille sycophanta sic in omnes sui dissimiles ad eundem debacchari modum? & impurissimæ belluæ docti viri cogentur libris respondere, qui indignus est, qui nominetur inter homines. Crede mihi, *Bilibalde* doctissime, latius spectant hæc orsa, quam fortasse vulgus hominum intelligit. Videmus ex quantula favilla quantum aliquoties nascatur incendium. Proinde demiror Episcopos hic non advigilare, ut istam hydram in tempore exurant, & malo venenum victori, & per omnia pervagato occurrant. Scelestus ille maledicus vinci non potest, qui totus ex maledicentia conflatus est, & habet tot ἀλάστορας, qui defesso suggerant novas vires. Conviciis igitur ille nunquam vincetur. Hanc unicam laudem ille affectat, si omnium eruditorum libris quocunque modo decantetur apud posteros. Sic sane agitat ὀλέθρους ἀτους. Si paucis bonis ac doctis ero infamis, mihi sat est, quod majori hominum parti placeam. Quod si detectis technis ac præstigiis evulgatis apud universos *Christianos* fiam exsecrabilis, certissimam gloriam adipiscar apud meos *Judæos*, qui tum intellecturi sunt, quod non inimico animo ab eis defecerim. Igitur eruditi non solum turpiter, verum etiam inaniter contra hunc congrediuntur, à quo præter infamiam nihil possunt contrahere, sive vincant, sive vincantur. Carnifex aliquis melius istam compescat rabiem. Id curare Episcoporum est; est justissimi Cæsaris *Maximiliani*; est magistratuum inclytæ urbis *Agrippinæ*, non fovere viperam tam virulentam in certissimum *Christianæ* religionis exitium, nisi paretur antidotus tali digna malo. Atque hæc dixerim nullo quidem privato stomacho; nihil enim me læsit unquam, aut si quid in me blateravit, nihil me movet, & causa ne tantillum quidem ad me pertinet: sed tamen dolet, concordiam plebis *Christianæ* sic indigne discissum iri, unius verpi profani & indocti præstigiis, idque illorum auxiliis, qui se *Christianæ* religionis columina profitentur. Sed hisce de rebus satis esto. Ne nihil reprehendam, mi *Bilibalde*, in tuo libello alioquin doctissimo, mihi non admodum Catalogus ille *Reuchlino* faventium probatur. Quis enim usquam illi non favet, eruditus ac pius? quis non istam exsecratur belluam, nisi qui aut causam non intelligit, aut publico malo suis consulit commodis? Deinde dum in Dialecticos ac Philosophos exspatiaris, maluissem te cæteris intactis hoc solum agere quod agebas. Bene vale, Clarissime Doctorum, & Clarorum Doctissime. *Lovanio* 2. Novembris, Anno 1517. An. 1517.

## EPISTOLA CCLXXV.

*Erasmus Rot. Barbirio suo* S. D.

QUAM timeo, mi *Petre*, ne felicitates *Hispanicæ* tibi veterum amiculorum oblivionem invehant. Quanquam id quoque malim accidere, quam si qua calamitas idem efficeret. Mortem *Busleidii* ex animo doleo, & hoc magis doleo, quod ante discessum illo tam frigide sim usus. Legatum de tribus linguis dici non potest quantopere probem. Et jam bona quædam fortuna adest *Hebræus*, suarum literarum longe peritissimus, cum meo tum omnium judicio. Quod si hoc negotium initio magnifice, perque celebres viros instituatur, mirum dictu, quantum gloriæ sit nostræ regioni allaturum. *Marcius* mihi pecuniam è *Zelandia* jam miserat, cum tuæ mihi literæ redderentur. Præterea nihil accepi neque literarum, neque pecuniæ. Si nihil mittetur, te incolumi, feram utcunque incommodum. Sin, quod prohibeant superi, casus aliquis *Barbirium* nobis adimat, non potero ferre tam multiplicem jacturam. Quare te etiam atque etiam oro, da operam ut valeas. Versamur nunc in Collegio *Lilienſi*, cum hospite omnium humanissimo, *Novio Montiscotano*. Novum Testamentum pulchre processit, absolvendum intra tres menses, adjutore Deo. *Fabro* respondimus, quantum licuit, citra stomachum. Nondum satis admirari possum, quid homini venerit in mentem. Misi illi libellum, nihil adhuc responsum est. Imposuit illius simplicitati instigator aliquis. Atque utinam mihi licuisset dissimulare. Episcopus *Trajectensis* ad me scripsit, significans se acciturum me, simulatque à *Transinsulanis* redierit, declaraturumque quanti me faciat, sed frustra canit. *Paraphrasis in Epistolam ad Romanos* eleganter excuditur. Par est, ut *Paulus Romanis* paulo magis *Romane* loquatur. Opus mire probatum eruditis. Oro te per sacram Theologiam, fac sciam quid valeat optimus ille meus *Mecænas*, in quo uno summa spei meæ sita est. Si unus pergit sui similis esse, omnia pergam recusare, quæ aliunde offeruntur. Adhuc meo succo vivo, præter trecentos, aut paulo amplius, florenos, quos ex illius, aut Principis benignitate recepi. Neque dubito de ejus animo, modo tu commonefacias. Saltem fac nos per literas *Hispanicarum* felicitatum participes, nisi hoc quoque nobis invides. Tristissimus rumor huc allatus, me pene exanimavit, *Briselotum* ex humanis excessisse. Verum, quando non constat, opinor vanum esse. De doctissimo doctore *Jodoco* simile quiddam nunciabatur, opinor occasione mortis *Busleidianæ*. Nisi apud *Hispanos* aliquid tale passus es, quale ferunt *Ulyssis* socios passos apud *Circen*, fac me diligenter commendes patrono meo unico Cancellario, cui scripturus eram, sed puer ille balbus, opinor, cognatus uxoris, vix semihora, prius quam abiret nuncius, significavit abitum grammatophori. Bene vale, mortalium charissime, & animæ plus quam dimidium meæ. Præsulem *Theatinum* saluta meis verbis, & Episcopum *Marsianum*. *Guido Morilonus* ubi sit nescio, & tamen scire cupio quid rerum gerat. *Lovanio* 2. Novembris, Anno 1517.

EPI-

Digitized by Google

## EPISTOLA CCLXXVI.

*Herneſto, Bavariæ Duci, Eraſmus Roterodamus* S. D.

An. 1517. SI *M. Tullius*, omnium ſuffragiis uberrimus & inexhauſtus facundiæ fons, fatetur, eloquentiæ venam facillime inareſcere, ni cotidiana legendi dicendique exercitatione ſufficias, *Herneſte* Princeps, non tantum imaginibus inclyte, quid mihi credis accidiſſe, cui cum vix tenuis quidam orationis rivulus contigerit, jam anni complures in eo ſtudiorum genere conſumpti ſunt, quod adeo ad expoliendam orationem non facit, ut quamlibet etiam benigne fluentem copiam poſſit exſtinguere, ac dictioni quantumvis nitenti ſitum ac rubiginem obducere. Quid enim inutilius ad tuendam Rhetorices politiem, quam tumultuaria lectione ſurſum ac deorſum per omnes Auctores, eoſque interim inconditos, raptari? Quod uſque nobis faciundum fuit in Novo Teſtamento, in cudendis ac recudendis *Chiliadibus*, in inſtaurandis *Hieronymi* libris. Proinde, quo contractam hiſce ſtudiis orationis, vel ſcabriciem, vel inopiam, aliqua ex parte corrigeremus, dum proximo Vere *Britanniam* adirem, *Quintum Curtium* itineris ac navigationis comitem adjunxi, qui mihi olim puero lectus, mire candidus ac terſus eſt viſus, nec alius ſane viſus eſt ex tanto reguſtatus intervallo. Dolet mihi, Auctorem lectu digniſſimum ἀνέφαλον nobis ſupereſſe, nimirum duobus primoribus libris amputatis, ultimo pluribus in locis trunco, mutiloque. Riſimus interea Græculam in hiſtoria vanitatem, quam tamen *Quintus Curtius* ſubinde temperaſſe videtur; & tamen cum huc omnes ingenii ſui nervos intenderint, ut eximium quendam & inimitabilem Principem depingerent, quid aliud nobis quam toties furioſum, ſed ubique felicem, orbis prædonem deſcripſerunt? Neque enim ille periculoſior erat vino temulentus, quam ira atque ambitione: & quo felicior erat impotentis animi temeritas, hoc erat rebus humanis pernicioſior. Mihi certe non magis placet *Græcorum* Hiſtoricorum *Alexander*, quam *Achilles Homericus*, peſſimum uterque boni Principis exemplar, etiam ſi quæ virtutes tot vitiis admixtæ videri poſſint. Videlicet operæ precium erat, *Africam*, *Europam*, *Aſiam* tot miſceri cladibus, ut unius furioſi juvenis animo mos gereretur, cujus ambitioni nec orbis hic ſolidus erat ſatis futurus. Bene habet, quod illi peſti Fortuna, cæteris in rebus nimium indulgens, longævitatem negarit. Locos aliquot obiter annotatos correximus, addito elencho, qui potiſſimum indicaret, ſi quid nove dictum apud hunc Scriptorem exſtaret, ne deſit quo placemus λογομάσιγας quoſdam, qui ad ſingulas pene voces nobis ſolent obſtrepere, clamitantes, apud probos Auctores nuſquam inveniri. Hoc quicquid eſt vel fructus, vel ſtudii, tibi viſum eſt dicare, quo teſtaremur nos vel memores eſſe Principis, cui tum ipſe privatim plurimum debeo, ut à quo fuerim pridem ampliſſimis conditionibus provocatus, tum publice debent omnes bonarum literarum myſtæ, quas tu ſic ornas clariſſimis majorum tuorum ſtemmatis, ſic morum integritate commendas, ſic benignitate foves, ſic auctoritate tueris, ut brevi nihil ſit illis futurum felicius, ſi cæteri Principes, omiſſa bellandi rabie, tuum exemplum æmulentur. Bene vale. *Lovanio* 4. Novembris, Anno 1517.

## EPISTOLA CCLXXVII.

Jacobus Baniſius, Cæſareæ Majeſtatis à Conſiliis, Eraſmo Rot. *S. D.*

REVERENDE *& excellentiſſime domine honorande, commendationem plurimam. Graviter adverſa valetudine preſſum, & nec mei ipſius compotem, offenderunt me humaniſſimæ literæ tuæ: ideo ad eas & tardius, & manu aliena reſpondeo. Nec eſt cur ſibi ipſi ſuccenſeat, quod me ultro venientem avidius non ſit complexa hic* Antuerpiæ; *exhibuit enim ſe nimis facilem erga me, & compos voti eram, ſimulatque videram quem deſiderabam. Senſi autem tunc non parum impudenter me egiſſe; quod virum tantorum ſtudiorum, & tantæ diſciplinæ, non pratentato vado, & magis religioſe, ſed quadam aulica temeritate interpellare auſus fuerim. Sed id aviditati (quæ me vel ex intimo ſinu* Illyrico *meo traxiſſet) potius quam inſtituto adſcribat. Cupiebam enim illum, quem abſens, veluti numen, ob excellentem doctrinam colebam, aliquando præſens (poſtquam fas erat) intueri; & omnis mora mihi periculoſa videbatur: proinde, quum intellexi te hic adeſſe, niſi ſtatim advolaſſem, arbitrabar me non poſſe compotem voti fieri. Quum primum autem valebo, ſi per negotia licebit (poſtquam ita placet) ante digreſſum meum ex hiſce regionibus te* Lovanii *conveniam: nec enim tu hoc tempore tam bonas horas huc veniendo perdere debes. De* Judæo, *vel qui ſub ejus tam infami & perdito nomine cum doctiſſimo quoque ac optimo viro congredi audent, ſolum ex infamia famam ſibi aucupantes, nil melius exiſtimo, quam illos omittere cum incircumciſa ab omni bono opere mente; & in tenebris ſuis ignotos deliteſcere. Ex motu tactuque rei fœtidæ, nil niſi fœtor elici poteſt. Literas tuas ad* Moguntiam *&* Pirckheimerum *tranſmittam. Valeat diu feliciter Do.* T. R. *ad commodum & incrementum omnium ſtudiorum.* Antuerpia 12. *Novembris, Anno* 1517.

## EPISTOLA CCLXXVIII.

Georgius Spalatinus Eraſmo Rot. *S. D.*

LITERAS *tuas*, Eraſme, *unicum totius* Germaniæ *communis patriæ decus, jampridem exſpecto: ſi enim in manus tuas meæ pervenerant, nihil minus vereor, quam te mihi non reſponſurum: neque enim tam privato quam publico ſcripſi ad te nomine, quamvis etiam meo libentiſſime: nam diu antea perſequutus occaſionem ad te ſcribendi, non prius ſum nactus, quam exſtitit qui me alioquin ſcribendi cupidiſſimum ad hoc officii impelleret pene. Tuus enim eſſe cœpi, quum primum tua Opera vidi, quum primum in tuæ iſtius tam multijugæ & eruditionis & eloquentiæ penetralia veni. Ubi autem nunc, & quemadmodum agas, & quid condas, quid noſtris temporibus, quid poſteritati cudas, tam avide cupio ſcire cum multis, quam quod avidiſſime. Spero igitur id te daturum nomini optimi Principis mei* Frederici Saxoniæ *Ducis, ſacri* Romani *Imperii Electoris, ut tandem mihi reſpondeas. Facit enim te tantus Princeps plurimi, & libros tuos omnes in ſua habet bibliotheca, quam optimis quibuſque libris refertam architectatur. Cætera dicet* Petrus *noſter* Alamirus. *Vale feliciter. Curſim ex arce* Aldenburgia 13. *Novembris, Anno* 1517.

## EPISTOLA CCLXXIX.

*Eraſmus Rot. Gerardo Noviomago* S. D.

DEMIROR te nihil ſcripſiſſe, cum ſcripſerit ipſe Præſul. Neque enim opinor te ſic occupatum, ut non vacarit: neque tam fortunæ ſucceſſu elatum, ut veteres congerrones faſtidias, quod tamen optarim ita eſſe. Libellum *De querela pacis* optimo Præſuli non diſplicuiſſe, magnopere gaudeo, & jam nunc fructum ejus laboris abunde magnum percepiſſe me puto, quod is amplectitur, cui unice probari cupiebam. *Paraphraſis* ad metam properat. Liber exiguus, ſed nemo credat, niſi periculo facto, quantis ſudoribus mihi conſtiterit. Mittetur ſimulatque fuerit abſolutus *Theodorici* formulis. Sed audi rem ridiculam? Nuper quidam expeditus accurrit, annuncians, ſacerdotium meum, quod haberem *Trajecti*, æſtimatum quatuor *Philippeis*, ſi vellem numerare. Primum gaudebam, ſomnians novum aliquod collatum; deinde mirabar quid rei eſſet; poſtremo ſenſi nomen commune fuiſſe cauſam erroris. Eſt enim hic alter *Eraſmus* Juris doctor, ad quem ſcriptas literas inſciens nuper legi, putans ad me ſcriptas. Deinde cum nihil illic eſſet, quod ad me pertineret, ſuſpicabar me rideri, à quopiam, donec *Barbirius* ea ſuſpicione

Digitized by Google

An. 1517. ne me levaret. Cave ne dominus accersat me his mensibus hybernis. Sic enim versor in Novo Testamento, ut nec digitum latum liceat discedere, & certum est his mensibus absolvere. *Philippo* tantum hortator ad literas esse possum, quod desierimus in unis ædibus vivere. Nihil est *Navio* meo in hac Academia vel eruditius, vel melius, vel festivius, vel denique sincerius, nec unquam vixi magis ex animi mei sententia. Bene vale. *Lovanio* 16. Novembris, Anno 1517.

## EPISTOLA CCLXXX.

*Erasmus Roterod. Budaeo suo* S. D.

POST tantas Epistolarum procellas, quibus me solebas obruere, unde quæso tantum, tamque subitum silentium? Gaudeo si totus es in explicandis Pandectis Jureconsultorum, sed non adeo es, opinor, ut non vacet, vel paucis significare quod postulo: quod ni facis, colligam, aut offensum te, aut priorem illum tumultum fuisse ludibrium. Si quid offensus es, aperi quid doleat, quo vel mederi, vel in posterum certe cavere possim. Sin ludus fuit, illa prior literarum Tragœdia, cupio, quicquid est cognoscere. Bene vale, doctissime *Budæe*. *Lovanio* 30. Novembris, Anno 1517.

## EPISTOLA CCLXXXI.

Gerardus Noviomagus Erasmo Roterodamo *S. D.*

ANTE *horam unam aut alteram quam* Campis *oppido*, Daventriam *versus, proficiscceremur, accepi literas tuas priores, tum in colligendis sarcinulis occupatior, attamen Præsuli nostro & libellum, & literas tuas ostendi. Literas ad te ipsius nomine, ut jusserat, scripsi. Ego pusillanimus non audebam tibi scribere, quod indignum me existimarem, qui tanto viro scriberem. Novi humanitatem tuam, novi facilem ad te aditum. Verum tu non nosti dejectum animum meum, & meticulosum genium in scribendis literis. Habeo hujus rei veracissimum testem, candidissimum* Joannem Borsalum. *Liber* Querimoniæ Pacis *perplacuit, non solum Præsuli, sed & à consiliis viris doctis*, & Philippo Montio *procuratori aulæ, qui omnes ex animo tibi favent. Prælegi Episcopo literas, quas scripsisti. Egit gratias, & risit, quod de gliribus & cuculis addidisti. Prælegi præterea literas, quas mihi misisti, miraturque de sacerdotio Erasmi Jurisconsulti, quem in* Hispaniis *esse putat. Polliceare tibi, doctissime* Erasme, *de* Philippo *Præsule nostro, amico tuo, quicquid de amicissimo Principe polliceri poteris. Vix dies præterit sine mentione tui. Habetque in animo te accersere ad proximam Quadragesimam cum hirundines redierint, & ostendere rebus quantum te colat, eruditionique tua faveat. Interea & tu illi scribes aliquando, & ego non finam, ut tanta tua erga Præsulem nostrum merita aut intercidant, aut intereant.* Nævii *candorem sæpe sæpius expertus sum. Tibi gratulor, quod talem nactus sis hospitem, talesque convictores. Bene vale. 6. Decembris, Anno* 1517.

## EPISTOLA CCLXXXII.

Philippus à Burgundia, Episcopus Ecclesiæ Trajectensis, Erasmo Roter. *S. D.*

DOCTISSIME *atque nobis dilectissime* Erasme, *literas tuas recepimus, quæ nobis inter tot curas, quibus non parum gravamur, magnam attulere voluptatem.* Pacis Querimonia, *non solum nobis, quibus nominatim dedicata est, sed omnibus vere Christianis, summe placet. Nolumus eruditionem tuam ita latere, ut glires & cuculi latent: magis hortamur, ut præclara Opera, quæ pro manibus habes, absolvas, ad seculi nostri ornamentum & utilitatem, posterorumque admirationem. Optimo fratre nostro, piæ memoriæ* David, *conabimur (adjutore Deo Opt. Max.) non esse inferiores. Paucis tibi scribimus, verum magno erga te eruditionemque tuam affectu. Bene vale, optime* Erasme, *& nos (ut facis) ama. Ex arce nostra* Vellenhoe, *6. Decembris, Anno* 1517. An. 1517.

## EPISTOLA CCLXXXIII.

Paulus Bombasius, Cardinalis Sanctorum quatuor ab Epistolis, Erasmo Rot. *S. D.*

NE *verbosius ad te scribam, ac longos logos (ut ille inquit) faciam, cum plures causæ sunt, tum illa potissimum, ne gratiam, quam diu tacendo, minimeque te majoribus intentum curis interpellando, promerui, sinistra nunc garrulitate mea corrumpam. Non dubito autem quin cum me apud* Helvetios *agere intelliges,* Ζεῦ τεθράφθαι *dicas, quid* Bombasio *cum* Helvetiis? *aut quæ fortuna illum illuc traduxit? Non possum, mi* Erasme, *aliud hic respondere, quam quod mea fors plane* Herculea, *nisi quod ingloria, me à* Romana *illa, quam vel ipsi patriæ antepositeram, amœnitate, huc nolentem invitumque abstraxit. Siquidem Cardinalis Sanctorum quatuor, cui illic serviebam, nepotem ex fratre suum, ad* Helvetios *Nuncium Apostolicum proficiscentem, sequi me jussit: nec ego* δυσωπίᾳ *laborans quicquam ei negare fum ausus, quanquam* Homericum *illud mecum subinde repetens,*

Τίπτ' ἂν ὦ * δύσηνε λιπὼν φάος ἠελίοιο.

*Quod si peccatum aliquod meum fuit, jam quatuor menses continuos pœnas persolvo, multo etiam plures, nisi aliquis Deus mihi affuerit, expensurus, magno ac pene incredibili solatio privatus,* Pacæo *nostro videlicet: qui quam diu* Constantiæ *fuit, me crebris amantissimisque suis literis adeo permulxit, ut vel* Athenis *esse mihi ipsi viderer. Sed quid ego hæc ad te? quasi tu miseriis meis audiendis omnino vaces. Me adhuc unum recreat, vigilia scilicet, ac labores tui: quibus assidue incumbens, regionis hujus tædium aliquantisper fallo. Inter cætera nuper legi Apologiam tuam in* Fabrum, *quam* Beatus Rhenanus *à te sibi missam ad me legendam transmisit. Nihil ea eruditius mihi visum est. Sed* Fabrum, *quem cum ipsi fama, tum maxime tibi, qui multis ac magnis laudibus hominem mihi extuleras credens, non minus prudentem, quam doctum semper credidi, valde sum miratus, quod te petulanter adeo incessere volnerit, ut non literarum modo, sed communis etiam sensus oblitus appareat. Quod ad altiores disciplinas attinet, ne quid supra calceum sutor, nihil equidem pronunciare ausim: quod vero ad Latinam, Græcamve literaturam pertinet, de scriptis tuis (nam illius attigi nunquam) valde hominem risi: nec ab illo nostro, qui* τὸν ἐν ὁδῷ *εἴσοδον, id est,* apud Hesiodum *interpretatus fuerat, in quibusdam multum dissimilem putavi: sed tu egregie personam illi detraxisti, ac te perbelle vindicasti. Audio jam illum in te recriminationem meditari, quod minime facturum credo, cum sciam gallum devictum cantare non consuevisse. Utcunque autem decreverit,* Herculem *nactus est. Quod ad veterem meam erga te benevolentiam observantiamque pertinet, nihil ego nunc repetam, ne quod certum est, quasi in dubium revocare videar: non Hercule magis quam ut tibi gratuler, scripta omnia tua ubique gentium, ac* Romæ *præsertim, ubi rerum omnium censura peragitur, adeo bene audire, atque à doctis omnibus expeti, ut nihil antiquis cedant, minimeque illis auctoris ipsius vita obsit. Quam gratulationem tibi quotidianam, ac prope familiarem esse non dubito. Sed jam vale, mi* Erasme, *ac* Bombasii *tui memor feliciter age. Ex* Turrego, Helvetiorum *pago* †, *6. Decembris, Anno* 1517.

*Rex* Turcarum Constantinopolim, *tota* Syria *atque* Ægypto *potitus, rediit, ac magna in Christianos minatur atque molitur. Propter quæ Pontifex Maximus auxilium ab* Helvetiis *exposcit, omnesque Principes Christianos in auxilium vocat.* Marcus Musurus, *qui paulo ante* Monovasiensis *Archiepiscopus esse cœperat, hoc autumno* Romæ *agens, in communem abiit locum, quod octo mensibus ante* Palæotus *noster fecerat. Iterum vale.*



* Editiones castigatæ habent αὖτ' ἄ.

† Qui aliis *Tigurum*, dicitur vulgo *Zurich*.

Digitized by Google

## EPISTOLA CCLXXXIV.

*Eraſmus Antonio à Bergis, Abbati Bertinico,* S. D.

An. 1517. REVERENDE Pater, cum proxime eſſem *Gandavi*, ſero cognovi tuam amplitudinem adeſſe, cumque jam conarer meo fungi officio, dictum eſt eam abiiſſe. Poſt hæc accepi à nonnullis, quod me vehementer commovit, te mihi, neſcio quid, ſubiraſci, opinor ob *Moriam*, quam vir clariſſimus *Georgius Haloinus*, me dehortante ac deterrente, fecit *Gallicam*, hoc eſt, ex mea ſuam fecit, additis, detractis & mutatis, quæ voluit. Ad hæc, argumentum ipſum per ſe jocoſum eſt, nec tamen ullum hominum genus inſector odioſius: neque quenquam nominatim taxo, niſi meipſum. Poſtremo, Opus hoc qualecunque eſt, placet eruditis totius orbis omnibus, placet Epiſcopis, Archiepiſcopis, Regibus, Cardinalibus, atque ipſi *Leoni* Pontifici maximo, qui à capite uſque ad calcem totum perlegit. Quod ſi quid etiam ineptiſſem in hoc Opere, & alii forent offenſi, ſperabam tuam celſitudinem vel unam mihi patrocinio futuram fuiſſe, videlicet ſui ſimilem, cujus tantam humanitatem ſemper expertus ſum, ut ipſa humanitas non poſſit eſſe humanior. Proinde nondum adduci poſſum, ut credam eſſe vera, quæ mihi quidam ſuper hac re narrarunt. Scio vulgo multa jactari inania, & mores tuos candidiſſimos jam multis annis expertus ſum, quibus plus habeo fidei, quam aliorum orationi. Scio quantum interſit inter *Bertinicum* & *Briſelotum*, etiamſi ab eadem litera vocum eſt initium. Quicquid eſt, rogo pergas amare tuum *Eraſmum* vel ob hoc ipſum, quod jam olim amaveris. Quod ſi unquam promeritus ſum tui ſimilium favorem, auſim hoc fiducia mei magis quam arrogantia dicere, me nunc maxime promereri: quod fortaſſis exſtincto me poſteritas rectius judicabit; quanquam nec hac ætate deſint qui perſpiciant. Verſor in collegio *Liliano*, unde eſt hic, qui has reddit, *Theodoricus* juvenis feſtivo felicique ingenio, ac ſummæ ſpei: quare ſi quid erit, in quo requiret favorem amplitudinis tuæ, quæſo ut experiatur. Bene vale, *Mecenas* optime. *Lovanio* 13. Decembris, Anno 1517.

## EPISTOLA CCLXXXV.

*Eraſmus Rot. G. Budæi perpetuus, velit, nolit, amicus, non ultimam, ſed jugem ac perennem illi* D. S.

POST jurgatricem illam epiſtolam, quæ *Baſilea* fuit reddita, ecce de integro mihi adeſt abs te fœcialis cum patre patrato, qui ſolenniter ac palam veteris amicitiæ fœdus renuncient, & in poſterum ἀπροσδόκητον πόλεμον denuncient. Primum omnium, gratulor tuæ felicitati, mi *Budæe*, cui tum vacet, tum libeat ad iſtum jocari modum. Siquidem ea res mihi ſatis eſt argumento, amicum, cui profecto omnia læta cupio, non ſolum proſpere, verum etiam alacriter ac ſuaviter agere. Proinde licet ipſe toto hoc ſeſquianno in ejuſmodi ſtudiorum genere ſim verſatus, ut oneri ferendo, nec corpore, nec animo par eſſem: præſertim cum id accederet ad ſarcinæ moleſtiam, quod intelligerem, illa deſudari fere ingratis & iniquis: deinde tot morbis atrocibus ſubinde me repetentibus, tot aliis curis atque incommodis, non hic commemorandis, me meus exercuerit genius malus, (nam *Lovanium*, quo tu ſalvum me rediſſe gratularis, vix ſemivivus deportatus ſum) tamen feſtivitate literarum tuarum, etiam in mediis malorum procellis ſum exhilaratus, aut certe delinitus. Etiamſi referre jocos tuos, ac veluti retaliare, ut maxime libuiſſet, certe nec licebat, nec vacabat: quanquam ne adhuc quidem ſic à morbo convalui, ut vel mihi ſatis placeam, vel amicis. Tanta erat morbi vis, niſi malis hoc mali, laboribus immodicis imputare. Tandem igitur ambabus tuis epiſtolis, imo voluminibus, unica reſpondebo: quod tamen non prius faciam, quam illud adhibita ſtipulatione impetrem abs te; ut mihi fidem habeas me perſuaſiſſimum habere, quicquid abs te ſeu joco ſeu ſero ſcribitur, ab amico ſinceroque pectore proficiſci, utque idem tibi de me perſuadeas, καὶ τὸ φίλιον ὁμόσαι fidas, ſi parum fidis injurato. Nihil prius quam de animi tui ſinceritate, teſtatus ſum apud *Beatum Rhenanum*. Idem clare teſtor in poſtremis literis, quas tu, ſemper tuo more ludens, ſtomachabundas vocas. Ego nullius literis æque delector ac tuis, ex quibus multiplicem capio tum fructum, tum voluptatem. Primum, ſive mecum litigas, ſive rides, ſive laceſſis, diſcedo doctior. Nihil enim abs te proficiſcitur adeo neglectum, quod aliorum quantalibet cura poſſit æquare. Deinde, tuus iſte ſermonis torrens meam expergefacit ſomnolentiam: tuus ardor meum frigus acuit: tua copia, nuſquam non exuberans, jejunam exilitatem meam emendat, atque caſtigat. Poſtremo, cum præcipua vitæ voluptas ſit, meo judicio, vacuas horas cum fidis amicis tranſmittere, quid poſſit accidere jucundius, quam cum amico tam eximio, viciſſitudine literarum confabulari? Imo cum tuas lego multo literatiſſimas literas, plus quiddam mihi ſentire videor, quam ſi te coram audirem, etiamſi coram quoque perquam feſtivus eſſe congerro ſoles. Hanc voluptatem mihi ſubinde renovo, epiſtolis tuis ex intervallo relectis. Rurſum ubi eas amicis oſtendo, ſic de integro delector, ac ſi tum primum mihi fuiſſent redditæ. Ut nullum interim calculum habeat gloriæ lucrum, quod hinc facio, mea ſententia non adſpernandum ei, qui poſteritatem ſpectet: ut meæ lucubrationes intermoriantur una cum ſuo auctore, vel præmoriantur magis, tamen poſteri loquentur, *Eraſmum* fuiſſe quendam, quem *Budæus* ille magnus nec oderit, nec omnino contempſerit. Hujus ambitionis (ut ingenue dicam) me nec pudet adhuc, nec pœnitet. Proinde, cum perſpicerem accuratam illam & grandem epiſtolam, in hoc paratam ut ederetur, veritus ſum ne quid huic gloriæ decederet, ac poſteritas judicaret inter *Budæum* & *Eraſmum*, non tam ſinceram intercеſſiſſe neceſſitudinem, quam ego videri volebam, imo quam eſſe puto. Atque idem damni mihi metuendum erat apud amicos, quibus tuum ingenium propius ac domeſtice cognitum perſpectumque non eſſet. Id propemodum tua magis referre viſum eſt, quam mea, propterea quod me ab iſtiuſmodi ſuſpicione libri mei, ſi contigiſſet ſupereſſe, utcunque vindicaturi viderentur. At periculum erat, ne quis de *Budæi* pectore, quo nihil eſſe poteſt candidius, ſecus quam dignum eſt ſuſpicaretur. Itaque videbam alterutrum futurum, ut ſi oſtendiſſem amicis, famæ nonnulla fieret jactura: ſi non oſtendiſſem, aliqua voluptatis parte fraudarer. Hic metus id temporis habebat animum meum, quem ipſum qualis qualis eſt, te auctore lubens poſuero, ſi tu ita ſerio cenſebis. Neque vero hic agitur, quam ego ſim jocorum ac facetiarum prudens, ſed quid ſenſuri de nobis ſint, qui nos è libris editis duntaxat æſtimant. Noveram eſſe genus jocandi *Gallicum*, impenſe liberum, geſtiens, ac paulo licentius, quod tetricis ingeniis videri poſſet petulantiæ proximum. Mihi videbar propius animadvertiſſe, tuum ingenium hoc genere luſus impenſius delectari, præſertim ſi quem familiarius amares, quo te tuo arbitratu poſſes oblectare: qui fere mos τῶν διατριβῶν τούτων, in deliciis habere quempiam imi ſubſellii amiculum, ac vernis proximum, in quem animi cauſa quidlibet tum dicant, tum faciant. Nec iſtam voluptatem tibi inviderem, ſi res gereretur tantum iis arbitris, qui noſtrum utrumque pernoſſent, aut luſus noſtros tam candide ſint interpretaturi, quam ego interpretor. Nunc vides à pleriſque trahi ad calumniam, ea quoque quæ ſimpliciſſime dicuntur: atque hujuſmodi ſycophantarum, temporibus hiſce plena ſunt omnia. Quid hos dicturos cenſes, ſi jocos tuos feriis convitiis ſimillimos legant, quos ego pene ſolus omnium jocos eſſe vel ſentio, vel interpretor?

An. 1517.

Jam

An. 1517. Jam ut non illibenter fateor, me non minus literis, quam fortunis, inferiorem *Budæo*, ita, quod scio te non inficias iturum, eruditio tua, non opes, Musa, non *Rhamnusia*, te mihi conciliavit, imo me tibi devinxit. Felicitatem istam tibi gratulor, sed pectus amo, suspicioque. Quanquam autem nihil addubitem, quin fortunas quoque tuas, non uni tibi, sed amicis etiam possideas, tamen è chartis tuis gaudeo diteſcere, quibus nihil diminuit tua in omnes benignitas, è scriniis nummariis nihil adhuc nec ambii, nec decerpsi. Nec tenuis haberi debet, qui sua sorte contentus est. Et haud scio an eruditos aliud jocandi genus deceat, præsertim amicitia confœderatos. Jocatur in *Trebatium* suum *M. Tullius*, colludit cum suo *Symmacho Ausonius*, jocatur in unum atque alterum suorum *Plinius*. Hoc jocandi genus, haud scio an usquam in eruditorum libris reperies. Et adspergi solent hujusmodi lepores, ceu condimenta sermonis. Cujusmodi vero species, cum totus sermo à capite, quod ajunt, usque ad calcem præter scommata, strophas, & obliquas ἐπινοίας nihil habet? Verum, hæc utcunque habeant, certe oportebat jocandi vices inter amicos esse mutuas. Alioqui non videbitur amicus cum amico ludere, sed Rex in parasitum, ciboque emptum homuncionem debacchari. Nunc si quid à me liberius aut simplicius dictum est, contumeliam atrocem facis: si quid lenio ne offendat, quod liberius dictum videri poterat, suavior te, blandiorque: si quid festivius excidit, cavillaris figurate dictum. Atque hac iniquissima lege coarctor, ut si jocis tuis serio respondeam, potentis amici majestatem lædere videar: sin jocum joco retaliem, figurati morsus accuser: si blande tecum agam, supplex ac submissus esse dicar: sin obticescam, metuere potentiorem existimer. Nam per Musas te quæso, *Budæe*, quid habebat vel prior illa epistola, quam editam doles, usque adeo procax ac petulans in te, imo quid non amicum & honorificum? Audieram quosdam hoc tantum indignari, quod ausus essem *Fabro* respondere: alios, quod aliquanto liberius respondérim. Hos placare volui, cum ejus rei tu velut ansam præbuisses tuis literis expostulatricibus. Itaque proposito dilemmate, sic argumentor: Si mones, sero mones: si objurgas, sine causa objurgas. At quoniam priori parti adsperseram *Epimethei* mentionem, quod hac in parte mihi serus monitor exstitisses: vide quantam hinc excitas Tragœdiam. *Eja*, inquis, *tu germane mi Prometheu, meministin' his verbis te scripsisse, velut atrox facinus mihi impingens, ne possim inficiari.* Ac mox, *Amabo*, inquis, *mi Erasme, tuum præmorde labellum, & usuram mihi patientiæ pauliſper accommoda, vicissim adjurgaturo.* Ac mox rursum, *Quem tu subinde in faciem, nunc palma, nunc pugno contundis.* Hæc qui credet, nonne me contumelioſum quempiam, & à Gratiis alieniſſimum esse judicabit? cum hoc animo sim, ut amicum nec joco lædere velim. Opinor nonnunquam usu venire tibi ut bona quædam dicta sepoſita nolis perdere, nec ob aliud uti, nisi ne tibi pereant. Sunt hæc, fateor, belle dicta, si suo loco dicerentur. Atque his ut locum faceres, facis me tuis verbis loquentem, quæ multum dissonant ab animo, moribusque meis. *Quo nunc igitur admonitio, nisi ut calculum atrum ferre aut varium in Apologiam meam videare? ut mea fere soles præjudicio quodam tuo premere, licentiore, ut quibusdam videtur, fiducia confirmatæ amicitiæ.* Hunc sermonem mihi tribuis, ac vicissim refellis, mutata subito persona, nunc reum agens, nunc actorem. Tua est victoria, si hoc juris tibi permittent judices, ut tuo arbitratu pro me quoque respondeas. Atqui nostræ epistolæ respondebas, in qua nihil isti simile legitur. Sed hic plane lusisse videberis scio. Cæterum, num illud quoque joco dictum tibi: facere enim nequeo, quin epistolæ tuæ facundæ quidem & feliciter argutæ, sed non perinde æquæ officioſæque, respondeam. Vide vero, num & illud joco dictum videatur. Tum igitur prædiceres, te *Apologiam* meditari, & ego fortasse officio functus essem: at tu me *Epimetheum* feciſti, ut per te quidem rem in scenam producendam non ante resciscere potuerim, quam tu prologum in proscenium misisti. Hactenus tu sane festiviter & erudite. Quod mones, fortasse facturus eram, si tum *Rudæus* ad manum fuisset. Vulnera, quæ mihi *Faber* inflixerat, sero sensi: nec *Lovanii* quisquam aderat id temporis, (novus enim hospes eo veneram) cujus consilio multum vel tribuerem, vel fiderem. Et quod tu fortasse moniturus eras, ut moderatius, ut parcius responderem, id ipse me maxime tum admonebam. Neque enim tam impotenti sum ingenio, quam tu me facis; neque id temporis tam animo commotus eram, quam tu imaginaris. Mœrens eam *Apologiam* scripsi, non iratus, aut indignabundus. Id nolim mihi credas, si quisquam mortalium audivit *Erasmum* eo tempore, quo vulnus adhuc recens esset, vel inter pocula cum stomacho loquentem de *Fabro*. Mihi igitur tum sanus videbar: idem videtur quibusdam, qui *Fabro* impensissime favent, eoque præceptore gloriantur; quorum judicio plusculum arbitror hac duntaxat in parte tribuendum, quam tuo aut tuorum, quorum alias judicio tribuo plurimum. Cavillari poteram, *Gallos* favere *Gallo*, ac rejectione judicum uti. Tu procul aberas, ut dixi, & res præsens remedium postulabat. Consuluissem videlicet te, tu convocasses senatum amicorum, & post annum rediisset ad nos vestrum oraculum. At cur potius tu mihi consulendus eras, quam amici cæteri? An tu solus quid decebat, perspiciebas? an cæteris non sunt oculi? ut mihi in mea causa judicium adimas. Jam si complures amicos consuluissem, fortassis omnes moderandæ *Apologiæ* fuissent auctores. Recepissem me facturum. Hic rursum, quod mihi moderatissimum visum fuisset, huic aut illi parum moderatum visum fuisset. Nisi forte volebas *Apologiam* absolutam, & opera notariorum in aliquot exemplaria propagatam, in *Germaniam*, *Hispaniam*, *Britanniam* & *Galliam* mitti, priusquam excuderetur formulis. Utinam id liceret in omnibus libris, quos edimus in vulgus. Atqui ut nulla sumptus habeatur ratio: primum, difficile est esse ingeniosum in opere alieno: deinde, vix unum reperio, cui vacet alienis lucubrationibus attendere. Siquidem ea res attentum requirit. Facilius reperias, qui edita cognoscant, ut carpant, quam qui edenda recognoscant, ut emendent. Postremo, cum hic quoque variassent amicorum suffragia, nonne moderationis canon ad meam æstimationem revolveretur? Ut reperiatur aliquis tam ociosus: quis tam certus tibicen adstabit nobis à tergo, ad cujus modulatum, orationis habitum remittamus, aut intendamus? Totum hoc negotium & scribendi, & excudendi, intra quatuordecim, plus minus, dies confectum est. Res multis acta est testibus, ne quid me suspiceris affingere vero. Ne vero putes tantum vel temporis, vel studii datum huic contentioni, ut tuo hortatu fuerim ad sacra studia revocandus, & ipse mihi per te postliminio restituendus; perpende quid interim scripserim, videbis te hortatore nihil opus fuisse. Sed fac me percitum ira, non satis habuisse rationem meæ dignitatis: num ideo te feci *Epimetheum*? Si in puteum delapsum admoneas, hac erat eundum, non incidisses in puteum, si monitorem audisses: nonne is optimo jure respondeat, utinam in tempore monuisses, nunc auxilio, non monitore est opus? Quanquam hoc posterius sic refellis, ut dicas te in posterum consuluisse mihi. Vide nunquid ejusmodi tua habeat epistola. Si dixisses, immoderatius respondisti *Fabro*, posthac nolim te eodem modo socordem esse, poterat intelligi quid sentires. Nunc *Erasmus* sum, non *Oedipus*. Neque enim divinare potui futurum, ut tuam admonitionem, quam vocas, sic interpretareris. Quod si tam prolixa epistola objurgas amicum, lapsum, si ita videtur, nec interim opitularis, ubi candor ille *Budaicus*? Quid aliud quam erratum amici traducis & exaggeras? & cicatricem, jam obduci cœptam, refricas? Una opitulandi ratio supererat, si nos in gratiam redegisses. Id officii cum, *Ruzeo* majorem in



Digitized by Google

An. 1517. modum flagitante, pertinaciter recusaris; tamen in frontispicio epistolæ tuæ, *pacificatorem* te vocas, in quem ego ἀκροχόλως commotus, repente cornua obverterim. Si ubique jocaris, puto jocos etiam oportere sibi constare. Utrum vero metuebas, an ne ego rursus impeterem *Fabrum*, qui me tam invitus defenderim adversus illum? id quod tu quoque videris intelligere: an ne ille me repeteret? Id cum tester me non metuere: tu declaras nihil omnino esse periculi, meorum suspicionem irridens, etiamsi nemo meorum id suspicatus est: sed rumore quorundam *Fabro* faventium, aut certe mihi male volentium, fuit jactatum. Nam ipse non solum de *Fabro*, verum etiam de doctis amicis, ac discipulis *Fabri*, semper meliorem habui sententiam, quam ut hujusmodi quicquam ab illis metuerim. Ab indoctis rabulis metui magis, cum quibus vel certasse sit turpissimum. Atque interim *leptologemarôn* mentionem nobis refricas: qua de re cum ego nusquam ullam iram vel senserim animo, vel oratione declararim; tu tamen præ impotentia iracundiæ in hæc revolutum me, scribis: idque satis impudenter colligis ex eo loco, in quo testor, me ne tantulum quidem fuisse commotum: & adeo non fuisse commotum, ut amicos quosdam *Germanos*, id non satis æquo animo ferentes, riserim verius quam placarim. Quorsum igitur attinent illa θερμὸν ἡ φοβερόν; Itane vero, si quid tibi familiariter atque amicitiæ jure fretus dixero, tu in me eloquentiæ tuæ aciem stringes? Et ut animo obsequaris iracundulo, ad satietatem mecum delitigabis? cæteraque, quæ in hanc sequuntur sententiam. Si hæc serio scribis, ubinam est in scriptis meis ista tam impotens iracundia? ubi delitigatio? ubi mea *Minerva* facundiæ præsidiis fretus, adversus justitiam depugno? Sin ludis: qua nota sentiet lector, utriusque nostrum ignarus, esse jocum, in quo tu tam scite adumbras stomachantem, ut qui vere indignetur, non queat seipsum melius repræsentare, quam tu simulas? Si tibi placet lusus *Laconicus* in amicum, qui usque ad vulnera, tuberaque solet progredi, videlicet quo me doceas tolerantiam; vide, ne quis istud causetur parum tempestivum in hominem aliquanto, quam tu es, natu grandiorem, cum cruentus ille *Lycurgi* lusus juventutem duntaxat exerceret. Jam periculum est, ne cui veniat in mentem, ut simile quiddam dicat in te, quale celebratur *Platonis in Diogenem*. Is cum calcasset culcitram *Platonis*, ait se *Platonis* fastum calcare: *Calcas*, inquit *Plato*, *sed alio fastu*. Verendum igitur est, ne quis animadvertens, tam iracundis literis tuis meam castigari iracundiam, tibi dicat itidem: *Objurgas iracundiam, sed alia iracundia*. Cæterum, agis iracundum, non irasceris. Ut agas, certe nimium scite agis, quemadmodum *Ajacem* egit *Lucianicus* ille histrio, qui inter agendum uni atque alteri caput comminuit, non sine metu cæterorum. Sed ille personatus agebat, tu nuda facie cum amico agis. Quod si vultum ista loquentis aut scribentis cerneret aliquis, fortassis intelligeret sævitiam verborum meros esse lusus. Nunc lector vultum scribentis non cernit, animum ex verbis æstimat. Sed hæc alias: nunc epistolæ tuæ seriem persequar. Ais, *Si mihi fuisset integrum, suasurum fuisse te, ut dissimularem, quid Faber in me scripsisset, cum in hac eadem epistola fateare, te, si res pro tuis rostris ageretur, non adempturum mihi dicendi pro me facultatem, sed clepsydras pauciores infusurum*. Hoc consilium quale futurum fuerit, in præsentia non expendo. Illud habeo compertissimum, eruditos quosdam, neque postremi nominis viros, lecta illa *Fabri* insectatione, mihi nonnihil timuisse: qui iidem, prodita nostra *Apologia*, metum omnem posuerunt, meæque innocentiæ sunt gratulati. Quotum autem quenque futurum fuisse censes, qui quæ *Faber* in me scripsit, attentius legeret, qui utriusque sermonem expenderet? cum bona pars satis esse judicasset ad me condemnandum, quod *Faber* in me scripsisset, & ita scripsisset, ut ego nihil responderem. Atque hic uteris argumentis, quod tua pace dictum sit, parum verecundis. Primum, cum ais me eo evasisse opinionis, ut ne ex alienis posthac elogiis pendere deæam: deinde, quod addis, *Fabrum* suis scriptis patrocinantem me attigisse, cum in eo loco nihil illi mecum esset negotii: Ad hæc, quod meam *Apologiam*, & brevem pro causæ modo, & quod constat, plusquam extemporariam, longam ac meditatam defensionem vocas: Postremo, quod assumis, nihil futurum fuisse periculi apud eruditos, etiamsi *Fabro* nihil, aut si neglectim respondissem. Ego famam nunquam sum aucupatus, nec ad hunc scopum mea studia destinavi, quod tu, mi *Budæe*, nimis frequenter impingis. Nec eo progressus sum opinionis, ut mihi tutum sit obticescere, si quis impingat quæ impegit *Faber*: nec acriter aut ferociter illi respondeo, sed amice candideque. Nihil enim me movet, quod rem per se atrocem verbis elevas, quovis modo crimen adspergenti, & secus quid, ut fit, de scriptis tuis senserit quodam loco, & si quisquam scriptor secus de te senserit. Istæ præclaræ μειώσεις, cum res exstet, non multo sunt verecundiores, quam si quis consolans eum, cui elephantus sit abactus, dicat esse dejecti animi, ob tantilli animalculi jacturam commoveri. Aut si cui perisset ingens *Smaragdus*, neget esse virilis animi, ob lapilli unius damnum animo discruciari. Verum, ut hactenus omnia joco tribuamus, rursum in te constantiam desidero. Cum in posterioribus literis me victorem pronuncies, hic meam defensionem errorem vocas, & caussificationes. Mox in *Græcis*, quæ sequuntur, factus aliquanto mitior, sic tribuis eloquentiam, ut fatearis mihi deesse rationem, ac modum utendi, perinde quasi furioso tradas ensem. Deinde, totum *Hieronymum* à me exigis, perinde quasi ego meum erratum, illius exemplo defenderim. Imo nego me ad illius exemplum atrocius respondisse, cum gravius essem quam ille provocatus. Ut nihil jam ad rem pertineat quod declamas, *Hieronymum* & *Augustinum* homines fuisse: nam illud planissime per lusum admiscuisse videris: quod ais addubitare te, an ob id *Hieronymus* actus ad *Christi* tribunal vapulaverit, quod in *Russinum* scripserit: cum somnium illud, ut ipse testatur, adolescens somniarit, in *Russinum* non nisi senex scripserit, atque adeo ne ad *Augustinum* quidem. Multa prætereo sciens, quæ tu animi causa fingis: quod genus illud, *Me te longa versaviisse epistola, quasi ab adversario meo stoteris, prodita amicitia, aut scriptorum meorum indicaturam, epistolarum licentia elevaris*. Hæc quisquis leget, protinus requiret expostulatricem illam epistolam meam, cum in his, quæ exstant, adhuc ne verbo quidem hujusce rei meminerim. Ac mox εἰρωνδίων naso suspendis, quod obiter adjecerim, orthodoxos omnes veteres ac recentes in eadem esse causa, in qua me *Faber* collocat: nam ipse ἀδιάφορος eram, quod ad eam rem attinet. Ut non egeant illi meo patrocinio, certe videbor excusatius eam opinionem tutatus fuisse adversus *Fabrum*, in qua tot egregios viros habeam ὁμοψήφους. Ad hæc, quantumvis magni sint illi, tamen nemini vitio datur, summos etiam viros à calumnia defendere: cum sint, qui *Christo* adversus impias calumnias suis libris patrocinentur. Nec mihi satis est solatii, cum quamlibet eximiis viris habere causam communem, si illis ob antiquitatem ignoscitur, mihi scribitur dica. Huic simillimum est, quod in tua sequitur epistola. Scripseram, si *Fabri* insectationem insectatione retaliassem, obtexere poteram jus, nusquam gentium non decantatum, *vim vi repellere licet*: cum me negem eo jure usum, & tamen tu perinde mecum agis, ac si dixissem *usum*. Contumeliis lacessitus, argumentis respondeo: an hoc est vim vi repellere? Negas hoc legis caput, summum illum judicem in suas tabulas aut edictum transtulisse: & tamen omnes Theologorum centuriæ legem hanc agnoscunt, non agnituri, nisi fallor, si cum *Christi* pugnaret interdicto. Modum inculpatæ tutelæ qui potes in me desiderare, qui conviciis odiosis lacessitus, nullum regero convicium. Nisi convicii instar esse judi-

Digitized by Google

An. 1517. dicas, cum depulsi criminis invidia, sua sponte recidit in calumniæ auctorem. Quid enim faciam, si tibi paulo longior ac liberior videtur *Apologia*? Ad animi mei modum rem temperavi, cum tui gnomonem non haberem. Nec est quod hunc errorem in amicos instigatores rejicias. Præter unum me nullus mihi fuit in consilio. Pene fuit excusa, priusquam quisquam sciret excudendam. Hoc magis acceleravi, ne me negotium ut necessarium, sic inamœnum, diu teneret. Res ipsa, quid esset agendum, suasit. Atque ut doleo me provocatum, à quo minime volebam: ita in tantum non pœnitet *Apologia*, ut si quis hodie sic provocet, & provocet immerentem, cras sim similem *Apologiam* adornaturus, moderatiorem an immoderatiorem, incertum. Non mihi placet lenitas in hoc uno convicii genere: & tamen in illa, quamlibet longa mea *Apologia*, minus reperies stomachi, quam in hac tua familiari ac jocosa festivaque epistola, qua cum amico ludis animi causa. Jam illud profecto perquam falsè dictum est abs te. Quis enim miretur, te illi in eo non placere, in quo tu tibi displices: perinde quasi qui insons, furti aut sacrilegii reus agitur apud *Areopagitas*, ideo damnet defensionem suam, quod displiceat necessitas, quæ ad dicendam causam adegit. Multo aliter *Fabro* quam mihi displiceo. Sic mihi displiceo, quemadmodum sibi displicet ictus à scorpio, cum antidotum admovet. Proinde dictum hoc non tantundem habet salis, quantum prima fronte præ se fert. Pergis & addis te lacessitum à me, qui calumnier te dejeciſse mea scripta, meamque *Copiam* extenuasse. Os impudens, extant quæ scripsisti de meis libellis, ea in tantum non offendunt animum meum, ut excusem & commode interpreter, & tibi sycophanta sum, ac æquitatem in me desideras, qui te apud amicos in invidiam vocem: quos tu omnes ferarum ritu frementes facis, quod unus aut alter non satis probarit nostram *Copiam* abs te suggillatam. Memini sane, quid de nostris lucubrationibus ad *Tonstallum* scripseris: verum, quoniam tibi joco dicuntur omnia, non alibi probabilius est, te joco ludere, quam illic ubi nostra tam valde probas. Sed hactenus jocatus, reliqua te serio velle loqui profiteris. Repetis quod in epistola mea non cessem te postulare suspecti, cum nihil usquam sit hujusmodi. At quod hic serio dicis, paulo ante per lusum dixeras. Addis, etiamsi uterque nostrum arbitrium ad te deferat, te non libenter susceperturum. At quo interim evanuit pacificator ille, quem ego obversis cornibus deterrebam? Sub hæc hortaris, ut ad pristinam amicitiam redeamus. Istuc persuade *Fabro* si potes, quem huc tot jam epistolis ultro provoco, nihil veritus quorundam cavilla, qui me jactitant id metu feciſse, non animo Christiano. Pollicitus sum, me mutaturum locos omnes, in quibus ab illo dissenseram: si quæ notaram, vel mutaret, vel defenderet. Promisi, me pro virili aboliturum *Apologiam* meam, modo ille tolleret suam insectationem. Postremo, consului atque etiam obtestatus sum, ut aliquo scripto testaretur, inter nos animorum esse consensum, & eriperetur ansa digladiandi de nobis, qui partim illi, partim mihi favent, aut male volunt. Nunquam dignatus est, vel per alium quempiam respondere, nec tamen adhuc desino *Fabro* esse amicus. Et post hæc me violentum ac ferocem facis. Optas ut hoc famæ vulnusculum aliqua cicatrice obducatur. Atqui quid aliud efficit ista tua epistola, tot verbis deplorans utriusque vicem, ac rem miris Tragœdiis exaggerans, nisi ut cicatricem utcunque cœptam obduci, refricet? Ad hæc, hortaris me tuo exemplo, ne posthac utcunque lacessitus, in certamen descendam, quali quicquam habeant simile tuum ac meum negotium. Fortassis in tuis commentariis, cavillatus est aliquis, te locum aliquem secus quam ipsi videatur enarrasse. Quod ut maxime evincat, τὸ ἡτιημθένλα non alia manet pœna, quam ut illic vel parum attentus fuisse videaris, vel aliquid existimetur fugisse te, quod non venerit in mentem, aut etiam non legeris. Hic multo alia pugnæ conditio, si modo hæc pugna dici debet: in qua capitaliter impetitus, nihil aliud quam me defendo. Et tamen tu quoque tibi in causa dispari reliquam vis esse unam exceptionem, si tibi silentium tuum vitio verti videas, aut luculentæ fraudi futurum. At cur hac me non vis uti? Nam quod tu negas obfuturum famæ meæ, si obticuisſem, nec tibi ipsi satis, ut opinor, persuasisti, quamvis mihi persuadere conaris. Atque utinam mihi tales adessent amici, undique cordati, oculatique, qui certo præscriberent, quando & quatenus esset adversario respondendum. Hoc genus amicos fortassis hæc nostra barbaries non habet, sed mecum lippiunt omnes. Nec tibi concedam, *Budæe*, ut tu virulentam concertationem validius oderis atque exsecreris quam ego. Nec puto me ideo affinem esse huic crimini, si compulsus & sic provocatus *Fabro* respondi. Porro, quod interim me collocas in gloriæ fastigio, quod *Erasmi* nomen facis opinioſissimum, aliaque id genus, plane jocari te puto, quantumvis seria professum. Siquidem & alias inducis mihi τὸν λεοντῆν, ac prorsus ἱερουργίαν quempiam pietatis ac literarum antistitem facis, qui jam immortalitati consecratus, extra famæ aleam sit positus. Atqui hunc reverendum Theologum, tu non aliter quam matercula infantem objurgas: imo non secus atque sævus præceptor, nunc ferula, nunc flagello terres, castigasque. Certe laudis hoc quicquid est, quod mihi tecum vis esse commune, cum ais, qui servitutem molestam gravemque ambitioni servivimus, non agnosco, moneoque, ut meam portionem in alium quemvis transferas. Nihil me infelicius, si tantum vigiliarum ambitioni datum est. Hic multa rursus parum pudenter assumis, me recriminatione certasse cum *Fabro*, cur boni viri sit, innocentiam suam suapte vi, non alienæ injuriæ propulsatione commendabilem videri velle. Mihi bonus vir non est, qui famam negligit, præsertim sic impetitam, idque editis libris. Ac ne singula persequar, cum multa joco dixeris, multa serio, multa simpliciter, multa disputans, multa pronuncians, huc omnium summa redit, ut mihi hactenus per vos impune sit pro tuenda causa mea decertasse, sed periculum denuncians, si verbum addidero: de causa, quæ inter nos agitur, non pronuncias, sed ampliandam censes. Unum hoc desideras in me, defensionem breviorem, ac moderatiorem aliquanto. Primum, quoniam, ut ante dixi, non poteram dictionis temperiem ex omnium animis moderari, ex meo moderatus sum, præsertim cum dolerem, non indignarer. Quod si ad calculum voces, quanto plures clepsydræ soleant olim infundi reo quam actori, simulque meam *Apologiam* ad *Fabri* insectationem conferas, intelliges ne hic quidem admodum me πλεονεκτῆσαι, maxime si cogites & criminis genus, & quanto facilius sit adspergere labem, quam abstergere. Proinde in causis quibusdam præter solennem numerum clepsydræ aliquot addi solent patronis. Porro, arcem istam δίδυμον tibi gratulor, unde prolici in campum non possis. Sed tamen interim ex arce talibus jaculis procu αἰνιγματολίζεις, ex quibus non difficile sit conjecturam facere, qualis futurus sis, si vel decima parte machinarum, quibus ego sum impetitus, quatereris. Neque enim sentis omnes meos arietes, quibus hinc atque illinc impetor. Sed tu felicior, qui hæc non intelligas. Et utinam nunquam tibi veniat usus, ut cum hujusmodi non hominum, sed portentorum genere confligeris, qui se Theologos appellant, cum meri sint sycophantæ. Non insector ordinem, sed quosdam hoc indignos ordine, simul & nomine. Vel nuper quidam extitit homuncio pallidus ac macilentus, id quod mireris, cum nullus unquam æque sibi placuerit, pluſquam pueriliter insaniens jejunio gloriæ, subito *Græcus* factus, & ante biduum adeo factus *Hebræus*, ut illi nihil sapiat, nec *Hieronymus*, nec *Capnion*. Is ad hujusmodi sycophantias natus, nihil non audet, nihil non molitur, quo subito fiat nobilis: atque hanc viam

An. 1517. maxime compendiariam esse judicat. Indignus est, cui respondeatur, nisi pro maleficio velis beneficium reponere, & tamen virulentior est beltiola, quam ut ferri possit. Nusquam non obtrectat, obambulans per compita, per trivia, per fora, per templa, per monasteria. Nulli non mittit epistolas mendacissimis sycophantiis differtas. Neque desunt huic histrioni qui applaudant, qui faveant, qui &γε occinant, & omnino similes reperiunt labra lacturas. Et cum his factis, sibi sanctulus etiam videtur, quasi sufficiat ad absolutam sanctimoniæ laudem, adulterum aut aleatorem non esse. Nondum statui, quid de illo facturus sim. Si vicerit meam lenitatem, faxo, ut non omnibus æque placeat, ac placet sibi. Nihil aliud in præsentia polliceor, cum ille plus quam montes aureos de se polliceatur: efficiamque, ut ex me plus nanciscatur famæ, quam gloriæ. Verum, ut ad tuam redeam epistolam, ais, *totius causæ arbitrium adhuc in tua esse potestate:* imo nunquam arbitrium hoc ad te detuli. Illud modo delatum est ad te, ut si velles, pronunciares, num peccarim, quod *Fabro* responderim, aut quod sic responderim. Idque ut certius faceres, postulabam, ut per ocium utriusque scripta percurreres. Atqui hic palam contra me fers sententiam: primum, qui responderim, cum præstiterit obmutescere: deinde, quod accuratius ac prolixius: postremo, quod animosius responderim. Nam utrum legi debeat, ab angelis an à Deo, nec mea refert pronunciari, & aliorum est negotium. Porro, non competere in me, quæ *Faber* in me congerit, vel citra judicis calculum res ipsa loquitur. Nec est quod clamitet quisquam, illum oppressum eloquentiæ meæ viribus, quibus ego nec polleo, nec me jacto. Ipse fuit in causa, qui argumentum mecum conferendi manus, parum auspicato delegerit. *Justinianus* Episcopus nos invisit *Lovanii:* visus est homo candidus, minimeque virulentus, proinde dolet, quod illius nomen in *Apologia* perstrinxerim. Insigni nota designaram eam paginam, semelque denunciaram typographo, ne qua omnino excuderetur, nisi à me recognita: atque hæc sola me inscio fuit excusa. Ubi sensi, coegi ut eandem, à me temperatam, denuo excuderet: nam hac gratia notaram. Quod hactenus neque Regi, neque Episcopo quicquam scripserim, ipse in causa fuisti, qui literis tuis spem ex sententia conficiendi negotii mihi amputaris, etiamsi me res ea levissime tangebat. Nihil certi deferebat Episcopus. Regis nomine qui scripserant, ad spem modo vocabant. Hic recens in famulitium Principis adscitus, mox opulento sacerdotio donatus sum: destinatum erat annuum salarium, cujus nondum certum jus possidebam. Vobis cum *Anglis* id temporis parum conveniebat, & novandi denuo Novi Testamenti cura me totum habebat. An cum hoc loco res essent meæ, mihi consulturus eras, ut ingratus erga meos, de *Britannica* fortuna periclitans, omisso negotio, cujus gratia negligebam omnia, in *Galliam* accurrissem, venaturus spem, nescio quam, hoc est, τὸ πτερώμενον διώκων, præsertim cum me præsentis fortunæ non admodum pœniteret. Denique scis, quo tempore mihi redditæ sint tuæ postremis proximæ literæ. Quid autem necesse est, sic me huic aut alteri Principi addicere, ut à reliquis me eximam? Malo servire nulli, & prodesse, si queam, omnibus. Sed hac de re scripsimus Episcopo, quemadmodum jussisti. *Glareanum* tibi probari magnopere gaudeo: quem hominem ego sic amo, ut quicquid in illum officii contuleris, lubens patiar imputari mihi. Jam ut ad postremam epistolam tuam carptim pauca respondeam: Ut tu immodice, *Budæe*, aut attollis, aut dejicis omnia? Scripseram me vereri, ne amici aut posteri aliorsum acciperent jocos tuos, quam tu scriberes, quos non ignorarem, qualescunque forent, à sinceriss imo pectore proficisci. Hinc excitas magnos tumultus, te adversis Gratiis mecum auspicatum amicitiam, nunc tibi videri rusticum, absurdum, præposterum, stolidum, refractarium, & offensatorem, colA lusorem, ac spinosis jocis, aculeatis, ominosis, vitandum & aversandum, ut bovem cornibus obvolutis. Nihil enim hujus sermonis meum illud epistolium tibi suppeditavit. Neque veto te respondere epistolæ quam vides editam: tu modo vide, quid sit ex utriusque dignitate. Neque enim illa mea, tam tibi scripta est, quam aliis, quos placatos oportuit. Nec ideo tot argumentis tecum ago, ut ad respondendum lacesserem, sed ne responderes: nam nostram cum *Fabro* concertationem aboleri silentio cupiebam, si qua fieri posset. Postremo, ne quid hinc erres, scito eam epistolam aliquamdiu fuisse formulis excusam, prius quam tua mihi redderetur. Nec me tamen auctore id factum. Verum, cum subito periculum esset, ne omnia *Frobenii* præla cessarent, propterea quod chartarius ad diem præstitutum non adesset, passus sum, nec id admodum volens, ut *Beatus Rhenanus* è sarcina mea, si quid inesset, deligeret. Nam mihi tum nequaquam vacabat. Et quoniam per tumultum acta res est, nec is in delectu satis animo suo fecit. Et tamen ex epistola tua, cui respondeo, bonam partem resecui, in qua videbantur esse, quæ non judicarem evulganda. Rursum, quod epistolam tuam prolixam dixeram, sic interpretaris, supervacaneâ & redundanti loquacitate odiosam. Item, quod eloquentiæ laudem tibi concedens, testor me in hoc argumento, causa superiorem esse posse: sic interpretaris, quasi præter inanem verborum apparatum nihil tibi tribuam: & post hæc me male suspicacem, non uno in loco vocas. Atqui possum illud vere de meipso prædicare, paucos reperies, qui in amicitia minus quam ego suspicaces sint. Porro, quod negas quicquam esse in tuis literis, quod non in gloriam meam cessurum sit, cum incertum sit ubique, ludas ne an serio agas, citius ea per jocum dicta videbuntur, quæ ad laudem meam faciunt, quam quibus me flagellas. Etiamne illa mihi laudi futura sunt, quod me procacem facis in talem amicum, quod nunc præ iracundiæ impotentia præmordentem labellum, nunc supplodentem pede, nunc Deûm atque hominum fidem implorantem; atque ita tumultuantem ira, ut tu coactus sis ceu novus *Pythagoras* spondæos occinere, ac me mihi restituere? Quæ mihi sane cum risu leguntur, quod satis intelligam te jocatum. Illud modo vereor, ne non itidem interpretentur cæteri. Quod si tu me jubes hunc metum ponere, & eadem est amicorum tuorum sententia, age, lude tuo arbitratu, exerce calamum, lacesse, versa. Meum animum nunquam offendes, quando de tuo certus mihi videor. Si videtur, ad proximam editionem adjungetur tua epistola: me nihil offendit locus quem annotas, adeo mihi tua probantur omnia. Neque vereor, quicquid usquam abs te scriptum est, sine ullo delectu sequi. Proinde tibi videndum, cum ad me scripseris, ut utriusque periculo consulas. Sed est alius locus in prima pagella, ad quem nonnihil restiti: nam versus unus aut alter, nescio quo casu, videbatur interjectus, qui cum reliquo sermonis contextu parum congruebat: cujus initium est, *Faber toties à me*, &c. finis, *Doleo ansam hanc datam*, & reliqua. Tu dispice. Salutabis mihi tuos amicos, meos patronos, *Deloinum* & *Ruzeum*: nam in præsentia non vacabat pluribus scribere. Bene vale. *Lovanio* 22. Decembris, Anno 1517.

An. 1517.

Quo sim inte animo, vel *Glareanus* testis esse poterit, homo minime fucatus. Quod si quid offendit hæc epistola, puta me jam perpurgasse stomachum, id quod tu jusseras. Denique lectam, in ignem conjice, si lubet: conjiciam & meam αὐτόχειρον, sed ita notatam, ut nec à meipso legi queat. Quovis modo ulciscere, modo ne amicus esse desinas, neve obticescas: quanquam de *Fabro* plus satis, quæretur aliud argumentum plausibilius. Rursum vale.

EPI-

Digitized by Google

## EPISTOLA CCLXXXVI.

*Def. Eraſmus Roterod. Præſuli Baſileenſi, Chriſtophoro*, S. D.

An. 1517. REVERENDE Præſul, eloqui, ut dignum eſt, vix queam, quantopere veterem iſtum tuum in me animum, quem olim abunde expertus *Baſilea*, nunc rurſus tuis ex literis agnoſco, venerer atque exoſculer. Ac jampridem circumſpicio, ſi quod idoneum argumentum nanciſci queam, quo ſimul & tuam erga me beneficentiam, & meam viciſſim in te grati animi propenſionem teſtatam efficiam, etiam poſteritati, ſi quid meæ poſſint literæ. Imo quo melius dicam, ut poſteritas in te boni Præſulis imaginem accipiat, in me ſeduli clientis exemplum. Sed hactenus unus in tot curas diſtractus, hinc ſtudiis meis, hinc aulæ negotiis, vel nugis potius, hinc Theologorum quorundam odiis, meminiſſe magis poteram officii mei, quam præſtare. Nunc cum Theologis pax eſt altiſſima, niſi quod reclamant adhuc perſonati pauculi, ſed procul, & in abſentem duntaxat oblatrantes, præſertim ubi calices reddiderint eos diſertos. Ab aula me prorſus avulſi. *Lovanii* ſedeo, cum cœlo ſatis convenit. Spero dabitur commoditas animo meo ſatisfaciendi, nec tamen *Baſileam* excuſſi animo, ſed eſt cur hic expediat menſes aliquot deſidere. Id quid rei ſit, partim indicavi *Ludovico Bero*. Neque vero me iſtuc perinde invitarit cœli veſtri amœnitas, atque animus iſte tuæ celſitudinis, tam in nos propenſus. Pro officiis & humanitate, qua *Beatum Rhenanum*, raræ probitatis virum, proſequeris, non minorem habeo gratiam, quam ſi in meipſum collocaſſes. De novis rebus ex aliorum literis cognoſces. Bene vale, ſuſpiciende Pater. *Lovanio*, An. 1517.

## EPISTOLA CCLXXXVII.

*Eraſmus Roterodamus Leonardo Pricardo, Canonico Aquenſi*, S. D.

ERUDITISSIME *Pricarde*, ut eleganter ſcripſit *Ariſtophanes*, ἀλλ' οὐκ ἔνεστι συκοφάντῃ δήγματος. Adverſus aſpidum virus reperta ſunt incantamenta, adverſus viperarum & canis rabioſi morſum remedia monſtrarunt medici: adverſus calumniatorum morſus nullum eſt remedium. Audio Theologum quendam iſthic vetus ulcus refricuiſſe, imo ex obducta cicatrice grave vulnus feciſſe. Ait per me factum, ut tui Canonici rideantur in ſcholis ob epiſtolam quandam ad *Beatum Rhenanum*. Primum, quod ad animum attinet, nihil unquam minus venit in mentem, quam ut talibus viris, quibus ego plurimum debeo, ullam ſcriptis meis notam inurerem, imo nihil recuſaturus ſum, ſi quo officio poſſim illis vel ornamento eſſe, vel uſui. Quid enim me fuerit in orbe terrarum inhumanius, ſi pro ſumma humanitate reponere voluiſſem ignominiam? Hoc de meo animo cum primis teſtatum eſſe volo. Jam quid eſt obſecro in ipſa re, quod illorum minuat dignitatem? An quod in multam noctem productum eſt convivium? Nimirum ſero cœperamus accumbere, & hoc ipſum humanitatis erat, quod mea cauſa vocatis aliquot reddidere convivium prolixius. Nec enim fuit illic ulla compotatio, neque quiſquam omnium non minus potus erat quam ego. Porro, quod Decanus me reluctantem eo pertraxit, quid aliud incuſo, quam illius inſignem humanitatem. Sic & duo Diſcipuli compulerunt *Jeſum* ut apud ſe diverſaretur. Quid autem probri inpingitur vicepræpoſito, ſi quum tempeſtas arceret piſcatores à piſcando, nihil erat in convivio præter anguillas & piſcem vento duratum? Quaſi *Roma* non idem accidat aliquando ſummis Cardinalibus. Et tamen hoc piſce durato, natura delector. Porro, quod admixta fuerint quædam fragmenta non ſatis percocta, illud ſuſpicabar eſſe, quod affluxerint plures convivæ quam exſpectabat. Certe vicepræpoſitus ille



viſus eſt juvenis ſingulari præditus humanitate, planeque ſobrius. Denique, vix unquam incidi in ſodalitium, An. 1517. quod mihi magis arriſiſſet ſi valuiſſem. Quid autem ſcommatis eſſe videtur in mentione periodi? Quaſi non is mos ſit apud pleroſque Canonicos, multis nominibus laudandus, ut conviviis in orbem actis invicem agitent ſodalitia, vel ob vitandam profanorum conſuetudinem, ne familiaritas pariat contemptum; vel ob temperandum ſumptum, qui minor eſt ubi plures conveniunt. Et interim diſcitur aliquid in conviviis, tractatur aliquid negotii, nonnunquam corriguntur & errata quædam. Unde & *Plato* Philoſophorum ſeveriſſimus probat hujuſmodi compotatiunculas, nec improbat etiam invitatiunculas, ex more *Græcorum* ad largius bibendum, modo ne prætereatur πάντων μέτρον ἄριστον. Quare te rogo, mi *Leonarde*, ut quod ille ſycophanta, male narrando depravavit, tu bene interpretando corrigas, ac meo nomine promittas dominis meis quicquid ab homine memori & grato debet exſpectari. Quod ſi diffidunt dictis meis, faciant in re periculum. Nihil refugiam, etiamſi res ſit magni laboris. Saluta mihi *Vlattenum* ac cæteros omnes. *Lovanio*, Anno 1517.

## EPISTOLA CCLXXXVIII.

*Eraſmus Rot. Petro Ægidio* S. D.

DE his, quæ nobis attulit *Jacobus*, omnia recte habent: nec diffido quicquam de *Nicolao*, ſed mirabar tibi pecuniam non eſſe redditam. Doleo te angi mœrore: at ego non ob aliud repetebam mea, niſi ut tibi ſollicitudinem adimerem. De ſigillo nihil accuſo, tantum exſtimula hominem per famulum tuum. Utinam ſciſſem *Pacaum* iſthic adeſſe, nam id ex illius intelligo literis, protinus advolaſſem. Epiſtola ad *Dorpium* me non valde cepit: quanquam eam nondum perlegi. Quæſo quod officium mihi offerunt *Franciſcus* & *Crullus*, ut pro me ſcribant Archiepiſcopo? aut quid diffidunt, cum pecunia ſit manſura in manibus tuis, te fidejuſſore? Neque tibi eſt ullum periculum, niſi ut eandem pecuniam reddas, ſi quid accideret. O feſtivos nugones, & bellos amicos futuros, ſi incideret neceſſitas! Olfecit *Crullus Cantuarienſem* non eſſe Cancellarium, alioqui vel donaret opinor. Si gravantur, ſine illos: ſin facient, facient ſine ullo ſuo periculo rem gratam, ſed opus eſt feſtinatione. Medicum, mi *Petre*, negligе, & fabulam nobiſcum age. Extremæ literæ magis ac magis ſcurram olent, verum hæc bene erunt. Tu tantum cura, ut ſuaviter vivas, teque rebus melioribus ſerves, nos ſatis valemus. Mitto *Paraphraſim* unam emendatam. Uxorculæ bene precor, cæteriſque tuis omnibus. *Lovanio*, Anno 1517.

## EPISTOLA CCLXXXIX.

*Eraſmus Roterodamus Zaſio ſuo* S. D.

SCRIPSI per *Philippum* noſtrum, perque eundem *Enchiridii* codicem dono miſi, nec dubito quin utrunque acceperis. Nos laboribus propemodum obruimur, & gemina difficultate, nempe *Hieronymi* & Novi Teſtamenti, ſic diſtringimur, ut exiſtimem *Herculi* minus fuiſſe negotii cum excetra & cancro. Non potuimus tamen committere, quin incomparabilem amicum *Zaſium* vel ſalutaremus. Per hos labores non licet ullo frui amico, cum tam multos habeat *Germania*. Sed dabit Deus his quoque finem. Tu ſi cum tuis recte vales, fac nos tuis literis certiores, quo magis gaudeamus. Bene vale, doctiſſime *Zaſi*, *Philippo* ſalutem ex me dicito. Reſalutat te *Beatus*, cumque eo totus hic eruditorum chorus. Anno 1517.

## EPISTOLA CCXC.

*Def. Eraſmus Rot. Paludano ſuo* S. D.

MITTO epitaphium, ne uſquam non obſequar *Paludano*: ſi diſplicebit, quod ſcio fore, cogita ſcri-

Digitized by Google

An. 1517. scriptum à Theologo, cui generi scis quam iniquæ sint Musæ. Bene vale. Anno 1517.

## EPITAPHIVM

*Carmine Jambico Trimetro*

## D. JACOBI DE CROY,

Ducis & Episcopi Cameracensis.

VTRIVSQVE *gentis* Croicæ & Calaingicæ
*Decus perenne*, Jacobus *hoc situs loco*,
*Præsul ne fuerit melior, an Dux clarior,*
*Tibi*, Camerace, *nemo facile dixerit.*
*Evecta ad astra Virgini matri sacer,*
*Cui fuerat usque pectore addictus pio,*
*Evexit hunc è rebus humanis dies.*

## EPISTOLA CCXCI.

*Erasmus Rot. Thomæ Moro* S. D.

CALENDIS Maji ventis invalescentibus, jamque etiam adversis, medio noctis scaphula nautica, non sine periculo in rupes quasdam ejecti sumus, in *Galliam* haud procul à *Bolonia*. Mox venti asperrimi, quos reliquo itinere littus vicinum nobis exasperavit. Ii multos apud nos Cynanche & Pleuritide occiderunt & occidunt. *Petrus Ægidius* & ego pingimur in eadem tabula, eam tibi dono brevi mittemus. Verum, incidit incommode, quod reversus *Petrum* offenderim, nescio quo morbo laborantem graviter, nec citra periculum, unde nec adhuc satis revaluit. Nos belle valebamus, sed nescio quomodo medico venit in mentem, ut purgandæ bili juberet me pilulas aliquot sumere, & quod ille stulte suasit, ego stultius feci: jam pingi cœperam, verum à pharmaco sumpto cum ad pictorem redirem, negavit eundem esse vultum: dilata est igitur pictura in dies aliquot, donec fiam paulo alacrior. *Epigrammata* tua & *Utopiam* misi *Basileam* per proprium ministrum, quem in hoc aliquot menses hic alueram, una cum meis aliquot lucubrationibus. *Tonstallus* bellissime valet, imo triumphat. Tantum hic nactus est veterum nomismatum. Perlegit *Copiam* meam, ac mire probat. *Panegyricum*, quo *Philippum* laudavi, unice admiratur: *Budæi Assem* totum excussit, & ad eum scripsit. Verum, ille nondum quicquam respondit. Cardinalis *Gurcensis* hinc ante dies aliquot abiit, Cæsare, ut audio, non admodum æquo. Card. *Sedunensis* heri discessit, apud quem eo die prandium egi: qui cum mihi longa fuit disputatio de Novo Testamento, tum de bello: is palam debacchatur in *Gallos*, & ut *Helvetium* decet, ingenue. Ajebat, *Germanos* eo tendere, ut omnes Reges subsint Imperatori. Cæsar *Moguntiam* adit, nam illic, ut ferunt, concilium futurum Procerum *Germaniæ*. *Carolus* noster *Gandavi* concilium agitat, quo Cæsar non accessit. Ajunt abire nondum satis placatum. Dii boni, quis unquam iratus fuit hoc felicius? Pax coitura fuerat etiam cum *Ghelriis*, & quidem conditionibus Cæsari quoque æquissimis. Verum, id ille impedivit, ne nullum usquam esset nobis bellum. *Philippus* Episcopus *Ultratrajectinus* urbem suam ingressus est, & auspiciis felicissimis, & insigni pompa: Dux *Ghelriæ* dicitur octo millibus hominum contractis *Frisiam* adoriri. *Tonstallus* gaudet sibi tandem peractam fabulam illam motoriam. Is si redit ad vos, hæc frustra scripsimus. Sin manet, certum est, ubiubi futurus est, tempus hoc cum illo transigere. Alioqui consilium erat *Lovanii* æstivare, Theologis etiam id magnopere flagitantibus. Solus *N.* murmurat adhuc nescio quid, gloriæ causa, ut ne parum vir constans videatur. Cave fraudes me ista tua epistola, quam inabsolutam mihi ostendisti. Si epistola *Justiniani* Oratoris *Veneti* apud te est, (nam mihi periit) fac huc redeat: sin minus, roga humanissimum *Nicolaum* secretarium illius, ut exemplar rursus huc mittat, una cum ea, qua ipse *Marco Musuro* gratulatus est. Scribam fusius intra mensem, cum mittam tabellam. De equo nihil adhuc audio, atqui nunc fuisset usui. Bene vale cum suavissima conjuge, liberisque dulcissimis. *Petrus Ægidius* una cum *Corneliola* sua te tuamque plurimum salvere jubet. Anno 1517. An. 1517.

## EPISTOLA CCXCII.

*Erasmus Roterodamus Gerardo Noviomago* S.D.

EGO, doctissime *Gerarde*, cum præclarum semper existimarim, & in primis optandum summatibus placuisse viris, tamen nulli probari malim, quam *Philippo* Præsuli, cum meo, tum omnibus modis primario. Scripsit ad nos ante menses complures Archiepiscopus *Moguntinensis* literas multo humanissimas, atque adeo ipsius articulis. Scripsit nuper Episcopus *Leodiensis*, minitans se huc advolaturum, si graver ad se venire. Sed ut hæc mihi voluptati sunt, ita rursus mihi displiceo, pennasque demitto, quoties succurrit, nihil esse in me, quod tantorum heroum exspectationi respondeat. Sed heus tu, rem oppido novam ex tuis literis accipio. Nesciebam te tam virgineo pudore præditum, ut ad me non ausis scribere. Sæpenumero vidi te rubentem, verum ruboris causam non quivi conjicere. Quod si vera prædicas, mea sententia, nec aula dignus es, neç cuculla. Quare si rem facere cogitas, fac quam primum frontem perfrices, & inutilem pudorem abstergas. In opere Novi Testamenti jam eo progressus sum, ut licet adhuc jacter alto, tamen portus procul sese ostentet, velut ad quietem invitans. Mitto libellum *Paraphraseos*, si forte nondum accepisti, eum amicis eruditis imperties: & si commodum videtur, etiam ipsi Principi, cum primis autem optimo *Philippo Montio*, aulæ, ut scribis, procuratori: quem equidem non possum non vehementer redamare, suo studio me provocantem. Ei fac multam salutem meis verbis annuncies. *Navius* ac *Borsalus* te resalutant. Bene, vale *Noviomage* candidissime. *Lovanio*, Anno 1517.

## EPISTOLA CCXCIII.

*Erasmus Rot. Cuthberto Tonstallo, serenissimi Anglorum Regis apud Catholicum Regem Oratori*, S.D.

PLVRIMVM tibi debet nostra *Zelandia*, quam tua illa tam graphica ἐκφυνήσει nobilitasti. Sed tamen hoc illi debes, quod te vel semivivum remiserit. Famulitium tuum afflictum doleo. Tu vero etiam atque etiam cura, ut incolumis tuæ reddaris *Angliæ*, ne cæteris rebus ex animi sententia gestis, hoc parum ex sententia cedat, quod omnium maxime referebat. Quæ scribis de nostra ad *Fabrum* Apologia, quanquam scio animo abs te scribi amicissimo, mihi tamen bis molesta fuerunt, vel quod veterem animi dolorem refricant, vel quod tu hac occasione minus aliquanto quam vellem, videris tribuere *Fabro*, viro, quo vix in multis millibus reperias vel integriorem, vel humaniorem. Hac una in re sui dissimilis fuit, quod amicum immerentem tam atrociter impetiit. Quis autem omnibus horis sapuit unquam? Atque utinam mihi licuisset adversario parcere. Nunc duobus crucior nominibus, & quod cum tali amico coactus sim manus conferere, & quod intelligam quosdam de *Fabro* minus candide sentire, de quo cupiam omnes quam optime sentire. Porro, quod nobis tantum tribuis, quantum domi non conspicio, tum amanter, tum tuo more facis, sed non hic tantum largus ac munificus. Theologos *Lovanienses* candidos & humanos experior, atque in his præcipue *Joannem Atensem*, hujus Academiæ Cancellarium, virum incomparabili doctrina, raraque præditum humanitate. Non est hic minus eruditionis theologicæ quam *Parisiis*, sed minus sophistices, minusque supercilii. Bene vale. *Lovanio*, Anno 1517.

Epi-

Digitized by Google

## EPISTOLA CCXCIV.

*Erasmus Rot. eruditissimo M. Petro Viterio suo* S. D.

An. 517. BENE cecidit, optime *Viteri*, quod mea, qualis qualis fuit, expostulatio, tam amicam, tamque copiosam epistolam abs te extudit. Veterem illum tuum in nos animum non sine voluptate agnosco. Incolumem esse te lætor. Tot molestis occupationibus distrahi te, dolerem, ni tales essent, ut hujusmodi vel immori cupiat animus vere *Christianus*. Gratulor autem virtuti tuæ, quæ tot laboribus sufficiat: quod corpusculi viribus deest, pectoris ardore suppeditante. Proximas literas tuas scito mihi non esse redditas. Si curaris ut sciam, qua de re commendari velis *Stephano Poncherio* Episcopo *Parisiensi*, promptissime quod voles faciam. Eximium virum *Balæum*, Decanum *Turonensem*, meis verbis resalutabis diligenter. Vir malus sim, ni amem hominem, literis ac virtuti cum primis faventem: ingratus etiam, ni redamem, ultro provocantem ad amicitiam. Bene vale, *Viteri* suavissime. An. 1517.

## EPISTOLA CCXCV.

*Erasmus Rot. Henrico Asinio Lyrensi* S. D.

GRATULARI libet huic nostro seculo, *Henrice* charissime, quo mire literarum optima studia passim efflorescunt. Id quod potissimum Principum humanitati pietatique debemus, penes quos precium & honos egregiis ingeniis esse cœpit: maxime posteaquam ceu divinitus immutatis animis, ad pacem orbis æternis vinculis firmandam, omnia sua consilia conferre instituerunt. Nam quemadmodum hyeme marcent, jacentque omnia, regnatque Boreas, nive, glacie, grandine sæviens: rursum solis accessu veris amœnitatem referente reviviscunt ac revirescunt universa, & ad pristinum cultum revocatur hominum antea torpentium industria, dum hic arvum proscindit, ille vitem putat, alius inserit, alius stercorat: ita belli temporibus intermoriuntur neglecta studia, quæ Principum favore liberalitateque solent revirescere. Posteaquam enim *Leo* Pontifex, multis quidem ille, sed hoc præcipue nomine maximus, publica voce *Christianos* omnes ad mutuam concordiam invitat, atque id totis viribus agit non titulo tantum *Christianissimus Galliarum* Rex *Franciscus*, optimi pastoris optimum consilium gnaviter exsequens, & eodem incumbunt, Rex Catholicus *Carolus*, Cæsarque *Maximilianus*, respirant omnes bonæ disciplinæ, quæ ut flores Zephyri, ita pacis alumnæ semper esse consueverunt. Accinguntur ad intermissas operas felicia ingenia. Hic rem Theologicam restituit, ille rem medicam, alius situ perituros auctores luci reddit, alius mendis obsitos repurgat, alius aliud molitur. Quid multis? dum passim opere omnia fervent, veluti sarcientium quod bello convulsum erat, eniteſcit omnis illa sophia, quam tuus *Galenus* ἐπιςήμην τ τε θείων καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων definit, & suo quoque seculo neglectam spretamque fuisse queritur. Cæterum, quod tu pristinis Astrologiæ ac Medicinæ studiis, nuper *Græcanica* literaturæ studium adjungere cœpisti, quum ad omne genus eruditionis, tum præcipue ad medicinæ scientiam conducibilis, judicium animumque tuum summopere probo: quod id mature cœperis, virenti adhuc ætate, felicitati gratulor. Idem aggressi sunt eximii hujus ætatis medici *Guilhelmus Copus*, *Ambrosius Leo Nolanus*, *Nicolaus Leonicenus* jam ætate grandiores, nec infeliciter tamen: nam *Thomæ Linacro*, & *Ruellio* maturius ista discere contigit. Porro *Marcus Musurus* gente etiam *Græcus* est, eruditione *Græcissimus*. Haud alia in arte erratur periculosius. Quo fit, ut cordatissimi quique medicorum hanc studii partem adjungant, brevique futurum arbitror, ut impudens habeatur, absque hac medicum profiteri. Certe nonnihil est principem hujus artis *Hippocratem*, & huic proximum *Galenum*, *Paulum Æginetam*, *Dioscoridem*, audire suapte lingua sonantes. Sed quemadmodum civilitatis est, non protinus suffragiorum jus adimere, velutique de ponte dejicere eos, quibus non contigit *Græce* discere: ita par est, ut ii sese libenter admoneri patiantur. Bene vale. *Antuerpiæ*, An. 1517. An. 1517.

## EPISTOLA CCXCVI.

*Erasmus Rot. Andreæ Hochstrato* S.

DELEXI nonnihil ab itinere meo, ut & te veterem amicum meum viderem, & urbis tam celebris conspectu fruerer, verum, utrunque frustra malo quodam meo fato. Nam & tu aberas, & urbs ita placuit, ut à nulla unquam discesserim lubentius. Bene vale. *Leodio*, Anno 1517.

## EPISTOLA CCXCVII.

*Erardo, Episcopo ac Principi Leodiensi, Erasmus Roterodamus* S. D.

AMPLISSIME Præsul, & idem Princeps illustrissime, ut paucis, citraque procœmium, ad humanissimas celsitudinis tuæ literas respondeam, quod me fama jam olim notissimum, coram etiam videre concupiscis, istiusmodi præconiis onerat *Erasmum* dea illa apud *Homerum Ossa*, apud *Maronem Fama*, non in me tantum vana, & in immensum attollens omnia, ut nec deprecari liceat, quod illa tot linguis tribuit, nec tueri queam quod imponit. Scio nihil esse pulchrius, quam principibus placuisse viris; sed interim dum ipse domi me meo metior pede, quam gratum est animo eos viros bene de me sentire, quibus ut probari pulcherrimum est, ita displicere turpissimum, tam molestum est, nihil esse quod illorum vel amicæ de nobis opinioni, vel magnificæ exspectationi respondeat. Ut jam non aliam gratiam famæ buccinatrici debeam, quam indoctus Citharœdus ei, à quo in theatrum frequentissimum producatur aurea palla, aurea insignis cithara, mox ut canere cœperit, exsibilandus. Nihil in me visendum. Et tamen si quid est, id lucubrationibus meis expressum est. Illic optima nostri pars est. Quod superest, teruncio non emas. Attamen tam amanter invitatus, cupidissime advolassem ad tuam celsitudinem. Sed primum deterret cœlum plusquam hybernum, deinde valetudo cum per se imbecilla, tum immodicis, in quibus nunc versor, laboribus, sic afflicta, ut eam vix domi abditus tuear. Tanta enim contentione desudo in Novo Testamento iterum innovando, ut ipse his inveteraverim, dumque illud à senio situque vindico, ipse mihi geminum senium ac situm contraxerim. Certum est enim aut immori negotio semel suscepto, aut tale reddere, ut & *Leone* decimo dignum videatur, & posteritate. Jam vero eo progressi sumus, ut licet mediis adhuc in fluctibus luctemur, tamen procul portus paulatim sese aperiat: in quem, si *Christi* adspiraverint auræ, ante Quadragesimamappellemus. Tum & cœlo mitiore, & animo magis vacuo accurram ad amplitudinem tuam, vel hirundines ac ciconias prævertens. Quod si ne hoc quidem moræ indulget tua celsitudo, contemptis ac posthabitis omnibus, advolabimus. Sed hisce de rebus aliquanto copiosius scripsimus optimo *Paschasio*, cui multis nominibus feliciſſimo, hoc tamen præcipue gratulor, quod gratus est Principi, non minus benigno quam potenti, quem nobis quam diutissime tueatur Deus Opt. Max. & incolumem, & modis omnibus florentem. *Lovanio* 7. Januarii, Anno 1518. An. 1518.

## EPISTOLA CCXCVIII.

*Philippo à Burgundia, Episcopo Ecclesiæ Trajectensis, Erasmus Roterodamus* S. D.

PRAESUL amplissime, & idem Princeps clarissime, celsitudinis tuæ literas non semel sum exosculatus, perbreves quidem illas, si quis versus numeret, sed easdem egregie prolixas, si humanitatem æstimet. Ve-



Digitized by Google

An. 1518. rum, ut occupatissimus cum occupatissimo paucis agam, *Pacis Querimoniam* primum tanti Principis calculo, deinde doctissimorum hominum suffragiis comprobari, magnopere gaudeo. Nos ita coccycis vitam agimus, ut interim in pistrino verius, quam in nido versemur. Multum antiquitatis, multumque senii mihi contraxi, dum Novum Testamentum iterum atque iterum novitati restituo. Dumque sic latito, maxime versor in theatro mundi. Sed quorundam spectatorum perversissima malignitas facit, ut me tam immensi laboris nonnunquam capiat tædium. Rursum me consolatur recti conscientia, &, ni fallor, non mediocris hinc ad bonos reditura utilitas. Sive huc natus sum, non oportet θεομαχεῖν, gigantum exemplo; sive ipse hoc mihi intrivi mortarium, par est ut idem exedam. Posteaquam in hoc proscenium prodii, peragenda est fabula, ad cujus Catastrophen jam pene perventum est. Peragam autem & libentius, & accuratius, te hortatore atque etiam applausore, super omnia vero approbante, sicuti spero, *Christo*, cui vel uni placuisse, abunde satis est. Video mirum eruditionis ac pietatis proventum in hisce regionibus, si contigerint aliquot tui similes *Mecænates*, qui ceu signo erecto, ad operas evocent ingenia, qui præmiis exstimulent, auctoritate ornent. Quod si plures tui similes sperare nimium est, illud certe optandum, ut te superi nobis quam diutissime velint incolumem, tibique istum animum semper in melius augeant, atque animo isti quam plurimos annos addant. Pro paterno quodam animi tui in me studio video quantum debeam. Cæterum, mihi jam pene serum est, cum hera *Fortuna* conserere manus, & in eam arenam descendere, à qua juvenis etiam abhorrui. Ingens onus est ampla fortuna, quam non minus negotii sit sustinere, quam parare. Hæc ætas, hæc valetudo, hic animus paratum aliquod ac facile præsidium postulat, quod literarium ocium non adimat. Sed longius provehor in epistola quam par est. Bene valeat tua reverenda sublimitas, cui me meaque studia dedico omnia. *Lovanio* 10. Januarii, Anno 1518.

## Epistola CCXCIX.

*Erasmus Rot. Guilhelmo Nesenο* S. D.

Ote terque quaterque felicem, optime *Nesene*, cui contigerit sub *Cypriano Taleo*, viro non literis solum ac morum integritate, verum etiam rara prudentia, miroque rerum usu insigni, merere Musis: cui cum *Græcitas* etiam accesserit, non video quid hominis dotibus possit adjungi. Nam in omnibus honestis disciplinis ille jam olim sic est absolutus, citra professionis supercilium, ut non videam, quem cum eo conferre queam: proinde etiam atque etiam vide, ne ipse tuæ desis felicitati, fac nunc *Germanum* agas, vince, spolia, nuda *Galliam* bonis literis: ita futurum est, ut nec illam relinquas pauperiorem, & tu pulcherrimis mercibus locuples in patriam redeas. Hic, hic nos fortes & invictos præstemus, neque committamus, ut *Germani Gallis* ingenio cessisse videamur. Majorem in modum te rogo, adeas meo nomine *Petrum Viterium*, is agit in Collegio *Navarræ*, ut sciam quid valeat, quid rerum agat: nam jamdiu scribit nihil. Tum fac sciam, quid agat *Thomas Greius*, mutus & ipse. De *Fabri Apologia*, quam quidam ajunt eum adornare, nihil sane formido: tantum molestum est bonas horas in talibus nugis collocare, cum melioribus rebus vix sufficiam: tum video literarum hostes hoc studio moliri, ut nos committant, arte plane tyrannica: siquidem tyrannis nihil formidabilius bonorum concordia. Quid velit ipse viderit, pro vetere nostra consuetudine doleo, quod me provocans non optime consuluerit famæ suæ. Quod si cujus instinctu denuo provocabit odiosius, fortassis non quibo imperare animo meo similem moderationem. Quid cum hujusmodi rixis, iis qui Gratiis ac Musis sacra faciunt? A imo qui *Christi* mystas profitentur? Quanto satius est, An. certare mutuis officiis? Sed nemo pugnat acrius, quam 1518. qui nolens & invitus ad pugnam pertrahitur. Utinam mihi semper in vagina conditum pereat rubigine ferrum, aut si stringendum est, ne cogar in amicum exerere. Pene rursus absolvi Novum Testamentum, in quo quoties quam honorifice *Fabri* facio mentionem: nisi prorsus contumelia est illi dissentire, cum ille dissentiat etiam ab omnibus. Tu fac hominem ames ac suspicias, nec pilo tibi fit ingratior ob hanc inter nos conflictatiunculam. Bene vale, amice singularis. *Joannes Smithus* meus jubet te salvere, scripturus, sed non licuit nec per negotia, quibus nullis distringitur, nec per ocium, quo abundat. *Lovanio* ex *Lilio** 18. Januarii, Anno 1518.

## Epistola CCC.

*Erasmus Roterod. Petro Ægidio* S. D.

Te filia auctum gaudeo, tum compatrem *Tonstallum* tibi gratulor, quo viro nihil habet hæc ætas nec eruditius, nec melius, nec humanius. Age, ad istum tenorem vices gignendi fac serves, ut æqualis sit numerus filiorum ac filiarum. Mihi jam non videor vivere, adempto *Tonstallo*, nec video tamen quo fugiam. *Montjoius* abest longius. *Lovanium*, tametsi cum Theologis utcunque reditum est in gratiam, durius tamen nos acciperet Quadragesima. Hic sedere diutius, omnino non est animus: si citra tuum incommodum cedere potes cubiculum unum, quod habet latrinam, fortassis istuc immigrabo, paraturus quæ mittam *Basileam*: quod supra solitam rationem impenderis, mihi volo imputari: ita nec te magnopere gravabo, nec tu me. Fac igitur ut sciam quamprimum, sed cave ne quid moveas domi tuæ, donec abs te factus certior, te vicissim reddidero certiorem. De pecunia nihil adhuc audio, & tamen mea nonnihil refert, ne ea diutius sit in manibus fœneratorum. Uxorculæ tuæ suavissimæ fausta omnia precor. Fabulæ rerum nostrarum prolixiores sunt, quam ut literis committi possint. Nuper apud Cancellarium prandens, honorificam tui feci mentionem, & accepit satis pronis auribus. Patri optimo, jam bis patri, multam ex me salutem dicito. Bene vale. *Bruxellis* 20. Januarii, Anno 1518.

## Epistola CCCI.

Guilielmus Latimerus Des. Erasmo *S. D.*

Reddita e *sunt mihi litera tuæ, doctissime* Erasme, *quas decimo primo Calendas Decembris ad me dederas: in quibus magnam mihi habes gratiam, quod operam meam, ut scribis, promisissem, εἰς διόρθωσιν τῆς νέας Διαθήκης, cum ego id nusquam profecto, quod sciam, fecerim: non quod non libenter id feciſſem, si eam tibi usui fore arbitratus essem, sed quod post tantam tuam doctrinam, tantamque diligentiam, quantam ex præfatione tua in eo opere adhibuisse te intelligo: neque mutaturum me quicquam, nisi in deterius; neque additurum, nisi ociose videbam. Cæterum*, Morus *noster, opinor, tibi imposuit, quo ego hanc gratiam vel falso abs te inirem. Nam egit ille mecum hac ipsa de re diligenter, cum proxime* Londini *apud eum essem, & simul etiam de Episcopo Roffensi, de quo tu quoque aliquot ante menses ad me scripseras: sed eas ego literas primo forte eo die legi, quo* Morum *conveni: ex quibus ille nactus occasionem, egit de utraque re mecum accurate. Verum, cum ego utrunque illi pernegassem, quod Episcopo nihil in tantillo tempore (mensem enim petebat) me profuturum sciebam, in altero plane intelligebam me frustra laboraturum: de Episcopo quidem mihi rem integram reliquit: de te vero cæpit magis magisque instare, ut si quo modo possem, te juvarem, tibique in retractando hoc Novo Testamento meam qualemcunque operam commendarem. Tribuendum enim hoc affirmabat, vel singula-*

* Id est nomen Collegii, in quo tum temporis versabatur Erasmus. Vide Epist. CCLXXXIV. circa finem.

Digitized by Google

An. 1518. gulari tua humanitati, vel consuetudini ac familiaritati nostræ: tribuendum tuo in me amori ac benevolentiæ: tribuendum etiam publicæ omnium, quorum asserebat te agere negotium, utilitati: pluresque alias causas allegabat, quas ut veras ac magnas fateor esse, ita si quid efficere potuissem, mihi certe parum necessarias. Neque enim voluntas mihi deest, Erasme, neque deerit unquam, vel ornandi te, si detur occasio, vel juvandi, si qua in re tibi usui esse possim. Sed cum octo aut novem annos in aliis studiis ita sim versatus, ut vix ullam interim paginam Græcam vel Latinam attigerim, quod vel me tacente hæ literæ tibi facile declarabunt, quid debui, aut etiam quid potui vel Moro roganti, vel tibi postulanti promittere, quando etiam vehementer pudet, χρὴ γὰρ οἶμαι ταληθὲς εἰπεῖν, vel ad te scribere, hominem, ut nihil aliud dicam, disertissimum. Et nisi ex literis tuis intellexissem te majus aliquid à me exspectare, quam aut promittere debui, aut potui præstare, has ipsas literas ad te non dedissem. Neque aliis tuis literis propterea quicquam hactenus respondi, quod me tam alienum à toto hoc genere officii intelligerem: quæ res etsi antehac sine negligentia vel ingratitudinis suspicione non fuerit, jam certe vera fatenti erit ignoscenda. Quid, quod huic studiorum intermissioni, quæ non alia major, meo judicio, literarum pernicies, accedit etiam aliud, & nescio an huic rei, quam à me petis, majus incommodum: quod omnes fere, qui in sacris Literis aliquid scriptum reliquerunt, longe aliis verbis & aliis figuris, quam veteres illi Græci, usi sunt: tantumque ab illa antiquorum lingua, cui ego olim operam dedi, distant, ut parum sit quod apud eos intelligam: nihil plane quod ausim polliceri, cum nec locutionis figuræ, ex quibus interdum solis sensus dependet, nec verborum proprietates sint mihi satis notæ. Quanquam si essent hæc omnia mihi notissima, nec aliquid surripuisset ista studiorum meorum intermissio, quid mihi tu tandem, aut quid cuiquam hominum reliquisti, qui ad summam istam doctrinam & eloquentiam, in qua jam omnium confessione & judicio excellis, tantam præterea curam & diligentiam addideris, ut non studioso solum, ac diligenti lectori, sed scrupuloso etiam, atque adeo curioso, abunde satisfeceris. Nam ut varias hujus Novi Testamenti antiquorum editiones omittam, quarum aliqua adhuc vestigia apud Scriptores exstant, ut taceam etiam diversam, & interdum contrariam lectionem, de qua judicare difficile sit, propter eorum, qui eam nobis reliquerunt, auctoritatem & eximiam doctrinam, ut recentiorum item quorundam præteream Annotationes, quæ omnia scrutatum esse te & examinasse, atque etiam excussisse non dubito, quis, quaso, majorem exoptet diligentiam, quam te in ista recognitione Novi Testamenti adhibuisse ostendis? Ante omnia ad probatissimorum Auctorum citationem, emendationem, enarrationem: in his paucis verbis quantus labor, quanta cura, quanta demum sollicitudo? Transeo tot præclara nomina, Origenis, Chrysostomi, Cyrilli, Hieronymi, Ambrosii, Hilarii, quos pauci Theologorum nostra ætate legunt, nemo intelligit: deinde ad Græcam veritatem, hoc est, omissis rivulis, ad fontem recurrere, & in quibus etiam oportuit locis, Hebraicam: sive id solus, sive (ut ais) cum Theseo tuo feceris. Nec his contentus, addis vetustissimorum codicum sinceram & incorruptam fidem, sine qua frustra fortassis sudaveris. Qua tamen in re nescio certe quid magis admirer, diligentiam ne in inquirendo tuam, an in inveniendo felicitatem. Tanta est istorum librorum, Græcorum maxime, in hoc nostro orbe paucitas. Quamobrem post istam tuam tam raram & exquisitam diligentiam, qualem nemo, credo, alius tali operi adhibuisset, non est profecto quod debeas à me quicquam exspectare, in tanta præsertim istius linguæ ignorantia, & omnium pene bonarum literarum oblivione. Perlegam tamen hæc tua studiose ac diligenter: sed perlegam non jam tua causa, sed mea, ut ex eis aliquid discam: quanquam & tua quoque, Erasme, legam libenter. Et si quid occurrerit, quod mihi non probatur, quod aut parum certe, aut potius nihil futurum augurer, non gravabor tibi per literas significare: id quod Moro quoque nostro, ni fallor, recepi me facturum, ne eum putes asperius tibi objurgandum, quod te fefellit. Quod autem toties ad me de Episcopo Roffensi scribis, singularem sane erga eum amorem ac benevolentiam ostendis, & simul promovendi literas Græcas mirum desiderium, qui eas tam insigni, & in omni genere doctrinæ excellenti Pontifici labores reddere familiares: in cujus patrocinio non modo à maledicis & detractoribus tuta, sed grata etiam ac gratiosa universa fere Britanniæ futura sint. Quis enim ausit oppugnare, defendente Episcopo? aut quis noluerit amplecti, si eas intellexerit tanto Præsuli placuisse? Quo loco desiderari à te ac Moro nostro video officium meum, qui me nonnihil fortassis adjumenti huic rei præstare & posse, & etiam debere, pro mea in patriam pietate censetis. Qua in re primum illud spero, atque etiam abs te peto, Erasme, ne me tam difficilem atque incivilem putes, neve tantum ab omni humanitate alienum, ut vobis amicissimis meis rogantibus, pigeret unius libelli enarrationem suscipere, aut mensis unius subire laborem; quibus me longe plus debere intelligo, quam ut possim vel pluribus mensibus persolvere: deinde, neque tam imprudentem, ut nolim apud tantum virum beneficium collocasse, & Episcopum præterquam singulari doctrina, & vitæ sanctitate, etiam auctoritate ac gratia florentem, tam parvo labore demereri, hominem, ut tu scribis, & multi prædicant, & ego etiam facile credo, gratissimum: postremo, neque tam negligentem, ut velim tam bona deesse occasioni, cum possim in hoc uno viro & bonas literas multum juvare, & patriæ etiam minimo labore magnum ornamentum afferre. Sed aliud est, Erasme, quod me revocat, atque ab honestissimo vestro proposito dehortatur, quod sciam me tam paucis diebus neque vestræ, neque Episcopi satisfacturum exspectationi: nam res est multiplex & varia, (ut scis) & nonnihil etiam impedita: & licet laboriosa magis quam difficilis, tamen quæ tempore egeat, saltem quo memoriæ commendetur. Nec me existimes velim, ex mea tarditate aliorum ingenia metiri. Credo enim, id quod à multis audivi, singulare esse Episcopo ingenium, & majoribus, quam de quibus nunc agitur, rebus aptum. Tu de voluntate ejus scribis, & quanto istarum literarum ardeat desiderio: unde futuram quoque diligentiam clare perspicio: ex quibus mihi videor tantum posse sperare prospectum, quantum ab homine excellenti ingenio, summa diligentia, incredibili desiderio quisquam sperare possit. Verum, is quantus sit futurus in tam exiguo spacio, non facile dixerim, tu magnum sperare videris, & ego quoque pro tempore magnum, sed in summa parvum futurum puto. Nam & Grocinum memini, virum, ut scis, multifaria doctrina, magno quoque & exercitato ingenio, his ipsis literis duos continuos annos, etiam post prima illa rudimenta, solidam operam dedisse: idque sub summis doctoribus, Demetrio Chalcondilo, & Angelo Politiano: Linacrum item acri ingenio virum, totidem, aut etiam plures, annos sub iisdem præceptoribus impendisse: nam de meipso nihil dicam, quem post sextum aut septimum annum nihil pudet multa ignorare. Tonstallum etiam & Pacæum prætereo, quos diutius fortassis quam eorum ingenia exigebant, præceptoris detinuit vel ignorantia, vel negligentia. Morum ipse nosti quam acutus sit, quam vehementi ingenio, quantis etiam si cœperit, viribus incumbat: in summa, quam sit tui similis. Nolo jam propius accedere, nam de teipso, & excellenti tuo ingenio, te admonere cum supervacuum fuerit, tum assentationi fortassis proximum: sed tamen neuter, opinor, vestrum est, qui se tam cito hæc salebrosa dicet percurrisse, ut post unum aut alterum mensem potuerit quo vellet sine duce progredi, præsertim cum tot flexus, tot diverticula ubique occurrant, ut possint vel expertos ducere in errorem. Quapropter si vis ut procedat Episcopus, & ad aliquam in his literis frugem perveniat, fac peritum aliquem harum rerum ex Italia accersat, qui & manere tantisper cum eo velit, donec se tam firmum ac validum senserit, ut non repere solum, sed & erigere sese, ac stare, atque etiam ingredi

An. 1518. *gredi possit. Nam hoc pacto melius, mea sententia, futura ejus eloquentiæ consules, quam si balbutientem adhuc & pene vagientem, veluti in cunis relinquas. Vale.*

*Habes, mi* Erasme, *epistolam bene longam, qua præteriti temporis silentium nimia loquacitate compensavi: sed tamen hoc ipsum tibi ipse imputabis, qui toties ad me de his rebus scripseris, ut necesse haberem pluribus verbis respondere. Iterum vale.* Oxonio 30. *Januarii, Anno* 1518.

## EPISTOLA CCCII.

*Des. Erasmus Roter. Henrico Glareano* S. D.

GEMINAE tuæ literæ conduplicatam mihi voluptatem attulere, mi *Glareane*, in paucis chare. Patris mortem æquum est æquo ferre animo, præsertim tam longævi. Fortunam istam tibi gratulor, sed ut perpetua sit precor. Solent enim ista Principum donaria πρόσκαιρα εἶναι. Quod fugam adornas, doleo. Vereor enim ne dum illa persequeris, id quod est in manibus elabatur. Fortasse præstiterat, rem testamentariam fratri committere. Certe fac ut sciam, quando velis proficisci, forsan ibimus una. *Fabro* te charum esse gaudeo, viro mea sententia docto, integro, & humano, nisi quod in me fuit sui dissimilis. Id aliorum instinctu factum scio. Verum, non erat ejusmodi viri, cujusquam impulsu, sic debacchari in famam hominis ex animo amantis. Id quod ipse potuisti ex perpetuo meo de illo sermone cognoscere. Meæ famæ non multum nocuit, suæ male consuluit, id quod mihi sane plusquam credas molestum est. Molitur, ut audio, *Apologiam*, ad quam nec adhortor, quod doleam belluis istis ansam dari, qui cum ipsi ob infantiam non ausint in arenam descendere, nos inter nos committunt, arte videlicet tyrannica: nec rursus dehortor, ne videar meæ causæ diffidere. Unum illud admonebis hominem, pro tua familiaritate, abstineat à talibus facetiis, alioqui sentiet me non esse edentulum, & fortasse sero pœnitebit. Placuit libellus *De tribus Magdalenis*. Nolim tamen eam rem in tantam angustiam deduci, ut quisquis dicat, *Christum post triduum resurrexisse*, loquatur contra Ecclesiam, contra articulos fidei, contra omnem veritatem. Nam in has *Symplegadas* ille rem coarctat. Primum, probatio, qua docet μετὰ valere *inter*, non admodum est munita, μετὰ χεῖρας, id est, *in manibus*; ubi μετὰ positum est pro κατά. Et μεθ' ἡμέραν pro καθ' ἡμέραν alterius generis est quam μετὰ τρεῖς ἡμέρας, præsertim cum illud μετὰ ἡμέρας ἕξ, μεθ' ἡμέρας ὀκτὼ, & hujusmodi orationes frequentes sint in Novo Testamento. Postremo synecdoche, quam hinc arcere non licet, hanc quoque difficultatem extricat: *Surrexit post tres dies*, hoc est, *post tertium diem inceptum*. Si contradicit articulis fidei, quisquis hoc dicit, & tot annis nemine contradicente legit Ecclesia, consultius existimarim rem minus agere tragice, præsertim cum synecdoche sit in promptu. Quod si ille primam noctem per allegoriam aut catachresin explicat, cur veretur hic ab omnibus receptam synecdochen adhibere? Hæc, mi *Glareane*, amico in illum animo scribo, quicquid ille de me sentit. Si tibi non sit incommodum, admonebis hominem blande super hisce rebus; simulque rogabis, ut si mihi respondet, mittat quam primum exemplar meo sumptu descriptum, quo vel agnoscam lapsum meum, vel tuear. Semel enim sic ictus ab illo, non debeo magnopere fidere. Et si ille potest instigari ab improbis, improborum plena sunt omnia; sin minus, nolim illum tibi vel pilo minus amicum mea causa. Demiror *Budæum* jamdiu nihil scribere. Vale, animæ dimidium meæ. *Lovanio* 1. Februarii, Anno 1518.

## EPISTOLA CCCIII.

Joannes Eckius Des. Erasmo Roterod. *S. D.*

EA *prædicaris humanitate*, Erasme *doctissime, ea proditus morum clementia, & genuina felicitate, ut & ab ineruditis literas etiam barbaras, summa animi alacritate suscipias: ita enim amici tui non vulgares,* Volphangus Fabritius, Joannes Fabri, Beatus Rhenanus, Sapidus, *& alii, pleno ore de te affirmant: quibus ita animatus, meis incultis literis te adire & alloqui decrevi. Neque tamen mihi animus est, omnem epistolam in laudibus tuis, ut facere solent, absumere, non quod non sis laude dignissimus, sed quod præstabilius judicem apud absentes, te pro meritis laudari, & posteritati literis commendari, ut in editis Opusculis cum magna honoris præfatione, non semel feci, quam coram & in faciem pluribus extolli, quod assentationis speciem habet: quamvis & aliorum præconiis non indigeas, qui ex promptuario ingenii tui, mira fertilitate, politissima paris opera, sæpius etiam quam cuniculi, quæ apud omnem posteritatem nunquam sint intermoritura. Quare abunde tua tibi eruditione immortalitatem paras. Ne autem frustra tibi tanto, inquam, viro scripsisse videar, aliqua de literis tuis literatissimis afferamus, quod pro ingenii tui candore & dexteritate, eo animo benigno scilicet & pio suscipias, ut ex tibi benevolentissimo proficiscatur. Non enim te latet, mi* Erasme, *quam bene de te sentiat omnis* Germania, *(obticeo summum Pontificem,* Italiam, Galliam, *&* Angliam) *quibus laudibus tua efferat studia, ingenii tui excipiat fœturas, præclara exosculetur Opera, ut omnes ferme docti prorsus sint* Erasmiani, *Cucullatis paucis demtis, & Theologastris. At nosti Momos, quomodo detrahendi bonis viris studio, gloriolæ fimulum, velut templi* Ephesini *incensor, conquirere conantur: ipse ad unguem nosti, quomodo doctissimis viris mastigia non pepercerint: quare & tu tuos habes* Zoilos, *qui te carpere, te notare cupiunt. At ego amicissimo ut præstabat animo aliqua tibi aperiam, non profecto reprehendendi studio, sed ut ansam te defensandi acciperes, & si quæ planiori indigerent explanatione, omnigena tua eruditione, ac dicendi copia uberrima, dilucida, aperta, ac mitiora faceres. Nam & sic* Erasmici *tui melius adversus Theologastros te defensabunt, & tu ipse magnum tibi adjeceris gloriæ & decoris ornamentum. Primo autem omnium, ut hinc exordiar, plures molestè ferunt, te in Annotationibus* Matthæi *capite secundo sic scripsisse:* Sive quod ipsi Euangelistæ testimonia hujusmodi non è libris deprompserint: sed memoriæ fidentes, ita ut fit, lapsi sint. *Istis enim verbis innuere videris, Euangelistas more humano scripsisse: & quod memoria confisi hæc scripserint, quod libros videre neglexerint, quod ita, hoc est, ob eam causam lapsi sunt. Audi, mi* Erasme, *arbitrarisne Christianum patienter laturum, Euangelistas in Euangeliis lapsos? si hic vacillat sacra Scriptura auctoritas, quæ pars alia sine suspicione erroris erit? ut pulcherrimo argumento* A. Augustinus *colligit. Porro,* memoriæ fidentes, *dicis,* quasi prius lecta, & sinu memoriæ recondita conscripserint: quibus præceptum fuit, ut ne cogitarent quidem, quid ante Reges & præsides loquerentur, sed à Spiritu sancto omnem docerentur veritatem. Et, Testimonia hujusmodi, *dicis,* non è libris deprompserint, quasi more nostro ex variis libris & auctoribus, ut est nunc condendorum librorum modus, volumen congesserint. *Absit hoc à Spiritus sancti &* Jesu *salvatoris nostri Discipulis, à fidei nostræ columnis, non humana sapientia institutis, suspicari. Assumpsit illiteratos & analphabeticos, sed doctissimos reddidit. Tuum erit, ornatissime* Erasme, *in hisce sanam aperire sententiam. Parce precor tam bono animo, tamque faventi, te cum humilitate & omni modestia monenti. Ad aliud adscendamus. Acta Apostolorum elucidaturus cap. decimo, adnotasti hæc verba,* Tum etiam cum Græce scribunt Apostoli, multum referunt ex proprietate linguæ suæ. *Et infra,*

Nam

Digitized by Google

An. 1518. Nam Apostoli Græcitatem suam non è Demosthenis Orationibus, sed è vulgi colloquio didicerunt. *Hoc minus sobrie à te homine Christiano fore scriptum plerique opinantur, cum venia tua, mi* Erasme, *homo sum apertus, nihil blandior. Quis enim Christianus ignorat, vel ignorare potest, si vellet, Apostolos dono Spiritus sancti, varia linguarum genera novisse? Accepta enim in die* Pentecostes *Spiritus sancti gratia, colloquebantur Apostoli variis linguis magnalia Dei. Quare non à Græcis, sed à Spiritu sancto Græcitatem didicerunt, ut eis* Græci, Romani, Ægyptii, Parthi, *& alii, Actuum secundo, testimonium dedere. Donum enim linguarum inter alia quoque à divo* Paulo *connumeratur. Ejusdem farina est quod cap. tertio* Matthæi *in Annotationibus tuis legitur,* Proinde miror Euangelistas abusos hoc verbo, quod magis videbatur fugiendum: *loqueris de verbo* Διεγερθέντων. *At hic Euangelistarum præceptorem te facere videris, & quid scribendo fugere debuissent, aperire: ac si non satis propitium & doctum habuissent afflatorem Spiritum sanctum, cujus negligentiam te post tot secula supplere oporteret. Pauca adfero, doctissime* Erasme, *non ut oppugnem, sed ut commonefaciam. Postremo, pluribus præteritis, nam si hæc tibi placuisse agnovero, sedulum præstabo monitorem, hoc ex meo addam, qui* Augustini *doctrinam eminentissimam in primis post sacrum Canonem, ac Ecclesiæ sancta decreta, suspicio & veneror: idcirco displicet mihi judicium tuum, quod de* Augustino *super* Joanne *affers:* Impudentissimum *asseris,* alterum alteri comparari: *at ego* Francisci Philelphi *judicium plus laudo, qui ita de iis statuit, quod* Aurel. Augustinus acutior, & peritior, & subtilior fuerit in omni Philosophia, huic *Hieronymus* plurimum præstiterit dicendi elegantia potius quam doctrina: *laudens epistolam, ait:* Quod si ex his duobus unus effici potuisset, nihil absolutius natura edidisset: *& quod* Philelphus *de Philosophia, hoc eruditi omnes in Theologia de* Augustino *statuunt.* Unusquisque bene judicat, quæ bene novit, *ait Stagirita. Nihil autem est quod tibi deesse* Erasmici *omnes conquerantur, nisi quod* Aurel. Augustinum *non legeris. Noli ergo,* Erasme, *tantum Ecclesiæ lumen, quo post primas Ecclesiæ columnas nullum fuit illustrius, tuo judicio obtenebrare: agnosce potius doctissimum fuisse* Augustinum, *ejus amplectere scripta, versare in illis non indiligenter, impudentissimum profecto eum judicabis, qui aliquem ex doctoribus eruditione* Augustino *audeat præferre. His pauculis te admonere volui, mi* Erasme, *omnium, qui spirant, eloquentissime, aut potius ansam præbere, quo sinceram piamque in his explicares sententiam: ut hi, qui te singulari favore ob præcellentem eruditionem, veluti parentem colunt, observant, ac venerantur, à virulentis calumniatorum linguis, & vitilitigatoribus, tua defendere & tutari possint, & simul sinistras submovere suspiciones. Quod vero ad me attinet, scio profecto te mihi non solum non iratsci, sed & gratias habiturum, qui* Erasmo *suo (ex cujus* Elucubrationibus *nonnihil profeci, à teneris annis minoribus tuis* Adagiis *institutus) optimo ac benevolenti animo, raptim illa ac obiter depinxi, quæ à calumniatoribus partim opponuntur, partim possent opponi. Neque arbitror pro tua integritatis candore, minus libenter hac te ex* Eckio *auditurum, quam cum in Dialectices commentariis te Latini eloquii solem, & alibi inter politiorum literarum cultores nostri seculi te* Phœnicem *dixerim. Parcere præterea debes impolito ac illevigato stylo: nam ut* Chamæleon *colorem attiguum suscipit, sic ego barbaros versans assiduo Auctores, barbariem contraho, atque his contaminor. Tu vero vale fauste ac feliciter, mi* Erasme, *seculi nostri singulare decus: & cura ut* Eckius *humanitatem tuam experiatur; quod tum fiet, cum literas ab* Erasmo *accipiet. Vale & salve. Ex* Ingoldstat 2. *Februarii, Anno gratiæ* 1518.

## EPISTOLA CCCIV.

Guilielmus Budæus, Regius Secretarius, Erasmo suo *S. D.*

An. 1518. *MIRARIS jam duobus epistoliis tam subitum meum silentium ex tanto missitandarum ultro citroque epistolarum studio, quasi in hac re vices tuæ nullæ desiderari possint. Hic argutari vel nolo, vel non vacat, vel te rursus provocare non audeo. Hoc dico, post illam longissimam tuam epistolam, unam tantum me abs te accepisse mihi videri, eam scilicet, quam ad me scripsisti, cum tu ad Regem scriberes, præterea ferme nullam, quæ quidem epistola nomen obtinere possit. A quo tempore cum tibi binas subinde literas scripserim, unas bona ex parte Græcas, ego pro his duo, aut tria ad summum, à te, non epistolia, sed chartulas, scite quidem complicatas obsignatasque in speciem justarum epistolarum, intus ferme inanes, accepi. Eas si tu accepisti, excusari* Lethææ *oblivionis non potes, qui nunc à me postules scire, quid factum sit* περὶ τῦ Βασιλέως, περὶ τῦ Ἐπισκόπου. *Unam earum epistolarum* Badio *commisi, alteram quibusdam juvenibus, qui epistolam unam à te, vel epistolium mihi attulerant, quos præstolari domi meæ jussi, quoad ex tempore scripsissem: affirmabant enim se curaturos, ut ad te perveniret. In ea scribebam, me destitutum fuisse ab iis, qui τὸ ὄνομά ζε in oculis ferre videbantur, quo nomine ego pene iis inimicitias denunciavi. In iis præcipuus est unus N. ne jam tibi omnes ejus nominis* φιλικῶς ἔχειν *putes. Quanquam nihil altioris fraudis suspicor, quam quod in proposito non perstitit.* Οὕτω γὰρ κεκλῶζας με γεγράφειν περὶ ζε, ὡς προσάξαι δή πε τῦ Βασιλέως, ἕως μὲν τὰ τῦ ὑποκρίσεως τ ζε ἐν προσδοκίᾳ ἦν, πολὺς ἐπέκειτό μοι, ζητῶν, ἢ περὶ τῦ Ἐράσμε; ἢ ἐλπίζειν, ἔφη, ἡμᾶς κελεύεις; ὁ Βασιλεὺς γὰρ ἡ αὐθαιρέτως τῦ Ἐράσμε ἐνίοτε μέμνηται. Ταῦτα μὲν οὖν ἀκούσας ἐγὼ, ἵνα τῳ ὑπὸ ἐπιθυμίαν ἐπιλείπωμι, τὰ ἀμφότερα τῷ περίγραφῃ ἀπεκρινόμην, ἐλπίζον δή πε προχωρήσαν λός ζοι τῦ περίγραφῃ, ἢ τάχα βέλτιον οἴσεσθαι. *Quo nomine male a quibusdam audivi:* ἢ καλὰ πρόσωπόν ἴνες ἐπεξέμησαν ἐμοὶ, φάσκοντες οὔ με σωτεῖναι, εἰ ὑποπτήσεταί ζοι τὸ περίγραμμα, ἢ δὴ ἐν ἀλιμίᾳ με, ἢ τὰς ἄλλας ἐνταῦθα ἐσομένας, *quasi scilicet tu unus* καλοῤῥιζῶσαι ἂν τὰ περὶ τὰς λόγας δυνηθείης. *Cum ego interim securus alacriter etiam* τὸ τῦ Βασιλέως ἔνταλμα *obire me & perferre profiterer,* πεπειθὼς δήθεν τῇ ἀγνωμοσύνῃ σε· ἐπειδὰν ᾖ τὰ γεγράμμαθά ζε Gallica *facta (sic enim Rex mihi imperarat)* τῷ Βασιλεῖ παρεῖχον, *& is mihi post perlectas eas, dixit, nihil ex iis sibi liquere, quid tibi esset animi, & ego respondissem, & cætera. In his omnibus* ὁ Ἐπίσκοπος, ὁ σοὶ ἀληθῶς, ὡς οἶμαι, ἄνας ὢν, *nunquam præsens fuit: hoc enim in quodam pago contigit, ad quem ego de industria me contuleram: postea in comitatu semper fuit, & apud* Calesios & Anglos *in legatione: ex qua his diebus cum rediisset, & hac urbe transisset, ad prandium ivi, ubi præ multitudine triclinium stratum erat,* περὶ ζε verba feci: *habebam literas tuas in sinu meo, quas tamen ei non ostendi. Post prandium venit* Glareanus, *ut eum salutaret, cum ego redirem, & Episcopus jam in cubiculum interius se recepisset, redii ut eum ipsi notum facerem: cui* Glareano, *quod à me petiit, non negavi tui gratia, qui me ita facere jubes. Parum tamen mihi est molestus, nec nisi raro video hominem.* Huttenus *hac transiit, vir omnino festivus & comis, & nobilitatem generositatemque præ se ferens. Eum convivio accepissem, si promittere voluisset, sed apud* Ruzeum *eum primum vidi, cum illuc ad prandium vocatus essem, &* Huttenum *illic esse ignorarem, postridie discesit, rediturus hac ut promisit.* Deloinus *literas jamdiu conscriptas habet, sed meas exspectabat, ut simul scriberemus. Interim ego diu rusticatus sum, & negotiis implicitus scribere ad te hactenus distuli, nunc raptim mane scripsi, cum peregre profecturus essem, & ruri literas tuas accepissem: à prandio enim Episcopi ego discesseram rus, & postridie Episcopus profectus est ad Regem. Quod jubes me scribere* Tonstallo, *deest mihi argumentum, nisi ille ad meam magnam epistolam rescripserit. Dolerem omnino atque etiam*



Digitized by Google

An. 1518. *etiam mœrerem, si quid ei accidisset. Scripsi etiam* Linacro, *sed nondum responsum habui, si tamen responsurus est. Nam ipse ante ad me scripserat, credo pestem ei obstitisse, quo minus ad me scripserit. Novum est omnino & inusitatum, quod de Busleidiano legato vel fideicommisso scribis, sed omnino plaudendum. Fratrem paucis hebdomadis amisi, scriptorum tuorum studiosum, Græce etiam doctum, sacerdotem, archidiaconum* Trecensem, *ob quod peregre iturus illuc sum.* Τὰ τῆς γραμμάτων ἡμῶν ἢ τῶν λόγων ἡ ἀπορδὴ φαύλως νῦν καθέστηκεν, *& prope dixerim* ζημιωδῶς. *Legi locum Commentariorum* Fabri *in Epistolas divi* Pauli, *ut tu me facere voluisti, sed nondum legi Apologiam tuam, nisi vellicatim. Scio quod sit hominum de vobis judicium, sed necesse non habeo meum interponere.* Fabrum *non allocutus sum, ex quo anno superiore ad te de eo scripsi, excusans ejus valetudinem, quod ad te non scriberet: sic enim ille mihi dixerat; vix semel in anno eum video. Nollem hanc controversiam inter vos esse ortam. Episcopus noster dixit mihi, se primum hoc in* Britannia *audivisse. Spero tamen vos hactenus depugnasse pro veritate, ita rem silentio in posterum tectum iri,* ἅτω γὰρ διαφέρει τῆς δόξης σε, ἢν καλλίοις δὴ ἢ πολλοῖς σὺ τοῖς φιλοσοφήμασι περιπεποίησαι. *Mirum quam agre ferant homines tui studiosi, hanc criminandi vestri ansam esse datam iis, qui vestrum istud institutum incommodum sibi esse putant, in queis* Ruzeus *summe dolet. Scio quam sit difficile gestienti stylo moderari, & cætera,* ἀλλ' ὅπως τὸ δίκαιον προκαλέσεται ὅπως δήπου' οὕτω ὀρεγόμενος, τῆς ἀκλείας ἤδη ὀλιγώρως ἔχειν δοκεῖς. *Noli tamen magnopere ob id conturbari, quasi* κακῶς ἀκηκοὼς, *sed admonitum te oportuit ab amico, ne cessasse videar in amici discrimine.* Περὶ δ' ἀνιδίκα σε, *quid censeam à me non exigis ut scribam, neque ejusmodi cum eo mihi familiaritas intercedit, quæ eum cogat, rem arbitrii mei facere, quare libens supersedeo. Tu vel invitus arbitrio stare meo cogeris, si tecum jure summo agere velim ex formula legis amicitiæ. Quare æquum est, ut* τῷ δὲ τῷ ὑποθήκην ἐμῷ δ' ὑγνωμόνως *accipias. Vale.* Parisiis 22. *Februarii, Anno* 1518. *Hanc sylvam epistolarum, censeo, ut lectam supprimas, aut etiam in ignem abjicias. Si ejusmodi rursus epistolas scribere me vis, quæ in publicum exire digna sint, tu me provocato rursus, si forte nugis feriatus esse potes. Vale rursus.*

## EPISTOLA CCCV.

*Erasmus Rot. Guilielmo Budæo* S. D.

DE negotio nostro, quod de nobis apud *Franciscum* Christianissimum *Galliarum* Regem agebatur, optime *Budæe*, & scio, & memini quid scripseris, ne me putes è *Lethæo* bibisse flumine, quemadmodum scribis. Nam ea sane res adeo me non habebat sollicitum, ut cum animadverterem, te pro tua erga nos benevolentia vehementius ἢ φιλοτιμότερον agere, literis admonuerim, ne quid istuc negotii animum tuum torqueret. Si hactenus fortuna me Regum famulatui mancipatum habuisset, si non animus, qui mihi semper ab istiusmodi theatris abhorruit, certe hæc jam ætas ac valetudo missionem ac rudem flagitaret. Quod si cuiquam omnino Principum visum fuisset addicere me, cui potius conveniebat inservire, quam *Carolo* Regi Catholico, vel quod unus omnium hoc ævo maximus, vel quod meus, velim, nolim, vel quod prior & ultro, sat amplis conditionibus invitarit, atque etiam benignitate non vulgari me sibi devinxerit: etiamsi judicabam ingratum juxta ac incivile *Francisci* tanti Principis favorem superbe rejicere, præsertim cum citra rerum mearum periculum ejus usuram gloriæ capere liceret. Et tu jam scripseras, te à suscepto negotio destitisse. Tantum avebam scire, quid tandem esset, τὸ ὕπτιλον, quod tibi ὀν τῷ τὴν ὑπόκλησιν μικρῷ deprehensum significabas. Siquidem jam inde ab initio tetigit animum meum suspicio, rem animo non sincero ab isto geri. Neque enim usque adeo gratiosum est apud me *Guilielmorum* vocabulum, quam suspectum, primum θεολόγε, deinde κηρυκῖδ πρόσωπον, hoc opinor agentis, ut me in nassam illectum irrideret. De Episcopo *Poncherio* gestiebam scire, quid ageret, & num constanter eum in nos animum obtineret, quem hic præ se ferebat: præ se ferebat enim rarum quendam ac mirificum. Non quod ambirem quicquam apud illum, cujus rei vel ipse testis est, sibi conscius, quid detulerit, & quid ego responderim: sed quod pulcherrimum & ambiendum esse ducerem ei placuisse viro, qui optimo cuique maxime placet. Clarissimum Senatorem *Deloinum*, cui te impulsore scripseram, subverebar, ne quid utcunque nostræ offendissent literæ, quod is nihil omnino responderet. Nam scio, intra menses quatuor nihil isthinc allatum esse literarum, præter has postremas, quas *Lutetiæ* datas die brumæ, è *Moguntiæ* misit *Huttenus* noster ad x. Calendas Martias. Porro, quod scribis, quosdam hoc lemmate deterruisse te, ne si successissent, periculum esset, vos omnes ἐν ἀλμῇ fore, non potui, fateor, absque risu legere. Neque enim mihi rogandus es, opinor, vir juxta prudens atque æquus, ne mihi fraudi sit quod alii de me vel errore, vel joco, vel studio magnificentius pronunciant. Vix credas quam mihi molestum sit hominum istiusmodi studium, quod me non mediocri frequenter onerat invidia. Nondum statui, utrum deplorem Episcopi sortem, an pietatem in patriam admirer, qui tot nominibus difficilem legationem obierit: primum in negotio molesto, ad hæc apud *Anglos*, deinde hyeme, postremo cum apud illos omnia novo pestilentiæ genere conflagrarent. *Huttenum* tibi probari sane gaudeo: nam ipse hominis ingenio delector unice. Utinam omnia salva sint *Tonstallo:* nam & hinc discessit æger, è famulis altero relicto. Et apud *Britannos* nihil à pestilentia tutum. Certe literas tuas avidissime lectitavit, & jam argumentum utroque dignum propemodum dispexerat. De *Fabro* non satis intelligo quid tibi velis: nam quod ais, *mei nominis studiosis magnopere molestum esse, ansam datam iis, qui putant, hoc nostrum institutum sibi parum esse commodum*, id mihi prorsus cum illis commune est. Imo non arbitror cuiquam esse molestius quam mihi, quod nec in *Apologia* mea dissimulavi. Nec existimo admodum multos esse, qui *Fabro* magis ex animo bene velint quam ego. Nec unquam animum inducere potero, quin *Apologiam* illam meam, atque adeo victoriam, si modo contigit, oderim, necessariam quidem illam, sed mihi nec glorioſam in causa tam bona, tum etiam invidiosam, ut adversus eximium ac veterem amicum: denique studiis utriusque vehementer adversam, quod haud me fugiat occasionem hanc arrepturos τὰς καλαλάλας, μηδενὸς εἰ μὴ περφάσεως δεομένους, καὶ τὴν παροιμίαν. Inauditum videlicet pugnæ genus, deplorat sortem suam victor, & hostis arma contra ferentis miseret. Adornat ille redintegrare bellum, ut audio, quasi parum sit, semel ad istum ineptisse modum. Mihi fit verisimilius, esse qui *Fabrum* exstimulent, quam ipsum id destinasse. Sciebam hujus certaminis iniquissimam conditionem, in quo si vincerer, impietatis crimen agnoscere foret necesse: sin vincerem, in crimen inhumanitatis esset incurrendum, qui cum homine tam amico commissus viderer, qui cum mihi sic conjuncta esset studiorum ratio, ut illius æstimationem non possem lædere, nisi meæ pene tantundem detraherem. Et tamen ille mihi refellendus erat, nisi opinionis meæ velut arcem periclitari, imo prodi maluissem. Ad hæc videbam plerosque calumniaturos hanc nostram conflictationem, qui nec illius insectationem, nec meam defensionem unquam legissent, tantum illud reprehensuros inter pocula alicubi auditum, *Erasmum* cum *Fabro* digladiari. Sed obsecro te, vir æquissime, quid me facere voluisses, posteaquam ille libris per orbem terrarum divulgatis, me tot atrocissimis dictis impetisset, blasphemiæque & impietatis publicitus reum ageret, primum, hominem, ut fatetur, amicum; deinde, nulla unquam à me lacessitus injuria; postremo, in eo negotio, in quo in tantum illi non adversor, ut magis pro illo facere videar, & objurger eruditorum literis, quod

An. 1518.

Digitized by Google

An. 1518. quod illius sententiam non palam rejecerim, quanquam id quidem ejus instituti, quod tum susceperam, proprie non erat. Atque utinam hoc injuriarum genere fuisset in me debacchatus *Faber*, quod vel negligi poterat, vel cum moderationis laude ferri. Libens hoc condonassem vel amicitiæ nostræ, vel Christiano pudori, vel studiorum utilitati. Cæterum, impietatis calumniam agnoscere, cum primis ipsa prohibet pietas. Satius igitur esse duxi, Gratiis alicubi non satisfacere, quam *Christi* dignitatis labefactator, & hostis videri. Nam hac persona ille me produxit in theatrum. Quanquam hoc interim Gratiis datum est, quod à jure talionis abstineo, cum mihi in manu esset eo uti, quod contumeliam à me depulisse contentus, nihil in illum criminis regero, quod adversus actorem criminaliter agentem, civiliter me defendo. Et tamen sunt, si superis placet, quibus *Apologia* mea censeatur aculeata. Quasi vero lethalibus spiculis impetitus, impetentis caput supplex debuerim blanditiis demulcere, ne sævire pergeret. Ego neutram sententiam nec in annotamento, nec in *Apologia* refello, cum possem eam, quam *Faber* solam vult esse piam, ut impiam ac falsam rejicere, idque applaudentibus, opinor, Theologorum centuriis. Datum hoc quoque civilitati. Quid igitur est, quod nos admones, optime *Budæe*? An ut *Epimetheus* quispiam, jam peracto negotio, mones ne suscipiatur negotium, & eversa *Troja* doces non fuisse rapiendam *Helenam*? Quid mecum optes video, quid admoneas non satis intelligo, nisi forte objurgationem vocas admonitionem. At si objurgas, sine causa objurgas: sin mones, sero mones. Infelicitatem meam agnosco, qui in hoc certamen sim coactus descendere, à quo semper abhorrui, nec nisi unico hoc telo pertrahi potuissem, culpam non agnosco. Imo modis omnibus culpandus eram, si ad impietatis crimen obmutuissem, quod nemo sanctissimorum etiam Patrum non acerrime propulsavit. Atque utinam, mi *Budæe*, tempestivus monitor adfuisses, & *Fabrum* amicum ab illa tam non amica provocatione coercuisses. At posteaquam ille, præter alia convicia, me fecerat in *Christum* contumeliosum, intelligentiæ Propheticæ subversorem, à *Judæis* stantem, *Christi* dignitatem indigne dejicientem, spiritui adversantem, carni literæque adhærentem, inconsistentia seseque undique elidentia loquentem, & non unis *Anticyris* digna: idque adversus *Christi* gloriam, posteaquam se fecerat gloriæ *Christi* propugnatorem, me adversarium, periculum etiam mihi denuncians, si dictis pertinaciter adhærerem, hoc est, nisi vellem παλινῳδεῖν. Nam his atque aliis hoc genus facetiis *Faber* ille natura mitis ac blandus, tum *Erasmo* non semel amicus, ludit in amicum unice charum: hæc igitur, inquam, atque ejusmodi multa posteaquam in me non minus inimice, quam falso scripserat, ac mediis suis commentariis insulserat, atque uno me ignaro, per orbem terrarum sparserat, age, rem omnem tui facio arbitrii, agnosco legem amicitiæ, citra omnem exceptionem sequar tuum vel consilium, vel judicium, quid censes faciundum? An hoc suadebis amico, ut pro honore mihi habito, gratias agam *Fabro*? an potius ut dissimulem me scire, quid ille scripserit? Sed quis istuc crediturus est, libris nusquam non divulgatis? Quis credet unum me nescire, quod ad me unum pertinet, cum id nemo nesciat? An potius, ut rem silentio tegam: hoc est, ut non apud unum judicem, sed apud universum orbem capitis accersitus, nihil adversario respondeam, ut totam accusationem agnoscam? Sed parum est candidum, inquis, cum amico contendere. Verum, obsecro te, candidum est, sic amicum immerentem impetere? Amicus est *Faber*, sed qui sic incessit, amicus esse desiit. Etiamsi vere lapsus essem, erat hoc puræ amicitiæ, tegere probrum amici, & privatis literis admonere. Nec ipse unquam ab illo dissensurus eram in Novo Testamento, nisi judicassem, hic nullam illius gloriæ labem adspersum iri. Etiamsi ipse nec læsus ac provocatus amicitiam violavi; nec unquam, quantum erit in me, violaturus sum. Vitam amicitiæ impendere, laudi datur, at in *Christum* haberi blasphemum in amici gratiam, non solum extremæ dementiæ sit, verum etiam summæ impietatis. Finge patrem, aut fratrem esse *Fabrum*, non solum amicum, ne patri quidem aut fratri, opinor, tantum tribuendum esse censebis, ut in illius gratiam *Christi* adversarius haberi sustineam. Imo si simul & Cardinalis & frater mihi fuisset *Faber*, arbitror officii mei fuisse, calumniam non ferendam repellere, præsertim modis omnibus innoxius. Et tamen ita repello, ut ille victus, tantum inhumanus sit, impium non faciam, illud quoad licet agens, ne quis de adversario meo pejus sentiat. Jam quod scribis, hactenus nobis pro veritate depugnatum esse, rem in posterum facile tegi posse: neuter, mi *Budæe*, pro veritate depugnavit, cum ille me fecerit adversarium, ubi steterim ab ipso, nec ego in *Apologia* quid sentiam, aperiam, (neque enim erat necesse) tantum illius in me directa tela propello. Neque spes est rem tectum iri posse, cum illius volumina jam per *Hispanias*, *Gallias*, *Italiam*, *Germaniam*, ac *Britanniam* passim obambulent, ut jam nec illi sit integrum, premere quod scripsit, neque mihi dissimulare defensionem. Mutet ille locum, si queat, in quo me lacerat, ego pro viribus premam *Apologiam*, qua me defendo. Num me vis abjicere clypeum, cum ille tela, in meum caput vibrata, manu teneat? Facile est alieno dolori modum præscribere, facile est in alienis malis animo æquo moderatoque esse. Fortasse tu si hic esses, aliter sentias, imo nisi prorsus ignoro *Budæum*, longe alio brachio clypeum, ensem, ac tela sua vibrasset. Primum, tecum reputa, mi *Budæe*, quam sit odiosum hæreseos & impietatis crimen, tum observa, quoties, quot dictis, iisque odiosissimis in me debacchetur, ipse toties à me honorificentissime prædicatus: & arbiter sententiam, si lubet, feras, utri nostrum fuerit imputandum, etiamsi par pari retulissem, si jure talionis essem usus, si convicia conviciis retudissem. Par erat, totius mali summam imputari, qui prior lacessisset, & ita lacessisset, ut nisi me defenderem, *Augustinum*, *Ambrosium*, *Athanasium*, *Chrysostomum*, breviter cæteros orthodoxos omnes, atque ipsum adeo *Hieronymum* in communi crimine fuerim deserturus. Nam is ut in opere suspecto duobus verbis utcunque pro *Fabro* facit, ita cum alias, tum in commentariis, quos scripsit in Epistolam ad *Galatas*, palam nobiscum sentit. In levi suggillatione, sit sua cuique sententia, detur aliquid amicitiæ, detur civilitati, liceat labi & corrigi, liceat & perperam dissentire. Non committam ut quisquam hic meam desideret humanitatem. Scis ipse, mi *Budæe*, ut pridem mecum sis velitatus, ut tuo more luseris in mea λεπτολογήματα, ut libellos nostros dejeceris. His ego tantum abest ut sim commotus, (etiamsi tu commotum jocabaris) ut postea ne pilo quidem fueris injucundior. Et tamen verum est, quod dici solet, *Scriptores libris suis, non secus atque parentes liberis favere*. Nec deerant, qui me literis suis ad *Copiæ* defensionem accenderent, quorum ego sedulitatem risi satis, & animo tranquillo esse jussi, testatus, inter nos pulchre convenire. At *Fabri* insectatio plusquam tragica est, ac plane demiror hominem hujusmodi tragœdiis delectari, velut in libello, quem nuper *De tribus Magdalenis*, & *triduo Christi*, sic enim ille vocat, conscripsit, disputationis conditionem in has angustias deducit, ut *quicunque dicat Christum post tres dies resurrexisse, sentiat Christianæ fidei, Evangeliis, atque omni prorsus veritati adversari*. Atqui ita sane ex *Marco* per orbem universum *Latina* legit Ecclesia, atque etiam *Græca*. Nec unquam is locus aliter lectus aut scriptus est, antequam *Faber* aperiret hoc mysterium, doceretque ex *Apollonio* Grammatico, μὴ τρεῖς ἡμέρας significare *in triduo*: quasi vero ἀναλόγως habeant μὴ χεῖρας, & μὴ τρεῖς ἡμέρας. Quod si maxime rem indubitatam primus reperisset, erat hoc vel Christianæ modestiæ, vel ipsius ingenii, civilius admonere. Quanquam illud interim

Digitized by Google

An. 1518. terim mirum, hominem impendio Grammaticis infensum, qui cum modo ſuggillarit *Bedam*, quod nodum quæſtionis per Grammaticam ſolvere tentarit, quia ſynecdochen induxerit, ipſe tantam difficultatem unius Grammatici auctoritate voluerit explicare, quæ niſi ſuccurriſſet, totus orbis Chriſtianus adverſus omnem veritatem & caneret & legeret. Atqui quid opus erat hac Tragœdia, cum unica ſynecdoche res omnis potuerit expediri, ſi intelligamus poſt tres dies reſurrexiſſe, qui poſt tertium diem exortum ſurrexit? *Faber* enim imaginatur nullo pacto conſiſtere, ut dicatur *poſt tertium diem reſurrexiſſe, qui tertio die ſurrexit.* Quanquam & aliis rationibus hoc poterat extricari, quas hic non attinet recenſuiſſe. Verum, hæc ad me non admodum pertinent, & magis illius, quam meo periculo commoveor. Cæterum, ubi nominatim impetor, & adverſarius gloriæ *Chriſti* ſcribor, pro cujus gloria licet homo nocens ac ſceleribus opertus, tamen vel capitis adirem diſcrimen, vel emori non refugiam, an me jubebis obticeſcere? Sed age, dic mihi per Gratias, utrum reprehendendum putas? an hoc ipſum quod me defendo, an defenſionis modum? Si pro tua æquitate non reprehendis quod me defenderim, ne de modo quidem queri potes, cum ita me tuear, ut quoad licet faveam etiam adverſario. Quid eſt igitur quod me putet objurgandum, niſi judicas illud eſſe fati mei, ut unus omnium me vexandum impune, ac conculcándum omnibus præbeam, ut poſthac nulli ſint tam ignavi canes, quin auſint oblatrare *Eraſmo*; nullus aſellus tam ſtupidus, qui vereatur obrudere; nulla ſus, quæ dubitet obgrunnire? Mures ſeſe denticulis utcunque tuentur. Apiculæ læſæ ſæviunt aculeo. Solus ego ne clypeo quidem tuendi me jus obtinebo, præſertim in negotio fidei? Mihi crede, *Budae*, qui moderate ferre poteſt impietatis crimen, is leviter pius eſt. Vides quo tonitru, quo fulmine divus *Hieronymus* inſurrexerit in *Ruffinum* quondam amiciſſimum, tantum quod ab eo per figuratæ laudationis ſtropham adductus eſſet in nonnullam invidiæ communionem. Quo ſtomacho reſpondet ac minatur *Auguſtino*, quod unius loci enarrationem auſus ſit convellere? Quid autem, ſi tali fuiſſet aceto perfuſus, quali me perfudit *Faber?* amicus an inimicus, prudens an imprudens, inſtigatus an ſua ſponte, joco an ſerio, ſobrius an ſecus, ipſe viderit, certe perfudit. Res ipſa nimium exſtat. Atque utinam utrique liceat inficiari. Non ſum ullo modo cum *Hieronymo* conferendus, nec ſanctimonia, nec eruditione, nec prudentia, nec animi moderatione, & tamen vides quanto quam ille crudelius laceſſitus, quanto me tuear civilius. *Difficile eſt*, inquis, *geſtienti ſtylo moderari.* Imo ſi dicta mihi fuiſſent omnia, quæ meo jure dicere poteram, tum intelligeres, quantum dolori non donarim, quantum verecundiæ, quantum humanitati datum ſit. *Admonitum te oportuit*, inquis, *ne ceſſaſſe videar in amici diſcrimine.* Quod, obſecro, diſcrimen eſt, ſi manifeſtariam propello calumniam? Num in tuto futurus eram, ſi talia agnoviſſem elogia? An *Jacobi Fabri* tantam rationem haberi volebas, ut ego in illius gratiam blaſphemus in *Chriſtum* haberi ſuſtinerem? Quod ad eam ſane cauſam attinet, ego in portu navigo vel apud parum æquos judices. Atque utinam *Faber* hac in parte ſuam integritatem & candorem apud univerſos tam tueri poſſit, quam ego cupiam. Qui illum amiciſſime defendunt, cauſantur alieno inſtinctu perpulſum ab neſcio quibus, qui nec illi, nec mihi bene volunt. Quaſi vero pondus habeat hujuſmodi purgatio in viro tam erudito, tamque philoſopho, tum provectæ ætatis, poſtremo in criminatione tam atroci. At vereor ne plures ſint illorum ſententiæ ſubſcripturi, qui dictitant iſtam tam ſupinam debacchationem, partim ab inſigni quodam mei contemptu, partim ab ipſius admiratione fuiſſe profectam. Hoc ſibi, inquiunt, perſuaſerat, me nihil aliud quam Rhetorculum eſſe, ſe Philoſophum, Theologum, myſtagogum, cujus omnia dicta oraculorum inſtar eſſent, nihil à tali viro tam neglecte poſſe ſcribi, quod mihi non illico tenebras *Cimmerias* offunderet. At meminiſſe debuit, nihil in bellis perniciosius, quam hoſtem, quamvis imbecillum, contemnere. Rurſus alii judicant, offenſum illum, quod à ſe, in *Annotationibus* meis, locis aliquot auſus ſim diſſentire, hunc loliginis ſuccum in me viciſſim effudiſſe videlicet, proque officio, pro quo par erat gratiam reponere, ſummam contumeliam rependiſſe. Atqui ſi ipſi licet, ab *Auguſtino*, *Ambroſio*, *Hieronymo*, imo ſemel ab omnibus antiquis ac probatis diſſentire, mihi non licebit vel honorifice diſſentire à *Fabro*? Et hæc erit ſcriptorum conditio, ut quicunque à *Fabro* diſſentiat, is Euangeliis & ſacris eloquiis adverſetur? Ingenuæ mentis erat, in manifeſtis erratis agere gratias, qui monuiſſet, & qui monuiſſet non ſolum parce moderateque, verum etiam honorifice. Et tamen ipſe ne privatis quidem literis ſeſe mihi vel purgat, vel defendit, idque ſemel atque iterum à me provocatus, imo perinde quaſi læſus, neſcio quid minarum ſpirare dicitur. Quanto ipſe ſimplicius, qui ſtatim literis denunciavi *Apologiam*, priuſquam adorſus eſſem ſcribere, & abſolutam protinus per *Sorbonicum* quendam ad ipſum miſi, ſcribens quæ pro tempore dicenda videbantur. Neque vero periculum eſſe puto, ne tribuatur inconſtantiæ, quod *Fabrum* toties laudatum, nunc refellam. Primum enim illi conveniebat imputari, non mihi, ſi quid ipſe diſſiderem à meipſo, poſteaquam ille uſque adeo ſui diſſimilis eſſe cœpiſſet. Scripſit enim is, qui reddidit *Apologiam*, *Fabrum* ubi recepiſſet eam, arguiſſe me levitatis. Si levitas eſt, intentatum falſo crimen depellere civiliter, quæſo, ſic amicum ex inſidiis adoriri, quo donabitur nomine? Atque utinam per illum licuiſſet mei ſimilem eſſe, laudibuſque illius ſemper aliquid adjungere. Nec tamen παλινῳδῶ, quæ honorifice de illo prædicavi, imo ne ſententiam quidem de illo meam adhuc mutare poſſum. Tantum demiror quid acciderit homini. Poſtremo non ſtatim vituperat alterum, quiſquis ſeſe tuetur. Jus eſt publicum, vim vi propulſare. Cæterum, ubi de fide Chriſtiana agitur, impium etiam eſt cauſam adverſario tradere. Tuum judicium non exegi, ſive quod perſpicerem, rem tui fori non eſſe, ſive quod alias occupatiſſimum onerare nollem, ſive ne (quod eſt moleſtiſſimum) inter duos amicos arbiter alterutrum offendere cogereris. Atque utinam hoc in totum præſtare licuiſſet, ne vel *Fabro* quiſpiam mortalium mea cauſa minus eſſet amicus, vel ille cuiquam iniquior. Quod ſi tu, mi *Budae*, non graveris hujus cauſæ cognitionem ſuſcipere, etiamſi, ut dixi, res non eſt omnino tui prætorii, age, non rejicio judicem, modo negotii ſtatum omnem ordine perdiſcas, hoc eſt, *Apologiam* noſtram, non oſcitans ac vellicatim, ut te feciſſe ſcribis, ſed attentus perlegas. Alioqui non verebor appellare. Unde, & quo, inquies, cum ultro mihi delegaris arbitrium? A *Budæo* dormitante, ad eundem τὸ νῦν προσέχοντα. Alioqui multos paſſim audio queri, quod adverſus *Fabrum* ſcripſerim, ſed iſtos ferme, qui nec illius inſectationem, nec meam defenſionem unquam inſpexerunt. Si indignantur, quod me neceſſario tuear adverſus *Fabrum*; cur non illi potius indignantur, qui ultro præterque cauſam nos laceſſierit? Parum amicum eſt, ſcuto objecto tueri vitalia, & amicum eſt, hominem amicum telis veneno tinctis impetere? Quod ſi id agis, ut nos diſſidentes in gratiam redigas, quod ad me pertinet, haud ſane multum erit negotii. Facile redit in gratiam, qui odit invitus. Facile placatur, qui nolens iraſcitur, imo qui ne iraſcitur quidem niſi ſuis fatis. Utinam licuiſſet amicitiam tueri perpetuum, nunc quod eſt proximum cupio multis de cauſis, ſarciri: vel quod per ſe ſit indecorum cum eo diſſidere, qui cum neceſſitudine ſis junctus: vel quod nolim hujus rei gratia inter ullos ſuboriri diſſidia, ſtudiis, ut fit, in diverſa trahentibus. Magis optabam, ut ex amicitiæ jure communicatis invicem amicis, utrique pulcherrima poſſeſſio conduplicaretur. Vix ullas

Digitized by Google

An. 1518. ullas rejiciam conditiones. Aut curet ille premendam, ut dixi, reprehensionem suam, ego vicissim patiar meam aboleri *Apologiam*. Aut si id frustra cupit, maledicta benedictis mutet, & criminationi palinodia medeatur, aut certe purget sese mihi literis. Aut si id quoque nimium est, testetur nunc inter nos animorum esse consensum, quocunque genio superior illa incidit procella. Sentiet me minime difficilem. Unam eam conditionem non recipiam, si postulet, ut *Apologiam* supprimam, incolumi illius criminatione. De morte fratris tui ex *Badii* literis cognoveram, quæ mihi duplici nomine gravis est, vel quia tuus erat, & ob id ex amicitiæ fœdere noster: vel quia, ut scribis, nostri studiosus. *Busleidianum* legatum ac trilingue Collegium pulchre procedit. Est autem magnificentius quam putaram. Destinata enim sunt huic negotio plus viginti *Francorum* millia; utinam exemplum hoc complures inveniat æmulos. Habes epistolam non minus molestam quam prolixam, ne semper exprobres epistolia, pene ipsis opisthographiis breviora. Bene vale, doctissime *Budae*. *Lovanio* 22. Febr. Anno 1518.

## EPISTOLA CCCVI.

Richardus Sampson, reverendissimi Cardinalis Eboracensis apud Nervios Commissarius, Erasmo suo *S. P. D.*

SI *vel tu* Anglice *calleres, vel ego aliam quamcunque tenerem linguam, qua mutuis literis tecum mihi colloqui liceret, mi* Erasme, *hujus nostræ ætatis sine controversia eloquentiæ princeps, haudquaquam* Latinas *ad te darem literas, cum non ignorem esse neminem, nisi prorsus aut temerarium, aut omnibus eloquentiæ numeris absolutum, qui ad te vel cum priscis illis disertissimis viris conferendum,* Latine *scribere non vereatur. Tanta apud omnes tua præcellentis doctrinæ reverentia est. Tantam quoque & eximia tua facundia scientiaque, tum divina, tum absolutissima, velut singularem tibi attulit majestatem. Nec ego in præsentiarum ad te* Latine *scripsissem, plane rudis & totus quidem advena, quantum ad cultiores literas attinet, nisi me omnino tu impulisses. Etenim in posterioribus illis literis tuis, ad* Joannem Molendinum *nostrum (quas mihi tradidit modo nudiusquartus lectitandas) me cum tuis verbis salutari juberes, non modo patronum, sed unicum quoque tuum patronum me appellare voluisti. Unde sum affectus non mediocri pudore, cum tamen cætera maxime delectarent omnia. Quis enim nescit te gratissimum (tanta est eruditionis tuæ præstantia) & Regibus & Principibus ipsis? & horum ut quisque est maximus atque optimus, ita impensissime favere* Erasmo? *Noli igitur posthac, rogo, me præter cæteros homuncionem onerare tam superbo titulo. Habes tu quidem, si res ita postularit, vel patronos, vel advocatos, vel amantissimos tui viros non solum in maxima potestate constitutos: verum etiam ubique gentium & eruditissimos, & doctissimos. Si mea tamen opera, quantulacunque sit, tibi olim poterit usui esse (id tibi velim persuasum) benevolentiorem habiturus es neminem, vel amicorum tuorum omnium. Me igitur tibi pro viribus amicum velim existimes, si tamen inter tuos hunc amiculum digneris adscribere. Quanquam pro tua humanitate, certe scio, vel longe inferiorem non contemnes, quando tantum abest, ut eodem in ludo, quod ajunt, simus docti, ut ego literarum fere expers, tu quidem vel ex confesso princeps omnium sis solus, qui nunc luce fruuntur: id quod ego præstare cæteris dignitatibus judico. Neque non possum esse tibi amicissimus, cum eos omnes, qui mei sunt amantes, non ignorem tui pariter amantissimos esse. Est enim singulari in me benevolentia Baro illustris* Montjoius, *& tibi, ut scis, toto pectore deditus. Præterea* Tonstallum, *& comi gravitate, & rara doctrina virum. De* Pacæo *nihil quidem est quod ego referam: cum præter excellentem ejus eruditionem, tanta sit etiam in omnes humanitate, ut homini nihil possit optari suavius aut mellitius: quem ego præter alios (ut nunc est etiam & apud Regiam Majestatem, & apud reverendissimum Cardinalem auctoritatis maximæ) amicum, patronum & advocatum habeo. Non par est autem præterire* Morum *nostrum, vel potius omnium, qui quantum valeat, vel eruditione, vel ingenii festivitate, neminem fugere potest, qui vel* Utopiam, *vel alias illius lucubrationes velit perlegere. Taceo de ipsius in quotidiana vita facilitate, comitate, facetissimisque colloquiis, atque omnium honestissima morum probitate. Et quales amicos mihi tecum communes, sed ita communes, ut tamen eos mihi non debeas. Quanquam ipse satis es unus, ut te summopere diligam. Vale.* Tornaco 2. *Martii, Anno* 1518. An. 1518.

## EPISTOLA CCCVII.

*Des. Erasmus Roterodamus Petro Barbirio suo* S. D.

NH τὰς Χάριτας, si res habet, ut scribis, qui libellos suppresserunt, iidem suppressere literas: nam primum *Apologiæ*, mox *Paraphrasi* meas adjunxeram. Canonicus ille *Canius* suapte sponte detulit ac misit pecuniam pensionariam, homo melioris fidei, quam nunc vulgus est mortalium. Idem fecit optimus ille *Cantuariensis*, etiam inscio me. Utinam mihi decem essent ejusmodi, eos sane malim, quam quos *Homericus* optat *Agamemnon*, decem *Nestores*. *Joannem* meum *Anglum* in *Angliam* emandavi, qui mihi cum alia certa, tum equum aliquem commodum adducat. Is rediturus est ad Patcha: interim me ad iter accingo; planeque vereor, ne tuum istud viaticum me hic non reperiat. Sed tamen si quid obtigerit, relinquam hic probos amicos, ad quos quicquid delatum erit in tuto fuerit, *Joannem Borsalum*, cui Latinæ linguæ professio destinata est, *Joannem Nevium Hontiscotanum*, *Petrum Ægidium*, cujus pater optimus nuper vita defunctus est, atque ipse tenacissimo morbo affligitur, *Nicolaum Buschiducensem*, ludimagistrum apud *Antuerpiam*. *Guiliemus Cardinalis Crojus* unas atque alteras tuas literas mihi reddendas curavit: quarum alteras *Guido Morillonus* tuo nomine scripsit. Sed quid ais? friget istic *Guido*, juvenis in regione tam calida? saltem adesset illi sua Nympha, ne totus frigore pereat. Atqui nobis hic persuasum erat, istic esse totas regiones, ubi terra nihil nisi merum esset aurum, nec adesse formicas *Indicas*, auri custodes, sed liberum esse cuique, quantum velit, fodere. Præsulem *Theatinum* salvum esse gaudeo, nisi quod hunc quoque frigere suspicor. Nam de *Briseloto* rumor quidam sceleratissimus me propemodum exanimarat, hominem abisse in Campos Elysios, jamque parabam Epicedion, quo tantum orbis lumen è medio sublatum deplorarem, sed superioribus literis adspersisti aquam, animumque reddidisti. Verum extra jocum, summæ voluptati mihi fuit summum illum meum *Mecænatem Joannem Sylvium* tam belle valere, virum, ita me Deus amet, immortalitate dignum. Cum Theologis Alcedonia sunt, imo mira familiaritas. Pro *Hieronymo* palam agunt gratias; de Novo Testamento nihil queruntur, imo primores hujus ordinis ingenue comprobant, tantum oblatrant sycophantæ nescio qui, sed procul & à tergo. Multos, ut ajunt, terret *Fabri* male accepti exemplum. In quem tamen viribus meis non sum usus, favens etiam, quoad licuit, adversario. Mirum quid sit rei, ut ille non saltem privatis literis sese vel excuset, vel defendat. Passim mihi gratulantur *Gallum* devictum, *Germani*, *Itali*, & *Angli*: nec tamen efficiunt, quo minus oderim meam victoriam, nec admodum glorioſam in causa tam vincibili, & invidiæ obnoxiam, quod amico detraxerim opima spolia, cui nunc etiam faveo, licet non usque adeo, ut in illius gratiam, blasphemus in *Christum* haberi velim. Proinde precor, ut Deus Opt. Max. iis, qui mihi bene volunt, feliciorem mihi gratulandi materiam suppeditet. *Apologia* jam quater est excusa. Deleat ille suam insectationem, ego quatenus possum premam *Apologiam*. Auferat ille tela, ego depono clypeum.



Digitized by Google

An. 1518. Tollat ille venena, ego desinam uti antidoto. Quod si quis aliorum me similibus dictis lacessisset, longe aliter fuisset acceptus. Homo sum, ubi vere lapsus ero, non solum agnoscam erratum meum, verum etiam admonitori gratias agam, insectatori cedam. Cæterum, ubi simili impudentia conviciis atrocissimis impetor, non committam ut posthac in me, velut inermem atque edentulum, quivis asellus obrudat, quivis sus obganniat. *Faber* unum me lacessivit nominatim. Ego neminem adhuc lacessivi, sed uni lacessenti respondi. Quidam ajunt illum suas colligere copias, ut bellum instauret, alii negant. Ego nihil malo quam pacem, præsertim cum illo, non quod illum metuam, sed quod ex animo diligam. Quod si repetat, ipse viderit: sibi imputet, si parum civiliter accipietur. Adigit me Novum Testamentum, ut aut *Venetiam* adeam, aut *Basileam*. Nondum enim statui, utro sit eundum. A *Germania* tribus incommodis deterreor, hypocaustis, latrociniis, & peste, quæ præter alios *Lachnerum* sustulit, officinæ *Frobenianæ* principem. Ab *Italia* cum itineris longitudo, tum instans æstas. Sed quocunque me contulero, faciam uti cognoscas. Existimabam me Cancellario scribere, quoties tibi scriberem: nam ipsum tot immersum negotiis verebar interpellare. Ego hic undique literis amatoriis obruor. Scripsit Archiep. *Maguntinensis*, semel atque iterum Episcopus *Trajectensis*, semel *Leodiensis*, semel *Bajocensis*. Invitor ad complexus. Invitat Rex *Angliæ*, & hujus *Achates* Card. *Eboracensis*. Invitat Rex *Galliæ*. Tantum est amatorum, ut difficile sit vel epistolis omnium respondere. Scripsi tamen *Sylvio* Cancellario, tuo jussu, cui non parere vix satis tutum arbitror, ut es homo violentus. Ex bilinguibus hic omnes trilingues reddimur. *Matthæus* vir suæ linguæ, in qua natus est, in paucis peritus, publice profitetur *Hebraice*, quasi parum hic fuerit ebriorum. *Dorpius Hebraicæ* factionis dux est. Videbis brevi novum seculum hic exoriri. Et exosculabuntur illum paulo ante lapidatum *Erasmum*. Etiamsi *Paraphrasis* omnibus omnium calculis laudatur. Est aliquid vel unico libello placuisse tam iniquis ac morosis. Atque utinam in talibus campis me continuissem, in quibus non paulo plus erat gloriæ, multoque minus laboris: sed satis, mi *Barbiri*, agimur, satis cedamus oportet. Ornatissimo viro *Haloino*, fac me diligenter commendes. *Marlianum*, *Jodocum* jurisconsultissimum, *Guidonem Morilonum* congerronem tuum meis verbis etiam atque etiam salutа. Cura etiam atque etiam, mi *Barbiri*, ut recte valeas; nam hic annus multos eximios viros tui similes absumpsit, *Marcum Musurum Romæ*, jam Archiep. designatum, & ante hunc *Palæotum Camillum*, *Lutetiæ Faustum* immortalitate dignum. Apud *Anglos Andream Ammonium Lucensem*, omnibus egregiis dotibus cumulatum. Hi, quibus astra sunt à consiliis, affirmant his annis quatuor, tantam fore pestilentiam, ut nulli sint futuri superstites, præter egregie doctos ac probos viros. Quod si verum est, ausim & ego vaticinium meum adjungere, miram fore vilitatem annonæ. Quo magis tibi cavendum censeo ne sis de numero mediocrium. *Johanni Carundileto* Decano *Bezontino* gratulor pontificii *Panormitani* dignitatem additam: & hoc magis gratulor, quod is semper honestis studiis impense favit, atque hoc nomine mihi quoque cumprimis amicus ac patronus. Neque dubito, quin illum sua virtus brevi ad majora sit evectura. Adnitere, ut tibi quoque gratulari liceat. Perlongum est omnibus scribere, tu fac unus multarum epistolarum vice fungitor. Rursum vale, *Lovanio* 6. Martii, An. 1518.

## EPISTOLA CCCVIII.

### Erasmo Rot. Nicolaus Beraldus S. D.

DOLVI *vehementer ac sæpe*, Erasme *doctissime*, *binas meas ad te literas, proximo scriptas biennio, periisse. Periisse enim puto, quibus nihil responderis. Id autem* Francisci Calvi, *qui eas* Basileam *usque ad te perferendas rece-*

*perat, negligentiæ malo, quam dolo adscribere, ut cujus fidem atque integritatem perbelle mihi videar vel tridui unius congressu spectasse. Interea ineptum putabam aliis te literis obtundere, studiis præsertim gravioribus occupatum; nimirum restituendæ rei theologicæ annos jam aliquot deditum; Pauliniſque Epistolis illustrandis toto, ut dicitur, pectore, vigiliisque, ac sudoribus maximis incumbentem. Nam Novi, ut vocant, Instrumenti editionem alteram abs te paratam esse, nihil dubito, affirmante id præsertim* Nesено *nostro, qui se quoque luculentas enarrationes tuas in* Pauli *Epistolam ad* Romanos *vidisse*, Ludovico Deberquino *viro doctissimo, ac tui nominis studiosissimo, cum is* Lutetiæ *mecum nuper ageret, mihique non semel retulit. Atque utinam ea omnia propediem pulcherrimis typis excusa videre contingat*, Frobenianis *videlicet, quibus nihil fieri puto posse nitidius, elegantius, amœnius. Idipsum tantopere exspectant, quotquot hic sunt viri non vulgariter docti*, Budæus, Ruellius, Ruzæus, Deloinus, *& ipse quoque* Parisiensis *Episcopus, eximius ac prope unicus avi hujus* Mecænas, *ut nullum aliud Opus cujuscunque Auctoris fuisse unquam exspectatius putem. Video equidem*, Erasme *optime, video equidem fore, quod votis ardentibus antehac semper expetii, uti videlicet Theologi isti nostri, spinosis ac sophisticis nugis atque inutilibus argutiis nimium jampridem dediti, desertis* Scotistarum, Occanistarum, *adde etiam* Thomistarum *factionibus, ad antiquam illam ac veram se Theologiam plerique convertant, si porro perrexeris suam arcanis ac cœlestibus Literis dignitatem asserere. Id quod hactenus tanto abs te successu factum esse censeo, ut certe non videam, quem veterum Theologorum tibi jure anteponere quis debeat, sive linguarum peritiam, sive variam omnigenamque doctrinam, sive denique incomparabile studium, ac diligentiam, prope dixerim, indefessam spectare ac expenderelibeat. Audax verbum, inquiet aliquis: audax, fateor, sed quo nullum dici posse verius puto. Scio non deesse tibi laudatores, qui tibi ὕμνους assidue atque ἀπείρονα μέλη decantent, tibique tantum tribuant, quantum etiamsi agnoscas, non postules tamen. Ego certe nihil in gratiam* Erasmi *scribo: scribo autem id demum, quod sentio. Assentari nescio, nec si sciam, velim*, Erasmo *potissimum tanta modestia viro. Quidni porro de te id sentiam, quod audio à doctissimo quoque de te ubique prædicari? Indoctus est, refractarius est, à Musis ac Gratiis alienus, qui* Erasmi *ingenium, doctrinam, facundiam, sanctum denique consilium ac institutum non laudat. Quare perge*, Erasme, *seculi hujus decus egregium, perge tecum ipso certare, teque ipsum deinceps vincere, in eo præsertim stadio* Christianæ *pietatis, ac Euangelici cultus, in quo tanta tua cum laude hactenus nobis certasti, ut nihil jam superſit aliud, nisi ut teipsum vincas. Vale.* Lutetia 16. *Martii, An.* 1518.

## EPISTOLA CCCIX.

### Richardus Pacæus Erasmo *S. P. D.*

PETRO Lusco, *quem in proximis tuis mihi commendasti, nihil prodesse potui, propterea quod Regi de illo (cujus mentionem facis) libro describendo, nunquam in mentem venit. Comœdiarum simul & Tragœdiarum exemplum, quod ad* Morum *nostrum misisti, perlegi: qua de re scripsisti id quod est, illud hominum genus fatali rapi insania: & ea adeo fatali, ut non nisi extremo fato (mea quidem sententia) tolli possit. Nam licet salutifera adsit medicina, & assidens medicus hortetur, seque ut curent suadeat, nolunt tamen venenum, quod imbiberunt, evomere. Tu, si me audies, in pulcherrimo tuo perseverabis instituto, & bene, non modo de literis, sed etiam de universa* Christi *religione mereberis: istos vero cum sua fatali insania dimittes εἰς κόρακας. Tuam in duas* Pauli *ad* Corinthios *Epistolas Paraphrasim diligentissime perlegi: & ex hoc tuo labore tantum me fructus percepisse fateor, ut nunc tandem (quod antehac mihi contigit nunquam) audeam affirmare, me aliquatenus (ne nimium meo ipsius tribuam ingenio) cum quid dicat, tum quid sentiat divus* Paulus, *intelligere. Nunc divinus ille* Pauli

Digitized by Google

An. 1518. li *spiritus, qui antea frigere & deficere mihi visus est, plane viget. Nunc sancta illa præcepta, quæ antea mihi sapiebant aloen, conversa sunt in mel. Nunc Paraphrasis tua adeo mihi explanavit omnia, ut vale dicturus sim omnibus recentiorum in Apostolum interpretum commentariis, quod hac ei satis superque per se obscuro profundas quam plurimis in locis offundere tenebras. Vehementer præterea & illud probo, quod stylum tuum eatenus demisisti, ut eloquentiæ hostes fucatum sermonem minime tibi objicere possint, sed ecclesiastici potius eloquii simplicitatem agnoscant, quæ adeo leniter fluit, ut illiciat maxime legentem & diutissime recentem semper retineat: quo fit, ut nullam equidem vel in hac simplicitate eloquentiæ partem desiderem. Si* Paulus *ipse hodie resurgeret, quid aliud facere posset, quam se præferret sibi? Perge igitur, mi* Erasme, *quæso, in reliquis quoque* Pauli *Epistolis in eundem modum explanandis. Opus tuo ingenio, tua eruditione, tua denique professione est dignissimum: & ex cujus confectione non tam apud homines quam ipsum Deum magnam gloriam reportaturus es. Me quidem, ut id te facere horter, impellit illud, quod illorum quæ vidi, tam jucunda simul & fructifera fuit lectio, ut non possim non avidissime exspectare quod supereſt. In mentem nunc venit, quod in quibusdam aliis tuis ad me literis scripsisti, certum tibi esse in* Anglia *consenescere æstate proxima trajecturo. Jucundissimum mihi est intellexisse, te id habere animi. Optatissimus venies omnibus, sed tuam valetudinem hac in re cum primis consule, μὴ εἰκῇ ἄεθυδον. Interim scias, hujus Regis erga te benevolentiam in dies augeri, eumque quam sapissime laudes tuas prædicare, & apud se habet, qui tui non sunt immemores. Vale. Ex* Richmonte *5. Aprilis, Anno* 1518.

## EPISTOLA CCCX.

### Budæus Erasmo S.

ECCE *autem rursus expostulatio. Conquerebar, nihil à te literarum multis jam mensibus accepisse, quod quidem epistola instar haberet, quum tu ad me literas non magis copiosas quam jurgiosas dedisti: perinde quasi ex diuturno somno, id est, diuturna incuria nostri, turbidius te excitarim.* Huttenus, *non magis jam tibi quam mihi nostrisque probatus & amicus, cum ex Regis comitatu rediret, hac transiens, literas à me tumultuarias expressit, in quibus quum quicquid in buccam subiisset, vel* Græce *vel* Latine *scriberem, unum, ut arbitror, aut alterum verbum de* Apologia *illa tua adjeci, ex cujus editione dolebam, cum eo quod* Faber *scripsisset, nonnihil simultatis simile inter vos enatum esse videri. Non enim satis memini quid scripserim, & erat ejus generis epistola, cujus apud me exempla manere non solent. Hic pauculis verbis ἀκροχόλως tu commotus, in pacificatorem repente cornua obvertisti: videlicet quasi me lisi pro* Fabro *temere aut cupide obtulerim, potioremque impetus tui partem in me nec opinantem deflexisti: etiamsi me subinde benigne appellando suaviari videre inter expostulandum. Primum, vole hoc tu ne ignores, me nec pacificatoris, nec arbitri honorarii partes hac in re mihi sumpsisse: non quod vererer, si id facerem, ne tute mihi non permitteres, aut tu id mihi succenseres, quod de te tantum mihi permitterem, sed quod hac de re cum* Fabro *nunquam collocutus sum: quare causa mihi nulla fuit, quamobrem ejus rei arbitrium affectarem, quod ad me utrinque non rejiciebatur, aut ultro deferebatur: etiamsi* Ludovicus Ruzæus Parisiensis *subpræfectus, ut est omnibus viris doctis ultroneus amicus, facere me jubebat, idque recusantem convitiose objurgabat: sed cum vicem tuam dolerem, hominis mihi amicissimi, admonitum te oportuit, si non aliam ob causam, ob hoc certe, ne tu me obdormisse putares, cum tua illiusque causa frequenti sepe corona ad publica fama subsellia perorarentur: cum eo, ut verum fatear, quod & Fabrum quoque inter amicos numero. At enim sum ille* Pandoræ *conjunx, quem tu rei jam conclamatæ remedium afferre cavillaris, &* Troja *jam eversa, docere non fuisse rapiendam* Helenam. *Eia tu, germane mi* Prometheu, *meministi' ad me his verbis te scripsisse?* Faber An. 1518. *toties à me cum honoris præfatione nominatus, nescio quam gratiam mihi rependit, certe ut multis videtur iniquem. Mihi quoque durius mecum agere videtur, quam pro solito suo candore. Doleo ansam hanc datam, & reliqua. Tum ipse prædiceres* Apologiam *te meditari, & ego fortasse officio functus essem. At tu me* Epimetheum *fecisti, ut per te quidem rem in scenam producendam non ante resciscere potuerim, quam tu prologum in proscenium misisti.* Quo nunc igitur, *inquies*, admonitio? nisi ut calculum atrum ferre aut varium in *Apologiam* meam videare, ut mea fere soles præjudicio quodam tuo premere, licentiore, ut quibusdam videtur, fiducia confirmatæ amicitiæ. *Amabo te, mi* Erasme, *tuum præmorde labellum, & usuram mihi patientiæ pauliſper accommoda vicissim adjurgaturo. Facere enim nequeo quin epistolæ tuæ, facundæ quidem, & feliciter argutæ, sed non perinde æque officioseque respondeam: cui tu rei inficiandæ non eris, si ad te jam rediſti, & pristinos spiritus resumpsisti. Utique quod ad causam meam attinet, ut interim mihi tantum patrociner, quem tu subinde in faciem nunc palma, nunc pugno contundis, & vicissim blanda appellatione permulces, ut queritari jure non possim, ceu vero litem meam fecerim, ut ineptus arbiter, quod te cum* Fabro *altercante, vel tantulum interfari ausus sim. Ac nescio quo modo in* λεπτολογήματα *illa, &* Copiæ *contumeliam revolutus es præ iracundia impotentia: quarum rerum quum mihi eratum jamdiu condonasses veniam postulanti, nunc velut muneris reposcitor hac eadem de re me obliqua actione appellas, iterumque judicium ejus offensionis refers quam ex memoria tua actis semel, & bona fide exemptam esse credebam. Itane vero si quid tibi familiariter atque amicitiæ jure fretus dixero, tu in me eloquentiæ tuæ aciem stringes, & ut animo obsequaris iracundulo, ad satietatem mecum delitigabis, & quia tibi par esse scribendi facultate nequeo, continuo te superiorem in causa futurum confides? & secundum te homines doctos & graves pronunciaturos sperabis? etiamne si in tirocinio aquiore causa nixus sim? etiamsi cum tua ista* Minerva *justitia ipsa depugnet? etiamsi res ipsa clamitet, non te juris subsidiis, sed facundiæ præsidiis fretum esse? Verum*, age, *inquis*, rem arbitrii tui facio, agnosco legem amicitiæ, quid igitur censes mihi faciundum? An hoc mihi amico tuo suadebis, ut pro honore mihi habito gratias agam *Fabro? minime.* An potius ut dissimulem me scire, quid ille de me scripserit? *Quidni id tibi suadeam, si tibi integrum sit? Primum* Erasmo, *deinde Theologo, deinde hujusmodi Theologo, qui jam emeritis stipendiis ambitionis, & aucupandæ famæ, eo se opinionis evasisse, meritissimo confidat, ut ne ex alienis posthac elogiis pendere videatur. Tu ut timeas, ne si* Faber *quamlibet existimatus scriptis suis patrocinans, secus quid, ut fit, de scriptis tuis scripserit quodam loco, tua illico existimatio famoso judicio periclitari videatur, nisi tu ad judicium longa & meditata defensione occurras? atque ita occurras, sed reliqua non addam. Quasi vero crimen agnoscere protinus videatur, qui quovis modo crimen adspergenti acriter animoseque non responderit. Periculum erit credo in posterum, ne tu indicta causa de senatus doctorum sententia, capitis existimationisque multam subeas, si ut quisque scriptor secus de te senserit, illico non responderis. At enim, inquies, non cum quolibet homine, nec de quovis crimine in certamen invitus adductus sum. A* Fabro *viro antea mihi, atque etiam nunc, ut arbitror, amico, & de literis egregie merito, etiam impietatis, criminose postulatus sum. Scio quid tragœdiæ excitari his nominibus possit: intelligo si tibi concedam illum tam atroci in te animo hac jactasse, quam tu atrociter ea excepisti: & si tibi permittam hac in re plena justaque disceptatione causam tuam agere, erroris tibi confessionem nunquam expressum iri. Sed quis tibi auctor sit, aut subscriptor, ut quum ista existimatione præditus sis, cum istam tibi gloriam tot editis voluminibus pepereris, in istud fastigium opinionis & famæ, tot rerum in hac reip. parte gestarum, gratia evectus sis, tu tamen in ejusmodi controversiis, causificationibus*

An. 1518. magis, & scriptionibus argumentosis confidere videare, quam doctissimi cujusque gravissimique tacito judicio? Τῶν μὲν δὴ τῶ ἀγῶνος θᾶττον ἂν νίκην ἄρεσθαί μοι δοκεῖς ἐσηκώς ζύγε ζιωπῆ, ἢ τὰ κῆ ζῶν συγγεγραμμένα ἁπανταχοῦ, ἢ τὰ μὲν δικαιώματα ἐξηγούμενος, καίπερ ἀξιόλογα, τὰς δὲ λόγας σιωπῶν δύχερῶς τῆ δυνάμει ζε πιστῆ. Τὸ γᾶν εἰς ἐμὲ, ὥσπερ τὰ ἐγκεκλημένα ὑπὸ ζε τῶ Φάβρω ἢ τὰ ὑπὲρ σαυτῆ ἀπολελογημένα ἄγαμαι ἀναγινώσκων, ἢ δαιμονίζω ζε τ δεινότητ τῆσδε τ λόγων, ὑφ' ἧς καταῤῥηγοράομαι: οὕτω δή ταὶ αὐτὸς τὸ ἀξίωμα τὸ σὸν ὑπολογιζόμενος, τὸ ἀμφὶ τὰς λόγας τοσδὶ, φοβᾶμαι μὴ πέρα τῆ δικάσμε ἀνφέρεσθ ζὺ δοκῆς τοῖς πλείοσις τ δ' ἢ καλῶς πεπαιδόμένων. Hic, si diis placet, Auctorem Hieronymum tuum laudabis hujusce instituti, qui Ruffini figuras non tulerit, qui Augustino minatus sit, ob unius loci enarrationem convulsam. Quis scit an ob id ad Christi tribunal actus vir ille vapulaverit? Malim ut totum mihi Hieronymum amulandum proponas, quam in eo veluti nevum pro exemplo prabeas. Sic in Minerva Phidiæ crepida reprehensione non carnit. Nec enim Hieronymus extra peccandi aleam fuit: nec se non Augustinus perperam multa scripsisse fassus est, libris etiam privatim ad id dicatis. Video te pedem pra indignatione supplodere, sed necesse est, ut ad extremum perferas, aureosque mihi vacantes devorandis his prabeas, quando tu me longa tua epistola ex animi tui sententia versasti, quasi ab adversario tuo steterim, prodita amicitia, ut scriptorum tuorum indicaturam, epistolarum licentia elevaverim. Quare reliqua auscultato, scilicet Augustinum & Hieronymum, & senatum fere orthodoxorum in communi reatu destituisse visus esses, nisi tu veritatis patrocinium suscepisses, & Fabro rescripsisses. Quid si hoc idem in te retortum valet? Utrum igitur tu timebas, ne tu ignominia, cum tot, tantisque Auctoribus notarere? an illorum magis quam tua prospectum existimationi voluisti? Quasi vero illi in suam tuamque sententiam, nostra etatis homines, aut posteros suapte ipsi auctoritate adducere non potuissent: aut tibi ignominiosum & capitale esset futurum, si te ejusdem cum illis culpa reum à periculo non vindicasses. Atque hac ita disputo, quasi Faber ipse fateatur, aut inficiari non possit, in hoc se magis stomacho serviisse, quam hac, qua scripsit, contentioni dedisse, ut pertinaciori fortasse, sic asserenda veritatis haud dubie studiosa. Qua de re autem inter vos agitur, non attingo, quoniam tu majorem eam cognitionem foro meo esse censes, aut etiam sanctiorem, quam qua profanis suffragiis permittatur. Neque id etiam in disquisitionem venit in hac controversia instantia, qua nunc in judicium deducta est. Sed quod vim vi propulsare juris publici esse dicis, tecum sentio, si civile jus hac in causa pro scuto amplecteris. Verum caput illud legis aut interdicti de vi, prator ille aternus, summusque judex, in suas tabulas, edictumque suum non transtulit, quanquam & illud jus civile modum tutela insontis & inculpata à propulsante exigit. Ex qua formula si tibi jus reddi petieris, vereor ut absolvi à me possis, qui tantam Apologiam, atque etiam talem ederis, ne pauculis commentariorum ejus chartis paria feciisse non videreres. Quod profecto nunquam feciisses, si tuo potius stomacho quam amicorum obsequi voluisses, qui inconsulto studio, nomini tuo favent, ut est multorum opinio, nec semper vident quid te deceat. Utcunque sit, hoc mihi omnino persuasi, si tibi nunc divorum aliquis rem integram denuo ita prastare posset, & vellet, ut ea, qua exierunt, hominum memoria eximerentur, tuque rem ipsam arbitrii tantum tui, non etiam tui studiosorum esse velles: omnino te, ut parcissime loquar, ita comparaturum, ut gravitate & moderatione superiorem videri, quam verborum & altercationum subamara vicissitudine praoptares. Neque non Fabro istidem rem pœnitendam videri existimo, qua est animi probitate, ut tu ipse agnoviisse alioqui te fateris: qui etiam hunc casum noxa Homericæ tribuis, ἴτε, ut inquit ille, καὶ ἀνδρῶν κεφαλὰς βαίνῃ βλάπτεσ' ἀνθρώπους. Neque quicquam est, quod minus credam, quam ipsum Apologiæ tuæ responsurum, etsi temerarius rumor istuc usque manavit, vel tuorum fortasse nimium sedula suspicio con-

A

B

C

D

E

F

An. 1518. finxit, Fabrum quippiam hujuscemodi moliri: quem etiam audio non subdole, non figurate, non ὑπούλως, non repentina demutatione, sed bona fide, sed constanter, & asseverantis vultu scripta tua laudare, quanquam Apologiæ tuæ infensus sit fortasse. Quis enim miretur te illi in eo non placere, in quo tu tibi displices? ut & ex literis tuis intelligo, in quibus invitum te id certamen suscepisse satis significare mihi videris. Vide quam ἀφειδῶς τῶ τ Φιλίας δικαίῳ utar, & quam τὼ ἄγαν ζούτην ἐξουσίαν familiaritatis usurpem. Video jam quam mihi infensus sis, cum hac legis, qui tam iniquum tibi judicem me prabeam, cum tu me tamen æquissimum in epistola tua voces, ὃς ἐπιλεέψαιλός ζε τὼ δικαίαν μοι τ Φιλοφρονίας ὑμῶν καλεδιήτησαι ζε τὸν ἀγῶνα τοῦνομ, τ ὑμῖν θελκτόδεσον, ut ne appellare quidem quenquam judicem alium fortasse possis, qui mihi arbitrium hoc omnino permiseris, ne Budæum quidem ipsum τόν γε νῦν παρεστέχοντα τοῖς ὑπό ζε ἀπολογηθεῖσιν, id quod tibi demum salvum esse voluisti. Enimvero inquis, iniquissime & prater tuos mores facis. Ne igitur me lacesseres, qui scripta tua me dejecisse calumniaris, & Copiam tuam extenuasse frementibus tuis amicis. In quo utrum æquitatem tuam desiderare debeam, alias fortasse videro, qui ignorare non potes, quid de te scriptisque tuis senserim, ac scripserim. Verum, ut ad seria tandem veniam, velim ita existimes, judicium meum de vestra illa dissensione, adhuc in mea esse potestate. Etsi tu enim rem mei arbitrii quadantenus esse voluisti, tamen ille fortasse hanc subire judicii aleam nolit: qui etiam, ut suspicor, æquiorem me tibi credit, cum tu diversam opinionem habeas, qui me in tua epistola suspecti postulare non cessas, ut juris verbo loquar. Sed etsi uterque ex compacto arbitrium mihi hoc deferatis, haud libens suscepserim. Quod si me auctorem non respuitis, cupide id suaserim, ut denuo in futurum amicitia officia colatis. Id quod si mox ipsum fieri nequit, nondum plane absterseris animis, tametsi compositis, certe ut prateritæ silentio, atque, si fieri possit, oblivione obruatis. Quanquam magnorum Auctorum exemplo honeste fieri potest, ut in aliquibus tuis, illiusque scriptis hoc vulnusculum vestra fama cicatrice aliqua honesta, vel splenio solerter obducatur, hominesque docti intelligant contentionem hanc potius, quam offensionem animorum fuisse. Neque vero cum ea ad te scripsi, tam prateritæ reprehendere volui, qua jam teneri non poterant, & potestatem tuam exierant, quam inhibere gliscentem contentionem visus sum, ne ultra modum crescceret. Quanquam id tu aliter interpretaris, ut mihi semper inique suspicax es. Est etiam apud nos in universum hac de vestra dissensione sententia, magis ut viri boni graveque doleant, intemperias quasdam rei literaria adversas inter vos has turbas excitaviisse, quam ut alterum facile damnaturi sint, & alterum absoluturi, maximeque exoptent vos in gratiam redire. Hoc modo fortasse nobilis illa contentio inter Hieronymum, Ruffinumque coaluit, sed pervicacius, atrociusque exarsit. Usque adeo humanum est peccare, idque fert humana conditio, ut in viris alioqui summis hac culpa luculenter deprehendatur, cum contentionis blandimenta rationi obrepentia, ita hominem provexerint in pervicacem animum: ut secus quippiam ille potius de sua existimatione consulat, quam motus irrumpentes animi inhibeat. Equidem, mi Erasme, ut jam simpliciter tecum loquar, quum hac primum intellexi, non condolescere tibi, Fabroque non potui, qui post tot stipendia in stativis Palladis emerita in sua uterque statione, quum omnes jam juniorum seniorumque centuria dignos vos esse censerent, qui nostrarum cohortium ordines duceretis, nescio quo sinistro genio impulsore in ordinem vos rursus propemodum coegistis. Qui si etiam pergeretis obstirmatis animis indulgere, & ad simultatem usque apertam pertinaciter contendere, vererer ne gravium bonorumque prarogativa are nos laudis & gloria tandem dirutum iret. Ille etsi mihi jam olim amicus magis quam familiaris, & consuetudine vita consiliorumque commercio devinctus, rationem consilii sui viderit. Tu vero, qui mihi cognitionem hujusce negotii alteris jam literis detuliisti, si tibi constare vis, & me

An. 1518. me lucrifacere, quo in partes tuas transeam, in obtemperantis habitum te ut componas necesse est, etiamsi cordis ore reclames, surdisque dentibus infrendas. Itaque apage illud ex tuis literis: Tu si hic sis, mi Rudae, aliter, aliterque sentias. Etenim hac de re sic censeo: Cum vita humana ea sit in universum conditio, ut quo quisque exactius, atque etiam innocentius rationes suas instituerit, eo plura fere sibi negotia exhiberi à casuum temeritate sentiat, quae mortales ipsa miseros sursum deorsumque versat: noxa scilicet illa tenebrarum praeside, in omnes occasiones pervigili intentione imminente, quae provideri ab homine nequeunt: tum verò nostrae sortis hominibus incessere plerunque solet, improbeque blandiri, parens illa discordia contentio, quae in deorum olim convivio, aureum illud malum, inscriptum, ἡ καλὴ λαβέτω, provolvisse in medium dicitur: dociles tandem ipsa homines Epimetheos faciens, quo tu me nomine taxavisti. Hujus rei insigne clarumque documentum Homerus, ingeniorum decus, velut iracundiae & contentionis antidotum posteritati reliquit: apud quem, ut nosti, Iliados duodevicesimo Achilles ob id maerens, quod justo pertinacius animo suo irato indulsisset, quanquam insigni injuria ab Agamemnone affectus, errore tandem intellecto pertinaciam contentionis iraque detestans, ita inquit:

Ὡς ἔρις ἔκ τε θεῶν, ἔκ τ' ἀνθρώπων ἀπόλοιτο,
Καὶ χόλος, ὅς τ' ἐφέηκε πολύφρονά περ χαλεπῆναι,
Ὅς τε πολὺ γλυκίων μέλιτος καταλειβομένοιο,
Ἀνδρῶν ἐν στήθεσιν ἀέξεται ἠύτε καπνός.

Proinde velim te ita esse animo comparatum, ut etiamsi Faber certamen instaurare institerit, id quod falso rumore persuasus exspectas: tu tamen hac de re conquiescere tibi imperes. An vero si ille iniquior esse, & protervior contra ingenii sui naturam constituerit, ut suis impulsoribus morem gereret, tu quoque cum eo contendere turpi certamine confestim connitereris? nec istam tuam existimationem, decorumque personae tuae respiceres? Quam legem cum in te sanciam, non ita privilegium de te fero, ut me non eadem ipsa lege teneri velim. Etsi omnino noverim homines doctos & auctoritate praditos in animum induxisse, suis me scriptis carpere, nonnullos etiam jam id fecisse editis libris sciam, mihi tamen semel ita imperavi, huic meae sententiae ratae, fixae, confirmatae acquiescere, ut nihil illis respondeam, nisi si mihi silentium vitio verti videam, aut luculentae fraudi futurum. Idque mihi ut faciam, auctores sunt & imperatores amicorum juratissimi, simul & gravissimi. Neque enim jam ista me juvant, quae sine acerbitate genium nullum habent, neque mitis est mansuetique ingenii, ea digladiatione oblectari, quae sine luculento vulnere plausum mereri nequit. Et est ea natura contentionis, ut plus ad stomachum ejus faciant, quae plus fellis quam salis habent. Tune, egone, quanquam longe te inferior, qui servitutem molestam gravemque ambitioni servivimus, & tandem vindictam meruimus, ex libertate rursus in pistrinum nos demus, atque acerba identidem concertatione conflictemur ut scripturienti cuique libuerit stylum in nos exacuere? Equidem si alterutra mihi conditio eligenda sit, malim literarum elegantium studium ejurare, quam ad eam mentis carnificinam adigi. Tu jam gloriae culmen tenes, ex quo ut à nullo deturbari jam potes, sic si gradum ipse dimoveris, conversos in te oculos fallere non poteris. Ego in eam vel securitatis vel incuriae arcem conclusisse me confido, unde me in campum perlicere ad certamen haud facile quisquam possit. Malim ut animi aequitate superior esse videare, quam causa actione. Neque tu aliter in animum tuum induxeras, ut ex literis tuis video, atque ex ipsa Apologia, utpote qui maerens propemodum hoc certamen capessieris, gemensque peregeris. Verum ut tibi jam sententiam meam proferam, placidiorem mihi vultum exhibe. Summa rei haec est, hactenus veritati atque existimationi tuae patrocinium tulisse, per me quidem & communes amicos licere ut censeare: quandoquidem est hujuscemodi controversia, quae ampliari potius, & comperendinari sepius, quam semel dijudicari debeat. Ulterius autem si verbum addideris, non impune tibi ab amicis futurum. Neque vero me nunc credas Fabri causam agere, sed tuam potius vicem dolere, qui hoc tibi suadeam, ut in gratiam cum honestate & moderatione redeas, imo ut ad ingenium tuum remigres, ac te tibi nobisque restituas, & sacrae lectioni meditationique referas. Multa fert amicitia, quam tu Fabro invitus renuncias, ut potius cum eo expostulare ob violatam inconsulto amicitiam, quam eum postulare criminose videaris. Multa opinionissimum nomen Erasmi, quo nunc omnes Occidentis provinciae personant, multa sacerdotis dignitas, & professionis theologicae ratio: & vis ista contentionis cum aetate ut conseneſcat oportet. Et est ejusmodi certamen, cujus victoria flagrare citius invidia, quam plausum excitare tibi possit. Neque te hic audiam, si pergas in eum crimen retorquere, qui prior certamen hoc commisit. Nunc causae cardinem non attingo, & causam tuam non illius judico. Volo tuam ut causam mihi approbes ex tuo tantummodo, non etiam ex illius instrumento: id est, ex propria moderatione insontem te, non recriminatione doceas. Siquidem decet boni viri innocentiam, suapte vi, suoque jure niti, non aliena injuriae propulsatione commendabilem videri. Audio te nunc divûm hominumque fidem implorare, quod tibi impietatis reo actionem, causaque dicendae liberum arbitrium denegem. Atqui si hujus rei judex legitimus fuissem, & à me tu petiisses, ut tibi agere lege liceret, ut actionem ipse tibi negare jure non potuissem, ita tibi modum dicendi ad clepsydram statuissem. At vide quem tandem aquae tibi modum infuderis. Non invitus facio, ut strenue te castigem, cui jam diu invidere coepi, ut luminibus meis nimium officienti: & hactenus agre tuli, in epistolaribus nostris altercationibus me semper inferiorem discessisse. Sed vereor, ne omnem in me iram tuam derives, & si nondum plane indignationem illam devoraſti, vel devoratam non concoquisti, ne tu reliquias in me regeras, & exspuas, epistolamque mihi unam amarulentam scribas. Verum, age, piacularis esse non recuso, & in Fabri locum prodire succidaneus, dummodo ſt machum perpurges, simul & suspicione illa tua defungar, φεὶ τῶ λεπτολογημάτων. Hoc multis gratum erit, qui interesse publicae utilitatis credunt, te ab illa contentione animum dejectere, ne id tibi parergon praeclare cujuspiam commentationis remora sit, vel avocamentum. Hac ad te scripsi, vir amicissime, potius ut animum meum tibi testarer, literisque tuis responderem, quam quod admonitione mea egere te putarem. Atque libens hoc fecerim, si possim, ut qui mihi maledicere gestiant, ad officium, & modestiam, vel perferendo, vel spernendo obtrectationes, reducam: sin id efficere nequeo, certe hoc non commiserim, ut ab aequanimitatis proposito, & constantiae gradu dimoveri me sinam aliena improbitate. Etenim habet hoc à natura impetus invectivae contentionis, ut si ingruenti cesseris, irritus mox irrisusque atque evanidus fatiscat: sicut turbo elisus rapidas vires amittit, si obicem non offendit. Hic sus Minervam docebo, librosque tuos audire te jubebo. Miles enim tuus Christianus, mihi omnibusque probatissimus, me docuit, non esse ex usu disciplinae castrensis, delectos Christi milites, hujuscemodi velitatione tirocinium facere, nec Christi athletarum esse pugillationem infestam, ut tecum obsignatis tabulis agam. Mirum est, Tonstallum ad me non rescripsisse: vereor ut satis salve se adhuc habuerit. Epistola mea ad eum exemplum nondum recepi, ut antea ad te scripsi, atque haud scio an perditum sit. Si tamen magnopere habere exoptas, ex scheda restitui poterit, cum erit mihi ocium. Stephanus noster antistes, ex aula huc ad aliquot dies venit: sed iterum accersitus, perendie reversurus est, nec nunc est in urbe, sed cras rediturus, ut ajunt, & mox viam initurus. Bis cum eo collocutus sum, sed non procul arbitris. Is te fert in oculis, quae res urit me maxime, cum eo quod aulici, & Rex ipse, ferre te fama non cessant, ut ab eo audivi. Rex ex Italia Justinianum Episcopum ex Dominicali sodalitio accersendum curavit, & alium Hebraice doctum, nomine, ut arbitror Ritium: jamque habet unum Mithridatis amulum, qui omnes pene linguas

An. 1518. *novit, ut ajunt qui hominem viderunt. Quum de iis me præsente sermonem ipse faceret, egoque nonnihil, ut fit, dixissem:* Quidnam censes, *inquit,* Budæe, de Erasmo? nostine, quid ei sit animi, & an in Franciam tandem præmio se digno pertrahi possit? *Si id, inquam, cordi magnopere Regi esse sentis, odorari iterum non gravabor, an adduci possit, ut* Parisios *migret, ibique domicilium fixum habeat. Quandoquidem, si bene eum novi, ne episcopatum quidem opimum libens mereat, ut inter aulicos agere incipiat. Ne multa: cum ei, ad te ut scriberet, ocium non suppeteret, auctor mihi fuit, ut animum tuum explorarem, auctorque tibi essem, ut ad eum scriberes quid in animo haberes, ut ipse negotium in aula procuraret. Agedum, fastidiosule, vide, consule, decerne, an noster esse velis, ac delicias facere tandem desine, ut utar verbo Comico. Dic quid tibi dari stipendii placeat, ut apud nos consenescas: cui mox sacerdotium accedet, ut ille arbitratur. Si ad nos transire animum induxeris, multis, ut opinor, nostratium exoptatus venies, quos jam satis multos habemus, doctrina etiam bilingui praditos:* Budæumque *habebis, quicum aliquando lusites: cumque eum propius certiusque cognoveris, quicum etiam in tenebris mices. Atqui Gratiis te aliquando litaviisse oportet, qui hominem illum perspicacem dierum paucorum consuetudine, in admirationem tui favoremque traxeris. Nam quod nostratium permultis adeo places, qui te nunquam viderunt, styli tui suavitas efficit, operumque tuorum genius quidam illecebrosus lectorum exhilarator: qui in* Francorum *scriptis, à* Francis *desideratur, ut adversis* Vulcani *conjugibus, eloquentiæ studium nostri auspicari videantur, si* Francis *tantum scribunt, apud quos indigena generosi esse non solent. Vide quam ego tecum comparatus, iniquis fatis utar: siquidem cum* Palladem *togatam, simul ac palliatam, non modo religiose, sed & dispendiose coluerim, ut ne virginitatis quidem ejus attentandæ animum unquam habuerim: ne hoc quidem ab ejus observantia ferre adhuc potui, ut in aula gratiosum me faceret, sicut mihi quidem ego nunquam imperare potui, ut cum aula in gratiam redirem, ex quo ab ea migravi. Tu genesim gratiosam sortitus, ampla etiam præmia à tuis, ab externis (quodque inusitatum est) à nostris etiam imperitis ferre potes, si velis. Usque adeo ista tua* Minervæ *gratia nullis non te approbas, nec mihi, cum tibi ob id inviderem, conatus unquam processit: si opera tua, doctrina simul & venustate vendibilia carpere atque elevare institi. Id quod cum caute ac circumspecte fecisse mihi semper visus sim: tu tamen in epistolis ad te scriptis, contendis me aperte libros tuos dejecisse, ob unum aut alterum verbum familiariter prolatum,* Τί ἔν μεμψίμοιρε τῷ τύχῳ ἔτι αἰτιᾷς, ἢ σοι τὰ ἑαυτῆς ἀγαθὰ ἀμφοῖν ταῖν χεροῖν διατελεῖ συμφορῦσα. *O fortunatam istam tuam* Minervam, *cujus duo omnium maximi Reges jam facti proci esse dicentur! O nos felices, quibus mox videre continget, ut spero eum honorem esse habitum eloquentiæ, ut duo imperia potentissima, emula licitatione institorem eloquentiæ in ditionem suam adsciscant: si tamen tuum* Carolus *hanc gloriam* Francisco *invidere cœperit, cujus tu comitatum abeuntis in* Hispaniam *destituisti. Ludere me credis, serio jocor loquorque. Proinde dum res calet, tuorum amicorum senatum convocato, ut consultum primo quoque tempore fiat utrobi potius, id est, hic an isthic ætatem vergentem traducas. Quod si princeps à te consulente rogatus sententiam fuero, non dubitabo censere, è re atque ex existimatione tua futurum, si te cum instrumento studiorum tuorum huc contuleris, ut gymnasium exornes, quod in hac urbe Princeps instituere velle dicitur, & eorum desiderio satisfacias, qui te votis propemodum conceptis transire ad nos exoptant. Hac de re quod firmaveris, ad* Parisiensem *scribes, taxabisque stipendii modum & viatici, si ita tibi visum fuerit. Satius enim id esse censeo, quam ut me velut actore ad eam concipiendam stipulationem utare. Is enim gymnasii instituendi architectus est, ut intelligo. Qui cum tibi valde bene cupiat, omnia utique tua causa apud Principem conficiet, & magnifice tibi cavebit, ut res non modo sine captione tua, sed etiam ex usu tuo ac commodo lucu-*

A *lento transigatur. Tantum rem tuam gnaviter literis accurato, & ita rem totam exponito, ut ipse intelligat certiorem te factum à me. Ego autem ut eventum rei non præsto, nec rei periculum cupide recipio, quando nec gratiam transactæ rei magnopere vendicaturus mihi sum: etiamsi operam mihi istam admonendi tui depoposci: ita non video, quid in hac re vereri captionis debeas. Nisi enim tanto rei perficiundæ sponsori acquiescis: ne* Crassus *quidem tibi locuples satis erit, si reviviscat. Jamjam expostulator: & mihi posthac irascere, qui tibi libens semper nuncii quippiam boni porro, nec nisi invitus aut imprudens obnuncio. Certe nunc si vir bonus es, tu non modo boni consules quicquid in hac epistola scripsi, sed etiam* B *destinata ad id epistola, euangelia mihi debere te fatebere, sive conditionem accepturus sis, sive ambiguo responso fastidiose frustraturus, ut anno superiore feciisti, ad Regem etiam scribens, id quod ipse mirabatur, cum ei literas tuas reddidi in* Sammaurio *vico tum agenti, ubi villam habemus* Sammaurianam: *fastidiumque tuum purgavi ut potui, excusata absentia Cancellarii patroni tui, quasi scilicet alieni juris esses.* Glareanus *tuus in locum* Fausti *demortui suffectus est, & stipendium habebit. Usque adeo fortuna tibi favere prolixissime cœpit, ut etiam amicis tuis negotia sua fortunet. Idem* Parisien- *si jam notus est & gratus.* Deloinus *noster verbis meis salutari te jussit, qui ex aula recens redierat, cum ego* C *literas tuas accepi.* Ruzæus *tibi plurimum favet, qui etiam scrinium unum libris tuis dicavit, quos in manus sumere solet, cum mihi stomachum commovere vult: sum enim apud eum frequens.* Jacobus Tusanus, *utraque lingua doctus, etiam ejus contubernalis, ad te scribere meditatur, me urgente, ac verecundiam ejus castigante, usque adeo omnes te religiose adeundum esse putant, præter me, qui frontem perfricui. Vale, & omnem contentionem suspicionemque ex animo tuo abstergе.* Parisiis 12. *Aprilis, Anno* 1518.

An. 1518.

POST *has literas perscriptas, epistolam meam ad* Tonstallum *post multam flagitationem recepi, quam nunc* D *ad te mittere commode non potui, quia nondum transscripta erat. Volo enim ejus exemplum asservare, ne forte in via intercidat. Si igitur magnopere habere eam cupis, curabo exscribendam. Habes epistolam, bene longam, & tam insscite exaratam, quam si à meipso perscripta fuisset. Me jam accusare δυσκολοχαφίας non poteris, qui propter te Amanuensis utar opera. Vale rursus.*

## EPISTOLA CCCXI.

*Erasmus Hermano Buschio suo* S. D.

DISSIDIVM istud in dies gliscere, vehementius E quam credi posset, doleo. Demiror autem non pudere Theologos, & sanctissimæ religionis professores, tumultus istiusmodi concitare, quorum exitus cujusmodi sit futurus, incertum est. Quid lamentationibus illis, aut ineptius, aut inamœnius, aut indoctius, aut virulentius? Optarim ego clarissimum *Hermanum* à *Nova aquilà* comitem à talibus portentis continere ungues, unde præter pestem ac pus nihil queat auferri. Cum populis res est ei, qui cum Dominicano belligeratur. *Lystrium*, si verum est quod narras, sic ineptisse moleste fero: hominem literis objurgabo, licet id jam sero facturus, si liber est editus. Bene vale, doctissime *Buschi. Lovanio* 23. Aprilis, Anno 1518.

## EPISTOLA CCCXII.

*Erasmus Roterodamus Joanni Grolierio, apud Insubres Quæstori Regio,* S. P. D.

EGO, *Grolieri* vir clarissime, ut illustrium tuique similium virorum amicitiam, si vel offeratur ultro, vel bona quapiam fortuna obtigerit, avidissime soleo amplecti, utpote rem omnium meo quidem animo longe maximam ac felicissimam, semel amplexus pertinacis-

Digitized by Google

An. 1518. ciſſime tueri gaudeo: ita nequaquam mihi moris eſt, ingerere memetipſum in cujuſpiam familiaritatem, quippe qui ſic natura abhorream ab omni genere ambitionis, ut nec illud ambire ſuſtineam, quod unum in rebus humanis ambiendum duxerim, ſi quid omnino judicem ambiendum. Nam dic mihi per Gratias, quæ poſſeſſio poteſt homini contingere vel honeſtior, vel tutior, vel jucundior, quam ſincerorum planeque γνησίων amicorum. Alii fructibus prædiorum, annuoque cenſu ſuam felicitatem metiuntur: ego mihi pulchre locuples, atque ipſo etiam *Cræſo* videor beatior, qui diverſis regionibus tam multos poſſideam amicos, & integritate ſpectatos, & eruditione celebres, & dignitate præcellentes. Hos quandiu ſuperi propitii mihi volent incolumes eſſe, non poſſum mihi non opulentus, non fortunatus videri, quantumvis alii fortunæ meæ tenuitatem contemnant. Quod ſi novus amicus veterum numero accreverit, eximio quodam lucro rem fortunaſque meas auctas arbitror. Cum *Guilielmo Budæo*, qui cum jam olim mihi vulgaris interceſſit amicitia, nuper arctiſſimo ſanctiſſimoque neceſſitudinis fœdere ſum copulatus. Atque is ſecum duos ornatiſſimos viros, *Deloinum* & *Ruzeum* in fœderis ſocietatem traxit. Muſas omnes iratas habeam, ni magis mihi placeam hac acceſſione, quam ſi me Rex Catholicus Epiſcopi dignitate locupletaſſet. Atque hoc animo cum ſim, quod unice apud me concupiſco, tamen ambire non poſſum. Et tamen hunc inexpugnabilem ingenii mei pudorem vicit, extuditque, *Julii Calvi* vel improbitas, vel eloquentia. Siquidem is ſic inſtitit, ut *Grolierium* meis literis laceſſerem, ſic inhæſit, ſic urſit, ut volentem nolentem quiverit in obſequium perpellere, & velut obtorto collo, quocunque lubitum eſſet *Eraſmum* pertrahere. Rurſus idem tam rara facundia, tuas egregias virtutes mihi deprædicavit, ut accenſus, ultro ſequerer trahentem, ac pene etiam præcurrerem. Τί γὰρ ἂν πάθοιμι, cum ille mihi belliſſimis coloribus, quos illi tuæ dotes affatim ſuppeditabant, artifice linguæ ſuæ penicillo, ſic tum animi, tum corporis tui ſimulacrum non delinearit modo, verum etiam expreſſerit, abſolverit, oculiſque ſubjecerit, ſic totum *Grolierium* velut *Apelles* quiſpiam in tabula, ſeu verius in ſpeculo repræſentarit, ut minus conſpecturus fuerim, ſi te coram & cominus oculis quanlibet curioſis colluſtraſſem. Adjuvit nativam facundiam, mirum quoddam hominis erga te ſtudium, ut auctore *Fabio*, bonam eloquentiæ partem pectus ſubminiſtrat. Efficax quidem ac præpotens dea Πειθώ, non abs te Priſcis dicta *flexanima*, ſed eadem prorſus invicta & impotens eſt, ſi *Cupidinis* adminiculo roboretur. Ut ille me rapuit, ut accendit, ut inflammavit, ubi prolixa, ſed ſuaviſſima tamen oratione novum quendam heroa depinxit, corporis atque animi dotibus juxta felicem, omnibus *Rhamnuſia* ornamentis eximie cumulatum, nullo non virtutis ac decoris genere ſuſpiciendum venerandumque. Ad hæc, ea morum civilitate modeſtiaque, ut ipſe magnitudinem ſuam ſolus neſcire videatur, ea benignitate munificentiaque in omnes probitate literiſque commendatos, ut tantam felicitatem aliis habere, non ſibi credi queat, velut in hoc ipſum divinitus editus, ut de univerſis ſtudiis, ſtudiorumque cultoribus bene mereatur. Sic enim veterem illum *Mecænatem*, in cujus laudes à tot eloquentiſſimis viris eſt decertatum, huic noſtro ſeculo refers, ut non ſolum doctos omnes colas, provehas, foveaſque, verum etiam eruditorum chorum non minus ornes tuo contubernio, quam patrocinio ſubleves. Deligis ingenia, quæ diligas. Atque is ſane mihi demum videtur diligere, qui judicio diligit. Id tibi ſic acerrimum eſt, ut nihilo ſecius candidum: rurſus ita candidum, ut noris quid interſit inter *Homerum* & *Chærilum*, inter *Maronem* & *Mevium*. Jam vero pulcherrimum quidem illud arbitror tuæ virtutis argumentum, quod Rex Chriſtianiſſimus, perſpectam habens tuam iſtam integritatem ac ſapientiam, cum eruditione non vulgari conjunctam, adhuc ætate virenti tantis negotiorum molibus præfecerit. Sed longe pulchrius quod Quæſtoris munus per ſe invidioſum, æquitate morumque tuorum ſuavitate plauſibile gratioſumque reddideris, in quo jam diu ſic verſaris, ut Principi tuo nuper armis partam gloriam duplicaris, dum ita fungeris magiſtratu, ut *Italus* intelligat & apud *Gallos* eſſe, quibus non pudeat parere. Imo quibus volentes ac lubentes parcant, qui non niſi virtuti parere didicerunt. Hiſce rebus commemorandis, jamdudum inflammatum, magis etiam ac magis accendit animum meum noſter *Calvus*, nullum non movens lapidem, quo me totum in tui raperet admirationem, dum productis voluminibus oſtendit viros eruditione præſtantes, certatim nomen *Grolierii* ſuis lucubrationibus aſſerere, ſatis illuſtre, ſatiſque ſplendidum exiſtimantes cuicunque clariſſimus ubique *Grolierii* titulus præluxerit. Neque enim arbitror eximiæ virtuti ullo opus eſſe præconio. Mediocria fortaſſis eloquentium hominum ingenio commendantur: ut ſtellarum lumen, lucerna quis adjuvet, ſol ipſe ſibi prælucet, offuſcans quicquid externæ lucis admoveris. Noſtrum agimus negotium, dum lucubrationes noſtras talium nominum lenocinio commendamus. Non tu libris, ſed tibi debent libri, æternam per te apud poſteros memoriam habituri. Quod ſi maxime ad nominis immortalitatem literarum auxiliis egeret inclyta virtus, nihil erat neceſſe aliunde petere, quod tibi domi eſt, qui ſic literatis faves, ut ſis inter literatos literatiſſimus. O vere magnum & regno dignum animum! O felicem *Galliam*, quam tot modis nobilitas; felicem *Inſubriam*, cui tu juxta celebratiſſimum *Platonis* elogium, ſimul & magiſtratum exhibes, & philoſophum, ſic Rempubl. adminiſtrans, ut interim ſtudiorum omnium antiſtitem agas! Quid multis agam, ornatiſſime *Grolieri?* Fateri pudet, & tamen ſilere non poſſum. Geſtiebat inter hæc animus, magnam felicitatis acceſſionem ſibi pollicens, ſi contingeret *Eraſmum* inter tuarum virtutum præcones adſcribi. Et arridebat hæc cogitanti, blanda quædam ſpes, ex ſingulari tua humanitate concepta: ſed rurſum dum in ſinum meum expuo, & expendo quam ſit mihi domi curta ſupellex; O improbum, inquam, ſomnium, quid habent noſtræ Muſæ pluſquam *Caricæ*, *Grolierii* gloria dignum? Οὐ παντὸς ἀνδρὸς *Jovem* effingere. Verum, jam pene deſpondenti animum, *Calvus* animum reddidit: primum, omnibus Rhetorum locis exaggerans tuam incredibilem in ſtudioſos omnes humanitatem, deinde, propenſum quoddam ac peculiare ſtudium erga meum ingenium, meoſque qualeſcunque libellos. Cujus rei cum, per omnia ſacra dejerans, feciſſet fidem, cœpit urgere homo violentiſſimus, ut te vel epiſtolio provocarem. Mihi vero quidvis potius viſum eſt, quam committere, ut hominis incomparabilis amicitiam neglectis extemporariiſque literis viderer auſpicatus. Quid enim tum poteram aliud? à *Flandrico* itinere feſſus, & in *Germanici* procinctu ſic occupatus, ut non paulo moleſtius eſſe putarem profectionem adornare, quam profectionem peragere. Ajo rem non modo cum tui injuria, verum etiam cum meæ famæ periculo conjunctam videri. Vincebam argumentis, nec tamen deſtitit inſtare *Calvus*, auſus hujus aleam omnem in ſeſe recipiens, ſe præſtaturum, ſi quid ſecus eveniſſet. Etiamſi compertum haberet nihil eſſe periculi, exploratiſſima ſibi *Grolierii* fretus humanitate. Quid quæris? *bene plauſtrum perculit*, ut vetus habet proverbium. Perfricui faciem, auſus ſum auctore *Calvo* facinus audax. Quod ſi bene verterit, & *Eraſmum* tuæ clientelæ non graveris adſcribere, adnitar omnes ingenioli mei nervos intendere, omnem tentare venam, ſi quid forte grandius, & maximo *Grolierio* dignum, poſſit exſculpi. Fortaſſis quod negat natura, dabit tui ſtudium, & quod noſter non habet Genius, tuæ dotes ſuppeditabunt. Sin offenderit te noſtra audacia, temeritatis culpam omnem in *Calvum* referas oportet, mihi nihil potes imputare, niſi quod vel homini facun-

Digitized by Google

An. 1518. cundiſſimo fidem habuerim, vel urgentiſſimo, planeque vinci neſcio ceſſerim. Denique non recuſo quo minus hanc damnes epiſtolam, modo probes hunc in te animum, quem nunc utcunque teſtati, alias locupletiori teſtabimur argumento. Bene vale, clariſſime, idemque doctiſſime vir. *Lovanio* 24. Aprilis, Anno 1518.

## EPISTOLA CCCXIII.

*Anglorum Regi Henrico, ejus nominis* VIII. *Eraſmus Roterodamus* S. D.

SALVTEM & immortalitatem, ſereniſſime Rex. Celſitudinis tuæ munus, multis quidem modis mihi gratiſſimum fuit, ſive quod per ſe ingens, ſive quod a Rege profectum, præſertim ab eo Rege, qui non minus honeſtiſſimarum rerum ſtudio, quam ditionis opulentia ſit eximius, cujus probari judicio magnificentius ſit, quam inaurari munificentia. Tamen hoc nomine mihi præcipue fuit gratum, quod veteri tuo de nobis ſuffragio, quo ſæpenumero *Eraſmum* non minus amanter quam honorifice tua majeſtas ornavit, ceu pignus quoddam acceſſiſſe videretur. Ac velut hoc parum ſit viſum tuæ erga bonas literas benignitati, ultro fortunam offers perpetuam, eamque non mediocrem. Quam equidem adeo non recuſo, ut vel gratis ſub tali Principe merere cupiam, apud quem ut quiſque bonis literis, vitæque integritate maxime præcellit, ita gratia & auctoritate plurimum valet; cujus aula Chriſtianæ diſciplinæ ſit exemplum, ſic eruditiſſimis viris celebrata, ut illi nulla non invideat Academia. Deum Optimum Maximumque precor, ut & iſtum animum tibi perpetuum eſſe velit, & te regno quam diutiſſime tueatur incolumem, ut pluribus annis ſub optimo florentiſſimoque Principe, veris bonis floreat, vigeatque. Nos cogimur edendis voluminibus Novi Teſtamenti, quatuor menſes impendere. Eo negotio confecto, totos nos tuæ majeſtatis dedicabimus obſequiis. *Lovanio* 25. Aprilis, Anno 1518.

## EPISTOLA CCCXIV.

*Joanni Laſcari Conſtantinopolitano Eraſmus Roterodamus* S. D.

VIR omnibus ornamentis clariſſime, *Hieronymus Buſlidius*, homo doctus ac potens, & hujus regni decus incomparabile, in itinere *Hiſpanico* moriens, legavit multa millia ducatorum, ad inſtitutionem novi Collegii apud *Lovanium*, Academiam hac ætate cum primis florentem, in quo publicitus & gratis tradantur tres linguæ, *Hebraica*, *Græca*, *Latina*, ſalario ſatis magnifico circiter ſeptuaginta ducatorum, quod tamen augeri poſſit pro ratione perſonæ. *Hebræus* jam adeſt, & item *Latinus*. *Græcam* profeſſionem complures ambiunt. Verum, meum conſilium ſemper fuit, ut adſciſceretur *Græcus* natus, unde ſtatim germanam *Græci* ſermonis pronunciationem imbibant auditores. Ac meæ ſententiæ ſubſcribunt auctores hujus negotii omnes, mihique mandarunt, ut ſuis verbis accerſerem, quem judicaſſem ad hoc negotii idoneum. Quare te rogo, vel pro ſolita tua erga nos humanitate, vel pro tuo erga bonas literas favore, ſi quem noſti, quem exiſtimes & mihi, & tibi futurum honori, cura ut quam primum huc advolet. Dabitur viaticum, dabitur ſalarium, dabitur locus. Erit illi res cum viris integerrimis & humaniſſimis. Neque minus fidat his meis literis, quam ſi centum diplomatis res eſſet tranſacta. Inter bonos & abſque ſyngraphis bene agitur. Tu cura ut deligas idoneum, ego curabo ne hominem huc veniſſe pœniteat. Bene vale, doctiſſime clariſſimeque vir. *Lovanio* 26. Aprilis, Anno 1518.

## EPISTOLA CCCXV.

*Dominico Grimano, Cardinali Tit. S. Marci, Eraſmus Roterodamus* S. D.

JAMPRIDEM *Paraphraſis* in Epiſtolam *Pauli* ad *Romanos*, tuo dicata nomini, verſatur in manibus hominum, ſatis plauſibiliter ab omnibus eruditorum centuriis accepta. Hæc eſt, ni fallor, tui genii potius quam operis felicitas. Hactenus non miſi tibi volumen, ſive quod editio prima mihi non admodum arrideret, ſive quod tanto itinere non facile perferri ſciam, ſi qua quid habent oneris. Hunc libellum ex officina *Baſilienſi* ſatis eleganter excuſum periclitari viſum eſt, ſi forte nondum ad te perlatum fuit opuſculum. Id ſi ſenſero gratum, imo probari tanti viri judicio, mox ad reliquas Epiſtolas ſimiliter explicandas accingemur, ad quod laboris me paſſim exſtimulat ſtudioſorum efflagitatio. Accipio ſublimitatem tuam mihi literis reſpondere dignatam de Novi Teſtamenti volumine, quod per erronem quendam è *Baſilea* miſeram, adhuc ab officina madens: verum eas ante biennium fere miſſas, nondum videre licuit, ſive id perfidia factum eſt, ſive infelicitate mea. Cardinalis ſancti *Georgii* epiſtola ſic aberravit per *Ammonium* in *Germaniam* miſſa, ut nunquam perveſtigare quiverim, quo devenerit. Tua una cum ipſo *Ammonio* periit. Bene valeat tua ſublimitas, cui me meaque ſtudia velut optimo patrono commendo. Scribam brevi copioſius, certiorem aliquem nactus. *Lovanio* 26. Aprilis, Anno 1518. An. 1518.

## EPISTOLA CCCXVI.

*Eraſmus Rot. Richardo Pacæo* S. D.

SI vera ſunt quæ de *Paraphraſi* ſcribis, gaudeo ſane vigilias meas non uſquequaque infelices eſſe. An non mera felicitas eſt, exiguo labore magnam inire gratiam? Etenim ſi libeat operam cum opera comparare, ſcribere *Paraphraſes*, ludus eſt præ his laboribus, quibus mihi conſtat Novum Teſtamentum. Atque utinam quod tibi ſcribis eveniſſe, omnibus eveniat: nimirum ut illis quacunque occaſione dulceſcat *Paulus*. Hic vigiliarum mearum mihi fructus abunde magnus fuerit. Nolim autem *Paraphraſibus* meis tantum tribui, ut his fretus quiſpiam negligat interpretum commentarios, præſertim vetuſtiorum: imo ſpes eſt fore, ut ad hos diligentius excutiendos meus expergefaciat labor. Nec enim deerunt, opinor, curioſi, qui periculum facere velint, ubi cum interpretibus conſentiam aut diſſentiam, & erunt fortaſſe, qui venabuntur quod carpant. *Paulus* boni conſulit, quocunque animo prædicetur Euangelium, modo illuſtretur *Chriſtus*: nec mea magni refert, quocunque animo mea *Paraphraſis* legatur, modo hac occaſione *Paulus* omnium ſtudiis commendetur. In ſtylo ſecutus ſum *Senecæ* conſilium, non affectans ſermonis apparatum, ſed eo, qui ultro ad manum adeſt, ſum uſus. Non enim arbitror tantum eſſe tribuendum iſtis, qui hoc ipſo ſe jactant, quod ad prodigium uſque barbari ſint & Soloœci, ut in illorum gratiam affectanda ſit orationis ſpurcities, præſertim ſi nobis non minus ſudandum ſit, ut ipſorum more loquamur, quam illi laborant, ſi quando conantur emendate dicere. Quod hortaris ut pergam quod inſtitutum eſt abſolvere, σύ γε τὴν ἀπεύδουσα καὶ αὐτὸν ὀτρύνεις. Nihil adhuc vidi pertinacius hac in bonas literas conſpiratione. Cibi, potus, ſomni, citharæ, choreæ, ſimiliumque voluptatum omnium ſatietas eſt, ut inquit *Homerus*, his τῷ συνοφαυλεῖν κόρος ἐ πώποτε ἔδεις. Et quod proceres docuerunt, adeo gnaviter reddunt minores, ut non alibi magis locum habeat illud, ni fallor, *Euripideum*, πολλοὶ μαθηταὶ κρείσσονες διδασκάλων. De navigatione ſuſcipienda faciam quod mones: valetudinem in conſilium adhibebo. Quod is Regis animus in me perſeverat, non tam mea cauſa gau-

Digitized by Google

An. 1518. gaudeo, quam eruditorum omnium: quando mihi non alio nomine favet, quam quod sibi persuasit, *Erasmum* in literis esse aliquid. Non sum avidus laudum, tamen ut, quod res est, ingenue fatear, à tali Principe laudari nec dolet, nec pudet. Bene vale, mi *Pacae*, amicorum doctissime, & doctorum amicissime. *Lovanio* 15. Maji, Anno 1518.

## EPISTOLA CCCXVII.

*Thomæ Cardinali Erasmus Roterod.*

POST plurimam salutem *R. D.* non infimum decus augustissimi ordinis Cardinalitii: quod hactenus non revisserim *Mecænates* meos, quos eximios, neque hos sane paucos habet mihi *Britannia*, studiorum onera fuerunt in causa, quæ me propemodum opprimunt, dum onus onere cumulatur, velut *unda supervenit undam*, ut *Nasonis* utar verbis: sed præcipue tamen valetudo ex multis gravibus ac diutinis morbis adhuc tenerior, quam ut ausim me molestæ navigationi committere. Porro, quod nec literis salutarim amplitudinem tuam: partim puduit eam tot arduis negotiis tum regni, tum ecclesiæ distentam, meis næniis interpellare: partim deterruit ejusdem magnitudo, cui religiose scribunt & maximi. Cæterum cum, qui istinc huc commeant, miro consensu prædicarent, quanto studio, quantoque successu tua prudentissima pietas *Britanniam* ex ærea auream facere moliatur, non potui mihi temperare, quin & istum animum tibi, & te *Britannia* nostræ gratularer. Siquidem, ut omnium testimonio celebratur, inter tot præcipuos orbis Monarchas jam olim optatam pacem arctissimis fœderibus conglutinasti, cum *Leo* Pont. Max. pacis alioqui cupientissimus, de quinquennibus induciis duntaxat ageret. *Britanniam* omnem à latrociniis, grassatoribus, ociosis erronibus repurgas, ut jam non tutior sit à venenis aut perniciosis feris, quam ab hominibus noxiis. Lites perplexas auctoritate tua dissecas, non minus feliciter quam *Alexander* ille magnus nodos *Gordios*. Magnatum dissidia componis; monasteria passim veteri religionis disciplinæ restituis: clerum omnem ad laudatiorem vitæ formam revocas: quin & liberalium disciplinarum studia, nonnihil hactenus collapsa, sarcis: politiores literas, cum veteris inscitiæ patronis adhuc colluctantes, favore tuo fulcis, auctoritate tueris, splendore ornas, benignitate foves, magnificis salariis invitans eruditissimos quosque Professores. Comparandis bibliothecis, omni bonorum Auctorum genere locupletissimis, cum ipso certas *Ptolemæo Philadelpho*, magis hac re quam ipso regno celebri. Tres linguas, sine quibus manca est omnis doctrina, nobis revocas: nam hoc beneficio, quod nunc præstatur inclytæ Scholæ *Oxonienſi*, totam *Britanniam* felicem judico. Quin & illud fore confido, ut hoc pulcherrimum exemplum nostrorum quoque Principum animos expergefaciat aliquando. Video, video, prorsus seculum quoddam aureum exoriri, si Principibus aliquammultis tuus iste incessat animus. Reponet justa præmia sanctissimis tuis conatibus is, cujus auspiciis hæc geri videntur. Nec erit ingrata posteritas. Novam hanc felicitatem, orbi per te partam, loquentur olim eruditorum hominum literæ. Tuum istud pectus, juvandis mortalium rebus natum, celebrabit æternis monumentis *Latina* pariter ac *Græca* facundia. Istiusmodi columnis, istiusmodi pyramidibus & paratur & servatur honesti nominis nunquam intermoritura memoria. Ego interim publicæ gratulans felicitati, meum nomen luce recentiorum obscurari gaudeo, nimirum passim jam efflorescentibus, ad quos ipse nec scire literas, & infans esse videor. Mihi sat est, quod hoc laudis fero, si tamen promereor, ut dicar unus ex eorum numero fuisse, qui crassissimam barbariem ac pudendam infantiam, quas hactenus nobis opprobrabat *Italia*, ab hisce regionibus depellere conati sunt. Id quam feliciter fecerim, nescio, certe non absque invidia mihi tentatum scio, quæ, non secus atque umbra lucem, egregios conatus An. 1518. solet comitari. Tametsi mitescunt plerique. Tantum adhuc rebellant pauculi quidam, grandiores quam ut sperent, crassiores quam ut possint, arrogantiores quam ut velint meliora discere. His persuaderi non potest, quin semel collapsura sit omnis ipsorum auctoritas, si sacros Libros habeamus emendatiores, & horum intellectum ab ipsis petamus fontibus. Tanti faciunt suam majestatem, ut malint ignorari multa, multa perperam legi citarique in divinis Libris, quam ipsos quicquam nescisse videri. Quoniam autem sentiunt sese impares argumentis, & si libris agant, nihil aliud assequi sese, quam ut suam traducant inscitiam pariter ac stultitiam, ac seipsos eruditis deridendos propinent, aperto *Marte* diffisi, ad artes confugiunt, sycophantiis onerant bonas literas, ac bonarum literarum assertores, meque in primis, quem arbitrantur ad hæc studia revocanda nonnihil attulisse momenti. Quicquid prodit invidiosum, *Erasmo* impingunt. Dicas hic & calumniæ ingenium esse, miscent bonarum literarum causam cum *Reuchlini Lutherique* negotio, cum hæc nihil inter se cohæreant; mihi sane neque *Cabala*, neque *Thalmud* unquam arrisit, cum *Reuchlino* semel duntaxat congressus sum *Francfordiæ*, nec aliud inter nos intercedit, nisi civilis amicitia, qualis fere inter studiosos omnes solet: neque vero me pudeat cum eo viro necessitudine junctum esse: habet meas literas, quibus nondum de facie notum admoneo, temperet à manifestis conviciis, quibus illius Apologia satis *Germanice* debacchatur in adversarios, tantum abest, ut famosis scriptis unquam faverim. *Lutherus* tam ignotus est mihi, quam cui ignotissimus, nec adhuc vacavit hominis libros evolvere præter unam & alteram pagellam: non quod fastidierim, sed quod per studiorum occupationes non datum sit ocium: & tamen hunc quidam, ut audio, confingunt mea adjutum opera. Si recte scripsit, mihi nihil debetur laudis: sin secus, nihil mereor probri, quando in omnibus illius lucubrationibus ne apiculus quidem ullus est meus. Id verissimum esse comperiet, quisquis volet vestigare. Hominis vita magno omnium consensu probatur: jam id non leve præjudicium est, tantam esse morum integritatem, ut nec hostes reperiant, quod calumnientur. Quod si maxime vacasset legere, non mihi tantum arrogo, ut de tanti viri scriptis velim pronunciare, etiamsi nunc passim pueri magna temeritate pronuncient, hoc erroneum, illud hæreticum. Imo adversus *Lutherum* aliquando fuimus iniquiores, ne quid invidiæ recideret in bonas literas, quas nolebam amplius onerari: neque enim me fugit, quam invidiosa res sit, ea labefactare, unde messis opima demetitur sacerdotibus aut Monachis. Prodierant primum aliquammultæ propositiones de remissionibus Pontificiis: mox accessit unus atque alter libellus *De confessione*, *De pœnitentia*: cum sentirem gestire quosdam ad editionem, serio dissuasi, ne invidiam hanc adderent bonis literis. Erunt hujus rei testes & qui *Luthero* bene volunt. Tandem prodiit examen libellorum: nemo me vidit legentem; nemo probantem audivit, aut improbantem. Nec enim tam temerarius sum, ut probem quod non legerim; neque tam sycophanticus, ut damnem quod nesciam: etiamsi hoc hodie solenne est iis, quos minime decet. Habet *Germania* juvenes aliquot magnam & eruditionis & eloquentiæ spem de se præbentes, quorum opera futurum auguror, ut aliquando gloriari possit *Germania*, quod nunc optimo jure gloriatur *Britannia*. Horum nemo mihi de facie notus est, præter *Eobanum*, *Huttenum*, ac *Beatum*: hi nullo non machinarum genere, cum linguarum ac bonarum literarum, quibus omnes boni favent, hostibus depugnant. Horum libertatem faterer & ipse intolerabilem, nisi scirem, quam atrocibus modis tum publice, tum privatim irritentur. Ipsi sibi permittunt, ut in sacris concionibus, in scholis, in conviviis odiosissime, imo seditiose quidvis vociferentur apud imperitam multitudinem, & facinus non ferendum arbitrantur, si



Digitized by Google

An. 1518. quis horum auſit mutire, cum & apiculis ſit aculeus, quo læſæ feriant; & muſculis denticuli, quibus offenſi ſeſe tueantur. Unde novum hoc deorum genus? Illi, quos lubitum eſt, hæreticos faciunt, & cœlum terræ miſcent, ſi quis eos appellet ſycophantas. Cumque non vereantur ea deſignare quorum pudeat etiam *Oreſten*, tamen à nobis poſtulant, ut non niſi cum honoris præfatione nominentur, adeo fidunt ſtultitiæ multitudinis, ne dicam Principum. Ego bonas literas ut nunquam aſſequi potui, ita ſemper amavi: harum aſſertoribus faveo, quibus optimates ubique favent, præter *Midas* aliquot, quos aliquando deſcribet quiſpiam. Atqui ſic his faveo, ut tueat quod virtutis eſt, non ſi quid adſit vitii. Quod ſi quis expendat, quibus vitiis maduerint, qui pridem apud *Italos* & *Gallos* renaſcentibus priſcis ſtudiis opitulati ſunt, non poterit non favere his noſtris, quorum mores ejuſmodi ſunt, ut Theologis iſtis cenſoribus imitandi ſint magis quam reprehendendi. Ab his quicquid prodit, meum eſſe ſuſpicantur, etiam apud vos, ſi modo vera prædicant negotiatores huc iſthinc proficiſcentes. Equidem ingenue fatebor, ingenium non poſſum non amare, calami licentiam in nemine non improbo. Pridem luſit *Huttenus* librum, cui titulus *Nemo*: nemo neſcit argumentum eſſe ridiculum: meum eſſe dictitabant Theologi *Lovanienſes*, qui ſibi videntur pluſquam *Lyncei*. Mox prodiit *Febris*: mea erat, cum tamen totus genius, totaque phraſis à mea diſſentiat. Prodiit Oratio *Petri Moſellani*, qua patrocinatur tribus linguis adverſus γλωτλομάσιγας: in me putarunt cudendam fabam, cum ego nondum ſcirem Orationem eſſe natam: quaſi vero ſi quid huic aut illi in mentem venit ſcribere, mihi protinus ſit omnium nomine reddenda ratio: aut quaſi parum ſit meo periculo tueri quod ipſe ſcribo. *Germani* ſunt, juvenes ſunt, calamum habent, nec carent ingenio, nec deſunt qui irritent ſuis odiis, nec deſunt qui incitent ac frigidam ſuffundant. Omnes hos meis literis admonui, ut libertatem immodicam temperent: certe à ſummatibus Eccleſiæ viris abſtineant, ne illorum animos provocent in literas, quorum patrocinio ſtant adverſus hoſtes ſuos, neve hac invidia onerent politioris literaturæ vindices. Quid faciam? Monere poſſum, cogere non poſſum. Meo ſtylo temperare, mihi in manu eſt, alienum calamum præſtare non eſt meum. Imo, quod maxime ridiculum eſt, Opus, quod nuperrime conſcripſit Epiſcopus *Roffenſis* adverſus *Fabrum*, meum eſſe ſuſpicabantur, cum tanta ſit orationis diſſimilitudo, imo cum tantum abſim ab illius divini Præſulis eruditione: nec defuerunt, qui *Mori Utopiam* mihi adſcriberent: adeo quicquid prodit novum, velim nolim, meum eſt. Prodiit ante menſes aliquot, & prodiit malis avibus, libellus quidam ridiculus, quem in ſchiſmate proximo ſcriptum eſſe, ſatis arguit ipſum argumentum, ſed à quo, incertum eſt, niſi quod liber indicat eum, quiſquis fuit, faviſſe *Gallis*. Suſpicio per multos obambulat, præſertim apud *Germanos*, nam apud hos variis titulis habetur deſcriptus. Hunc igitur cum ante complures annos hic comperiſſem haberi furtim, ac libellum deguſtaſſem, nam percurri verius quam perlegi, multi teſtes ſunt, quantopere ſim exſecratus, quantoque ſtudio egerim, ut æternis tenebris abderetur: id quod in aliis quoque libellis à me factum multi fatebuntur. Teſtatur & epiſtola quædam mea ad *Joannem* Cæſareum, quam quidam *Coloniæ* furtim deſcriptam evulgarunt: & audio quoſdam iſtic eſſe, qui hujus quoque libelli ſuſpicionem mihi conantur impingere. Adeo nihil intentatum relinquunt iſti, qui dolent reflorescere linguas, ac meliora ſtudia: impingunt autem, non alio freti argumento quam ſtyli, qui tamen mei non admodum ſimilis eſt, niſi meus mihi parum eſt cognitus: quanquam quid mirum adeo foret, ſi quid illic aut alibi cum mea phraſi congrueret? cum nemo ferme ſcribat hiſce temporibus, qui non aliquid mei ſtyli referat, propterea quod meæ lucubrationes multorum manibus terantur, adeo ut in horum etiam libris, qui ſcribunt adverſum me, non raro ſtylum meum agnoſcam, meque meis pennis transfigi ſentiam. Nullum adhuc Opus conſcripſi, neque conſcripturus ſum, cui non præfigam meum nomen. Luſimus olim in *Moria*, ſed incruente, licet fortaſſe plus ſatis libere. Cæterum, illud ſemper cavi, ne quid à me proficiſceretur, quod vel obſcœnitate vitiaret juventutem, vel aliquo pacto officeret pietati, vel ſeditionem aut factionem gigneret, vel ullius famæ notam atram alliniret. Quicquid hactenus ſudatum eſt, juvandis honeſtis ſtudiis, provehendæ religioni *Chriſtiana* ſudatum eſt. Omnes undique gratias agunt, præter pauculos Theologos ac Monachos, qui nec doctiores, nec meliores eſſe volunt. *Chriſtum* mihi ſemper iratum imprecor, niſi hoc quicquid eſt ingenii, quicquid eloquentiæ, id totum gloriæ *Chriſti*, Eccleſiæ Catholicæ, ſanctiſque ſtudiis dedicatum eſſe volo. Id ita eſſe comperiet, quiſquis propius meum animum volet agnoſcere. Verum, de his nimis multa, de quibus tamen nihil omnino ſcripturus eram, ni *Britannus* quidam negotiator, iſthinc adveniens, ſatis pertinaciter aſſeveraſſet eſſe, qui conati ſint hanc ſuſpicionem omnium falſiſſimam tuæ amplitudini inducere: cujus tamen ſingularis prudentia mihi certiſſimam addit fiduciam, te nec aures, nec animum, tam impudentibus calumniis præbiturum. Imo, ſi quando dignabitur cominus facere periculum, experietur *Eraſmum* toto pectore ſervientem dignitati Sedis *Romanæ*, præſertim *Leonis* decimi: cujus pietati quantum debeat, non ignorat, toto pectore addictum his viris, qui bonarum literarum, ac *Chriſtianæ* religionis negotium agunt, inter quos primas tenet tua celſitudo. Mitto Novum Teſtamentum, cui multum ornamenti judicabo acceſſiſſe, ſi tua dignaberis Bibliotheca. Bene valeat tua pietas, cui me totum dedo conſecroque. *Antuerpiæ* 18. Maji, Anno 1518. An. 1518.

## EPISTOLA CCCXVIII.

### IN SVETONIVM.

*Eraſmus Roterod. Saxoniæ Ducibus, Federico ſacri Imperii Electori, &c. ejuſque patrueli Georgio*, S. D.

VT ab his viris, quos fortunæ calculus mundi gubernaculis admovit, *Federice* ac *Georgi* Ducum incorruptiſſimi, haud exegerim anxiam atque exactam ſcholaſticarum diſciplinarum cognitionem, in quibus qui conſenuerunt, eos fere ſenſu etiam communi carere videmus, tantum abeſt, ut tractandis rerum habenis ſint idonei: ita vehementer ab iſtis diſſentio, qui Reges prorſus ab omni librorum commercio ceu re noxia ablegant, perinde quaſi hoc demum vere regium ſit, nihil omnino vel ſcire, vel agere, præter aleam, venatus, moriones, & his etiam ſordidiores voluptates. Cum quibus enim amicis libentius confabuletur cordatus & pius Princeps, quam cum iis, qui & ſemper præſto ſunt, & ſapiunt plurimum, & nihil loquuntur ad gratiam? Verum nullis ex libris, mea ſententia, plus utilitatis capi poſſit, quam ex eorum monumentis, qui res publice privatimque geſtas, bona fide poſteris prodiderunt, præſertim ſi quis regalis Philoſophiæ decretis imbutus huc acceſſerit. Etenim qui in hoc munere, rerum gerendarum exemplum, quam geſtarum fidem ſpectare maluerunt, in quibus eſt *Herodotus*, hactenus modo proſunt, quod boni Principis ſimulachrum oculis ſubjiciunt, ſi qui tamen id ſcite vereque effinxerunt. Cæterum, ex bonæ fidei Scriptoribus ſuper alias innumeras, hæc præcipua capitur utilitas, quod non alia res æque, vel bonorum Regum animos ad res cum laude gerendas accendit, vel Tyrannorum cupiditates cohibet ac refrænat, dum utrique cernunt horum literis ſuam vitam omnem, mox in totius orbis, imo ſeculorum omnium Theatrum producendam, & quicquid nunc vel in abdito patrant, vel adſcito fuco prætexunt, vel metu diſſimulari cogunt verius quam ignorari, paulo poſt clariſſima

Digitized by Google

An. 1518. ma in luce sub oculos omnium traducendum, cum jam metu pariter ac spe libera posteritas, nec ullo corrupta studio, magno consensu recte factis applaudet, parique libertate his diversa explodet, exsibilabitque. Nec enim arbitror quenquam non dico Principem, sed Tyrannum, sic penitus omnem hominis sensum exsuisse, ut vitam sibi jucundam ducat, si norit suum nomen apud posteros omnium ætatum ac nationum animis tam invisum & exsecrabile fore, quam nunc est *Neronis*, *Caligulæ*, *Heliogabali*, *Commodi*, *Domitiani*, ac *Juliani*: ad quorum mentionem, ceu portentorum verius quam Principum, nemo jam non despuit, non abominatur, non detestatur. Nam *Vitellius* vivus etiam male gesti Imperii pœnas dignas dedit, quas & *Nero* daturus erat, ni supplicii fœditate deterritus, ipse sui carnifex esse maluisset. Quod quidem exemplum utinam in hæc usque tempora duraret, si quis (quod Deus omen avertat) similis illorum exsisteret. Nunc enim nihil est impunitius, quam quod nulla satis gravis animadversio pensare queat, male obiti magistratus culpa. Jam in cæteris historiæ dotibus, quantum aliis quisque tribuendum putet, ipse viderit suo arbitratu. Illud opinor apud eruditos omnes in confesso esse, quod ad narrationis fidem attinet, primas deberi *Suetonio*: qui, ut quidam non infestiviter dixit, *prorsus ea libertate scripsit Cæsarum Vitas, qua vixerunt ipsi.* Propemodum æquarunt *Suetonium*, hac sane laude, *Ælius Spartianus*, *Julius Capitolinus*, *Ælius Lampridius*, *Vulcatius Gallicanus*, *Trebellius Pollio*, *Flavius Vopiscus*, licet eloquentiæ viribus sermonisque politie multo inferiores. Proinde mihi quidem digni videbantur, ut eorum lucubrationes studiosi summa fide servarent, quorum fide factum est, ut tantarum rerum tam certa memoria duret in hanc usque nostram ætatem. Ac *Suetonium* quidem nescio quo deo propitio, & antehac non ita passim depravatum, nunc eruditorum meaque opera purum, ni fallor, & integrum habemus, suffragante mihi ad hoc negotii, pervetusto quodam codice, quem è bibliotheca monasterii, apud *Nervios* olim, nunc *Tornacenses*, vulgato cognomine divi *Martini*, nobis exhibuit nobilissimus ille *Guilielmus Montjoius*, qui id temporis regias vices in ea urbe gerebat. Reliquos, quoniam nullo hujusmodi præsidio sublevabamur, quod unum licuit, multo certo minus depravatos dedimus. Eosque omnes vestri nominis lenocinio orbi commendare studui, vel vestro in me studio, vel in mei erga bonas literas animi propensione, ut id auderem provocatus, quo videlicet viri, imaginibus & opibus clari, magis ac magis in his philosophari consuescant, & velut ad speculum vitam moresque componere. Primum enim dum videmus mutatum orbis *Romani* statum, tanto sanguinis humani impendio constitisse, ea res pium certe Principem à temere novandis rebus deterrebit. Deinde spectare est operæ precium, quam, velut æstuariis vicibus, *Euripi* cujuspiam ritu, res humanæ sursum deorsum volvantur, ni solida Principum sapientia, & incorrupta virtus fluxum hunc sistat, inhibeatque. Quin & illud subit admirari, in tanto Principum numero vix paucos exstitisse tolerabiles, pauciissimos probos, pleroque non improbos modo, verum etiam ostenta mera, meraque pestes humani generis, multos etiam mente captos. O novam seculi calamitatem, cum uni furiosæ belluæ totus serviret orbis, & ingemiscens eandem caneret cantionem, quam servus *Carion* apud *Aristophanem* ὡς ἀργαλέον! Et tamen hujusmodi portenta parricidiis, sacrilegiis, incestis, breviter, nullo non dedecorum genere impurata, templis, aris, ac divinis honoribus donabat hominum adulatio, fortunæ vel magis sceleribus tribuens, quod eximiæ virtuti dari consuevit. Quis post hæc recte factis grassetur ad nominis immortalitatem, si cœlum datur iis, qui indigni erant ut terram contingerent? Nam quod *Domitianus* & *Commodus*, uterque sceleratissimus, Dei vocabulum vivi etiam usurparunt, quis non videt manifestariæ cujusdam insaniæ fuisse, verius quam impudentiæ? Porro, quibus de causis hoc acciderit, ut tanta fuerit bonorum Principum raritas, nondum mihi satis liquet: sive quod ipsa fortunæ magnitudo plurimas res secum defert, quæ bene nata, rectèque instituta ingenia queant corrumpere; id quod facilius credet, qui perpenderit *Neronis* adolescentiam laudatissimæ indolis fuisse, & quo non alius adhuc fuit orbi pestilentior, optimi tamen Principis spem initio de se præbuisse; tum ab hoc multo post, *Bassianum Getæ* fratrem, dum privatus ageret, virum integrum ac sanctum, pessimum egisse Principem: sive quod ut quædam navigia immodice magna, vastaque, regi non queunt, ita totius orbis imperium majus est, quam ut unius hominis animo sustineri possit, quum perdifficile sit domum etiam unam recte administrare. Itaque qui maxime cupit optima, tamen *Maronis* illud interdum cogitur dicere:

*Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.*

Quod opinor intelligens *Octavius Augustus*, vir eruditus ac perspicax, & quod in priscis Cæsaribus rarum comperies, perpetuo sanus, non semel de deponenda imperii mole cogitavit, & feciset, si nactus fuisset in cujus humeros citra publici status perniciem onus reclinare potuisset. Hanc ob causam, posteriores negotiorum impares, imperii molem in plures partiri studuerunt. Sive id iis rebus magis adscribendum est, quas permultas quidem, at non omnes tamen, in *Aureliano* recenset *Flavius Vopiscus*. Et tamen in tanta malorum Principum turba, reperias licet dignas sancto Principe cogitationes, audias voces absoluto Principe dignas, comperias exempla, in quibus nihil desideres. Inter Ethnicos invenies qui *Christiano* animo Reipublicæ gererent imperium, non sibi; qui tam laboriosæ administrationis non aliud spectarent præmium, quam ut de rebus humanis benemererentur; qui publicam utilitatem liberorum affectibus, imo suæ suorumque incolumitati præferrent. O nos felices, si *Christiani* Principes suæ quisque ditioni præstarent animum, quem *Octavius* jam confirmatus, quem *Titi* duo, quem *Trajanus*, quem *Antonini* duo, quem *Aurelius Alexander*, orbi terrarum præstiterunt. Quin illud etiam mirandum, repertos qui ad Imperatorem de Imperatoribus non solum libere, verum etiam contumeliose scribere auderent: nam id quidam exigunt, ut de iis quoque qui Reipublicæ præstiterunt, non Principes, sed Tyrannos, honorifice mentiamur, id agentes ne quando libertatis exemplum in ipsos recidat. Sed multo magis ad rem pertinet, in his contemplari nomen illud imperii, quod & olim orbi sacrosanctum augustumque fuit, & nunc etiamnum multorum affectibus religiosum ac venerabile est, cum aliquot jam seculis non ita multum supersit, præter illustrem magni nominis umbram, quam fœdis initiis in mundum irrepserit. Primum in *Julio* scelerate, mox in *Octavio*, *Lepido* & *Antonio* sceleratius. Quid non potest fortunæ libido in rebus humanis? Potestas ea, quam postea diis æquavit hominum consensus, impietate, cædibus, parricidiis, incestis, tyrannide, condita consecrataque fuit. His felicibus auspiciis cœpit illa Regibus totius orbis adorata majestas. Ac sceleratius fere propagata fuit quam nata. Fœda barbarorum militum colluvies frequenter, non suffragiis, sed insanis tumultibus dominum orbi dabat. Nec alia fere succedendi lex, nisi mactato superiore. His avibus olim auspicabantur imperium, quod nihilo secius tamen interim emendum erat, quanticunque inexplebili militum avaritiæ libuisset. Nec satis erat in unum sævire caput. Ad liberos, ad affines, ad amicos omnes crudelissima laniena proferebatur: ac sæpenumero reciprocantibus, ut fit, vindictæ vicibus, quos viros, quas matronas effera immanitas indigne laniabat? Sæpe pluribus hinc & hinc imperium ad se trahentibus miscebantur omnia. Ita semper ad novum imperii successorem, totus terrarum orbis concutiebatur. Summa rerum in manibus erat, non Senatus, non populi *Romani*, sed mercenarii faci-

An. 1518.



Digitized by Google

An. 1518. noroſique militis. Nec aliter imperare licuit, neque diutius imperare licuit, quam illis belluis collibuiſſet, qui nec bonos, nec malos Principes diu ferre poterant. Alius parcior erat, alius profuſior, alius eruditior quam vellent, alius matri obſequentior, alius militaris diſciplinæ tenacior, alius imbellis, alius immodice bellator, alius in Senatum propenſior, alii cognomen obſtabat militi parum gratioſum, alii affinitas. Quamlibet levis cauſa ſatis erat iſtis ad jugulandum orbis Principem. Denique, ut nihil eſſet cauſæ, expediebat illis ſubinde mutare Principem. Inſatiabilis habendi fames ad res novandas incitabat. Trucidabatur ut inutilis quem jam exſuxerant, accerſebatur alius qui exhauriretur, mox & ipſe trucidandus. Atque hiſce rebus factum eſt, ut nonnullorum imperium paucis modo menſibus, nonnullorum pauciſſimis etiam diebus finiretur: ut me quidem inter legendum crebro ſubeat admiratio, fuiſſe ullos qui tum temporis vellent imperii vices capeſſere, cum tot exemplis didiciſſent quibus legibus eſſet ſuſcipiendum. Et hoc honoris ſic venditum, imo locatum, imperium vocabant. O miſerum ac deplorandum illorum temporum ſtatum! Oppreſſa Senatus auctoritate, oppreſſis legibus, oppreſſa populi *Romani* libertate, ſic creato Principi ſerviebat orbis, Princeps ipſe ſerviebat iis, qualem nemo vir probus domi vellet habere ſervum. Imperatorem timebat Senatus, Imperator ſceleſtam illam militum turbam formidabat: Imperator leges dabat Regibus, at huic leges dabant conductitii milites. Summa rerum orbis ab armata paucorum temeritate pendebat. O magnificam & exoptandam omnibus monarchiam! Et tamen neſcio quo pacto, velut ex compoſito conveniebat inter Cæſares & milites Cæſarum dominos, quos legimus aliquoties ſe decimari paſſos ab iis, quos mox erant ſuo arbitratu jugulaturi, quaſi vices alternas inter ſe pacti, dominandi ac ſerviendi. Non hæc eo dicuntur, ut perſuadeam illegitimam fuiſſe Cæſarum potentiam, quum vi jureque belli, atque etiam ſcelere parta ditio paulatim conſenſu multitudinis radicibus actis fiat legitima. Alioqui ſi quis ab extremis initiis repetat ditionum origines, paucas reperiat legitime natas. Scitum eſt illud *Octavii* de *Catone*, *Qui non patitur mutari præſentem Reipub. ſtatum, is mihi & vir bonus, & bonus civis videtur.* Tecte confeſſus eſt, *Juliam* per nefas occupaſſe monarchiam, non oportere tamen jam novatum & conſtabilitum Reip. ſtatum denuo novari. Satis conſtat nullum imperium neque patuiſſe latius, neque manſiſſe diutius quam *Romanorum*: quanquam hoc imperium primitus penes Senatum ac populum erat: nec ſubito, ſed paulatim ad unum ſumma rerum attracta eſt. Nec Senatus tamen, nec Imperatorum quiſquam, totius orbis monarchiam tenuit. Nam præterquam quod aliquot notæ regiones nunquam agnoverunt *Romanum* imperium, non minima pars orbis tum erat ignota, quum prodigioſæ vanitatis haberetur Antipodum mentio, & terra ſic crederetur innatare *Oceano*, quemadmodum ſi pila innatet aquæ, colle tantum aliquo prominente. Denique, quum hodie reperiantur terræ incognitæ, quarum terminos nullus adhuc perveſtigare potuit, quum compertum ſit eas eſſe immenſæ vaſtitatis. Sed imperii *Romani* majeſtas paulatim ad Euangelicæ lucis fulgorem, veluti luna ad ſolis ſplendorem elanguit. Tandem Barbarorum inundationibus exſtinctum eſt, ac multis poſt ſeculis *Romani* Pontifices reſtituerunt, ſed nomen verius quam rem. Quid enim aliud potuerunt? Certe eligendi jus à tumultuario milite ad certos Principes recte tranſlatum eſt, qui ſumma, ut par eſt, religione, nullo mercedis interventu darent orbi Principem, quem ſcirent rebus humanis maxime fore ſalutarem. Etenim ſi tot legibus minaciſſimis cautum eſt, ne Abbas aut Epiſcopus eligatur vel pecuniæ, vel cujuſcunque ſiniſtri affectus corruptela, quanta oportet eſſe integritate, qui ſuis calculis Principem dant tam late regnaturum? Alioqui longe præſtabilius erat naſci Principem, quam per corruptelam eligi. Ergo, ut boni civis eſt præſentem Reipublicæ ſtatum nolle mutari, ita boni Principis eſt, iis legibus, quibus ſuſcepit, adminiſtrare Principatum. An vetus illud imperium quale fuit olim renovandum ſit, neſcio. Equidem non arbitror quenquam eſſe cordatum virum, qui id optet, etiamſi votis liceat reſtituere: tantum abeſt, ut quod jam multis ſeculis maxima ex parte ſit antiquatum exſtinctumque, magno rerum humanarum tumultu, ſummaque *Chriſtiani* ſanguinis jactura, vindicandum ac revocandum videatur: præſertim cum inter Ethnicos etiam hoc animo repertus ſit *Otho*, ut potius duxerit ſpontanea morte vitam abrumpere, quam imperium tot hominum vita mercari; vir vel ob hoc ipſum dignus imperio, ſi fortuna virtuti faveret. An parum eſt ſuum quanque regionem habere dominum, niſi ſingulæ rurſus alium haberent dominum, conduplicata populi ſervitute, ſi ſumma rerum inciderit in Principem improbum. Nec hæc dixerim, quod negem optimum eſſe Reipublicæ ſtatum monarchiam, ſi modo is ad æterni Numinis exemplum quantum potentia cæteris antecellit, tantundem vincat & bonitate ſapientiaque: ſed partim quod, ut ſunt hominum ingenia, haud ſcio an hujuſmodi quiſpiam poſſit contingere, partim quod etiamſi maxime contingat, vix arbitror capacem eſſe tantæ ditionis unius mortalis animum. Demum ut ſit, quando Princeps tam procul agens, puta *Conſtantinopoli*, cognoſcet quid agatur apud *Æthiopas* aut *Gangen*; & ſi cognoverit, quando mittet ſuppetias? Etenim qui vectigalibus exigendis tantum agit Imperatorem, is quidvis eſt potius quam Imperator. Non admodum deſiderabit orbis Monarcham, ſi *Chriſtianos* Principes inter ſe junget concordia. Verus & unicus orbis Monarcha *Chriſtus* eſt, in cujus edicta ſi noſtri Principes conſenſerint, ſub uno Principe vere florebunt univerſa: ſin humanis cupiditatibus res gerentur, æterna rerum viciſſitudine ſemper fluctuabimus, jactabimurque. Et tamen maximam hujus felicitatis partem, ipſi nobis præſtare poſſumus, ſi concordibus ſtudiis ad id, quod per ſe optimum eſt, contendamus. Atque ego ſane ita demum arbitror felices fore Reſpublicas, ſi Principes ſancte *Chriſtianeque* inſtituti, ſimulatque ſuſceperint regnum, pariter & animum regno dignum ſuſcipiant, publicis commodis metiantur conſilia omnia, ab omni tyrannidis ſpecie velut à peſte quadam abhorreant, ac pro ſe quiſque certet, quod ſortitus eſt regni, non amplius, ſed melius ſucceſſori tradere: omnes pariter adnitantur, ne bellum ullum ſit, potius quam ut bello vincant; neque ullis ſit opus copiis, magis quam ut his rebus ſint inſtructi, pacis artibus magni videri ſtudeant, quæ conſiliis animique viribus conſtant. Equidem ſi quid novari poſſit abſque rerum tumultu, judicarim ad publicam orbis *Chriſtiani* tranquillitatem magnopere pertinere, ſi certis fœderibus ex uſu publico ſua cuique ditionis pomœria præſcribantur, quæ ſemel conſtituta nullis affinitatibus, aut pactis, vel contrahi poſſint, vel proferri, prorſus antiquato veterum titulorum jure, quos quiſque pro re nata, quum bellum affectet, ſolet prætexere. Quod ſi quis forte clamitet, Jus, neſcio quod, ſuum adimi Principibus, is illud mihi ſecum reputet velim, num æquum cenſeat, ob hujuſmodi jura, quæ ſive habet aliquis fortaſſis, ſive fingit, orbem *Chriſtianum* impiis ac parricidialibus armis ſine fine collidi, tot innoxios aut interimi, aut perdi, tot immeritas fœminas affligi corrumpique, denique totam illam malorum tragœdiam, quæ bellum omne ſecum defert, in vitam hominum invehi. Nam his fontibus omnia fere bella, quæ noſtra memoria vidimus, profecta eſſe conſtat. Verum hæc non tantum παρεγγόνεσι videri poſſint, verum etiam impudentius ad vos ſcripta, Principes ut magnos, ita cum primis ſapientes; ad hæc, quod eſt in ita fortuna riariſſimum, librorum etiam præſidiis cumprimis inſtructos. Siquidem tuas eximias, *Federice*, dotes, quum ſint inſigniter inſignes,

Digitized by Google

An. 1518. gnes, non mirum si famæ celebritas ad nos usque devexit. Te vero, illustrissime *Georgi*, patrueli laudatissimo per omnia similem ac vere germanum è propinquo cognovi, dum *Frisiam* nobis finitimam administrares. Bene valete, Principes vere felices, stemmatis quidem illustrissimi, sed ornamentis animi longe illustriores. Istos animos vobis servet *Christus* Optimus Maximus, vos orbi *Christiano*, vestrique similes nobis complures velit exsistere. *Antuerpiæ* 5. Junii, Anno 1518.

## EPISTOLA CCCXIX.

Gaspar Ursinus Velius Erasmo Rot. *S. D.*

SVPERIORI *anno cum delitescerem quodam in* Bavariæ *oppidulo, ocium nactus non literarium, sed aulicum, ac prorsus honestis à disciplinis alienum,* Gurcensi *Cardinale, cujus tum in famulitio fui, Cæsarem in* Belgas *secuto, destitutus omnibus literarum præsidiis, ausus sum magno cum periculo ac famæ & nominis discrimine revocata pristina illa consuetudine* Romæ, *qua uti solebam, puta scribendi aliquid, temere nimis atque audacter ineptire: ubi* Genethliacon *carmen in te virum, quo universa* Europa *vix habet hodie quicquam illustrius & sanctius, certe nihil omnium confessione doctius, feliciori eventu quam stylo compositi. Defuerat tum animi vacuitas miseriis aulicis cooperto. Elanguit judicii acrimonia, & vis ingenii, si quod unquam fuit, studiorum atque eo amplius intermissione. Aberat censura doctissimorum hominum, aderat denique librorum copia nulla, ante tempus sine cortice natanti. Quid tibi vis dicam? tam cito quam asparagi coquuntur, id carminis à me factum excidit, peperique prius quam parturirem, unde nemo non judicare posit studiose abortioni operam datam. Atqui non eo componebam, ut tam vile & inchoatum carmen præcipitata editione publicatum in manus hominum veniret, cum uni tantum* Richardo Bartholino, *cui nugas omnes meas ostendere solebam & credere, legendum transmissum esset. Qui hac in parte nimis quam officiosus illud non veritus est tibi impertire. Pudet, magnopere pudet* Ursinum *evulgati poematii, à quo nihili in materia, non autem tanto in viro mediocritatem ingenii exercitatam oportuit. O audaciam insignem & facinus stultum! Æneam laudare sum exorsus, nondum* Culici *extollendo satis idoneus. Equidem duplici errore me lapsum esse, & utroque gravi & intolerabili, ut perspicio manifeste, ita vehementer doleo. Primo adeo te non laudatum tam juvenilibus ineptiis deprehendo, ut culpa rudis & crassæ hujus Minervæ de fama tua tibi haud parum detriviisse videar: dein quod multo gravius est hoc scriptionis genus inusitatum aggredienti, puræ istius tuæ & sanctæ vitæ actiones illustres nondum satis cognitæ fuerunt. Neque dum varios & inæstimabiles labores πολυχειροφωλάτου τοῦ Ἐφέσιος vidi omnes. Quo fit ut interdum consilium ineam retractandi hendecasyllabos intempestivos, ut pro virili parte mea locupletati & excussi luculentiores tandem atque opimiores exeant, præsertim cum impense nos ad hoc laboris hortetur illustriss. Princeps* Joan. Thurzo, *Episcopus* Vratislavienſis, *studiosorum omnium præsentissimus* Mecænas, *vir haud mediocriter eruditus. Qui te ob tuas singulares virtutes & doctrinam excellentem facit maximi, amat unice, & honorat observanter: cui mos gerendus omnino est, ut & illius amplitudini, cui nihil non debeo, rem faciam longe gratissimam, & nominis mei rationem habere voluisse videar. Interea, doctissime* Erasme, *te oro per beatissimum genium tuum, perque immortales tuos & sanctissimos labores, tum quæ prius me nesciente, atque invito edita sunt in tui nominis laudem, boni consulas, tum quod in præsentia mitto fortasse illis multo ineptius carmen, & è vulgari officina depromptum, vultu nimirum isti tuo amabilissimo convenienti excipias, & Ursinum tui amantissimum observantissimumque tuorum in numero amicorum vel ultimo subsellio collocatum redamare velis. Vale.* Vratislavia 20. *Junii*, *Anno* 1518.



## EPISTOLA CCCXX.

Erasmo Rot. Nicolaus Beraldus *S. D.*

DEDI *superioribus diebus optimo atque humanissimo viro* Francisco Calvo, Budæi, Deloini, *simul & meas ad te literas,* Erasme *doctissime: quas nihil dubito quin is tibi, etiamsi serius, certo tamen fideliterque reddiderit. Nunc etsi nihil erat quod scriberem, proficiscenti tamen hinc ad vos huic tabellario non potui non aliquid literarum ad te dare: præsertim petente id à me, atque adeo procaciter instante,* Guilielmo Nesено *tuo, simul ut intelligas quantopere litera hic tua à nobis expetantur, simul ut epistolam aliquam tuam ad optimum ac doctissimum virum* Guilielmum Hueum, Parisiensis *ecclesiæ Decanum, evocarem. Is enim in hac, ut sic dixerim, palæstra provocari abs te mavult, quam te provocare: vir alioquin in quovis scribendi genere non mediocriter antehac versatus, bonarumque omnium, sed divinarum præsertim Literarum adeo studiosus, ut quem huic præferamus, habeamus profecto neminem. Ejus nomine interim tibi salutem adscribo: rogo insuper, ne hominis integerrimi simul & humanissimi familiaritatem adsperneris, qui cum multis nominibus, tum hoc præcipue dignus est amicitia tua, quod eam tantopere, tamque prope dixerim, ambitiose expetit, quantovis precio empturus, nisi* Erasmus *cunctis obvius, gratisque expositus esset. Salutat te* Deloinus, Ruzæus, *omnes.* Budæus, *cum hæc scriberem, ruri cum uxore ac liberis agebat, propediem in urbem rediturus, simulatque, ut puto, uxor parturiens pepererit,* Budæique *familiam auxerit. Vale.* Lutetia 20. *Junii*, *Anno* 1518. An. 1518.

## EPISTOLA CCCXXI.

*Erasmus Rot. Thomæ Parcio, Secretario urbis Caletiensis,* S. D.

HVNC meum *Joannem Smithum* ob certa negotia mitto in *Angliam* mox huc rediturum: rogo adjutes hominem, ut quam primum commode trajiciat, ac per redeuntem scribito, quid valeas, quomodo res succedat cum *Mercuriis* istis, & quid agat tua Nympha. Præfecto urbis, quem deputatum appellare malunt, viro humanissimo, deque me optime merito, me plurimum commendabis. Bene vale, charissime *Parci. Antuerpiæ* 28. Junii, Anno 1518.

## EPISTOLA CCCXXII.

Nicolaus Beraldus Erasmo Rot. S. D.

EGO Gulielmum Nesenum *cum ob alia quadam semper feci plurimi, tum ob id unice & deamo & laudo, quod eum animadverti semper esse tui studiosissimum. Quod etsi illi est cum multis aliis commune, magnum tamen quiddam id esse puto, nec mediocri laude dignum: eum* Lovanium *ad te proficiscentem, non sum passus literis meis vacuum hinc discedere, partim ut hominis desiderio ac precibus satisfacerem, partim ut te quoque ad rescribendum invitarem: nam ternis meis literis, quarum binas* Francisco Calvo *ad te dederam, postremas* Nesenus *ipse* Lovanium *ad te pertulit, nihildum respondisti. Archiepiscopus* Senonensis Stephanus Poncherius *propediem de rebus magnis ad te scripturus est, cujus literas ad te fideliter perferendas curabo, vel ipse istuc usque perferam. Quid ad* Dorpium *theologicæ cujusdam sodalitatis nomine scripserim, ex* Nesено *malim te quam ex literis meis intelligere. Novum Testamentum abs te versum, & elegantissimis doctissimisque annotationibus explicatum, nunc hic habent in manibus docti quamplurimi, atque in his Theologi quoque magni nominis, qui te eo nomine tam nunc, pene dixerim, amant immodice, quam oderant prius inique. Multos certe nova hæc editio tibi jam conciliavit, quosdam vero, qui contumaces ac refractarii diu fuerant, atque adeo propemodum*



Digitized by Google

An. 1518. *deplorati videbantur, jam pene fregerunt Apologiæ tuæ. Vale. Salutant te* Franciſcus Deloinus, *&* Ludovicus Ruzæus. Lutetia 1. *Julii, Anno* 1518.

## EPISTOLA CCCXXIII.

### Martinus Dorpius Eraſmo Rot. *S. D.*

LITERAS *tuas, ornatiſſime* Eraſme, *non dici poteſt quam acceperim cupide: tum autem, quam geſtienter audierim vel* Jacobum *tuum adventaſſe. Porro ut injunxerim* Theodorico *noſtro,* Bacchi *myſtæ, ne quo illum pacto ſineret abire, quin colloqueremur, quin prandéremus una, & illum quidem cibo, me volui fabulis, noviſque & lætis nunciis obſaturari. Proinde anxie rogavi ut valeres, ut valuiſſes uſque; opus illud inſigne quouſque productum foret, ecquid* Frobenius *adornaret, ſeu* Eraſmicum, *ſeu alterius cujuſpiam, denique nihil omiſi: ad quæ* Jacobus *commode profecto reſpondit. Et ecce dum nos fabulamur maxime,* Theodoricus *potitat maxime, parteſque agitat ſuas haudquaquam inſtrenue, ne ipſe quidem interim ocioſus à fabulis, omnibus pene linguis, loquitur dixerim, an obturbat?* Germanica, Gallica, Italica, Latina: *ut in hoc Apoſtolicum quempiam renatum credas: ut vel* Hieronymum, *quamvis multilinguem, ſi non elegantia, numero tamen linguarum auſit provocare. Præter ea autem rogavi, ut valeat eximius ille* Berus, *eximius ille* Fabritius Capito, *eximius ille* Rhenanus, *beatiſſimus re,* Beatus *nomine, quorum profecto ſolis nominibus exſilio, mi* Eraſme. *Ab iis amari etſi ego indignus ſim maxime, tamen ipſi, quos ego non amem modo, verum etiam ſuſpiciam, digni ſunt maxime. Atque utinam hercle illi, quo ſim erga eos animo, noviſſent.* Rhenani *in primis ſedula in caſtigandis optimis Auctoribus vigilantia, omnes ſeſe docti adjutos profitentur.* Fabritius *acutiſſimis* Hebraicorum *rudimentorum inſtitutionibus, linguam, quam dicunt* ſanctam, *quantopere illuſtravit? Jam vero* Berus *extra aleam eſt ingeniorum, poſteaquam* Pariſiis *omnibus calculis primas tenuit. His, quæſo, inſignibus, ceu triumviris unice me,* Eraſme, *commenda. Dic* Dorpium *eſſe quendam, magno erga eos ſtudio flagrantem. Fortunatum te, mi* Eraſme, *qui cum heroibus iſtis tam amice, tam familiariter quotidie verſere: at enim eos contra plane deos quoſdam, tua quibus datum eſt præſentia frui, qua, male peream, ſi quid in vita evenire queat mellitius, feſtivius, candidius, ſimplicius. Adverſam valetudinem tuam, ut agre tuli afflixiſſe te, ita gaudeo deſeruiſſe. Honorem tibi, quantum audio, à* Puccio, *Legato Apoſtolico, optimo jure delatum, impendio gratulor. Quæ ſcripſiſti fuerunt omnia ſane quam gratiſſima. Unum hoc moleſtum eſt, nondum ſedatum eſſe (quod maxime oportuit) ortum à* Colonienſibus *incendium: quibus ſane miror, qui tam ineptum quicquam in mentem venire quivit, ut* Lamentationes *illas ridiculas, ſtultas, inſanas vel componerent, vel evulgarent. Præterea autem, quid minus fuit opus, quam ceu dialogo morologo vulnus effeciſſe ut recruduerit, quod callum jam pene obduxerat? Miſeram vero ſtudiorum ſortem, ſic ſi pergant eruditi ineptire.* A Fabriſtis *nihil dum neque videmus, neque audimus. Verum, quid tu, optime* Eraſme? *an ulla poſſit eſſe futura tam acerba ſtudiorum, tamque inevitabilis conditio, ut ob eam tibi vileant? Ita natus es, ita inſtitutus, ita te comparaſti, ut quicquid ſubnaſcatur durum, moleſtum, perplexum in literis, id tu unus obeas, feras, devores publica ſtudiorum utilitatis reſpectu. Libellum de* Julio *cœlis excluſo, paſſim legunt omnes, & haud ſcio quo pacto pauci damnant: etſi tu quidem juſta in auctorem ratione ſtomacheris, qui literas facit eſſe, ſi unquam alias, hac maxime tempeſtate inviſas. Cæterum, hoc quid eſſe dixerim, mi* Eraſme? *Tu vetas tuis literis reſponderi? quod videlicet propediem huc ſis rediturus, ni res poſtularit,* Italiam *ut adeas. Quid ſi iſthuc res poſtularit, qua erit, obſecro, occaſio tecum, quando coram non licebit, per literas colloquendi? quis erit tam certus tabellarius? Quid ſi prorſus redeas, ſcriptione quid mihi perit? Siquidem te ſcio, quanquam occupatiſſimum, vel inter prandendum tantum temporis ſufuraturum, quo epiſtolam hanc legas, etſi ineptam atque incultam. De* Anglis *recipio me curaturum. Venerabili domino* Atenſi, *ita uti juſſeras, te quam accuratiſſime commendavi. Crede mihi,* Eraſme, *homo illico ad tuum nomen exſilivit gaudio: poſt longum de te, eumque honorificum in primis ſermonem, juſſit ut ſe vicißim tibi, quantum poſſem, commendarem, ut de ſe omnia tibi polliceréris. Magnifici domini* Cancellarii Burgundiæ *mortem ſcio ab aliis nunciatam, ut non ſit opus dolorem tuum denuo exulcerare. Linguarum profeſſio pulchre apud nos procederet, ſi ſtipendia tandem exſolverentur, & doceretur gratis: alioqui ſcis eo* Lovanienſes *ingenio, ut agre quicquam dent. Id quidem male habet* Matthæum *noſtrum, hominem uſque adeo iratum pecuniæ, ut ne nocte quidem annuat hoſpitium, etſi minime nummis occupatum.* Borſalus *tuus, aut verius noſter, amicus haud impurus, ſincerus, candidus, deſervit nos, deſignatus Decanus* Verienſis. *Provincia, quam cœperat,* Latine *docendi, mandata eſt* Barlando. *Fuit iſthic non admodum pridem adoleſcens* Metenſis, *literarum ſtudioſiſſimus, Juris utriuſque candidatus, & amicus meus ſummus, cui nomen* Claudio Cantiunculæ, *quem non dubito, ſi quo tempore tu iſthic fuiſti, eodem ipſe item fuerit, te ſalutaſſe. Eram ad eum ſcripturus, ſed* Jacobus *tuus, rogatus num noſſet, negavit. Ei, quæſo, ſi iſthic ſit, ne graveris plurimam ex me ſalutem dicere: tum hoc nunciare, rem omnem, de qua iterum atque iterum ſcripſit, eſſe in vado, quod dicitur, ne deinceps ſit ſollicitior. Qua de re ſcripſeras è* Colonia (*id quod plurimum habeo gratiam*) *paulatim bene habet, & ſpero adeo futuram ex ſententia. Nihil hic eſt aliud quicquam quod ſcio ſcriptione dignum: neque enim ambigo, quin amici de ſuo quiſque ſtatu, deque rebus aliis huc pertinentibus, diligenter perſcripſerint. Cæterum, mi chariſſime* Eraſme, *quando non meum hoc eſt, quod tu vero verius ſcripſiſti, nempe jucundiorem eſſe amicitiam, & cum multis communem: effice, quæſo te, per Genium tuum, ut inſignibus iſtis literarum proceribus quoquo modo innoteſcam: non quo fama mea ſtudeam, ſed ut intelligant, ſua ſe virtute atque eruditione promeritos, ut ab omnibus amentur. Porro tibi, chariſſime* Eraſme, *quum omnes omnia, ego tamen nequiquam concedam, ut mihi in amicitiæ ſtadio antevertas. Veriſſimum eſſe re ipſa comperio, quod olim dixiſti, ætatem, tempus, rerum uſum multa afferre hominibus. Quod admiratus ſum olim, hujus nunc pœnitet, & pudet. Valetudinem tuam fac cures diligenter, quæ frequentibus morborum inſultibus eſt obnoxia. Tum autem hoc cave, ne morbus vel aggraveſcat, vel recurrat, ut iſti labori (dicerem ſaxo, dicerem piſtrino, niſi honorificentißimus, magnificuſque foret labor) diu ſufficere poßis. Si in* Italiam *proficiſcaris, non eſt alias major habenda ratio valetudinis, quam non tibi modo, ſed toti etiam* Chriſtiano *orbi curabis: quod ſi ad nos matures iter, ô candidum diem, qui te* Lovanio *reddet! Sed heus, præterieram ferme, quod minime oportuit,* Frobenio *omnium principi chalcographorum (pace modo* Theodorici *noſtri dixerim) plurimam ex me ſalutem uti nuncies, cui omnes debemus ſtudioſi non vulgariter: Largiatur ei Dominus Deus annos vitæ & plurimos, & feliciſſimos, quo pulcherrima provincia, in qua* Aldum *quoque ipſum, meo judicio, poſt ſe relinquit, par eſſe queat. Quid enim is, niſi eximie eruditum, & quanta cura excudit? Bene vale, eruditorum phœnix* Eraſme. Lovanio 14. *Julii, Anno* 1518.

## EPISTOLA CCCXXIV.

### Ambroſius Leo, Nolanus Medicus, Eraſmo *S. D.*

HACTENUS, Eraſme *chariſſime, nugas illas eſſe putavi, quas de* Pythagora *&* Proteo *ſcripſere Veteres: illum ſæpe ad has vitæ auras reverſum fuiſſe, totidemque mortem oppetiſſe: hunc in varias formas mutaſſe ſeſe, cum libuiſſet: factum enim alterius ab altero parum differre noſti. Nunc vero non nugas, non fabellas illas*

Digitized by Google

An. 1518. *illas ridemus, historias credimus, quandoquidem in te uno utrunque contigisse novimus. Pauca enim intra tempora tam sæpe obiisti & rediisti ad vivos, quam de forma in formam variam novamque mutatus es. Primum enim audivimus etiam ab* Aldo, *te in* Gallia *obiisse, paucos post annos revixisse in* Germania. *Deinde relatum est, te desideratum esse in* Germania, *qui paulo post in* Italia *apparuisti. Postrema intelleximus, oppetiisse te apud* Britannos, *nunc ab* Averno *revocasse gradum in* Gallia, *unde & ad nos nostrateſque viros & literas dedisti, & salute multa impartiisti. Quamobrem alterum visus sum videre* Pythagoram. *Quinetiam non modo ex* Italo *mutatus es in* Gallum, *& de* Gallo *in* Germanum *transisti, tanquam de vitulo in avem, & de ave in frumenti genus, quod semen apud* Plinium *male legunt: verum etiam de Poeta in Theologum inversus es, ac de Theologo in Cynicum Philosophum transmigrasti: item demum Cynicum cum Oratore commutasti, qua mira metamorphoses* Protei *illius solius videbantur. Vidimus enim innumeros libros tuos impressos, quibus memoratas vel hominis vel ingenii personas & formas variasti, idque magna cum omnium laude, & admiratione, & lectitatione, etiam te & dicta tua sæpissime testantium, non ut unus idemque sententiarum magnarum auctor fores, sed tanquam tres quatuorve auctores illarum essent. Quinimo ob tuas ejusmodi transmutationes illud mihi contigit. Siquidem jam pridem ridebam* Pythagoram, *qui renascendo & agnosceret & memoraret, se alio tempore vixisse, quoniam* Aristoteles *demonstrarat, nihil in morte remanere memoria eorum, qua ante acta essent in vita. Nunc vero ubi vidimus, te toties oppetiisse, rediisseque ad lumina solis, nostri ac amicorum memorem, memoriamque servantem, adspernati sumus* Aristotelis *fallacem diligentiam. Veruntamen etsi ita habeat, vereor,* Erasme *mi, si etiam mutationes istas delectatus experiaris, aliter evenire quam proposueris, quanque in aliis transmutationibus contigerat. Quam ob rem hortari te velim, ut in isto, quo frueris, vita genere teipsum contineas, teque omni ope, qua potes, serves, periculumque nullum mutandi ineas: ne tibi, quod urinantibus accidere solet, contingat; qui dum sæpius ab aquis, in quas intrepide insiliere, emersissent, aliquando securi sub aquis quum natarent, nusquam exiisse visi sunt. Atque adagium tuum illud in memoriam revoces,* Ne temere Abydum. *Siquidem mutatione, qua fit aut de vita ad mortem, aut de forma in formam, periculosiorem video esse nullam. Hinc autem, quod gratius à nobis audias, nihil scribere valemus: nanque prater literaria munera, nulla res est, qua ad te pertinere videatur. Litera vero ipsa ubique gentium frigent, horrentque, ut jamjam interitura: magni enim sonitus* Turcicorum *armorum in* Italia *audiuntur, qui & in* Ægypto, *&* Syria, *&* Perside *excusi sunt, qua pro re Musa metuentes (sunt enim ut nosti nudula puella) interitum cogitant, cum quibus casuras esse etiam literas omnes necessum est. Sed tamen ut mutiamus aliqua, scias in Senatu* Veneto *sancitum esse, atque etiam præconio publicatum, eligendum esse successorem* Marco Musuro, *qui publice* Græcas *literas auditores doceat: stipendiumque centenorum aureorum decretum. Eam ob rem quamplurimi se parant & competunt: namque statutum est tempus duorum mensium, quo competitores & nomina dent, & legendo & aperiendo* Græcos *Auctores, ostendant qui viri sint, & quantum lingua & ingenio polleant. Si quis ergo forte fuerit, qui per ista climata nomine & scientia* Græcarum *literarum clarescerat, huic ipsi significato memoratum decretum, ut si animo ei sederit competere aperireque* Græcanicos *libros, huc intra duorum mensium curriculum se conferat. Ad hac nosti magnam auditorum turbam, qui veluti pullicini sub glociente* Musuro *pipiebant, illorum non pauci jam pullastri magni evaserunt, nec pipiunt, sed pipant & cantillant, iidem magno animo sunt etiam adscendendi suggestum præceptoris. Atque inter eorum elegantiores unus* Petrus Alcyonius *multa è* Græco *in* Romanum *sermonem elegantissime vertit: nam Orationes pleraſque* Isocratis *ac* Demo-

A sthenis *tanta* Arpinitate *expressit, ut* Ciceronem *ipsum* 1518.
*nihilominus legere videaris.* Aristoteliſque *multa vertit tam candide, ut* Latium *gloriabundum dicere possit, En* Aristotelem *nostrum habemus. Idem ipse juvenis, ut est literarum optimarum utrarumque maximus alumnus, ita tui quoque amantissimus, ac studiorum tuorum laudator summus. In calce de me jam sene & amico etiam senties aliqua: nam ita viximus postquam hinc solvisti, ut vivebamus tum, quum nobiscum eras, ut nosti, continuo summussitando cum libellis utrisque, idque ut fœtum aliquem* Leone *dignum senescendo conciperemus, non ut*
B *mulieres, qua dum puella sunt, statim tempore gravida esse volunt, atque paulo post fœtificare gaudent, quarum filii imbecilles nascuntur, nec diu vivere queunt. Concepimus aliquos, quorum quosdam parturimus, quosdam peperimus, inque lucem edidimus: opusculum enim in tres distinctum libros de* Nola *urbe patria nostra composuimus, quod impressum est: alterum magnum Opus sectum in libros sex & quadraginta ex* Peripatetica *disciplina confecimus adversus* Averroen, *quod etiam excusum*
C *est, ut intelligas, nos etiam haud contrivisse nactes in culcitris. Ad hac aliquid literarum ad nos etiam des, velim: eas enim magnopere cupimus, non solum ut intelligamus, te bene agere, quod summopere optamus, sed etiam ut à te audiamus aliqua eorum, qua fiunt apud eos, qui ex hac vita commigravere, atque utra sit regio ad manendum accommodatior; calles enim utriusque conditionem, quippe qui sæpe jam mortem cum vita, & cum morte vitam commutasti. Vale, & nos ama, ut soles.* Venetiis 19. *Julii, Anno* 1518. *apud speciariam tabernam coralli.*

## EPISTOLA CCCXXV.

*Rectori inclyta Schola Erphurdiensis Erasmus Rot.* S. D.

VIR eximie, non possum non amare te, quod ut ex *Dracone* juvene minime vano cognovi, doctissimus ipse, studiis melioribus impense faveas: atque horum accessione *Erphurdiensem* Academiam (cui tu
D felicibus præsides auspiciis) exornandam expoliendamque cures. Illa tuæ prudentiæ laus est peculiaris, quod hoc absque tumultu facis, quem alibi videmus excitari quorundam imprudentia. Bonæ literæ sic debent irrepere in Academias, non ut hostes omnia depopulaturi videantur, sed hospites potius paulatim in civilem consuetudinem coalituri. Mihi nunquam placuit tumultus, & aut ego parum perspicio, aut plus efficitur moderatis consiliis, quam viribus impotentibus. Ac bonorum virorum esse reor sic velle prodesse, ut quam pauciſſimis noceatur, atque adeo nullis, si modo liceat. Eo vanitatis processerat frigida illa disputatrix Theologia, ut necesse fuerit ad fontes revocare.
E Sed tamen illam quoque corrigi malim quam explodi, aut certe tolerari, donec potior aliqua Theologiæ ratio fuerit parata. Multa præclare monuit *Lutherus*, sed utinam civilius admonuisset. Plures haberet & fautores & propugnatores, & uberiorem messem demeteret *Christo*. Et tamen impium sit illum in his, quæ recte dixit, prorsus indefensum relinquere: ne posthac nemo sit, qui verum ausit proloqui. Non est nec hujus conditionis, nec hujus ingenii, de illius doctrina pronunciare. Hactenus certe profuit mundo: nonnulli sunt adacti ad evolvendos veterum Theologorum
F libros, alii quo sibi consulerent, alii quo *Luthero* negotium facesserent. *Draconem* tibi commendarem, nisi iis esset moribus, ea ingenii suavitate, puritateque, ut non possit non esse optimo cuique gratissimus. Scimus, quam nihil possimus. Tamen si quid erit, in quo queam isti Academiæ vel usui esse vel ornamento, sic agam, ut intelligas mihi quidvis defuisse potius, quam propensam animi voluntatem. Bene vale. *Lovanio* 31. Julii, Anno 1518.

EPI-

Digitized by Google

## EPISTOLA CCCXXVI.

*Eraſmus Rot. Guilielmo Hueo, Pariſienſis Eccleſiæ Decano*, S. D.

An. 1518. AGIT hoc miro conatu per literas *Nicolaus Beraldus*, homo Gratiis natus, ut nos committat. Quod ſi certamen foret eruditionis, aut eloquentiæ, non poterat magis deterrere, quam quum ſic adhortatur. In hac, inquit, palæſtra provocari abs te mavult, quam te provocare, vir alioqui in quovis ſcribendi genere non mediocriter antehac verſatus. Quum inter pares ſemper impudentior habeatur, qui laceſſit, quis diceret, quicquam eſſe mihi vel frontis vel cordis, ſi *Therſites Achillem* auſim laceſſere? Nunc quum nulli ſua obſtet fortuna conditiove, quo minus quum quamlibet magnis amore benevolentiaque certet, & modeſtior habeatur, quiſquis hic laceſſit prior, non veritus ſum tuo ac *Beraldi* animo morem gerere. His igitur literis laceſſo virum eruditiſſimum, minime doctus, virum integerrimum, non admodum probus, ſed tamen amandi viciſſitudine non ceſſurus, nec poſteriores laturus. Audio non ſine ſumma voluptate *Pariſiorum* Academiam priſtinis ſuis ſtudiis, in quibus hactenus haud dubie primam laudem poſſidebant, ac etiamnum poſſident, propenſis animis trium linguarum addere cognitionem, & ad puriſſimos ſacrorum Voluminum fontes ſubinde recurrere, neque ſentire cum iſtis aliquot ſibi parum amicis, qui putant has literas cum vera Theologia pugnare, quum nullæ magis omnibus honeſtis diſciplinis famulentur. Id partim *Gallici* ingenii tribuo candori, partim eximii Præſulis *Stephani Poncherii* ſapientiæ, viri inſtaurandis optimis literis, ac veræ pietati divinitus facti: ſed in primis optimo Regi *Franciſco*. Soli nos nondum hoc nomine poſſumus nobis gratulari. Sed tamen ſpes eſt non peſſima. Faxit *Chriſtus* Optimus Maximus, ut quemadmodum Principes paſſim favent, foventque recta ſtudia, ita Philoſophiam amplectantur, dignam iis qui *Chriſti* vices gerunt: hoc eſt, ut quam longiſſime abſint à barbarica tyrannide, neque per ambitionem labefactent orbis *Chriſtiani* tranquillitatem, ſimul ac libertatem. Et quando ſuo favore provehunt eas literas, quibus Principum geſta ſolent poſteritatis memoriæ tradi, ea gerere ſtudeant, quæ mereantur omnium ſeculorum ſuffragiis celebrari. Bene vale, vir optime, quem ego poſthac inter *Guilielmos* illos meos fatales ſum relaturus. *Antuerpia* 9. Auguſti, Anno 1518.

## EPISTOLA CCCXXVII.

*Eraſmus Rot. Nicolao Beraldo* S. D.

VT tribus epiſtolis tuis poſtremis unica reſpondeam, hoc eſt, de una fidelia plures dealbem parietes: ſcio me frequenter ad te ſcripſiſſe, ſed ita λακονικῶς, ut tibi videar non ſcripſiſſe: ita cogit, mi *Beralde*, ſtudiorum moles, quibus obruor. Si rationem ineas, quid dandum ſit pietatis officiis, quid ſomno, quo largiore utar oportet, ſub auroram redormiſcens, quid valetudini, quid ſcribendis recognoſcendiſque libris, facile colliges quantulum ſuperſit temporis, quod τῷ φιλετυμηθέλειν omnibus impartiam: quanquam mea ſtudia non eo ſpectant, ut *Thomam* aut *Scotum* è ſcholis publicis explodant, veteremque poſſeſſione depellant, quod nec mearum eſt virium: & ſi eſſet, haud ſcio an ſit optandum, niſi jam paratum videamus doctrinæ genus aliquod hoc præſtantius. Quid alii moliantur, ipſi viderint: ego nunquam futurus ſum hujus auctor tumultus. Mihi ſat eſt, ſi Theologia magis ſobrie tractetur, quam antehac eſt tractata: & ſubinde petatur ex fontibus Euangelicis, quod antehac è lacunis non undiquaque puris ſolemus haurire plerique. Neque nihil hic profecimus, quibuſdam huc adductis, quibuſdam etiam compulſis, ut magis ſerio Theologi ſint. Ad laudes, quas largiter effundis in me, quid aliud reſpondeam, quam te valde amanter hallucinari in *Eraſmo*? Atque hactenus quidem ad epiſtolam, quam *Lutetiæ* ſcripſeras decimo Calend. April. nunc ad eam, quam reddidit *Neſenus*, amicus cum paucis fidus, ac ſincerus. Quid *Calvo* commiſeris, aut quid ille mihi reddiderit, non ſatis commemini: certe *Baſileæ* nec unquam me convenit, neque quicquam ab illo redditum eſt: *Lovanii* extorſerat à me prolixam epiſtolam ad *Grolierium*, præfectum *Inſubriæ*, pollicitus montes (ut ajunt) aureos. Vides evulgatam epiſtolam, jactitat ille reſpondiſſe *Grolierium*, cum ipſe nondum habeam certum, an *Grolierio* reddita ſit epiſtola. Ais brevi magnis de rebus ad me venturas literas ab Archiepiſcopo *Senonenſi*, *Stephano Poncherio*. Mihi quidem hoc ipſum erit magnum, ſi vir tantus, animoque meo cum primis charus, ad me ſcripſerit: alioqui nihil moror magnam fortunam cum onere pari conjunctam. Mihi ſemper animus fuit ocii ac libertatis amans, & à ſtrepitu rerum abhorrens. Quid ad *Dorpium* ſcripſeris, adeo mihi non indicavit *Neſenus*, ut ne hoc quidem ex eo cognoverim, ſcripſiſſe te. Ante pauculos dies audivi literas illi redditas abs te per *Hermannum Friſium*, neſcio quid cum illo expoſtulantes. Si quid acerbius eſt, nolim, mi *Beralde*: nam *Dorpius* ſi quid peccat, magis obſequendi facilitate peccat, quam malitia deſtinata. Quod Theologi partim reſipiſcunt, partim miteſcunt, non perinde meo ut ipſorum nomine gaudeo. Jam ne nihil reſpondeam ad eas, quas attulit *Hermannus Friſius*, erat is adoleſcens mihi multorum literis commendatus, & quidem diligenter, quibus omnibus habeo gratiam, quod per eos contigerit noſſe ingenium tot modis amabile. Nihil ille petebat præter colloquium & congreſſum: neque maligne mei copiam feci, quatenus per ſtudiorum occupationes licuit. Eum tibi viciſſim commendo, quo tuæ in illum benevolentiæ nonnihil accedat mea cauſa. Bene vale. *Antuerpia* 9. Auguſti, Anno 1518.

## EPISTOLA CCCXXVIII.

Udalricus Zaſius, Cæſarei Juris Profeſſor, Eraſmo Roterodamo S. D.

RECTE Julianus *noſter*, *magne* Eraſme, *impoſſibilia non modo difficilia judicat, quæ non niſi cum Principe explicari peterunt. Hoc enim in me ipſo experior, qui rem tecum literariam ideo explicare ſuperſedeo, quia cum optimarum doctrinarum Principe agendum video, qui cum congredi, ſi non impoſſibile eſt, tamen admodum difficile. Proinde nulla me incivilitatis nota expende, quod tibi adhuc nihil literarum dederim. Nec enim temere Princeps adeundus eſt, tametſi multa in te & vidi, cum tecum eſſem, & ſum expertus, qua ſylvam ſcribendi præberent. Prima me frontis, & oculorum, & neſcio cujus herois majeſtas ita conterruit, ut tametſi pulchre antehac præmeditatus, quî te exciperem, coram tamen poſitus, labra agre moverem, ut velut titubans & interſiſtens, dimidiata & mutila vix verba proloquerer. Hic primus congreſſus cum male habuiſſet, nihil poſtea in me ſecutum eſt, quod eum præſtaret hominem, quem tu putabas. Divinabam hoc futurum, ſed volui omnino te videre, etiam cum fama mea jactura. Pluris enim mihi fuit præſentia tua, vel cum attenuatione mei, quam falſa opinio, qua abſenti tibi majora in* Zaſio *ementiretur. Compoſitos tuos geſtus, verba facundiſſima, & velut rivos vivo fonte lepide fluentes, humanitatem admirabilem, gravitatem comitate pulcherrima conditam, quis non videre, quis non admirari, exoſculari, vel cum jactura aliqua cupiat? Itaque judicato de me ut libeat, ſum enim in ordinem redigendus, ætatem tamen quam ago, vitam quam ſpiro, lucrifeciſſe mihi videor, qui hunc hunc* Eraſmum, *hoc hoc numen vidi, quo poſt* Cicerones & Fabios *doctiorem nulla ætas habuit, qui divinis humaniſque doctrinis, & admirabili eloquentia te præiret. Contemni abs te cum humanitatis cenſura, pluris facio, quam laudari ab aliis; dum ab me non deficias, dum in nu-*

Digitized by Google

An. 1518. *numero clientum tuorum me esse permittas. Vale*, & Bonifacio, *vere* Erasmico *homini, bene velle non desinas.* Beato Rhenano *humanissimo amico*, & Amorbachiis (*dii boni, quam egregiis, quam disertis animis!*) *omnia fausta precor. Ex* Friburgo 13. *Augusti, Anno* 1518.

*Parces impolite scribenti, distorsere me, quæ cudo in* Feudales *usus, forte nova opera, ut transvorsum distracto ingenio, non essem meus. Tuus* Zasius.

## EPISTOLA CCCXXIX.

*Paulo Volzio, religiosissimo Abbati Monasterii, quod vulgo dicitur* Curia Hugonis, *Erasmus Rot.* S. D.

QVANQVAM libellus ille, cui titulum fecimus *Enchiridion Militis Christiani*, quem olim uni mihi & amiculo cuidam prorsus ἀναλφαβήτῳ scripseram, minus displicere cœperit, Pater integerrime, posteaquam tibi tuique similibus video probari; quibus, ut estis ipsi pia doctrina & docta pietate præditi, scio, nihil probari quod non juxta pium sit atque eruditum: tamen propemodum etiam placere cœpit, ubi video toties jam excusum formulis, semper veluti novum efflagitari, si modo mihi non omnino blandiuntur typographi. Verum, illud rursus sæpenumero male habet animum meum, quod olim amicus quidam eruditus salsissime dixit, ludens quidem ille, sed utinam non perinde vere ac salse, *In libello plus conspici sanctimoniæ, quam in libelli Auctore.* Idque eo gravius etiam fero, quod idem usu venit in eo, cui mutando potissimum hoc laboris suscipiebatur. Siquidem & is adeo se non revulsit ab aula, ut multo altius in dies immergatur, quanta pietate nescio, sed omnino, quod ipse fatetur, magna calamitate. Nec me tamen admodum miseret amici, quo vel fortuna magistra resipiscat aliquando, qui nostris monitis parere noluerit. Me vero, licet semper huc enitentem, tot casibus, tot tempestatibus meus exercuit Genius, ut *Ulysses Homericus* præ me *Polycrates* quispiam videri possit. Et tamen ejus laboris me non omnino pœnitet, si tam multos exstimulat ad veræ pietatis studium. Nec ipse tamen videor modis omnibus insectandus, si monitis meis parum respondeo: primum, est aliqua pietatis pars, ex animo velle pium fieri; neque rejiciendum opinor pectus talibus intentum cogitationibus, etiamsi conatum aliquando destituat successus. Semper hoc agendum in omni vita, & crebro retentatum, succedet aliquando. Bonam autem itineris perplexi partem confecit, qui viam probe didicit. Nihil igitur me movent quorundam scommata, qui libellum hunc ceu parum eruditum adspernantur, & qui vel ab elementario quovis scribi possit, quod nihil tractet *Scoticarum* quæstionum, quasi sine his nihil omnino sit eruditum. Sit sane parum acutus, modo sit pius. Non reddat instructos ad palæstram *Sorbonicam*, modo reddat instructos ad tranquillitatem *Christianam*. Non faciat ad disputationem Theologicam, modo faciat ad vitam Theologicam. Quorsum autem attinet hoc tractare, quod nemo non tractat? Quis hodie non versatur in quæstionibus Theologicis? aut quid aliud agunt gymnasiorum examina? Tot pene sunt in Sententiarum libros commentarii, quot Theologorum nomina. Quis Summulariorum modus aut numerus, aliud ex alio miscentium ac remiscentium, &, pharmacopolarum ritu, ex novis vetera, ex veteribus nova, è pluribus unum, ex uno plura subinde fingentium ac refingentium? Quî fiet ut hujusmodi voluminum moles nos ad recte vivendum instituant, quæ ne per omnem quidem vitam vacet evolvere? Veluti si medicus morbo præsentaneo laboranti præscribat, ut *Jacobi à partibus* libros, ac reliquos his adsimiles omnes evolvat, illic reperturus quo valetudinem sarciat. At hunc interea mors occuparit, nec erit cui possit succurri. In tanta ætatis fugacitate, parato promptoque remedio est opus. Quot voluminibus præcipiunt, *De Restitutione*, *De Confessione*, *De Votis*, *De Scandalis*, deque aliis innumeris? Cumque minutatim excutiant singula, singula sic definiant, quasi cæterorum omnium ingeniis diffidant, imo quasi *Christi* diffidant bonitati, dum ἰησῶς præscribunt, quid ille cuique facto vel præmii debeat vel supplicii; tamen nec inter se consentiunt, nec aliquoties rem liquido explicant, si propius consulantur. Tanta est vel ingeniorum vel circumstantiarum varietas. Porro, ut omnia vere, omnia recte definierint, præterquam quod jejune frigideque tractantur ista, quoto cuique vacat tantum voluminum evolvere? aut quis possit secum *Aquinatis Secunda secundam* circumferre? Et tamen nullius non refert bene vivere, ad quod *Christus* omnibus aditum facilem esse voluit, non inexplicabilibus disputationum Labyrinthis, sed fide sincera, charitate non ficta, quam comitatur spes, quæ non pudefit. Postremo, versentur in magnis illis voluminibus magni *Rabini*, qui pauci sint oportet; at nihilo secius interim imperitæ multitudini, pro qua mortuus est *Christus*, consulendum est. Præcipuam autem *Christianæ* pietatis portionem docuit, quisquis ad hujus inflammavit amorem. Sapiens ille Rex filium instituens ad veram sapientiam, non paulo plus operæ sumit in adhortando quam in docendo; quasi sapientiam amasse, propemodum parasse sit. Quod turpe est Jurisperitis ac Medicis, quorum utrique de industria suam artem reddidere difficillimam, quo simul & quæstus sit uberior, & gloria major apud imperitos; id longe turpius fuerit feciisse in Philosophia *Christi*. Imo contra conniti par est, ut eam, quam fieri potest, reddamus facillimam, & omnibus expositam: neque illud sit nobis studio, ut ipsi literati videamur, sed ut quamplurimos ad *Christianam* vitam pelliciamus. Adornatur jam bellum in *Turcas*, quod quocunque consilio institutum, precandum est, non ut paucis quibusdam, sed ut in commune bene vertat omnibus. Sed quid futurum arbitramur, si victis (neque enim universos opinor ferro trucidabimus) ut *Christum* amplectantur, *Occamos*, aut *Durandos*, aut *Scotos*, aut *Gabrieles*, aut *Alvaros*, proposuerimus? Quid cogitabunt, aut quid sentient, (sunt enim & illi, ut nihil aliud, certe homines) ubi audierint spinosas illas, & inextricabiles argutias de instantibus, de formalitatibus, de quidditatibus, de relationibus? præsertim ubi viderint de iis adeo non convenire inter magnos illos religionis professores, ut frequenter usque ad pallorem, usque ad convitia, usque ad sputa, nonnunquam & usque ad pugnos invicem digladientur? ubi *Prædicatores* pro suo *Thoma* cominus atque eminus dimicantes, *Minoritas* contra subtilissimos ac seraphicos doctores junctis umbonibus tuentes? Alios ut nominales, alios ut reales loqui? Si viderint rem usque adeo difficilem esse, ut nunquam satis discussum sit, quibus verbis de *Christo* sit loquendum? perinde quasi cum morosо quopiam agas dæmone, quem in tuam ipsius perniciem evocaris, si quid te fefellerit in verbis præscriptis, ac non potius cum clementissimo Servatore, qui à nobis præter puram simplicemque vitam nihil exigit. Obsecro te per Deum immortalem, quid istis agetur rebus, maxime si supercilioſæ doctrinæ mores & vita similis respondeat? Si ex strepitu nostro plusquam tyrannico, perspexerint ambitionem nostram, si ex rapacitate avaritiam, si ex stupris libidinem, si ex oppressionibus sævitiam, qua fronte ingeremus illis *Christi* doctrinam, ab hisce rebus longe lateque discrepantem? Efficacissima *Turcas* expugnandi ratio fuerit, si conspexerint in nobis elucere, quod docuit & expressit *Christus*: si senserint nos, non ipsorum inhiare imperiis, non sitire aurum, non ambire possessiones, sed præter eorum salutem & *Christi* gloriam nihil omnino quærere. Hæc est illa Theologia vera, germana, efficax, quæ olim & Philosophorum supercilia, & Principum invicta sceptra *Christo* subegit. Hoc, hoc agentibus nobis, aderit ipse *Christus*. Neque vero convenit, ut



Digitized by Google

An. 1518. hoc argumento nos valde *Christianos* declaremus, si quamplurimos occiderimus, sed si quamplurimos servaverimus: non si multa impiorum millia sacrificaverimus orco, sed si quamplurimos ex impiis reddiderimus pios: non si illos diris exsecrationibus devoveamus, sed si piis votis salutem illis ac meliorem mentem à superis optemus. Quod si hic non adsit animus, citius futurum est, ut nos in *Turcas* degeneremus, quam ut *Turcas* in nostras partes pertrahamus. Et ut feliciter cadat *Martis*, semper ancipitis, alea, fiet, ut latius fortasse regnet Pontifex, aut hujus Cardinales; non ut latius regnet *Christus*, cujus regnum ita demum floret, si vigeat pietas, si charitas, si pax, si castitas: id quod optimi *Leonis X.* ductu atque auspiciis fore confidimus, ni quod optimum est conantem aliorsum rapiat rerum humanarum æstus. Ipse *Christus* sese regni cœlorum vindicem ac Principem profitetur, quod non aliter splendidum est, quam si triumphent cœlestia. Neque enim ideo mortuus est *Christus*, ut opes, ut copiæ, ut arma, reliquaque illa mundani regni tragœdia, quæ quondam penes Ethnicos aut certe profanos Principes fuit, Ethnicis non ita multum absimiles, nunc sit penes sacerdotes aliquot. Ac mea sententia, consultum fuerit, multo ante quam armis experiamur, illorum animos epistolis ac libellis sollicitare. Sed qualibus epistolis? non minacibus, non tyrannicis, sed quæ spirent vere paternam charitatem, quæ *Petri Pauli*que pectus referant; quæ non titulum modo præferant Apostolicum, sed ἐνέργειαν resipiant Apostolicam. Non quod nesciam fontem omnem ac venam *Christiana* Philosophiæ reconditam esse in Euangelicis & Apostolicis literis, sed sermo peregrinus, ac sæpenumero perturbatus, tum figuræ tropique obliqui, tantum habent difficultatis, ut nobis etiam non raro sudandum sit, priusquam intelligamus. Commodissimum itaque mea sententia fuerit, si muneris hoc viris aliquot juxta piis ac doctis delegetur, ut ex purissimis fontibus Euangelistarum & Apostolorum, ex probatissimis interpretibus universam *Christi* Philosophiam in compendium contrahant, ita simpliciter, ut tamen erudite; ita breviter, ut tamen dilucide. Quæ pertinent ad fidem, quam pauciſſimis articulis absolvantur. Quæ ad vitam, item paucis tradantur, & sic tradantur, ut intelligant *Christi* jugum blandum & commodum esse, non asperum: ut intelligant sese patres nactos, non tyrannos; pastores, non prædones; ad salutem vocari, non ad servitutem pertrahi. Homines sunt & illi, nec ferrum aut adamantem gestant in pectore, possunt mollescere, possunt officiis adjungi, quibus mansuescunt & feræ. Et efficax inprimis res est *Christiana* veritas. Sed quibus *Romanus* Pontifex hoc negotii volet delegare, eadem opera mandabit, ne quid deflectant ab archetypo *Christo*, ne usquam ad hominum affectus aut cupiditates respiciant. Tale quiddam utcunque mihi tum parturiebat animus, cum hoc *Enchiridii* cuderem. Videbam *Christianorum* vulgus non affectibus modo, verum etiam opinionibus esse corruptum. Perpendebam eos qui pastores ac doctores se profitentur, pleroſque ad suum compendium *Christi* titulis abuti; ne quid interim commemorem de his, quorum nutu ac renutu res humanæ sursum deorsum ἄγονται καὶ φέρονται, ad quorum vitia quantumvis manifesta vix licet ingemiscere. Et in tanta rerum caligine, in tantis mundi tumultibus, in tanta humanarum opinionum varietate, quo potius confugiendum, quam ad vere sacram ancoram Euangelicæ doctrinæ? Quis vere pius non videt ac suspirat hoc seculum longe corruptissimum? Quando unquam tyrannis, quando avaritia regnavit aut latius aut impunius? Quando unquam plus tributum ceremoniis? Quando licentius exundavit iniquitas? Quando sic refrixit charitas? Quid affertur, quid legitur, quid auditur, quid decernitur, nisi quod ambitionem quæstumque sapiat? O infelices nos, nisi *Christus* nobis aliquot suæ doctrinæ scintillulas, suæque mentis ceu vivas & æternas venulas reliquisset. In hoc igitur enitendum ut, omissis hominum prunis, has scintillas ἀναζωπυρῶμεν, nam *Paulino* verbo libenter utimur, has venas scrutemur, donec reperiamus aquam vivam salientem in vitam æternam. Hanc nostram terram altissime scrutamur, ut vitiorum eruamus alimenta: & *Christi* ditissimam terram non rimamur, ut eliciamus salutem animarum? Nunquam ulla vitiorum hyems sic exstinguit charitatis ardorem, quin ex hoc silice possit restitui. Petra *Christus*, sed hæc petra seminarium habet ignis cœlestis, venas habet aquæ vivæ. Fodit olim puteos *Abraham* in omni terra, ubique scrutans venas aquæ vivæ. Sed eosdem à *Philistinis* terra oppletos refodit *Isaac* cum pueris suis; nec contentus instaurasse pristinos, fodit & novos. At rursum movent jurgium & rixas *Philistæi*, neque tamen ille desinit fodere. Nec his temporibus omnino desunt *Philistæi*, quibus terra gratior est vitalibus fontium scatebris; quippe hi, qui terrena sapiunt, & ad terrenos affectus detorquent doctrinam Euangelicam, quam cogunt humanæ servire ambitioni, cogunt lucris turpibus, & tyrannidi suæ obsecundare. Quod si quis *Isaac*, aut si quis ex hujus familia foderit, repereritque venam aliquam puram, protinus obstrepunt ac reclamant, intelligentes eam venam offecturam lucris, offecturam ambitioni, etiamsi pro *Christi* gloria faciat. Mox terram injiciunt, & corrupta interpretatione venam obturant, fossorem depellunt, aut ita certe luto sordibusque conspurcant aquam, ut qui inde biberit, plus hauriat limi sordiumque, quam liquoris. Nolunt sitientes justitiam de puro latice bibere, sed adducunt eos ad suas cisternas contritas, quæ rudera habent, aquam non habent: sed tamen non oportet germanos pueros *Isaac*, hoc est, veros *Christi* cultores ab hoc labore defatigari. Nam inter hos quoque volunt haberi, qui terram ingerunt Euangelicis fontibus, adeo ut inter *Christianos* jam minime tutum sit *Christum* pure docere. Tantum invaluerunt *Philistæi*, pro terra belligerantes, pro cœlestibus terrena, pro divinis humana prædicantes; hoc est, non ea quæ faciunt ad *Christi* gloriam, sed quæ ad illorum quæstum, qui condonationes, qui compositiones, qui dispensationes, similesque cauponationes redimunt. Idque faciunt hoc periculosius, quod suis cupiditatibus, magnorum Principum, summi Pontificis, atque ipsius etiam *Christi* titulos prætexunt. Atqui nemo verius summi Pontificis agit negotium, quam qui cœlestem *Christi* Philosophiam pure tradit, cujus ille primus est doctor. Nemo de Principibus melius meretur, quam qui dat operam, ut populi res quam maxime floreant, & quam minima tyrannide premantur. Sed reclamabit hic aliquis è scholarum agminibus: Facile est cuivis in genere præcipere quid sequendum, quid fugiendum, at quid interim respondebitur iis, qui de tot eventis, de tot casibus consulunt? Primum, plures sunt rerum humanarum species, quam ut ad singulas possint haberi certa responsa. Deinde, tanta est circumstantiarum varietas, ut nisi his cognitis ne possit quidem certum responderi. Postremo, haud scio an isti certum habeant quod respondeant, præsertim cum de plerisque inter se dissentiant. Et qui in hoc genere cordatiores sunt, non ita respondere solent, Hoc facies, hoc fugies, sed, Hoc tutius est, mea sententia, Hoc arbitror tolerabile. Quod si nobis adsit simplex ac lucidus ille oculus ex Euangelio, si domus animi puræ fidei lucernam habeat candelabro impositam, facile minuta ista ceu nebulæ discutientur. Si adsit *Christiana* charitatis regula, ad hanc omnia facile exæquabuntur. At quid facias, cum hæc regula pugnabit cum his, quæ sunt publico seculorum usu recepta, quæque Principum legibus sancita? nam & hoc non raro usu venit. Ne damnaris, quod pro suo officio gerunt Principes. At rursum, nolim contaminare cœlestem illam Philosophiam *Christi* humanis decretis. Maneat *Christus* id quod est, centrum, ambientibus circulis aliquot. Noli scopum suo movere loco. Qui proximi *Christo* sunt, Sacerdotes, Episcopi, Cardinales, Pontifices, & quorum est sequi

Agnum

Digitized by Google

An. 1518. Agnum quocunque ierit, puriſſimam illam partem amplectantur, & quoad licet in proximos transfundant. Secundus circulus habeat Principes profanos, quorum arma legeſque ſuo quodam modo *Chriſto* ſerviunt; ſive dum juſtis bellis profligant hoſtem, publicamque tuentur tranquillitatem, ſive dum legitimis ſuppliciis coercent facinoroſos. Et tamen quoniam neceſſario verſantur in his rebus, quæ cum infima fece terræ, quæque cum mundi negotiis conjunctæ ſunt, periculum eſt ne prolabantur longius. Ne bellum non pro Republica, ſed pro ſua libidine gerant. Ne juſtitiæ prætextu ſæviant & in eos, quos clementia ſanare poterat: ne titulo dominii populum expilent, quorum res tueri debuerant. Porro, ut *Chriſtus* velut ignis æterni fons, ſacerdotum ordinem proxime ad ſe trahit, ac velut igneos reddit, puros ab omni terrenæ fecis contagio: ita ſacerdotum eſt, & præſertim ſummorum, Principes quantum licet ad ſeſe vocare. Sicubi bellum ingruerit, adnitantur Pontifices, ut aut componantur res citra ſanguinem, aut ſi id non poteſt, ut ſunt rerum humanarum procellæ, certe id agant, ut minus cruente geratur bellum, neve in longum propagetur. Olim & in juſtis ſuppliciis intercedebat Epiſcoporum auctoritas, & ſubinde nocentem è Judicum manibus extorquebat, ut palam in Epiſtolis ſuis teſtatur *Auguſtinus*. Sunt enim quædam ita neceſſaria ad ordinem Reipub. ut ea tamen *Chriſtus* partim diſſimularit, partim ab ſe rejecerit, partim nec improbans, nec approbans, velut ad ea conniveat. Non agnoſcit nummum Cæſaris, nec inſcriptionem. Cenſum ita dari jubet, ſi debeatur, quaſi ad ſe non multum pertineat, modo detur Deo quod illi debetur. Adulteram nec damnat, nec palam abſolvit, tantum jubet, ne repetat admiſſum. De damnatis à *Pilato*, quorum ſanguinem miſcuerat cum illorum ſacrificiis, non pronunciat, recte an ſecus hoc paſſi ſint: tantum, ſimile exitium comminatur omnibus, niſi reſipiſcant. Porro, vocatus arbiter dividundæ hæreditatis, palam rejicit officium, velut indignum eſſet de rebus tam craſſis pronunciare, qui cœleſtia doceret. Contra, ſunt quæ palam deteſtatur. In *Phariſæos* avaros, in hypocritas, in divites elatos, *Va* intonat: Apoſtolos nunquam acrius redarguit quam ubi vindictæ cupiditate, aut ambitionis affectu tanguntur. Rogantibus an juſſuri eſſent ignem è cœlo deſcendere, qui exureret civitatem unde excludebantur, *Neſcitis*, inquit, *cujus ſpiritus ſitis*. *Petrum* à cruce ad mundum revocare conantem, Satanam appellat. De primatu diſputantes, quot modis, & quoties revocat ad diverſum affectum? Sunt item quæ palam docet, ac præcipit: Non reſiſtere malo, bene mereri de inimicis, animi manſuetudinem, aliaque conſimilia. Diſtinguenda ſunt hæc, & in ſuum quæque digerenda locum. Ne protinus igitur horum, quæ geruntur à Principibus, aut profanis magiſtratibus, *Chriſtum* faciamus auctorem, aut, ut nunc loquuntur, juri divino aſſeramus. Craſſa quædam ab illis tractantur, nec omnino *Chriſtianæ* puritatis, ſed quæ tamen inſectanda non ſint, utpote neceſſaria ad rerum ordinem tuendum. Nec enim horum miniſterio fit, ut boni ſimus, ſed ut minus mali; utque qui mali ſunt, minus noceant Reipublicæ. Debetur igitur & his ſuus honos, quod utcunque ſerviant juſtitiæ divinæ, publicæque tranquillitati, ſine qua turbantur aliquoties & ea quæ ſunt pietatis. Honorandi ſunt ubi ſuo funguntur officio, tolerandi fortaſſis ubi ſibi gerunt poteſtatem, ne quid deterius exoriatur. Sublucet enim in his quoque imago, vel umbra verius, divinæ juſtitiæ, quam tamen oportet longe expreſſius, evidentius, ac purius, in ſacerdotum moribus ac legibus elucere. Aliter in ferro relucet imago, aliter in vitreo ſpeculo. In tertio circulo prorſcuum vulgus collocemus, veluti craſſiſſimam hujus orbis partem, ſed ita craſſiſſimam, ut tamen ad *Chriſti* pertineat corpus. Neque enim oculi tantum corporis membra ſunt, verum etiam ſuræ, pedes, ac pudenda. His ſic eſt indulgendum, ut ſemper, quoad fieri poterit, vocentur ad ea quæ *Chriſto* ſunt potiora: nam in hoc corpore qui modo pes erat, oculus fieri poteſt. Et tamen ut Principes ſi ſint impii, non ſunt exacerbandi convitiis, ne provocati graviores excitent Tragœdias, juxta ſententiam *Auguſtini*: ita populus imbecillus, exemplo *Chriſti*, qui tanta lenitate tulit ac fovit ſuos Diſcipulos, ferendus erit, ac paterna fovendus indulgentia, donec paulatim grandeſcat in *Chriſto*. Habet enim & pietas ſuam infantiam, habet ætatis acceſſus, habet perfectum & vegetum robur. Omnibus tamen pro ſua cuique portione ad *Chriſtum* eſt enitendum. Elementorum ſuus cuique locus eſt. Sed ignis, qui ſummam tenet ſedem, omnia paulatim ad ſe rapit, & quantum fieri poteſt, in ſuam transformat naturam. Aquam eliquatam vertit in aerem, aerem extenuatum in ſe transformat. Multa *Paulus* indulget *Corinthiis*, diſtinguens interim quæ Domini nomine proponeret perfectis, & quæ ſuo nomine indulgeret infirmis; hac tamen ſpe, ut proficerent. *Galatas* iterum parturit, donec in eis formetur *Chriſtus*. Jam qui putabit hunc circulum Principibus magis tribuendum, cum hoc non fuerit magna contentio. Etenim ſi mores æſtimemus, vix alios videas craſſius *Chriſtianos*: de pleriſque loquor, non de omnibus. Quicquid autem extra tertium circulum erit, id ſemper & in omnibus deteſtandum; quod genus ſunt ambitio, ſtudium pecuniæ, libido, ira, vindicta, invidia, obtrectatio, reliquæque peſtes: ſed quæ tum demum fiunt immedicabiles, cum pietatis & officii perſona commendatæ, in ſuperiores circulos irrepunt: hoc eſt, cum juſtitiæ juriſque prætextu noſtram exercemus tyrannidem, cum per religionis occaſionem conſulimus quæſtui, cum Eccleſiæ defendendæ titulo mundanum venamur imperium; cum præcipiuntur velut ad *Chriſti* rem facientia, quæ longiſſime abſunt à *Chriſti* doctrina. Proinde ſcopus omnibus eſt ingerendus, ad quem enitantur. Scopus autem unicus eſt, videlicet *Chriſtus*, & hujus doctrina puriſſima. Quod ſi pro cœleſti ſcopo terrenum proponas, non erit ad quod recte enitatur qui contendit proficere. Quod ſummum eſt, id omnibus eſt deſtinandum, ut ſaltem aſſequamur mediocria. Nec eſt quod ullum vitæ genus ab hoc ſcopo ſubmoveamus. In affectibus eſt *Chriſti* perfectio, non in vitæ genere: In animis eſt, non in palliis, aut cibis. Sunt inter Monachos, quos vix recipit extremus circulus, & tamen de bonis loquor, ſed infirmis. Sunt inter digamos, quos *Chriſtus* primo dignatur circulo. Neque vero fit interim ulli vitæ profeſſioni injuria, ſi quod eſt optimum ac perfectiſſimum omnibus proponitur. Niſi forte *Plato* contumelioſus fuiſſe putatur in omnes civitates, quoniam in politia ſua ejuſmodi Reipublicæ propoſuit exemplar, quale hactenus videre non licuit. Aut *Quintilianus* univerſum Oratorum ordinem læſit, qui tale finxerit Oratoris exemplar, qualis adhuc nullus exſtitit. Procul abes ab archetypo? non rejiceris, ſed exſtimularis, ut proficias. Non multum abes? admoneris ut accedas propius. Neque enim quiſquam uſque adeo proceſſit, ut non habeat quo proficiat. Habet autem unumquodque vitæ genus cognata quædam degenerandi pericula. Ea qui commonſtrat, non derogat ordini, ſed rem ordinis agit. Veluti Principum felicitas obnoxia eſt tyrannidi, obnoxia eſt ſtultitiæ, obnoxia adulationi, obnoxia delitiis. Hæc qui commonſtrat vitanda, bene meretur de Principum ordine. Nec derogat illorum majeſtati qua gloriantur, qui demonſtrat, quibus in rebus ſita ſit vera Principum majeſtas, qui illos admonet, quid jurarint in ſuſcipiendo principatu, quid debeant populo ſuo, quid magiſtratibus. Eccleſiaſtici Proceres fere affines ſunt duabus potiſſimum peſtibus, avaritiæ & ambitioni. Quod ceu præſentiens primus ille ſecundum *Chriſtum* paſtor, admonet Epiſcopos, ut paſcant gregem ſuum, non autem expilent, aut deglubant; nec paſcant turpis lucri gratia, ſed



Digitized by Google

An. 1518. ex animi prompta voluntate. Nec dominentur in suos, sed exemplo vitæ provocent ad pietatem potius, quam minis aut imperio. An igitur derogare videbitur ordini sacerdotali, qui commoneat, quibus rationibus Episcopi vere magni sint, vere potentes, vere divites? Porro, Monachorum genus fere comitatur, præter alios morbos, superstitio, supercilium, hypocrisis, obtrectatio. Non damnat igitur protinus horum institutum, qui monet, quibus in rebus sita sit vera religio, & quantum absit à supercilio vere *Christiana* pietas, quantum absit à fuco germana charitas, quam pugnet cum sincera religione linguæ virulentia, præsertim si tali moderamine commonstret quid sit vitandum, ut nec hominem ullum notet, nec ordinem attingat. Quid autem est in rebus humanis tam felix, cui non suæ pestes sint additæ? Sicut igitur adjuvat, non lædit sanitatem corporis, quisquis indicat, quæ res aut vitient aut tueantur veram sanitatem: ita non avocat à religione, sed adhortatur potius, qui demonstrat veræ religionis corruptelas, ac remedia. Nam audio quosdam sic interpretari, quasi præceptiones hujus libelli, quoniam minus tribuunt ceremoniis quam vellent quidam, qui plus nimio tribuunt, nec ita multum humanis constitutionibus, hominum animos alienent à vita monastica. Usque adeo nihil tam circumspecte dici potest, quod non rapiatur ab improbis vel in aliquam calumniam, vel in ansam peccandi, ut jam vix tutum sit quicquam recte monere. Si quis à bellis, quæ jam seculis aliquot ob res nihili plus quam Ethnice gerimus, deterreat, notatur à sycophantis, quasi sentiat cum iis, qui negant ullum bellum gerendum *Christianis*. Nam hæreticos fecimus auctores hujus sententiæ, quod Pontifex, nescio quis, bellum approbare videatur. Neque tamen notatur, qui contra *Christi* & Apostolorum doctrinam, ad bellum quibuslibet de causis suscipiendum, classicum canit. Si quis admoneat, vere Apostolicum esse, *Turcas Christi* præsidiis ad religionem pertrahere, potius quam armis, continuo vocatur in suspicionem, quasi doceat, *Turcas*, si impetant *Christianos*, nullo modo coercendos. Si quis prædicet Apostolorum frugalitatem, & in horum temporum luxum dicat aliquid, non desunt à quibus notetur velut *Ebionitis* favens. Si quis impensius adhortetur, ut qui conjugio copulati sint, magis pietate & animorum consensu, quam corporum complexu cohæreant, & ita pure colant matrimonium, ut virginitati quam potest simillimum sit, in suspicionem vocatur, quasi cum *Marcionitis* omnem coitum spurcum ducat. Si quis admoneat, ut in diatribis, præcipue theologicis, absit ambitiosa vincendi suaque tuendi pertinacia, absit theatrica illa ostentandarum virium ambitio, non recte defertur, quasi scholas in totum damnet. Neque enim divus *Augustinus*, admonens dialecticis cavendam esse rixandi libidinem, damnat dialecticam, sed pestem illius ostendit, ut vitetur. Item, si quis præposterum vulgi judicium taxet, inter virtutes, primas tribuentis iis, quæ sunt extremæ classis, & contra: item inter vitia, vehementissime detestantis quæ levissima sunt mala, cum sint atrocissima, ac retrorsum; protinus in jus vocatur, quasi vitiis faveat, quibus gravius vitium anteponit: aut quasi damnet benefacta, quibus alia præfert ut sanctiora. Veluti si quis admoneat, tutius esse benefactis fidere, quam Pontificiis condonationibus, non utique damnat illius condonationes, sed præfert id quod ex *Christi* doctrina certius est. Itidem, si quis admoneat, rectius facere eos, qui domi liberis & uxori moderandæ dant operam, quam si visendi gratia *Romam*, *Hierosolymam*, aut *Compostellam* adeant; eamque pecuniam, quam insumant in longam ac periculosam profectionem, sanctius in bonos ac veros pauperes erogari, non damnat pium istorum affectum, sed antefert, id quod propius est veræ pietati. Jam vero non nostrorum modo temporum est, quædam vitia sic detestari, quasi sola sint, cum cæteris ita blandiamur, quasi vitia non sint, cum sint illis quæ sic exsecramur atrociora. Queritur in Epistolis *Augustinus*, unum libidinis crimen apud *Afros* imputari sacerdotibus, cæterum avaritiæ temulentiæque vitium pene laudi verti. Unum illud tragicis modis exaggeramus, terque quaterque horrendum facinus, iisdem manibus tractare Corpus *Christi*, quibus attrectaris corpus meretricis. Nec desunt qui nimium Tragice ausint publicitus asseverare, leviorem esse culpam, si mulier habeat rem cum bruta pecude, quam cum sacerdote. Horum impudentiam qui refellit, non continuo favet impudicis sacerdotibus, sed admonet ea negligi quæ magis erant exaggeranda. Est sacerdos aleator, est bellator, aut gladiator, est totus indoctus, totus profanis rebus immersus, malorum Principum malis obsequiis deditus, in hunc non itidem vociferantur, qui totus profanus tractet sacrosancta mysteria. Est sacerdos sycophanta, qui lingua virulenta, mendaciisque confictis, lacerat famam hominis nihil commeriti, imo bene meriti, cur hic non vociferamur, O scelus horrendum! Tun' lingua Tartareo veneno tincta, Tun' ore quo jugulas innocentem, & conficis & sumis Corpus illius, qui pro impiis etiam mortuus est? At hoc mali sic negligimus, ut hinc pene laudem ferant, qui religionem religiosissimam profitentur. Reprehendi merentur, qui pernicioso populi exemplo palam concubinas domi alunt. Quis neget? Sed hic morbus non paulo est invisior *Christo*. Non damnat igitur butyrum, qui illi præfert mel: nec probat febrim, qui monet phrenesim esse magis vitandam. Neque facile dictu sit, quanta morum lues ex hujusmodi præposteris judiciis nascatur. Jam quædam ita recepta sunt in ordinem virtutum, ut personam pietatis habeant verius quam vim pietatis; adeo ut nisi circumspecte agas, pietatem veram prorsus exstinguant. Si mediocris religionis pestis latuisset in ceremoniis, *Paulus* non tam acriter in omnibus suis Epistolis in eas destomacharetur. Neque tamen usquam damnamus moderatas ceremonias, at non ferimus in his puppim ac proram, quod dici solet, sanctimoniæ constitui. Divus *Augustinus* vetuit etiam, ne clerici, quos domi alebat, notabili vestitu uterentur: sed si commendari vellent populo, moribus commendarentur, non vestibus. Nunc quam novi, quam prodigiosi cultus? Neque tamen hoc insector, illud demiror, plus satis his tribui, quæ fortassis jure reprehendi poterant: rursus tam parum tribui his, quæ sola conveniebat spectari. Non insector convitiis, quod *Franciscani* suam, *Benedictini* suam amplectuntur regulam: sed quod quidam illorum plus illis tribuunt quam Euangelio. Quod utinam non in plerosque istorum competat. Non insector quod alii piscibus victitant, alii leguminibus aut herbis, alii ovis: sed admoneo vehementer errare eos, qui *Judaico* animo ex hisce rebus justitiæ persuasionem induunt; ex hujusmodi nugis, ab hominibus repertis, se cæteris anteponunt, cum iisdem pro nullo vitio habeatur famam alienam mendaciis incessere. De ciborum delectu nihil usquam præcipit *Christus*, nihil Apostoli, *Paulus* sæpe dehortatur: virulentam obtrectationem exsecratur *Christus*, detestantur Apostolicæ literæ, & tamen illic volumus religiosuli videri, hic fortes sumus & intrepidi. Hæc qui admonet, cum in genere, tum amanter, quæso, num is religionem videtur lædere? Quis autem tam demens sit, ut proferendis in lucem Monachorum vitiis, velit haberi disertus? At metuunt isti, ne suos habeant minus dicto audientes, tum ne pauciores ambiant in illorum cooptari gregem. Imo nemo magis obedit, atque, ut verbo utar *Paulino*, πιθαρχεῖ, quam qui hausto *Christi* spiritu liber esse cœperit. Vera charitas omnia boni consulit, omnia suffert, nihil detrectat, obedit præpositis, non solum benignis & commodis, verum etiam asperis ac difficilibus. Sed tamen hoc interim cavendum præpositis, ne alienam obedientiam in suam vertant tyrannidem; & ideo malint eos superstitiosos quam pios, quo magis ad omnem nutum observiant. Patres appellari gaudent. Atqui quis est patrum carnalium, qui suos libe-

Digitized by Google

An. 1518. liberos optet semper infantes esse, quo magis regnum in illos exerceat pro sua libidine? Rursus, qui proficiunt ad *Christi* libertatem, hoc inprimis cavere debent, ne quod admonet *Paulus*, libertatem faciant prætextum carni; aut ne juxta *Petri* doctrinam, libertatem faciant velamen malitiæ. Quod si unus aut alter hac libertate sit abusus, non continuo par est ob id omnes in perpetuo *Judaismo* continere. Comperiet quisquis observarit, nullum inter istos arctius adstringere laqueos ceremoniarum, quam qui sub hoc prætextu regnant, & ventri suo vivunt, non *Christo*. Jam vero non est quod metuant, ne non propagetur *Essenorum* genus, in tanta ingeniorum & animorum varietate: qua fit ut nihil etiam sit usquam tam absurdum, quod non expetatur à multis. Quanquam magis optandum istis, ut ingenuos ac veros habeant religionis professores, quam ut multos. Atque utinam id lege cautum esset, ne quis ante trigesimum annum ejusmodi laqueis implicaretur, antequam ipse sibi notus sit, aut cognita veræ religionis vis. Cæterum, iis, qui *Pharisæorum* exemplo suum agunt negotium, obeuntes terras ac maria, quo faciant unum proselytum, nusquam deerunt adolescentes rerum imperiti, quos in nassam illectent, & quos captent. Ingens ubique stultorum ac simplicium est numerus. Ego certe optarim, nec dubito quin idem optent omnes vere pii, Euangelicam religionem sic omnibus esse penitus cordi, ut, hac contenti, *Benedictinam* aut *Franciscanam* nullus ambiat; nec dubito quin idem optet ipse *Benedictus* ac *Franciscus*. Applaudit *Moses Christi* gloria obscuratus: applauderent & hi, si nobis amore legis Euangelicæ forderent humanæ constitutiones. Vellem universos *Christianos* ita vivere, ut qui nunc soli religiosi vocantur, parum religiosi viderentur. Quod & hodie in non paucis verum est; cur enim manifesta dissimulemus? Et tamen olim prima monasticæ vitæ origo secessus erat ab idololatrarum sævitia. Mox hos sequentium Monachorum instituta, nihil aliud erant quam revocamenta ad *Christum*. Principum aulæ titulo magis quam vita quondam erant *Christiana*. Episcopos mox ambitionis & avaritiæ morbus corripuit. Vulgus item à primitiva illa charitate refrixit. Hinc secessum captavit *Benedictus*, & post hunc *Bernardus*, deinde alii atque alii. Conspiratum est à paucis non in aliud, quam in purum ac simplicem *Christianismum*. Quod si quis *Benedicti*, *Francisci*, *Augustini*, vitam & regulas attentius excutiat, perspiciet illis nihil aliud in votis fuisse, quam ut cum spontaneis amicis juxta doctrinam Euangelicam in libertate spiritus viverent: eosque fuisse compulsos, ut de vestibus ac cibis, cæterisque rebus externis aliquid præscriberent; nimirum veritos, ne, quod fieri solet, plus tribueretur humanis constitutionibus hominum quam Euangelio. Horrebant divitias; fugitabant honores etiam Ecclesiasticos; laborabant manibus, ut non solum ipsi graves non essent cuiquam, sed superesset unde subvenirent aliorum inopiæ; occupabant montium cacumina, nidulabantur in locis palustribus, colebant arenas locaque deserta. Denique tantam hominum multitudinem sine convitiis, flagris & carceribus moderabantur, sola doctrina, monitis, officiis, & vitæ exemplis. Tales erant Monachi, quos amat laudatque *Basilius*, quos tuetur *Chrysostomus*: in illos utcunque quadrabat, quod ad *Marcellam* scribit divus *Hieronymus*, *Monachorum & virginum choros esse florem & preciosissimum lapidem inter ornamenta Ecclesiæ*. Hoc elogio dictu mirum quam hodie sibi blandiantur Monachi qualescunque. Verum feremus ut amplectantur laudem, si simul amplectantur exemplum. Mox enim vir prudentissimus subjicit formam Monachorum, quos eo titulo dignos censuit: *Vox quidem*, inquit, *dissona, sed una religio: tot pene psallentium chori, quot gentium diversitates. Inter hæc quæ vel prima inter Christianos virtus est, nihil arrogant sibi de continentia supercilii. Humilitatis inter omnes contentio est; quicunque novissimus fuerit, hic primus putatur. In veste nulla discretio,* A *nulla admiratio, utcunque placuerit incedere, nec detractionis est, nec laudis: jejunia quoque neminem sublevant,* An. 1518. *nec defertur inedia, nec moderata saturitas condemnatur, suo Domino stat unusquisque aut cadit. Nemo judicat alterum, ne à Domino judicetur: & quod in plerisque provinciis familiare est, ut genuino dente se lacerent, hic penitus non habetur.* Hactenus ille formam optimorum Monachorum depinxit, eam ad horum temporum mores conferat, qui velit. Talia fuerunt monachismi primordia, tales patriarchæ. Deinde temporis progressu paulatim cum opibus accreverunt ceremoniæ, refrixit germana pietas ac simplicitas. Et quum videamus passim monasteria ad mores plusquam profanos degeneresse, tamen novis institutionibus oneratur mundus, quasi non & ii paulo post eodem sint prolapsuri. Olim, ut dixi, secessus erat Monachorum vita. Nunc ii vocantur Monachi, qui toti in meditullio negotiorum mundanorum versantur, plane tyrannidem quandam in rebus humanis exercentes. Et tamen horum plerique ob cultum, ob titulum, nescio quem, tantum arrogant sibi sanctimoniæ, ut cæteros præ se non habeant pro *Christianis*. Cur sic arctamus *Christi* professionem, quam ille voluit latissime patere? Si magnificis vocabulis commovemur, quæso te quid aliud est civitas quam magnum monasterium? Monachi Abbati suo parent, aut Præpositis: cives Episcopo ac pastoribus suis obsequuntur, quos ipse *Christus* præfecit, non hominum auctoritas. Illi vivunt in otio, & aliena liberalitate saginantur, in commune possidentes, quod citra sudorem ipsis obvenit, (nihil enim interim dicam de viciosis) isti, quod sua pepererunt industria, pro suis quisque facultatibus impertiunt egentibus. Jam vero quod ad castitatis votum attinet, non ausim explicare, quantulum interfit inter vulgarem cœlibatum & castum matrimonium. Postremo, non admodum in eo desiderabimus tria illa vota ab hominibus reperta, qui primum illud & unicum votum, quod in baptismo, non homini, sed *Christo* nuncupamus, sinceriter pureque servaverit. Jam si ex utroque genere malos cum malis conferas, extra controversiam potiores sunt hi. Sin bonos cum bonis, minimum est discrimen, si tamen est ullum, nisi quod religiosiores videntur, qui minus coacti præstant religionem. Superest igitur, ut nemo vel sibi stulte placeat ob vitæ genus ab aliis diversum, vel alienum institutum despiciat, damnetve. Verum, in omni vitæ genere sit hoc omnium commune studium, ut pro sua quisque virili ad *Christi* scopum, omnibus præfixum, enitamur: & ad id invicem nos cohortemur, atque etiam adjutemus, nec invidentes iis, qui nos in hoc stadio præcurrunt, nec fastidientes imbecilles, qui nos assequi nondum possunt. Denique, posteaquam quisque quod potuit præstitit, ne fiat similis Euangelico illi *Pharisæo*, qui sua benefacta jactat apud Deum, *Jejuno bis in Sabbato*, &c. sed, juxta *Christi* consilium, dicat, & dicat ex animo, dicat sibi, non aliis modo, *Servus inutilis sum, quod debui facere, feci.* Nemo verius fidit, quam qui sic diffidit. Nemo longius abest à vera religione, quam qui sibi valde videtur religiosus. Nec unquam pejus agitur cum pietate *Christiana*, quam cum quod est mundi, ad *Christum* detorquetur, cumque hominum auctoritas divinæ præfertur. In unum illud caput conspiremus oportet, si vere *Christiani* esse volumus. Porro, qui ad *Christum* vocanti homini paret, *Christo* paret, non homini. Et qui fucatos homines, sævos & imperiosos, non docentes ea, quæ faciunt ad religionem, sed ad suam tyrannidem, tolerat, is *Christianam* præstat patientiam, modo quæ præcipiunt calamitosum faciant tantum, non etiam impium. Alioqui conveniet Apostolicum illud responsum habere in promptu, *Deo obedire oportet potius quam hominibus.* Sed jamdudum epistolarem modum excessimus, adeo nos fallit tempus cum amico suavissimo jucundissime confabulantes. Liber *Frobenianus* formulis veluti renatus, multoque quam antea nitidior & emendatior in tuum sinum advolat. Adjecta



Digitized by Google

An. 1518. sunt fragmenta quædam veterum studiorum nostrorum. Visum est autem tibi potissimum hoc quicquid est editionis adjungere, ut qui ex *Erasmo* recte vivendi præceptiones sumpserit, à *Volzio* protinus ad manum habeat exemplum. Bene vale, Pater optime, ac veræ religionis eximium decus.

Admone *Sapidum* meis verbis, ut sibi vere sapiat, hoc est, sui similis esse pergat; *Wimphelingum*, ut adornet τὴν πανοπλίαν, mox cum *Turcis* conflicturus, quandoquidem jam satis diu bellum gerit cum sacerdotibus concubinariis. Spes est fore, ut illum aliquando videamus Episcopum, mitra bicorni pedoque conspicuum, sublimem mula vehi. Sed extra jocum, & hos, & *Ruserum*, cæterosque amicos, meo nomine multum salvere jubebis. *Erasmi* tui salutem interdum puris votis, piisque precibus, *Christo* Opt. Max. commendato. *Basilea* 14. Augusti, Anno 1518.

## Epistola CCCXXX.

*Erasmus Rot. Udalrico Zasio* S. D.

Non possum obtinere, vir inter bonos optime, & inter doctos doctissime, quin in tuis ad me literis tui similis sis, semper mei me dissimilem faciens, ex minimo magnum, ex infortunatissimo felicem, ex vix trivialiter literato verius quam erudito omnis doctrinæ principem, atque ut semel finiam, ex musca elephantum, quod *Græci* est in proverbio. Et tamen faveo simulacro, quo me depingis præclare magis quam apte, veluti si *Apelles* quispiam egregiam picturam, omni artificio elaboratam proponat, sed quæ ad exemplar non respondeat. Neque enim quicquam est, quod ex eo mihi possim agnoscere. Verum, quando in *Zasii* mores non cadit ulla fuci suspicio, patiar te tuo indulgere vel amori, vel ingenio, modo mihi vicissim permittas, ut meo obsequar pudori, qui soleam amicos effusius amare quam prædicare: aut si quando res ita tulerit, malim apud alios quam coram. Denique, si inciderit, ut coram quoque sit faciendum, malim aliquanto parcius. Sed quam, obsecro, jacturam mihi narras? Cum antehac de *Zasio* præclare senserim, tamen ex nostro congressu tantum accessit meæ de te opinioni, ut mihi videar magnitudinem tuam hactenus prorsus ignorasse. Ego Jureconsultum duntaxat exspectabam, insignem quidem illum & admirabilem, sed tantum Jureconsultum. Quid autem est in Theologorum mysteriis, aut etiam palæstris illis, quod tibi non erutum, non excussum ac meditatum esse videatur? Quæ Philosophiæ pars est, in qua non ita versatus sis, ut in ea sola versatus videri queas? Aut quis omnino liber est, seu veterum, seu recentium, quem non evolveris, non introspexeris, non imbiberis? Quin & arcana illa, quæ vere pium ac sanctum reddunt hominem, comperio tibi non vulgariter esse observata. Jam eloquentiam tuæ literæ, licet neglectim, & plusquam ex tempore scriptæ, satis præ se ferebant: at non exspectabam dives istud & exuberans orationis flumen, nusquam non paratum, quicquid undecunque incidisset. Deum immortalem, qui sermonis nitor, qui fluxus, quam felix, quam ultro scatens, quam non accersitus, quam non affectatus! Extemporalis confabulatio stylum tuum æquabat. Quis non admiretur cani capitis tam virens ingenium? tam præsentem paratamque rerum omnium memoriam? Nihil enim dicam de moribus, quibus neque gravius aut integrius quicquam esse potest, neque suavius. Adeo mire totum *Zasium* temperavit, artifex optima Philosophia. Sed pene imprudens laudum tuarum campum ingredi cœperam. Etiam atque etiam te rogo, ut aliquando tandem expolitissimas lucubrationes tuas sinas in lucem exire. Patere hoc utilitatis studiosis bonarum literarum accedere, patere hoc decoris nostræ adjungi *Germaniæ*, cui nunc notissimum est *Zasii* nomen, sed dignum quod universo innotescat orbi, posteritati quoque celebre plausibile-

A B C D E F

que futurum. Cætera, quæ ad hanc rem pertinent, ex *Bonifacio Amerbachio*, juvene omnibus rebus affatim expolito, cognosces. Nostrum officium sicubi desiderabitur, ita præstabimus, ut nos ex animo tuos esse intelligas. Bene vale, doctissime Doctor, & amice incomparabilis. *Basilea* 23. Augusti, Anno 1518. An. 1518.

## Epistola CCCXXXI.

*Erasmus Roterodamus R. D. Antonio Puccio, Legato Apostolico apud Elvetios*, S. D.

Salvtem, P. Reverendissime, vereor ne jamdudum apud se tua celsitudo *Erasmum* non solum inhumanitatis, verum etiam insignitæ cujusdam ingratitudinis reum agat, qui tam obviam tuam humanitatem expertus, non saltem literarum officio beneficium agnoscam. Verum, si scias, quam periculose plusquam menstruam pituitam excipiens diarrhœa sceleratissima non sine torminibus alvi nos afflixerit: cum interim Operi, quod erat præ manibus, cogerer sufficere: sat scio, quæ naturæ tuæ bonitas est, doliturus sis etiam mihi tam justam esse excusationem. Eo ventum erat, ut de condendo Testamento cogitarem. Nunc pestilentia undique gliscens, nos hinc abigit, Opere nondum absoluto, cujus studio vitam etiam hactenus contempsimus, non modo pecuniam. Adeo mihi studio fuit, ut quod semel *Leoni Decimo* dedicaram, illo dignum redderem. Nam editio prima mihi non per omnia satisfecit, licet & illa ab eruditissimis quibusque doctissimisque probetur: tantum initio oblatrabant pauculi sycophantæ, sed indocti: deinde, qui nunquam Opus legerant: postremo, in absentem duntaxat, coram nemo verbum. Nunc exibit, ni fallor, sic elaboratum, ut sperem futurum, ut nec *Leone*, nec posteritate videatur indignum. Frustra narrem, quando nemo crediturus sit, quantis mihi constiterit sudoribus; utinam parem adferat utilitatem Reipublicæ Christianæ, nihil enim hic aliud spectavimus. Quam ad rem tua quoque sublimitas non mediocre momentum adferre poterit, si non gravabitur à summo Pontifice impetrare *Breve* aliquod, quo testetur Opus hoc sibi gratum esse. Ita sycophantis illis pauculis os obturabitur. Responderant duo Cardinales, per quos primæ editionis volumen obtuleram *Leoni* Pontifici. *Andreas Ammonius* alteram epistolam huc misit, ea periit: alteram servavit, quæ nunc una cum ipso periit. Scripsimus hac de re ante pauculos dies Card. *Grimano*, & *Paulo Bombasio*. Porro, ne quis scrupulus habeat animum tuum, studii mei rationem paucis exponam. Collatis multis *Græcorum* exemplaribus, quod sincerissimum videbatur sequuti, vertimus *Latine*, nostramque translationem *Græcis* adjunximus, quo Lectori promptum sit conferre: & ita vertimus, ut primum studuerimus, quoad licuit, integritati sermonis *Romani*, sed incolumi tamen Apostolici sermonis simplicitate: deinde, dedimus operam, ut quæ prius Lectorem torquebant vel amphibologia, vel obscuritate sermonis, vel orationis vitiis, aut incommodis, jam explanata sint ac dilucida: parcissime interim recedentes à verbis, à sensu nusquam: quem tamen non ex nobisipsis somniamus, sed ex *Origene*, *Basilio*, *Chrysostomo*, *Cyrillo*, *Hieronymo*, *Cypriano*, *Ambrosio*, *Augustino* petimus. Adjunximus Annotationes, jam locupletatas, in quibus docemus Lectorem, quid quo consilio sequuti simus, semper veterum Auctorum nixi sententia. Vulgatam hanc Editionem non convellimus, quæ tamen cujus sit incertum est: etiamsi compertum est, nec *Cypriani* esse, nec *Ambrosii*, nec *Hilarii*, nec *Augustini*, nec *Hieronymi*: sed indicamus ubi sit depravata, submonentes sicubi insigniter dormitavit Interpres: explicantes si quid involutum, ac spinosum. Si optandum est ut divinos Libros habeamus quam emendatissimos, hic meus labor non solum amolitur mendas sacrorum Voluminum, verum etiam obstat, ne posthac queant depravari. Si optandum ut recte intelli-

Digitized by Google

KO ..RKLIJKE
...OTHEEK

Digitized by Google

Digitized by Google

An. 1518. telligantur, plusquam sexcentos locos aperuimus, antehac nec à magnis intellectos Theologis. Fatentur ipsi, negare non possunt. Si optandum ut huic disputatrici Theologiæ, quæ pene plus satis pollet in scholis, accedat fontium cognitio, huc peculiariter hoc Opus conducit. Nullum igitur studii genus hæditur hoc meo labore, sed adjuvantur omnia. *Græcorum* lectionem licet ubique verterimus, non tamen ubique probamus: quin nostram alicubi præferimus, semper indicantes, ubi Scriptores orthodoxi *Latini* cum *Græcis* consentiant, aut dissentiant. Porro, lectionis varietas non solum non officit studio sacrarum Scripturarum, verum etiam conducit, auctore divo *Augustino*. Neque tamen usquam tanta est varietas, ut ad orthodoxæ fidei periculum pertineat. In summa, aut me plane fallit Operis amor, aut allaturum est non mediocrem utilitatem sacris studiis, *Leoni* decimo non minimum decus apud posteros, cum jam quiescet livor & sentietur utilitas, quæ quidem tum uberior, tum maturior continget, si summi pastoris accesserit approbatio. Nec aliter cupio probari, nisi ut declaret hoc Opus ob utilitatem sacrorum studiorum sibi gratum esse. Pro mea inscriptione non aliud posco præmium. Alius munus aliquod exspectaret, alius sacerdotium flagitaret: ego, qui tantum prodesse studui, satis amplum præmium mihi videbor assequutus, si contigerit, cujus gratia tantum suscepi vigiliarum. Amplitudo tua rem duobus verbis impetrabit, gratum factura tum ipsi *Christo*, tum studiosis omnibus, tum peculiariter *Frobenio* viro tali, ut nullius officinæ plus debeant sacrarum studia Literarum. Opus absolvetur intra menses tres: si interea missum erit *Breve*, poterit præfigi Operi. Magnopere te rogo, sine me hac in re tuam experiri beneficentiam, efficiam vicissim, ut omnes eruditorum centuriæ intelligant se debere *Puccio*. Cardinali *Sedunensi* omnia fausta precor, cujus & amplitudinem, & merita brevi, ut spero, Deus Optimus Maximus respiciet. Bene vale, & ignosce, nam hæc scripsimus in ipso procinctu, jam ingressuri navim. *Basilea* 26. Augusti, Anno 1518.

## EPISTOLA CCCXXXII.

*Erasmus Rot. Osvaldo* S. D.

AMICE candidissime, multo gratissimæ mihi tuæ fuerunt literæ, quibus etsi contracte rescribo, amo tamen effusissime meum *Osvaldum*, vel quod nobis adeo faveat, vel quod *Glareano* non semel meo *Theseus* sit, aut si quid *Theseo* fidelius. Perge, mi *Osvalde*, literarium quoque decus *Elvetiæ* tuæ, jam olim armis inclytæ, vindicare. Nos hinc pestis abigit, cui maximam malam pestem imprecor. Bene vale. *Basilea* 26. Augusti, Anno 1518.

## EPISTOLA CCCXXXIII.

*Des. Erasmus Rot. Bonifacio Amorbachio* S. D.

MAGNA felicitatis pars est, maxima gratitudinis, si quis agnoscat sua bona. Proinde etiam atque etiam gratulandum est nostro seculo, gratulandum superis, quorum benignitate præclara studia, tot jam seculis pene sepulta, toto terrarum orbe reflorescunt, ac felicissime propagantur. Ante annos plus minus octoginta, non hi modo erant infantes, atque elingues, qui eas profitebantur artes, quas suo quoque seculo, quo vel maxime floruit erudita facundia, mutas appellat *Virgilius*: verum etiam ipsa Grammatica recte loquendi magistra, & Rhetorica copiose splendideque dicendi dux, fœde misereque balbutiebant: & quæ quondam tot linguis instructæ fuerant, tum unam *Latinam* pessime *Latine* sonabant. Post hæc paulatim suboleſcentibus literis melioribus, *Italia* sola linguam habebat, nec apud hanc ullæ disciplinæ præter oratoriam. Nunc nulla est natio sub *Christiana* ditione, in qua non omne disciplinarum genus (Musis bene fortunantibus) eloquentiæ majestatem, eruditionis utilitati adjungit. Medicina loqui cœpit apud *Italos*, opera *Nicolai Leoniceni*, senis immortalitate digni; apud *Gallos*, *Guilielmi Copi Basileensis*; apud *Britannos*, studio *Thomæ Linacri*, sic nuper disertus cœpit esse *Galenus*, ut in sua lingua parum disertus videri possit. Ejusdem opera sic *Latine* loquitur *Aristoteles*, ut licet *Atticus*, vix in suo sermone parem habeat gratiam, licet ante hunc, illud certe præstiterint, apud *Italos Argyropylus*, *Trapezuntius*, *Theodorus Gaza*, *Marsilius*, *Picus*: apud *Gallos*, *Faber Stapulensis*, ne Philosophia muta videri possit. Porro, legibus Cæsareis pristinum elegantiæ nitorem, atque etiam geminæ literaturæ gloriam feliciter restituit apud *Gallos Guilielmus Budæus*; apud *Germanos*, vir omnibus modis incomparabilis, *Udalricus Zasius*, tanta *Romani* sermonis ubertate scatens, ut *Ulpianum* quempiam loqui putes, non hujus ætatis Jureconsultum. At nescio quo pacto nondum ea res perinde succedit Theologis, etiamsi non desint, qui fari gestiant. Spero tamen brevi futurum, ut hæc quoque professio, situ detersо, pristinum suum nitorem asserat. Hactenus è doctorum centuriis excludebantur, qui paulo politius loquerentur: nec dignabantur quenquam suo albo professores, nisi qui cum ipsis turpiter balbutisset, neque quicquam omnino castioris literaturæ attigisset. Atque illud protinus erat in promptu, *Grammaticus est, non Philosophus: Rhetor est, non Jureconsultus: Orator est, non Theologus.* Sed brevi, ni fallor, rebus in diversum commutatis, non recipientur in ordinem, nisi qui priscos illos disciplinarum auctores, elegantioribus etiam literis referant: neque fas erit cuiquam sibi sapientiam vendicare, nisi simul adfuerit pedissequa eloquentia, quam divus *Augustinus* non vult usquam ab hera sua digredi. *Zasianas* Annotationes percurri verius quam legi: nam adferebantur me jam ad iter accincto. Mire placuit gustus, neque dubito, quin omnia magis sint placitura, si liceat affatim expleri talibus epulis. Exstimulabis hominem, mi *Bonifaci*, ne diutius nobis hanc gloriam, hunc fructum, hanc voluptatem invideat, nisi tu quoque nobis invides, cum contigerit tibi domestico *Zasii* contubernio felicem esse. Bene vale. *Basilea* 31. Augusti, Anno 1518.

## EPISTOLA CCCXXXIV.

Albertus, Archiepiscopus Moguntinensis & Magdeburg. Primas Germaniæ, Princeps Elector, ac Marchio Brandenburgensis, &c.

* NOBIS *dilecto* Desiderio] Erasmo Roterodamo *salutem in* Christo. *Nuper in voluminum ubertate editorum lectionem incidentes*, Erasme *doctissime, cum divinum hoc tuum ingenium, omnigenam eruditionem, & supra captum pene hujus seculi ac patriæ eloquentiam admirati essemus, cepit nos ingens quoddam te videndi desiderium: quippe nihil magis ex dignitate nostra arbitrati sumus, quam cum nos Dei Opt. Max. benignitate, in Principem Episcoporum locum evecti simus, omne virum, qui non per* Germaniam *modo, sed universam propè* Europam, *in literis principatum obtineat, complecti ac fovere. Proinde tantum defuisse fortunæ nostræ, si te non viso ab hac vita migrare contingeret, arbitraremur, quantum nobis felicitatis adscribimus, quod eo tempore nati sumus, quo tu tantus vir, his literis, hac industria communem* Germaniam *à fœda barbariei appellatione vindicas: imo quo tu divinam Theologiam, ab illa antiqua ac germana in novam quandam & impuram aliquot jam seculis deformatam, suo splendori reddu, ac priscum in nitorem restituis. Quid enim desiderari magis ætate nostra potuit, quam ut emendatiora essent Novi Instrumenti exemplaria? At te interprete omnes abstersa macula, omnis additus nitor. Quid dolendum magis fuit, quam illum sic ab se immutatum, sic mutilum ac conscissum* Hieronymum *in manibus haberi? at per te in lucem est reductus & quasi à morte in vitam revocatus. Macte vir-*

Digitized by Google

An. 1518. *virtute decus* Germaniæ, *amabiliſſime* Eraſme. *Sic itur ad aſtra. Sed tu ne gravare ſic de te ſentientem, ſic erga te affectum, ſi quando hac iter facies, inviſere. Et ó felicem illum (ſi quis nobis illuceſcet) diem, quo in tuam faciem hos oculos defigemus, quo ad ſuaviſſimum tuum eloquium has aures arrigemus, quo abs tuo penitus ore pendebimus. Nihil enim inter nos, & illos* Titi Livii *admiratores intereſſe cenſebimus. Quod faxit* Chriſtus *Servator, ut quem abſentem ex libris admiramur, ejus coram alloquio frui liceat. Sic enim futurum ſperamus, ut quod jam quærimus, aliquot divorum vitæ elegantiori, & quali tu polles, ſtylo illuſtrentur. Vale, doctiſſime* Eraſme, *ac te nobis ſerva, & oſtende. Iterum vale. Ex oppido noſtro* Steynheym 13. *Septemb. manu noſtra propria, An. poſt nat.* Chriſtum 1518.

## EPISTOLA CCCXXXV.

### Paulus Bombaſius Eraſmo ſuo *S. D.*

LITERAE *tuæ, quas ad* XV. *Calend. Septemb. dederas, vix pridie Id. mihi tandem redditæ fuerunt, meque ita delectarunt, ut nulla re jucundius affici potuerim, fato quodam tibi adeo devinctus, ut vel blando illo tui nominis occurſu plurimum recreer, multo autem magis, ſi quod ex animo ingenioque tuo depromptum mihi obveniat, quod ſæpius quidem optare, nunquam vero exigere meus me pudor ſinit, ne tua morans tempora, in publica commoda (ut* Flaccus *inquit) peccem: quibus quantum, meo judicio, non ſtrenue ac gnaviter modo, ſed etiam feliciter hactenus conſulueris, apud alios prædicare quam tibi referre malim: ſed ne tibi, qui me intus & in cute noſti, jam perſuaſa atque etiam nota longiori ſermone perſuadere velle videar, ad epiſtolam tuam venio. Quod te undique invitantibus Regibus atque Principibus, ad Novum Teſtamentum recudendum* Baſileam, *rejectis ac poſthabitis omnibus, conferre maluiſti, nihil equidem miror, quippe qui ſciam* Eraſmum *nihil præ literarum conſcientia magni unquam æſtimaſſe: utinamque id feciſſes, dum iſtic ego aderam, nihil enim me uno fuiſſet beatius, nec urbs* Roma *tam facile me revocare potuiſſet. Pro* Brevi *obtinendo, quod Operis tui benignum futurum ſit elogium, non tibi* Georgius *aut* Marcus *rogandi fuerunt, quorum hic jampridem ab urbe abeſt, ille vero proximis diebus autumnatum ſeceſſit, cum Cardinalem meum Sanct. quatuor, doctorum omnium fautorem egregium, rerumque hujuſmodi arbitrum ac magiſtrum, ut nemo alius, propitium habeas, qui de tua voluntate certior à me factus,* Brevis *archetypon à me formatum probavit, idque in membrana tranſcriptum* Leoni *Pontifici, biduo ante ab urbe profecto, æſtimandum, & niſi diſpliceret, obſignandum miſit. Sed tuum quæſo hic fatum agnoſce, niſi meum dici mavis: nam cum* Silvius *quidam philologus, juvenis* Gallus, *tui (ut præ ſe ferebat) apprime ſtudioſus, ad ipſum Pontificem eſſet iturus, Cardinalis mei commendatitias habens, poſtridieque ſe inde rediturum diceret, nullum ego ſperans aptiorem mihi dari poſſe, cui negotium tale committeretur, ei* Breve *conſignavi, ac literas ad Secretarium Pontificis dedi, quibus illum Cardinalis nomine rogabam, ut* Breve *obſignatum ſtatim per eundem* Silvium *remitteret, qui alioquin febriculoſus & valetudinarius, incommodo aliquo (ut ſuſpicor) in ipſo itinere præventus,* Breve *ac literas Secretario præmiſit: ille nihil moratus,* Breve *& commendatitias Pontifici ſtatim reddidit: qui viſo & obſignato* Brevi, *literiſque perlectis, eum, qui commendabatur, ad ſe vocari, & cum nuſquam appareret, omni diligentia perquiri juſſit, nec ille uſquam locorum potuit hactenus reperiri. Ego, qui intra pauciſſimos dies negotium confectum iri ſperaveram, pluribus jam lapſis diebus, cum nihil actum viderem, iterum ad Secretarium ſcribo, eum negligentiæ atque etiam injuriæ poſtulans, quod ſingulis prope horis innumera* Brevia *ad urbem remittens,* Eraſmicum *tamdiu retineat. Nuncii, quam tibi retuli, adhuc incertam latebram, pluribus ille ſcribit,* Breveque *ad nos per tabellarium, neſcio quem, remiſſum affirmat: quod diu quæſitum cum nuſquam reperiretur, conſimile aliud expediendum curavi; quod niſi καταδαίμων alius intercipiet, ad te tandem perferetur. Habes de* Brevi *longam ſatis, & odioſam fabulam: nec tu diem datæ miratus fueris, quam ego, ut multo auſpicatiorem futuram, potius* Romæ *quam alibi uſquam eſſe volui. Gaudeo epiſtolam tuam, qua meæ reſpondiſti, excuſam: neque nominis fama nonnihil auctum fuiſſe: modo ne mea illi ſit addita, quæ (ut ego meminiſſe poſſum) vix digna erat, quæ ſemel ab amico legi poſſet, ac vulgari cuivis, nedum optimæ tuæ componeretur.* Laſcaris *in* Gallia *nunc agit, propterea que a me conveniri non potuit. Si qua viri docti, qualem deſcribis, facultas mihi ſe obtulerit, tuæ voluntati pariter, ac illius commodo inſerviam. Me à literaria profeſſione non tam mea voluntas, vel (ut tu ſuſpicaris) fortuna melior avocavit, quam incertus ille, cui pleraque tam mala quam bona debentur, caſus eripuit.* Boerii *ambo* Romæ *agunt, teque invicem ſalutant.* Bernardus *incidit in quartanam, ſed non admodum gravem.* Januam *ſe diſceſſurum minabatur.* Puccium *Legatum jam iſtinc pedem moviſſe, iterque* Romam *verſus facere non dubito, & propterea* Breve *ipſum non ad eum, ſed ad Protonotarium* Caraciolam *Pontificis apud Cæſarem Legatum dirigo, quem in eo ad te protinus tranſmittendo, nec inhumanum nec indiligentem futurum ſpero. Vale, mi* Eraſme, *ac* Beatum & Amorbachios, *cæteroſque iſtic doctos meo nomine ſaluta.* Roma *ex palatio Apoſtolico* 1. *Octob. Anno* 1518.

## EPISTOLA CCCXXXVI.

### *Eraſmus Rot. Gulielmo Budæo ſuo* S. D.

PROLIXAM illam tuam epiſtolam, ad Idus Apriles ſcriptam, ad Calendas Septembres accepi, revectam è *Janua*; ſed talem, ut haud ſciam, an ex utriuſque dignitate ſit eam premi. Videor mihi peculiarem ingenii tui ſenſum deprehendiſſe, nec dubito, quin iſta ſincero animo abs te ſcribantur, verum vereor, ut idem poſſim cæteris perſuadere. Porro, quid ſi iſta ad poſteros perveniant? *Beatus Rhenanus* eam mihi tum à cœna cæcutienti prælegit, homo doctus ac mire candidus: & quod præcipuum eſt in ſtudiis, ſani pectoris. Non libet referre, quid ille judicarit, & tamen præmonitus à me de tuo ingenio in jocis familiaribus liberiori. Conviciis certare cum quoquam, nec viro dignum eſt: cavillis contendere, non libet. Argumentis ſolidis tanto queam eſſe ſuperior, quanto tu ſermonis apparatu vincis, vel *Deloino* & *Ruzeo* judicibus, aut ſi quos magis habes tuos. Verum, ego unum *Budæum* amicum malo, quam decem ejuſmodi victorias. Plus ſatis eſt una apologia. *Baſileæ* perpetuo fere ægrotavi: in itinere revalueram, ſed præterita *Colonia*, in ſummum exitium recidi. Adhuc domi deſideo. Chirurgus, inſpectis tribus ulceribus, pronunciavit eſſe peſtem, verum falſo, ut opinor. Epiſcopo ſcribam cum erit ocium, & tibi item copioſius. *Glareanum* meis verbis ſalutato, ſi forte videris hominem. Redditæ ſunt & illius poſtremæ literæ. Bene vale. *Lovanio* 15. Octobris, An. 1518.

## EPISTOLA CCCXXXVII.

### *Eraſmus Roterodamus Cl. D. Mutiano Rufo, viro omni doctrinæ genere conſummatiſſimo,* S. P.

INCOMMODE offendit me *Eobanus* noſter, & ægrotum & occupatiſſimum. Alioqui nihil unquam vidi libentius, ὦ φίλαι Μοῦσαι! qui carminum fluxus? quæ vena? quæ felicitas? ut dicas natum Poetam, non inſtitutum. Eadem orationis ſolutæ *Minerva* eſt. Jam mores ii, quos optem Theologis eſſe. Felicem *Germaniam*, ſed præcipue *Erphurdiam*, ſi modo norit ſua bona. Delectavit me tuæ quoque epiſtolæ candor, animi tui candorem referens. Munuſculum diu rejeci; donec abs te profectum intelligerem. Nugarum mearum indicem ſubtexui, etiamſi ipſe vix memini ineptiarum mearum. Bene vale. *Lovanio* 17. Octobris, An. 1518.

EPI-

Digitized by Google

## EPISTOLA CCCXXXVIII.

*Eraſmus Rot. Ægidio Buſlidio* S. D.

An. 1518. ORNATISSIME *Buſlidi*, poſteaquam fatum nullis querimoniis aut lachrymis verti poteſt, utinam quæ poſteritati, & immortali laudatiſſimi fratris tui *Hieronymi Buſlidii* memoriæ gloriæque debentur, ita ſuccedant omnia, ut hac ſane parte cœpit ſuccedere. Commodum huc appulit *Adrianus* genere *Hebræus*, ſed religione jam olim *Chriſtianus*, arte Medicus; *Hebraicæ* literaturæ totius ſic peritus, ut mea ſententia non alium habeat uſquam hæc ætas, qui cum hoc conferri poſſit. Quod ſi meum judicium in hac re non ſatis habebit apud te ponderis, idem teſtantur uno ore omnes, quotquot vel apud *Germanos*, vel apud *Italos* cognovi hujus linguæ peritos. Neque ſolum callet ad plenum linguam, verum etiam in ipſis auctorum adytis eſt diligentiſſime verſatus, ac libros omnes ſic habet in promptu, ut digitos ungueſque ſuos. Is ipſe eſt, de quo tibi nuper mentionem fecit *Bruxellæ Ludovicus Vacus*. Expoſui Theologis qualis ſit, neque dubitarim meo recipere periculo, hunc unum eſſe hac ætate, qui nobis fuerit votis omnibus expetendus. Eum poſteaquam Deus aliquis propitius ultro nobis obtulit, noſtri muneris eſſe videtur, ut oblatum modis omnibus retineamus. Non meum ago negotium, ſed impenſe faveo memoriæ benigniſſimi patroni, & amici incomparabilis. Faveo publicæ temporum noſtrorum felicitati, cui & ipſe, pro mea virili, tantum vigiliarum impendi, atque etiamnum impendo. Adeſt ipſe jamdudum apud nos, hortatu modo dicti *Ludovici*. Impera tu *Eraſmo*, ſi quid judicabis à me præſtari poſſe. Bene vale. *Lovanio* 18. Octobris, Anno 1518.

## EPISTOLA CCCXXXIX.

*Eraſmus Rot. Chriſtophoro Eſchenveldio, telonæ Popardienſi*, S. D.

QVID tam præter ſpem evenit, quam quod *Cinicampianum* noſtri ſtudioſum *Popardiæ* reperi? Imo telonen Muſis honeſtiſque ſtudiis addictum? *Chriſtus* in probrum *Phariſæorum* vertit, quod meretrices & publicani præcederent eos in regnum cœlorum. An non æque dedecoroſum, quod ſacerdotes & Monachi per luxum & ocium ventri vivunt, dum telonæ bonas literas amplectuntur? Illi ſe totos gulæ conſecerant, *Cinicampianus* ſe Cæſari, ſtudiiſque partitur. Satis præ te ferebas, quam de nobis opinionem concepiſſes. Præclare mecum agitur, ſi nihil ab ea detrivit noſtri conſpectus. Sed heus tu, vinum illud rubellum mire placuit nautæ uxori, mulieri mammoſæ biboſæque, adeo ut ſæpe appellata nulli voluerit impartire. Hauſit affatim, ſed mox ad arma. Ancillam pene occidit magnis cochlearibus. Pugna vix poterat dirimi. Mox egreſſa in ſummam navem maritum aggreditur, & periculum erat, ne illum è navi in *Rhenum* præcipitem daret. Habes vini tui energiam. Tragœdiam malorum meorum ex meis ad *Beatum* literis cognoſces, ſi modo vacabit legere. Bene vale, vir animo meo chariſſime. *Joannem Flaminium*, virum eruditum vereque *Chriſtianæ* puritatis, meo nomine ſaluta. *Lovanio* 19. Octobris, Anno 1518.

## EPISTOLA CCCXL.

*Eraſmus Joanni Werterio ſuo* S. D.

EQVIDEM antehac putabam *Germanos* armis duntaxat invictos eſſe, nunc video nulla in re non eſſe invictos, poſteaquam tu ab *Eraſmo*, & valetudinario, & ſcribendi laboribus pene exanimato, literas etiam ocioſas extorquere potuiſti. Verbis conſequi nequeam, quam mihi gratus ſit tuus in me tam propenſus animus: & utinam affectibus tuis reſpondere liceret. Magis tamen philoſophicum arbitror, moderatioribus affectibus amicos proſequi, & tempeſtivis officiis adeſſe potius quam ſupervacaneis onerare. Quoties laborat amici fama, quoties morbo gravatur, quoties eget pecunia, aut alioqui malo quopiam premitur, ibi convenit amicum agere, mederi ſi liceat: ſin minus, oratione ac literis lenire moleſtiam. Alioqui quod officii genus eſt, quod & præſtantem lædit, nec ei, cui præſtatur, quicquam prodeſt? Aut quale eſt hoc imputare amico in beneficiorum ratione, unde ille nihil ſenſerit commodi? Sic quidam divo *Jacobo* imputant, quod illum magno ſuo malo adierint, aut *Chriſto* imputant, quod ingenti periculo ſuo *Hieroſolymam* viſerint: cum utrumque verioribus officiis domi licuiſſet demerere. Jampridem in libris meliorem *Eraſmi* videras imaginem, ſi qua tamen bona eſt, imo juxta *Platonem*, totum videras *Eraſmum*. Quid igitur ſupererat tantis expetendum itineribus? Verus amor animis conſtat, quem ſæpenumero vel diſſolvit, vel minuit corporum conjunctio. Sed inhumanus ſim, ſi vere ſuccenſeam tibi, qui ob hoc ipſum dignus es, qui redameris, quod amas impotentius. Bene vale. *Lovanio* 19. Octobris, Anno 1518. An. 1518.

## EPISTOLA CCCXLI.

*Eraſmus Roterodamus Nicolao Gerbelio, Juris Pontificii Doctori*, S. D.

VT inſigniter & ex animi ſui ſententia me meus genius malus hoc anno exercuit, doctiſſime *Gerbeli*. Tragœdiam malorum meorum cognoſces ex meis ad *Beatum Rhenanum* literis. Adhuc in manibus Chirurgorum ſum domi alligatus. Dabit *Chriſtus* Opt. Max. ubi merebimur, imo ubi dignabitur ipſe, meliora. Nos in tantis malis animo ſemper infracto fuimus. Utinam audiam *Schurerium* meum revaluiſſe. Salutabis Sodalitatem totam, ſed præcipue *Sturmium*, tum *Gebuvilerium*, & *Rudalphingium*, qui ſolita ſua benignitate in diverſorio me immunem eſſe voluerunt, quaſi parum fuiſſet ſuo convictu, & ornaſſe, & voluptati fuiſſe. Jam ſcis, opinor, *Brunoni* quoque *Amorbachio* eſſe quod amplectatur in ſomnis. Precor ut tibi res feliciter cœpta, feliciſſime ſuccedat. Saluta diligenter novum amicum *Bathodium*. Sic diteſco in dies. Inviſit nos *Helius Eobanus*, homo candidus, in verſu *Naſonis* facilitatem referens, nec in proſa oratione ſui diſſimilis. Venerat ab *Erphurdia*, tantum ut *Eraſmum* videret. Animum probo, officium non probo, quod gravat præſtantem abſque fructu ejus, cui præſtatur. Cœlum hic adhuc purum eſt, laborarunt pauci, ſed malo aliunde invecto. Bene vale, doctiſſime *Gerbeli*, & *Eraſmum* ama, facturus hoc, mihi crede, mutuum. *Lovanio* 20. Octobris, Anno 1518.

## EPISTOLA CCCXLII.

*Richardo Pacæo Eraſmus Rot.* S. D.

TOTVS hic annus mihi fuit nigerrimus. Faxit *Chriſtus* Opt. Max. ut ſuccedant candidiores. Τὴν ἐμῶν κακῶν Ἰλιάδα partim ex meis ad *Beatum* literis cognoſces, quarum exemplar miſi *Tonſtallo*. Jam olim καινὰ exſpecto de reditu tuæ bibliothecæ, miſereque metuo ne noſtræ nugæ pepierint. Libellus tuus avide legitur apud *Germanos*, ſed tamen offendit nonnullos *Conſtantienſes*, quod videaris illis adimere literas, tribuere temulentiam. Statueram vos hoc autumno inviſere, amplexurus quod regia benignitas ultro defert. Exſtincto Cancellario, nihil eſt quod ſperem à noſtris. *Gallia* novum hoſpitem fieri non libet. Si accederet quod offert Rex, nihil ambirem præterea. Tandem apud nos proſtare cœpit *Galenus* à *Linacro* verſus, qui mihi ſupra modum placet. Poſthac & Medicum fieri juvat. Decimarum negotium *Germaniæ* non placet. Egregie τείνουσι τὸ καλώδιον ἅτοι πολυμήχανοι Μίδαι. Bene vale, doctiſſime *Pacæe*. *Linacrum* meis verbis ſa-



Digitized by Google

An. 1518. saluta; & ad reliquas suas lucubrationes edendas existimula. *Lovanio* 22. Octobris, Anno 1518.

## EPISTOLA CCCXLIII.

Guilielmus Budæus, hactenus Erasmi amicus, ultimam salutem dicit Erasmo.

MEMINI *me ad te aliquando scribentem, hujuscemodi verba posuisse,* Non minus te novi quam tu me. *Qua in re quam longe falsus opinione fuerim, nunc primum intellexi ex epistola illa tua stomachosa perlecta, quam tu ad me* Lovanii *dedisti: nondum, ut arbitror, ab illa morbi moleſtia plane tibi restitutus, aut certe mihi. Nam qui me non adversis Gratiis tecum amicitiam auspicatum esse sperabam, homine utique leporis & facetiarum amantissimo, atque omnis ut urbanitatis prudentissimo, sic jocorum intelligentissimo, & patientissimo: quicum stylum animi causa exercere libere possem inoffenso inita inter nos & constituta jam amicitiæ tenore: nunc me (ô vanas semper spes meas!) rusticum, absurdum, præposterum, stolidum, refractarium, offensatoremque esse collusorem intelligo, ac spinosis jocis, aculeatis, ominosis, vitandum & aversandum, ut bovem cornibus obvolutis. Stat enim sententia ita credere, quando tibi, tuisque juratissimis amicis ita visum est, quorum utique judicium longe meo antepono. Neque vero mihi ullam esse spem positam in defensione video, cum nec ei inficiando crimini esse possim, cujus toties jam suspectum tu quidem me habuisti, amici autem tui etiam manifestum: nec malevolæ mentis suspicionem deprecari, quum fixam in præcordiis, aut tuis, aut tuorum evellere opinionem nequeam. Id quod si facere mediter post istud præjudicium, in alterum etiam crimen fortasse me induam, impudentiæ scilicet, præsertim cum apud istud tribunal causam dicenti inanis loquacitas (ut tu plane significas) parum vel fidei, vel auctoritatis sit conciliatura: quippe ubi solidis tantum argumentis, quibus minime pollemus, tuo ipsius testimonio, aqua funditur, ut ajunt. Atque hactenus epistolæ tuæ sensum dilucide assequutus sum, nec provocare ab interpretationis tuæ sententia, tuorumque amicorum statui, etsi mihi iniqua, nec ad communes, nec ad meos amicos, ad quos tu me rejicis: quanquam illi tam perversum, quam ego, hac de re judicium habeant, id est, à tuorum prorsus diversum. Verum, quod convicijs certare indignum te esse dicis, nec oblectari cavillis, hoc quatenus ad me pertineat, non percipio. Non enim usque adeo exacerbatum te esse puto, ut hæc in me dixeris: & tamen ne hoc latius ulcus serpat, quando discuti (ut video) non potest, circumcidendum esse censeo, ut inter nos posthac silentio acquiescamus. Et tu epistolam meam prolixam, ut vocas, id est, supervacanea & redundanti loquacitate odiosam, supprimas, atque etiam concerpas, si libet, aut pruna & cineribus obruas. Et ad tuam ego jam vulgatam, ut hodie ego primum vidi, obmutescam, nec ultra tibi negotium facessam. Sed cur me eo argumento lacessebas, non intelligo, siquidem me respondere nolebas. Ego mihi inductum à te silentium accipio, & amplector, &, si per te licuerit, servabo. Mirum quam fatuas ac stupidas aures habeam, qui cum epistolam illam, nefastam ac sceleratam, post tuas acceptas literas, sæpe legam: ne tanto quidem intervallo retractans, & me legentem audiens: virus illud malevolentiæ, vel quicquid vobis vocare libet, deprehendo, quod tantopere vos offendit: in quo judicii mei absurditatem agnosco, & vestri acrimoniam. Sed per Deum immortalem, utrum in priore epistolæ parte te offendi, in qua disceptationis tuæ cum* Fabro *mentio fit: an in posteriore, in qua conditionem tibi regiam denuncio? Si in illa parte potius, cur ad me igitur tantam epistolam scripsisti, tot argumentis tam validis me lacessens, ut tibi responderem? Cui epistolæ quum rescriberem, putavi rem tibi gratam me facturum. Quid est enim in ea per superos, quod à perito & acuto homine animadversum, non in tuam gloriam cessurum sit? Ego ut te taxare voluerim, aut cuiquam potius quam* Erasmo *favere? Apage hanc à me odiosam suspicionem: præsertim cum* Faber *de hac re mecum nunquam collocutus sit, etsi sæpe mecum interea locutus. Verum, cum ejus disputationis victoriam viderem æquissimi cujusque ore ita* Erasmo *tribui, ut tamen eum dicerent ultra modum uti victoria voluisse, nec satis sui atque adversarii rationem habuisse, volui imaginem rei in epistola effingere, teque hoc nomine & consolari, & purgare, quod aliquid humanitus passus esses: si ultra modum, ut fit, incaluisses concertando, qua culpa ne* Hieronymus *quidem tuus carnit: teque ab ea deducere opinione, quam habere videbare, & à meditatione avertere certaminis instaurandi, Literarum bonarum sacrarumque dispendio. Simul illud non nego, ita me literis tuis delectari, ut gaudeam stylum tuum exacuere, vel in me ipsum irritare. Quare etiam in epistola illa odiosa affectavi impetum orationis tua in me avertere: etiamsi indignationem tuam nunc ægerrime tuli, qui stomachabunde epistolium ad me scripsisti. Neque ego autem unquam propter ullum tuum verbum offensus sum; quod ad me aliis in epistolis scripseris, etiamsi nonnulla sunt, quæ quidam mei amici figuratiora esse putarunt, quam amicitia nostra ferre videatur, aut tua circumspectio. Cum quibus ipse usque adeo non sentio, ut etiam nihil à te atrocius, ne posthac mihi quidem metuendum esse putem. Quin à te, ut homine mihi charissimo, concisus interdum lator, & ita scite converberatus, & apposite, ut sugillatum me amici in multos dies rideant. Nec recuso, quin hac lege offensionem istam mihi condones, ut ad satietatem animo tuo, genioque, obsequaris in amico plectendo animadversione utroque nostrum digna. Neque enim tam religiosum doctorum omnium esse arbitror, quam tuum est tuorumque amicorum judicium. Sin illa te male habent, quæ de conditione regia scripsi, videlicet quod in re seria illudere tibi videar: ego certe, quod ad hoc attinet, non tibi illudere, sed mihi ipse videor. Tu quoque hoc intelligas velim, tantam tum de te opinionem apud aulam interiorem fuisse, ut cum orta esset illa suspicio, te ideo conditionem regiam cunctabunde rejicere, quod vereremis, ne* Carolus *Princeps illustrissimus ob id offenderetur: Rex* Franciæ, *tui cupidus, eam ob rem ad eum scripturus fuerit, si quid tu ejusmodi excusasses. Tum sunt alia, quæ scribere longum esset; nec epistolæ forte committenda: sed tamen quæ me impulerunt, ut hujuscemodi epistolam ad te scriberem; quod ad hoc quidem pertinet. Quod si nunc mihi aliquot menses amicitiam renunciare cogitasti, quoad animus tuus in te commotus consederit, haud satis digna causa est, quamobrem Antistiti* Parisino *non scribas, quum id negotium facile passurus sim sine me arbitro aut internuncio transigi. Tu velim rusticulum me cavillatorem non protervum esse interpreteris, id quod tu sponte facere mihi videre: si per tuorum pacem bonam liceret, nec me minus quam dudum pridemque ames. Invitum enim te facere video, ut mihi infensum te præbeas. Utinam autem ita me divi bene adjuvent, ut ego tibi bene cupio, lætorque sospitem te* Lovanium *rediisse. Rumor enim hic constans erat,* Romam *te, aut* Mediolanum *migrasse.* Glareanum *tibi salutavi, qui hodie ad me venit. Vale, & me, cum satis odisse videbere, rursus ama.* Parisiis 31. *Octobris, Anno* 1518. *cum pridie ejus diei literas tuas accepissem haud auspicato.*

QUO *magis illa nefasta epistola* Vulcano *sacranda videatur, quod tamen tui arbitrii erit, quum tua magis quam mea causa scripta sit, si satis reguſtaveris, sed tamen quo minus mihi placeat, inter legendum eam hodie erratum unum deprehendi in ejus scheda, quæ apud mē manserat. Id est autem in secunda pagella in his verbis,* Id quod tu inficiando non eris: *quod si itidem est in tua, me, ut puto, satis irrisisti. Volui enim dicere,* cui tu rei inficiandæ. *Non video tamen, cur illa minus exire digna sit epistola, quam illa die bruma scripta, in qua τὰ μυστικὰ evulgasti, qua inter te & me arcana fore sperabam, adeo, ut ne apud me quidem ullum verbum ejus schedæ remansisset. Scripseram ad te aliam quoque semi-Græcam, non magis, ut arbitror, supprimendam. Quod si in uno aut altero versu, aut pluribus posita sunt, quæ*

Digitized by Google

An. 1518. *qua ſtomachum tibi faciunt, per me licet, ut arbitratu tuo mutentur, aut tollantur.*

## EPISTOLA CCCXLIV.

*Eraſmus Rot. Petro Ægidio* S. D.

OPTIMI patris mortem ut doleo, ita felicem exiſtimo qui ſic deceſſerit: quando hac ſorte naſcimur omnes, nihilque diuturnum in rebus humanis, nedum perpetuum. Quod convalueris gaudeo, atque uti perpetuum ſit, opto. Quanquam *Jacobum* onerarām multis mandatis, tamen unum quiddam oblitus ſum, quod maxime curatum oportuit. Scribit ad me Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, ut hic ab amico quopiam viginti libras *Sterlingen* accipiam, & ſyngrapham mittam, ſe protinus reſoluturum. Quando igitur ut audio non licet exire, accerſe ad te *Joannem Crullum*, aut ſi quis eſt magis idoneus, qui tibi numeret pecuniam, ac ſyngrapham meam recipiat, aut mihi negotium committat, curabo, ut in *Anglia* pecunia numeretur ei, cui voluerit is qui dedit. Quod ſi Archiepiſcopus non dederit, quod tamen ſecus fore ſcio, ipſe reddam. Tu, ſi poſtulat, fidejubeto, quod erit tibi bonum atque commodum, quando pecunia manebit apud te. Mea refert ut hoc quamprimum fiat; ſcis quamobrem? Quo mox ad proximum Paſcha liceat honeſtius iterum petere. Quamobrem hoc agas velim, quod meo bono, nullius incommodo fiet. *Morus* adhuc eſt *Caleti*, magno ut apparet tum tædio, tum ſumptu, & in negotiis longe odioſiſſimis. Sic Reges beant amicos. Hoc eſt à Cardinalibus adamari. Sic & *Pacaum* jam ſupra biennium apud *Elvetios* relegatum detinent. Epiſtolam illius fac habeamus. Utinam tuo fiat commodo, ut hic nobiſcum hybernes. Affatim conferemus fabulas noſtras. *Paraphraſis* jam ad calcem decurrit. Triginta ſex *Philippeos*, &, ut opinor, præterea nonnihil reliqui apud *Nicolaum*, ut ſolveret pro ſtragulis, & ita reliqui, ut ſoluta pecunia reliquum tibi reſtitueret. Et memini me ſcripſiſſe ſuper hac re: tu tamen nihil reſpondes. Fac ut ſciam. Ne remittas *N.* ſuos libros, priuſquam viderimus, agit *Cantabrigiæ*, illic *Græcas* profeſſurus literas. Diſſimula illius literas tibi redditas. Medicus petiit inducias quatuordecim dierum. Tu ſi forte videris hominem, finge te pudefactum apud me, ni reſolvat quod promiſit. Idem dicat *Nicolaus*, qui audierit eum ſic dejerantem. Optaſſem ſigillum temporius miſſum fuiſſe. Sed tibi nihil imputo, non ignarus quomodo tua ipſius agas negotia. Incluſi tuis literis ſyngraphas meas, & epiſtolam *Cantuarienſis*. Si aut abeſt, aut friget *Crullus*, confido *Franciſcum* non gravaturum. Bene valle, amicorum ſinceriſſime. *Lovanio* 15. Novembris, Anno 1518.

## EPISTOLA CCCXLV.

*Eraſmus Roterod. Petro Ægidio* S. D.

DEVM immortalem, quid imprecer iſtis comperendinatoribus? Si *Hieronymus* nondum eſt concinnatus, fac modis omnibus exſtimules *Callipides* * iſtos: ſin eſt, cura ut quam primum ad me veniat. *Petrus Cocles* fortaſſe decumbit, nam audio non modo ſpoliatum, verum etiam delumbatum: id ſi verum eſt, doleo vicem hominis. Jam *Coleto* ſcripſi, ut ſuccurrat homini. *Tonſtallus* item ex animo dolet. Nolim te huc vocari tuo incommodo: quod ſi eſt, cur huc te recipias, venies gratiſſimus *Tonſtallo*, tum adferes tecum argentum, relaturus aurum. *Franciſcus* ſolvit, ut ait, cæterum pro *Petro* negat ſe fidejuſſiſſe. Accepi ſyngrapham à *Maruffo*, qua nonnihil auxit æſtimationem ducatorum. *Utopia* in manibus eſt typographi. Bene vale cum dulciſſima conjuge, optimum parentem meis verbis ſalutato diligenter. *Bruxellis* 18. Novembris, Anno 1518.

* Vid. Eraſmi *Adagia*, Chiliad. 1. Cent. VI. Prov. XLIII.



## EPISTOLA CCCXLVI.

*Eraſmus cuidam ἀθυροστωμύλῳ* S. D.

NVNQVAM tam male de te ſenſurus eram, niſi te ipſum adeo palam declaraſſes; toties tibi dixi id quod res eſt, rem in mea manu non fuiſſe, nec integra re te mihi loquutum de profeſſione. Sed finge quod non eſt, exſecutores totum negotium meæ fidei concredidiſſe, meque te præterito *Goclenium* ut magis idoneum prætuliſſe, quid erat, cur ſic in me debacchareris, perinde quaſi avum tuum ferro necaſſem? Hæc me quidem leviter commovent, ſed tui me miſeret. Si quid fuiſſet ſpei, non defuiſſem officio; ſciebam exſecutores nullo pacto propenſos in te, etiamſi de tuo addidiſſes duodecim libras, hoc tibi nolebam indicare, quid enim erat neceſſe? Crede mihi, iſta tua improbitate, multorum animos abs te alienas, homines illici volunt, non cogi. Nimirum iſti ſunt mores, ob quos Abbas tam parce tecum agit. Non, ut opinor, antehac ſum male de te meritus, ſi nihil bene meritus. Etiam nunc te admoneo, ut in poſterum rectius ſapias, & ſapias tibi. Nam minimum eſt, in quo me poſſis lædere. Bene vale. *Antuerpia* 7. Decembris, Anno 1518. An. 1518.

## EPISTOLA CCCXLVII.

*Eraſmus Rot. Paulo Bombaſio* S. D.

OPECTVS Muſis Gratiiſque natum! Obruis me tot officiis, ut partim me pudeat tibi toties gratias agere, & agere tantum: partim non occurrat formula ſubinde nova, qua id faciam. Cardinali Sanctorum quatuor hoc magis debeo, quo minus quicquam de illius celſitudine ſum promeritus. *Marinus Caraciola*, Apoſtolicus apud Cæſarem Legatus, rem ſumma diligentia curavit, adjectis etiam amantiſſimis ſuis ad me literis. Prius exemplar miror quis interceperit: nam hujuſmodi literarum genus, non video cui poſſit eſſe uſui præter eum cui mittuntur: ſecus eſſet, ſi de opimo epiſcopatu, aut alioqui ſplendido ſacerdotio ageretur. Moleſtum eſt animo meo, quod occupatiſſimo tibi tantum accedit ex me moleſtiæ: ſed tamen voluptati eſt, quod his occaſionibus animi tui ſinceritas in dies mihi fit exploratior. Utinam hæc noſtra regio vel paucos haberet *Bombaſios*. Quis unquam ſincerius aut conſtantius amavit, quamvis eximium amicum, quam tu amas *Eraſmum* gratis, humilem, tenuem, unde nullas officii vices ſperare poſſis: ad hæc tanto tum eruditior, tum felicior? Non queo ſatis conjectare, quis fuerit *Gallus* ille, quem ſcribis evanuiſſe, niſi forte *Chriſtophorus* eſt *Longolius*, juvenis, ut ex illius intelligo ſcriptis, cum ad omnes bonas diſciplinas, tum ad eloquentiam factus. Hic, ni fallor, unus eſt eorum, qui mox *Eraſmi* nomen obſcurabunt. Verum, ea res mihi voluptati eſt, quando mei nominis jactura, lucrum eſt Reipublicæ literariæ. Demiror quæ res *Joannem Laſcarem* à *Roma* potuerit avellere, præſertim *Leone* præſidente rebus ac ſtudiis. Fratres *Boerios* etiam atque etiam jubebis ſalvere meo nomine. Epiſtola tua non offendit me *Baſileæ*, nec id temporis aderat *Antonius Puccius*, ſummi Pontificis Legatus: tamen hac de re ſcripſeram ad illum agentem *Turegii*: nam ut adirem hominem, quemadmodum & ille vehementer cupiebat, & ego propemodum receperam, nec valetudo ſinebat, quæ vectationem equeſtrem nondum patiebatur, nec occupationes literariæ. Navigatione tametſi non caruit ſuis moleſtiis, tamen paulatim factus ſum confirmatior: apud clariſſimum *Hermannum*, Comitem à *Nova aquila*, cum dies ferme quinque ſuaviſſime vixiſſem, adeo mihi placui, ut mihi plane viderer renatus: ſed mox in præſens exitium conjectus ſum, adeo ut vix ſemivivus deportatus ſim *Lovanium*: ſive id malis ventis debeo, qui tum peſtilentiſſimi pariter ac vehementiſſimi flabant: ſive meæ ſtultitiæ, qui per mediam *Coloniam* urbem id tem-



Digitized by Google

An. 1518. poris undique funeſtam auſus ſim iter facere. Chirurgus unus atque alter peſtem eſſe confirmabat: tres carbunculos excidiſſe negare non poſſum. Mihi nec ægrotare libuit, nec peſtem credidi: & profuit non credidiſſe; ſed revaleſco, faventibus ſuperis: at interim male precantibus iis, quibus dolet efflorescere paſſim rectiora ſtudia. Bene vale. *Lovanio* 13. Decembris, Anno 1518.

## EPISTOLA CCCXLVIII.

Erardus Epiſcopus Leodienſis Eraſmo Rot. *S. D.*

GRATISSIMAE *fuerunt mihi hæ literæ, quas ad me* Paſchaſio *homini tui amantiſſimo, & mihi grato, dediſti. Gratiſſima fuit &* Paraphraſis *tua in* Pauli Epiſtolam ad Romanos. *Quamobrem immortales tibi gratias ago, quod ad me literas tuas dederis, quodque in ipſis literis bene de me opineris & ſentias. Gaudeo abs te laudari laudato viro. Præſentia mihi hactenus ignotus fuiſti, fama autem & nomine à decennio notiſſimus, tum ob excellentem eruditionem tuam, tum ob candidos mores, quos tibi ineſſe audio. Si tantum honoris in nos conferre volueris, ut huc venias, gratiſſimam nobis rem factam putabimus. Quod ſi tu huc venire nolueris, curabimus nos te adire, ut præſentia tua, mutuoque colloquio frui poſſimus. Vale.* Leodio 30. *Decembris, An.* 1518.

## EPISTOLA CCCXLIX.

*Guilielmo Croio, Cardinali & Archiepiſcopo Toletano, Eraſmus Roterodamus* S. D.

QVANQVAM non prorſus abhorret à vero, Præſul optime, idemque Princeps cum primis illuſtris, quod olim placuit *Stoæ* cultoribus, felicitatis humanæ ſummam in habitu virtutis eſſe ſitam, tamen *Peripateticorum* ſententia mihi magis videtur ad communem hominum ſenſum pariter ac vitam congruere: qui negant beatitudinis circulum abſolvi poſſe, niſi tres bonorum ordines inter ſeſe conſentiant, ſibique mutuis præſidiis & adminiculis famulentur. In his ea, quæ vocantur animi, ut cæteris magis merentur appellationem bonorum, plurimumque momenti adferunt ad ſummam felicitatis, ita maxime noſtra cura, noſtraque parantur induſtria, ut præcipuam beatitudinis portionem nulli ſecundum Deum magis debeamus quam nobis, ſi quid tamen debemus nobis. Porro naturæ dotibus, quoniam citra noſtram induſtriam nobis ceu dormientibus obtingunt, mea ſententia non tam beati ſumus quam fortunati, licet hæc quoque cura ſtudioque vel ſervantur, vel etiam augentur. Siquidem *Demoſthenes*, cum & voce eſſet perquam exili, deinde ſpiritoſus, ad hæc impeditiore linguæ organo, denique forma parum felici, quæ res in Oratore nonnihil habet momenti, tamen improba cura, meditationeque, nihil harum difficultatum non vicit. Et *Marcus Tullius* valetudinem alioqui imbecillem, ſic motus ac victus moderatione confirmavit, ut quamlibet magnis laboribus par eſſet, idque in multam etiam ætatem. Porro fortunæ commoda, quæ velut organa ſunt ad virtutem vel parandam, vel exercendam, pleriſque ſero contingunt: nam in honoribus parandis, aut opibus, aut fama, dignitateque, multis tota ferme ætas conteritur, ut immenſis ac diutinis curis nihil aliud videantur aſſequuti, quam ut locupletes aut optimates moriantur. Ita fit, ut nec ipſi ſuis bonis admodum fruantur, nec aliis magnopere ſint præſidio. Quo ſane nomine tua ſublimitas mihi longe fortunatiſſima videri ſolet: cui quicquid vel à natura dari, vel à fortuna conferri poteſt, contigerit ultro, contigerit affatim, contigerit mature, quo nimirum & ipſe tuis bonis diutiſſime frui poſſis, & de plurimis quam optime mereri. Nam præter ingenii felicitatem, præter corpus ad omnem virtutis uſum functionemque probe ſculptum & concinnatum, tantum auctoritatis, tantum dignitatis, tantum opum, hinc ſummi Pontificis indulgentiſſimus favor, hinc clariſſimi Principis *Civerii* patrui tui pluſquam paterna pietas in te congeſſit, ut amplius vix optari queat, nec ſuperſit ullum dignitatis faſtigium, niſi quod uni tantum optari poſſit. Cæteris igitur multis in rebus luctandum eſt, ſi velint ad felicitatis faſtigium emergere: tibi cum cætera ſuppeditata ſint omnia, nihil ſupereſt niſi unicum ſtudium, unicaque cura, videlicet ut id, quod facis, facias, animi decora tibi pares, iſtius fortunæ magnitudine digna. Hæc ſola non largitur nec naturæ favor, nec indulgentia fortunæ, ſudore, ſtudioque redimantur oportet: haud alio precio ſuperi mercem hanc mortalibus venalem eſſe voluerunt, ne Monarchis quidem, aut Satrapis. Neque enim quiſquis imponit diadema, idem mentem addit Rege dignam. Generis claritas, aut populi favor imperium dare poteſt, pectus imperio dignum non poteſt: & tamen hoc ſi deſit, qui mandavit honorem, ſarcinam addidit, non dignitatem. Verum, ita demum admiranda quædam & eximia dignitas exoritur, ſi naturæ fortunæque decora ſic animi dotes illuſtrent, ut ab his viciſſim lucem accipiant; imo, ſi fieri poteſt, obſcurentur. Ille denique vere magnus eſt, qui vel adempto diademate magnus eſſe perſeveret. Multis obſtat generis obſcuritas, aut res anguſta domi, quo minus ad eximias virtutes, quæ non niſi paucis, quos æquus amavit *Jupiter*, contingunt, queant eluctari: aut ſi pervenerint, non perinde licet alios bene merendo ſublevare. Cæterum, ſi quis exſtiterit, in quem unum, non ſecus atque olim in *Pandoram*, deorum omnium omnia munera collata ſint, ſimul horum bonorum chorus competierit, is mihi videtur numinis cujuſdam inſtar habere, ſuperum benignitate in hoc datus, ut beneficentiam ſuam quam latiſſime diffundat in omnes. Fungetur autem officio ſuo, primum, ſi agnoſcat dotes ſuas: ſunt enim juxta Poetam eximium, qui parum norint ſua bona: deinde, ſi meminerit, quicquid adeſt bonarum rerum, id omne Domini eſſe peculium, in hoc creditum, ut juvandis proximis impenſum, copioſam uſuram referat Domino, talium lucrorum avariſſimo. Sed in primis adſit animus excelſus, & rerum levicularum, quas ſordidum vulgus admiratur, contemptor, quique ceu murus aheneus ab honeſto deflecti non poſſit: atque hanc ubique regulam ſequutus, univerſam ſuæ felicitatis *παναπλίαν* in Reipublicæ ſubſidium conferat, quando hoc in primis numini peculiare dixit antiquitas, *Juvare mortalem*. Ad hanc imaginem proxime accedant neceſſe eſt, quos æterni numinis favor in iſto rerum faſtigio collocavit. Addet calcar animo, ſi ſe cogitet velut in ampliſſimo theatro conſiſtere, totius orbis oculis in unum conjectis, nihil exſpectari ab ipſo plebeium aut vulgare, in exemplum rapi quicquid dixerit, aut fecerit. Etenim ſi hiſtriones habet ſollicitos, quomodo ſuſceptæ fabulæ, quomodo theatro reſpondeant: quanto magis curæ debet eſſe magnatibus, ut dignitati ſuæ, ut orbis exſpectationi reſpondeant. Quo te pluribus titulis ornavit fortuna, hoc impenſius enitendum, ut ſorti lucrum reſpondeat. Neque enim clam eſſe poteſt, quid exſpectetur ab Abbate, quid ab Archiepiſcopo, quid à Cardinale, quid ab eo, cui natalium imagines ac decora prælucent: denique, quid à Duce. Non ita magnum eſt dignitatem ampliſſimam ſuſcipere, ſuſceptam tueri ac ſuſtinere longe difficillimum eſt. Recte dictum eſt illud, *Pulchrius eſſe nonnunquam honorem meruiſſe quam obtinuiſſe*. At longe pulcherrimum arbitror, dignitatem ampliſſimam citra ambitum aſſequutum eſſe, ac ſuſceptæ ſic modis omnibus reſpondere, ut non tu per illam illuſtris, ſed illa per te videatur illuſtrata. Ac bona pars eximii Principis eſt, certo velle bonum Principem agere. Id ſi à quoquam alias unquam ſperandum fuit, de te certe tam multæ res nobis tam magnifice pollicentur, ut non temere certam fiduciam animo præſumamus omnes. Multis argumentis tua juventus jam nunc ſui ſpecimen nobis edidit, majora ſunt, quæ indoles iſta, ac virtus velut herbeſcens adhuc, & quotidianis auctibus ad maturitatem properans, gliſcenſque,

Digitized by Google

An. 1518. que, promittit. Porro, quanquam virtutis seminarium indiderit natura, res, ut fatear, egregie potens, tamen huc non leve momentum adfert, cordatos, integros, eruditos, gravesque viros in consiliis, in officiis, in domesticis colloquiis semper habere: sed multo maxime conducit, quemadmodum facis, in optimis literis per ætatem non segniter exerceri, præsertim iis, quæ ad egregium Principem gerendum vel addunt stimulos, vel viam aperiunt: tametsi factum videmus, ut quosdam eximios Principes, disciplinæ licet alieniores, nobilitarint, veluti *Mithridatem* linguarum, reique medicæ peritia, C. Cæsarem Matheseos cognitio. Multa suggerunt amici, sed nulli plura quam boni codices, quos *Cato* vel in ipsam usque curiam comites habere consuevit, lectitans interim aliquid, dum Senatus cogeretur. Ut igitur non omnis disciplina perdiscenda Principi, ita major est librorum numerus, quam ut omnes vacet evolvere: proinde ex utrisque quod optimum est, quodque proximum ad rem Principis facit, primo loco discendum est. Nec enim expediat hominem Reipublicæ natum, assidua meditatione studiorum in mutis, ut vocant, magistris situm ducere: quin potius quemadmodum *Plato* civium suorum animos gymnasticæ musicæque temperatura fingit, ita decet summatium vitam vicissim studiorum ocio, rerumque gerendarum negotio, temperari. Sed quo rapior, oblitus epistolam scribere me, & scribere Principi tam excellenti, cujus prudentia me monitore non eget, sed felicitas magis exigit ut gratulemur. At volupe fuit in bonorum tuorum commemoratione diutius versari, Præsul hujus ætatis præcipuum ornamentum, quibus optamus semper aliquid accedere, ut nobis novum subinde gratulandi argumentum suppeditetur, dum tu in dies te ipso major ac melior redderis. Quod alternis nunc linguam, nunc calamum exerces, majorem in modum probo, quo lubentius tibi parui, licet alioqui districtissimus, ut stylum tuum provocarem. Habes epistolam bis male scriptam, ac vereor etiam ne τὸ τρίτον molestam, quod non minus prolixa sit quam incondita. Verum hac in parte nobis æquior fis oportet, qui tibicinem *Arabium* in te provocaris. Si dignaberis hunc *Erasmum* famulitio tuo adscribere, ego faxo vicissim, ut tibi inter *Guilielmos* sit locus præcipuus, quando nomen hoc mihi ceu fato quodam amicum ac prosperum esse video. Longum sit recensere omnes, sed te non pudebit, opinor, *Guilielmum* Archiepiscopum *Cantuariensem*, *Guilielmum Montjoium*, *Guilielmum Budæum* habere comites. Si quid erit, in quo tua sublimitas nostram opellam desiderabit, quod volet injunget homini cupidissimo tibi gratum faciendi. Bene vale. *Lovanio*, Anno 1518.

## EPISTOLA CCCL.

### G. Croius Cardinalis Erasmo Roterodamo suo S. D.

ACCEPI *epistolam tuam, mi* Erasme, *quam quibus verbis laudem, profecto nescio, tam est elegans, tam erudita, tui tuarumque simillima, cui dum respondeo, illud est mihi abs te impetrandum, ut facile feras me non aliter quidem atque tu sentis sentire, sed aliter certe disserere: idque ego faciam, ut ille apud* Platonem Glauco *justitiam vituperans, quo ad laudes illius tantæ virtutis* Socraticam *provocaret facundiam. Quum velut per gradus quosdam ad animæ felicitatis commemorationem venis, probare magis videris* Peripateticam *de bonis opinionem quam* Stoicam, *eamque dicis ad communem hominum sensum pariter ac vitam magis congruere: quod argumentum si ullius est momenti in ratione beatitatis asserenda, facile sectas omnes vincet* Epicurea, *qua tam popularis est, ut maxima sit hominum pars, quæ putet nos ad unam voluptatem natos esse. Atqui video te parum moveri turba cerdonum, sartorum, culinariorum, laniorum, opificumque reliquorum, & testimonium ab illis præstantissimis requirere viris, qui summo ingenio prædi-*

*ti, summaque eruditione, non temere huc atque illuc feruntur, id est, quocunque opes voluptatesque impellunt, sed supra humanos constituti casus, nullis affecti perturbationibus res ipsas liquido perspiciunt, & ad vivum, quod ajunt, resecant. Hi vero quonam modo disputent, quæso, videamus; agamusque nos* Stoico *more paulo subtilius, nec mireris si ad hanc disputationem minime attulero popularem eloquentiam copiosam illam forensem, quam etiam vix assequerer vel in ipsa voluptate apud multitudinem commendanda: neque enim sumus omnes* Erasmi, *qui ita de magnis disserit, ut nihil fieri possit familiarius; ita de parvis, ut nihil sublimius; ita de obscuris, ut nihil dilucidius; ita de paradoxis, ut nihil probabilius. Sed ad id quod institueram, si opes, si copiæ, valetudo, robur, forma, aliaque & corporis, & externa quæ tu vocas bona, aliquid momenti ad felicitatem ipsam afferunt, quo hæc fuerint majora, eo profecto ampliorem præstantioremque beatitudinem faciant, necesse est: ita ut longe beatior sit formosus & dives paupere deformi: quod si addideris opes, copias, honores, potentiam, imperium, amicos, natales, robur, celeritatem, quam ille multis parasangis in cursu felicitatis virum bonum relinquet, qui his caruerit? quo fiet, ut* Socrati *illi numini Philosophorum cum tota illa sua virtute vix unus ad felicitatem gradus confectus fuerit, quod est pene impium dicere: nam si singula illorum ad beatitatem aliquid faciunt, omnia simul adeo multum profecto facient, ut beatior is futurus sit qui ea habeat, quam bonus vir illis orbatus: atque ita* Neronem *facile fuerit tam sævum tyrannum* Epicteto Stoico *servo diis & mortalibus gratissimo beatiorem dicere. Aufer, obsecro, à* Socrate *turpitudinem illam corporis, ignobilitatem generis, uxorias molestias, egestatem, inopiam, da formam, da stemmata generis, da obsequentissimam uxorem, confer opes, honoresque eximios, quid amplius, quid excelsius, quid admirabilius habiturus es in hoc* Socrate, *quam in illo fuit? Quid tu ais, mi eruditissime* Erasme, *opes sunt bona, sunt pulchritudo & vires bona, cur igitur nemo his fit unquam melior?* Cicero, *in quo fuit tanta verborum* Latinorum *peritia, quanta in ipsa tota* Latina Roma, *ut nosti, mirari se dicit opes à priscis* Romanis *bona esse appellata, quum nihil sint minus, neque id vocabuli satis esse illi rei aptum. Putas tu æruginem quandam vilissimam vel auri, vel argenti, serica vestimenta, aulea, domos magnificas multum beatitati addere? Si hæc ergo nunquam humanus invenisset luxus, nullus absolute fuisset beatus? existimas formam, id est, colorem quendam album rubore temperatum ex felicitate esse, nullus ne ergo felix Æthiops? certe nullus nostra sententia, si hac ex parte æstimatur felicitas, ut sententia illorum nullus apud nos, si modo res ipsi eadem qua nos metiuntur decempeda, vulgari nimis & judiciis crassis populorum accommodata. Et ut loquamur etiam ex sacris Literis, quemadmodum utrunque nostrum decet, me utpote Episcopum, te utpote interpretem tam diligentem & sincerum earum: qua regna, quas opes addis* Christo, *ut sit futurus felicior quam fuit in mundo? Sed de hoc taceamus, quippe, Deus ipse Rex est Regum, fuitque semper, & Dominus dominantium.* Petrus *certe gloriatur se neque aurum habere, neque argentum. Quid agis,* Petre, *cur tibi detrahis non malam felicitatis partem? Adde* Paulo Romanum *imperium, illi inquam* Paulo, *qui se gloriari ait in calamitatibus, ut homines vocant, atque adversis, an habebis beatiorem, an majorem, an magis admirandum* Paulum? *Vin' tu uti voce illa* Quintiliani *in pariete palmato,* quos miseros fecere virtutes? *Cave vocaris miseros illos, quos pronunciat* Christus, *veritas ipsa, tum demum beatos quum eos fuerint homines insectati propter se. His volui tecum agere cum bona venia tua, ut ego me ipse exercerem in hoc argumento, non tamen ita spatiatus in hoc loco, ut oblivisceret me epistolam scribere: tu nostrum hoc exercitamentum consules boni. Venio ad alias partes tuæ quam suavissimæ Epistolæ: ita deinde admones me officii mei tu* Peripateticus, *ut ista præcepta vix vel ab*



Digitized by Google

An. 1518. *ipso possent exspectari* Cittieo Zenone. *Ejusmodi obsecro frequenter ad me mitte, ut, te praeceptore quonam modo me gesturus sim, sciam. Ego enim etsi non sum ex primo illo optimo genere hominum, per sese qui omnia norunt, essem longe libentissime ex proximo, parent qui recta monenti: & spero me ita ducturum vitam, ut meo & charissimi patrui honori non desim: cujus in me charitatem merito plusquam paternam appellasti. Neque enim posset me tam arcto amore complecti, etsi mihi bis pater esset, cui etiam ego plus me debere profiteor quam patruo & patri beneficentissimis simul. De eruditione illud ego in primis optarem fieri, si posset: ut* Graecam *illam* ἐγκυκλοπαιδείαν *absolverim, quod si id per immensa non licuerit negotia, certe ut consulis melioribus me dedam disciplinis, atque iis, ad quas meapte sponte & natura feror, ad mansuetiores Musas, ad elegantiam sermonis* Latini, *nonnihil etiam* Graeci, *ad eam Philosophiam, quam in civitates domosque invexit* Socrates, Ethicen *appellant, quae mihi ad gerendam Rempubl. multo commodissima semper visa est. Juvat jam verba quadam tua recensere. Sed quo rapior oblitus epistolam scribere me, & scribere principi tam excellenti: oblitus certe es, mi dulcissime* Erasme, *te scribere ei, cui si literas dares tota* Iliade *longiores, nondum ipsum legendo tua satiares, non auferres dulcedinem tuarum rerum, augeres potius semper. Quod vero de famulitio loqueris, non opus est ejusmodi verbis tu agas mecum, socium te appella meorum studiorum, aut melius te praeceptorem, me discipulum. Porro quod de* Gulielmis *dicis, gaudeo mihi nomen tibi amicum contigisse, neque vero me pudebit unquam clarissimum & omni virtutum numero consummatum* Guilielmum Varamum, *Archiepiscopum* Cantuariensem, *socium quavis in re habere, non illustrem & strenuum Principem* Montjoium, *quos tu ita passim commendas, de quorum virtutibus ego tam multa a pleriscque accepi, ut adduci non possim, quin existimem summos illos esse viros atque excelsos. Quid loquar de* Guilielmo Budaeo, *amoribus atque deliciis Musarum &* Graecarum *&* Latinarum? *cujus laudandi nunquam* Vives *meus finem facit, cujus* Budaei *studia, monumenta, ingenium, eruditionem, linguam, mores colo, suspicio, veneror, admiror, adoro. Inter hos malim multo me annumeres, quam inter quosvis alios opulentissimos Principes, horum dissimiles. Vale, mi* Erasme, *& loquacitati nostrae ignosce, simul quum fuerit ocium rescribe. Quoniam existimavi te haud facile meum characterem lecturum, idcirco usus sum amanuensi.* Lovanio, *An.* 1518.

## EPISTOLA CCCLI.

*Reverendissimo Domino D. Guilielmo Croio, Cardinali & Archiepiscopo Toletano, Erasmus Roterod.* S. D.

REVERENDE Praesul ac Princeps illustrissime, proximis literis jocabar vereri me ne tibi provocasses *Arrhabium** tibicinem. At idem versis rerum vicibus in me recidisse videtur. Adeo non solum omnibus quamvis prolixae illius epistolae partibus respondes, verum etiam obtorto collo in latissimum Philosophicae disputationis campum trahis, argumentum non unius voluminis ordiens. Quod ni mihi perspectum esset ingenium tuum ad omnia versatile, nonnihil addubitarem, ne tibi ista scribenti sophista quispiam in consilio fuerit, adeo quaedam arte detorques, alioque quam dicta sunt rapis. In praesentia non congrediar tecum justa acie, sed paucis attingam pauca, non immemor epistolam scribere me. Porro, quando testaris te utcunque dissentiri mecum, non possum non & ipse tecum sentire, utcunque dissentiero. Sic ajunt & *Peripateticos* rebus ipsis convenire cum *Stoicis*, verbis duntaxat ac ratione praecipiendi discrepare. Porro, cum idem doceant, tamen *Peripateticos* hoc nomine praefero *Stoicis*, quod illi paradoxis utantur, multum abhorrentibus à vita sensuque communi; hi veluti demittant se magis ad popularem captum, non alio tamen spectantes quam spectant *Stoici*. Sic *Plato* vult suum sapientem ab illa mirabili luce rerum, quae vere sunt, ad umbras vulgi descendere, quo magis prodesse possit; sic aeterna Sapientia nobis ubique fere balbutit. Nec ideo protinus optimum est, quicquid infimae feci vulgi maxime placet: huc enim detorques, sed violente verius quam appositе. Quem autem moverit, si quis *Stoicus* clamitet, regnum, opes, prosperam valetudinem, nullo pacto bona esse? Rursus, servitutem, paupertatem, morbum, senectutem, mortem, nihil esse mali? Omnes felicitatis numeros conclusos in habitu nescio quo sapientiae? Haec certe frigent, & apud eruditos, apud vulgus hominum etiam ridicula sunt. At si quis neget haec anxie quidem expetenda, verum, si forte, obtigerint vertenda esse in materiam organumque virtutis: hujus oratio placabilius descendet in aures animosque, non dicam cerdonum, sartorum, culinariorum, quos tu commemoras, sed magistratuum, Principum, Episcoporum, addam etiam Theologorum: nam hac in re nec *Latomum* à me dissensurum opinor, quantumvis in negotio linguarum dissentire putatur. Neque tamen continuo probat vulgus, quicquid frequentissime sequitur, nemo non damnat inhonestam voluptatem, nemo laudat temulentiam. Nos de judicio loquimur, non de cupiditatibus ac morbis animorum. Sed ne prolixi simus, primo loco sic ratiocinaris: *Si corporis ac fortunae commoda bona sunt, quo copiosius ea contingunt, hoc feliciorem reddant necesse est.* Primum, meminisse debes, hoc genus bonorum, quantumvis accumules, non adferre beatitudinem, sed accessione beatitudinem, quam sola virtus praestat, absolvere, certe quod ad usum virtutis attinet. Deinde, quanquam ista conferunt ad felicitatem, non continuo sequitur juxta modum horum & felicitatem accrescere. Cibus ac potus conducit ad hominis vitam tuendam, at non continuo maxime vivit, qui plurimo utitur cibo. Praeter unam sapientiam nihil est in rebus humanis tam commodum, quin fiat incommodum, si sit immodicum: forma moderata multos commendavit, multis exitio fuit immodica. *Pythagorae, Scipioni Africano, Trajano* Caesari non parum auctoritatis conciliavit formae dignitas. Jam vero tibi videtur etiam impius, cui *Socrates* vel pulo felicior videatur, si quis Deus illius animo formam, opes ac genus adjunxisset. Ut nihil aliud, certe pluribus profuerit. At virtutis finis est in usum multorum diffundi, nunc illius virtus pauciissimis civium bono fuit, ipsi etiam exitialis. Porro, quot parasangis praecurrat his bonis instructus, non est meum metiri, mihi satis est aliquam felicitatis accessionem adjungi. Rursus, expendere convenit haec bona, non numerare, quod tu facis, qui virtutem hisce rebus destitutam, vix unum facis gradum ad felicitatem. Una virtus tantum habet momenti, ut sola conficiat felicitatem: tantoque praestantior est caeteris bonorum generibus, ut nec in appellationem bonorum recipiantur illa, nisi quatenus virtuti famulantur. Ex quibus satis liquet hoc loco, non satis in tempore *Neronem* sceleratissimum tyrannum cum *Epicteto* Philosopho integerrimo comparari. Ut *Neroni* non profuit imperium aut opes, quo minus esset infelix: ita si *Epicteto* optimo viro haec commoda accessissent, fuisset ad exercendam virtutem non paulo instructior. Ad haec ratiocinaris hunc in modum: *Si bona sunt, cur horum praesidio nemo fit melior?* Primum, qui suas opes, à majoribus relictas, aut alioqui bene partas, effundit in subsidium pauperum, aut si quis opum usus sanctior, non huic opes adminiculo sunt, ut in dies seipso melior evadat? nisi forte non putamus accessione benefactorum, & virtutis gradibus adjungi nonnihil. Deinde, non fugit hoc tuam prudentiam, non eadem ratione opes, formam, valetudinem, aliaque id genus bona dici, qua virtutem. Sic enim haec bona vocantur, quemadmodum Regum caduceatores Reges dicimus, quod Regibus serviant. Quae *Stoici* fortassis appellarent commo-

* Lege, *Arabium*: ac consule Erasmi *Adagia*, Chiliad. 1. Cent. VII. Prov. XXXII.

Digitized by Google

An. 1518. moda, *Peripatetici* dilatata ratione nominis, bona quædam appellant. Virtute nemo potest abuti, his abutuntur multi, sed suo, non rerum vitio. Rursus sunt quædam pro incommodis mala vocata *Peripateticis*, quæ sæpe tamen vertuntur in materiam virtutis, & fortassis plures corrumpit paupertas quam opulentia moderata. At *Cicero* demiratur à priscis *Latinis* rem familiarem bona dici, sed, nisi fallor, *Stoici* personam agens hoc demiratur. Aliter Deus dicitur bonus, aliter vir probus, aliter equus, aliter nummus. Quorsum autem attinet mirari, corporis sanitatem, ac vires bona dici, cum juxta Philosophos prorsus in eadem competat entis ac boni appellatio? Nec de iis loquor, quæ luxus reperit, etiamsi hæc quoque male reperta, nihil vetat in meliores usus vertere. Illud falsius est quam argutius, si felix non est, nisi cui color est candido rubroque mixtus, nullus *Æthiops* felix. Non enim continuo formosus quisquis hoc colore sit, neque quicquam vetat quo minus Æthiops apud Æthiopes suo nigrore formosus sit. *Christo* si nihil accessit, quid est igitur quod toties petit à Patre: quid est quod gloriatur sibi datam potestatem in cœlo & in terra? sed *Christum* huic disputationi, quando ita videtur, non admisceamus. Quod Apostolos pauperes esse voluit, non docet opes esse malas, sed noluit Euangelii gloriam hujus mundi præsidiis adscribi. Nec inficior sæpe incidere ut hæc sint abjicienda, si id postulet pietas. Nunc mihi vicissim respondе, si hæc bona non sunt, qua fronte ea publicis etiam precibus flagitamus, ab eo qui nihil largiri nec vult, nec potest, nisi bona? Absit autem ut dicamus miseros, qui virtute præditi sunt, imo felicissimos dicimus, sed consummatius felices, quibus hæc adsunt vel sponte oblata, vel cum laude quæsita, nisi quid secus postulet temporis ratio. Desinam philosophari si uni etiam rogatiunculæ responderis. Finge mihi duos, alterum forma *Thersitem*, paupertate *Irum*, valetudine miserrima, lingua balba, futili memoria, ingenio plumbeo, genere pudendo, invisum omnibus, exsulem, denique senem decrepitum; alterum virenti ætate, formæ dignitate venerandum, felici valetudine, lingua vocali & expedita, memoria fideli, ingenio dextro, potentem opibus, clarum natalibus, postremo, summa dignitate suspiciendum omnibus: fac interim adesse tibi mentem viro probo dignam, quæ primum amet optima; deinde quæ cupiat de omnibus quam optime meri, adesse deum aliquem, qui jubeat ut utrum malis eligas, nam continuo futurum te, quod delegeris, dic mihi bona fide hunc an illum eliges? Et videtur indignum boni nomine, quod vir bonus potius esse duxerit? Sed urgebis, *Si bona sunt, cur ea jubemur contemnere*? Contemnit qui hæc præ virtute negligit, contemnit qui non his fidit, contemnit qui sibi non possidet, contemnit qui benigne erogat, contemnit qui non affligitur ablatis, si quando fortuna quod suum est repetit. Felix non est, qui his tantum sibi felix videtur. Felix non est, qui his orbatus, felix esse desinit, ἀπὸ φιλοσοφίας ὥσπερ ὄρνις ἅλις. Quod tua celsitudo non gravatur, vel à nobis admoneri, non possum non probare modestiam animi tui, quam ne tantus quidem fortunæ splendor potuit vitiare: quanquam à nobis illa non tam monendi studio dicta sunt, quam excitandi styli tui gratia. Quod sic affectus es erga disciplinas maximo Principe dignas, magis isto nomine te felicem judico, quam ipso galero, quantumvis augusto. Quod *famulitii* vocabulum prorsus rejicit tua modestia, liberum tibi facio, ut quocunque me nomine voces, modo inter tuos numeres. Ut humanitas tua non fastidit *Guilielmorum* trium contubernium, ita non dubito, quin illi tui nominis accessione gaudeant obscurari, si tamen istud est obscurari, ac non potius accessione lucis illustriorem fieri. Suffuratus sum unam aut alteram horulam, ne viderer prorsus officio meo defuisse. Brevi, uti spero, copiosius studium animi nostri erga tuam celsitudinem declarabimus, quam opto semper quam optime valere. *Lovan.* An. 1518.



## EPISTOLA CCCLII.

*Erasmus Rot. eximio Juris utriusque Doctori, Richardo Sampsoni* S. D.

INGENS, ut scribis, ornatissime *Richarde*, veræ necessitudinis argumentum est, quod tot eximios amicos habemus inter nos communes: præsertim cum eos neuter alteri conciliarit. Proinde res occulta quadam fatorum vigeri videtur: quanquam & alioqui vehementer sim inhumanus, ni te cum primis amem: quicum mihi pridem *Cantabrigiæ*, nuper *Tornaci*, multo jucundissima fuerit consuetudo. Quid enim esse potest tuis moribus mellitius? Jam non inhumanissimus modo sim, verum etiam ingratissimus, nisi *Sampsonem* inter præcipuos patronos meos adscripserim, qui nec rogatus unquam, nec postulatus, mihi nec opinanti, nec exspectanti, Præbendam *Tornacensem* pararit. Nam quo minus assecutus sim, non tu, sed mea absentia fuit in causa. Proinde puto me nihilo minus in solidum debere, quod per te non steterit, quo minus possideam. Reverendissimus Cardinalis perbenigne pollicetur, verum, hæc ætas non moratur lentas spes. Etiamsi mihi jam contigit, quod huic animo, quod huic otio satis est. Vehementer gaudeo vobis probari *Paraphrasin*, cum primis autem *Joanni Molendino*, homini naris emunctæ. Ille tibi meis verbis salutem annunciarat: id officii vicissim nunc illi præstabis, & quidem accurate. Bene vale. *Lovanio*, Anno 1518. An. 1518.

## EPISTOLA CCCLIII.

*Des. Erasmus Roterodamus Antonio à Bergis, Abbati divi Bertini*, S. D.

QVVM multis nominibus jam olim tuæ benignitati debeo, patrone incomparabilis, tum hoc etiam sum obstrictior, quod *Morum* animæ meæ partem, pene chariorem, tam amanter acceperis. Adeo in literis ad me suis sibi plaudit, quod tuam viderit amplitudinem. Quod quidem non ideo mihi minus gratum est, quod in te novum non sit: & tamen illi, licet amicissimo, nonnihil invidi, quod mihi non idem licuerit. Emoriar, si non hæc hyems mihi longo seculo visa est longior: tam diu coccycis fuit agenda vita. Quanquam non tam in nido versamur, quam in pistrino longe omnium odiosissimo. Novum Testamentum rursus innovamus: ac si *Christus* adspiraverit, tale reddemus, ut & *Leone* decimo, & posteritate non indignum videri possit. Quanquam interim tui copia non est, non deest tamen, qui te nobis utcunque repræsentet. Adest enim *Antonius* fratris tui filius, qui te non minus ingenii mansuetudine, quam nomine refert & exprimit. Musas omnes iratas habeam, si quid vel mentiar, vel blandiar: adolescens mira indole summam spem de se præbet. Quodque rarum est inter felices, bonas literas deamat etiam, nosque literarum amat gratia. Visit nos subinde, bibliothecam nostram suspicit. Heri cervinam misit cum epistolio, tam eleganti, tantum humanitatis præ se ferente, ut mihi longe ferina fuerit gratius. O felices literas, si talibus heroibus placere cœperint? Imo felices nobilium imagines, si ad generis splendorem, literaturæ decus adjunxerint. Ab hoc cardine præcipue pendet orbis felicitas, si Principibus maxime cordi fuerint, quæ sunt optima. Summus Pontifex quidquid ubivis est insignium ingeniorum allicit, ornat, evehit. Et scio & fateor me nihil esse, si cum eruditis viris componar, & tamen ob nescio quam eruditionis opinionem, quam mihi lucubrationes meæ pepererunt, cum proxime essem in *Anglia* summa cum humanitate complexus est Rex, fortunam obtulit haud adspernandam. Complexus est Cardinalis *Eboracensis*, non passim comis aut facilis. Nuper bis ad me scripsit Episcopus *Trajectensis*, proxime *Leodiensis*, minatus se huc venturum, si se nolim invisere. Archiepiscopus

*Ma-*

Digitized by Google

An. 1518. *Maguntinenſis* totam epiſtolam ſuis articulis depinxerat, quo certius animi erga me ſui ſtudium declararet. Epiſcopus *Baſileenſis* ad regni, ut ait, ſui conſortium invitat. Ac miſere timeo, ne me Rex Catholicus *Indiæ* faciat Epiſcopum. Sed extra jocum, ex animo gaudeo hoc animi eſſe magnatibus, non mea cauſa, ſed omnium, qui ſi pergant, multo melius agetur cum rebus mortalium. Qui has perfert literas, Theologus eſt, non minus eruditus quam cæteri, ſed minus ſupercilioſus, vir integer, humanus ac feſtivus. Huic obtigerat ſacerdotium *Enſeſedenſe*, via nominationis, ut nunc loquuntur; id menſes jam aliquot poſſidet: convenit illi cum eo, cui tua Celſitudo idem hoc ſacerdotium contulerat, ſi modo tuus acceſſerit favor. Mavult hoc temporis atque operæ rebus melioribus inſumere, quod litibus eſſet conterendum. Æquum eſt peculiariter huic favere Academiæ, vel quia noſtra eſt, vel quia his ſane temporibus omnium florentiſſima, vel quia te quoque quondam fovit, aluitque, & nunc duos nepotes tuos alit. Nominationibus minimum vexabitur amplitudo tua: una aut altera defungetur; quo minus gravatim largiaris hoc alumnus optimus, optimæ nutrici tuæ. Ad hæc, is eſt *Theodoricus*, ut ſi hominem pernoſſes, in nullum malles collatum iſtud, quicquid eſt beneficii. Habebis debitorem neque malæ fidei, neque ingratum: vel me ſponſorem offerrem, ni jam olim ſic tuus eſſem, ut obligatior quam ſum, eſſe non poſſim. Magnam illi ſpem facit tua nulli non prædicata, multis etiam comperta, humanitas. Hanc ut hic quoque experiatur majorem in modum te rogo. Mitto *Paulum* Apoſtolum *Romane* loquentem, & multo quam ſolet explanatius. Inſtituitur hic Collegium trilingue ex legato *Buſlidii*. Sed obſtrepunt nonnulli, qui, quod ſunt, bilingues eſſe malunt, jam vetuli pſittaci, quibus mutandæ linguæ ſpes non ſit. Bene vale, patronorum optime. *Lovanio*, Anno 1518.

## EPISTOLA CCCLIV.

*Eraſmus Rot. Joanni Oecolampadio* S. D.

ITA quidem vulgo ſolet uſu venire, ut bona, quæ præſentia neglectim habuimus, ſublata gravi deſiderio torqueant. Sed mecum pulchre agitur, ſi moleſtiarum, quas ex me cepiſti cum una viveremus *Baſilea*, memoriam abolevit disjunctio. Sed iſte nimirum candor eſt *Chriſtiani* pectoris, ut amici vitia in bonam partem interpreteris, & virtutes exiguas pro eximiis ducas, ipſe in te judex iniquior. Quanquam me mea fata nunc huc vocant, nunc illuc, tamen *Lovanii* ſedem habere videor, ubi mea eſt bibliotheca. Sed quocunque locorum circumagimur, ſeu terra, ſeu mari, nuſquam non circumferimus unice dilectum *Oecolampadium*. Et nos interim *Chriſtum* ſequimur, ſed à longinquo quemadmodum *Petrus* adhuc imbecillis. Et tamen eſt aliquid, illum vel eminus ſequi. Profuit id *Petro*, ſpero & nobis profuturum, ſi modo *Jeſus* optimus clementiſſimos ſuos oculos in me torquere dignetur. O te felicem, qui totus & vacuus, in intimis penetralibus verſaris cum ſponſo, nihil aliud quam cœleſtia meditans! Et antrum vocas ſedem iſtam, ego paradiſum arbitror, præſertim comite ſocioque ſtudiorum omnium *Brentio*, per quem ita ſolus es, ut ſolitudinis tædium non ſentias. Olim homines pii partim offenſi deliciis ac ſceleribus vulgi, *Chriſtum* titulo profitentium, vita negantium, partim afflicti ſævis Barbarorum incurſionibus, captabant invios montium ac nemorum ſeceſſus. Nunc magis etiam libeat effugere iſtos, qui ſub prætextu *Chriſti*, *Chriſti* doctrinam moliuntur exſtinguere. Sed quid narras impie, matri tantillum munuſculum invidebas? Næ tu dignus es maximis, qui tam grato animo penſites quæ nihil ſunt. Quod *Hieronymi* tranſlationem confers cum *Hebræorum* voluminibus, non dubito quin cum judicio facias, precorque ut Deus laborem iſtum tuum bene fortunet. Optarim indicem quam primum prodire, mihi quoque uſui futurum. Ea res complures accendet ad evolvendum *Hieronymum*. Non ſatis divino quid ſibi velit Tragœdia, tantum admoneo, ne nimium variis ſtudiis oneres ingenii vires, & imbecillitatem corpuſculi tui. De *Melanchthone* & ſentio præclare, & ſpero magnifice, tantum ut eum juvenem nobis *Chriſtus* diu velit eſſe ſuperſtitem. Is prorſus obſcurabit *Eraſmum*. Bene vale. *Lovanio*, Anno 1518. An. 1518.

## EPISTOLA CCCLV.

*Eraſmus Rot. Baniſio ſuo* S. D.

VIR ornatiſſime, jure ſuccenſemus *Zelandiæ*, quod te nobis afflictum remiſerit: ſed tamen gratias agimus, quod vivum reſtituerit; quando non paucos abſorbuit. Sic tui velim Principibus copiam facias, ut tuæ ſalutis habeas rationem. Quo magis eget tuis conſiliis Reſpublica, hoc magis advigilandum, ut illi diu poſſis eſſe uſui. Tuum ad nos adventum cupidiſſime exſpecto. De negligendis blateronibus, ſuoque morbo relinquendis, & prudenter & amice conſulis. Quid enim aliud quam ſuam traducunt ſtultitiam ſimul & inſcitiam? Deum immortalem, quam inſulſis libellis, quam virulentis, quam indoctis, rem agunt? Non eſt periculum, ne tam ineptas nænias legat poſteritas: cujus judicium ſemper eruditis viris ſpectandum eſt. Quanquam ne nunc quidem ulli probo doctove placet iſtorum furioſus tumultus. Sed omnia coram. Bene vale, vir ornatiſſime. *Lovanio*, Anno 1518.

## EPISTOLA CCCLVI.

*Eraſmus Roterod. Marco Laurino* S. D.

ACCEPI literas tuas, imo meros amores, quid enim aliud ſonant, quid aliud ſpirant? Mihi vero non minus in votis fuit, frui conſuetudine tua, quam tibi mea. Id, uti ſpero, nunc quoque licebit. De convitiis obtrectatorum, qui omnibus arroſis, nunc tandem in inconſtantiam meam cavillantur, riſi, fateor, utpote jam aſſuetus iſtiuſmodi blateramentis, ſed tamen riſum ex parte *Sardonium*: nam mihi quidem adverſus iſtorum calumnias ſufficeret animus bene ſibi conſcius. Cæterum, quis non moleſte ferat obſtinatam ac perverſam hominum ingratitudinem? Nulli magis indigent meis laboribus quam iſti, qui ſic oblatrant meis ſtudiis, ſuis commodis. Nec ulli oblatrant ferocius, aut immanius, quam ii, qui libri nec operimentum unquam viderunt. Fac, mi *Marce*, periculum, & comperies me verum dicere. Ubi incideris in iſtiuſmodi quempiam, ſine illum debacchari in Novum Teſtamentum meum, ubi deſtomachatus erit ad ravim uſque, roga, num opus ipſum perlegerit. Si perfricta facie dicet ſe legiſſe, urge, ut locum proferat, quem reprehendit. Non reperies quenquam qui id poſſit. Nunc vide quam hoc ſit *Chriſtianum*, imo quam Monachorum profeſſione dignum, apud imperitam plebem lacerare famam hominis, quam, etiamſi velint, ſarcire non poſſint, cum id quod carpunt, prorſus ignorent, non cogitantes vere dixiſſe *Paulum*, *Maledici regnum Dei non poſſidebunt*. Nullum autem infamiæ genus ſceleratius quam hæreſeos, quod iſti ſtatim impingunt, ſi quis eos vel nutu offendat. Deinde, quemadmodum apud *Elvetios*, ut narrant, uno quopiam è turba proferente digitum proferunt omnes, & ad prædam accurrunt. Ita ſimul atque ex iſto grege unus quiſpiam grunnire cœperit, mox grunniunt univerſi, & apud populum *Quiritantes*, ad ſaxa provocant: velut obliti profeſſionis ſuæ, non aliud profeſſi ſint, quam ut bonorum virorum nomina, linguæ ſuæ virulentia contaminent, ac prorſus juxta Pſalmographi vaticinium, *Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentes, venenum aſpidum ſub labiis eorum*. Ita qui debebant *Chriſtiana* pietatis prædicatores eſſe, ſtudio ſunt alienæ pietatis obtrectatores. Et qui ſe profitentur *Hierophantas*, exhibent ſycophantas.

Digitized by Google

An. 1518. tas. Et quod prodigii simile est, homines ad benedicendum infantissimi, ad mordendum & calumniandum linguam habent: & alias prorsus à Musis & Gratiis alieni, in conspurcanda bonorum virorum fama, salsi sibi videntur, & venusti. Postremo, quod per se non possunt, per subornatos agunt, conducto *Chœrilo* quopiam, aut malo Rhetore. Tanta est lædendi libido, tanta sitis rei cum facillimæ, tum sceleratissimæ. Prodesse difficillimum est, sed juxta pium: cur non hac parte potius declarant se magnos ac suspiciendos homines, si quid esse volunt? Est istud hominum genus omnino dignum ita libris celebrari, ut posteritas non ignoret eximiam morum ingeniique perversitatem, sub prætextu *Christiana* religionis. Atque id fortasse præstare valeam, si paululum adnitar. Verum, hoc partim dissuadet *Christiana* modestia, partim iniquum arbitror, ob paucorum malitiam, universos ordines in invidiam vocare. In quibus scio permultos esse, quibus istorum temeritas non minus displicet ac nobis. Magis libet eorum habere rationem, qui & pietate, & eruditione, & dignitate præcellentes, gratias agunt mihi pro meis qualibuscunque vigiliis, conatum, opinor, approbantes, si quod volui non sum assecutus. Alioqui si pleroſque perspicerem istis sycophantis assimiles, nihil fuerit facilius quam dormire ac silere, mihique & *Christo* canere. Jam quod cavillantur, ob id me parare novam editionem, quod prior mihi non satisfaciat, fingamus ita esse, quid est quod reprehendant? Si studeam meipso melior esse, & id facere, quod ab *Origene*, quod ab *Hieronymo*, & ab *Augustino* factum est, præsertim cum id ingenue testatus sim in prima editione me facturum, si foret usus? Nunc non hoc ago, verum, idem molior, quod jam tertio factum est in edendis Proverbiis. Ad hæc, in translatione priore parcius mutaveram, ne nimis offenderem istorum animos nimium morosos. Nunc adhortantibus eruditis viris plusculum hac in parte sum ausus. Deinde, locos immutatos crebriore Auctorum nomenclatura communio, ne quid habeant, quo tergiversentur οἱ δυσκαθέκτοι. Postremo, loca tum festinanti præterita adjicio. Quod si quid interim inciderit, quod eruditos ac pios offendat, non dubito mutare. Neque me diffitebor hominem esse. Contemnant hanc primam editionem, nisi multos in ea locos explicui, in quibus *Thomas Aquinas* hallucinatus est, ne quid dicam de cæteris. Aut negent hoc, aut refellant si queant. Sin id in propatulo atque in confesso est, agnoscant quantum frugis istis potuerit adferre labor noster, unde *Thomas* quoque profecturus fuerat, si superesset. Nemo dictum hoc in illius torqueat contumeliam. Non enim me cum illo confero, etiamsi quædam aperui, quæ illum fefellerant. Quod de *Thoma* dictum est, putent de *Lirano*, imo de *Augustino* & *Hilario* dictum. Contemnant, modo fateantur innumeros locos explanatos, quos antehac nec ii intelligebant, qui non vulgariter eruditi sunt. Postremo, cur isti damnant, quod non damnat Pontifex, cui dicatum est Opus? Misi, accepit, legit, gratias egit literis, atque etiam re ipsa retulit. Verum, rabulæ, ut sunt stupidi natura, tum morbo maledicentiæ bis cæci, credunt, opinor, me totam hanc translationem, qua vulgo utimur, antiquare voluisse, quam ego sæpenumero *Græcorum* lectioni antepono. Imo id tantum verti, quod in *Græcis* reperi codicibus, in annotationibus indicans, quid probem, quid secus. Age, fingant me nihil aliud egisse, tantum vertisse *Græcorum* codices, ut à *Latinis*, *Græce* linguæ ignaris, possent cum editione vulgata conferri, quæso quid haberent quod reprehenderent? Nunc tot locis ostendo manifestis argumentis, nostram editionem esse depravatam, licet citra fidei periculum. Ostendo *Cyprianum*, *Hieronymum*, *Ambrosium* cum *Græcorum* exemplaribus consentire. Et tamen isti clamant perinde quasi piaculum admissum sit. Sed quorsum attinet, mi *Marce*, argumentis uti cum iis, qui studio occludunt oculos, ne videant: occludunt aures, ne audiant. Abunde satisfactum illis erat in Apologiis, si velint cognoscere: si nolint, frustra tentemus eis satisfacere, qui calumniari malunt quam discere. Sed constantiam in me desiderant homines severi, quod audierint me *Basileam* aditurum. Quasi vero *Basileam* animi causa sim profecturus, aut antehac profectus sim. Edidi *Hieronymum*, edidi Novum Testamentum, præter alia multa: & ut publicis commodis inservirem, neglexi iter periculosissimum, neglexi sumptus, neglexi tantum laborum, quibus bonam valetudinis ac vitæ partem attrivi. O miram inconstantiam, qui non maluerim apud istos depotare, quam *Basileam* adire! Ipsi sursum deorsum currunt ac recurrunt, per omnes terras ac maria volitant, non suo sumptu, cum mendicitatem profiteantur, sed pecunia emuncta corrasaque à viduis, quas dementant, oneratas peccatis, spoliatis Virginibus sacris, fraudato denique genio simplicium fratrum, atque id ut noceant, ac viris de Republica *Christiana* bene merentibus labem adspergant: & constantes scilicet habentur, gravesque. Ego quoniam meapte pecunia, meoque incommodo publicis inservio commodis, inconstans sum. *Deligat*, inquiunt, *sibi civitatem, in qua vivat.* Quid? an hic in solitudine *Scythica* videor vivere? an istis non videntur esse in rerum natura, nisi quos assidue vident in suis compotationibus? Illic, opinor, habeo sedem, ubi bibliothecam meam habeo, & si quid est supellectilis. Quod si publica utilitas hortatur mutare locum, pietas, ni fallor, laudanda est, non damnanda inconstantia. Si licuisset hujus itineris necessitatem vel trecentis aureis redimere, non gravatim numeraturus eram eam summam. Nunc ita res ferebat; eundum erat. Nec unquam verti solum, nisi aut exigente pestilentia, aut valetudine cogente, aut honestæ rei gratia. Solam *Italiam* mea sponte visi, partim ut loca sacra vel semel adirem, partim ut illius regionis bibliothecis, & eruditorum congressu fruerer. Ejus inconstantiæ nondum me pœnitet. Jam ferme biennium perpetuum hic ago. Licebat amplissima spe sequi Regem Catholicum: invitatus sum, aureis montibus promissis à Rege *Gallorum*: invitatus sum humanissime à Rege *Anglorum*, & à Cardinali *Eboracensi*, ab *Francisco* Archiepiscopo *Toletano*, qui nuper decessit. Invitatus sum ab Episcopo *Parisiensi*, à *Bajocensi*, ab Archiepiscopo *Maguntinensi*, à *Leodiensi*, à *Trajectensi*, à *Basiliensi*, à *Rossensi*, à Duce *Bavariæ*, à Duce *Saxoniæ*. Non mentior hæc, res cognita est permultis, & ex ipsorum ad me crebris epistolis liquet. Omnibus his neglectis, hoc agere perseveravi, quod erat in manibus: & inconstans vocor, qui, quod tantis vigiliis cœpi, cupiam absolvere. Quod si constantiæ virtus in hoc sita est, ut quam diutissime locum eundem occupes, prima laus debetur saxis ac truncis arborum, proxima conchis ac spongiis. Non est in vitio commutare locum, sed perperam commutare vitium est. Nec est virtus diu mansisse in eodem loco: sed cum laude vixisse. *Socrati* laudi dant, quod semper *Athenis* probum egerit civem. Nec tamen *Platoni* vitio datur peregrinatio. Johannes *Baptista* nunquam egressus *Judæam* est. *Christus* confinia tantum attigit. Nec ideo inconstantiæ damnamus Apostolos, quod per orbem universum obambulaverint. Nemo damnat *Hilarionis* errores, quod *Paulus* speluncam suam nunquam fuerit egressus. Quanquam quid hæc exempla commemoro istis, qui nec in eadem urbe constant, quippe qui subinde præsepe mutant & pascua, & ubicunque lautior fumat aut renidet culina, illuc demigrant? Constantiam in me requirunt, quod cum istis in eadem urbe non potarim annis quadraginta quinque, spongiarum ritu, quibus affixis hoc est vivere, quod bibere: quod non scortatus sim, quod non luserim aleam, quod non egerim sycophantam. Ego vero meam inconstantiam multis partibus antepono istorum constantiæ. Neque enim paulo pulchrius esse duco, sic in multis vixisse locis, ut ubicunque vixeris, reditum tuum optent optimi quique, quam sic in eadem urbe vixisse, ut non referat vixisse: non enim dicam quam vi-



Digitized by Google

An. 1518. xisse turpiter. Quid si valetudo cogat mutare locum, nonne daturi sint veniam valetudini consulenti? Nunc damnant quod omnia posthabeam utilitati publicæ. Sed rejiciunt operam meam isti: rejiciant, modo boni doctique amplectantur: nemo per me cogitur plus sapere quam velit. Sed hos, mi *Marce*, valere sinamus. Nos pure *Christianeque* diligamus bonos, malos toleremus, si vinci nolint, ne benefactis quidem. Reperient aliquando similes labra lactucas. Continget malo nodo malus cuneus, & dum fragili quærunt illidere dentes, illident solido. Mihi non est nec ocium, nec animus, cum hac luctari scabie. Nolim te tuo incommodo huc advolare, alioqui gratissimus futurus: ipse (ut spero) brevi te visam, dies aliquot acturus apud te, & animum expleturus tua consuetudine prius quam hinc abeam; etiamsi hinc abeo, non diu abfuturus. Si *Basileam* adeo, redituru sum proximo autumno. Si *Venetiam*, proximo vere. De *Joanne* famulo meo demiror, te nihil meminisse, quem in *Angliam* ante mensem misi: nam is, opinor, salutavit te. Bene vale, amicorum integerrime. *Lovanio* postridie Paschæ *, Anno 1518.

## EPISTOLA CCCLVII.

*Erasmus Rhenano suo* S. D.

ACCIPE, mi *Beate*, totam itineris mei tragicocomœdiam. Mollis etiamnum ac languidulus, ut scis, *Basileam* relinquebam, ut qui nondum cum cœlo redieram in gratiam, cum tandiu domi delituissem, idque perpetuis laboribus distentus. Navigatio fuit non inamœna, nisi quod circa meridiem solis æstus erat submolestus. *Brisaci* pransi sumus, sed ita ut nunquam insuavius. Nidor enecabat, tum nidore graviores muscæ. Desedimus plus semihoram ad mensam ociosi, donec adornarent scilicet illi suas epulas. Tandem nihil appositum est, quod edi posset, sordidæ pultes, offæ, salsamenta non semel recocta, meræ nauseæ. Gallinarum non adii. Qui hunc renunciavit teneri febri, bellum quiddam adjecit. Minoritam illum Theologum, quicum mihi fuerat de echeitatibus concertatio, sacros calices oppignorasse suo jure, ô *Scoticam* subtilitatem. Sub noctem ejecti sumus in vicum quendam frigidum: cujus nomen nec libuit scire, nec si sciam velim edere. Illic pene exstinctus fum. In hypocausto non magno cœnavimus plus opinor sexaginta, promiscua hominum colluvies, idque ad horam ferme decimam: oh qui fœtor, qui clamor, præsertim ubi jam incaluissent vino! Et tamen ad illorum clepsydras erat desidendum. Mane multa adhuc nocte è stratis exturbamur clamore nautarum. Ego & incœnatus & insomnis navim ingredior. *Argentinam* appulimus ante prandium ad horam ferme nonam, illic commodius accepti sumus, præsertim *Schurerio* suppeditante vinum. Aderat aliqua sodalitatis pars, mox universi salutatum veniunt, sed nemo officiosius *Gerbelio*. *Gebuilerius* & *Rudalphingius* me immunem esse voluerunt: quod jam illis novum non est. Illinc equis *Spiram* usque contendimus, neque usquam militis umbram vidimus, eum rumor atrocia sparsisset. *Anglus* equus plane defecit, vixque *Spiram* attigit, sic eum tractaverat sceleratus iste faber, ut illi ambæ aures ferro candenti inurantur. *Spiræ* furtim subduxi me è diversorio, & ad *Maternum* meum vicinum me recipio. Illic Decanus, vir doctus & humanus, suaviter & comiter nos biduum accepit. Hic forte fortuna *Hermannum Buschium* reperimus. Illinc curru vectus sum *Wormaciam*, atque hinc rursus *Maguntiam*. Forte in eundem currum incíderat quidam Cæsaris secretarius *Ulrichus*, cognomento *Furnbul*, quasi dicas *filicum collem*. Is incredibili studio, tum itinere toto mihi observivit, tum *Maguntiæ* non passus ingredi πανδοχεῖον, ad ædes Canonici cujusdam pertraxit: abeuntem ad navem deduxit. Navigatio non fuit inamœna, ob cœli commoditatem, nisi quod longior esset, nautarum studio. Ad hæc, offehdebat equorum pædor. Comitati sunt me primum diem officii gratia *Joannes Longicampianus*, qui pridem *Lovanii* professus est: & hujus amicus Jureconsultus quidam. Aderat & *Wesphalus* quidam, *Joannes Canonicus* apud *S. Victorem* extra *Maguntiam*, homo commodissimus, ac festivissimus. Ubi *Popardiam* appulimus, nosque, dum exploratur navis, in ripa deambularemus, nescio quis agnitum me telonæ prodidit, ἔστι ἐστὶν ὁ ἐπεὶν ☞. Telones est *Christophorus*, ni fallor, *Cimcampius*, vulgato verbo *Eschenfelder*. Incredibile dictu quam gestierit homo præ gaudio. Pertrahit in ædas suas. In mensula inter syngraphas teloniças jacebant *Erasmi* libelli. Beatum se clamitat, advocat liberos, advocat uxorem, advocat amicos omnes. Interim nautis vociferantibus mittit duos vini cantharos, rursum vociferantibus mittit alteros, pollicitus ubi redierit se illi τὸ τέλος remissurum, qui talem virum sibi advexerit. Hinc officii gratia comitatus est nos *Confluentiam* usque *Joannes Flaminius*, Virginibus sacris illis præfectus, vir angelicæ puritatis, judicii sobrii sanique, doctrinæ non vulgaris. *Confluentiæ Matthias*, Officialis Episcopi, nos domum suam rapit, homo juvenis, sed moribus compositis; *Latini* sermonis exacte peritus, tum Jureconsultissimus. Illic cœnatum est hilariter. Apud *Bonnam* nos reliquit ille Canonicus, vitans urbem *Colonienſem*, quam & ipse vitare cupiebam, sed minister cum equis eo præcesserat, neque quisquam erat in navi certus, cui de ministro revocando negotium committere potuissem: & nautis diffidebam. Mane itaque ante sextam *Agrippinam* appulimus die Dominico, cœlo jam pestilenti. Diversorium ingressus, mando hospitii ministris de conducenda biga, & cibum ad decimam parari jubeo. Audio sacrum, prandium differtur. De biga non successit. Tentatur de equo conducendo, nam mei erant inutiles. Nihil succedit. Sensi id quod erat. Agebatur ut illic hærerem. Ego protinus jubeo meos adornari equos, imponi alteram manticam, alteram hospiti committo, & claudo meo equo ad Comitem *Novæ aquilæ* percurro: est autem iter horarum quinque. Is agebat *Bedburti*, apud hunc suaviſſime quinque dies sum commoratus tanta tranquillitate & ocio, ut bonam recognitionis partem apud eum peregerim: nam eam Novi Testamenti partem mecum abduxeram. Utinam hominem nosses, mi *Beate*. Juvenis est, sed rara & plusquam senili prudentia, pauciloquus, sed quod de *Menelao* prædicat *Homerus*, μέγα λιγέως loquitur, imo cordate, citra ostentationem doctus non in uno studiorum genere tantum, totus candidus, & amico amicus. Jam firmus eram ac robustulus, jam mihi pulchre placebam, ac fore sperabam, ut validus Episcopum inviserem *Leodiensem*, & alacrem me rederem amicis *Brabanticis*. Quæ convivia, quas gratulationes, quas confabulationes mihi promittebam? Decreveram, si vernasset autumnus, *Angliam* adire, & quod Rex jam toties offert, accipere. Sed ô fallaces mortalium spes! ô subitas & inopinatas rerum humanarum vices! E tantis felicitatum somniis in extremum exitium præcipitatus sum. Jam in posterum diem erat conducta biga. Comes nolens mihi ante noctem valedicere, prædicavit se ante abitum mane visurum me. Ea nocte sæva quædam venti tempestas coorta est, quæ & ante diem proximum præcesserat. Ego nihilo secius surgo post noctis medium, annoraturus quædam Comiti. Cumque jam esset hora septima, nec prodiret Comes, jubeo illum excitari. Venit, & ut est modestissimo pudore præditus, rogat, num esset sententia discedere cœlo tam incommodo, se mihi timere. Ibi, mi *Beate*, *Jupiter* nescio quis, aut malus genius, non dimidium mentis, ut ait *Hesiodus*, sed totam mentem adēmit: nam dimidium mentis ademerat, cum *Colonia* me committerem. Atque utinam aut ille acrius amicum commonuisset, aut ego verecundis, sed amicissimis monitis obsequentior fuissem. Rapit me fati vis. Quid enim aliud dicam?

* Id est, 5. Aprilis, ubi hæc Epistola est reponenda.

Con-

Digitized by Google

KONINKLIJKE
BIBLIOTHEEK

Digitized by Google

Digitized by Google

An. 1518. Conscendo bigam non tectam, flante vento quantus altis montibus frangit trementes ilices. Auster erat, neque quicquam præter meras pestes spirabat. Ego mihi vestibus probe tectus videbar, sed ille violentia sua nihil non penetrabat. Successit sub noctem pluviola, vento suo pestilentior: venio *Aquisgranum* lassulus ob quassationem bigæ, quæ mihi in via saxis constrata tam erat gravis, ut equo quamlibet claudo maluerim insidere. Hic per Canonicum quendam, cui me Comes commendarat, rapior è diversorio, ad ædes cantoris. Ibi ex more convivium agitabant aliquot Canonici. Mihi prandium tenuissimum acuerat stomachum: sed apud hos tum nihil erat præter carpas, easque frigidas. Expleo me. Cum in multam noctem, nam serius accubuerant, cœna proferretur fabulis, ego petita venia cubitum abeo, quod proxima nocte minimum dormieram. Postridie pertrahor ad ædes Vicepræpositi: nam ad illum redibat periodus. Ibi cum præter anguillam nihil esset piscium, nimirum tempestas fuerat in culpa, cum ipse sit alioqui splendidus convivator; expleo me pisce durato ventis, quem à baculo, quo contunditur, *Germani* vocant: nam eo alioqui satis delector: sed comperi partem hujus adhuc crudam fuisse. A prandio, quoniam cœlum erat pestilentissimum, in diversorium me confero. Jubeo excitari foculum. Confabulatur mecum Canonicus ille vir humanissimus ferme sesquihoram. Mihi interim oboritur nonnullum stomachi tædium, quod cum perseveraret, dimisso eo, latrinam adeo, dejicio alvum. Ac nondum levato stomacho, digitum in os injicio semel atque iterum: prodit piscis ille crudus, neque quicquam præter eum rejicitur. A vomitu decumbens, non tam dormio quam acquiesco, nullo capitis aut corporis dolore: deinde pactus cum auriga de manticis, rursus invitor ad cœnam. Excuso, non proficio. Sciebam stomachum præter tepidas sorbitiunculas, nihil admissurum. Nam idem acciderat *Basileæ*, cum nocte quadam, non ferens ob incidentem pituitam stomachi cruciatum, simili modo eum levassem. Mensis erat, priusquam stomachus cum cibis in gratiam redire potuit. Apparatus tum erat prælautus, sed mihi frustra. Ubi confovissem stomachum sorbitiuncula, domum me confero: dormiebam enim apud cantorem. Egredior, ibi corpus inane mire ad nocturnum cœlum inhorruit. Nox gravis fuit. Postridie mane rursus hausta cervisiola tepida cum paucis micis panis, equum conscendo morbidum & claudum, quo fuit incommodior equitatio. Jam sic affectus eram, ut magis conveniret lecto confoveri, quam equo insidere. Sed ea regio non parum habet rusticitatis, commoditatis aut elegantiæ minimum, & illic mihi ne valere quidem satis esset commodum, nedum ægrotare: quo magis libebat effugere. Latronum periculum, nam ibi summum erat, aut certe metum extrudit morbi molestia. Jam tum cum essem *Basileæ*, dum ex more scalpo partes inguini vicinas, ad provocandam alvum, acriori scalptu sub coxa læva summam cutem perstrinxeram ungui. Idem accidit in inguine dextro, sed hinc neque dolor ullus, neque exulceratio. Id quod erat sub læva coxa bidui equitatione, qua *Argentorato Spiram* perveni, leviter exulceratum fuit, sed ita ut non sentiretur, nisi insedissem vehementius. Hoc malum hac posteriore equitatione sic exacerbatum est, quoniam ea parte premebam equum, ut totus ille locus incalesceret. Præterea quod erat in lævo inguine modice intumuit, sed glande, quæ cum pelle circumageretur, citraque cruciatum. Ad hæc in sinistro inguine summo subortum erat paulatim augescens tuber quoddam durum, sed absque dolore, & sine exulceratione. Equitabam autem iis partibus parum à vento defensis. Confectis eo cursu quatuor passuum millibus perventum est ad *Mosæ* trajectum. Illic sorbitiuncula utcunque confoto stomacho, rursus inscensis equis *Tongros* adeo: id oppidum abest tribus millibus passuum. Hæc postrema equitatio mihi longe gravissima fuit. Incommodus incessus equi mire torquebat renes. Tolerabilius ambulabam pedibus, sed metuebam sudorem, & periculum erat ne nox in agris nos occupasset: itaque incredibili totius corporis cruciatu, præcipue renum & epatis, *Tongros* pervenio. Jam ob inediam ac laborem inediæ additum, omnes corporis nervi defecerant: adeo ut nec firmus esset status, aut incessus. Lingua, nam ea valebat, dissimulabam morbi magnitudinem. Hic cervisiaria sorbitiuncula foto stomacho, cubitum eo. Mane jubeo conduci bigam tectam. Mihi visum est, ob silices equo insidere, donec ad terrenam viam esset ventum. Conscendo majorem equum, quod is commodius iret per saxa & pedibus certioribus. Vix conscenderam, contactus cœlo frigido, sentio oboriri glaucoma, posco pallium. Sed mox syncopis successit. Vel manu contacta poteram excitari. Ibi meus *Joannes* cum cæteris adstantibus passi sunt in equo sedentem mea sponte expergisci. Experrectus bigam adscendo. Paulo post sentio moveri alvum, descendo, exonero, & rediit color & alacritas aliqua. Jam eramus vicini oppido divi *Trudonis*. Rursus inscendo equum, ne biga vectus viderer ægrotus. Rursus cœlo vespertino offensus, nauseo, sed citra syncopim. Offero duplum precium bigario, ut me postridie vehat usque ad *Tenas*: id oppidum abest à *Tongris* tribus m. pass. Accipit conditionem. Hic hospes mihi notus narrat, quam graviter tulerit Episcopus *Leodiensis*, quod se insalutato discessissem *Basileam* petens. Confoto stomacho sorbitiuncula eo cubitum. Nox erat gravissima, præsertim ob cruciatum ulceris, quod erat in læva coxa, adeo stimulabat sanguis ibi corruptus & concretus. Hic forte quadrigam nactus, quæ *Lovanium* peteret, aberat autem sex m. pass. in eam me conjicio: incredibili molestia vectus sum, ac pene intolerabili, sed tamen eo die ad horam septimam pervenimus *Lovanium*. Non erat sententia petere meum cubiculum, vel quod suspicarer illic frigere omnia, vel quod nollem committere, ne si pestis rumor ex me fuisset ortus, Collegii commodis aliquo pacto officerem. Ad *Theodoricum* Typographum diverto, amicum tam sincerum, ut vel hoc uno beatus sim futurus, si res animo responderet. Ea nocte eruperat inscio me maximum ulcus, jamque dolor conquieverat. Postridie accerso Chirurgum. Apponit malagmata. Jam tertium ulcus accesserat in tergo, quod minister fecerat *Tongris*, dum ob renum dolorem ungens me oleo rosaceo, digito calloso durius fricat costam quandam. Id post exulceratum est. Tumebat & glans sub dextera mamilla mobilis, verum, ea citra exulcerationem sua sponte sensim evanuit. Abiens Chirurgus clam dicit *Theodorico* & famulo, pestem esse: missurum quidem malagmata se, non venturum autem ipsum ad me. Mitto lotium ad Medicos, negant quicquam esse morbi: rursum alios consulo, idem affirmant. Accerso *Hebræum*, is optabat tale corpus suum, quale meum esset teste lotio. Cum non rediret uno atque altero die Chirurgus, rogo *Theodoricum* quid sit in causa. Excusat ille nescio quid. At ego rem suspicans, quid, inquam, num judicat esse pestem? Hoc ipsum, inquit, constanter affirmat, tres esse carbunculos. Risi satis, nec ullam pestis imaginationem demitto in animum. Post dies aliquot venit Chirurgi pater, inspicit, idem judicat, & in os asseverat, germanam esse pestem? Nec sic quidem mihi persuaderi potuit. Accerso clam alterum Chirurgum magni nominis. Inspicit, is vero, ut erat homo rusticior, Non vererer, inquit, tecum cubare; &, si mulier esses, rem quoque tecum habere: idem sentiebat *Hebræus*. Accerso Medicum quendam, cui plurimum tribuunt *Lovanii*: nam hic bonos esse Medicos, admodum est rarum. Rogo nunquid mali portenderet urina, negat. Narro de ulceribus, addens argumenta, quibus colligerem, non esse pestem; Ulcera non erant nova, neque sponte nata. Glandes ambulabant initio; quæ in lævo erat inguine, semper. Nulla febris, nullus insignis capitis dolor, nisi ob



Digitized by Google

An. 1518. jactationem, nulla somnolentia, palatum perpetuo saniſſimum: vomitus erat non obortus, ſed provocatus, nec quicquam ejectum præter piſcem, eo exoneratus quievit ſtomachus: quod deinde cibum reſpuebat, peculiare eſt. Nullum ſignum peſtis habebat lotium. Cætera ſat fortiter audierat. At ſimulatque ulcerum mentio facta eſt, ſenſi hominem pertimeſcere. Do Medico coronatum aureum, pollicitus eſt ſe poſt prandium ad me rediturum. Is territus ex oratione, mittit miniſtrum. Rejicio: & iratus Medicis, *Chriſto* Medico me commendo. Stomachus intra triduum reſtitutus eſt, hauſto pullo gallinaceo contuſo, & cyatho vini *Belnenſis*. Hic protinus ad ſtudii quoque laborem reverſus, abſolvo quod deerat in Novo Teſtamento. Poſt ſeptemdecim dies excidit ex ulceribus caro nigra, ac emortua, quod Chirurgi futurum prædixerant: glans illa, quæ erat in inguine ſiniſtro, jam intumuerat, citra dolorem tamen, magno meo metu: cœpit enim animum meum ridicula quædam ſuſpicio, ſed utinam falſa: hoc mali accidiſſe ex contactu equi mei. Excuſſi enim ſemel atque iterum muſcas inſidentes ulceri, manu nuda: deinde forte tractavi ea loca corporis mei, vel dum reddo lotium, vel dum induſium repono. Verum, hic conſtanter me jubet animo ſecuro eſſe Chirurgus. Nunc mollior eſt tumor & humilior aliquanto, ſed tamen locum nondum mutat. Ulcera ſunt extra periculum, glans illa in dextro pectore ſua ſponte evaneſcit. Apud *Theodoricum* curatus fere quatuor hebdomadis, in cubiculum meum remigravi. Semel duntaxat ad proximum templum exii ſacri gratia, nondum ſat firmis viribus. Si peſtis fuit, peſtem eam labore, & incommoditate, animique robore depuli. Quando ſæpenumero magna morbi pars eſt, morbi imaginatio. Ab adventu protinus edixeram, ne quis me adiret, niſi nominatim accitus, ne vel ego cuiquam eſſem terrori, vel mihi quiſpiam officio ſuo moleſtus: tamen irrupit *Derpius* omnium primus, mox *Atenſis*, *Marcus Laurinus*, & *Paſchaſius Berſelius*, qui quotidie aderant, mihi bonam morbi partem ademerunt mellitiſſima conſuetudine ſua. Mi *Beate*, quis crederet hoc corpuſculum exile, delicatum, atque etiam ætate jam imbecillius, poſt tot itinerum labores, poſt tot ſtudiorum ſudores, tot etiam morbis ſuffecturum? Scis enim quam graviter paulo ante laborarim *Baſileæ*, idque non ſemel. Nonnulla ſuſpicio tangebat animum meum, eum annum mihi fore fatalem, adeo malo malum ſuccedebat, ſemperque gravius. Ego vero tum etiam cum maxime morbus urgeret, ſic eram affectus, ut nec vitæ deſiderio cruciarer, nec mortis metu trepidarem. In uno *Chriſto* tota ſpes erat, à quo nihil aliud precabar, niſi ut daret, quod mihi ſaluberrimum eſſe judicaret. Juvenis olim, ut memini, ad nomen etiam mortis ſolebam inhorreſcere. Hoc certe profeci acceſſione ætatis, mortem leviter metuo, neque metior hominis felicitatem longævitate. Annum exceſſi quinquageſimum, ad quem cum ex tam multis tam pauci perveniant, jure queri non poſſum me parum diu vixiſſe: deinde, ſi quid hoc ad rem pertinet, jam nunc paratum eſt monimentum: quo poſteris teſter me vixiſſe. Et fortaſſis à rogo, quemadmodum Poetæ loquuntur, ut conſileſcet livor, ita magis eluceſcet gloria: quanquam non convenit ut *Chriſtianum* pectus tangat humana gloria: utinam ea contingat gloria ut *Chriſto* probemur. Bene vale, *Beate* chariſſime. Cætera cognoſces ex literis ad *Capitonem*. *Lovanio*, Anno 1518.

## EPISTOLA CCCLVIII.

*Eraſmus cuidam Obtrectatori* S. D.

QUOMODO ſis abuſus lingua tua ante inſtauratam concordiam non me clam fuit, ſed poſt pactam omnium ſuperiorum oblivionem, audio te convivia tua ſingula condire virulentiſſimis obtrectationibus in fortunam, ac vitam, famamque meam. Ut ſim is, in quem iſta merito dicantur, tamen non ignoras quam fœdum ſit ulciſci ſeſe obtrectatrice lingua, idque in conviviis, & interim præbere perniciosum exemplum tuis convictoribus, præſertim in re, in qua nihil intelligis. Præſtabat, dum iſta garris, evolvere *Hippocratis* canones, ut haberes quod reſpondeas ægrotis conſultoribus. Scio iſtam ſuſpicionem natam ex epiſtolis duabus, peſſime intellectis: quod facile docebo, ſi cui ſit ſanum cerebrum. Quid autem agas cum furioſis? Sed hæc explicare ſit prolixius, ut paucis dicam, ſi ab iſta virulentia linguæ temperaris, rectius conſules dignitati tuæ. Ego permulta paſſus ſum, ne quid tumultus mea cauſa naſceretur, & adhuc pacem inſtauratam mordicus teneo. Ego *Lutherum* nec accuſo, nec defendo. Sic eſſe res ipſa docebit. Quare nolim me horum negotiis admiſceri. Et id demonſtrabo veris ac ſolidis argumentis. Quod ſi tu perges iſta petulantia famam meam inceſſere, vide ne mea quoque lenitas victa, efficiat ut tu poſt mille annos inter virulentos ſycophantas, inter glorioſos nebulones, inter malos Medicos decanteris. Sed abſit ut hoc eveniat. Mihi *Chriſtiana* magis placent, & ad ea te provoco. Bene vale. *Lovanio*, Anno 1518.

## EPISTOLA CCCLIX.

*Eraſmus Roterod. Germano Brixio* S. D.

EPISTOLA tua, mi *Brixi*, non ſimplicem mihi voluptatem attulit. Nam primum, ſuaviſſimæ conſuetudinis, quæ mihi tecum fuit *Venetiæ*, mox *Patavii*, memoriam mihi magna cum voluptate renovavit. Deinde, declarat, te non ſolum incolumi eſſe valetudine, verum etiam fortunis auctum, ac dignitate: qua re quid nunciari poterat optatius? Poſtremo, palam arguit, quam tecum ipſe feliciter certaris: id videlicet agens, ut cum jam olim vena carminis eſſes feliciſſima, parem in oratione proſa facultatem obtineres. Quod attinet ad laudes, quas tu ζῶν ἀμφοῖν in me congeris, facile boni conſulo, ſi modo tam amas immodice, quam non modice prædicas. Tametſi ne quid mentiar, eximii Præſulis *Stephani Poncherii*, *Franciſci Deloini*, *Guilielmi Budæi* laudes, non paulo majore cum voluptate legi quam meas. Me vero dum doces, quantum debeam Epiſcopi ſtudio, quantum literarum proceribus *Deloino* & *Budeo*: gratum eſt, quod officii quoque mei me commonefacias. Cæterum, quo prolixius me laudant iſti, hoc magis deterrent ab adeunda *Gallia*. Nam quî auſim venire tam onuſtus, ut iſtis tam magnificis præconiis ſcirem eſſe reſpondendum? Mihi ſemper arriſit *Gallia*: neque clam eſt, quam hic inviſæ ſint bonæ literæ, τυφογνωμόνων Μοναχῶν ἴλιγγι ψολοσωνύμων καὶ μαλαισολόγων, qui facile *Paphlagonibus*, ac *Midæ* imponunt. Sed adhuc neſcio quibus compedibus me meus alligat genius. Ampliſſima ſunt, fateor, quæ mihi liberaliſſimi Regis nomine deferuntur: apud me tamen plus habet momenti tam inſignium virorum familiaritas, quam regium auctoramentum: quandoquidem & hanc veſtro nomine pro ſe quiſque pollicemini. Fortunam iſtam iterum atque iterum tibi gratulor tam amplam, ut putes utrique ſuffecturam: quandoquidem invitas ad ejus conſortium. Rumuſculus quidam, incertum quo auctore natus, apud nos ſparſit, te offenſum epigrammatis *Thomæ Mori*, neſcio quid moliri dentati libelli adverſus illum. Id nequaquam facies, eruditiſſime *Brixi*, ſi quid omnino audies *Eraſmum*. Neque tamen iſtuc perinde illius cauſa nolim, quam tua. Si *Morum* penitus noſſes, fatereris nihil uſquam gentium eſſe dignius tuo amore. Cur læſit? inquies. Non ſcripſit illa in *Brixium*, quem non norat, ſcripſit in *Gallum*, & ſcripſit in medio bello. Nunc æquum eſt, harum rerum memoriam, poſt arctiſſimam pacem inter duos populos initam, penitus inter vos aboleri. Expedit autem & publico bonarum literarum nomine, harum myſtas inter ſeſe συγχορτίζειν, poſteaquam tam odioſe conſpirant οἱ μισόμουσοι. Poſtremo,

Digitized by Google

An. 1518. mo, nolim eos inter se dissentire, quorum utrunque pari complector amore. Hic scio, clamabis me plusquam *Diomedem* agere, qui tam prolixae epistolae, tamque disertae, tribus versibus, iisque inconditis respondeam: sed æquior eris nobis sat scio, si cogites mihi cum maximis voluminibus rem esse, sique reputes, unus quam multis respondeam quotidie. Bene vale. *Lovanio*, Anno 1518.

## EPISTOLA CCCLX.

*Erasmus Rot. Caspari Velio* S. D.

PARVM videlicet erat tibi, *Veli* doctissime, nos sane quam eleganti, sed tamen mendaciſſimo carmine celebrasse, nisi insuper & epistolam adderes Panegyrico simillimam. Nec hoc contentus carmen adjungis heroicum, tam sublime, tam grandiloquum, ut ad hoc collata *Lucani* tuba, lyra videri possit. Primi carminis evulgati est cur me pudeat, non est cur te pœniteat. Neque sinam *Bartholinum* hoc nomine per te vocari in jus. Nihil hujus viri judicio non tribuo. Atque is tibi tantum tribuit apud me, quantum alii nostratis hujus orbis nemini. Non censuit ille committendum, ut carmen tam felix premeretur *. Favebam & ipse, fateor, editioni: sed obstabat pudor, ac metus quidam, ne non tam ingenio tuo quam laudibus meis delectatus viderer. Haud quaquam tamen ingratum fuit, exstitisse qui scrupulum hunc discuteret. Epistola tua declarat te in utroque genere, pari pene felicitate, exercitatum fuisse, quæ res pauciſſimis adhuc mortalium successit. Porro carmen heroicum legenti venit in mentem *Homeri* Βατραχομυομαχία, quæ tragicis verbis rem maxime ridiculam prosequitur. Atque hoc impensius sum admiratus ingenium tuum, quo sterilius est argumentum. Sed tamen ne sic abs te decantatus, nihil omnino præmii dicar retulisse, moneo, mi *Veli*, ut posthac istam longe feliciſſimam ingenii tui venam, in felicioribus materiis exerceas. Gratulor tibi talem patronum, & illi te viciſſim gratulor, vel amicum, vel præceptorem: ejus eruditiſſimis literis, incondito epistolio respondi. Non me fugit, quam id sit inhumanum atque impudens. Sed quid facias? Tantis studiorum obruor laboribus, & innumerabilium epistolis sic undique provocor, ut singulis respondere non queam, fortasſis paria facturus, si cum paucis mihi res esset, etiamsi *Herculem* non puduit duobus cedere. Bene vale, *Veli* chariſſime. *Lovanio*, Anno 1518.

## EPISTOLA CCCLXI.

*Erasmus Rot. Henrico Glareano* S. D.

LITERAS tuas, *Basilea* huc allatas, reddidit mihi *Hieronymus Frobenius*. De amore in te meo nihil remisi, etiamsi de hujus corpusculi vigore quotidie aliquid decerpit, quum ætas, tum studiorum semper increscens labor, sed multo maxime tædium, quod nobis adferunt isti rabulæ, adversus bonas literas, adversus sinceram pietatem conjurati. *Joannis Lascaris* consuetudinem tibi profecto gratulor; non est ille sui dissimilis, semper candidiſſime favit bonæ spei ingeniis. Utinam eum virum Deus juvandis optimis studiis quam diutiſſime superstitem esse velit. Tu fac, mi *Glareane*, te modis omnibus instruas, ut nobis, mox lampadem trasituris, ita succedas, ut nomen *Erasmi* prorsus obscures. Bene vale. Saluta *Cyprianum Taleam*, *Nicolaum Beraldum*, *Hermannum Frisium*, ac cæteros, qui nobis isthic bene volunt. *Lovanio*, Anno 1518.

## EPISTOLA CCCLXII.

*Erasmus Rot. clariſſimo Ægidio, Catholici Regis à rationibus*, S. D.

QVOT ornamenta in uno perdidimus homine? Facile divino, quo tu animo mortem germani feras, cum universus bonorum atque eruditorum chorus unice doleat. Sed quid prosunt inanes querelæ, quid inutiles lachrymæ? Huc nascimur omnes. In Epitaphiis, nec illius meritis, nec meo animo satisfeci. Lacessivi Musas, sed frustra. Tot jam annos versor in hoc genere studiorum, quod ab amœnioribus illis literis est alieniſſimum. Vereor aures tuas longe terſiſſimas. Sed tamen obsecutus sum animo vestro, ne viderer usquam deesse *Buslidiano* nomini: si non placent, retentabimus, si qua Musarum tandem adesse dignetur: neque tamen dubito, quin omnes, quibus bonæ literæ cordi sunt, hunc unicum studiorum patronum, pro sua quisque portione, sint immortalitate commendaturi. De collegio instituendo cave te patiaris abduci à sententia. Mihi crede, res ea cum omni studiorum generi supra quam dici possit, conducet, tum *Buslidiano* nomini, jam per se multis modis illustri, non mediocrem decoris ac lucis accessionem adjunget. Bene vale. *Lovanio*, Anno 1518. An. 1518.

*Epitaphium ad pictam imaginem clariſſimi viri* Hieronymi Buslidii, *Præpositi* Arienſis, *& Consiliarii Regis Catholici, fratris reverendiſſimi Patris, ac domini* Franciſci *Archiepiscopi quondam* Besontini, *qui* Lovanii *magnis impendiis instituit Collegium, in quo publice tres linguæ doceantur*, Hebraica, Græca, Latina.

### IAMBOI TPIMETPOI.

Ὅτλιὸ ἦ χεάψας σώμαθ' μορφὴν καλῶς,
Ὦ φελες ἄγαλμα ζωγεάφειν ἢ τῦ νόος.
Ἐσιδεῖν ἂν εἴη πίναξ ἐν μιᾶς πέδῳ,
Ἀρετῶν ἁπασῶν ἐφεδρὸν ἐγγύθεν χορόν.
Τὴν δισέβειαν τλιὸ ἱεροπρεπῆ πάνυ,
Τὴν σεμνότητα, τλιώ τε σωφρωσυνίλιν ἅμα,
Τὴν χρηστότητα, τλιώ τε παιδείαν καλήν.
Καὶ ταῦτα πάντα μόνθ' ὑπῆρχ' ἑρώνυμθ
Ὁ Βυσλεδιαιῆς οἰκίας στέλας μέγα.

### TROCHAICI TETRAMETRI.

NOMINIS Buslediani *proximum primo decus*,
*Itane nos orbas, virenti raptus ævo*, Hieronyme?
*Literæ, genus, senatus, aula, plebs, ecclesia,*
*Aut suum sydus requirunt, aut patronum flagitant.*
*Nescit interire, quisquis vitam honeste finiit.*
*Fama virtutum perennis vivet usque posteris.*
*Eruditio trilinguis, triplici facundia*
*Te loquetur, cujus opibus restituta, restoruit.*

## EPISTOLA CCCLXIII.

*Erasmus Roterodamus Guilielmo Latimero* S. D.

VT lubens in tuis ad me literis, doctiſſime *Latimere*, suaviſſimum istum ingenii tui candorem, ac pudorem plusquam virgineum, cum *Christiana* prudentia conjunctum agnovi! Nullius nomen attingis, nisi cum laude. Quanta vero in laudando prudentia! Jam cum in aliorum dotibus prædicandis tam non parcus sis ac malignus, quam ipse tibi nihil sumis. Cæterum, in excusando officio, malebam te non perinde disertum esse. Nam cum ego mihi viderer multum argumentorum haud levium collegisse, quo tibi persuaderem, ut in Novo Testamento recognoscendo nobis suppetias ferre velles. Deinde, ut incomparabili Præsuli *Græcas* literas ceu *Colophonem* quendam absolutiſſimæ suæ doctrinæ cupienti adjungere, vel menstruam operam largireris, utroque publicæ studiorum utilitati consulturus, tu tam densis & confertis argumentorum agminibus me premis, ut prorsus intellexerim, quam es-

* Editum est supra pag. 223.



Digitized by Google

An. 1518. sem infans ac jejunus ad te collatus. Sed tamen, optime *Latimere*, facile patiar, ut hic eloquentiæ palmam auferas, modo viciſſim per te nobis liceat auferre officium quod flagitamus, quod quidem hoc erit gratius, ſi non extortum argumentis, ſed ultro meraque animi propenſione donatum videbitur. Ac de me quidem tandem polliceris propemodum, & accipio promiſſum, etiamſi vereor, ne iſtæ copiæ nihilo plus nobis ſint opitulaturæ, quam olim *Rheſi Trojanis*. Jamdudum enim exemplar flagitat officina *Frobeniana*. Porro, quod ad Epiſcopum *Roffenſem* attinet, magis etiam abs te diſſentio. Satius eſſe ducis omnino non tentare negotium, ni cœptum abſolvas. Mones ut accerſatur ex *Italia Græcanica* literaturæ inſigniter peritus, qui non relinquat Epiſcopum, niſi provectum & adultum in hoc ſtudiorum genere. Sed iſta, mi *Latimere*, quoniam optare magis licebat, quam efficere, placuit illud Comœdiæ, *ὡς δυνάμεθα*. Procul abeſt *Italia*, quæ nunc aliquanto pauciores habet in literis inſignes, quam habebat, cum tu illic ageres. Et periculum erat, ne pro accerſito inſigni, veniat ardelio quiſpiam. Nec ignoras *Italorum* ingenium quam immenſo præmio conduci poſtulent, ut ad Barbaros demigrent, etiam hi qui mediocres ſunt. Ut ne dicam interim, quod qui bonis literis inſtructi veniunt, mores nonnunquam non perinde bonos ſecum adferant. Et noſti Præſulis integritatem. Itaque fit, ut dum diſpicimus, quis potiſſimum ſit accerſendus, dum de præſtituendo ſalario hinc atque hinc conſultatur, dum adornatur iter, bona pars temporis effluat. Scio prudenter ac vere dictum, *Antequam incipias conſulta opus eſſe, ubi conſulueris, mature faciendum quod ſtatueris*: ſed video multos nihil aliud quam conſultare, ut jam ſerum ſit exſequi quod tandem decreverint. Quemadmodum quibuſdam dum conſultant, velint ne uxorem ducere, deinde quam velint è multis deligere, furtim avolans ætas, prius fit inidonea matrimonio, quam poſſint aliquid certi decernere. Neque vero ſuſpicari libet, te confinem eſſe vulgarium quorundam affectui; qui nihil mirantur, niſi quod è longinquo petitum ſit. Mihi *Italus* eſt, quiſquis probe doctus eſt, etiamſi ſit apud *Juvernos* natus. Mihi *Græcus* eſt, quiſquis in *Græcis* Auctoribus diligenter ac feliciter verſatus eſt, etiamſi barbam non habeat. Equidem faveo gloriæ *Italiæ*, vel ob hoc ipſum, quod hanc æquiorem experiar in me, quam ipſam patriam: ſed ut ingenue dicam quod ſentio, ſi mihi contingat *Linacrus* aut *Tonſtallus* præceptor, nam de te nihil dicam, non deſiderarim *Italiam*. Proinde etiam atque etiam vide, primum, ne parum conſultum ſit, quod domi eſt, rogare foris; deinde, rem mediocrem qua ſit opus adſpernari, propterea quod ſumma non contingant; aut ſortem qualemcunque rejicere, ni quis de ampliſſima uſura fidejubeat. Ipſe *Grocinus*, cujus exemplum adfers, nonne primum in *Anglia Græcæ* linguæ rudimenta didicit? Poſt in *Italiam* profectus audivit ſummos viros, ſed interim lucro fuit illa prius à qualibuſcunque didiciſſe. Eximiis ingeniis, ſæpe vel viam indicaſſe maximus profectus eſt. Illud mihi tecum convenit, in primis optandum, ut elementa quoque prima diſcantur ab artifice ſummo, ſi modo liceat. Verum, ſi id non datur, præſtat utcunque cœpiſſe, quam plane rudem manere, præſertim in hoc genere. Nonnihil eſt negotii, ut prompte noſcites elementorum figuras, ut expedite pronuncies, ut declines, ut conjuges. An nihil egiſſe videtur, qui hoc tædii devoravit? Atque ita menſtruam operam abs te petimus, ut taciti ſperemus trimeſtrem, etiamſi pudor eſt flagitare. Quod ſi minus continget, bona ſpes habet nos, interim aliunde exoriturum, qui fundamentis abs te jactis ſuperſtruat. Ea ſpes ſi maxime nos falſos habuerit, tamen ea eſt ingenii vis, is ardor diſcendi, ut fiducia ſit illum ſuis præſidiis certe ad mediocritatem eluctaturum. Et fortaſſis ille mediocritate contentus eſt, quippe qui non ob aliud ambit *Græcas* literas, niſi ut majore cum fructu certioreque judicio verſetur in ſacris Libris. Denique, ut nihil horum contingat, quid fuerit diſpendii? Ut minimum profuerit Epiſcopi ſtudiis, tamen non minimum profuerit ad exſtimulandos juvenum animos, tam eximium virum amplecti *Græcitatem*. Jam cum in omni diſciplinarum genere refert, ut mature initieris, tum hic peculiariter me hortatur ætas Præſulis, ne recraſtinetur negotium. Finem faciam, illud unum ſi te monuero, ne pudor iſte tuus immodicus, modeſtiaque pene dixerim immodeſta, nonnihil avocet à juvandis ſtudiis publicis. Quidam mei ſimiles plus ſatis audent, ſed nondum mihi liquet utri magis peccent, hi qui nihil aggrediuntur, ne quid peccent, an qui dum inconſultius prodeſſe ſtudent, labuntur alicubi. Alteri multa præclara docent, quanquam non omnia ſuccedant ex ſententia; deinde, ſuo ſtudio aliorum excitant, acuuntque ſtudium. Alteri dum quod habent, habent ſibi, magis mea ſententia reprehendendi ſunt, quam infames avari, pecuniarum cuſtodes verius quam domini. Siquidem ab illis congeſtam pecuniam, ſi nihil aliud, certe mors transfert in uſum aliorum: ab illorum rogo nihil redit ad hæredem, niſi ſuas cogitationes literis mandarint. Id vereor, mi *Guilielme*, ne quando noſtro eveniat *Grocino*, ſed idem in te nolim accidere. Bene vale, vir optime ſimul ac doctiſſime, & quod pollicitus es, matura. *Antuerpiæ*, Anno 1518. An. 1518.

## EPISTOLA CCCLXIV.

*Eraſmus Rotered. Thomæ Moro* S. D.

CAETERIS ægroto, tibi uni bene valeo. Gratia ſuperis, reverſus ſum incolumis *Antuerpiam* tertio Calend. Junias. Deliberatum erat iter facere per *Lotharingiam:* jamque ad montem Cæſaris, oppidum in Alpibus ſitum, perveneram. Verum, ubi viderem paſſim militum greges, ruſticos paſſim ex agris in oppida commigrare, & rumor eſſet adventare manum ingentem, verti conſilium, & periculum non effugi, ſed mutavi. *Colonia* nactus ſum Oratores *Italos*, quibus adjuncti, confecimus fere equites octoginta. Nec hoc numero ſine periculo fecimus iter. Epiſcopus *Baſileenſis*, vir admodum natu grandis, integer & eruditus, dictu mirum qua me ſit humanitate proſecutus, homo alioqui multorum conſenſu non admodum benignus: nam hunc nævum reperiunt in tam formoſo corpore. Invitavit, complexus eſt, ornavit teſtimonio vocis ſuæ, obtulit pecuniam, fortunam, donavit equum, quem vix portam egreſſus, ſtatim quinquaginta florenis aureis vendere potui. Paraverat poculum argenteum, verum, aurifaber illi verba dederat, id quod indigne tulit. Eloqui vix poſſum, quantopere mihi placeat hoc cœlum *Baſileenſe*, quantopere genus hominum: nihil illis amicius, nihil ſincerius. Quot me comitabantur equis abeuntem, quibus lachrymis dimiſerunt? Quanquam & aliunde conditiones non inhoneſtæ offerebantur. Unam epiſtolam miſi, ex qua poteris conjicere me non omnino fingere. Novum Teſtamentum & ab iis probatur, quos arbitrabar maxime calumniaturos: Primariis Theologis vehementer placet. *Enchiridion* illud exoſculantur omnes. Id Epiſcopus *Baſileenſis* ſemper circumfert. Vidi margines omnes ipſius manu depictas. Sed deſino hæc, ne glorioſulus videar. Quanquam apud *Morum* non verear vel ineptire. Sed *τοσούτοις βάρεσι πιέζομαι*, ut non liceat *ἀναπνεῦσαι*. Unam aut alteram fortunæ plagam utcunque ferat aliquis, *ἀλλὰ πανταχόθεν δυσυχῶ*. Quam difficile eſt ſapere, quibus adverſatur *Rhamnuſia?* Et tamen animo *Herculano* me fulcio ſuſtineoque. Placuit epiſtola, quam *Antuerpiam* reverſo reddidit *Petrus Ægidius*. De *Ruffo* demiror, quid homini venerit in mentem, ejuſmodi nugari nugas: depoſui apud hominem centum & viginti angelatos eximios, pro his ſyngrapham tradidit: tamen ea res citra periculum ullum confici poterit. Scripſi *Cantuarienſi* per hunc tabellionem, mihi redditam eam pecuniam opera *Ruffi*. Is huic tradat chirographum ſuum, per quod

Digitized by Google

An. 1518. quod possim in his regionibus accipere pecuniam; eo apud te depositio, recipiat ab Archiepiscopo pecuniam. Id si parum probatur, fac ipse recipias eam pecuniam, & scribe tuis ut hic mihi restituant: simulque mihi syngrapham mittito, per quam eam reposcam: nam literas ad *Cantuariensem* sic temperabo, ut utrunque liceat. Submonuit hic *Petrus* unoculus, optimum esse committere pecuniam negociatori cuipiam *Germano*, per cujus syngraphum *Antuerpiæ* recipiam. Proinde scribam, ut tibi tradat pecuniam, per me mox ad te venturam. Mire mihi placuit illa tua ad me epistola, testis animi in nos tui: præterea declarans te proficere dicendi virtutibus. *Apologiam* pro me tuam nondum totam legi, ex qua intelligo quid *Martinus Dorpius* scripserat. Admiror quid homini venerit in mentem. Sed tales reddit hæc Theologia. Cancellarium salutavi. Aderat forte fortuna tum in cœna Præpositus ille *Cassiletanus*, vir juxta doctus, atque humanus. Adest & Episcopus *Theatinus*. Et dum hæc scriberem, exspectabatur *Tonstallus*, quo salutato *Montjojum* conveniam, & Abbatem: apud hos tantisper tempus ducam, dum hic monophthalmus huc se recipiat. Mox cum Principe agam: si sensero frigere negotium, ut est hujus regionis erga literas ingenium, recta *Basileam* nisi si quid tu dissentis. Scribito de singulis diligenter, si quid est, quod ad rem meam pertinet. Si *Pacæus* adest, admone ut per hunc remittat omnes commentariolos meos, quos apud illum deposui *Ferrariæ*. Conveni Episcopum *Theatinum*, cumque eo cœnavi. Is toto pectore nos amat, ac miratur: agit apud *Carolum* Principem, comitaturus eum in *Hispaniam*. Hodie cœnavi apud *Tonstallum*, ut compendio dicam, tui simillimum. Cura ut reviviscas, nam audio te periculose laborare. *Bruxellis*, Anno 1518.

## EPISTOLA CCCLXV.

*Erasmus Roterod. Petro Ægidio* S. D.

DEMIROR quid illi furcifero meo venerit in mentem, ut isthinc tam subito discesserit: nam eodem die scripseram ex *Mechlinia*, quid fieri vellem. Obambularat animi causa nebulo, isthinc *Mechliniam*, inde *Bruxellam*, indè *Lovanium*, illinc demum in *Diest*, post mensem huc pervenit, perditis vestibus, & consumptis decem aureis, itaque abjeci portentum. Cura ut hæc epistola reddatur Cancellario, quam tuæ adjunxi. Edidimus aliquot epistolas, & inter has illam, qua *Dorpio* satisfacimus; & illius epistolam adjuncturi, si ministro commisisses, uti jusseram. Libellum adferet bibliopola. Excusum est *Enchiridium*, additis aliis quibusdam. Novum Testamentum cœptum erat, sed rursus intermissum ob inopiam castigatoris: simulatque vel paululum dabitur otii, tuum edemus *Epithalamium*. Sedebimus hic usque ad mensem Novembrem. Bene vale cum tuis omnibus, amicorum optime. *Bruxellis*, Anno 1518.

## EPISTOLA CCCLXVI.

*Erasmus Rot. Ægidio Buslidio* S. D.

VIR ornatissime, huc accessi, ut pluribus agerem cum Oratore Regis *Angliæ Ricardo Pacæo*, viro utriusque literaturæ callentissimo, sed incommoditas cœli facit, ut domi me contineam. Mitto dono libros *Galeni*, opera *Thomæ Linacri* melius *Romane* loquentes, quam antea *Græce* loquebantur. Tres posteriores magis te capient, nam tres primos consumit fere in ungendo, lavando, fricandoque, nunc puerum, nunc adolescentem, nunc juvenem. Novum Testamentum felicibus auspiciis exiit in lucem: quo minus huc adduxerim, oblivio fuit in causa. Theologi mitescunt, imo resipiscunt. Exire non audeo. Tuam excellentiam vocare audeo ad cœnulam tribus ovis apparatam. Ad eam hoc venies gratior, quo parcior est. Bene vale. Colloquar antequam abeam. *Bruxellis*, An. 1518.

## EPISTOLA CCCLXVII.

*Erasmus Rot. Adriano Barlando* S. D.

NEMO libet credere quod quidam ajunt, te nescio An. quid & stomachari, & maledicere in *Goclenium*. 1518.
Neque enim hoc tui candoris est, neque meriti illius. Est vir egregie doctus, nec minus integer quam doctus, nullius gloriæ invidens. Postremo, convenit hoc tempore *συμπεπτίζειν*, qui colunt bonas literas, Barbarorum phalangibus sic sese undique condensantibus. Non me fugit esse quosdam in hac schola, qui morbo naturæ pessime loquantur, & de his, à quibus nunquam fuere læsi, imo quorum beneficentiam experti sunt. Qui si sanari non possunt, tu tamen, mi *Barlande*, tui similis esse pergito, nec horum consuetudine te contamina. Bene vale, cum voles confabulabimur copiosius. Anno 1518.

## EPISTOLA CCCLXVIII.

*Erasmus Rot. Petro Ægidio* S. D.

VTINAM istam animi impotentiam possis vincere, & tuæ valetudini perniciosam, & ad res gerendas adeo inutilem, ut vehementer etiam officiat. Quid opus erat aperire stomachum adversus Medicum? Sciebam illum nihil daturum, tantum lubebat comœdiam agere. Nunc si faciem perfricuerit, ne tantulum quidem spei fuerit, & incipiet palam esse hostis. Quod si certa spes fuisset, malim ego centum fraudari cyathis, quam te semel acerbius commoveri. Crede mihi, nisi ab his duobus temperaris, animi perturbatione, & intempestivo coitu, non lubet eloqui quid tibi timeam, mi *Petre* charissime. Quare te majorem in modum oro, omnia postponito tuæ saluti. De adventu nostro ad *Christi* natalem Medici gratia scripseram, non ferio, ne vel tu frustra speres, vel uxor frustra metuat. Certum est enim hinc non migrare, donec quod est in manibus absolvero. *Paraphrasis*, quam exorsus sum in tabula, jam absoluta, excudi formis cœpta est. Adest *Joannes Borsalus*, hujus Collegii contubernalis, convictor omnium festivissimus. Utinam tibi integrum esset totam hyemem nobiscum agere, & istis negotiis, quæ te frustra cruciant, juberes *μαχεσὶ κλαίειν*. Placent *Mori* carmina. Appulit huc *Hebræus* quidam *Matthæus*, suæ linguæ egregie peritus: spero fore, ut hic illi salarium decernatur ex *Buslidii* legato. Si me amas, omnibus posthabitis, da operam ut valeas. Magna morbi tui pars ab animo pendet. Si commodum est, accerse ad te *Franciscum*, & vide utrum velit facere quod scribit *Lachnerus*, an non: sed verbis benignis, ut mihi, si nolit, alia via prospiciam: non enim sinam ut impune me luserint. Si *Linacri Galenus* advectus est è *Lutetia*, rogo emas. Bene vale, cum tuis omnibus, amicorum suavissime. Anno 1518.

## EPISTOLA CCCLXIX.

*Erasmus Rot. Martino Bruxellano* S. D.

VT ad utrunque tuum epistolium unico respondeam, miror te solum nihil audire de *Erasmo*, cujus nomen per omnes etiam tabernas obambulat. Epistolarum volumen dono tibi mitto. *Leum* tentasse, neque tua, mi *Martine*, neque mea referebat. An tu putas *Christianam* charitatem, quæ nihil non complectitur, finibus usque adeo angustis esse sepiendam, ut non possis *Leo* amicus esse, ni mihi amicus esse desinas? Hi tumultus plane fatales nihil ad te pertinent, quo mihi videre felicior. Proinde tu te sacris Auctoribus evolvendis oblecta. De recognitis Proverbiis non est quod labores. Pauca quædam loca modo castigavimus, quæ tu facile describes in tuum volumen. Bene vale. Anno 1518.

EPI-

Digitized by Google

## EPISTOLA CCCLXX.

*Eraſmus Martino ſuo* S. D.

An. 1518. VIR integerrime, mitto libellum epiſtolarum, inter quas una eſt, qua reſpondeo ſtultiſſimo libello, quem ad me miſeras. Eam invenies pagina qq. quanquam poſtea pœnitudo me cepit, tantum operæ in rem tam nihili collocatum. Tuum nomen non expreſſi, ne quid turbæ tibi conciliarem: ne illius quidem, ne ſe proditum clamaret, qui tamen prodi cupit. Bene vale, noſtri memor, præſertim in precibus tuis. Anno 1518.

## EPISTOLA CCCLXXI.

*Eraſmus Roterodamus Zaſio ſuo* S. D.

DECRETVM erat, *Zaſi*, vir numeris omnibus abſolute, *Friburgum* tua potiſſimum cauſa viſere. Verum, *Rhenus* exundans, ita corruperat viam, ut natandum fuerit verius, quam equitandum. Nos tui videndi magno tenemur deſiderio. Sed ante omnia, mi *Zaſi*, fac valetudinis tuæ rationem habeas. Nolumus hanc voluptatem noſtram tanti conſtare tibi. Me, cum tua redderetur epiſtola, languor quidam tenebat dies aliquot, periculoſe obrepens, ſimillimus illi, qui proxime nos coegit mutare locum. Sed gratia ſuperis, ſubduxi me ei periculo. Parcius quidem ſcribo, at nihilo parcius amo. Rurſus in hoc piſtrino non una ſarcina premimur. Operis tui guſtum, quem polliceris, perlibenter accipiam. Neque enim addubito, quin *Zaſio* dignum ſit, hoc eſt, homine non minus erudito quam eloquente. Sentio quidem literas tuas, velut ab occupatiſſimo, ex tempore ſcribi, mirum tamen quam me delectet ille feliciſſimus orationis fluxus, non ſine candore. Hæc mihi fœcundum, nec minus exercitatum arguunt ingenium. Ad harum igitur guſtum non dubito, quin opus illud tuum ſit reſponſurum. In quo quid ego tibi poſſum præſtare, non video. Nec enim mea eſt arena. Animum tamen ad quidvis obſequii promptiſſimum polliceor, neque hac in re ſolum, verum in aliis quibuſcunque deſiderabis amici officium: Bene vale cum tuis omnibus, eruditiſſime *Zaſi*. Anno 1518.

## EPISTOLA CCCLXXII.

*Eraſmus Rot. Erardo, Præſuli ac Principi Leodienſi*, S. D.

JAM plus triduum iſtuc iturientem me, jugis quædam ac ſceleratiſſima nebula domi alligat. Penſare volebam, quod hinc nobis inſalutata diſceſſerat tua celſitudo. Medicus tuus in cauſa fuit, qui confirmarat te totum illum diem nobiſcum futurum. Inſignis ille heros *Albertus* Cardinalis *Moguntinenſis*, cujus divinas dotes tu nuper cominus es admiratus, mihi poculum dono miſit, cum amplum & grave, tum opere ſpectandum. Addit ſe id dare mihi ipſum fugienti, majorem experturo benignitatem, ſi mei fecero copiam. Dignum nimirum munus, quod à tali Principe mitteretur, ſed *Eraſmus* dignior, qui Samiis bibat. Quin & nomen indidit. Ait vocari *poculum amoris*, opinor, quod è duobus paribus, velut oſculo commiſſis, fiat unum, quoties libet: ex quo qui biberint, protinus benevolentia mutua conglutinari. Si vera ſunt hæc, utinam Theologi *Lovanienſes* ex eo poculo mecum potaſſent ante annos duos. Horum opera compertum habeo, *D. N.* & *N.* Principum *Bergenſ.* & Comitis *Hoechſtratenſis* animos nonnihil à nobis alienatos. Hos, ſi inciderit opportunitas, admonebis, ut pro ſua prudentia, magis credant reconciliatis quam iratis. Ut in me coorirentur, falſiſſimæ ſuſpiciones illis fuerunt in conſilio, & hoc totum unius iracundiæ datum eſt. Ut autem ultro provocarent ad amicitiam, in cauſa fuit, res attentius perpenſa. Illud tumultus fuit, hoc judicii. Quod ſi hoc non impetras, ſaltem ne pronuncient adverſum me, ni parte utraque audita. Si rem omnem pernoſſent, melius etiam ſentirent de *Eraſmo*, quam antehac ſenſerint. Bene vale. Anno 1518. An. 1518.

## EPISTOLA CCCLXXIII.

*Eraſmus Rot. Petro Ægidio* S. D.

CHARISSIME *Petre Ægidi*, ex aula recepi adhuc centum florenos, reliquum promittunt brevi. Si certus aliquis tibi continget, aut ſi *Jacobus* huc venerit, mitte mihi *Pſalterium octaplum* tuum: nam hic penes neminem eſt: & eo opus eſt in *Apologia*, quam paro adverſum *Fabrum*. Medico me unice commendabis. Miſiſſem illi ſuam Grammaticam, ſed *Apologia* nonnihil ab inſtituto deduxit. Bene vale, mi *Petre* ſuaviſſime. Patri & uxori ſalutem dices. Nos, gratia ſuperis, mediocri valetudine ſumus. Urge *Quintinum* ut perficiat, quod ubi erit factum, advolabo conſultaturus, quomodo poſſit commode tutoque mitti in *Angliam*, ſimulque *Quintino* ſatisfaciemus. Dum cum *Fabro* litigo, dies perdidi jam octo. Rurſum vale, imo da operam ut quam optime valeas. *Nicolao* ludimagiſtro multam ex me ſalutem dicito, qui quoniam me ſibi obſtrictum eſſe voluit, circumſpice quanam in re queam illi viciſſim gratificari. Dederam *Joanni* tuo negotium de ſella *Bruxella* emenda, quid actum ſit, ſcire cupio. Anno 1518.

## EPISTOLA CCCLXXIV.

*Eraſmus Roterod. Bilibaldo ſuo* S. D.

NESCIO cujus culpa factum ſit, ut prolixior illa tua epiſtola mihi tam ſero ſit reddita. Ea mihi declaravit, *Bilibaldum* (cujus humanitatem, integritatem atque eruditionem, jam ante perſpectam habebam) virum eſſe ſingulari etiam præditum prudentia, animique magnitudine, quæ deceat hominem neutiquam plebeium. A Principibus facile contingeret fortuna, niſi mihi nimium dulcis eſſet libertas. Nimio emptum videtur, quicquid hujus emitur diſpendio. Poſteaquam ego hac quantulacunque fortunula contentus ſum, me tranquillo fiet, ſive dabunt aliquid, ſive nihil dabunt. Atque utinam non pauperior etiam eſſem his veris opibus, quibus tu me beatum prædicas. Facti tui rationem ſic reddis, ut mihi plane perſuadeas. Tuæ vero civilitatis eſt, quod pro admonitione noſtra, audaci potius quam tempeſtiva, gratias etiam agis. Cum horum tumultus & conſpirationes, mi *Bilibalde*, mecum reputo, partim demiror quid ſibi velint, partim indignor, partim miſeret cæcitatis ac dementiæ. Aſtrologi tradunt quaſdam peſtes, ut animorum, ita & corporum, ab aſtris immitti, Poetæ ab inferis, *Homerus* hujuſmodi perturbationum cauſam in *Aten* rejicit, nonnulli *Pani* deo ſimile quiddam tribuunt. Hoc malum, undecunque venit, fatale eſt. De recutito non libet meminiſſe, quem vel nominare ominoſum puto. Quid venit in mentem *Gratio*, ut ſuas literulas turpiter ſervire vellet quorundam ſtultitiæ, ſeu potius ambitioni, cum eo videatur ingenio præditus, ut ſi vero judicio juſtam operam adjunxiſſet, inter eloquentes ac literatos haberi potuiſſet. Nunc non aliò facinore notus eſt, niſi quod calumniatus eſt *Reuchlinum* & hujus amicos, quodque quorundam infanti malitiæ, mercenarium ciboque conductum rhetorculum præbuiſſe videatur. Quoties in animò fuit admonere *Jacobum Hoechſtratum*, ne tot annorum ſtudium in rixoſum hoc negotium collocaret, neve ſe apud eruditos viros ſuis libellis traduceret? quos legens, quoties illud mecum, Utinam te meis videres oculis! Sed cum homine mihi adeo nulla intercedit familiaritas, ut neuter alteri conſpectus ſit. Et expertus novi, quam non ſemper ſuccedat etiam inter amicos liberior admonitio. Itaque verebar, ne ſedulo famæ ipſius conſulens, in ſuſpicionem venirem, quaſi *Reuchlini* negotium agerem: qui cum

Digitized by Google

An. 1518. cum sic mihi intercedit necessitudo, ut à causa sim plus quam alienissimus. Sunt qui prædicent *Hoechstratum* moribus esse non omnino incivilibus: alii secus narrant. Ego semper malo credere bene quam male prædicantibus. Tamen ut ingenue fatear, quod verum est, ubi libellos hominis degustavi, minus bene quam antea de illo sentire coactus sum, ipsa videlicet re. Habet sodales aliquot qui applaudant, qui suffundant frigidam, qui &γε accinant, ex horum vel judicio, vel adulatione, totius orbis æstimat suffragia. Habebat & hic suffragatores, sed qui clam ac technis rem agerent: etiamsi nuper cœperunt perfricare faciem, diuque celatum animi morbum prodere. Nec adhuc queo subodorari, quæ res illos adeo commoveat, nisi quod, ut sentio, sibi stultissime persuaserunt, si meliores literæ passim efflorescant, ita ut faciunt, fore ut auctoritas horum, qui præter recentem hanc doctrinam, nihil neque didicerunt, neque sperant, prorsus labefactetur. Cujus mali nos ipsi causam aliqua ex parte damus, dum illorum studia nimium acriter insectamur, & nostra ad invidiam usque jactamus, dumque illos imitari malumus in malo, quam in bono vincere, dumque prius est perpendere quid illorum mereatur improbitas, quam quid nobis dignum sit. Ego locis aliquot attingo Theologos, parum sinceros, parumque dignos eo titulo, sed quales apud nos nullos esse putabam. Tales expertus sum quosdam, ut similes nusquam gentium esse creditu rus fuerim lenones. Parum mihi propitius sit *Christus*, si quid mentior. In tam virulentis sycophantiis, quibus undique tundor, consolor me primum conscientia recti: deinde complurium judicio, quos nemo non fatetur, & vita graves, & eruditione præcellentes, & judicio exquisito præditos. Novum Testamentum rursus novatum exibit brevi satis elaboratum, sed aliquanto minus etiam quam vellem, ob valetudinis adversitatem, ex cujus viriculis pensi modum metiamur oportet. Quod mihi cum *Fabro* incidit conflictatio, non minus male habet animum meum quam tuum: idque cum multis nominibus, tum hoc præcipue, quod dolerem hanc fabulam fore gratissimam iis, quibus ingratissimæ sunt bonæ literæ. Tamen & opera datur, & spes est, futurum, ut hoc vulnusculum aliqua cicatrice obducatur. *Faber* animo meo charus est, & me arbitror illi non prorsus invisum. De te visendo, ornatissime *Bilibalde*, utinam æque mihi foret facile, ac tu vehementer optas. Bene vale. *Basilea*, An. 1518.

## * EPISTOLA CCCLXXV.

*Erasmus Rot. Martino Lypsio* S. D.

ANNON tibi videor eximie fortunatus, cui gratis obtingit, quod alii vix assequuntur, multo tum studio, tum precio? Nemo non se præbet præceptorem *Erasmo*. Itaque necesse est, ni plane lapis sim, ut aliquando proficiam. Sed in hoc parum felix haberi possum, quod isti plerique sic admonent, ut sycophantæ potius quam præceptoris fungantur officio. Quidam hoc agunt, non ut me reddant eruditiorem aut meliorem, sed ut nobiscum commissi aliquod gloriæ choragium sibi venentur. Sæviunt omnes, sed nulli magis quam qui nihil omnino docere possunt. Quod facere solent clamosi quidam, & plagosi magistri, discipulos excarnificantes: quos tamen nihil docere possunt præter illiteratas ac mox dediscendas literas. Quod genus est iste, cujus libellum ad me misisti, tam indoctum, ut me piguerit legere: tam ridiculum, ut non potuerim non legere, sed inter navigandum. Insaniam autem cum illo, si talibus sycophantiis coner respondere. Sed annotabo singulis verbis singula næniarum capita, sic ut si libet, & numerare liceat.

1. Primum, testatus se antehac decem acutis conclusionibus perstrinxisse suum sentimentum (nam his floscylis vernat totus sermo) ceu confessum assumit, hanc Novi Testamenti interpretationem, qua vulgò u-

* Hanc Epistolam & duas sequentes prætermissas repone suis locis.

A timur, esse *Hieronymi*, cum eam constat nec esse *Cypriani*, nec *Hilarii*, nec *Ambrosii*, nec *Augustini*, nec *Hieronymi*, cum is diversa legat: multo minus eam, quam emendasse se testatur, cum in hac deprehendantur, quæ ille damnat: non solum quantum ad verba, verum etiam quantum ad sensus. Atque hæc est hujus Theologicæ disputationis basis. An. 1518.

2. Imaginatur & ceu probatum assumit, me publice corrigere ac mutare Vulgatam Editionem, cum ego ea relicta integra & intacta, quod est in *Græcorum* voluminibus Latine verterim, obiter indicans ubi nostra cum illis consentiat, aut dissentiat: neque raro præferens id quod est in nostris codicibus, emendans si B quid depravatum, explanans si quid ambigue, enarrans si quid obscure, mutans si quid insigniter barbare dictum: quod intelligam permultos offensos prodigiosis solœcismis, qui tamen fere sunt interpretis, non auctorum, abhorrere à sacrorum Voluminum lectione. Neque enim omnes mortales tam patiente sunt stomacho, ut istius stylum ferre possint. Quod si imperitis ac simplicibus consulitur simplicitate sermonis, cur non consulamus & eruditis, mundicie sermonis? Quod si noster hic censor nihil omnino vult edi, quod dissonet à vulgata lectione, non erit fas Novum Testamentum Græce, ut à *Græcis* legitur, edere, nisi prius ad hanc editionem castigatum, ne quis forte deprehendat lC ctionis dissonantiam. Quis autem adeo demens sit, ut isthuc dicat? Jam vero abolenda est divi *Ambrosii* vel translatio, vel lectio in Epistolis *Pauli*, quæ plurimum ab hac nostra dissonat. Abolenda & *Hieronymi*, quæ non paucis locis ab hac dissentit. Denique, nostrorum codicum plerique sunt abolendi, quod inter se fere dissentiant. Et vide quam ab isto dissentiat *Augustinus*, quem is sibi videtur solus legisse. Nam ille testatur se adjutum etiam exemplariorum varietate; dum quod alius obscurius vertit, alius transtulit explanatius, ut *non omnia possumus omnes*. Hic actum putat de fide sacrorum Voluminum, si varia lectio proferatur. Et mavult vel manifestarias mendas in Libris sacris relinqui, D quam offendi duos aut tres ineptos ac morosos senioculos. At nihil deterruit ab hoc studio divum *Hieronymum*, quod ob voculam, nescio quam, mutatam in Propheta *Jona*, totus ferme populus desciverit à suo Episcopo, ridetque Cucurbitarios illos deos, quos tantula res commoverit: etiamsi *Augustinus* hanc fabulam ceu seriam scripserat *Hieronymo*. Age, vel illud mihi respondeat severus iste monitor, Utrum optandum est ecclesiæ Dei, ut sacræ Scripturæ libros habeat quam emendatissimos, an non? Si fatetur optandum, respondeat an fateatur quotidie varias mendas in eos invehi, vel insciti a castigatorum, vel negligentia scribarum? Quod si non potest inficiari, cur non amplectitur hoc E meum studium, quod omnium maxime ad eam rem conducit, sive ut emendentur depravata, sive ne depraventur, quæ recta sunt? Quandoquidem negari non potest, esse quædam in plerisque nostris, imo in omnibus ferme, depravata codicibus. Deinde respondeat, Utrum referat sacras Literas recte intelligi, an non? Si fatebitur referre, cur damnat studium nostrum, quo tot loca sunt explanata, quæ nec iste, quantumvis doctus, hactenus intellexit? Perlegat Opus, & neget, si potest, quod dico, verum esse.

3. Ait, multos conatos subvertere & abolere Vulgatam Editionem; alios, ut ornatum sermonis adderent, alios, ut falsitatem excluderent, sed omnes frustra co- F natos. Non pudet hominem manifestæ vanitatis? Proferat unum, qui hoc conatus sit, nisi forte *Fabrum* unum nobis objiciet.

4. Scribit, inter tot viros Latine Græceque gnaros, quibus abundat *Lutetia*, *Germania*, *Anglia*, *Scotia*, neminem ausum id attentare, cum nuper id ausus sit *Faber*, nostram hanc editionem passim incessens ac vexans.

5. Quis autem non intelligit palam esse falsum, in hisce locis esse tam multos, qui Græce ac Latine calleant? præsertim in *Scotia*, cum *Italiam* tacuerit.

An. 1518. Ex quo mihi ſuſpicio ſuboritur hominem *Scotum* eſſe.

6. Jam quid ſtultius hac argumentatione, *Plurimi ſunt Pariſiis, docti in philoſophia; nefas igitur huic aut illi quicquam aggredi in philoſophia novum.* Ut multæ myriades ſint, unus auſpicetur, neceſſe eſt. Et tamen inter hos multos opinor me non omnino poſtremum eſſe, quod ad utriuſque linguæ cognitionem attinet.

7. Ait *Laurentium* hujus mali caput eſſe: quaſi ille verterit Novum Teſtamentum, aut quaſi non ante hunc idem fecerit *Hieronymus*.

8. Deinde, ſtultiſſime ſtomachatur, nos verba *Chriſti* redigere ſub regulas *Donati*. Perinde quaſi *Chriſtus* ſic loquutus ſit, quemadmodum hic vertit interpres. Imo cum conſtet Apoſtolos Græce ſcripſiſſe, ſed parum emendate: ne literam quidem tamen in horum ſermone mutavimus, tantum abeſt, ut verba *Chriſti* velimus ſub leges mittere.

9. Ridiculum & illud, quod loquendi regulas nobis tribuit, quaſi nos ſimus Latine loquendi auctores, ac non potius ii qui ſcripſerunt ante ætatem *Chriſti*.

10. Hoc, inquit, decretum indignum æſtimat. Imo contra, decreta Pontificum rejici jubent ut adulterinum diploma, in quo comperiatur ſoloeciſmus manifeſtarius: & alterum diligenter ſtatuit de publice docendis tribus linguis, velut ad ſacrorum Voluminum cognitionem neceſſariis.

11. Metitur integritatem ſermonis Latini ex Veterum conſuetudine, quemadmodum ſcripſit *Auguſtinus*, quaſi nos aliunde metiamur, aut quaſi interpres, Veterum illorum more ſit loquutus. Hic, opinor, poſtularit, ut omnes ipſius floſculis utamur.

12. Jam tota hac diſputatione commiſcet elegantiam ſermonis, quæ Grammaticorum eſt, cum eloquentia, cumque poetica, quaſi nihil interſit: totamque loquendi rationem aſſeverat pendere ab exemplo ſacræ Scripturæ, accuſans interim tot ſacros viros, qui multo ſecus loquuti ſunt, quam ad exemplum ſermonis Apoſtolici. Quod ſi non licet aliter loqui, cur ipſe auſus eſt ſic balbutire, tot ſermonis portentis uti, quorum nihil eſt in Apoſtolicis literis?

13. Atque interim ſomniat, Latinum interpretem afflatu Spiritus ſancti vertiſſe, quod nos habemus, cum ipſe *Hieronymus* in præfatione palam teſtetur, interpretes pro ſuo quemque captu vertere quod aſſequi poſſunt. Alioqui vehementer ſit impius ipſe *Hieronymus*: qui quod habetur in hac editione, non vereatur aliquoties reprehendere.

14. Ut probet omnem eloquentiam petendam à ſacris Libris, *Hieronymum* adducit auctorem, cum is Prophetis aliquot tribuat ſermonis ruſticitatem, *Paulo Græci* ſermonis imperitiam, idque non uno in loco.

15. Credimus & *Auguſtino* adfuiſſe Spiritum ſanctum in enarrandis divinis Libris, & tamen is ſua retractat, & vult cum judicio legi.

16. Ad hæc, quod objicit ſibi ex *Hieronymo*, ſanctos diſertiores fuiſſe in ſua lingua quam aliena, ita diſſolvit homo dialecticus: *Si de mundiali*, inquit, *inflativa & ventoſa linguoſitate agitur, verte ſanctos balbos dicere non reſpuo. Verum, ſi de ruſticitate humana locuti ſunt ſancti, cum Prophetas notarunt, nobis jam altius ſentire convenit.* Quaſi vitium abutentis mutet nomen eloquentiæ; aut quaſi tribuamus Apoſtolis ineptiam, aut ruſticitatem ſententiarum, in quibus eſt præcipua pars eloquentiæ; aut quaſi *Cypriani* facundia, ventoſa ſit linguoſitas, quia diſſimilis ſermoni prophetico.

17. Denique, bellum hunc ſyllogiſmum ita claudit: monet omnes ineptias Poetarum ac mendacia reſpuenda, quo vera ſit illius concluſio: ea eſt hujuſmodi, ut ad verbum reddam, ne quid exiſtimet me calumniari: Sola integritas ſermonis ornatus, elegantia ſeu eloquentia, eſt in ſacra Scriptura. Sed quid eloquentiæ aut poeticæ cum Grammatica? Nam hinc cœpit amphora, ſubito urceus exiens. At divus *Auguſtinus*, cujus meminit, jubet ſuum *Licentium* ad ſuas redire Muſas. Et *Hieronymus* in *Ciceronis* dialogis verſatur, quo ſermonem reddat copioſiorem. Quis autem Veterum non hauſit eloquentiam ſuam ex Oratorum ac Poetarum libris? Aut quis unquam verborum ſupellectilem ex ſacris Voluminibus petiit? Denique, an quiſquis Poetas deſpexit, protinus ſacram illam ac propheticam eloquentiam aſſequutus eſt? An. 1518.

18. Quis autem non videt egregiam illius concluſionem manifeſtam habere blaſphemiam? Ait ſolam elegantiam eſſe in ſacris Literis: nihil igitur illic aliud eſt quam elegantia? Nec tamen hoc dicit *Auguſtinus*, quem hic auctorem adducit, quod iſte ſenſit, licet ob balbutiem, quod ſenſit, exprimere nequiverit: non enim colligit in ſolis Libris divinis eſſe eloquentiam, ſed in his non abeſſe eloquentiam, cum adſit ſapientia, cujus illam pediſſequam eſſe vult; licet fateatur aliud eſſe genus eloquentiæ: & tamen hoc in quæſtionem vocat, an illis omnino tribuenda ſit aliqua pars eloquentiæ, cum de cæteris virtutibus non dubitet.

19. Ut diſſimulem interim, non continuo conſequi, ſi poſſis aliquot ſchemata proferre ex Apoſtolicis literis, protinus illic eſſe abſolutam eloquentiam, cum *Hieronymus*, & *Origenes*, ac *Chryſoſtomus* frequenter offendantur hyperbatis, anantapodotis, aliiſque ſermonis incommodis: ſed, ut in Apoſtolicis non requirimus *Ariſtoteli-cam* aut *Platonicam* Philoſophiam, ut nec opes aut ſatellitium, ita non requirimus eloquentiam.

20. Mox tria inſignia mendacia connectit, cum ait, me denotans, Quid ergo jam agere intendit, qui quondam damnatam verſionem *Laurentii Vallenſis*, in lucem candeſcere conatur, niſi ſacræ Scripturæ eloquentiam infamem & ineptam reddere? Primum, quis neſcit falſum eſſe, à *Laurentio* verſam Scripturam ſacram? Falſius autem, ejus annotationes quondam eſſe damnatas. Falſiſſimum quod ait, *qui eas evulget, eloquentiam ſacræ Scripturæ conetur infamem reddere:* quam illuſtrat potius & commendat, qui portenta ac mendas, quas iſtius ſodales invexerunt, amolitus fuerit.

21. Deinde magnis tragœdiis in me debacchatur, qui in proverbio quopiam obiter Scripturam ſacram *Silenis Alcibiadeis* compararim, cum aliis verbis idem nemo non dicat orthodoxorum. Quid autem aptius dici poterat? Atque hic ita loquitur, quaſi ipſe ſolus ſacras Literas intelligat, quod rudis ſit omnis elegantiæ, & quaſi nos nihil hujuſmodi poſſimus aſſequi, quod ſe gloriatur aſſecutum.

22. Atque interim quam improbum agit ſycophantam, cum affirmat à me hac collatione rideri Scripturam ſacram, cum totum hoc in laudem & commendationem tum *Chriſti*, tum illius Scripturæ dixerim, quod palam eſt omnibus, qui legunt noſtra? Hæc videlicet eſt illa cœleſtis eloquentia, quam ſolus abſque Poetarum cognitione didicit è ſacris Libris: cujus vis ſit ejuſmodi, impudentiſſime confictis calumniis in alienam debacchari famam.

23. Ejuſdem vanitatis eſt, quod ſcribit, à me eloquentiam adimi ſacris Libris, cum eam tot locis prædicem. Tantum cum interprete mihi res eſt, & ſi quid deſideramus in Apoſtolis, id in verbis ſitum eſſe fatemur, nec tamen inſectamur, aut corrigimus.

24. Hic veluti cenſor, omnes Poetas præcipitandos edicit, ad quos, ut dixi, *Auguſtinus* revocat ſuos, quoſque toties cum honoris præfatione citat, nec ille tamen ſolus. Quorſum autem attinebat Poetarum facere mentionem, quaſi horum præſidiis emendaverimus Novum Teſtamentum, ac non potius ex veterum orthodoxorum auctoritate, quos tota probat ac legit eccleſia?

25. Poſt hæc gravi auctoritate *Thomæ*, neſcio cujus, nam *Aquinatis* non puto, qui ſcripſit commentarios in philoſophicam Conſolationem *Boetii*: probat quod aſſerit, Poetas præcipitandos, quod *Boetius laceras* dixerit Camœnas: nec animadvertit, quod illi laceræ dictant ſcribenda, quodque toto opere lyricis verſibus ludit: nec omnes abigit, ſed ſcenicas duntaxat: nec abigit in totum, ſed in luctu duntaxat gravi, qui

An. 1518. qui remedium præsentius desiderat. Ignoscam, si quis Musas contemnat, ut contempsit *Boetius*, verum, hic poeticen contemnit, ut aurum ac gemmas asini.

26. Porro, quod *Boetius* Camœnas *elegas*, quæ luctum præ se ferunt, *laceras* scripsit, hic ad universam accommodans poeticen, ait *laceras* bifariam dici: *active*, quia lacerant mentes hominum; & *passive*, quod non nitantur rationis fundamento: utrunque ex æquo stulte.

27. Ac longius evectus, quoniam elegantia non pendet à ratione, sed ab auctoritate, provocat nos, ut propositis duobus exemplis, hinc ex Poetis, hinc ex sacris Libris, aut vincamus, aut vincamur. Propono igitur illud ex Apocalypsi, *ὁ ὢν, ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος*, quæ verba *Joanni* tribuuntur, ne quid cavilletur de interprete. Rursus è Poetis illud, *Dimidium facti, qui cœpit, habet.*

28. Quanquam interim oblitus est, *Augustino* dici *majores*, priscos scriptores, videlicet *Plautum*, *Sallustium*, *Ciceronem*, aliosque consimiles: atque ab horum auctoritate pendere sermonis elegantiam, non à Spiritu sancto. Atqui ad hanc auctoritatem non respondet Apostolicus sermo.

29. Ut ne dicam interim, quod *Augustinus* ex *Fabio* sumptum docet, *Orationis* tres esse *virtutes*, ut *doceat*, *delectet*, ac *flectat*, id ad *Thomam* auctorem refert. Quis autem neget, hoc præstari posse à Spiritu sancto, cum ille sine Spiritu sancto tantopere delectet; licet nec docens, nec flectens, nisi ad risum?

30. Præterea, stultissime ratiocinatur, *Hactenus usa est ecclesia hac translatione, quasi tollitur, caruit Spiritu sancto.* Ego vicissim colligam, *Ambrosius caruit hac translatione, caruit igitur Spiritu sancto.*

31. Imo hoc uberius donum Spiritus accedit, quo plus bonarum rerum accedit ecclesiæ. Olim literis atque eloquentia, olim opibus ac ditione carebat ecclesia, nunc accesserunt, at non ideo suam sponsam deseruit *Christus.*

32. Is sermo rusticanus ac simplex, quo traditum est Novum Testamentum ab Apostolis, conveniebat illis temporibus, nunc fortassis expedit, ut nitidiore tradatur, modo simplici.

33. Atque interim tota hac argumentatione solœcismos, quos habemus in Novo Testamento *Latino*, atque etiam mendas, quas non paucas istius sodales invexerunt, ad sacrum Spiritum auctorem refert, sed impudentissime, cum id nec in Apostolis fieri conveniat.

34. Postremo, syllogismo plus quam *Chrysippeo* rem conficit: *Eloquentia pendet ab auctoritate, non est igitur scientia: sed utrum ab auctoritate minorum an majorum? non à minorum auctoritate, igitur à maiorum: sed nemo major Spiritu sancto, igitur non licet aliquid innovare in Novo Testamento.* Quis hæc legens, non risu diffluat?

35. Ad hæc calumniatur, quod in epistola quadam ad *Dorpium*, doceo proceribus ecclesiasticis majori curæ fuisse peritiam linguarum, quam sophistices, aut *Aristotelica* Philosophiæ, cum nominatim de linguis caverint, tanquam omnino necessariis, de sophistica aut philosophia non item. Imo in decretis in dubium vocetur, magnis Auctoribus eam improbantibus. Hic mihi triplex impingit mendacium. Imo, *Omnis*, inquit, *sapiens docet sine philosophia Scripturas sacras intelligi non posse.* At ex his omnibus nec unum profert. Quod si proferat, ad me non pertinet, cum ego de cautione decretorum loquar.

36. Tum fatetur, dubitatum de philosophiæ studio, at non improbatum. Idem ego dico. Certius igitur est, de quo decretum est, nec unquam dubitatum.

37. Item negat à magnis Auctoribus improbatum philosophiæ studium. Id non negabit, si legat *Origenem*, *Hieronymum*, *Ambrosium*.

38. Sic autem hic mecum agit, quasi damnarim philosophiæ studium, cum eam contulerim tantum cum usu linguarum. Certe negari non potest, donum linguarum datum Apostolis, ceu necessarium ad Evangelicam prædicationem; Philosophiæ *Platonicæ*, aut *Aristotelicæ* cognitionem datam non legimus, etiamsi moderatum hujus studium vehementer probo. An. 1518.

39. Ridiculum vero, quod interpretem, hoc est, translatorem, vult absque ulla veterum Auctorum lectione suam elegantiam à Spiritu sancto petere. Et enarrationem, quod est excellentius munus quippe, prophetiæ, negat cuiquam contingere, nisi præsidio Philosophiæ *Aristotelicæ*.

40. Hanc primam, ut vocat, conclusionem ita claudit, ut dicat omnes Poetas fuisse fures & latrones, qui postea venerint. Atqui plerique Poetæ *Christum* præcesserunt: nec distinguit Poetarum genus, ut videatur *Damasum*, *Gregorium Nazianzenum*, *Prudentium* in hunc ordinem detrudere.

41. Denique, velut oblitus sui, fatetur in Libris sacris abesse elegantiam, sed ita Deo visum, per stultitiam servare genus humanum. Neque autem quenquam sanctorum ausum mutare stylum interpretum, cum id ausus sit *Hieronymus*; cum jam interpretatio Septuaginta quingentis ferme annis publico ecclesiæ usu esset recepta. Præterea non veritus est intolerabilem auribus Hebraismum mutare, quem adhuc videmus in libris, quos scripsit *Augustinus* de locutionibus Veteris Instrumenti.

42. *Qui negat*, inquit, *hanc translationem esse* Hieronymi, *damnat universum orbem, omnes ordines, omnem statum. Ipsa etiam* Romana *ecclesia fatetur suam translationem esse* Hieronymi, *atque præfationes ejus præmittit.* Sic ille. Doceat quod tam fortiter asseverat, nec *Romana* ecclesia unquam de hoc pronunciavit, & doctorum consensus est hanc non esse *Hieronymi*.

43. Quorsum igitur attinet convitium, quod in me torquet, *Nonne omnes hi mendaces, & hic solus verax?* Quasi solus hoc dixerim, quod plus sex millia doctorum fatentur.

44. Sed adduntur *Hieronymi* præfationes. *Quid novi, cum doceant?* quanquam aliquot ex his *Hieronymi* non sunt.

45. Deinde exigit, ut doceam, ab *Hieronymo* quædam reprehendi, quæ nostra habet editio. Imo legat ipse *Hieronymum*, & meam, si potest, refellat vanitatem.

46. Negat ecclesiam errare posse. Continuo ne erravit ecclesia, si tuus codex depravatus est? Et tamen quædam accedere possunt ecclesiæ, quæ antehac nescierit. Neque nos affirmamus in hac esse translatione, quod fidem subvertat orthodoxam, esse tamen quod operæ precium sit admonuisse. Lege nostra, & nisi sexcenta loca comperies, antehac abs te tam docto viro non intellecta, me in jus voca.

47. *Scandalo es*, inquit, *orbi, dum novas recepta.* Imo maximi & optimi quique mihi gratias agunt, & qui prius oblatrabant, Opere lecto, desinunt oblatrare, sed offenduntur pauci supercilioſi, qui nolunt quicquam videri nescisse.

48. *Ut demus*, inquit, *inesse errores, non oportebat in vulgus proferre.* Imo maxime in vulgus efferendum est, quod oportet ab omnibus scire.

49. *Non potest*, inquit, *privata persona non autorizata, novam translationem cudere, veterem corrigere.* Primum, opinor & mihi licere, si quid in sacris Literis profeci, in medium afferre, posteaquam in Theologorum ordinem sum cooptatus. Deinde, nec novam cudo, sed *Græca* verto, & vetus editio omnibus ut erat, per me manet. Postremo, ut nulla sim auctoritate præditus, cum indoctis liceat sacros Libros corrumpere, mihi non licebit emendare, nisi synodo convocata? sed fingat me Episcopum, aut Cardinalem esse, quid hoc ad præsens negotium, quod non mitra aut galero, sed linguarum peritia constat?



Digitized by Google

An. 1518. 50. Quin & illud ridiculum, quod ait per hanc translationem convictos *Hieronymum Hus* & *Wiclef*, cum alter exustus fuerit, non revictus, alterius libri nonnisi post mortem damnati: quod si maxime verum esset, non licebit igitur è sacris Libris, si quid erroris irrepserit, tollere?

51. *Si quid erroris est*, inquit, *secundum Patrum antiqua testimonia fuerat emendandum.* Atqui id, quod monet, maxime factum est à me: verum, hoc istum fugit, quia librum non inspexit.

52. *Lepra*, inquit, *sacerdoti indicanda, cujus est judicare.* Recte, & ob id *Leoni* decimo misi Opus, cujus hortatu susceperam. Atque is per duos Cardinales studium meum comprobavit: cum illi visum fuerit, delegabit cui volet, ut nostri codices ab eruditis emendentur. Eam provinciam mihi non sumo, licet ad id viam struxerim.

53. Jam quod adducit de septuaginta cellulis, non videt in *Hieronymi* caput recidere, qui eas velut mendacio cujuspiam exstructas ridet. Si illorum translatio Spiritui sancto tribuitur, impius *Hieronymus*, qui eam alicubi mendacium vocat, & tamen hic *Hieronymi* judicium sequitur Ecclesia, in plerisque Veteris Instrumenti voluminibus.

54. Ejusdem prudentiæ est, quod ait *à Græcis libros ipsorum falsatos, ubi desciverunt à Romana Ecclesia.* Quæso, quid erat causæ, cur eos omnes corrumperent? Porro, cum nuper desciverint à *Romana* Ecclesia, qui fit ut novi codices illorum cum vetustissimis consentiant? qui fit ut *Origenes*, ut *Basilius*, ut *Chrysostomus*, ut *Latini* quoque, *Ambrosius*, *Hilarius*, *Cyprianus* cum illorum falsatis libris consentiant, à nostris dissentiant? An horum omnium libros semel falsarunt *Græci*?

55. Porro, quod ex decretis Pontificiis objeceram, Novi Testamenti veritatem ex *Græcorum* voluminibus examinandam esse, fatetur illis temporibus convenisse, his nihil minus. Causam reddit, quod desciverint. Quasi vero defectio *Græcorum* mutarit *Græcorum* Euangelium.

56. Verum, si ideo non est fidendum *Græcorum* libris, quod à *Romana* Ecclesia defecerint, nec *Hieronymi* temporibus licuit ex Hebræorum voluminibus emendare Vetus *Testamentum*, cum jam tum *Judæorum* populus non à *Romana* Ecclesia, sed prorsus à *Christo* defecisset, quod ego arbitror aliquanto sceleratius.

57. Postremo, si fidendum est tantum *Græcorum* libris, qui schismatici non sunt, horum exemplaria potissimum sequimur, quæ tamen à schismaticorum libris non discrepant.

58. Sed omnium impudentissimum est, quod cum ego scripsissem, *Græcorum libros difficilius corrumpi quam nostros*, hic fingit à me dictum, *non posse ullo pacto Græcorum codices vitiari*: cumque causam adduxerim scripturæ *Græcanicæ* difficultatem, quæ non solum apicibus, sed & diphthongis & accentibus constat, is mentitur hanc à me dictam causam, quod *Græca* lingua falsitatem non admittat. O perfrictæ frontis hominem, præsertim cum exstet epistola nostra, non semel jam excusa typis!

59. Atque hic ait me contradicere *Augustino*, qui scripserit ab hæreticis *Græcis* solum *Luca* Euangelium recipi. Quid istuc ad nos, si quos hæreticos habuerunt *Græci*? An ideo corrupti sunt codices *Latini*, quia apud *Latinos* exstiterunt hæretici? Nos in hoc Opere solos Orthodoxos sequimur, & tamen est, ubi par sit & hæreticos audire. Rogo quod hoc novum acumen est?

60. Insectatur quod scripserim, *Græcos* non discrepare à *Romana* Ecclesia in his, quæ Novi Testamenti libris explicantur, tantum olim de verbo *Homusii*, nunc de ritibus quibusdam, de potestate, & paupertate Pontificis *Romani* disputare. Legat, inquit, *Augustinum* de hæresibus, & discet quod hactenus ignoravit. Quod, obsecro, genus enthymematis hoc est? quis nescit apud *Græcos* varias hæreses exstitisse, & antequam *Græci Romanam* agnoscerent Ecclesiam, cum tamen orthodoxi haberentur? Nos de schismate agimus, & in quibus nunc *Græci* discrepent, qui se à Sede *Romana* submoverunt. An. 1518.

61. Quod si contendit à *Græcis* falsatos esse codices, utique corruperunt ea, quibus refelli schismaticum dogma videretur. Proferat igitur vel unum locum, qui isto nomine possit esse suspectus. Imo si quid esse potest suspectum in *Græcorum* voluminibus, illa potissimum sunt, quæ pro *Arrianis* aut *Origenistis* facere videbantur, in quorum vel odium, vel invidiam sic universa *Græcia* conspirasse videtur, ut cum ex *Origenis* fontibus illorum scriptores hauserint fere, quicquid tradunt dignum cognitu: tamen nihil magis videantur habuisse studio, quam ut illius lucubrationes omnes funditus abolerent, quæ nobis ad cognitionem sacræ Scripturæ vel solæ satis esse poterant. Ut dissimulem interim, quod ita me jubet *Augustini* librum de hæresibus legere, quasi solus ille legisset, aut quasi citra illius jussum legere non potuerim, aut quasi non compluribus locis ex hoc volumine citem testimonia.

62. Non mihi tempero, quin sicut acumen hominis, & eloquentiam jam perspeximus, itidem & festivitatis gustum aliquem præbeam. Hujusmodi salibus in me jocatur homo lepidus & Gratiarum alumnus: *Hieronymus*, inquit, *ait, Tot sunt exemplaria, quot codices, hunc isti legunt, hunc illi, quem iste noster translator sumet in auctoritatem? Certe*, Hieronyme *sancte, in vanum impulit te* Damasus *Papa in sudorem, cum erat* Græcus *codex & emendatissimus, quem iste noster translator invenit. Heu* Hieronyme, *oculos tunc nyctycoracis habuisti, qui tale exemplar invenire non potuisti, quale noster novus homo invenit?* Sic ille. Inter hæc mihi *Lindius* ille *Hercules* venit in mentem, cui convitiator inter epulas voluptati fuerit. Olim tot erant exemplaria, quot codices, hodie non sunt. Quid igitur secutus est *Hieronymus* in castigando? Deinde num ego unico codice nixus sum?

63. Rursus assumpto, quod initio assumpserat, me nova translatione veterem tollere, præscribit nobis *Augustini* regulam: qui in Canonicis scriptis Ecclesiarum ut plurimum auctoritatem sequitur: inter quas sane illæ sint, quæ Apostolicas sedes, & epistolas meruerunt accipere. Tenebit igitur hunc modum in scripturis Canonicis, ut eas, quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis catholicis, præponat eis, quas quædam non accipiunt: in eis vero, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures gravioresque suscipiunt, eis quas pauciores minoriſque auctoritatis Ecclesiæ tenent: si autem alias invenerit à pluribus, alias à gravioribus haberi, quanquam hoc facile inveniri non possit, & cætera. Ex his colligit nostram nullius esse ponderis. Imo quid hæc ad me pertinent, quæ de voluminibus rejiciendis aut recipiendis dicta sunt, non de castigatione? Alioqui cur ipse *Augustinus Hieronymianam* recepit conversionem plane novam? Ad hæc, ubi locum habebit hæc *Augustini* regula, si solum hoc recipiendum ab omnibus Ecclesiis, quod una *Romana* recepit Ecclesia? Non quod infecter *Augustinum*, sed quod ex his appareat illum *Romanæ* Sedis auctoritatem non agnovisse, quam illi nunc tribuimus: præsertim cum idem scribens *Innocentio*, fratrem illum appellet; nec ullum indicium præbeat insignis illius eminentiæ, sed agat veluti cum collega.

64. Post hæc sic agit, quasi sentirem falsitatem aut ineptiam inesse sacris Literis, in quibus obscuritatem inesse fateor. Verum, si quid in codicibus falsi aut inepti, id non Apostolis, sed istius sycophantæ sodalibus adscribendum. Cæterum, nihil ego muto, quod ad fidei firmitatem attineat.

65. Monet igitur, librum summo Pontifici mittendum fuisse, ut illius arbitrio premeretur aut ederetur. Ad istam rationem omnes libri mittendi essent summo Pon-

Digitized by Google

An. 1518. Pontifici, quod in omnibus esse possit, quod aliquos queat offendere. Verum, id nec *Thomas* fecit, nec *Scotus*, imo nec *Augustinus*, nec *Hieronymus*. Prius evulgarunt, comprobatio consecuta est, non quæsita. Porro, cum non convellam veterem editionem, sed prodita recognitione faciam, ut illam & emendatiorem habere possimus, & rectius intelligere, quî suspicari potui fore similes isti sycophantas, qui Opere nulli non frugifero offenderentur? Si metuendum erat offendiculum, ab infirmis erat metuendum. Atqui ab his nullum est ortum offendiculum. Tantum unus aut alter hoc mali concitaverunt, qui inter perfectos habentur, Opere nondum edito passim inficientes simplicium animos, atque id damnantes, quod nondum erat cognitum: ac prius Opus in invidiam vocantes quam Operis sentiretur utilitas. His igitur imputandum, non mihi, si quis offensus est.

66. Jam quod ausus sim dedicare *Leoni* decimo, temeritatem appellat. *Poetæ*, inquit, *temeraria fronte, obscœna quaque dedicant summis gradibus præditis ecclesiasticis.* Quorsum huc Poetas subito invexit sycophanta? Aut qui sunt isti Poetæ, qui sua obscœna Pontificibus dicant? Imo Pontifici dedicavi, ipsius ad me literis provocatus, neque gravatus est ipse Opus bona ex parte legere. Atque testibus gravissimis viris, lectum coram Cardinalibus suis atque eruditis, summis laudibus extulit. Et ut ante dixi, per duos Cardinales mihi respondit.

67. Quid est autem quod iste vocat *autorizare*? sic probare ut nihil insit erroris? Ad istam legem, præter canonicas Scripturas, nihil habemus autorizatum: nec hoc à *Leone* flagitavi. Tantum admoneo, judicium relinquens eruditis, si quid forte rectius invenerint.

68. His feliciter declamatis, in campum amœnum exspatiatur, interpretis dotes nobis describit ex *Augustino* ac *Thoma*, sed interim confundens ubique donum linguarum aut interpretationum, & donum prophetiæ, quæ *Paulo* diversa sunt dona. Negat quenquam sacras Literas posse vertere, nisi præditum dono Spiritus sancti. Atqui docui, divum *Hieronymum* aliter sentire, cum ipse sit utriusque Testamenti interpres.

69. Ad hæc, quemadmodum hodie nullus est, opinor, tam insolens, ut sibi arroget prophetiæ aut linguarum donum, ita temerarium est de alieno spiritu judicare. Annixus sum ut quæ rectissima sunt, traderem, veterum orthodoxorum secutus vestigia, neque quicquam spectavi præter lectoris utilitatem, & *Christi* gloriam. Inter laborandum subinde imploravi sacri Spiritus opem: certe rectus animus non defuit. Porro, quis angelus isti subindicavit, mihi Spiritus auxilium defuisse cupienti prodesse, cum sibi videatur illum habuisse in consiliis, cum has scriberet sycophantias? præsertim in Opus illi ne conspectum quidem. Neque me fugit, quis ille huic paracletus fuerit, qui Opus nondum natum calumniatus est: is isti inspiravit, ut non lectum carperet: si tamen istud est carpere, quidvis in rem incognitam evomere.

70. *Negat cuiquam fas esse docere sine publica auctoritate.* An non satis est isti, mihi eandem esse auctoritatem quæ *Thomæ* fuit? licet me cum eo non conferam. Non satis est, quod optimorum Præsulum efflagitatione, quod summi Pontificis hortatu id facio? nec tamen *Thomas* de libris edendis agit, sed de publicis concionibus aut professionibus.

71. *Negat* Hieronymum *ausum aggredi translationem Scripturæ sacræ, nisi jussu Damasi.* O perfrictæ frontis hominem! Pentateuchum cujus auctoritate transtulit? nonne ad preces *Desiderii* cujusdam? an *Damaso* auctore vertit libros *Esdræ*? legat illius præfationem, & pudeat vanitatis. *Thobiam* nonne *Chromatio* & *Heliodoro* auctoribus vertit? Sed quid opus ad singula mendacium refellere, cum *Hieronymus* solum Novum Testamentum ad preces *Damasi* Papæ recognorit?

72. Constat igitur Novum Testamentum jussu *Damasi* recognitum, at non constat ab eo probatam *Hieronymi* recognitionem. Neque enim probari potest, quod non cognoris: præsertim cum iste putet rejiciendum, quicquid publicis instrumentis non fuerit autorizatum, ut & ego flosculis illius abutar. An. 1518.

73. Quanquam hoc negotii non injungit *Damasus* tanquam summus orbis Pontifex, (quod an fuerit, in medio relinquo: certe nomen hoc nondum illis temporibus erat auditum, quantum ex Veterum omnium scriptis licet colligere) sed injungit tanquam *Romanus* Pontifex *Hieronymo* hactenus *Romano*, quod illic & baptizatus sit, & presbyteri consecutus honorem.

74. Illud interea mirum, sycophantam hunc, aut illius suggestorem spiritum, ne verbo quidem unquam attingere *Fabrum Stapulensem*, qui & prior, & plus ausus sit quam nos: nec ulla fultus auctoritate vel Pontificis, cui scripseramus nos aggressuros Opus prius quam aggrederemur, vel ea, quam accipiunt, qui inter Theologiæ professores alleguntur. Ex quo palam est istum non facto offendi, sed hominem voluisse insectari.

75. His igitur ex animi sententia gestis, pergit in epistola ad *Dorpium* mea, calumniari: quod scripserim *Hieronymum* aliquoties sibi non temperare, quin in *Vigilantium* incandescat acrius, In *Jovinianum* insultet immoderatius, In *Ruffinum* amarulentius invehatur. Atque hanc atrocem in *Hieronymum* contumeliam interpretatur, quasi scripserim, hoc non recte ab *Hieronymo* factum, aut quasi *Hieronymus* non fuerit ullis humanis vitiis obnoxius, dum viveret. Denique, quasi non optimus quisque hanc aliquoties in *Hieronymo* desideret animi lenitatem.

76. Tum autem refellens, quod scripserim in meis scriptis *nullius notari famam:* objicit, quod locis aliquot à *Thoma*, à magistro Sententiarum, à *Lyrano*, ab *Hugone Carrensi* dissentiam, quasi quisquis dissentiat, contumelia afficiat, aut famam incessat ejus, à quo dissentit. Quo quid dici potest stultius? Et tamen ita dissentio, ut cum honoris præfatione id faciam, quibus hanc debemus reverentiam, quam ego nec *Lyrano*, nec *Carrensi* puto deberi. Quod si qui minus jam illis tribuunt, quam antehac tribuebant, an conveniebat ob illorum auctoritatem nos omnes errorem sequi?

77. *Negat eos passuros fuisse, si supersessent.* Ipse igitur, qui velut alter *Helizeus* in horum spiritum successit, partes illorum, si potest, tueatur.

78. Jam illud, elenchum putat esse palmarium, quod in annotationibus, quas in *Hieron.* scripsi, *Franciscanum* quendam obiter adspergam joco, cum id citra nomenclaturam faciam: & tam ingens sit turba *Franciscanorum*, in quos iste jocus competat. An qui sine nomine narraret de insciti cujuspiam hominis, in omnes homines futurus sit contumeliosus?

79. Quæ vero sequuntur, ut ingenue dicam, non intelligo prorsus, sed ipsius verba suo cum flore subscribam: *Possem*, inquit, *& illud addere, quod male contra hunc* Franciscanum *movetur. Nam jam aut honoris, aut fama cupidi, pecunia egentes, vacui, verbosi, inflati, agunt, ut* Hieronymum *sic mutilum, sic depravatum habeamus. Si nonnulli libri scriptorum vitio depravati sunt, corrigantur juxta antiqua exemplaria, æstimo adhuc inveniri posse tempore* Hieronymi *scripta, non cudantur nova. Elegantiam autem, eloquentiam, ac sensum* Hieronymi *destruentia.* Hæc ille.

80. Obsecro, primum, an istiusmodi coloribus depingit *Franciscanos?* pecunia egentes, vacui, verbosi, inflati, & cætera.

81. Deinde, num dicit à nobis mutilatum *Hieronymum*, qui prioribus editionibus permulta addidimus, nihil autem detraximus, præter aliquot locis falsos titulos.

82. Porro autem, utrum nos novum cudimus *Hieronymum*, an veterem potius restituimus? An sunt quidam adeo stupidi, ut putent hæc, quæ nunc legunt, *Erasmi* esse, non *Hieronymi?*



Digitized by Google

An. 1518. 83. Tum an aliunde credunt nos emendaſſe *Hieronymum*, quam ex vetuſtiſſimis exemplaribus, quæ vel ipſo *Hieronymi* ſeculo ſcripta videri poterant, ſi ullum exſtaret: neque tamen contenti unis exemplaribus. Hac ſane in parte à doctiſſimis viris, plus quam credi poſſit, ſudatum eſt.

84. Quæ ſunt autem hæc, quæ *Hieronymianam* elegantiam, eloquentiam, ac ſenſum ſubvertunt? Niſi iſti nihil elegans videtur, niſi quod ipſius ſapit ſtylum.

85. Poſthac, velut araneus obambulans, ex *Moria* quoque delibata, nonnihil attrahit veneni, quam tamen, diſpeream, ſi legit: ſed admonitus à ſuo paracleto, negat à me ſatis purgatum, quod ſummum præmium immortalitatis, inſaniam quandam ſcripſerim ſub perſona *Moriæ*: quod tamen ſtatim inibi tot verbis præmollio, ne quis offenderetur. Vult nos ad certam regulam loqui. Ad quam? non *Auguſtini*, non *Hieronymi*, non *Cypriani*, non *Thomæ*, non *Petri Lombardi*, quorum dicta vix excuſantur à Theologis. An hanc regulam ab hujus temporis ſcholaſticis petemus? Ipſi inter ſe non conſentiunt. Fateor de rebus ſacris circumſpecte loquendum, anxie aut moroſe non puto.

86. Si non licet uti verbis, niſi Scripturæ ſacræ: cur auſus eſt *Thomas* tot novis & verbis & rebus partim ab *Ariſtotele* ſumptis, partim ex ipſo confictis, de rebus divinis non ſolum loqui, ſed etiam pronunciare? Ubi vero legimus in Literis ſacris, eccleſiam Chriſti *eſſentialiter* eſſe in convocatione omnium fidelium, *repræſentative* in Cardinalibus, *virtualiter* in Pontifice *Romano?* ut hoc ex multis millibus unum exempli gratia proferam. Quod ſi non licet ſimilitudinem conferre, quæ non ſit in ſacris Literis, quid faciemus omnibus priſcis orthodoxis, qui innumeras adducunt novas, docendi gratia? Neque quiſquam clamat in opus cujuſdam prædicatoris inſulſiſſimum, quod omnes *Ovidianas* fabulas ad *Chriſtum* accommodat, imo detorquet. In me blaterant, qui *Silenos* detorſerim ad *Chriſtum* & Apoſtolos, paulo ſanctius quam ipſi ſacras tractant Literas.

87. Quod autem piaculum, ſi ſtultitiam Deo aut *Chriſto* tribuo, quod ante me fecit *Paulus*, & poſt hunc non uno in loco *Auguſtinus?* An ne *Paulo* quidem verbis uti licebit? Utinam eam ſtultitiam, quam *Chriſto* & Apoſtolis tribuimus, noſtris Epiſcopis omnibus vere tribuere liceret.

88. Sed hic fac ſis attentus: Invenit homo quo me prorſus jugulet. Quoniam, ut docerem quomodo *Chriſtus* ſeſe ad noſtram imbecillitatem demiſiſſet, ſcripſeram in *Chriſto* quiddam infirmum fuiſſe, & noſtris tributum affectibus, ſtultiſſime ſomniat, me perturbationes animi vitioſas tribuere *Chriſto*. Atque hic, ceu victor, ovationem agit, clamitans ſubinde me maculam aut rugam ponere in *Chriſto*, totuſque hic hominis ſermo præter maculas ac rugas nihil crepat.

89. Deinde cum ex *Thoma* docuiſſet, animi motus ſecus fuiſſe in *Chriſto*, ſecus in Apoſtolis, ſic Ἀπφωνεῖ. Si *Eraſmus* ſciviſſet diſtinctionem paſſionum *Chriſti* & Apoſtolorum, in hanc ſententiam non deveniſſet: Quaſi non ante annos ferme viginti pluribus verbis id explicarim, diſputans cum *Coleto*, aut quaſi hoc ex me non potuerim ſcire, etiamſi non docuiſſet *Thomas*.

90. Pergit & illud arrodere, quod Ecſtaſim piorum, quem *Plato* ſacrum furorem appellat, ſcripſerim guſtum quendam eſſe futuræ beatitudinis, qua abſorbebimur in Deum, in illo magis, quam in nobis futuri. Atque hic neſcio quos *Turlupinos* ac *Begardos* nobis ingerit, qui docuerint animam abſorberi ab divinitate: quemadmodum minima aquæ guttula, miſſa in dolium vini, abſorbetur à vino. Item qui doceant omnia futura, ſicut fuerunt ante creationem mundi. Quid ad me pertinet, ſi quid delirant iſtius *Turlupini* aut *Begardi*? Dixi animam abſorberi à Deo, quod tota in illum rapiatur amore, & anima magis illic eſt, ubi amat, quam ubi animat. Sic autem rapitur, non ut evaneſcat, ſed ut perficiatur.

91. Relicta *Moria*, tranſit ad *Enchiridion*, ubi adhortans, ut animum ſequamur, non corpus, quod illa parte Dei geramus imaginem, inter cætera ſcripſi, Secundum animam adeo divinitatis ſumus capaces, ut ipſas etiam angelicas mentes liceat prætervolare, & unum cum Deo fieri. Item in hanc ſententiam, (nam liber non adeſt) Si animum non haberes, pecus eras: ſi corpus non haberes, numen eras. Id videtur calumniari velle, quaſi ſenſerim animam humanam particulam eſſe divinæ naturæ. Sed quid opus manifeſtam ſycophantiam refellere? An. 1518.

92. Reverſus ad *Moriam*, negat conſequi, Aliquid ſtultum eſt Dei, ergo Deus eſt ſtultus. Quæſo, lector, ne quid offendare verbis, cum ſenſus ſit pius, huc enim ille me vocat. At bene conſequitur, eſt ſtultitia Dei, ergo Deus aliquo modo ſtultus dici poteſt. Eſt nigredo corvi, ergo corvus niger eſt. Nam *ſtultum* illic pro *ſtultitia* poſitum docuimus & ex *Auguſtini* lectione.

93. Sed interim non animadvertit hyperbolen *Pauli*, qui ſtultitiam Dei vocat, ad collationem æternæ illius & ineffabilis Sapientiæ, cum nobis exhibuerit ea, quorum utcunque capaces eſſe poſſemus. Ut autem ſuſcepit *Chriſtus* noſtram infirmitatem, ita & noſtram ſtultitiam aliquo modo aſſumpſit.

94. Poſtremo loco quod de Ecſtaſi trium Diſcipulorum calumniatur, indignum judico, quod ſit refellendum. Is ecſtaſim imaginatur, ubi quis totus à corporeis ſenſibus abreptus eſt. Delirant homines & timore & gaudio, ut neſciant quid loquantur, aut qui alioqui ſibi exciderunt. Dictum eſt autem de *Petro*, quod neſciret quid loqueretur. Id mihi ſatis erat in Opere ludicro. Neque enim rem Theologiæ, ſed *Moriæ* tractabamus.

95. *Ait doctores conſtitutos ad glozandum* Hieronymum & Auguſtinum, *non* Eraſmum. Quaſi illis plus veniæ debeatur, quod majores fuerint nobis: cum hoc potius debeatur imbecillioribus. Citius enim ignoſcimus puero quam viro. Et magis indulgemus *Auguſtino* & *Hieronymo* in his quæ juvenes prodiderunt. Bellum vero Theologorum negotium, ſi tantum in hoc laborant, ut quod à Veteribus utcunque dictum eſt, aliquo prætextu defendant. Si recte dictum eſt ab illis, cur nobis non licet eodem loqui modo? Cur in nobis reprehenditur, quod in illis probatur? Si non recte, cur illos defendunt, nos in eadem cauſa criminantur? Jam quale eſt, quicquid ab Antiquis dictum eſt tueri, aut certe ad multa connivere, in recentiorum libris nihil non calumniari? Vide, *Martine* chariſſime, in quantulo libello quot deliramenta. Cum tamen ex multis pauca quædam annotarim, cujus operæ me jam ſane pœnitet. Et tamen ſibi fidens audet te judicem facere, num quid ineptierit, cum hic aliquanto plus ſit ineptiarum quam verborum. En quales habet *Eraſmus* præceptores. Atque hic eſt egregius ille liber, quem poſt decem illas concluſiones, quæ multorum, ut inquit, manus pervolarunt, elaboravit, eximio cuidam viro dicaturus: jubetque ut tanta utilitas fidis ac probis amicis communicetur. Denique, ad palæſtram provocat, ſi quis auſit manus conſerere, pugilemque requirit, ſalvis tamen egregiis tanti viri ſtudiis, quæ non niſi magno orbis malo queant intermitti. Imo mala ſcabie male prurit miſer, & quærit, cui ſeſe affricet. Qui ſapiet, abſtinebit à contactu. Ego ſane nondum ſic odi hominem, ut eum velim doctis omnibus deridendum propinare, etiamſi hoc cupit ipſe. Tu, mi *Lypſi*, fac admoneas hominem, ut poſthac ocium ſuum paulo melius collocet. Si probus eſt, admonitus reſipiſcet: ſin deploratæ mentis, relinquito illum ſuo morbo, ipſe in ſanctis Auctoribus evolvendis verſari malis, quam hujuſmodi næniis ætatem conterere. Bene vale. *Baſileæ* 7. Maji, Anno 1518.

EPI-

Digitized by Google

## EPISTOLA CCCLXXVI.

*Def. Eraſmus Roterod. Joanni Eckio* S. D.

An. 1518. AGNOSCO, mi *Ecki*, tuam humanitatem literis iſtis ac rara prorſus eruditione dignam: ultro defers quod mihi ſtudiis omnibus erat ambiendum, atque hoc ipſo mihi charius eſt, quod ultro ſit oblatum, ne ſemper proverbio locus ſit, *Ultroneas putere merces.* Cæterum, de laudibus, quas in me benigne magis quam merito congeris, nihil vel agnoſco, vel amplector, præter animi erga me tui candorem. Tuum tuique ſimilium eſt ad iſtas procerum palmas contendere; nos puſilli, puſilla tractamus. De *Zoilis* (ſi tamen huic homuncioni quiſquam invidere poſſit) illud in primis admiror, quod nulli noſtris ſtudiis, ſi non admodum frugiferis, certe nulli noxiis, odioſius obſtrepunt, quam ii qui prorſus non attingunt lucubrationes noſtras, aut qui poterant his potiſſimum adjuvari, niſi prius haberent oblatrare, quam dicere. Sed tu, doctiſſime vir, accuratius aliquanto quam par eſt, præmollis admonitionem tuam apud me, cui tantam tribuis humanitatem, ſi tamen ex animo tribuis. Ego à quovis admoneri non gravatim fero, tantum abeſt ut abs te viro tam eximio reverenter admoneri poſtulem: & tamen aliquanto plus vel reverentiæ, vel civilitatis habent tuæ præfationes atque interlocutiones, quam admonitiones. Sic enim rem proponis, velut alienam referas calumniam, ſic inſectaris, quaſi tuam tuearis ſententiam. Primum quod adducis ex Annotationibus noſtris in *Matthæum* cap. ſecundo, vides orationem disjunctivam & bimembrem conſiſtere, etiamſi pars altera rejiciatur: iſti alteram modo partem, eamque deteriorem decerpunt. At nefas, inquies, de hoc dubitare. Quî ſcis an dubitem? aliorum refero ſententiam. Neque enim quicquid incertum eſt, continuo mihi incertum eſt. Denique adſcribo locum, videlicet quinto capite *Michææ*, ubi divus *Hieronymus* interpres, idem recenſet quod ego. Alieno, inquis, nomine, fateor, at non hæreticorum nomine: & ita recenſet, ut neutram partem rejiciat. Neque protinus (meo judicio) vacillet, ut tu ſcribis, totius auctoritas Scripturæ, ſicubi memoria lapſus Euangeliſta, nomen ponat pro nomine: puta *Eſaiam* pro *Hieremia*, cum hinc cardo rei non pendeat. Ut enim non protinus de tota *Petri* vita male ſentimus, quod *Auguſtinus* & *Ambroſius* affirment illum, & poſt acceptum cœleſtem Spiritum, alicubi lapſum eſſe: ita non continuo fides omnis abrogatur libro, qui nævum aliquem habeat. *Auguſtinus* ac *Hieronymus* non ſolum cum auctoritate, ſed etiam cum reverentia leguntur, cum nemo neget in illorum libris permulta eſſe, quæ à veritate diſſonent. Abſit à *Chriſtianorum* moribus iſta moroſitas. Neque vero protinus illis adimimus Spiritum ſanctum: ſed fortaſſe noſtrum non eſt præſcribere, quomodo Spiritus ille Diſcipulorum organum temperarit, qui quocunque modo temperavit, ſic temperavit, ut ipſe noverat ad ſalutem humani generis maxime conducere: ſic illis aderat, quatenus ad Euangelii negotium pertinebat, ut tamen alicubi homines eſſe ſineret: neque vero hæc dixerim, quod arbitrer Apoſtolos uſquam eſſe lapſos, ſed quod negem ob quemvis lapſum, univerſæ Scripturæ fidem oportere vacillare. Jam vero quod tibi videtur indignum, Apoſtolos librorum adminiculis uſos fuiſſe, quid facies de *Paulo*, qui ſibi cum penula libros jubet remitti, præſertim in membranis deſcriptos? Neque enim vetuit *Chriſtus*, ne ſacros Libros evolverent, ad quos hortatur *Timotheum* ſuum *Paulus*, ſed ne ad judices meditatis orationibus inſtructi venirent: verum, hac de re copioſius reſpondeo in poſteriore voluminis editione, quam adorno. Proinde, ſupervacuum eſſe puto, prolixiore ſermone onerare epiſtolam. Similiter & de ſecunda querimonia, quam adducis ex *Actorum* capite decimo, ubi Apoſtolorum negotium agens, excuſo illos, qui Græcitatem ſuam non ex Orationibus *Demoſthenis*, ſed ex vulgi colloquio didicerint: non nego An. 1518. donum linguarum, neque tamen conſequitur, eos non potuiſſe Græce diſcere ex vulgi colloquio: certe Syriace didicerunt ex vulgi colloquio, quidni potuerunt & Græce, quandoquidem ob *Alexandrum* victorem, & *Romanum* Imperium, *Ægyptus* ac *Syria* maxima pars, totaque minor *Aſia*, imo totus ferme Orbis, ut inquit *Hieronymus*, Græce loqueretur. Neque enim arbitror ſpiritum illum oblivione obliteraſſe, quod antea didicerant. Quod ſi contendis hanc Græcitatem, quam videmus in Apoſtolicis literis, eſſe donum cœleſte, unde tanta ſermonis ruditas, imo barbaries, quam diſſimulare non poſſumus? cum *Spiritus ſancti perfectiora ſint opera, quam naturæ aut induſtriæ humanæ*, auctore *Chryſoſtomo*. Sed hactenus, inquis, impertiit eis ſermonis peritiam, quatenus judicavit Euangelicæ ſimplicitati convenire. Atqui iſtuc ſi aderat Apoſtolis, quid jam opus erat impartire? Non legimus Apoſtolos miraculo Græce locutos: locutos legimus, una quapiam, ni fallor, lingua, & ab omnibus intellectos: quod ut maxime contigiſſet, non eſt tamen neceſſe miracula in Apoſtolis facere perpetua. Quoties poſtulabat fidei negotium, aderat donum linguarum: nec omnibus tamen ex æquo, nec ſemper aderat: ſemel hoc Apoſtolis accidiſſe legimus. Eſt & prophetiæ donum, neque tamen cui datum erat, hunc aut illum explicare locum, idem licuiſſet quovis tempore quemvis alium explicare locum. Diſpenſabat has dotes ſuas ille Spiritus ad menſuram fidei, quemadmodum ſcribit *Paulus*. Poſtremo, qui fit, ut *Hieronymus* tot locis non vereatur *Paulo* tribuere *Græci* ſermonis imperitiam? Idem affirmat *Lucam* magis *Græce* noviſſe quam Hebraice, quod *Antiochenus* eſſet. Rurſum *Paulum* in ſua lingua diſertiorem fuiſſe quam *Græca*, quod eſſet *Cilix*. Idem in Epiſtola ad *Corinthios* ſecunda *Titum* ſuum deſiderat, quod is ejus eſſet linguæ peritior, quemadmodum interpretantur *Græci* veteres: certe *Origenes* & *Græci* interpretes paſſim offenduntur in *Paulo* ſermonis incommodis, paſſim *Hieronymus*. Proinde, non eſt neceſſe, ut quicquid fuit in Apoſtolis, protinus ad miraculum vocemus. Paſſus eſt errare ſuos *Chriſtus*, etiam poſt acceptum Paracletum, at non uſque ad fidei periculum: quemadmodum & hodie fatemur, Eccleſiam alicubi labi poſſe, citra diſcrimen tamen pietatis ac fidei. Denique, quî ſcis an hanc laudem modis omnibus abſolutam uni ſibi ſervare voluerit *Chriſtus*, qui ſe unum veritatem dixit, ut unus ille abſque nævo innocens, juxta Veterum opinionem, ita fortaſſis unus, citra omnem exceptionem verax. Tertio loco μαγγάνειν, quod ſcripſerim admirari me, Euangeliſtam abuti voluiſſe verbo θεραπεύειν, quod ſonat curare Medicorum remediis. Primum, hoc magis ad interpretem attinet, quam ad *Matthæum*, cum is *Hebraice* ſcripſiſſe feratur. Deinde, *abuti* non eſt ſemper in malam uti partem: nam *abutimur* & iis, quibus alicunde ſumptis utimur, & verbis alio deflexis cum gratia utimur. Poſtremo, non protinus reprehendit, quiſquis admiratur. Admiramur & quæ ſuſpicimus, admiramur quod novum eſt, admiramur & ea, quorum cauſam neſcimus. Velut admiramur à magnete trahi ferrum, admiramur *Nilum* media æſtate exundare, *Euripum* toties reciprocare. Quod igitur mihi non liquebat, aliis excutiendum propoſui. Et ſcis odioſius etiam quædam proponi in ſcholis. Jam per ſe palam eſt, quam non pertineant ad rem, quæ tu odioſe ſubjicis, quaſi coner Euangeliſtis præire, aut Spiritus ſancti ſarcire negligentiam. Quanquam exiſtimo hæc ita recitari abs te, ut aliorum calumniam recenſeas, non tuum indices animum. Alioqui quid vel in inimicum dici potuit inimicius? Jam quod extremo proponis loco, totum ut tuum agnoſcis. Hinc igitur *Eckii* candorem & ſtudium in *Eraſmum* nos vis æſtimare. Atqui ipſe vel maxime partem hanc aliis adſcripturus eram, niſi tute tibi nominatim aſſeruiſſes. Diſplicet tibi meum judicium, qui in cognitione ſacrarum Literarum adeo præferam *Hieronymum*

Digitized by Google

An. 1518. *mum Auguſtino*, ut vehementer impudens arbitrer, alterum cum altero conferre. Hic tibi non prius reſponſurus ſum, *Ecki* doctiſſime, quam mihi conceſſeris, non affici contumelia, qui potiori poſthabetur, cum de utroque magnifice ſentias. Ego de *Auguſtino* ita ſentio, ut de viro ſacro, eximiiſque dotibus prædito, par eſt. Nec tenebras offundo illius gloriæ, ut tu ſcribis, ſed non patior obſcurari gloriam *Hieronymi*, cui plane fieret injuria, ſi quem longe præcellit, ei poſthaberetur. Quæſo te, num contumelioſus ſit in *Petrum*, qui illi *Chriſtum* præferat? Aut num injuriam faciat Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, qui illi præferat *Romanum* Pontificem? Aut num obſcuret argenti gloriam, qui illi præferat aurum? Atqui finge jam ambiguum eſſe, uter alterum præcellat: ſi quo ſtudio mihi magis probaretur *Hieronymus*, non ſim, opinor, inſectandus, cum in his *Paulus* velit ſuo quenque animo indulgere: modo de *Auguſtino* ita, ut facio, præclare ſentiam. Nam quod ſecundum Canonicas Scripturas, ac ſacroſancta Eccleſiæ decreta, ſecundum primas Eccleſiæ columnas, ſummam auctoritatem tribuis *Auguſtino*, quis non fateatur fortiter abs te dictum? Hoc nec ipſe ſibi poſtulat, neque quiſquam unquam illi tribuit, præſertim cum *Græcis* primæ debeantur in hoc genere laudis, quemadmodum & in cæteris omnibus. Sed excutiamus, quibus argumentis mecum agas. *Philelphi* auctoritatem mihi opponis, qui cum *Hieronymo* concedat eloquentiæ laudem, *Auguſtinum* in Dialectica prætulerit, & admetiris de tuo, in omni Philoſophia ſuperiorem fecerit. Ego, doctiſſime *Ecki*, non tantum tribuo *Philelpho*, præſertim in cenſura rerum ſacrarum, ut illius auctoritate me patiar opprimi, cui ne in ipſius quidem arena, ſi res poſtulet, admodum ceſſurus ſim, ne nihil de meipſo dicam glorioſe, cum ille tam multa de ſe prædicarit. Et quod ille in epiſtola familiari apud amiculum nugatus eſt, perinde mihi objicis, quaſi de tripode pronunciatum. Quis autem neſcit in ſcholis decantatum, *Auguſtinum* inter Veteres eſſe præcipuum Theologum, admirabilem Philoſophum, invictum Dialecticum? quaſi vero quicquid illic, quocunque caſu jactatum ſit, oraculi vice debeat haberi. Suum cuique ordini vulgus eſt, & ſemper optima pauciſſimis placuerunt. Neque dubito quin ipſe à multis diſſentias, quæ tamen in ſcholis cum primis ſint decantata. *Omnes*, inquis, *eruditi tribuunt* Auguſtino *in Theologia, quod* Philelphus *in Philoſophia*. Imo contra comperio, viros exquiſite doctos, longe minus *Auguſtino* tribuere quam ego tribuam. Porro ut ſcholaſticæ tribus plus tribuerint *Auguſtino*, quam *Hieronymo*, aut *Ambroſio*, partim in cauſa fuit, quod is crebrius adducatur ab iis Scriptoribus, qui in ſcholis occuparunt tyrannidem: vel quod hunc magis intelligebant, quam illos: vel quod fortius definit hic, quam illi. *Hieronymus* multis modis ſalebroſus eſt, *Ambroſius* alluſionibus eſt aliquanto obſcurior: uterque *Græcorum* exemplo, quo doctior eſt, hoc minus fortiter decernit. Jam vero quod ſequitur in epiſtola tua, non potui, fateor, abſque riſu legere: *Unuſquiſque*, inquis, *bene judicat, quæ bene novit, ait Stagirita. Nihil autem eſt quod tibi deeſſe* Eraſmici *omnes adeo conqueruntur, niſi quod* A. Auguſtinum *non legerit*. Nihil equidem in me agnoſco, vir egregie, cur quiſquam velit eſſe *Eraſmicus*, & prorſus odi iſta diſſidiorum nomina: *Chriſti* ſumus omnes, & in illius unius gloriam pro ſua quiſque portione ſudamus. Sed qui tandem ſunt iſti *Eraſmici* uſque adeo mihi dediti, ut præ immodico, opinor, amore exiſtiment me nunquam *Auguſtini* libros vidiſſe? ſi negarent mihi libros hujus intellectos, humanum erat convitium, & cum multis commune. At quæ ſit impudentia, velle Scriptorem cum Scriptore conferre, cum alterum omnino non legeris? At quî conjectura hæc in mentem incidit *Eraſmicis*? nam certum ſcire non poſſunt, quid legerim, aut non legerim. Imo ſi tu, juvenis adhuc ut audio, in *Durandis*, *Gabrielibus*, in palæſtris ſcholaſticis aſſidue verſans, *Auguſtinum* legere potuiſti, mihi

A

B

C

D

E

F

quinquagenario, qui ſemper veterem illam Theologiam magis ſum amplexus, nunquam vacavit *Auguſtinum* legere? Quid cum hunc toties citem in libellis ante complures annos editis, non videor legiſſe quicquam *Auguſtini*? Iſti, puto, credunt me non legiſſe libros *Hieronymi*, prius quam ederem illius Opera. Imo *Auguſtinum* primum omnium legi, & relego cotidie, quoties res poſtulat. Et quo magis lego, hoc magis mihi placet meum de utroque judicium. Pateris, eruditiſſime vir, me viciſſim de te divinare? Si ſentis ut ſcribis, non legiſti noſtra. Alioqui nullum ferme eſt Opus *Auguſtini*, unde non producam teſtimonium, locis, ni fallor, plus ſexcentis. Et poſt hæc hortaris me, ut incipiam illius libros attingere. Ego candidius de te ſentio, cui puto nihil non lectum, ſed tamen adhortor, ut attentius legas *Hieronymum*, & pedibus in meam diſcedes ſententiam: verum, hic fortaſſe locum habuerit *Horatianum* illud,

*Tres mihi convivæ prope diſſentire videntur,*
*Poſcentes vario multum diverſa palato.*

Aut illud *Terentianum*, *Quot homines, tot ſententiæ*. Certis agamus. Nemo negabit plurimum eſſe momenti ſitum in patria & educatione. *Hieronymus Stridone* natus, quod oppidum ſic *Italiæ* vicinum eſt, ut *Itali* ſibi vindicent; *Romæ* educatus, in urbe primaria ſub eruditiſſimis viris. *Auguſtinus* in *Africa* regione barbara, in qua ſtudia literarum mire frigebant, quod ipſe non diſſimulat in ſuis Epiſtolis *Auguſtinus*. *Hieronymus*, *Chriſtianus* è *Chriſtianis*, una cum ipſo lacte *Chriſti* philoſophiam imbibit. *Auguſtinus*, pene triginta natus annos, nullo præceptore *Paulinas* Epiſtolas legere coepit. *Hieronymus* tali ingenio præditus, triginta quinque annos impendit ſtudio ſanctarum Scripturarum. *Auguſtinus* ſtatim ad epiſcopale munus pertractus eſt, & coactus docere, quod ipſe nondum didicerat. Id ſi mihi non credis, lege ipſius epiſtolam ad *Valerianum* Epiſcopum, qua maxime deprecatur ſpatium aliquod diſcendi, quod alios doceret. Jam fac, ſi libet, patriæ, ingeniorum, præceptorum, educationis, pares eſſe calculos, expendamus quanto inſtructior *Hieronymus* ad hoc negotium acceſſerit. Niſi forte leve momentum eſſe putas, *Græcarum* & *Hebraicarum* literarum peritiam. Tota Philoſophia, tota Theologia tum temporis *Græcorum* erat. *Auguſtinus Græce* neſciit, aut ſi quid attigit, non magnopere fuit uſui ad *Græcorum* Commentarios evolvendos. Demiror autem unde quidam *Auguſtino* tribuant abſolutam *Ariſtotelicæ* Philoſophiæ cognitionem, cum ipſe in *Confeſſionum* libris fateatur, ſibi unicum duntaxat libellum lectum, eumque Latine verſum. Cumque locis compluribus tractet rem dialecticam, ad quam ut erat natura compoſitus, ita impenſe delectatus videtur: velut in opere *De doctrina Chriſtiana*, in libris *De Trinitate*: in libellis aliquot, quos ſcripſit Catechumenus, non declarat ſe quicquam legiſſe præter quinque *Porphyrii* voces, quas *Prædicabilia*, & decem rerum genera, quæ *Prædicamenta* vocant, & librum *De Enunciatione*. Alioqui profer vel unum verbum, quod ex *Priorum* aut *Poſteriorum* libris, aut *Elenchis*, aut *Topicis* ſumptum videri poſſit, ut ſileam interim de *Phyſicis* aut ſupernaturalibus, deque cæteris tam multis hujus Philoſophi voluminibus: præſertim cum in libris, quos Catechumenus ſcripſit, juveniliter etiam jactet, ſi quid deguſtarat philoſophiæ, quos ipſe fatetur adhuc ſuperbiæ ſcholam ſapere. Quid autem erat in univerſa *Græcorum* bibliotheca, quod *Hieronymus* non excuſſerat, quod non velut in indices digeſtum in numerato haberet? Quod ſi ex re libet æſtimare utrunque, *Hieronymus* cum agit adverſus *Jovinianum*, adverſus *Ruffinum*, adverſus *Pelagium*, adverſus *Luciferianos*, quæſo te, nuncubi dialecticum acumen in eo deſideras? Quod ſi nunc eadem argumenta tractent, qui in Dialectica conſenuerunt, tum appareat, quanto præcellat *Hieronymus*, niſi quod non σολοικίζει, non ineptit pueriliter. Et tamen *Auguſtinus Tullium Philoſophaſtrum*

vo-

Digitized by Google

An. 1518. vocat, ipse videlicet Philosophus, cum ille (ni fallor) aliquanto plus legerit in Graeca philosophia, quam *Augustinus* in Libris sacris. Possem in hanc partem multis locis nominatim ex utriusque libris in medium adductis tecum agere, sed neque patitur hoc epistolae modus, & periculum sit, ne cui videar id cupide facere iis, qui *Augustino* impendio favent: cui ego non minus faveo, quam illi, qui fortassis & diligentius illum legi, & viri dotes paulo altius perspexi quam illi, qui nullis bonis literis instructi, tantum *veritates* aliquot, ut illi vocant, tumultuario studio decerpunt. Quid aliis usu veniat, nescio: in me certe comperio, quod dicam; plus me docet Christianae philosophiae unica *Origenis* pagina, quam decem *Augustini*. Et praeter *Origenem* tam multos praeceptores habet *Hieronymus*. Et tamen *Augustinum* sic amo, ut in edendis hujus voluminibus tentarim, quod in *Hieronymo* praestitimus. Proinde, ut finiam, eruditissime *Ecki*, quemadmodum me hortaris, ne obscurem *Augustini* gloriam, quod adeo non facio, ut etiam illustratam cupiam; ita vicissim te hortor, ne obscures *Hieronymi* gloriam, qui ipsum *Augustinum* illustravit, quippe qui tum vehementer proficere coeperit, posteaquam cum *Hieronymo* conflixit. Imo pari studio demus operam, ut ambos quam maxime illustremus, vel imitemur potius. Ipse olim adolescens in ea fui sententia, in qua tu nunc es. Opinor accessione aetatis ac studiorum, nonnihil accessisse judicii. Mutavi sententiam, non quod minus praeclare sentiam de *Augustino*, de quo melius sentio senex, quam adolescens sensi, sed quod propius contemplatus sim *Hieronymum*. Fortassis idem tibi veniet usu. Quod si non evenerit, tamen mihi concedes, ut incolumi nostra amicitia, liceat alicubi abs te dissentire. Quandoquidem inter *Augustinum* & *Hieronymum* non diremit amicitiam, diversa de rebus aliquot opinio. Porro quod polliceris te sedulum & alias monitorem fore, si senseris hoc officio apud me inisse gratiam, nec mihi vacat, optime *Ecki*, quibuslibet sycophantiis respondere. (Quis enim tam indoctus, qui non possit alicubi calumniari librum alienum?) Nec tibi tam male volo, ut optimas tuas horas in re non optima colloces. Non illibenter admonemur a quibuslibet, sed quidam indoctiores sunt, quam ut mihi prosit illorum admonitio, nec tamen ulli magis saeviunt. Quidam sic admonent, ut me traducant, sibi choragium aliquod gloriae comparent. Rursus alii monendi libidine provecti, sic admonent hominem, ut parum meminerint se quoque esse homines. Et tamen minus convenit esse veniae reprehendenti, quam docenti. Pro libellis ad me missis habeo gratiam, gratulor tuae felicitati, applaudo triumphis & ovationibus. Magis autem gratulabor; ubi tibi contigerit otium, & animus arcanam illam *Christi* philosophiam in altissimo silentio, mentisque secessu, recognoscendi, cum te ducet sponsus in cubiculum, in cellam penuariam. Quod in tuis lucubratiunculis, tantis laudibus oneras *Erasmum*, praeter animum ac studium in me tuum, inde nihil agnosco: theatricos istos applausus ac brabea aliis relinquo, ipse talium gloriarum satur. Boni consules has schedas plus quam extemporarias. Bis obrutus eram, cum haec scriberem, & morbo, & studiorum laboribus. Sed quod nunc officio diminutum est, alias exaequabitur. *Urbano Regio*, cujus & eruditio mihi cognita est ex ipsius literis, & humanitas ex officio compertа, multam *Erasmi* verbis salutem dices. Illustrissimo Duci *Herneſto Q. Curtium* dicavi, apud *Schurerium* nuper editum, ne nullo argumento testarer, me illius erga me studii memorem esse. Bene vale. *Basileae* 15. Maji, Anno 1518.

## EPISTOLA CCCLXXVII.

*Des. Erasmus Rot. Paulo Bombasio suo* S. D.

IMO quo potius *Bombasius* ille *Mavortius*, ἢ, ἵνα ὁ μηνυτέον λέξω, δαΐφρων, quam ad *Helvetios*? Nec erat quod illic metueres, ne quemadmodum *Trebatius* apud *Britannos* frigeres, cum passim etiam mediis brumis sudetur in hypocaustis. Distuli tuis respondere literis, quod existimarem fore, ut praesens praesentem amplecterer, vel *Romae*, vel apud *Helvetios*. Eximium *Antonium Puccium* Legatum Apostolicum hic offendi, hominem multis quidem eximiis dotibus suspiciendum, at mihi non alio nomine chariorem, quam quod *Bombasio* ex animo bene vult. Is ubi *Basileam* sese contulisset, protinus per suos me salutat, invitat instanter ad colloquium & prandium. Quid multis? accepit umbras meas, hoc est, eos, quos mihi notos & charos mea causa invitarat, in primis *Beatum* & *Amorbachios*, tibi quoque notos. Ipse vir tantus coactus est in hoc pistrinum descendere, si vellet *Erasmum* complecti. Sed unde, inquies, *Erasmo* tantum supercilii? mi *Bombasi*, tam inhumanum, tamque superbum me non animus, sed morbus reddiderat, omnium sceleratissimus: is me plus mensem afflixit, atque ex intervallo sic repetiit, ut Medicos accerserem, quod non soleo, nisi cum propemodum taedet vitae: & ita haeret malum, quasi destinarit expugnare. *Pacaus* ad nos reversus, non epistolis, sed justis voluminibus, me crebro salutavit: neque tamen contigit colloqui, quod mox à Rege fuerit in *Britanniam* accersitus. Eum tibi cordi fuisse nihil hercule miror ὁμοιον ὁμοίῳ. Is apud suos dici non potest, quam sit charus omnibus, praecipue Regi humanissimo, & Cardinali viro incomparabili. Scis, optime *Bombasi*, quam semper abhorruerim ab aulis Principum; quam vitam ego nihil aliud judico, quam splendidam miseriam ac personatam felicitatem: at in talem aulam lubeat demigrare, si liceat rejuvenescere. Rex, omnium, quos habet haec aetas, cordatissimus, bonis libris delectatur. Regina non tantum in sexus miraculum, literata est: neque minus pietate suspicienda, quam eruditione: apud hos plurimum pollent, qui bonis literis, qui prudentia antecellunt. *Thomas Linacrus* Medicum agit: hunc virum frustra tibi praedicem, cum libris editis qualis sit declaret ipse. *Cuthbertus Tonstallus* illi est à scriniis, quod munus apud illos primae dignitatis habetur. Non credas, mi *Paule*, cum hunc nomino, quam immensum omnium bonarum rerum mundum complectar. *Thomas Morus* est à consiliis, non Musarum modo, sed leporum & Gratiarum delicium unicum, cujus ingenium aliqua ex parte ex illius Scriptis subodorari potuisti. *Pacaus* huic bene germanus, ab Epistolis. *Guilielmus Montjoius* Reginae famulitio praefectus est. *Joannes Coletus* est à sacris concionibus. Praecipuos duntaxat recensui. *Joannes Stocslerus* praeter scholasticam hanc Theologiam, in qua nemini cedit, trium etiam linguarum haud vulgariter peritus, à sacris. Hujusmodi viris ea differta est regia, verius μυσεῖον quam aula: quas tu *Athenas*, quam *Stoam*, aut quod *Lyceum* ejusmodi praetuleris aulae? Quod mihi de *Fabro* gratularis, non minus ingratum est, quam fuit invisa conflictatio: atque utinam ille moderatius lacessisset. Sed ita est, nemo omnibus horis sapit. Hoc quicquid est mali, meis imputare fatis libet. Quid enim aliud faciam? Vir probus est *Faber*, eruditus, humanus, denique vetus etiam amicus. Sed eam felicitatem mihi genius aliquis, opinor, malus invidit: & nunc eo sum in virum animo, ut mihi vehementer molestum sit futurum, si quisquam de *Fabro* mea causa pejus sentiat. De recriminatione rumorem spargunt quidam, qui monomachiis hujusmodi delectantur. Caeterum, inter nos animorum consensus est: neque vero committemus, ut tam veterem, tamque sinceram amicitiam, una nubecula diffidii videatur aboleviſse. Si inter *Barnabam* & *Paulum* incidit παροξυσμὸς, quid novum si inter nos humani quiddam exstitit? Quantum istic eruditi tribuant Scriptis meis, nescio: certe hic plus tribuunt, quam agnoscam. Et tamen non desunt, qui fortiter obganniant: sed ejusmodi ferme, ut aut non legant mea, aut qualiacunque sunt, frustra lecturi sint. Quod ni



Digitized by Google

An. 1518. me tot bonorum virorum candor consolaretur, jam dudum pœniteret tantarum vigiliarum, quas communibus studiis, præcipue vero sacris, pro mea virili juvandis insumo. Rumores, quos vulgo spargunt de *Turcis*, plerisque suspecti sunt, quod toties jam experti sint, alio spectare remiges, alio provehi cymbam: nec usquam esse verius τὸ πολλὰ τὰ πολέμια κενά. Sed quicquid istuc negotii est, precor ut omnibus bene vertat: susciptur enim ingens rerum humanarum commutatio non sine discrimine. De *Marco Musuro* & *Paleoto* rem acerbam nuncias, & interim cum cornicibus omnibus certabit, ὁ πρὸς τλὼ εἴσοδον, ἀλλὰ ταῦτά γε θεῶν ἐν γόνασι κεῖται. Periit & apud *Gallos Faustus*, & apud *Britannos Andreas Ammonius*: quorum alter diu regnavit *Lutetiæ*, alter ad summam dignitatem emersurus erat, si vita diuturnior contigisset. Tu cura ut recte valeas. *Basilea* 26. Julii, Anno 1518.

## EPISTOLA CCCLXXVIII.

Philippus Melanchthon D. Erasmo Roterodamo *S. D.*

An. 1519. SALVTEM *in* Christo Jesu. *Dolet mihi vehementer*, Erasme *clarissime*, *in eam venire tibi suspicionem, nebulonis cujusdam calumnia, quasi notare velim,* ἢ κατοβελίζειν *nobiles illos commentarios tuos sacrorum. Ridiculum sane,* ἢ Ἐλευθέριον Διόνυσον *velle summo* Jovi *obstrepere, deinde iniquum, de optime merente male mereri. Hic vero tuum ipsius animum appello, tamne esse credas malis imbutum moribus? adeone scelerata detrahendi libidine, qui sit tibi antea judicio bonorum virorum probatus? Quaso te per pietatem, ita putes & illum* δολότεχνον *quadruplatorem (satis enim conjicio qui sit) mea simplicitate iniquiter abusum, & accepta nos tibi ferre studia omnia nostra, si qua sunt, ut auctori & parenti. Scio rem tibi leviorem videri, quam ut pluribus agatur: alioqui testes candoris mei allegare possem, quibus fidem habeas. Quanquam hoc sane non pernego, primum visa in* Paraphrasi *mihi quædam* διεξοδικώτερα: *sed altius perpendenti aliter videtur. Hinc ille, sat scio, Tragœdiæ argumentum duxit. Verum, judicia studiosorum ut recta, ita libera esse decet. Cæterum, nullius mihi rei conscius sum, ignosce si quid hac parte peccavi per* Jesum Χριστόν. *Nec enim tam oscitans* Erasmi *lector sum, ut ex illo ipso nondum didicerim, quid præceptori, quid fratri in* Χριστῷ *debeam. Hæc paucis, nam & magno animi mei dolore, & quod ajunt,* αὐτοχεδιαζόμῳ, *iniquo etiam tempore scripsi.* Martinus Luther, *studiosissimus nominis tui, per omnia tibi probari cupit. Vale, vir clarissime. Ex* Lipsia 5. *Januarii, Anno* 1519.

## EPISTOLA CCCLXXIX.

D. Erasmo Roterodamo Petrus Mosellanus *S. D.*

ITA *studia mea* Christus *promoveat*, Erasme *mortalium mihi longe charissime, ut & ante sæpe eorum risi impudentiam, qui labores tuos toti orbi salutares ineptis suis literis interpellant, & nunc idem, aliorum importunitate coactus, facio. Est hic sophistarum, & ut tu recte pariter ac facete vocas,* ματαιολόγων *ingens turba, cum quibus mihi ac paucis quibusdam aliis, pro literarum publico honore stantibus, assidua est pugna. Sed in hoc certamine, qui majorem juventutis partem in suam pertraxerint factionem, abeunt victores. Laboratur utrinque vehementer, hinc viribus, illinc insidiis ac technis.*

Dolus an virtus quis in hoste requirat?

*Ad nos tamen* Mars *in hoc bellorum genere non temere* ἀλλοπρόσαλλος *magis inclinat. Non dubito, quin si tu in nostram partem, velut quoddam* Minervæ *numen, annueris dexter, brevi adeo τὸ ἐπινίκιον simus cantaturi. Jactant nebulones isti cum omnium honestarum literarum, tum vero præcipue Græcarum (eas nos hic ex* Georgii Mysiæ *Principis munificentia publice, si non pro dignitate, certe pro viribus & candide docemus) hostes, apud rude juvenum vulgus, ut maxime sint discenda* Græca, *id quod tot conflictibus vix tandem obtinuimus, ea tamen à me homine* Germano, *aut (sic* Treviros *agnoscunt) semi-Gallo tradi non posse. Quandoquidem, inquiunt, si quid in ea lingua præ vulgo posses, jam pridem cum* Erasmo, *hujus (ut ipsi judicant)* πολυπεραγμοσύνης *apud* Germanos *parente, aliqua tibi intercederet familiaritas, ut minimum mutuo literarum officio contracta. Deinde si quis omnino & tempus & sumptus prodigere velit,* Græcæ *literaturæ cognitionem ab* Italis *ac* Græcis *petendam. Sic enim homines arguti* κρύζοντες, *juventutem ab audiendis* Græcis *absterrere moliuntur. Quasi vero* Erasmus *solos* Budæos, Lascares, Musuros, Bembos, Leonicenos, Aleandros, Reuchlinos, Birchemeros, *mutua amicitiæ honore dignetur: ac non etiam, qua es amabili facilitate, multorum vulgarium improbis sollicitationibus pro tempore nonnihil concedas. Quid enim faceres aliud? Tum non & multis tuarum* lucubrationum *locis aliud agens, qua tua sit de* Italis *præceptoribus sententia, prudenti lectori satis aperias. Neque vero multos adeo nobis abduceret hæc cavillatio, nisi per naturam* μισόπονοι *essemus omnes: & persuasio hæc de* Italorum *eruditione, non tantum* Germaniæ *pestilens, niteretur eorum suffragiis, quos pro sociis hostes experimur, haud scio an non ipsis crassis barbaris multo pejores. Hi sunt, qui tribus quatuorve* Latinis *figuris instructi, alii poetas, oratores alii sese ostentant, & inveniunt homines fortunati se dignos auditores: apud quos* Græcanica *studia, si diis placet, ad rem* Latinam *aut nihil, aut parum admodum facere, magna temeritate declamant. Cujus farina impium quendam nebulonem, nescio quis malus Aquilo in hanc scholam nobis ex ipsa usque* Dalmatia *invexit. Quid multis? rem feceris tum mihi gratissimam, tum nostrarum literarum studiosis hic agentibus jucundissimam, si vel unis literis tuum in nos animum fueris testatus. Dabis hoc meo in te amori, qui in literis tuo judicio jam inde à puero religiose sum usus: dabis istorum, qui bonis omnibus non bene volunt, commiserando stupori. Non eris, opinor, in me solum tui dissimilis, qui alias* Pauli *tui exemplo omnia fieri soles omnibus, nimirum ut quantum in te est, ad bonam mentem omnes perducas.* Joannes Eckius, ὁ τῶν ἀεροβατούντων τὴν τὰ μέγιστα πνεόντων ἄλφα, ἢ ὥσπερ Ἀριστοφάνειός τις Σωκράτης ἀπὸ ταρροῦ τὰς θεὰς ὑπερφρονῶν, *cum* Andrea Carolostadio Vitembergensi *archidiacono pro sua vita, hoc est, corollariis in disputationis arenam descendet. Palæstra erit Theologorum nostrorum* φροντιστήριον; *arbitri quoque nostri* ματαιόλογοι: *de die nondum convenit, magnis apparatibus pugna utrinque adornatur: alter secum* Augustinianam *factionem trahet, alter* Prædicatorum *populum adducet: nam hi nunquam non adsunt, cum τὰ πρὸς τ' ἄλφιτα in discrimen vocantur. Confluent undique rarum conflictum spectaturi: videas commissos nobile par* Scotistarum. *Vis augurer quid sit futurum? Magnis clamoribus res in rixam adducetur: magis, vereor, cruentam ea, quam tu in* Eckio *& Pacidiano festiva* ἀντυπώσει *nobis expressisti. Hæc tibi totius fabulæ κατάσκοφή: nam utriusque stomachum belle novi. Decem* Democriti *satis, quod rideant, habebunt. Eventus rei si dignus erit, tibi perscribetur. Ipse interim bellicum hoc τοῖς μονομαχήσουσιν occinam,* ἔσεσοφοί, μνήσασθε τῆς θαρρεῖν ἀλκῆς: *tum inter spectandum* ῥαψῳδήσω, σοὶ ῥ' ἕβαλον ῥινὸς σάκος τ' ἔγχεα. *Sed quo ego dilabor, qui mei oblitus apud te hominem theologum, quasi familiarem aliquem amiculum jocor? Bene vale, mihi vita charior,* Erasme, *& ut bonis diu bene vivas, cura.* Lipsia 6. *Januarii, An.* 1519.

ILLVD *magnopere te rogo per* Jesum *etiam* Christum, *ne inducas animum credere illis, qui apud te* Philippum Melanchthonem *deferunt. Cave quicquam sinistrum de homine suspiceris: est adolescens optimus, ad summam eruditionem natus, nec pietatem minorem.*

EPI-

KONINKLIJKE
BIBLIOTHEEK

Digitized by Google




Digitized by Google

## EPISTOLA CCCLXXX.

*Eraſmus Rot. Petro Moſellano* S. D.

An. 1519. JAM pridem ex primis illis tuis ad me literis, mi *Petre*, ingenium tuum adamare cœpi, quod mihi tum ſanum ac feſtivum eſſe videbatur: nam ingeniis hujuſmodi ſemper unice ſum delectatus. Offendit enim in nonnullis noſtratium immane quiddam, plus habens ſpiritus, quam judicii: verum, hunc amorem auxit poſterior epiſtola, priorem tum eruditione, tum elegantia ſuperans. Cæterum, ſimulatque legiſſem orationem illam tuam, qua linguis patrocinaris adverſus eos, qui ad benedicendum elingues, ad obtrectandum melioribus ſtudiis linguaciſſimi ſunt: tantam ſpem de tuo ingenio concepi, ut vix de quoquam alio parem. Adeo vivit oratio, adeo fluit, ſecumque rapit lectorem, ſolidis argumentis referta: in quibus inveniendis acutus, tractandis item egregium præbes artificem. Sermo multam variamque reſipit lectionem: quod in juvene magis etiam mirandum. Quod ſcribis, iſthic fervere pugnam inter melioris literaturæ profeſſores, & veteris incitiæ patronos, nihil miror, cum ubique ſic ferveat, ut prorſus res vel ex conſpiratione, vel fato quodam geri videatur. Aſtrologos aliquot conſului, hujus artis profeſſione claros: ii mali cauſam in anni ſuperioris eclipſim referunt. Ea contigit, ni fallor, in Ariete, Aries autem ad caput pertinet: ad hæc *Mercurius* vitiatus eſt afflatu *Saturni*; proinde malum hoc potiſſimum illos afficere, qui *Mercurio* ſubſunt: inter quos numerant *Lovanienſes*. Siquidem hæc Academia, in qua tranquilliſſime ſolent florere literarum ſtudia, miris tumultibus agitata eſt, ut ego certe nihil unquam ſimile viderim in vita. Dixiſſes Aten quampiam turbare ſtudiorum negotium. Cæterum, quid divinent Aſtrologi, ipſi viderint: ego ſi quid mihi naris eſt, arbitror rem à conjuratis ac devotis ex compoſito geri: adeo ceu dato ſigno clamatum eſt ubique gentium in linguas, in bonas literas. Conglomerant ſe phalanges, quo vel numero defendantur adverſus paucos. Partiuntur operas inter ſeſe, ut alii blaterent in conviviis & conciliabulis: alii apud imperitam plebem vociferentur, cui imponere facillimum eſt: alii diſputent in ſcholis: alii magnatibus ſuum virus inſtillent in aurem. Sunt & qui libros ſcriptitent, præſertim *Coloniæ*, quæ ſchola ſemper habuit pertinaciſſimos malorum literarum propugnatores. Exiit nuper in vulgus & apud nos dialogus *Jacobi Latomi* Theologi, viri pridem nec admodum iniqui melioribus literis, & amici ſatis candidi: nec ſatis conjectare queo, quæ res hominis ingenium ſubito verterit. Sunt qui ſuſpicentur bonam prioris libri partem oppoſitam orationi tuæ, qua linguas prædicas: ſed multo maximam partem oblique tortam in me. Eam ſuſpicionem à me depuli libello bidui labore effuſo verius quam ſcripto: pigebat enim in hujuſmodi næniis multum operæ collocare. Nec tibi ſum futurus auctor, ut homini reſpondeas: aut ſi quid reſpondeas, argumentis rem agas potius, quam conviciis: præſertim cum ille temperarit à nominibus, nec admodum virulente ſcribat. Quod ſi maxime faceret, tamen ſuaſerim calamo moderari, ut poſteritas intelligat, nos non tantum cauſa, verum etiam modeſtia fuiſſe ſuperiores. Olim furor tributus eſt Poetis: nunc is videtur ad eos demigraſſe, quos maxime decebat σωφροσύνη. Quanquam immane, quantum intereſt inter Poetarum & horum furorem. Ille nobis tot egregios libros dedit, de rebus olim geſtis, de moribus, de affectibus, de ſyderibus, de naturis herbarum, arborum, gemmarum, animantium, de ſitu locorum: ab horum furore præter virulentas, ſed frigidas & inutiles ſycophantias nihil naſcitur, in quibus iſtis tota victoriæ ſpes ſita eſt. Qua quidem in re primas tenent Monachorum greges quidam: quorum cum tantus ſit numerus, ut ab his vel *Turca* profligari poſſit, habent emiſſarios complures, huic præ-



A claro negotio deſtinatos, ut obambulantes fœdos rumores ſpargant, aut in concionibus populum ad lapides provocent. Hi quoties extulerunt *Eraſmum*? quoties vaniſſimis rumoribus impetierunt? Et cum hujuſmodi factis ſibi videntur *Chriſtiane* religionis columina, digni nimirum, quos ocioſos ſuo ſumptu mundus alat. Quanquam nolim hac invidia gravari Monachorum ordines, in quibus optimo cuique non probantur iſta. Verum, ubique improbiſſimi quique tyrannidem ſibi vindicant, per hos videlicet res geritur, velut omnium nomine: itaque fit ut ob paucorum malitiam male audiant univerſi. Atque hic non ſolum deſidero *Chriſtianam* mentem in his, qui peculiariter ſibi vindicant religionis gloriam, verum etiam frontem ac prudentiam deſidero. Etenim cum ſpargunt manifeſtiſſima mendacia, facile divinare poſſunt, fore ut protinus ipſa re coarguantur. Quid enim impudentius iſto Monacho, de quo ſcribis in oratione tua, qui ex eo, quod annotaram, συλαλοῦντες rectius verti *confabulantes*, non veritus ſit apud populum affirmare, mihi literas Euangelicas nihil aliud eſſe quam fabulas aniles: cum ubique tantum tribuam Euangelicis literis, ut quidam id non ſatis æquis animis ferant. O divinæ doctrinæ præconem! ô linguam prædicandæ gloriæ *Chriſti* conſecratam! Hæc cum ſibi permittant, indignantur, ac cœlum terræ miſcent, ſi quis verbo perſtringat quorundam Monachorum ceremonias, etiam citra nominis injuriam. Cumque tam impotens odium præ ſe ferant, ut lymphati videri poſſint, ſe tamen judicant idoneos, quorum calculis *Chriſtiani* ſimus, aut ſecus. Fuit & hic quidam ejuſdem farinæ Theologus, antehac habitus ſobrius: qui cum *Lutheri* cauſam apud populum feciſſet quam poterat odioſiſſimam, hæreſes, & Antichriſtos, & periculum fidei *Chriſtianæ* ſubinde vociferans; negotium linguarum ac politioris literaturæ cum illius negotio commiſcuit, dictitans ex his fontibus hæreſes naſci: quaſi vel olim eloquentia fuiſſet hæreticorum magis quam orthodoxorum, vel nuper qui fuerunt hæreſeos auctores, iidem non fuerint infantes & elingues, breviter iſtis ſimillimi: vel quaſi *Lutherus* his præſidiis inſtructus eſſet, ac non magis ſcholaſticis literis: his, inquam, quæ nunc ſcholaſticæ vocantur. Cum proxime Cæſar eſſet *Antuerpiæ*, *Matthæus* Cardinalis *Sedunenſis*, homo doctus, liberique judicii, me vocarat ad prandium. Huic, ut ex ejus colloquio didici, Theologi neſcio qui perſuaſerant mendacium omnium impudentiſſimum, me in Cantico divæ *Mariæ*, cujus initium, *Magnificat anima*, pro *Abraham & ſemini ejus*, mutaſſe, *& ſeminibus ejus*, non abſque ingenti periculo *Chriſtianæ* fidei, quod *Paulus* ſcripſerit non *in ſeminibus*, ſed *in ſemine tuo quod eſt Chriſtus*. Domum reverſus adeo codicem, ac deprehendo quam fuerit & effrons & excors ille, quiſquis hoc ex ſe commentus erat. Erat alter quidam κηρυκτὴς, qui lamentabili voce deploravit apud populum, tot vigilias, pro tuenda fide *Chriſti* ſuſceptas, inanes ac ſteriles eſſe. Quid ſupereſt nobis, inquit, niſi ut noſtros libros conjiciamus in ignem, poſteaquam exſtiterunt qui novis libris & *Pater noſter* corrigant, & *Magnificat*? tum enim recens exierant *Annotationes meæ in Novum Teſtamentum*. Ipſe quendam audivi *Carmelitam*, hominem bonis lateribus, ac titulo pileoque violaceo Theologiæ doctorem. Is cum ſentiret adeſſe me (ſtabam enim è regione) ex peccatis tribus in Spiritum ſanctum duo mihi impegit: præſumptionem, qui novis libris damnarem omnes veteres, adeo ut non dubitarem & *Precationem Dominicam* emendare, & *Mariæ Canticum*: tum impugnationem agnitæ veritatis, quod auditis eodem die duobus concionatoribus, in cœna dixiſſem, neutrum ſatis intellexiſſe ſuum thema. Erat autem ex prioris Epiſtolæ *Petri* capite quarto, *Eſtote prudentes, & vigilate in Orationibus; ante omnia autem in vobiſmetipſis charitatem continuam habentes*: hic bona pars concionis conſumpta eſt in partibus prudentiæ, cum *Græce* ſit ζωφρονήσατε· bona in vobiſmetipſis de ordine charitatis, cum in



Digitized by Google

An. 1519. ἑαυτοῖς sit, *inter vos*. Nec tamen infectatus sum illorum errorem, sed laudata utriusque concione: utinam, inquam, hoc accessisset; nam quinque verbis ex *Annotationibus* meis poterant ab hoc errore prohiberi. Neque tamen leve flagitium est, eum, qui apud populum cum tanta docet auctoritate, non intelligere basim totius orationis. Hunc meum sermonem cum doctor ille, ex nescio quo, cognovisset, sæpenumero, inquit, concionatus sum apud vos, & *Christo* favente concionabor. Verum, si quis dicat, concionatorem non intelligere thema concionis, præsertim cum id sumpserit ex sacris Literis, is peccat adversus Spiritum sanctum. Adhærebat lateri meo *Petrus Ægidius* mire candidus amicus. Is ira disrumpi: ego risum tenere non potui. Quis enim tam ridicula non rideat? Et tamen isti putant æquum, ut ob unum talem rabulam ingens Monachorum grex alatur ex publico. Cum primum prodisset in lucem Novum Testamentum à me restitutum, *Carmelita* quidam Theologus, suo ipsius judicio mire doctus ac pius, vociferabatur, ingens imminere discrimen *Christianæ* religioni, instare adventum *Antichristi*: nam hujusmodi tragœdiis territant superstitiosam plebeculam. Ubi ventum est in colloquium mutuum, & hominem rogarem, urgeremque, proferret, quid offenderet in Novo Testamento: Respondit satis ingenue, sibi codicem neque lectum neque conspectum fuisse. Idque fere comperio, nullos odiosius clamitare, quam qui nostra non legunt. Vix dum prodierat Novum Testamentum, cum *Argentorati* Prædicator quispiam (nam ut olim is Ordo complures habuit egregie doctos viros, ita nunc habet permultos, qui nescio quid tyrannidis affectant) in corona studiosorum plenis, ut ajunt, tibiis detonabat in Opus illud. Aderat *Jacobus Sturmius*, juvenis ingenio faceto, summo judicio, doctrina non vulgari, ac nostri cum primis studiosus. Is passus est hominem ad satietatem usque deblaterare. Cum nihil jam non dixisset, atque ut ipsi visum est feliciter, rogavit hominem *Sturmius*, an Opus vidisset, negavit. Quî potes igitur, inquit, tam multa prædicare de Opere, quod nec legeris, nec videris? Risere cuncti, nec tamen puduit illum impudentiæ suæ. Hoc genus fabularum si velim recensere nullus futurus sit modus. Nuper sycophanta quispiam, qui sibi non modo Theologus, cum nihil sit minus, verum etiam sanctulus videtur, in literis ad amicum, me, qui tantis vigiliis & restituere sum conatus, & illustrare lectionem ecclesiasticam, vocat calumniatorem ecclesiasticæ lectionis, se defensorem. Ac proximis hisce diebus alius quispiam loquacissima balbutie, qui cum loqui nesciret, tacere tamen non potest, velut in hoc conductus diversis oppidis miro studio meas laudes deprædicarat, non solum doctrinam incessens, sed & vitam miris sycophantiis. Forte evenit, ut in idem convivium incideremus, cum pridie amicus quidam fabulæ partem ad me perscripsisset. Expostulo palam, doctis aliquot testibus, profero mendacia, quibus me traduxerat. Ibi satis testatus est homo, quæ prædicarat, non è sua lectione, sed ex aliorum relatu prædicasse. Et perinde quasi mediocre scelus sit, alienam famam mendaciis incessere, audent cum hujusmodi factis ad sacrosanctam *Christi* mensam accedere, nondum reconciliato quem læserunt. Adeo juxta *Tychonii* dictum, *quod volumus, sanctum est nobis*. Ac prorsus novum calumniandi genus. Primum damnant quod oderunt: deinde venantur quod carpant in eo, quod damnarunt. Quod si quis obsistat aut reclamet illorum sycophantiis, tum clamitant, turbari pacem ac tranquillitatem: perinde quasi quem alâpis cædas, jubeas conquiescere, ne quid tumultus oriatur. Horum tenera majestas, & verbo etiam irritabilis, à nobis plusquam *Socraticam* exigit patientiam: & tam vilem habent alienam famam, qui suam tam charam haberi volunt. Sed næ ego ineptus, mi *Petre*, qui de his tam multa. Finem faciam, si unicam adhuc fabulam addidero. *Anglia* duas habet Academias haudquaquam incelebres, *Cantabrigiam* & *Oxoniam*. In utraque traduntur *Græcæ* literæ, sed *Cantabrigiæ* tranquille, quod ejus scholæ princeps sit *Joannes Fischerius* Episcopus *Roffensis*, non eruditione tantum, sed & vita Theologica. Verum, *Oxoniæ* cum juvenis quidam, non vulgariter doctus, satis feliciter *Græca* profiteretur, barbarus quispiam in populari concione, magnis & atrocibus conviciis debacchari cœpit in *Græcas* literas. At Rex, ut non indoctus ipse, ita bonis literis favens, qui tum forte in propinquo erat, re per *Morum* & *Pacæum* cognita, denunciavit, ut volentes ac lubentes *Græcanicam* literaturam amplecterentur. Ita rabulis illis impositum est silentium. Accipe & alteram huic similem fabellam. Theologus quidam, cum in aula concionaretur apud eundem Regem, cœpit in *Græcas* literas, & novos interpretes non minus impudenter quam stolide debacchari. *Pacæus* in Regem conjecit oculos, observans quo vultu hæc audiret: Is mox *Pacæo* suaviter arrisit. Peracta concione jussus est adesse Theologus. Datum est *Moro* negotium, ut adversus hunc tueretur *Græcas* literas. Rex ei disputationi voluit interesse. Ubi *Morus* multa facundissime dixisset; jamque Theologi responsio exspectaretur: Is flexis poplitibus nihil aliud quam veniam deprecatus est: sic tamen extenuans admissum, ut diceret, se inter concionandum spiritu quodam afflatum, hoc in linguam *Græcam* effudisse. Tum Rex: Atqui, inquit, spiritus iste non erat *Christi*, sed stultitiæ. Deinde rogat, num quid legisset *Erasmicum*. Neque enim latuit Regem, quod in me torserat quædam. Negat legisse. At isto, inquit, argumento declaras te palam esse fatuum, qui damnes quod non legeris. Sub hæc Theologus: Legi, inquit, rem quandam, quæ vocatur *Moria*. Hic *Pacæus* interloquens: Hoc, ait, argumentum, sereniſsime Rex, huic maxime congruit. Denique commentus est Theologus & aliud enthymema, quo leniret factum: *Græcis*, inquit, literis non perinde sum infensus, quod originem habeant ex lingua *Hebraica*. Rex admiratus insignem hominis stultitiam, jussit abire: sed hac lege, ne unquam rediret in aula concionaturus. Atque utinam nobis talis quispiam esset Princeps, aut Principis vice. Vos feliciores, si modo vera sunt, quæ ante complures annos mihi sunt de Duce *Georgio* prædicata. Non mihi tempero, quin & illud admodum ridiculum addam, Episcopus quidam Ordinis *Prædicatorum*, qui Reginæ est à confessionibus, fœminæ cum primis prudenti ac piæ, nec indoctæ, persuaserat, me facinus inexcusabile desiignasse, qui *Hieronymi* libros correxerim, viri doctissimi, atque etiam sancti. Ea persuasa sic expostulat cum aulico quodam mihi amico: Nonne, inquit, *Hieronymus* fuit vir eruditissimus? fuit. Nonne in cœlis agit? agit: quid tum postea? Quo igitur colore defendes *Erasmum* tuum, qui libros illius correxit: an plus sapit ille quam *Hieronymus*? Atque eadem hic prædicant *serio*, qui sibi videntur Ecclesiæ columina. Tales habemus adversarios. Tales habet *Christi* religio defensores. Nihil esse potest stupidius, nihil insulsius. Et tamen hujusmodi calumniis apud indoctam plebem ac simplices mulierculas traducimur. Sed nugarum jam satis est. Porro quod serius respondeo tuis literis, quidvis potius suspiceris in causa fuisse, quam tui neglectum. Obruor quotidie literarum fasciculis: si non respondeo, videor inhumanus: sin respondeo, triplex incommodum capio: Primum, nec his satisfacio, quibus, ut est necesse, respondeo quicquid in buccam venit; deinde hujusmodi tumultuaria scriptione stylum per se satis malum reddo deteriorem; postremo famæ detrimentum facio. Ridiculum autem, malle ab *Italia* petere quod domi habeas. Sic vulgus existimat optimum medicum, qui se fingat *Arabem*, aut *Indum*, è locorum intervallo famam aucupans apud stultos. Sed ab hoc affectu convenit eruditos quam longissime abesse. Quisquis callet bonas literas, is nobis *Italus* esse debet. Mihi posthac non est consilium, cum

Digitized by Google

KONINKLIJKE
BIBLIOTHEEK

Digitized by Google

Digitized by Google

An. 1519. cum hoc hominum genere manus conferere. Jam veteranus sum, ac missione dignus: & cursu fessus, vobis juvenibus lampada trado. Vel sine me continget τὸ ἀπνίκιον, si modo perges qua cœpisti. *Philippus Melanchton* apud me patrono non eget, aut deprecatore. Faveo juveni, ut cui maxime. Plusquam atrox injuria sit oportet, quæ apud me dirimat amicitiam. Bene vale. *Lovanio*, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCLXXXI.

*Erasmus Rot. Jodoco Noetio, Consiliario Brabantiæ*, S. D.

ORNATISSIME *Jodoce*. Si clarissimus simul & prudentissimus Cancellarius favebit in hac causa libertati studiorum, maximè faciet ex sententia Regis nostri, qui haud dubie cupit suam Academiam quam maxime florere honestis disciplinis. Quod objiciunt de supplicando, merum commentum est, & hujus quosdam jam pudet, quanquam alioqui satis perfrictæ frontis. Res per paucos conjuratos acta est, qui sua doctrina contenti magis student augendæ rei, quam literis; nec curant quantum proficiant juvenes, modo ipsi *Lovanii* suo regnent arbitratu. Nusquam est Academia, quæ modestiores habeat juvenes, minusque tumultuantes, quam hodie *Lovanium*. Horum bonitate jamdiu abutuntur isti, & ingenuos juvenes habent pene pro emptitiis mancipiis. At illi consul, consul non erat, cui ipse non esset senator. Si quid murmuris aut tumultus est, ab ipsis est, non à juvenibus. Mihi hic nec seritur, nec metitur, ipse nec lego cuiquam, nec audio quenquam. A nemine colligo quicquam, do nonnullis. Sed tamen movet me publica causa studiorum. *Nesenus* hospes est, & linguæ nostratis imperitus, quo magis favendum est viro alioqui docto, integro ac modesto. Mitto tibi dono volumen epistolarum: quo cum erit ocium, fallas horas aliquot. Bene vale, meque magnifico Cancellario commenda. *Lovanio* 7. Januarii, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCLXXXII.

Christophorus Longolius Jacobo Lucæ, Decano Aurelianensi, *S. D.*

NVNQVAM *nobis sane non deerit scribendi argumentum, nisi (ut te olim monui) mutuis id interrogationibus excitemus: quo nomine scripsi ad te hand ita pridem, mihi adeo gratum fore, si plenius ex te intelligerem, cur Princeps vester* Erasmum Budæo *prætulerit*, Germanum Gallo, *exterum civi, ignotum familiari. Nam quod ad eruditionem pertinet, non video qua in re* Budæus Erasmo *cedat: sive humaniores, sive Christiano dignas homine literas æstimare libeat. Quod vero ad dicendi facultatem pertinet, parem, mea sententia, in tam diverso dicendi genere laudem merentur. Beatissima in ambobus & rerum & verborum copia: sed ita ut alter altius exspatietur, alter angustiore quidem alveo, verum altiore ingentem aquarum vim trahat: fluit ille plenior, hic fertur rapidior. In* Budæo *videor mihi agnoscere plus nervorum, sanguinis, spiritus: in* Erasmo *plus carnis, cutis, coloris. In illo plus diligentiæ, in hoc plus facilitatis: creber ille sententiis, hic facetiis: Ille omnia utilitati, hic plurimum delectationi tribuit. Pugnat* Budæus *cura, ingenio, gravitate, dignitate*: Erasmus *arte, subtilitate, lenitate, jucunditate ad victoriam contendit. Hunc amare possis, illum admirari: Huic favere, parere illi. Profecto ille me violenter cogit, hic suaviter allicit. Ducit alter blanditiis, alter viribus trahit, verborum delectu religiosus, proprietate perspicuus. Si res tralationem expostulat, in metaphoris felix, sententiis gravis, figuris varius, summa orationis specie honestus, sublimis, severus, grandiloquus. Contra*, Erasmus *venustus, modestus, popularis, floridus, verborum supellectile dives, compositione simul expeditus, simul nitidus, frequens exemplis, densus argumentis, gra-*



A *tus salibus. Ille in oratione sua totus quidem semper est,* An. *sed tum potissimum tonat, tum fulminat, quum materia* 1519. *temporum nostrorum objurgationem admittit: hic etiam quum moribus convicium facit, magis instituto suo servire atque dolere videtur, malagmatis, collyriis, ceratis, & cæteris id genus leniorum medicamentorum remediis sanitati consulens: ut ille amarulentis quidem illis, sed hac tempestate necessariis potionibus, sectionibus, causteriis alte grassantem vim morbi insectatur. Breviter, si historiam scripturi sint*, Budæus Thucydidem *magis quam* Salustium, Erasmus Livium *quam* Herodotum *retulerit. Si poema pangendum, hic Tragicum &* B *Heroicum quiddam verborum, sententiarumque pondere altius intonabit: Ille Comœdiam urbanius, Lyricos suavius, Elegiam mollius inspirabit. Assurgit tamen & hic quoque alieno ingenio, suo vero tam difficulter, quam ille nunquam, etiamsi velit, sese demittere queat: alioqui superiores illa virtutes ut neutri desunt, sic in altero magis patent, in altero magis latent: effectu pares, habitu dissimiles, ut haud prorsus aberret quisquis hunc concioni, illum judiciis natum dixerit: alterum* Palladis *numine afflatum, alterum Gratiarum choro stipatum. Cæterum, ut intelligas nihil esse, quod sit ab omni, ut ille ait, parte beatum, aut certe quod omnium stomacho satis possit facere: Audi quid in eis hi desiderant, qui se aliquod operæ precium in re literaria fecisse arbi-* C *trantur.* Budæus *hoc illis peccare videtur, quod nihil peccet:* Erasmus *quod vitiis suis faveat: Illum enim, dum scrupulosius omnia ad Veterum normam exigit, sæpe oblitum eorum quibus scribit, sibi tantum & Musis canere; hunc, dum ingenio suo nimis indulget, nihilque putat esse tam vulgare, quod non aliquando in oratione suum sibi locum honeste vindicet, turbidum interim fluere: Illum potius nobis significare quid velit quam dicere; hunc immodica sermonis ubertate, veluti lato gramine sata strangulare: Illum oratione nunc obliqua verticosum, nunc figurata elatum, sæpe intumescere; hunc recto nudoque ductu humiliorem, plerunque humi serpere: hunc lascivia molliorem, illum austeritate duriorem. Deni-* D *que alterum doctis mirum in modum posse placere, alterum etiam imperitis, si in tam secunda (ut illorum verbis utar) facundia modum tenerent, & suo semper freti ingenio, alieno nonnunquam essent diserti, vel judicio vel consilio. Nam cum præstare possint quicquid volunt, par est, inquiunt, ut optima quæque velint, nec sese ambitiosius nobis venditent: eo res nostras recidisse, ut mature potius juvandi quam intempestive delectandi simus: pro suscepto operis instituto fideliter docendi, non crebris licentiosissimisque excursionibus ambagiose suspendendi: digredi quidem* Senecam & Plinium, *sed alterum parce, alterum raro, nec sic quoque quæsito, nec nisi oblato argumento. Hæc Critici: quorum sententiæ* E *quo minus statim subscribam, faciunt cum alia multa, tum quod non defuere clari Oratores, qui non Grammaticos, sed populum eloquentiæ judicem statuerint. Esto, sit porrigendus doctis modo calculus, sint soli literarum principes hac de re in consilium mittendi, quisnam amabo hac ætate dignus, cui tam superba censura jure credatur? Tuebuntur se uterque haud magnis solum exemplis, sed etiam validissimis argumentis. Dicent se non perperam scribere, sed illos corrupte judicare: in orationibus suis non nasci, sed ab imperitis spinas afferri:* Erasmus *se omnium rationem habuisse*, Budæus *paucorum theatro contentum esse. Itaque ipse nihil decerno, vel ne sutor (ut ajunt) supra crepidam: vel quod apud* F *me paria faciant, hoc est, virtutibus, si qua sunt, vitia pensent, atque adeo superent. Habent enim plus quod laudem, quam quod ignoscam. Illud tantum miror, quod ab initio dicebam: Cur Princeps vester in tanta* Budæi *probitate, doctrina, eloquentia*, Germanum Gallo, *exterum civi, ignotum familiari prætulerit. Nec hoc dico, quod* Erasmi *fortuna invideam. Studeo namque homini, si quis mortalium alius, tametsi de facie nunquam mihi viso, idque ob communem patriam (sumus enim ejusdem, ut nosti, & linguæ & ditionis) colo autem ob eximias*



Digitized by Google

illas animi dotes, quas in eo ita ſuſpicio, ut votorum meorum ſumma ſit, hinc ad annum etiam alterum ſupra viceſimum, quo me ætate ſuperat, ſi non illum, quem nunc tenet, ſaltem proximum eloquentiæ gradum attingere. Improbum, inquis, votum: improbum ſane, ſed quod nec ipſe plane improbet. Ego nec exiſtimationi, nec commodis tanti viri invideo, cujus eloquentia apud me pluris eſt, quam totius Galliæ opes. Sed in hoc iſta ſcribo, ut ſi quid habes, actutum me certiorem facias, cur ſemper neglectis Gallorum, nunc primum faſtiditis Italorum ingeniis, Germanica tam ambitioſe aſſectemini. Vale. Ex Urbe Roma 29. Januarii, Anno 1519.

An. 1519.

## EPISTOLA CCCLXXXIII.

### Guilielmus Budæus Eraſmo Rot. S. D.

VIDI enarrationem, quam in epiſtolam meam ſcripſiſti, illam ſcilicet, humanitatis plenam, ſed tibi antea inuſitatæ, in qua etſi omnia mihi perplacuerunt, tamen variis curis implicitus, nunc (ut arbitror) non reſpondiſſem, niſi in epiſtola tua appendicula obticeſcere me vetuiſſes. Nam ne me adeo ſupini ocii hominem eſſe putes, qui diu jam paterfamilias factus, ſeptimo etiam filio auctus ſim: domum nuper emi, in eamque migravi, ſimul & reconcinnandam fabris tumultuarie locavi, libris interim & chartis in congerie jacentibus. In hac tranſitione opes meas recenſui, antea mihi incognitas, ne me non ſerio accipere putes, quod de divitiis meis adſperſiſti. Quod tamen ipſum quonam modo in mentem tibi venerit, non intelligo: cum in libris & liberis bonam cenſus mei partem habere me, ſemper præ me tulerim, atque etiam teſtatus ſim. Sed quam illud ſcitum mihi viſum eſſe cenſes, quod in Epimethei mentione dicacem me & eruditum, velut ex commentario facis: ut paucula quædam, quæ tu bona dicta vocas, ſepoſita velut in numerato habeam, quæ etiam ipſa perditurus eram, niſi te amicum nactus eſſem, in quem ipſa intorquerem. Memini alias abs te neſcio quid ſimile in me jactatum, etſi nunc notare locum non poſſim. Eja tu, cui vel joco amicum perſtringere religio eſt, tam ſtupidæ auris eſſe me lectorem putaſti, ut id ſemel dictum non ſatis exaudiſſem? Ante te paræmiologon id jus fuiſſe ſcimus, ut antiquorum inventis ſtudioſiſſimo cuique ita uti frui liceret, ut ne in alienam quidem poſſeſſionem invaſiſſe videretur, ſed veluti floribus decerptis, uti in agro publico enatis, & occupaturo expoſitis. Nunc poſt volumina illa paræmiarum tuarum edita, iis tantum uti licebit credo quæ tu concenturiaſti, & veluti in numeros legitimos redegiſti. Quaſi vero ſi quis compaſcuum agrum maceria concluſerit, ut vicinia interſepiat, id ſe uſu cepiſſe jure contendere poſſit, ac ſuum propriumque feciſſe. Quod eo etiam iniquius eſſe poſſit, ſi paræmiarum appellationem ita late patere volueris, ut omnia belle, ſcite, lepide dicta tui juris feceris. Sed ſit ita ſane, ut hoc jure tuo feceris, cui omnium rei literariæ partium conſtitutio, arbitriumque, conſenſu publico mandata ſunt aut permiſſa: liceat ſaltem precario iſtis uti, ut de Epimetheo notaſti: & à te utenda rogare, iis præſertim qui rerum commercia noverunt, & aliena etiam facere ſui mancipii poſſunt. Cujuſmodi autem iſta eſt improbitas, ut in mari illo & pelago antiquitatis, quod omnium jure naturali commune eſt (ſi juris peritis credimus) expiſcari unus homo belliſſimum quodque permittat ſibi, & piſcationis uſu omnibus interdicat? Parum erat (credo) Adagiorum volumina anniverſario labore repetita, ad circumfluentem uſque copiam auxiſſe, & velut everriculo quodam iniquarum macularum, gratiam & venuſtatem antiquæ lectionis exhauſiſſe, niſi etiam aliis invideres qui veſtigia tua ſequuntur. Atqui ſi vir bonus ſis, taliſque, qualem te eſſe ſemper exiſtimavi, quum latifundia utriuſque linguæ ita meſſueris, ut inde magnam tibi gloriam compararis, nobis non ſuccenſebis, ſi tanquam ſpicilegio perſequamur, quæ vel oculos tuos in tanta copia fugerunt, vel à te neglecta ſunt, quanquam frugi homine atque etiam tenaciſſimo, νῦν ὴ σὺ βασιλικῶς πῶς καὶ τοῖς ὀπιπαλαμοῖς ἐνοχλεῖς, ὁ πάντας γε τὰς λήμνιας τῶν μυσῶν, καὶ πάντα τὰ λήϊα τῶν παλαιῶν ἀποθερίσας; Quin id etiam ſcire pervelim, niſi curioſus eſſe videar, quando illa dicta ſepoſita perdere me nolle dicis: an qua tot tantaque edis quotidie volumina vix ſufficientibus prælis, atque uni prope tibi vacantibus officinis, ea ex tempore fundas, fanatico furore inſtinctus, nec iſtis texendis ſilum ante ſepoſitum habueris, ſcriniatim etiam titulis prænotatis. Sunt enim qui ajunt, ante annorum hebdomadas apparaſſe te, quæ nunc ἐπαλλήλως exeunt. Quod ſi verum eſſe ſcirem, ego animi tui æquitatem, tuamque charitatem, in publicum amplecterer omni ſuffragii mei favore. Quid enim commendabilius eſt, quam quæ juvenilibus annis congeſſeris, nolle tecum ſepeliri? Mihi enim id perinde eſſe videtur, atque ſi civis quidam Romanus Muſarum divitiis circumfluens, annuis & menſtruis congiariis populi plauſum mereri, bonaque ſua elargiri, in animum induceret, atque ita de omnibus mereri, ut etiam primoribus, & ordinibus teſſeras ſuas mitteret. Quod utinam omnes auri nimium amantes, facilitare ſibi perſuaſiſſent, ut avide congeſtas opes, ante mortem benigne erogarent. Non tantæ paſſim opes hominum commercio eximerentur, & vinculis perpetuis damnatæ ſitu obruerentur. Nam quod ad me pertinet, ego multa inter ſchedas condidiſſe me amicis non inficior, ex quibus volumina non contemnenda aliquando contexere potuiſſem, ſi mihi ſecundiore fortuna uti, & literis feriari contigiſſet. Ut ad reliqua tranſeam: merito me ludificaris, ut nihil penſi habentem, qui illud de Hieronymo dixerim ad tribunal Chriſti rapto: non enim excuſabo quod jocari voluerim, ut tu cavillatus es. Ita fando auditum memineram magis, quam locum ſatis apud Hieronymum annotaram. Mihi tamen veniam dabis, in re non capitali: hujuſcemodi fortaſſe videri illud tuum poſſit de Areopagitis, ad quorum ſubſellia tu furti reos agis. Verum, ut non diffiteor, me multa joco dixiſſe, ita nunquam fatebor me ita impudentem eſſe, ut hujus appellationis non ſuppudeat etiam jocularis. Sed nec amicos tuos, quos viros bonos ac manſueti animi eſſe non dubito, cum tibi ſint amici, ferarum ritu frementes in epiſtola mea feci. Sit ſane ut aliqua non ſuo loco dicam, quando ita tibi viſum eſt, temporum, locorum, dictorumque omnium arbitro: tibique ita me meaque permitto, ut qua ad Tonſtallum de te ſcripſi, ſi vel non ſuo loco dicta vel male locata videntur, ea loco ut moveas: neque id quidem modo, ſed etiam te ut eo ex faſtigio gloriæ & exiſtimationis deducas aut deturbes, in quo te collocatum à me faſtidioſe ſcribis: quandoquidem tam moroſe id quod tibi tribuitur admittis, ut modeſtius fuerit fortaſſe aperte reſpuere. Vide utrius noſtrum æquior ſit querela. Tu cum tua me dejeciſſe clamites, ego mea à te elevari ægre fero. Tametſi ô hominem te æquiſſimum & animi gratiſſimi, qui auctorem me tibi fuiſſe dicis & cauſam, nec Regi, nec Epiſcopo fautori tuo ſcribendi. Hac illa ſunt euangelia, quæ mihi à te deberi contendebam. Imo vero ô hominem te acutum, qui ne in eo quidem loco epiſtolæ me intellexeris, ἐν ᾧ διαπεφύξασθαί σοι τὸ ὑφ' ἡμῶν προαιρεθὲν ἐπεχείρει, ita ut tua tantum partes eſſent ἐν τῷ διαμέλλειν, ἢ οἱονεὶ βαρύνεσθαι ἐπὶ τοῖς ἐπαγγέλμασι τοῖς ἐνθένδε. Tu autem velut ſorex, quod ajunt, qui Mimum evulgaſti. Gaudeo te ſtomachum perpurgaſſe, ut purus putus Eraſmus ad nos tandem tranſeas. Certe omni ope conatus es virus illud fellis exſudare, falſa opinione contractum, cujus graveolentia nondum ita mihi ſtomachum movit: ne te ultum me eſſe magnopere triumphes, ut implacidiore me utare. Itaque ſi quid etiam in imo ſubſedit, excute & te totum perpurga, quando illa catapotia, ut ſpero, epiſtolæ mea voraſti. Quanquam quum impudentiæ crimine nihil atrocius Homerus invenerit, quo tu crebram in me lapidationem feciſti, jocis ſcilicet mecum aſſueſcens, non video quid reliquum tibi feceris, quo lucrulentiorem plagam incutere mihi poſſis. Sed tamen, ſi quid reſtat, recipere plagam non gravabor, dum tuo animo obſequaris. Libens tamen hoc tibi ſuaſerim, ut ſi te adhuc malus ille genius tuus hujuſcemodi agit intemperiis, in illum

An. 1519.

Digitized by Google

An. 1519. *lum exsuccum & monogrammum Theologum, qui tibi se-*
*missis homo male cogitat, mucronem styli tui obvertas.*
*Satis enim mihi videor periculum stomachi tui feciſſe.*
*Interim silentio indulgebo, ut attentius te spectem cum*
*illo congredientem, si quando caput ex insidiis & latebris*
*exeret: & tui stomachi ludos quoquo modo meditabor,*
*qui bellus & delicatus amicus, palpatoribus gaudes a-*
*micis. Proinde si lubet,* Deloino *jam jam non meo, sed*
*tuo scribe, qui mellitis tecum certabit epistolis: quan-*
*quam ipse queritur te alteri jam ejus epistolæ non respon-*
*disse.* Ruzeus *vix ausus est salutem mihi committere,*
*ad te verbis suis mittendam, quem in te merito excan-*
*descere arbitrabar. Ei enim epistolam tuam ostendi, in*
*fronte quidem suavem & illectricem, sed intus amaru-*
*lentam. Itaque auctor tibi sum, ut te totum his amicis*
*des, qui amicitiam tractare mollioribus articulis nove-*
*runt. Ego vero in gratiam cum serius redibo jociſque sa-*
*lutem multam dicam, qui mihi male eloquentiæ tuæ*
*gratiam conciliarunt. Illud calumniæ plenum pene per*
*oblivionem omisi, quod verba tu epistolæ meæ repetens,*
inquis *in præsenti pro* inquies *scripsisse me confingis,*
*quasi vero scilicet superioris tuæ epistolæ verba ementi-*
*tus sim. Hoc enim ipse quereris, cum tamen revera*
*ego per anthypophoram loquerer, non te ita dixisse af-*
*firmans, sed dicere posse: ubique enim* inquies *in fu-*
*turo in scheda mea scriptum est. Ita non argutiis rhe-*
*toricis, ut solebas, sed etiam sycophantiis oppugnare me*
*instituisti. Nondum eram cum Episcopo collocutus, ex*
*quo tu ad eum scripseras, etiamsi literas tuas videram.*
*Vale, & themα aliud auspicare, si tibi τὸ ἀντεπισέλλειν*
*vicissitudo cordi est. Omnia arbitrii tui facio.* Pari-
siis 1. *Februarii, Anno* 1519.

*Locus, qui te conturbat in epistola mea, sic legitur in*
*scheda, quæ est apud me:* Faber toties à me cum ho-
noris præfatione nominatus, nescio quam gratiam mi-
hi rependit, certe ut multis videtur iniquam. Mihi
quoque durius agere mecum videtur, quam pro solito
suo candore. Doleo ansam hanc datam, *& reliqua.*
*Tum ipse prædiceres, quæ tria verba postrema mea sunt*
*hoc sensu, debuisti superioribus verbis addere te* Apolo-
giam *scripturum, tunc fortasse non serus monitor fuissem.*
*Qua ex epistola tua hac sumpserim nescio, cum enim hæc*
*scriberem, nec libros meos expeditos, nec scrinia digesta*
*habebam in hac domo, in quam migravi. Habes epistо-*
*lam & puram & eleganter exaratam, & αὐτόγραφον.*

*Sed omnia mihi tecum licere æquum est, præsertim*
*quum à manu amicum nullum habeam: alienum inquи-*
*rere non vacet, nec suave sit ad te religiose scribere. O-*
*mnia hic imperiose agere cœpimus ex quo* Maximilianus
*mortuus est, ne me jam ut magnopere æquo & clemente*
*usurum te esse speres. Vale rursus & me si lubet ama,*
*quando tuo jussu non obticui. Anno* 1519.

## EPISTOLA CCCLXXXIV.

*Thomæ Card. Eboracensi Erasmus Rot. S. D.*

NVNC meritas do pœnas stultitiæ meæ. Qui po-
teram isthic inter eruditos amicos, & suaviter &
cum dignitate vivere, si benignitatem regiæ majesta-
tis ac tuam ultro oblatam fuissem amplexus, nunc
cogor cum ingratis quibusdam & impudentissimis sy-
cophantis conflictari. Ut sunt fatales corporum mor-
bi, ita video & animorum fatales quasdam esse pestes,
undecunque proficiscuntur: sive ab astris, sive ab i-
psis corporibus aliter atque aliter affectis, sive, quod
magis reor, ab humani generis hoste, qui nulla re ma-
gis gaudet quam nostra discordia. Quis enim alius tan-
tum venени studiis invexit, etiam sacris? à quibus pen-
det tum incolumitas, tum dignitas *Christianæ* religio-
nis? Tam amaris odiis nunc passim inter sese decertant
etiam Theologi, tam virulentis libellis invicem sese
proscindunt, publicis apud populum concionibus sese
mutuo lacerant, mea sententia præstiterit hortum co-
lere quam literas. Atque hac in re nulli peccant impu-
dentius quam hi, qui sub mendicitatis professione ty-
rannidem meditantur. Complures eruditissimi viri ex toto orbe mihi gratias agunt pro Novo Testamento jam bis recognito, inter quos & aliquot Episcopi sunt, atque adeo summus ille omnium *Leo*, ejus nominis decimus. Et istos non pudet, nondum lecto Opere, seditiosis clamoribus apud populum traducere bene merentem. Quales & hic exstitere quidam, & isthic quendam audio fuisse, qui in concione frequenti vociferatus sit, me corrigere voluisse Euangelium *Joannis*, quod pro *Verbo* verterim *Sermonem*: quasi *Joannes* scripserit *Latine*, aut quasi non ante me, Filium Dei pro *Verbo Sermonem* appellarint, *Cyprianus*, *Hilarius*, *Hieronymus*, cumque his innumeri; aut quasi *Sermo* non melius exprimat *Græcam* vocem λόγος, quam *Verbum*. Quid stultius dici potuit apud doctos? At quid apud imperitam multitudinem seditiosius? Cæterum, ubi interim illa dulcedo studiorum, quam narrat *Hieronymus?* ubi illud in campo Scripturarum sine dolore nostro ludere? Quid quod interim bona pars fructus perit utrisque. Nam & illi dum sacris concionibus, quæ præter *Christum* nihil sonare deberent, admiscent suos affectus, minus commovent populum ad pietatem: & nostri libri vel à paucioribus, vel minore cum fructu leguntur, viciata per istos imaginatione, quæ ubique valet plurimum, adeo ut si quis *Augustini* librum legat persuasus esse *Pelagii* hæretici, minimum fructus sit reportaturus. Tua auctoritas succurrit isthic bonis literis, apud nos adhuc cum veteris inscitiæ patronis belligerantibus. Utinam dignetur & sacrorum studiorum tranquillitati consulere, non solum apud *Britannos*, verum etiam toto terrarum orbe. Id facile fiet, si *Romanum* Pontificem literis tuis admoneas, ut sua auctoritate coerceat hanc incessendi licentiam, suam quisque professionem ornet citra contumeliam alienæ, quemadmodum *Paulus* suum glorificat Euangelium, non obscurans tamen euangelium *Petri*. Quod si dissentiunt alicubi ingenia, res *Christiana* modestia peragatur, non diabolica virulentia: argumentis decertetur, non seditiosis clamoribus, ut & victor discedat gloriosior, & victus eruditior. Rem magnam præstiterit tua celsitudo, & de Republica *Christiana* optime merita fuerit, si studiorum tranquillitati dignabitur, ut facit, auctoritate sua consulere. Scripsimus hac de re nonnihil summo Pontifici *Leoni*. Sed quantulum nos homunculi possumus? Absolvi Paraphrases in omnes Epistolas divi *Pauli* germanas, Opus, ni fallor, victurum, & adeo felix, ut illis quoque probetur, quibus nihil placet *Erasmicum*. Utinam mihi liberum esset huic Operi tui nominis facem prætendere. Sed magnis intervallis non uno impetu perfectum est, ita partes laboris diversis inscripsimus. Sed quæretur aliud æque victurum, quod tuæ celsitudini dicabitur? certum est enim his immori laboribus, etiamsi sentio me indies reddi segniorem, non tam ætate quam studiorum laboribus irrequietis, imo tædio contentionum magis, quam laboribus per se jucundis. Bene vale. *Lovanio* 1. Febr. Anno 1519.

## EPISTOLA CCCLXXXV.

*Erasmus Roterodamus N. Ferdinandi Medico & Præceptori S. D.*

SI non mediocriter debet Respublica fideli vigilanti-
que Medico, qui curat Principis corpus, quod ani-
mi, per quem imperat, vel domicilium sit, vel organum,
quantum tibi debet hæc nostra regio? imo non hæc
tantum; nam utcunque res cadent, non potest *Fer-
dinandus* non esse Princeps egregius, qui tanti Regis
sit frater: qui non solum arte medendi advigilas, ut
corporis prospera valetudine gaudeat adolescens, ve-
rum etiam *Christiana* philosophia fingis ac formas ani-
mum illius, sanctissimis opinionibus, ac decretis vero
Principe dignis imbuis pectus adhuc purum ac tracta-
bile? Quanquam ille non tam ætate quam indolis boni-
tate tractabilis esse mihi videtur. Atque utinam complu-
res

Digitized by Google

An. 1519. res tui ſimiles adeſſent, ut aula noſtra *Britannicam* imitaretur, doctiſſimis in omni genere diſciplinarum viris refertam. Ad regiam menſam adſtant eruditi, agitantur literatæ quæſtiunculæ, quæ ad Principum inſtitutionem, aut alioqui ad bonos mores pertinent. Breviter, is eſt aulæ comitatus, ut præ illa nullam non contemnas Academiam. Faxit Deus Opt. Max. ſic invertantur vices rerum humanarum, ut quemadmodum publicas ſcholas invaſit ambitionis, voluptatum & avaritiæ ſtudium, ita Principum aulæ recta ſtudia complectantur. Eſt apud nos *Ludovicus Vives*, *Valentinus*, nondum opinor vigeſimum ſextum egreſſus annum, ſed in nulla Philoſophiæ parte non ſupra vulgum eruditus, tum in bonis literis, atque etiam in dicendi ſcribendique facultate eo progreſſus, ut hoc ſeculo vix alium norim, quem auſim cum hoc committere. Nullum eſt argumentum, in quo non exercuit ſtylum. Nunc Veterum exemplum referens declamat, ſed tanta dexteritate, mihi crede, ut ſi titulum adimas, putes rem non hujus regionis, nec hujus eſſe ſeculi, magis autem felicioribus illis *Ciceronis* ac *Senecæ* temporibus natam, quibus coquis & apiciis aliquanto plus erat eloquentiæ, quam nunc eſt iis, qui videri volunt orbis magiſtri. Artis obſervantiſſimus eſt, ſed ejus affectationem ita diſſimulat, ut neges rem adumbratam agi. Video hunc cum primis eſſe idoneum, qui & tibi in inſtituendo *Ferdinando* ſubſidiarius ſit, præſtetque ne quis aulam iſtam ut infantem atque elinguem contemnat. Ad hujus dotes & illud accedit, quod & *Hiſpanice* callet, utpote natus *Hiſpanus*, & *Gallice* perbelle, ut qui *Lutetiæ* diutule ſit verſatus. Noſtrum ſermonem intelligit magis quam ſonat. Verum, haud ſcio, primum an Card. *Croius*, cui præceptor eſt, paſſurus ſit hominem à ſe divelli, diligit enim eum ita ut meretur effuſiſſime: deinde an expediat, juvenem ampliſſimæ fortunæ raræque indolis tali formatore nudari. Impenſe faveo Principi *Ferdinando*, ſed ita de me meritus eſt Card. ut non auſim moliri quicquam, quod illi ſit incommodo futurum. Poſtremo nondum habeo compertum, an *Vives* ipſe ſuſtineat avelli à tanto patrono, cui ſe novit eſſe chariſſimum. Quod ſi hac in parte tua prudentia mecum ſentit, proximis literis alium tibi deſignabo. Bene vale, vir eximie. *Lovanio* 13. Febr. Anno 1519.

## EPISTOLA CCCLXXXVI.

*Eraſmus Rot. Clariſſimo juveni Antonio à Marca, Abbati Belliloci*, S. D.

PERSVASERAT mihi ille quem noſti, me inirum haud mediocrem gratiam apud tuam celſitudinem, ſi eam aliqua parte ſtudiorum dicata provocaſſem, ſed, ut video, res in diverſum exiit; hoc ipſo videor alienaſſe, quo conabar devincire. De ingenii tui candore, fide, conſtantiaque non libet ſuſpicari, neſcio utrum idem ille gratiam officii mei corruperit, qui ad officium inſtigarat, an opus ipſum tuo judicio parum arrideat. De promiſſo non gravo pudorem tuum, volens atque ultro pollicebaris mihi, nec poſtulanti, nec exſpectanti, ego viciſſim ultro volenſque fidem tuam libero. Non expoſtulabo quod res tentata non ſucceſſerit ex animi tui ſententia, modo id præſtes, quod præſtare tibi in manu eſt, ut *Eraſmum* tui ſtudioſum redames. Nunc ipſa res me docet, bonam felicitatis partem eſſe, nihil magnopere mirari: ſi anxie pependiſſem à tuis promiſſis, jam diſcruciarer fruſtratus; nunc ut leviter ſperabam, ita minimum ſentio doloris ademptæ ſpe. Rex ipſe mihi longe majora detulerat, quam tu audebas polliceri. Tantum autem abeſt ut tibi ſuccenſeam, qui non præſtiteris quod receperas, ut gratiam etiam habeam, quod optaris, quod conatus ſis. Bene vale, vir clariſſime. *Lovanio* 16. Febr. Anno 1519.

## EPISTOLA CCCLXXXVII.

*Eraſmus Roterodamus Guilielmo Budeo ſuo* S. D.

CVM multis nominibus mihi diſpliceat illa bis maledica epiſtola, vel quod κακῶς ἑλληνίζουσα, vel quod, ut tibi quoque videtur, procacior, tamen hoc certe nomine placet, quod una duas extuderit à *Budæo*, non minus eruditas quam copioſas. Ad quas ne reſpondeam, etiamſi tu non vetuiſſes, tamen in præſentia ſane per ſtudiorum tumultus verius quam occupationes nequaquam licebat. Adeo vero me non offendit, quod cum in priore epiſtola, quæ tota ſic *Attice* loquitur, ut non *Lutetiæ*, ſed *Athenis* nata videri queat, veluti juſta jam talione repenſatis commiſſis in te meis, juſſeris poſthac, κρεῖττον εἶναι τὸν τῆς ἀμνηστίας νόμον, rurſus alteram adjeceris ſemi-Græcam ac ſemi-Latinam non paulo ſuperiore jurgioſiorem, ut hoc lucri mihi magnopere gratuler. Itaque jus tibi facio, ut ſi quid etiam poſthac tibi venerit in mentem, quod putabis expoſtulandum, tuo arbitratu effundas incolumi lege quam inter nos ſanximus. Τί γὰρ δεῖ ἡμᾶς ἐξομολογεῖσθαι ἁμαρτήματα, σὲ δὴ καὶ τὸν ἀμφοῖν ἐξομολογήσασθαι, ἢ μᾶλλον ταῦτα. Δέχομαι τὴν ἐξομολόγησιν, καὶ λύω τὸν λύοντα, ἵν' ὦμεν ἡμῖν γίνωνται τὸ τῆς Γαλατείας. Ἐξομολογοῦνται ἀλλήλοις τὰ ἁμαρτήματα, καὶ εὔχονται ὑπὲρ ἀλλήλων, ἔστιν ἰαθῆτε. Θεῖόν ἐστιν εἰπεῖν συγνώμην καὶ παρὰ θεοῦ ἁμαρτάνειν. Ingenii, doctrinæ, & utriuſque facundiæ laudem quid ni tibi lubens cedam, qui hiſce de rebus non ſoleam cum quoquam in certamen deſcendere, nedum cum *Budæo*, hujus ætatis *Milone* quodam, ut ita dixerim, in palæſtra literaria? Candoris & humanitatis laudem, in qua certe par haberi cupiebam, non perinde volens cedo. Sed tamen hanc quoque violentus extorquet, adeo nuſquam non invictus es, ὦ γενναῖε. Ac cæterum quidem etiam, ἢ ὁμολογῶ, ἢ συγχωρῶ σοι ὡς παιδὶ καὶ ἀνηκόῳ λεχθέντα. Τοῦτο μόνον ἐξαίρεσιν ὁ χαίρεις ἐν τῇ δευτέρᾳ ἐπιστολῇ καὶ τῷ Δηλοῖνῷ, εἰ γὰρ οἶδ' ὅπως παροινῶ, οὐκ ἂν δύναιτο φιλονόλαπα ὀνομαζεῖν ἐμὲ μὴ ἔχει αὐτὸν τῶν ὀνομαλῶν πόλαπα. Εὔφημα φαίνει, Βουδαῖε, ἱερὸν γὰρ ἡ φιλία, καὶ θέμις τὰ αἰνίγματα κινεῖν. Οὐχ ὕπνος μαίνομαι, ὥστε σὲ ἄνδρὸς τοιούτου τοιάδε χάψαι μὲ ἢ νοῆσαι. Relegi Græcam illam meam epiſtolam, nihil illic video, unde poſſit colligi quod ais, certe nulla cogitatio magis abfuit ab animo meo. Quid enim obfuit quo minus & φιλονόλαπος ſim, & tamen neminem habeam κολακόνυμα. Proinde demiror, mi *Budæe*, quî tibi iſtuc in animum inciderit. Neque ſi quos habeam, continuo neceſſe ſit illum eſſe, in quem hujuſmodi ſuſpicio nullo pacto cadere poſſit. At quod in literis ad *Tonſtallum* tuis ſtrophologiam ſubeſſe non negas, atque idem in me retorqueſ, quid tu velis agnoſcere, ipſe videris: Ego non prius de me fatebor, quam quiſpiam mortalium reperiatur, qui vel in liberrimis illis colloquiis, quibus apud congerrones quicquid in buccam venerit effutimus, vel inter pocula, cum frequenter & dicenda & non dicenda prorumpunt, audierit *Eraſmum* ſecus loquentem de *Budæo*, quam ſcripſerit. Aut ſi quenquam amicum paſſus ſim unquam, non dicam obtrectantem *Budæi* gloriæ, ſed huic æquantem aut præferentem me, cui non acriter ac ſerio repugnarim. Jam vero neſcio quanti ſit apud te Interpres ille nimium ὀξυδερκὴς Γαλιώτης, qui tibi oculi parum oculate commonſtravit quædam non ſimpliciter à me ſcripta. Apud me certe talibus officiis nullus initur gratiam. Quomodo tibi ſucceſſerit expeditio, quemadmodum vocas, aulica, partim ex tuis ad *Ludovicum Vivem* literis intellexi, nimirum adeo venuſtis, adeo doctis, adeo πανευφόνοις felicibus, ut homo vix hoſtibus invidere ſolitus, inviderim homini cum primis amico. Ille nunc declamat, ſed ita me Deus amet, incredibili felicitate. Dices rem nec hiſce regionibus, nec hoc ſeculo natam eſſe: nec ludicram aut umbraticam eſſe pugnam, ſed veram ac ſeriam. Ingenio mihi ſemper ſatisfecit, in phraſi deſiderabam, neſcio quid aliquanto mol-

Digitized by Google

An. 1519. mollius. Nunc ita numeros omnes præstat, ut non videam his temporibus, qui in hac palæstra queat illi palmam præripere: pace omnium dixerim. *Græcam* illam tuam epistolam, quam polliceris, non desinam efflagitare, donec expressero. Fabulam, qua hic sine fine agunt conjurati quidam adversus trilingue collegium, & universas bonas literas, & pudet & piget tibi scribere, mi *Budae*. Si quid natum hujusmodi fuisset in urbe *Roma*, qua non alia pluribus abundat ornamentis, tamen & Cardinales, & summus ipse Pontifex, summis tum favoribus, tum honoribus prosequerentur, & ornatissimæ civitati non mediocre decus judicarent accedere. At isti rem & munificam, & ad tam insignem omnium utilitatem, ad tam ingens ornamentum & Principis & totius hujus ditionis paratam, sic abominantur, sic horrent, ut olim *Romani* non æque formidarint *Gallos* urbe jam capta, Capitolio insidiantes. Magis autem indigneris, si scias hujus tam pudendæ fabulæ tres aut quatuor esse coryphæos, tam stolide stupidos, ut indignos judicaturus sis, quibus cauletum tuum curandum crederes. Et tamen vincunt impudentia, improbitate, & nescio quo novo syncretismo. Quod si hi sapiunt, insanit Rex vester, dum sua munificentia conducit, qui linguarum professione ornent regnum *Galliarum:* insanit *Leo* decimus, dum tantis impendiis accersit in urbem suam, qui linguas ac politiores doceant literas: insanit cum aliis innumeris *Angliæ* Rex, cujus benignitas invitat harum rerum professores in utranque suæ ditionis Academiam. Opinor te vidisse Farraginem epistolarum, sed indiligentissime editam. Rursus efflagitant, ut exemplar recognitum mittam. Nam subito distracta sunt exemplaria, ut sæpe maxime vendibilis est liber pessimus. Si quid judicabis omittendum, aut mutandum, admone. Nam ad eum laborem nunc cogor accingi. Jam portum optabam, lassus hujusmodi sycophanticis digladiationibus. Sed audio libro *Lutetiæ* edito me palam revocari in arenam. Primum illud in votis erat, me accepta rude in ocium secedere. Proximum, ut mihi contingeret honestus antagonista. Nunc is contigit, de cujus ingenio non libet meminisse. Majorem in modum te rogo, ut *Deloino* & *Ruseo* multam ex me salutem dicas: & si quid offensi sunt, eos mihi reconcilies, quanquam arbitror nil opus. Bene vale cum tuis omnibus, patrone magne, & amice incomparabilis. *Lovanio* 17. Febr. Anno 1519.

## EPISTOLA CCCLXXXVIII.

*Erardo à Marca, Episcopo Leodiensi, Erasmus* S.

REVERENDE Præsul, mitto celsitudini tuæ qualecunque animi in te mei documentum, *Paraphrasin* in duas Epistolas ad *Corinthios*. Opus modis omnibus novum est, si non meretur alio titulo commendari. Certamen erat inter typographum ac me, utrum ille plus excuderet singulis diebus suis formulis, an ego meo calamo describerem. Opinor Opus victurum, vel invitis misoglottis. Tu pro tua humanitate boni consules. Qui codicem reddit, juvenis est eruditus, ingeniique candidissimi, ab actis oppidi *Antuerpiensis*, melior animæ meæ pars: hunc, quæso, pro tua humanitate complectere: ac bene vale. *Lovanio* 19. Febr. Anno 1519.

## EPISTOLA CCCLXXXIX.

*Erasmus Rot. Joanni Episcopo Roffensi* S. D.

SI tua pietas suspicatur me quicquam offendi, vel quod responderis *Fabro*, vel quod non miseris librum *Lei*, nondum novit *Erasmum*. Et tamen hac de re jam ternis literis, nescio quid significas, quod mihi crede nihil est. De animo in me tuo non magis addubito quam de meo ipsius. In priore libelli tui editione, crebrius, & ut videbatur multis, aculeatius jocabaris in ecclesiam *Fabri*. In posteriore ut stylus est cultior, ita minus est stomachi. Tantum demirabar te tam anxie laborare, ut hoc negotium pertraheres ad cautam fidei, qua re valde gravatur *Faber*: quem sublevari malim, præsertim cum ille te & suspiciat, & veneretur. De Novo Testamento jubeo te bono esse animo. De rumore sparso apud Monachos & indoctos mirum non est, cum *Leus*, velut ad hoc natus, nihil aliud agat. Et agit per Monachos. Novit optimos hujus rei satellites. Sed ubi prodierit ille jam diu jactatus liber, *parturient montes, nascetur ridiculus mus*. Non adeo delirat mundus, ut ad *Lei* judicium sit tumultuaturus. Tantum prodeat liber, quod arbitror brevi futurum. Cum *Leo* mihi concordia fuerit, si ediderit suum librum, quem jampridem parturit: nam ille nunquam erit sui dissimilis. An illi displicueris, nescio, mihi certe nulla in re non magnopere placuisti. Videre mihi prorsus ignorare *Leum*, si illius vel ira, vel amore tantillum commoveris. Me non offendes, etiamsi libris editis à me dissentias. Quare te rogo, ut si quid hujusmodi suspicatus es hactenus, suspicionem omnem penitus ex animo ejicias, & *Erasmum* tibi persuadeas eum semper erga te fore, quem esse decet memorem clientulum erga patronum optime meritum. Bene vale. *Lovanio* 21. Febr. Anno 1519.

## EPISTOLA CCCXC.

Guilielmus Budæus Erasmo *S. D.*

HERI *circiter tertiam vigiliam noctis venerunt huc* Germani *duo, literasque tuas mihi reddiderunt ad lectum jamjam ituro. Lucubraveram ad horam usque nonam, quod jejuniis tantum soleo. Nam post cibum nihil lego, nisi summa coactus necessitate. Nec tamen statam horam dormiendi habeo, quare matutino sæpe obdormisco, ut qui annis jam quatuordecim, noctes tres, ut opinor, vacuas capitis dolore non habuerim, tantum abest, ut summo illo bono fruar voluptariorum Philosophorum, doloris vacuitate. Mane igitur hæc ad te scripsi, ne tabellarium morarer: quando ita orabat me* Beraldus, *qui ei comitem cum epistolio dedit.* Πρῶτον μὲν ἔν, ὦ ἄνερ σοφιλέσατε, τοῖς ἐπερανίοις δύχομαι πᾶσι καὶ πάσαις, ὅσων δύνοιαν ἔχων ἐγὼ διατελῶ σοι, τοσαύτων ὑπάρξαι μοι παρά σε, ἔπειθ' ὅπερ ἐσὶ μάλισθ' ὑπὲρ ἡμῶν, τ' τε ἡμετέρας δύσεβείας τε ἢ δόξης, τῦτο παρασχῆσαι τ θεὸν ἡμῖν. Τῦτο δ' ἔσιν ἡ μόνον τὴν δύνοιαν ἴσων ἀλλήλοις ἀποδῦναι, ἀλλὰ ἢ τῇ ἀμνησίᾳ τῇ τεθείσῃ, ὡς σοφείρηται ἢ βεβέληται ἡμῶν ἑκάτερ@, ἄτως ἀναπομφύειν. Καὶ ταῦτα μὲν ἄτω πεπαρῳδήσθω δύφημίας δῆθεν ἕνεκα. Ἔ'σω δὴ ὁ ἀμνησίας νόμ@ πάνῃ πάντως κύρι@, ὡς δὴ ἐκκλησίᾳ τελτῇ κείμν@. *Hac certe lege stare mihi certum est, tanquam trinundino perlata. Itaque objectis non respondebo: quoniam hanc excetram alia ratione ineluctabilem esse inter nos satis convenit: nisi hoc inficiabor, quod tu de strophologia inquis me non negare. Quem locum epistolæ meæ vide etiam atque etiam, ut satis intellexeris. Deinde quod testificaris te nihil unquam oblocutum, per me licet ut verum sit, nec necesse habeo vicissim itidem contestari: cum id satis superioribus epistolis actum sit, si semel agi potuit. Quod si qui tuorum mihi obtrectaverunt, ut eos feciſse literatis testimoniis credidi: non tam improbus sum, ut etiamsi id causa tua instituerunt, tu illorum præstare debeas aut stultitiam aut studium inconsultum. Atque ut stomachum antehac aloe fortasse immodice temperata perpurgavi, sic etiam aureis aceto posthac eluere statui, ne quemvis obtrectationis aut querimoniæ nuncium non excussum admittant. Sæpe enim in fraudem nimia simplicitate incidi: id quod tibi accidisse credo de epistolis tuis, quas tu* maledicas *appellas, ego* immodice *falsas: quæ tamen à te aceto postea & tunc etiam tincta multum remiserunt muriæ & salsuginis. Quod mihi & ingenii & doctrinæ palma cedis & laude, non accipio quod das: non id agebatur nostra illa controversia, quam ita ipsam decisam esse volo, nihil ut inde mihi accessisse videatur, ne non gratuita sit. Et alioqui nunquam ea de re contendere litigiose in animum inducam, cujus acerba, odiosaque*



Digitized by Google

An. 1519. disceptatio est, tranquillitatisque interpellatrix: judicium autem fere posthumum esse solet, duntaxat incorruptum: quanquam satis compertum habeo eam tibi suspicionem pracordiis aliquando hasisse, ὅς γε ὦ γῆ καὶ θεοὶ σὺκ ἄκνησας εἰπεῖν ποτέ· Τί δὴ βούλῃει ὁ Βυδαῖος, ἐξέσλω τε ἤδη αὐτῷ, καὶ νῦν δὴ ἀποχωρῶ τῶν περὶ λόγων καὶ τὴν παιδείαν, ἀφεὶς γε καὶ φιλοσοφεῖν οἱ ἄτῳ ἐμὲ ἀξιοῖ. Egon' eo insolentiæ venerim, ut aliquid ejuscemodi animo agitaverim? egone si Antistiti quidem tuo esse mihi contigisset, fortunarumque auctori? Tu ista inconsulte rumigerulis credidisti. Quibus jam certe suspiciunculis abstergendos utrinque animos nobis esse censeo. Verum, mira sunt illa, qua scribis de illis eruditionis ingenua hostibus. Profecto tui me jam cœpit miserescere, cui in eam arenam descendere nunc necesse sit, aut patrocinium deserendum instituti honestissimi, ultimaque voluntatis illius Antistitis, qui legatum memorabile, uberrimumque, reliquit ad studia alenda hominum ingenio præditorum. Hic equioribus omnino utimur sacræ Philosophiæ defensoribus. Quare si istinc paululum concederes, ut statuisse te rumor est tuarum rerum jactura, istiusque provinciæ commodorum, ingens, ut opinor, compendium laboris molestiaque facilitares. Hac in urbe omnino, si non ample, certe honorifice & commode, cum viris existimatissimis agitur, primariaque commendationis in literarum lautiorum professione. Tu rationum tuarum summam melius novisti, quas etiam, ut arbitror, cum amicis juratioribus subducis: ego cum scribendi argumentum requirerem, hæc epistola addidi. Nam de aulica expeditione mea, non est quod fabulam mox à me exspectes: nunc etiam in seriis occupatus, hujuscemodi nugis non vacas, & me hilaritas cum ocio deficit. Nam his diebus literas Roma, Venetiis, ex aula, aliundeque simul accepi: quibus cum respondere cœpissem, tua supervenerunt. Est & alia commentatio, qua sibi quadragenarii jejunii magnam partem vendicabit, si auspicari vacabit. Huc tanquam in securitatis domicilium me transtuleram, sed cura & negotia umbra sequaciora me comitantur quoquo gentium, locorumque. Hac ad te tantum scribere licuit ante sacrum matutinum, quoniam dies festus erat. Vale, ex Marliano nostro 25. Febr. Anno 1519.

Vivem tuum verbis meis salutabis, cui non fuit ocium ut scriberem, & alioqui nihil erat quod scriberem; nisi si mactum esse juberem ea ingenii, industriaque claritate, quam tu testificare. Scripsi ei ad Calend. Februarias, aut postridie Calendas. Ἔῤῥωσο, ὦ ἐπανορθωτὰ καὶ ἀριστοτὰ τῶν καλῶν ζυγγραμμάτων, καὶ διαλέλῃ τῦτο ποιῶν καὶ δύτυχῶν.

## EPISTOLA CCCXCI.

*Erasmus Rot. Ludovico Carino suo* S. D.

QVOD tam amicas literas ad me dederis, suavissime *Carine*, gratiam habeo, quod tam eruditas, tibi gratulor. Vix enim mihi persuasit *Nesenus*, tuo *Marte*, quod ajunt, fuisse conditas: sed persuasit tamen, vel quia vir minime vanus, vel quia mihi jam pridem nota ingenii tui felicitas. Perge, mi *Carine*, tibi solidam parare felicitatem. Id facies, si veram eruditionem cum morum integritate conjunxeris. Cætera vel non ambienti dabunt cœlites. Bene vale. *Lovanio* 27. Febr. Anno 1519.

## EPISTOLA CCCXCII.

Ulricus Huttenus Eques Erasmo Roterodamo *S. D.*

TV *licet mutus sis, ego tamen non desinam frequentibus tibi epistolis obstrepere, & te amabo, si tu me contempseris etiam. Princeps impatientissimo tui desiderio tenetur. Nuper ex* Doringis *huc rediens, quum illi obviam processissem, vix dum contacta dextera mea, ubi nobis* Erasmus, *inquit? Et de libello percunctabatur iterum atque iterum, quo demiratur, quod ego ignorem, quid sit illud, quo eum ornas. Putat enim omnia tua mihi esse cognita: quam tu opinionem ejus vide aliqua re firmes. Amat te mirifice: debetur hoc tuis quidem virtutibus,* An. 1519. *prater vulgarem tamen* Germanorum *Principum morem est. Atque hac de Principe, & tuo pertinaci silentio: nunc de me. Pertæsum est aulæ: ita nihil mihi convenit cum purpuratis istis. Impetrasse videor à Principe, ut ubinbi sim, stipendio me prosequatur: hoc nomine laudabis eum, magno nostro commodo. Valde auxisti animum erga literas illi in* Annotationibus *tuis, ubi eum idcirco quod me foveat, extulisti. Stimulus fuit hic illi: jamque statim in literis tuis esse putat, si quem recte eruditum amplexetur. Quod mirari posses, in aula jocatus sum toto anno: & alias quidem nugas meas accepisti nuper,* Febrem *autem, recens editam, nunc mitto, &* Phalarismum: *ubi reprehendes audaciam meam, scio, potius quam fortitudinem efferes. At ego expeditioni, qua nobis paratur ingens, equestri pariter ac pedestri exercitu, interero ipse: tantum abest ut metuam latronem illum. Brevi totam turbari* Germaniam *videbis. Si me devorabit illa pugna, (sunt enim & sua illi vires, & auxilia sunt) tunc tu fac, ne ignoret vel studium erga te meum posteritas, & me tuis immortalibus literis vixisse saltem testare. Vale.* Moguntia 6. *Martii, An.* 1519. *raptim irreviso.*

*Triumphus* Capnionis *in lucem prodiit, magno Theologistarum fremitu.*

## EPISTOLA CCCXCIII.

*Erasmus Rot. clarissimo Ludovico Rusco, Lutetia supprafecto, & Christianissimi Regis apud Eburones Oratori,* S. D.

QVo magis præter spem acciderunt, hoc gratiores fuerunt tuæ literæ, mihi non semel votis ardentissimis exoptatæ, præsertim cum nulla *Budai* epistola ad me venerit, quæ *Rusei* non meminisset. Est ille quidem & vir optimæ fidei, & artifex pingendi cum primis elegans, sed tamen nescio quid expressius, magisque vivum tua nobis expressit epistola. Utrisque gratiam habeo summam: *Paschasio*, qui suo impulsu pudorem tuum vicerit: tibi, qui tuum animum passus sis expugnari. Cave vero per Musas, ne me scheda fraudes, quam *Parisiis*, quemadmodum scribis, mihi destinaras. Si tam expolitas literas scribis ex tempore, si in peregrinatione, facile sit divinare, quale sit quod domi per ocium adornasti. Jam meum esse cœpit, quod animo mihi dedicasti. Proinde non desinam efflagitare, donec extorsero, si fors tu graveris exhibere. Quod ad *Galliam* humanissime nos invitas; quanquam ea semper animo meo fuit dulcissima, tamen magis istuc me pelliceret *Deloïni*, *Rusei*, *Budaique* contubernium, quam Regis alioqui benignissimi conditiones: ἀλλ' ἔτῳ ἄνεμῳ ἔτε μένειν, ἔτε πλεῖν ἐᾶ. Cum ejusmodi monstris mihi res est, ut plane lupum auribus teneam, si quisquam alius. Gratulor *Gallia*, gratulor optimis studiis, quibus apud vos non modo locus est, verum etiam dignitas, nimirum eo favente, ὅν κρέτῳ ἐσὶ μέγιστον. Florent & apud *Anglos* Principum favore. Expergiscitur undique *Germania*: soli nos adhuc reluctamur: ad quos profligata barbaries, velut ad extremum præsidium confugisse videtur. In causa est, partim quod hæc aula nondum didicit honorem habere bonis literis: partim hominum paucorum ambitio; qui sibi persuadent, meliora studia splendori, quem hactenus apud vulgus obtinuerunt, officere. Mihi hic nec feritur, nec metitur: ut qui nec fortunam ambiam, mea, qualis qualis est, sorte contentus: nec famam aucuper, cujus jam ad nauseam usque sum satur: attamen vel gratis ex animo bene volo rectis studiis, & horum cultoribus. Quanquam, quod paucorum malitia committitur, non arbitror esse par universitati imputare. Sed quid audio, clarissime *Rusee*? egon' lucis aliquid addam vestræ *Galliæ*? quæ tot gemmis, tot stellis illustratur? Quæ præter vos triumviros, *Fabrum* habet, *Copum* habet, *Paulum Æmilium* habet, *Germanum Brixium* habet, *Joannem Pinum* habet, *Nicolaum Beraldum* habet. Sed ego ineptus, qui jam plane incipiam arenas

nume-

Digitized by Google

KONINKLIJKE
BIBLIOTHEEK

Digitized by Google

Digitized by Google

An. 1519. numerare. Inter tot egregia lumina, quid ego aliud quam obscurari poteram? & tamen juverit etiam sic obscurari, modo frui liceret iis, qui mihi caliginem offundere videntur. *Gallum* esse me, nec assevero, nec inficior: sic natus ut *Gallus* ne an *Germanus* sim, anceps haberi possit: quanquam apud studiorum cultores minimum habere momenti, par est, regionum discrimina. Quisquis communibus Musarum sacris initiatus est, hunc ego ἀμοπάτριδα duco. Ex amicorum literis audio, *Budaum* nonnihil succensere nobis ob epistolam quandam meam, ut ipsi videtur, aliquanto quam par est, liberiorem. Ego vero illum & virum judico prudentiorem quam qui gravius commoveatur, si quid etiam intempestivius aut licentius scribat amiculus: & firmiorem amicum arbitror, quam ut ob hujusmodi leves offensas amicus esse desinat. Nam mea sententia, quisquis ob quaslibet causas amicus esse desiit, is nunquam amicus fuit. Equidem non satis video, quid habeat illa mea epistola, tam procax aut petulans, ut animum concitare debuerit, primum eruditi, deinde prudentis, postremo amici: & amici, qui sibi moderationis ac lenitatis laudem vendicet, mihi crimen iracundiæ impingens. Sed de epistola vestrum arbitrium esto: certe quod ad animum meum attinet, vix apud *Gallos* esse puto, qui de *Budæo* aut sentiant magnificentius, aut prædicent honorificentius, quam *Erasmus*. Hujus rei testes erunt, *Henricus Glareanus*, *Guilielmus Nesenus*, *Beatus Rhenanus*, apud quos effutire soleo, quicquid esset in animo. Bene vale, clarissime *Rusee*. *Mechlinia* raptim, 16. Martii, An. 1519.

## EPISTOLA CCCXCIV.

*Erasmus Rot. Ludovico Viveti* S. D.

APVD illustrissimum *Ferdinandum* in medio colloquio Episcopus *Leodiensis* expostulavit mecum, quod à Cardinali *Croijo* non retulerim responsum. Vix occurrebat, quo me purgarem. Nam suspicor eam epistolam illi non fuisse redditam. Ego in culpa, qui eam ipse non reddiderim. Literæ, quas tu mihi reddidisti, plane fuerant resignatæ. Quo sæpius colloqui datur cum illustrissimo *Ferdinando*, hoc mihi indoles illius magis ac magis arridet. O utinam hæc regio sub tali Principe centum annos florere possit. Nunc, ut apparet, relegatur in *Germaniam*, cujus lenta consilia nobis magno constabunt. Sed hæc satis relinquamus. Admone tuum patronum, si quid lubeat rescribere Præsuli *Leodiensi*, quem opinor hic ad quatriduum commoraturum. Bene vale. *Mechlinia* 17. Martii, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCXCV.

Budæus Erasmo *S. D.*

NVDIVSTERTIVS *apud* Stephanum Poncherium, *Archiepiscopum* Senonensem *nuper factum, pransus sum. Post prandium de te fuit sermo: petere ab eo cœpi an ad te scripsisset; negavit, sed sese brevi scripturum affirmavit. Certe post duos menses vix ei vacavit, tibi & mihi operam dare, cum propter publica & regia, tum propter privata & propria negotia. Quid ad te scripturus sit, quidque tui negotii egerit, nondum plane scio: & malo te omnia ex eo scire, quam ex me, qui rarus sim apud eum. Sermoni nostro affuit* Nicolaus Beraldus, *homo utraque lingua doctus & tibi amicus, Archiepiscopo jam valde familiaris: qui cum eo in* Narbonensem *provinciam profecturus est hoc triduo: egoque in eo comitatu ero, nisi quid mihi vel illis contingat, qui capita rerum sunt. Scripsi ad te hoc mense, me epistolam tuam non eo loco numeroque habere, quo tu me habiturum putasti, nec tibi in ea supprimenda paruisse pariturumve esse. Ego nihildum molestiæ ob istam tuam offensionem, vel offensionis ὑπόκρισιν passus sum, qui ut jocis libens autor, ita jocis non levi de causa offendor, malimque me ladi quam ledere: quam rationem in amicitia tuenda, si cum aliis initurum me statui, quanto magis tecum retenturus sum? ὑφ' ἑ πάντων τ φίλων τ τε ἐλλογίμων ἀνδρῶν μάλισα πλεονεκτεῖ ἀναχοίμλω ἂν ἔγωγε, ὑδὲν ἀχθόμλος τ ἀνλιπεπαιγμένων σοι, ὑδὲ δὴ φορτικῶς ἐρμλωεύων τὰ παιγνιωδῶς ἔχειν δοκοῦντα. Οὐ γὰ δὴ τηλικαύτη ἥδη δύγνωμοσυνή χρήσαλο, σαυτὸν ἀναπείθειν μοι δοκεῖς, ὁ πρότερον αὐτὸς φιλοπαίγμων γεγονὼς, περὶ τ ἐμῆς ἐξεσίας τ ἄλλα γεύσαλο, ἐν ᾗ πολλὰ μὲν ἴσως τελῶτῶν ἢ ἑνιά γε αὐτὸς μορσειδῆ, ὑδὲν ὃ κακόνων ὑδ' ἐχθροπρεπὲς ἴδοι καλαφωρόσας, ὑ ματολὺ φιλολογίαν τὴν ἡμετέραν: aut si quod sanctius mihi jusjurandum esse putas. Quod si sciens fallo vel te vel alium quempiam hoc epistolium lecturum, causam haud dico, quin mihi Deus eam ob rem malefaciat. Verum, ô me ineptum, cui etiam injurato credere jam cœpisti, nisi temere id mihi persuasi.* Ἔῤῥωσο ἢ δὐτύχει, ἢ διατέλει καλῶς τε ποιῶν ἢ κάλλισα. Parisiis, 19. *Martii, Anno* 1519. *Verum, heus tu!* ἀνέχ, ἢ ἀπέχ, *quoad certum esse cœperit, quod futurum tibi est* παῤ ἡμῶν. *Vix adhuc ipsi scimus, quid nobis sit animi,* ὁ τ αὐτοκρήτορος θάνατος *omnes nostras rationes conturbavit, vix ut statui quid possit.*

## EPISTOLA CCCXCVI.

Budæus Erasmo *S. D.*

AIS *te mihi scripsisse epistolam satis molestam, quam mihi permittis, ut in locum fœdum conjiciam: certe in hoc tibi non assentiar, ne si te quidem eam ob rem infensum habiturus sim, utarque exemplo* Augusti, *qui* Virgilii *mandatis extremis non paruit. Existimo te in regustatu literas tuas non probasse, quæ dum stylus fervebat, sapere tibi videbantur. Mihi quoque sæpe id accidit. Sed quid agas, ubi humanarum rerum actionumque conditionem perpenderis:* μωρὸς γὰ ἀνθρώποις ἢ τὰ δοκοῦντα σοφά. *Velim tamen existimes homini mihi* συμπαικτικῶ τὰ παιγνιώδη ταῦτα καί τοι μιξόπαιδα ὅμως ἡδέως εἶναι μή τι δὴ φορτικὰ φαίνεται. *Rescripsi tibi solita licentia, ne speres hominem me jam quinquagenario proximum ad meliorem frugem castigando redigi posse. Episcopus* Parisiensis *jam* Senonensis *Archiepiscopus factus est liberalitate regia, etsi nondum res peracta est. Totus jam est aulæ, nec nobis licet cum eo loqui. Quodam tamen die, cum in interiori cubiculo Principis esset, dixit mihi se ad te scribere statuisse. Iturus est propediem in legationem* Narbonem *versus cum aulicorum dispensatorum decurione: cum quo etiam ire me Rex jussit, ut numerus sim potius quam ut aliquam operam certam navem in ea provincia: sic enim interpretor. Bis tamen Episcopi domum adii, & in mensa ejus sedi, sed convivarum multitudine cum eo familiariter colloqui non licuit. Quare quid egerit, aut statuerit, nescio.* Ἄλλως ὑδὲ σχολὴ ἄγων αὐτὸς σὐκ ἄγαν μετ' ἐμῦ κοινολογεῖται ωθὶ τ αὐτῷ δεδογμλῶν. Σὺ γὰ ὅσον οἰκείως ἔχεις πρὸς αὐτὸν σὐκ τ χαμμάτων σε κατέμαθον τ ὑπογύως ἐπεσαλμένων. Δωάσαι ἐν ἢ πάλιν ἀποπειρᾶλο τ γνώμης τ τότε. *Rex mire in literas bonas fovendas & excitandas propensus esse videtur. Sed negotia* αὐτοκρατόρεια τλῶ αὐλῶ ἅπασαν νῦν ἐναχολεῖσι, *vix ut vacare cæteris rebus posse videatur. Nunc quis sim nescio: quo minus certiorem te aliis de rebus facere possim. Ineptire nunc, nescio quo fato, cœpi, cum minime vel in animo haberem. Sed quid facerem?* ἐμμένειν γὰρ ἐπάναγκες τοῖς ὑπὸ τ μοιρῶν ὑπικεκλισμένοις. Ὦ τῆς ματαιότλος τ ἀνθρωπίνης. Ἔῤῥωσο. Parisiis *die Dominico ante quadragenarium jejunium, Anno* 1519.

## EPISTOLA CCCXCVII.

*Erasmus Roterodamus Guilielmo Neseno* S. D.

EX amicorum literis intelligo, isthic *Augustinum Nebiensem* Episcopum strenue vociferari in *Erasmum*, etiamsi nondum adducor ut credam. Quod si verum est, longe dissimili negocio sumus utrique occupati, ego dum hic illius candorem laudo, ille isthic me traducit. Compertissimum habeo, barbaros undique inter se conspirasse, nihil intentatum relinquere, quo bonas literas opprimant. Tu cave, ne quid ad nos scribas periculose: nam

An. 1519. literæ frequenter intercipiuntur, præsertim quæ istinc veniunt. Siquidem hæ tuæ postremæ redierunt à *Zelandia*. Et ex aliis audio, nescio quid, mihi succensere *Budæum*, neque tamen ullam video causam, cur succenseat. Non dubito quin istic (ut par est) fiat plurimi. At vix crediderim esse, qui de *Budæo* candidius sentiat, aut honorificentius loquatur, quam *Erasmus*, etiamsi major est ille, quam ut nostro egeat præconio. Provocarat ad conflictationem literariam, & mihi visus est liberis jocis impendio delectari: at proximis literis offensus, respondet epistola satis *Francica*, ne quid aliud dicam: imo non respondit, τὶ γὰρ ἐκεῖ πρὸς ἔαυτόν; Proinde in hoc argumento diserti esse noluimus, etiamsi mihi persuaderi nondum potest, illum irasci serio. Sic illi visum est nostræ lenitatis facere periculum, aut suo certe animo morem gerere: nam qui ob leves causas amicus esse desierit, is (mihi crede) nunquam ex animo fuit amicus. Bene vale, *Nesene* charissime. *Mechlinia* 21. Martii, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCXCVIII.

*Erasmus Budæo suo* S. D.

AD postremas literas tuas, eruditissime *Budæe*, nihil omnino respondeo, satis enim hujusmodi concertationum. Non ambio, ut in talibus argumentis videar disertus. Nec mihi placet victoria, quæ jactura necessitudinis emitur. Quid apud te de nobis suspiceris, nescio. Illud non dubitem per omnia sacra dejerare, neminem hic esse, qui de *Budæi* ingenio, stylo, eruditione candidius sentiat, aut honorificentius prædicet quam *Erasmus*: etiamsi tu neque moraris nostrum suffragium sat scio, nec hoc eges præcone. Mirum quam μισόμουσοι toto fere terrarum orbe συγκρήζουσιν, & quicquid possunt, suis adjungunt copiis, quo magis oportet & nos inter nos esse concordes. De literis, quæ te videntur offendisse, faciam quicquid voles, vel aboliturus, vel leniturus: aut si mavis noxæ dedam, ut tuo arbitrio pœnas luant. Bene vale. *Mechlinia* 21. Martii, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCXCIX.

Martinus Lutherus Erasmo Roterodamo

SALVTEM. *Toties ego tecum fabulor, & tu mecum,* Erasme, *decus nostrum, & spes nostra, necdum mutuos nos cognoscimus. Nonne monstri hoc simillimum? imo non monstrum, sed plane quotidianum opus. Quis enim est, cujus penetralia non penitus occupat* Erasmus, *quem non doceat* Erasmus, *in quo non regnet* Erasmus? *de iis loquor, qui literas recte amant. Nam satis gaudeo, quod inter cætera dona* Christi, *etiam hoc numeratur, quod multis displices: quo ego argumento soleo discernere dona clementis Dei, à donis irati. Itaque tibi gratulor, quod dum summe omnibus bonis places, non minus displices iis, qui soli omnium summi esse, & summe placere volunt. Sed ego stultus, qui te talem virum, sic illotis manibus absque reverentia & honoris præfatione, veluti familiarissimum aggredior, ignotum ignotus. Verum, dabis hoc, pro tua humanitate, mea vel charitati, vel imperitiæ. Quandoquidem ego, inter sophistas consumpta ætate, nec tantum didici, ut eruditum virum possim per literas salutare. Alioquin quantis jamdudum literis te fatigassem? nec passus fuissem, ut perpetuo tu mihi solus loquereris in cubiculo meo. Nunc quando ex optimo* Fabritio Capitone *intellexi, per nugas illas indulgentiarum nomen meum tibi cognitum; tum ex præfatione* Enchiridii *tua recentissima, non modo tibi visa esse, sed & accepta mea fabulamenta, cogor agnoscere vel barbarissimis literis egregium tuum spiritum, meum & omnium locupletatorem: quanquam scio, te prorsus pro re minima habiturum, quod literis amantem & gratum me exhibeo, qui abunde contentus es, quod occulta & apud Deum gratitudine & charitate animus in te fervet: sicut & nos sat habemus, quod ignorantis, tuum animum & officia in literis habemus sine literis & corporis tui conversatione: non tamen patitur & pudor & conscientia non gratificari & verbis, præsertim postquam cœpit & nomen meum non latere, ne malignum cuiquam videri possit & pessimæ speciei silentium. Ita, mi* Erasme, *vir amabilis, si ita tibi visum fuerit, agnosce & hunc fraterculum in* Christo, *tui certe & studiosissimum & amantissimum, cæterum pro insciti a sua nihil meritum quam ut in angulo sepultus, communi etiam cœlo & soli ignotus esset: quod & non segni affectu semper optavi, ut qui essem mihi belle conscius meæ supellectilis. Et nescio quo fato, longe in contrarium res abiit, ut cogar, multo pudore pati meas ignominias & infelicem insciti am, etiam coram doctis versari & jactari.* Philippus Melanchthon *prospere agit, nisi quod vix tantum efficere possumus omnes, ne literarum nimia insania, valetudinis acceleret jacturam: Ardet pro ætatis calore omnia omnibus simul fieri & facere. Tu officium feceris, si per literas hominem monueris, ut se nobis & bonis literis servet. Nam hoc capite salvo, nescio quid majus spe nobis pollicemur. Salutat te* Andreas Carolostadius, *totus* Christum *in te veneratus. Ipse Dominus* Jesus *servet te in æternum, optime* Erasme, *Amen. Verbosus fui: sed cogitabis non semper eruditas oportere legi epistolas, aliquando cum infirmis infirmandum tibi est.* Wittenberga 28. *Martii, Anno* 1519.

## EPISTOLA CCCC.

M. Joannes Borsalus, Decanus Verviensis, Erasmo Roterodamo *S. D.*

CVPIDISSIMVS *sum jampridem cognoscendi, idque ex tuis ipsius literis, humanissime doctissimeque præceptor, quanam sis valetudine, & quid quotidie in lucem emittas, quod publice ad bonos &* Christo *dignos mores conferat, & sacræ Scripturæ studiosis sit usui futurum. Post absolutum enim jam secundo Novum Instrumentum, video edidisse te in omnes* Pauli *Epistolas argumenta, video in* Pauli *ad* Corinthios *duas Epistolas explanatissimam* Paraphrasim: *lego item summa cum voluptate, nec minori, ut spero, utilitate adauctam studii Theologici rationem ac* Methodum. *Sed hæc tametsi aliis maxima, ut sunt, non immerito videntur, tamen intra paucos dies scio abs te absoluta esse. Et novi infatigabilem tuam in studiis diligentiam: scio ociosum esse, & cessare à studiis literarum non posse, quamobrem nihil dubito, quin plura multo vel conscripseris jam, vel in manibus habeas, quæ publica studia, præsertim sacra, adjuvare ac provehere possint. Verum, est quod te commonefaciendum duxi, ut ubi paululum continget à gravioris operæ studiis ocii, aliquot dies impendas ad conscribendam Euangelicis præconibus concionandi rationem. Instituisti enim jam olim* Christianum militem, *instituisti* Christianum *item* Principem, *instituisti præterea & discere & docere cupientes, conscriptis hoc argumento ac titulo libris elegantissimis: superest ut Euangelicum concionatorem recte instituas, quod quidem multo pluribus sit profuturum, tum iis, qui tua institutione edocti, rectius & majori fruge sint deinceps concionaturi: tum iis, qui ea ratione multo majori efficacia & fructu sint concionantes audituri: ea res mihi & publico omnium, & meo quoque nomine privatim erit gratissima. Adscriptus sum enim non ita pridem in pastorum gregis Dominici numerum, ut scis: & quo obsecro pabulo vel salubriori vel meliori pascere possim commissum mihi Domini mei gregem, quam Euangelico & Apostolico? siquidem tua institutione formatus, id scite prudenterque ministrare noverim. Impetret hanc rem abs te, obsecro, primum maxima ac latissime patens utilitas: deinde tua in* Christi *religionem propensissima charitas, ut cui juvanda tantum studii ac laboris impenderis non sine gravissimo sumptu, & valetudinis certissima jactura, contemptis etiam tot invidorum obtrectationibus, & apertissimis conviciis, ei hoc tantillum operæ ne deneges. Postremo eblandiatur istud mea in te perpetua, postquam te primum nosse, simulque colere*

Digitized by Google

An. 1519. *tere capi, observantia. Quod si hac te minus perpellere possint, cogita quod id te facturum mihi superiori hyeme, cum tuo semper lateri vel cum importunitate hærerem, sis pollicitus. De valetudine mea cognosces copiose ex eo, qui has tibi reddidit, qui* Basileæ *te æstate proxima convenit. Atque ut nonnihil ex me quoque cognoscas, nactus sum conditionem hanc ampliorem aliquanto, & in specie splendidiorem, sed minus quam velim, præsertim studiorum causa, liberam, nempe aulicam. Scis patronam meam,* Annam Borsalam, *ante menses tres vita defunctam: ei successisse filium* Adolphum, *tantopere olim à te prædicatum, & eum propemodum, aut meliorem etiam prædicant, qui penitus habent perspectum. Ego minime sum ambitiosus, itaque nec dum satis insinuavi me in penitiorem cum illo notitiam ac familiaritatem, nec fuit idonea satis occasio. Bene vale.*

M. Joannem Nevium *communem hospitem, virum singulari humanitate ac doctrina præditum,* M. Jodocum Gaverium, *&* Jacobum *medicum, cæterosque convictores salutandos cura, quaso, meis verbis. Ex oppido* Verensi 28. *Martii, Anno* 1519.

*Verum, quod ferme scribere eram oblitus, veniens nuper à* Parisiis *quispiam ait audisse se ex ore Cancellarii* Franciæ, *vocatum te à* Gallorum *Rege amplissimis conditionibus, & eo profecturum, id quod mihi persuadere nequeo futurum: alii prædicant à* Ferdinando *Regis Catholici fratre annuum stipendium pendi satis honestum, id quod malim. Optime vale, præceptor, omnibus bonarum literarum &* Christianæ *religionis amatoribus unice observande.*

## EPISTOLA CCCCI.

*Erasmus Roterodamus Martino Bruxellensi* S. D.

SIMVL atque volumen allatum fuerit, ad te veniet. Nihilo secius quod misisti literis inclusum, in tuos usus erit incolume. Mitto libellum *Jacobi Latomi*, sane quam eruditum & elegantem, quem nonnulli suspicantur non ab ipso tantum, sed è communi Theologorum consilio conflatum, & in me vibratum: mihi ut *Latomo* dignus videri potest, ita videtur indignus qui communi Theologorum suffragio scriptus videatur, neque me dignum arbitror, in quem talia scribantur. De cæteris coram: nam subito vocor *Antuerpiam*, tamen mox rediturus. Bene vale, *Martine* charissime, *Lovanio* 30. Martii, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCII.

*Erasmus Roterodamus Christophoro Longolio* S. D.

CVM multis nominibus mihi jucunda fuit, eruditissime *Longoli*, epistola tua, non illa quidem ad me scripta, sed de me, tum hoc præcipue, quod mihi renovavit veterem ingenii tui notitiam, ac spem eloquentiæ nequaquam vulgaris, quam ante complures annos conceperam, ex Oratione panegyrica, qua laudes divi *Ludovici*, ni fallor, *Galliarum* Regis admodum adhuc juvenis es prosequutus. Epistolam exhibuit *Ruzeus* urbis *Lutetiæ* suppræfectus, homo tum eruditus ipse, tum eruditionis alienæ mire candidus æstimator. Tantum autem abest, ut ægre feram mihi præferri *Budæum*, ut in illum pene parcus, in me prodigus laudator fuisse videaris. Abunde multum illi tribuit tuus candor, sed quoties hominis dotes prope divinas contemplor, videor mihi videre quiddam majus omni facundia. Mihi vero tantum tribuis, quantum nec agnosco, nec postulo: cui abunde palmarium est ac triumphale, cum viro modis omnibus incomparabili comparari: neque poteras, mea quidem sententia, plenius honestare famam *Erasmi*, quam si illum faceres ita posteriorem *Budæo*, ut eum non longo intervallo sequeretur. Majore tamen cum voluptate *Budæi* laudes legi quam meas, vel quod illius gloriæ sic faveam, ut nullius æque, vel quod quicquid illi possessionis est honestæ, id meum etiam esse ducam: non tantum publica illa *Pythagoricorum* lege, quæ vult inter amicos esse communia omnia, verum etiam peculiari fœdere, quod verbis rite conceptis, & syngraphis obsignatis inter nos jampridem pepigimus, ne alterutri fas sit inficiari. Belle tu quidem me mihi depingis, sed haud scio an omnino meis coloribus. Et tamen ad hanc tabulam ipse mihi nonnihil blandior, non quod illi prorsus credam, sed quod juvet *Apellis* manu depingi. Porro cum indicas, quid in me desiderent Critici, non minus cepi utilitatis quam voluptatis. Quanquam ad quædam utcunque tergiversari poteram, nisi tuo judicio tam impense faverem. Nam quod scribis me favere meis viciis, crede mihi non tam favor est, quam vel inscitia, vel potius pigritia. Sic sum, nec possum naturam vincere. Effundo verius quam scribo omnia, ac molestior est recognoscendi quam cudendi labor. Jam ut in delectu verborum nolim omnino videri indiligens, ita non arbitror congruere ei, qui res serias persuadere cupiat, in affectandis dictionis emblematis esse morosum aut anxium. Neque vero mirabitur eloquentiæ nostræ rivum alicubi turbidum fluere ac lutulentum, qui cogitarit, per quos auctores decurrat, nimirum sordidos, & impuri sermonis, ut non possit hinc non aliquid limi ducere. Usu venit hoc non raro summis illis eloquentiæ proceribus, ut in *Græcorum* voluminibus versantes, frequenter imprudentes *Græce* loquerentur. Illud haud scio an scribæ debeat imputari, quod mihi tribuis immodicam sermonis ubertatem, quæ dos nimirum *Budæo* peculiaris est. Nam rectus ac nudus orationis ductus, simplici naturæ congruit: nec mirum est humilem esse sermonem cujus humilia sunt omnia, corpus, animus, fortuna. Porro nimis crebras & immodicas digressiones, quas nobis communiter adscribunt Critici (nam sub horum, ni fallor, persona maluisti tuam indicare sententiam) jam mutuis literis uterque alteri objecerat. Cum primis autem demiror, qui tibi succurrerit demirari, cur *Galliarum* Princeps *Franciscus Germanum Gallo*, exterum civi, ignotum familiari prætulerit. Neutrum alteri prætulit Rex, sed utrunque alteri studuit conjungere. Neque enim cuiquam suo loco cedendum erat, si me in *Galliam* contulissem. Tantum abest ut *Budæo* fuerim offecturus. Quod scribis & ditionem & patriam & linguam mihi tecum esse communem, non tam mihi gratulor, quam huic regioni, quam vehementer gaudeo talibus, hoc est, veris semperque duraturis ornamentis in dies magis ac magis illustrari. Proinde nihil optatius mihi possit accidere, quam multos exoriri tui similes, qui nobis in hoc laudis stadio, non modo succedant, sed etiam antevertant; & quicquid est hoc nominis, quod mihi mea pepere studia, suo splendore obscurent. Sed tamen agnoscet, opinor, posteritas, nobisque nonnihil debere se fatebitur, quod parum felici seculo, quod his regionibus, in quibus prorsus exstinctæ fuerant & invisæ bonæ literæ, longum & invidiosum certamen sustinuimus adversus pertinacissimos meliorum studiorum hostes. Sed utcunque de nobis censebit ætas secutura, volupe est interim optimas literas passim feliciter efflorescere. Bene vale, *Longoli* doctissime, & in hæc studia ut cœpisti constanter ac feliciter incumbe. *Lovanio* 1. April. Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCIII.

*Joanni Episcopo Roffensi Erasmus Rot.* S. D.

NIHIL mihi jamdiu gratius accidit tuis literis, iterum atque iterum exosculatus sum manum istam mihi notam ac familiarem. Auxit voluptatem quod non solum scripseris, verum etiam prolixe scripseris, nam amanter nunquam non soles. De diutino silentio me immerentem accusas: ego sane quamlibet occupatus, subinde tamen interpellavi te meis literis. Verum, ut video non omnia redduntur, quæ dantur reddenda. Libellum, quo adversus *Fabrum* unicam defendis *Magda-*





Digitized by Google

An. 1519. *lenam*, deguſtavi duntaxat. Verum, eorum, qui legerunt, nemo non fatetur te tota cauſa ſuperiorem. Tantum dolet quibuſdam *Fabrum* ſenem atque integrum virum, tum de ſtudiis benemeritum, durius ut ipſis videtur, alicubi perſtringi: qua re nihil poteſt eſſe gratius iis, qui nolunt priſtinis ſtudiis, quibus aſſueverunt, quicquam accedere. Quo quidem nomine male audit *Faber* quoque. Sed fieri vix poteſt, quin in argumentis hujuſmodi, quæ conflictationem habent, vel imprudentibus nobis calamus nonnunquam efferveſcat. Mihi certe nonnunquam uſu venit, ut quum mihi videar meras blanditias ſcripſiſſe, non deſint tamen quibus videar dentatulus. Utcunque hoc habet, *Fabro* talem adverſarium invideo: à quo ut maxime proſternatur, tamen habet quo ſe conſoletur, *Æneæ* magni dextera cadis. Mihi cum qua ſcabie conflictandum eſt? Cum hujuſmodi ſycophantis res eſt, qui quum alias non poſſint nobilitari benemerendo, conſpurcanda fama aliena venantur gloriolam. *Stephanus Poncherius* Epiſcopus *Pariſienſis*, qui tuum calamum ad hoc Opus exſtimulavit, jam Archiepiſcopus eſt *Senonenſis*, quæ res utinam illi tam certam felicitatem adferat, quam *Romano* Pontifici certum lucrum eſt allatura. Is nunc mittitur legatus in *Hiſpaniam*, homo ſenex, cujus incolumitati male metuo: ita me Deus bene amet. Dignus erat qui quam diutiſſime Reipublicæ ſervaretur, conſiliis ſuis Regi regnoque profuturus. Is, de quo mihi ſcribis, nunquam non erit ſui ſimilis, imo nunc maxime fervet in negotio ſycophantico, cui mihi natus videtur, & tamen ſibi videtur ſanctulus. Ego ſi mihi conſcius eſſem vel minimæ portiunculæ tot ſycophantiarum, non auderem ad *Chriſti* mentam accedere. Prodiit dialogus quidam *Jacobi Latomi*, Theologi *Lovanienſis*, quo linguas non in totum damnat; ſed ita tractat, ut illis quam minimum tribui velit. Tum *Methodi* meæ præceptis opponit diverſa præcepta, ſed interim à nomine meo temperans. Etiamſi ſic graviore nos premit invidia, dum quæ in hunc aut illum, dum quæ in *Lutherum* ſtringit, lector ignarus in me ſtringi ſuſpicatur. Hanc immodeſtam modeſtiam noſtri Theologi commenti ſunt. Mihi certe liber multis nominibus placuit, atque utinam ſcriberent uſque ad ſatietatem, deſinerentque συκοφαντεῖν· nunc ſtrophis quibuſdam ita per multos traducor, ut non ſit in quem certo poſſim ferrum ſtringere. Decreveram omnino non reſpondere libello, ſed vicit amicorum ſententia: quanquam ita reſpondi, ut videar non reſpondiſſe. Dixeram in *Methodo* mea, bonam Theologiæ partem eſſe pietatem mentis & afflatum. Id oppugnans *Latomus*, multis verbis demonſtrat, non idem eſſe Theologum & pium virum eſſe. At vereor ne poſthac, ſi pergant, ſint qui dicant, non idem eſſe Theologum eſſe & ſapere. Video plane peſtem eſſe fatalem, & propemodum Aſtrologis fidem habeo, qui ut corporum morbos, quibus paſſim nunc laboratur, ad ſyderum effectus rererunt: ita putant ab iiſdem & mentium peſtes quaſdam exſiſtere. Sed ô dementiam! dum hujuſmodi calumniis & noſtrum negotium, & alienum ocium perdimus, videmur nobisipſis ſancti, videmur Theologi, videmur *Chriſtiani*. Sed ubi interim tranquillitas *Chriſtiana*? ubi ſimplicitas? ubi luſus ille feliciſſimus in campo Scripturarum? Quid autem dignum imprecer iſtis κακογλώσσοις, qui te ſubmonuerunt, *Eraſmum* tibi non favere. Ego vero te non inter eos numero, quibus favere debeam, verum quos modis omnibus ſuſpicere, ac venerari, atque in his præcipue te, quem ſemper unicum præceptorem ac patronum conſtantiſſimum habui. Nam quod rarius tui mentio fit in literis meis, nihil aliud in cauſa fuit, quam reverentia tuæ celſitudinis: quando tot modis mihi maximus occurris, hinc Epiſcopali dignitate, hinc eruditione quadam admirabili, ſuper omnia vero vitæ ſanctimonia, qua cum paucis noſtro ſeculo, veteres illos Epiſcopos refers. In alios plus audeo. Tu mihi ſemper viſus es non niſi religioſe nominandus, præſertim in libris editis: & tamen auſus ſum meminiſſe tui, cum aliis aliquot locis, tum in *Enchiridii* poſtrema editione, in qua adjectum eſt *Baſilii* fragmentum olim à me verſum. Sed interim opus aliquod circumſpecto, ſed quod victurum augurari poſſim, quodque tua magnitudine gravitateque non indignum videatur, id tuo nomini proprie dicabitur, hoc eſt, per te orbi commendabitur. Quod iſthic agitur de reformando, ut loquuntur, clero, vereor ne plus ſatis imitentur iſti medicorum exemplum, qui primum inaniunt corpus, quod ſanandum ſuſceperint. Utinam *Chriſtus* tandem experrectus, liberet populum ſuum tam multiplici tyrannide, quæ, ni proſpectum fuerit, eo videtur evaſura, ut tolerabilius ſit futurum, vel *Turcarum* pati tyrannidem. Sed ut ad librum tuum redeam; optabam nitidius excuſum fuiſſe. Ea in re ſi quid poſſum præſtare, non gravabor. Optarim & iſtam operam in aliud argumentum inſumptam fuiſſe: quamvis hoc quoque tum pium ſit, tum elegans. Verum, commentarioli, quibus Euangeliorum ſeriem ac ſenſum connectis, quorum guſtus olim mihi perplacuit: meo judicio, plus dignitatis attuliſſent tuo nomini. Quum has eſſem obſignaturus, is, de quo paulo ante memini, mutatus, ut conjicio, literis tuis incantatricibus, legatum ad me mittit *Antuerpiam*, qui de amicitia inter nos ſarcienda mecum ageret. Reſpondi, ſi ſarciret ille famæ meæ jacturam, me facile rediturum ad priſtinam neceſſitudinem. Ego ut animo *Chriſtiano*, ne læſus quidem velim lædere quenquam, ita non ſum tam levis, ut ſubito fidam illi, cujus tale ſim expertus ingenium. Imo nunquam fuit amicus, qui ſic amicus eſſe deſiit. De *Luthero* ſcribam aliàs copioſius. Bene valeat tua pietas, cui quam commendatiſſimus eſſe cupio. *Antuerpiæ* 2. Aprilis, Anno 1519.

An. 1519.

## EPISTOLA CCCCIV.

*Eraſmus Roterodamus Euricio Cordo Ludimagiſtro* S. D.

VTINAM tam facile liceat omnibus mutuis literis ut amore mutuo reſpondere, non committerem ut quoquam in officio viderer inferior: nunc quando unus à tam multis laceſſor, cogor in altero cedere, præſertim cum præter viciſſitudines literarum, quæ mihi non minimam temporis adimunt portionem, & tot alioqui ſtudiorum laboribus degraver, ne quid imputem interim, quod operæ refellendis obtrectatorum calumniis datur. An aliquos (ut ſcribis) *Chriſto* lucrifecerim, neſcio, quanquam à multis hoc nomine mihi aguntur gratiæ, certe conatus ſum, atque utinam meipſum *Chriſto* lucriteciſſem. Etiam atque etiam noſtræ gratulor *Germaniæ*, quam video in dies magis ac magis melioribus literis manſueſcere, ac ſylveſtre ingenium exſuere. Quod *Erfordiæ* ludum literarium aperis, ut felix fauſtumque ſit precor. Academiam multis nominibus celebrem, reddes induſtria tua celebriorem: ſed quo alacrius verſeris in iſto munere, fac memineris ſecundum Principes & Epiſcopos, neminem magnificentius poſſe mereri de Republica quam ludi literarii magiſtrum, ſi rudibus adhuc, & in quemvis habitum ſequacibus animis mentem inſtillet *Chriſto* dignam, eaſque literas, quæ ſemper optimo cuique placuerunt. Quod ſi me audies, plus operæ ſumes in propagandis optimis diſciplinis, quam in refellendis harum hoſtibus. Ad claram lucem vel ſuapte ſponte evaneſcunt tenebrarum portenta. *Eobanum* ævi noſtri *Naſonem*, ſed caſtum ac pium, meis verbis ſalutabis diligenter. Bene vale, cordatiſſime *Corde*. *Lovanio* 17. Aprilis, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCV.

*Eraſmus Rot. Jacobo ſuo Hornenſi* S. D.

SANE quam lubens amplector tuum in nos animum, vel ob hoc ipſum quod ultro nos ad amandum provo-

Digitized by Google

An. 1519. vocas, etiamsi non parum apud me valeret, vel patria communis, vel literarum similium idem amor. Nam quod existimas me tibi *Daventria* conspectum, vel hoc argumento facile deprehendes, te vana ludi mentis imaginatione, quod cum ego *Daventria* discederem, nondum fluvius, qui urbem praeterfluit, ponte junctus erat. Nec *Daventria* discedens, adii *Britanniam*: nam ante decem & novem annos demum vidi *Britanniam*. *Daventriam* reliqui, quatuordecim natus annos, nunc ago annum quinquagesimum tertium. Quaestionem, abs te disputatam, nullus adhuc exhibuit. Bene vale, mi *Jacobe*. *Lovanio* 17. Aprilis, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCVI.

*Erasmus Rot. Joanni Draconi suo* S. D.

LAVDVM mearum encomium decantaturus, & styli veniam postulas, & adulationis suspicionem deprecaris. Mihi vero perplacuit dictionis fluxus & perspicuus & facilis: praesertim in juvene: quae res facit, ut mihi de te raram quandam eloquentiam pollicear. Porro nihil esse causae video, cur mihi quisquam vel invideat, vel aduletur. Quod enim futurum sit adulationis praemium? quanquam autem istiusmodi laudes, quas mihi quorundam vel studium, vel candor tribuit, non levi me onerant invidia: tamen amorem, unde proficiscuntur, non possum omnino rejicere. Atque utinam aliqua ex parte vera essent, quae tu commoda narras ex meis scriptis orbi *Christiano* contigisse. Nam quis ego sum, ut magnam aliquam utilitatem orbi praestare queam? etiamsi conatus sum meum quantulumcunque talentum in Domini mei lucrum impendere. Si successus defuit, voluntas bona non defuit. Quidam nimis odiose reclamant, alii rursum immodice probant. Illorum virulentas obtrectationes non mereor, horum laudes non agnosco. Ego interim me meo metiens pede, neque cresco laudibus plausuque faventium, nec omnino dejicior perversitate obtrectantium, consolans interim meipsum recti conscientia, ac vigiliarum mearum praemium à *Christo* exspectans, si parum grati sunt homines. Quanquam video meos conatus optimo cuique probari, ἀλλὰ πλείονες οἱ κακοί. Quod *Erfordiensis* Academiae publico nomine mihi studium illius ac favorem & in praesentia testaris, & in posterum offers, vehementer fuit gratum à tam inclyta Schola probari: neque enim sic amarent, nisi probarent. Utinam *Eobanum* tam non poeniteat suae ad nos profectionis, quam ego gaudeo mihi contigisse viri tam eruditi, tam facundi, tam probi, tamque bene morati notitiam: etiamsi ipse hominem parum humaniter accepi, videlicet id temporis occupatissimus, quanquam nunquam non sum occupatus. Bene vale, *Draco* charissime. *Lovanio* 19. Aprilis, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCVII.

*Joanni Thurzoni, Episcopo Vratislavienſi, Erasmus Roterodamus* S. D.

LITERAS tuas, ornatissime Praesul, non minus bonae mentis, quam doctrinae, quam eloquentiae, quam humanitatis prae se ferentes, plane dignas judicabam, quae in tui nominis gloriam ederentur, ni meam gloriam immodice praedicarent. Nec ita multum abfuit, quin me nitore suo à rescribendo deterruerint, sed malui famae detrimentum accipere, quam parum humanus videri. Essem autem inhumanissimus, si à tanto Praesule talibus literis provocatus, prorsus obticuissem. Tantum autem abest, ut pudeat me vinci à minoribus, ut vehementer & gaudeam, & glorier, seculum nostrum priscae barbariei veternum exsuere, & in optimis literis feliciter reflorescere. Neque hic ullam laudis partem mihi vindico, nisi si quos nostrae *lucubrationes* expergefecerunt ad meliora studia, ne me putes agnoscere laudes, quas mihi candide magis quam vere tribuis. Porro novum non est, apud *Hungaros* esse praeclara ingenia, quando *Janus* ille *Pannonius* tantum laudis meruit in carmine, ut *Italia* ultro herbam illi porrigat. *Jacobi Pisonis*, cujus memoriam mihi refricas, tam jucunda est recordatio, quam olim *Romae* jucunda fuit consuetudo: quid enim illo doctius, aut quid festivius? Ego hunc praeceptorem magis gratulor sereniſſimo Regi vestro, quam regnum ipsum. Fuerunt & hic, qui me *Ferdinando* Principi praeceptorem dare vellent. Et est adolescens prorsus indole divina, docilitate incredibili, probitati virtutique natus, ad haec amabili quadam morum gravitate, sed erat cur me nollem aulae committere. Is tamen (ut ipse mihi retulit) libellum *De Principis institutione* semper habet in manibus. *Velii* carmen legens, quod proxime mihi redditum est, *Lucani* tubam audire videor: dignus ille, qui magnos Reges decantet, non *Erasmum*. Nunquam auctor tibi fuero, ut quemadmodum scribis, octo dierum itinere, ad homuncionis hujus spectaculum accurras: nam sat scio, & te poeniteret itineris, & ego nonnullam existimationis meae jacturam apud te facerem. Si quid *Erasmi* visendum, id in libellis nostris conspicatus es. Caeterum nec ego sum *Livius*, nec tu *Gaditanus* quispiam barbarus. Quod autem insuper munus adornas? An non haec tua epistola, qua mihi pectus istud tuum dicas, amplissimum est munus? Mihi certe nullum tui pignus exhiberi potuit charius, maxime quod non gravata sit tua celsitudo tam prolixam epistolam propriis digitis describere. Bene vale. *Lovanio* 20. Aprilis, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCVIII.

*Guilielmo Cardinali de Croy, Archiepiscopo Toletano, &c. Erasmus Rot.* S. D.

REVERENDISSIME domine, idemque Princeps clarissime, schedula tua *Laconica* quidem brevitate, sed sensu arguto, mihi speciem acris vegetique ingenii praebuit: nam hic, opinor, permittes *Erasmo*, leonem ex unguiculo aestimare. Felices literae, si tales habituraе sunt fautores, feliciores, si non faventes modo, verum etiam cultores habebunt. Probe vero divinas libellum hunc reliquorum similem futurum, prorsus illis simillimus est, hoc est, ineptissimus. Mihi vero nec libuit in hujusmodi nugis seriam operam ponere, & visum est convenire, ut dignum haberet patella operculum. Si tua celsitudo dignabitur *Erasmum* numero clientulorum suorum adscribere, dabimus operam, ne prorsus ignavum aut ingratum allegisse videatur, quam *Christus* Opt. Max. instaurandae veraе pietati, bonisque literis evehendis diu tueatur incolumem. *Lovanio* 20. Aprilis, An. 1519.

## EPISTOLA CCCCIX.

Guilielmus Budaeus Erasmo *S. D.*

SCRIPSI *ad te his diebus per scholasticum quendam* Agrippinensem, *hominem humaniſſimum, & , nisi fallor, optimum, epistolam bene longam, in qua inter alia id etiam scribo,* ὅπως σοι ἔχει τὰ καθ' ἡμᾶς ἢ τὰ τῆς βασιλέα, ἢ ὅσῳ πάλιν σὺ πόθῳ τοῖς ἡμεδαποῖς ἐγένετο, *ut in statuas* ὅπως σὺ ἢ ὅτι χρῷ σεαυτῷ, προμηδιώσης νῦν τύχης: *non dubito literas ad te perveniſſe, aut brevi perventuras esse, qua est ille* Colonienſis *vultus probitate, qui mihi se eas vel tibi redditurum spopondit, vel omnino curaturum ut tibi literae reddantur: quippe qui etiam cupide hoc affectavit, ut ad te literas à me ferret.* Glareanus τοῦτον σώιζησόί μοι πρῶτον. *Cupio scire quid habeas animi de eo quod ad te scribo* περὶ βασιλέως, *& quomodo accepiſti objurgationes meas, & utrum literis meis placatus sis, an exacerbatus potius: quod si est, exspecto* ἐξισιχώτατα γράμματα. *Verum, ille* Colonienſis *quum ad me venit, in villam abiturum me offendit, nec ante quatriduum rediturum: dixi habere me exemplum unum epistolae prolongae, quod ad te missurus eram, statim*

Digitized by Google

An. 1519. *tim atque ejus exemplum transscribendum curassem. Quo audito ille hoc munus deposcit me refragante: & quum ei tandem ea lege dedissem, ut me absente domum referret id exemplum, quod ipse exscripsisset: quum redii, inveni domi, non id quod ipse exscripserat, sed id quod ei ad te deferendum dederam à me recognitum. Proinde si epistolam ad* Tonstallum *editurus es, sustine quoad me certiorem feceris, & ego tibi aliud exemplum mittam emendatum. Vereor enim ne ille in tumultuaria exscriptione corrupte id scripserit. Tu igitur facies me certiorem, an opus sit aliud ad te mitti exemplum. Vale.* Parisiis 20. *Aprilis*, An. 1519.

*Nomen ejus juvenis* Agrippinensis *scripsi tum in quadam charta, quam invenire non potui, quum hanc ad te epistolam scripsi: praceptor est puerorum aut adolescentulorum nobilium; qui* Aureliis *studuerunt Juri.*

## EPISTOLA CCCCX.

*Erasmus Budæo suo* S. D.

DUAS epistolas accepi, eodem ferme argumento, sed quæ mihi declarent superiorem conflictationem, incolumi amicitia nostra, inter nos hactenus constitisse. Mihi prolixa illa epistola non alio magis displicet, quam quod tuum animum videbatur offendisse: cui jam ne potes quidem non æquior esse, quando te auctore servata est, cum ipse eam noxæ dedidissem. Precor ut ista legatio tibi feliciter cedat, tuoque bono tandem in gratiam redeas cum aula. Quoties tumultus hos animo contemplor περὶ ἑ αὐτοκράτορος, protinus *Horatianum* illud venit in mentem τὸ μωρῶν βασιλέων ἢ λαῶν. Bene vale. *Lovanio* ..... Aprilis, An. 1519.

## EPISTOLA CCCCXI.

*Erasmus Rot. Philippo Melanchthoni* S. D.

QUI me submonuit de tuo judicio neque nebulo est, neque quadruplator, verum in paucis candidus amicus, utrique nostrum bene volens. Nec est, quod adversus illum tantopere stomacheris, cum ipse fatearis verum esse, quod ille non in tui invidiam, sed quod forte sic inter confabulandum inciderat, retulit: quanquam ille non ajebat tibi displicuisse quicquam in *Paraphrasi*, sed in Novo Testamento, in quo citius admissurus eram tuum judicium, quam in *Paraphrasi*, de qua nemo facile pronunciabit, nisi qui vigilantissimis oculis Veterum omnium commentarios excusserit. Cave vero me putes aut amicum tam inconstantem, ut ob quamlibet offensam amicus esse desinam, aut tam parum assuetum τῷ καλῶς ἀκούειν, ut hujus aut illius liberiore judicio magnopere commovear. Nec obsto, quo minus libera sint studiosorum judicia, modo recta sint. Proinde rectius tu quidem hoc ordine mihi dicturus fuisse videris, *Judicia studiosorum ut libera, ita rectæ esse decet.* At ipse judicium istud tuum rescindis, & calculum revocas. Ad hæc eruditorum judicium, horum præsertim qui Musarum sacra colunt, non solum rectum, verum & æquum & candidum esse decet. Vides quantis odiis conspirent quidam adversus bonas literas. Æquum est nos quoque συγχωρεῖν. Ingens præsidium est concordia. Cæterum, illud tibi persuadeas velim, me *Philippum* ex animo diligere, & illius feliciſſimo ingenio non vulgariter favere. Dicevix potest, quantum arriserit hymnus, quo tu veterem illum *Orpheum* nobis referens, angelos celebras. Legi & *Præfationem*, qua veterem eruditionem prædicas, fortiter quidem ingentique spiritu, quemadmodum & juvenem decet, & *Germanum*. Verum, si pateris *Erasmum* monitorem, malim te plus operæ sumere in asserendis bonis literis, quam insectandis harum hostibus. Digni quidem illi, quos eruditi omnes omni conviciorum genere discerpant: sed hac via, ni fallor, plus promoverimus. Præterea, certandum est nobis, ut non solum eloquentia, verum etiam modestia morumque lenitate superiores illis videamur. *Martini Lutheri* vitam apud nos nemo non probat, de doctrina variant sententiæ. Ipse libros illius nondum legi. Quædam admonuit recte, sed utinam tam feliciter, quam libere. Scripsi de illo, clarissimo Duci *Friderico*, simul gestiens cognoscere, quonam animo acceperit Cæsarum Vitas à me sibi dicatas *. Bene vale, *Melanchthon* eruditissime, totisque viribus adnitere, ut spem, quam optimam de tuo ingenio, tuaque pietate concepit *Germania*, non æques modo, verum etiam superes. *Lovanio* 22. Aprilis, Anno 1519. An. 1519.

MODERARE studiorum labores, quo diu juvandis literis suppetere possis: nam audio tibi valetudinem esse non prorsus adamantinam. Postremo vel in hoc vitam cura, ne gratum facias τοῖς βαρβάροις τουτοσί. Rursum vale.

## EPISTOLA CCCCXII.

*Erasmus Roterodamus Joanni Schlechtæ Costelecio Bohemo* S. D.

ACCEPI Panegyricum tuum verius quam epistolam, quæ tanto ingenio tantaque facundia meas laudes decantat, ut magis illustret encomiasten, quam me qui laudor. Gaudeo nusquam gentium non esse, qui faveant melioribus literis, nec faveant modo, verum etiam colant. Porro sedecim illos annos, quos in aula *Vladislai Hungariæ Bohemiæque* Regis contrivisti, non tibi prorsus periisse, vel hæ tuæ literæ satis declarant. Cæterum, ex omnibus laudibus, quas tu acervatim effundis in me, nihil agnosco præter animum juvandi mores *Christianos* & recta studia cupidum. Est voluptati mihi, si cui bono fuerunt meæ vigiliæ. Quorundam odia non queo satis admirari, cum hactenus meis scriptis nemo factus sit vel uno pilo nigrior. Videbam spinosum hoc ac frigidum Theologiæ genus in dies in pejus vergere: fontes ac veteres illos orthodoxos pene pro obsoletis haberi. Proinde conatus sum omnes ad germanam illam Theologiam revocare, non in totum damnans in scholis recepta studia, sed partim moderans, partim indicans, quid optarem accedere. Siquidem ut mihi non placent, qui bonis literis nihil omnino tribuunt, ita non probo hos, qui neotericorum Theologorum studia prorsus damnant. Demiror autem impudentiam istius, quisquis est, Canonici *Pragensis*, qui tam insignem mendacii telam, velut araneus, ex sese confinxerit. *Colonienſibus* aliquandiu res fuit cum eximio viro *Joanne Reuchlino*, mecum neque scriptis, neque dictis unquam sunt conflictati, tantum abest ut exusserint meas *Lucubrationes* una cum ipso auctore. Imo quoties illac iter feci, sum à primariis viris & exceptus honorifice, & summa cum humanitate dimissus. Quanquam facile crediderim, & illic esse, qui inter suos oblatrent *Erasmo*: veluti nuper quidam è sodalitio *Prædicatorum*, ceu rem compertam inter suos narrabat, *Erasmum Lovanii* vita defunctum, & addebat sycophanta dignam ipso facetiam, *sine lux*, *sine crux*, *sine Deus*. Narranti, frequenter applausum est à combibonibus Monachis. Quod si non verentur hujusmodi confingere de me vicino, minus mirum si *Praga* sic mentiantur. Verum, ex his factis, quæ quotidie multa designant, conjicere licet, quanta *Erinnys* istorum pectus occupavit. Ego magis (ita me *Christus* amet) ipsorum vicem doleo quam meam. Nam me satis consolatur, tum recti conscientia, tum optimi cujusque de me judicium: quando nemini mortalium adhuc contigit omnibus placuisse. Prodiit Novum Testamentum rursum à me non credendis vigiliis novatum, neque mediocri locupletatum accessione. Præfixum est epistolium *Leonis* decimi, quo & veterem editionem approbat, & ad hanc novam invitat. *Praga* quid mihi negotii possit esse, non video. Nam quod polliceris non defore, qui me tuto quo voluero deducant, mihi non placent regiones, in quibus hujusmodi deductoribus sit opus. Hic vel soli liberum est

ire

* Vide supra Epistolam CCCXVIII.

Digitized by Google

An. 1519. ire quo velim. Neque vero dubito quin isthic reperturus sim, uti scribis, complures doctrina, pietateque spectatos, quos schismaticorum vitia non inquinant. At demiror non exsistere, qui totum hoc dissidium tollant. Praestat iniquioribus conditionibus habere concordiam, quam æquis dissidium. Vereor equidem ne pecuniæ studium, ubique bonorum morum pestis, non sinat coire concordiam. *Paulus* nullum damnum recusat quo *Christum* lucrifaciat. Tot sunt in orbe Cardinales, tot Episcopi, tot Principes; utinam *Christus* afflet aliquem horum, ad hoc negocium spiritu vere *Christiano* capessendum. *Paulus* si *Romæ* præsideret, sat scio, non modo pateretur aliquid decidi fructibus suis, verum etiam auctoritati nonnihil derogari pateretur, modo hoc precio concordiam emere liceret. Quod si non continget nobis conspectus mutuus, tamen literarum vicissitudine fiet, ut & ego tecum aliquoties confabulans, apud *Albim* tuum spatier, & tu mecum apud *Brabantos* victites. Nam quantula pars amicitiæ est conjunctio corporum? Bene vale, vir ornatissime. *Lovanio* 23. Aprilis, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCXIII.

### *Erasmus Hutteno* S. D.

TOT studiorum laboribus obrutus, ut mirum sit me cuiquam omnino respondere, sæpius tibi respondi, quam tu ad me scripseris, si modo perferuntur quæ mittimus: & tamen pertinax silentium meum accusas, mecumque delitigas, quasi parum sit hominum, qui mecum rixentur. Ingentem voluptatem mihi nuncias, quod tali animo sit in me Archiepiscopus *Moguntinensis*, & tibi talem *Mæcenatem* gratulari non desino. Cæterum, libellum illi dicatum, jampridem meo sumptu misi per juvenem quendam, una cum literis ad te, simulque præfationem ad *Guolphangum Augustum*. Eum ex literis *Rhenani*, intelligo *Basileam* usque perveniisse: quid egerit *Maguntiæ*, nescio. Demiror si non peregit mandata, cum addiderim libellum memorialem. Præfiximus libello epistolam eruditam & elegantem Archiepiscopi, non perinde ut exstaret illius erga me favoris monumentum, atque ut alios, tanti Principis exemplo, ad bonarum literarum studium accenderem. Et videor mihi profeciisse. Nam clarissimo juveni *Guilielmo* de *Croy*, Duci & Episcopo *Cameracensi*, Archiepiscopo *Toletano*, denique Cardinali, quanquam aliàs satis videretur ad honesta studia propensus, tamen ex *Maguntinensis* epistola lecta, non mediocre calcar additum videtur. *Aulam* tuam, cum sæpius esset in manibus tamen semper excussit hactenus aliquid negocii, lecturientem interpellans. Quod legi perplacuit: quid enim *Hutteni* non placeat? *Febrim* ac *Phalarismum* nescio qui curarunt rursus excudendum. At *Febris Lovanii* vetita est distrahi, quod quosdam ἡμιθέους nominatim attingere videretur. Alioqui perplacet omnibus. *Phalarismus* quoniam adhærebat *Febri*, una cum *Febre* exsulat, sed *Lovanio* duntaxat: neque enim longius se profert hujus Scholæ tyrannis. Susceperant & orationem excudendam, nec satis scio, quo consilio prorogent. Sed quid ego audio? *Huttenus* totus ferreus, in acie dimicabit? Plane video te bello natum, qui non calamo tantum & lingua, sed & *Mavortiis* armis pugnes. Quanquam quid magni, si nunc ausis inter tam multos adversus unum pugnare, cum olim *Bononiæ* unus tam multos profligaris. Laudo fortem animum, sed tamen si me audies, servabis *Huttenum* Musis. Nam unde nobis tale ingenium, si quid accidat, quod avertant superi? Nosti *Martem* ἀλλοπρόσαλλον, nec satis propitium bonis ingeniis, utpote deorum omnium stolidissimum. Bene sit, sed tamen si quid acciderit, ipse tibi tuis scriptis exstruxisti monumentum ære perennius. Neque nos tamen defuturi sumus officio nostro. Nam si quid *Erasmi* scripta valebunt,

*Nulla dies unquam memori nos eximet ævo.*

*Triumphum* nondum vidimus. Gratum erat, quod nostro consilio tam diu presserint: nec dubito quin totum argumentum sint moderati. Rixarum nullus est finis. Ut cæteris omnibus simus superiores: sycophantiis, mendaciis, convitiis longe vincimur. Non possum non ingenue fateri, quod vero verius est. Sed præstat hac parte ultro herbam dare, quam turpiter depugnare. Neque enim solum perpendendum nobis est, quid dignum sit iis, in quos scribimus, verum etiam quid nobis dignum sit, qui scribimus. Pulchrius est aliquando modestia quam causa superiorem esse, & sunt quæ nobis potius agenda sint. Malim ego totum mensem in *Paulum*, aut in Euangelium explanandum insumere, quam diem hujusmodi rixis conterere. Bene vale, mortalium charissime. *Lovanio* 23. Aprilis, Anno 1519. An. 1519.

## EPISTOLA CCCCXIV.

### *Erasmus Joanni Borsalo suo* S. D.

ISTVD vero non est epistolam mittere, sed ἐπῳδήν, tot nominibus oras, obsecras, obtestaris, actionem etiam minitas ex pacto, si recusem de ratione concionandi conscribere, perinde quasi ferreus sim, aut adamantinus. Quis est ager usque adeo ferax, ut immodico cultu non exhauriatur? Ego hunc malignum ac sterilem agellum tot jam annis assidua semente vexo, nec ulla lectionis stercoratione sarcio, nisi tumultuariæ. Post morbos tam graves erat aliquid dandum confirmandæ valetudini. Hic adeo nobis non indulsimus, ut nec ægrotare vacaverit: tum hæc Quadragesima me pene confecerat, ni mutandi cœli, victusque gratia *Antuerpiam* me contulissem. Quin & dum aulicus esse cogor *Mechliniæ*, meisque patronis Episcopo *Leodiensi*, *Trajectensi*, cæterisque proceribus, & in his tuo *Adolpho* observio, mihi dies aliquot perierunt. Postremo tot undique missis epistolis obtundor, ut dum his rescribo, maxima pars temporis pereat à studiis. Absoluta *Paraphrasi* in duas Epistolas ad *Corinthios*, institueram in Epistolam ad *Galatas*, sed hoc agentem Tragœdiæ quædam interpellarunt, quas hic novas, & hactenus inauditas, nescio quæ *Erinnys* excitavit. *Apologia*, qua *Latomi* dialogo respondeo, vix mihi tridui tempus absumpsit: neque enim libuit in ejusmodi tricis multum operæ collocare. Quod si illi vacat ejusmodi libros complures edere, non deerunt qui respondeant. Ego *Vejanius* cedo arena. Video excetram hanc repugnando vinci non posse, itaque pugnis valere jussis, in *Christiana* lenitatis portum me recipio, adversus malorum obtrectationes consolans memetipsum, cum bonorum virorum de me judicio, tum animo sibi bene conscio; certe quod ad hanc rem pertinet. Pecuniæ studium nunquam habuit animum meum: famæ sarcinam lubens, si queam, posuerim. Vitæ nec tædet, nec sum avidus: quandocunque me hinc evocabit imperator *Christus*, ipso fretus volens promptusque decedam præsidio corporis. Tantum molesta est quorundam insignis ingratitudo, tantumque sycophantiarum virus, ut ni plane comperissem ipsa re, nunquam crediturus fuerim tantum esse mali, non dicam inter eruditos, sed ne inter homines quidem: tametsi vixerim cum tot nationum hominumque generibus. Literas tuas suspicor *Lovanium* perlatas esse, atque illinc *Antuerpiam* remissas: nam ibi tum agebam: ita factum est, ut non viderim qui eas pertulerat. Consilium est mensem hunc vernum sarciendis corporis animique viriculis insumere, si modo licebit. Mox favente *Christo*, *Paraphrasim* aggrediar, & argumentum quod tu tantopere efflagitas: quod ipsum tamen aliis scribetur, non *Borsalo*. Novi pectus istud tuum, novi ingenium, novi studium. Domi fontem habes, ut non necesse sit ex aliena cisterna aquam petere. Non deerunt qui celebrent Pontificum auctoritatem, quam fateor esse debere sacrosanctam: non deerunt qui *Scoti Thomæque* decreta prædicent, quæ nec ego sane prorsus improbo. Tu purum illum & sincerum *Christum* mentibus tuorum instilla,



Digitized by Google

An. 1519. quando id à paucis fieri videmus. Gaudeo tibi fortunam obtigisse cum dignitate conjunctam, tum autem materiam ac segetem oblatam bene merendi de grege *Christiano*. Felix quidem ocium studiorum, sed huc descendat oportet sapiens ille *Platonicus*, non uni sibi natus. Optimus Princeps *Adolphus* videtur adhuc veterem illum in nos animum obtinere, quem puer habuit. In hujus propiorem notitiam commodissime temet insinuabis per *Petrum Zutpenium Cassiletanum*, quo viro nihil adhuc vidi candidius aut amicius. Quod *Franciscus Galliarum* Rex me tentarit satis amplis conditionibus in *Galliam* evocare, rumor non omnino vanus est. Tentatum est & retentatum quorundam literis: verum, nihil adhuc audio certum vigilans, neque tam rudis sum rerum humanarum, ut meris promissis pellici queam. Ut *Ferdinando* præceptor essem, actum est sedulo, cum per alios permultos, tum per Principem *Bergensem*, & is est Princeps, ut meliorem, magisque docilem, nec optare possim. Sed deterrent me quædam, quæ tuto literis committi non possunt. Bene vale. *Lovanio* die Paschæ, hoc est, 24. Aprilis, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCXV.

### Erasmo Rot. Joan. Faber, Vicarius in spiritualibus Constantiensis, *S. P. D.*

QUOD *scribendi officium tot mensesintermisi*, Erasme *doctissime*, *equidem non causor negocia*, *quod solent desides*, *quanquam vere possim*, *ut qui semper sim occupatissimus. Neque item ulla me cepit* Erasmi *mei oblivio*, *quod hanc vera amicitia prorsus ignoret*, *& ipse vix tam mei sim memor quam* Erasmi. *Quamvis enim tot montibus*, *tam immensa viarum intercapedine sejungamur*, *semper tamen oculis nostris adblandiuntur tua pignora suavissima*, *monumenta ingenii divina*, *quæ cum intueor*, *(intueor autem frequenter)* Erasmum *intueor*, *nimirum verius quam illi qui te præsentem amplectuntur*, *manusque manibus copulant. Hi faciem corpusculumque adspiciunt*, *sub quo verus ille habitat* Erasmus, *quem totus veneratur orbis*, *& verius tot editi ab eo libri referunt*, *expressius ostentant oculis quam jugis illa corporis contemplatio. En quam sedulo annitor*, *ne usquam amici oblivio mihi obrepsisse videri possit. Quid igitur meum tam diuturnum excusabit silentium? Id sane quod res est*, *partim commoratio illa remotior*, *qua fit ut tabellarii deessent*, *partim tua mansionis instabilitas. Jam enim in* Angliam *avolasse dicebaris: confestim* Hollandiam *petiisse te*, *rumor erat. Quocirca incassum me scripturum arbitrabar*, *& interim amiculi aliquot sperare jubebant tuum ad* Basileam *reditum*, *sic harebam*, *tui desiderio impatienter æstuans. Tandem fortuna mihi* Constantiæ *virum obtulit*, *in aula* Caroli *Regis tui*, *& ut spero etiam nostri*, *primarium*, *inclytum juxta ac doctum*, *qui tabellarios & (qua est mira ejus in omnes humanitas) omnem suam operam comiter pollicebatur in literis ad te transmittendis. Ego plurimum gavisus*, *ad scribendum me è vestigio accinxi. Quaris igitur quid agant amici tui? Valemus omnes Deo propitio perbelle*, *tibique optimam valetudinem precamur omnes*, *quo pluribus fœcundissimi ingenii tui fœtura nostram locupletes paupertatem: omnia enim tua ejusmodi sunt*, *ut antiquæ eruditioni non conferri solum*, *sed anteferri etiam mereantur. Innumeri per* Germaniam *tuas vigilias*, *tui ingenii imagines contemplantur & legunt*, *qui lingua*, *eruditione & pietate tantos fecere progressus*, *ut jam tibi præceptori*, *cui omnia referunt accepta*, *maximo sint ornamento futuri. Innumeri te duce vetustatis inerudita squalorem abstersurunt*, *atque magnis itineribus contendunt ad frugem*, *non modo juniores*, *quod equidem minus miror*, *sed grandævi: qui sub tanto literarum imperatore*, *velut signo dato universa barbariei bellum indicentes*, *triumphum etiamnum sperant: quandoquidem tanta est eloquentiæ tuæ vis*, *ut barbaros deploratos in tuam pellexeris sententiam*, *qui jam sero quidem cum* Phrygibus *moliuntur tamen*, *& bonas horas*, *quas antehac in nugis intempestivioribus locarunt*, *veris literis & vera impertiunt Philosophiæ. Quid attinet de me dicere*, *quem præsens annis superioribus tuo mellitissimo colloquio ita rapuisti*, *transformastique*, *ut fere reddideris alium: nam cum olim parum fausta institutioni me dederim*, *recentioriqne Theologiæ per ætatem nimis inhæserim pertinaciter*, *tu flexanima suadela tua protinus effecisti*, *ut nulla jam lectione æque delectter ac solida Theologia. Quare non indignaberis*, *mansuetissime* Erasme, *quod* Beatus Rhenanus, *vir doctrina & vitæ integritate conspicuus*, *mihi nuper tuum vera Theologiæ compendium dicavit. Quanquam enim tam insignis dicatura optimo cuique & doctissimo fuisset omnibus modis ambienda*, *eo tamen minus te ejus instituti pudebit*, *quod non me solum*, *sed alios haud parum multos ad veteris Theologiæ studium inflammasti: adeo enim dilucide tuam in sacris Literis eruditionem & ingenium acerrimum indicat absolutissimus ille libellus*, *ut multos etiam barbaros*, *antea elegantioris Theologiæ ex professo hostes*, *hoc opusculo placaris*, *tibique reddideris benevolentissimos. Novum Testamentum denuo à te magnifice*, *quod nihil dubito*, *locupletatum*, *cupidius sane exspecto*, *quam ulla mater filium charissimum peregre redeuntem: nam quicquid uspiam temporum supereſt ab officii mei occupatissimi molestiis*, *id omne tuis libris decies perlegendis impendo.* Pacæus *noster*, *in quem externa corporis & animi bona ampliter congessit natura*, *ubi sit*, *quid rerum agat*, *scire percupio*, *cujus consuetudine imprimis jucunda vehementer sum delectatus. Tu vero*, Erasme *amicissime*, Fabro *tuo ignosce: nam studio in te meo & amori obsecutus*, *non veritus sum tuis occupationibus obstrepere. Quamvis enim tuas literas ceu munera preciosissima amplectar*, *licebit tamen per me tibi*, *dummodo amare non desinas*, *non solum non respondere literis meis*, *verum ne legere quidem*, *si ita sit commodum. Vale*, *Theologorum & omnis doctrinæ Princeps. Ex* Constantia 26. *Aprilis*, *Anno restitutæ salutis* 1519. An. 1519.

## EPISTOLA CCCCXVI.

### *Laurentio Campegio Cardinali Erasmus Roterodamus* S. D.

EXIMIE domine, virtutum tuarum insignium & eruditionis rariſſimæ fama inflammatus, jam pridem gestio te & nosse propius, & coram adorare. Sed hactenus obstitit partim valetudo, ex diutinis morbis etiamnum tenerior, quam ut eam ausim navigationi molestæ committere, partim quod ante menses aliquot *Christianissimi* Regis literis evocatus sim in *Galliam*, cui diutius excusare non licuit: verum, ne nullo interim argumento declararem meam erga te animi propensionem, mitto Novum Testamentum, magnis sudoribus denuo à me recognitum, quod Pontifici *Leoni* dicatum ipsius hortatu in lucem emisi, quemadmodum illius *Breve* testatur, additum in Operis frontispicio. Huic initio reclamabant quidam, sed qui aut non legebant, aut non intelligebant. Nunc amplectuntur omnes, exceptis pauciſſimis, quos pudet resipiscere. Hi nullum non movent lapidem, ut bonas literas passim reflorescentes opprimant. Ad id splendidos prætexunt titulos, hæreseôn profligationem, Ecclesiæ defensionem, quum, mihi crede, longe aliud agatur. Mihi certe rebus omnibus omissis illud unice studio fuit, ut meum ingeniolum hoc, & qualescunque literulæ *Christi* gloriæ servirent, ac Ecclesiæ commodis. Homo tamen sum, labi possum. Quod si judicium alicubi defuit, animus certe rectus non defuit. Omnibus nemo hactenus placuit. Mihi satis est quod optimis quibusque placeo. Sed vide, quæso, perversissimam, imo ingratissimam quorundam malitiam. Diffisi libris & argumentis quidam, sycophantiis aggrediuntur: quicquid prodit libellorum, quibus hoc tempore quidam nimium licenter ludunt, mihi impingunt. Prodierat *Nemo*, nam is est li-

An. 1519. libelli cujusdam ludicri titulus, meum esse calumniabantur: & persuaserant, ni auctor iratus, sibi suum Opus vendicasset. Exierant epistolæ quædam ridiculæ, non deerant qui me adjutore scriptas dictitarent. Postremo prodiit, nescio quibus avibus, Opus *Martini Lutheri*, auctor mihi tam ignotus est, quam qui omnium ignotissimus, librum nondum perlegi, & tamen initio meum esse dictitabant, quum illic nec unus apiculus sit meus. Horum quum nihil adhuc procedat, ipsa re revincente mendacium, dialogi cujusdam suspicionem mihi moliuntur impingere. Is, ut ex argumento satis constat, scriptus est in odium divi *Julii* Pontificis maximi, schismatis tempore, sed à quo incertum, ante quinque annos degustavi verius quam legi. Post reperi in *Germania* apud quosdam descriptum, sed variis titulis. Quidam testabantur *Hispani* cujuspiam esse, sed suppresso nomine, rursus alii *Fausto* Poetæ tribuebant, alii *Hieronymo Balbo*. Ego quid de his conjectem non habeo, subodoratus sum quoad licuit, verum nondum perveltigavi, quod animo meo faceret satis. Ineptiit quisquis scripsit, at majore supplicio dignus, quisquis evulgavit. Ac miror esse qui solo styli argumento mihi obtrudere parent, quum nec mea sit phrasis, nisi prorsus ipse mihi sum ignotus, nec mirum sit futurum, etiamsi qui in oratione nonnihil referrent *Erasmicum*, quum versor in manibus omnium, & referimus fere, in quorum assidua lectione versamur. Neque desunt hic qui jactitent tuam quoque celsitudinem, propemodum in eam suspicionem adductam esse. Quod mihi certe nunquam persuadebitur, donec persuasum erit non esse vana quæ de doctrina prudentiaque ejus admirabili, passim à summis viris prædicantur. Neque quicquam addubito, quin etiamsi quid suspicionis occupasset animum tuum, facile sim excussurus, si coram detur colloqui, id quod aliquando licebit favente *Christo*. Interim obsecro pietatem tuam ut hoc sibi persuadeat, *Erasmum* hujusmodi libellos ab aliis conscriptos, & edendos suppressisse, tantum abest, ut hujusmodi quiddam ipse vel ediderit, vel editurus sit unquam. Nec mirum si isthic sunt qui de me talia mentiantur, quum hic de proximo non pudeat quosdam improbissime de me mentiri. Omnibus omnium sycophantiis respondere non possum, hoc quod in me situm est præstabo. Si quid valet hoc ingenium, si quid hæ literæ, si quid industria, id totum *Christo* & illius sponsæ usibus dicabitur. Id ita esse re ipsa comperies, si quando dignaberis facere periculum. Mitto nunc librum nudum, utpote recentem adhuc ab officina, nec erat spacium adornandi, post dies aliquot mittetur alter convestitus. Cardinali *Eboracensi* clientulum hunc non gravabitur celsitudo tua commendare, cui scripturus eram, nisi interim & volumen, & epistolam hanc putarem ei communem fore. Bene valeat amplitudo tua, cui me totum dedico, consecroque. *Lovanio* 1. Maji, An. 1519.

## EPISTOLA CCCCXVII.

*Henrico Guldefordo, Equiti Aurato, Præfecto rei equestris Regis Angliæ, Erasmus* S. D.

VIR clarissime, multorum sermone cognosco, quam amico sis in nos animo, sive scintillas istius benevolentiæ ex meis lucubrationibus concepisti, sive ex *Joannis Coleti*, cæterorumque amicorum hausisti sermone. Tu me diligis, quod vere talem esse credas qualem illi prædicarunt. Ego te vicissim amo, quod toto pectore virtuti, quod honestis studiis faveas, quando horum gratia mihi quoque faves, non quod his præditus sim, sed quod tibi persuasum sit, his præditum esse me. Certe recta studia, præsertim ea quæ ad veram faciunt pietatem, provehere semper conatus sum, sed utinam perinde feliciter, ac sedulo. Mundus resipiscit velut ex altissimo somno expergiscens: & tamen pertinacibus animis adhuc repugnant quidam, veterem inscitiam suam manibus pedibusque, ac mordicus etiam retinentes. Sed hos pudebit amentiæ suæ, si viderint summos Reges, ac Regum Proceres amplecti, fovere, tueri meliores literas. O miras rerum humanarum vicissitudines! olim literarum ardor penes religionis professores erat, nunc illis magna ex parte, ventri, luxui, pecuniæque vacantibus, amor eruditionis ad Principes profanos, ac proceres aulicos demigrat. Nam quæ schola, quod monasterium usquam tam multos habet, insigni probitate, doctrinaque præditos, quam vestra habet aula? An non optimo jure nos nostri pudeat? Sacerdotum ac Theologorum convivia madent vinolentia, scurrilibus opplentur jocis, tumultu parum sobrio perstrepunt, virulentis obtrectationibus scatent: & ad Principum mensas modeste disputatur de iis, quæ ad eruditionem ac pietatem faciunt. Nimirum ad optimi Regis exemplum properant omnes, cujus ut cæteras illas dotes omittam, quas sic habet cum aliis Regibus communes, ut plerisque præcurrat, nulla sit inferior: quid illo ad disputandum argutius, ad inveniendum felicius, ad judicandum sanius, ad eloquendum venustius? Olim ocii literarumque dulcedine captus, ab aulis Regum abhorrebam: at in talem aulam, vel cum tota supellectile, quæ fere chartacea est, liberet immigrare, ni valetudinis imbecillitas, & ætas jam ingravescens dissuaderet. Ubi nunc sunt qui jactitant, Principum vigori officere literarum cognitionem? Quis *Henrico* octavo, vel in bellicis rebus dexterior, vel in condendis legibus cordatior, vel in consiliis oculatior, vel in coercenda scelerum licentia vigilantior, vel in deligendis magistratibus, atque officiis diligentior, vel in conciliandis fœdere Regibus efficacior? Equidem aureum quoddam seculum exoriri video, quo mihi fortassis non continget frui, quippe qui jam ad fabulæ meæ catastrophen accedam: gratulor tamen orbi, gratulor juvenibus, in quorum animis ob officiorum memoriam utcunque superstes erit *Erasmus*. Sed ut finiam, ornatissime *Henrice*, redamo te amantem, proque officiis in me tuis, non vulgaribus, hoc majorem habeo gratiam, quod ea præstiteris nullo unquam à me lacessitus officio. Generosæ dominæ matri tuæ, mihi uno atque altero colloquio cognitæ, precor omnia læta prosperaque. Istum animum tibi, te nobis servet Opt. Max. *Jesus*. Hunc *Erasmum* pergat tua nobilitas inter suos clientulos ponere, studio certe nulli cessurum. *Antuerpiæ* 15. Maji, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCXVIII.

*Anglorum Regi Henrico, ejus nominis octavo, Erasmus Roterodamus* S. D.

QUEMADMODUM inferior hic mundus, serenissime Rex, pendet à corporibus cœlestibus, atque his præcipue quæ primas tenent inter sydera: ita rerum publicarum ac populi status pendet à Principibus præsertim summis, ac late dominantibus Monarchis, ad quorum ingenia, consilia, mores, affectus, fœdera, dissidia subinde vulgus immutatur: haud aliter quam ad lunæ cursum mare reciprocis æstibus nunc affluit, nunc defluit; aut ad solis motum terra nunc vernat floribus, nunc æstu finditur, nunc fœtibus oneratur, nunc gelu riget. Porro quemadmodum populi voluntas ac studia pendent à nutu regio, ita juxta Sapientis *Hebræi* apophthegma, *Cor Regis in manu Dei est*; qui quoties irritatus est sceleribus mortalium, nonnunquam juxta dictum *Esaiæ*, *Dat pueros Principes*, ac juxta divi *Job* sententiam, *Sinit hypocritam regni moderari habenas*. Hypocritam autem vocat, qui nomine Rex, re Tyrannum ac prædonem agit. Rursum si quando visum est animum placatum ac propitium testificari populis, tum Principibus mentem immittit regno dignam. Atque hoc sane argumento colligi posse video, post tot malorum procellas tandem æternum Numen nobis esse reconciliatum, quod tales animos immittat horum temporum excellentissimis Regibus, ut



Digitized by Google

An. 1519. nihil antiquius habeant quam ea, quæ pacis ſunt ac pietatis, quæque ad Reipublicæ commodum faciunt. Quanquam tuæ quidem majeſtati ſemper hic animus adfuit, tamen hactenus obſtitere fatorum procellæ, nunc adjuvantibus & temporum opportunitatibus, non deſtinas quod optimum eſt, ſed præſtas, quod jam olim deſtinarat animus vere regius. In hanc vero laudem, quanquam à multis egregiis Principibus decertatur, hinc à *Leone Romano* Pontifice, hinc à *Franciſco* Rege *Gallorum*, hinc à *Carolo* Rege Catholico, hinc à *N.* ſereniſſimo Rege *Scotorum*: tua tamen majeſtas, mea ſententia, vel hoc nomine præcipuam hujus gloriæ partem meretur, cujus potiſſimum auſpiciis, hortatu, prudentiaque negotium hoc & ſuſceptum eſt & temperatur. Quum enim *Romanus* Pontifex, pacis alioqui cupidiſſimus, de quinquennibus Regum aliquot induciis duntaxat ageret, tua celſitudo pacem, ut ſpes eſt, æternam inter tam multos Principes totius orbis potentiſſimos arctiſſimis fœderibus conciliavit. O pectus vere regium, ô mentem excelſam, & *Chriſtiano* Monarcha cum primis dignam! Quum nemo Regum magis omnibus præſidiis inſtructus ſit ad bellum, tamen omne ſtudium, omneſque vires confers ad pacem orbis ſarciendam: prudenter perſpiciens nihil eſſe perniciosius, quam *Chriſtianos* populos mutuis latrociniis ac bellis inter ſeſe committi, nec ulla re gentem *Chriſticolam* æque formidabilem reddi noſtræ religionis hoſtibus, atque Principum ac populorum concordia. Iſtam vero mentem tibi nequaquam pro tempore ſumptam eſſe, ſed prorſus inſitam natura, vel illud ſat argumenti eſt, quod in bello *Gallico*, quod ut invitus, ita pro pietate *Chriſtiana* ſuſceperas, adeo civiliter, adeoque clementer te geſſeris, ut ſatis liqueret, tibi pacem magis eſſe cordi, niſi te totius orbis Eccleſiæque *Chriſtianæ* periculum ad arma vocaſſet, aut ut melius dicam compuliſſet. Nec his contentus, pacem tua prudentia, tuaque auctoritate, partam, ſuis artibus ornare ſtudes, ne vel iners aut ocioſa videatur, vel luxus ac malarum voluptatum magiſtra. Latrocinia, à quibus nihil hactenus uſquam tutum erat in *Anglia*, mira ſeveritate compeſcis, nocentes profligas, ocioſis erronibus ditionem tuam liberas, bonis legibus vigorem ſuum revocas, inutiles tollis, ſalutares ſufficis. Optimarum literarum ſtudia provehis: pietatis diſciplinam, quum apud omnes, tum vero præcipue apud Monachos ac Clericos inſtauras, haud ignarus ab his potiſſimum manare in plebem morum vel integritatem, vel corruptelam: videlicet modis omnibus hoc agens, ut his præcipuus ſit honos, qui maxime præcellunt, vel integritate morum, vel eximia doctrina, vel quod ut pulcherrimum, ita rariſſimum eſt, utroque. His ornamentis exiſtimas longe melius decorari regnum tuum, quam ullis trophæis aut fornicibus. Nec harum rerum auctor es ſolum aut hortator, verum etiam exemplum. Non enim edicis modo, verum etiam exhibes, imo plus præſtas ipſe, quam aliis præſcribis. Gravis & efficax eſt Regis auctoritas jubentis, ſed dictu mirum, quanto efficacior præſtantis quod jubet, ac legum ſuarum exemplar tota vita ponentis ob oculos. Leges tibi non minantur, at quis vel inter privatos uno te legum obſervantior? quis incorruptior? quis pactorum tenacior? quis in amicitia conſtantior? quis æqui juſtique amantior? quæ civium domus caſti, concordiſque conjugii tam evidens habet exemplum? ubi reperias optimi mariti magis æmulam conjugem? qui privati penates, imo quod collegium, quæ Academia, viris integritate vitæ, doctrinaque ſingulari præſtantibus, ornatior eſt uſquam quam tua ſit aula? Veteres illi Poetæ, ſeculum, neſcio quod, aureum ſuis fabulis nobis prodiderunt. Atqui hæc quum agit tua celſitudo, quid aliud, quæſo, quam ſeculum vere aureum, nobis reducit, ſi tamen unquam fuit ullum: ac res tam ardua adeo ſuccedit tuis auſpiciis, ut dubium non ſit, quin faventibus ſuperis geratur. Quæ regio terrarum nunc non gratulatur *Britanniæ*, ſi favet: non invidet, ſi parum bene vult? Quod hodie regnum toto terrarum orbe nobilius aut celebrius? Nimirum Regis animus eſt, qui regna nobilitat vel obſcurat. Quibus libris, quibus linguis olim eſt celebratura poſteritas, ſub *Henrico* octavo, tanquam in hoc cœlitus emiſſo Principe, ſic omni genere virtutum efloruiſſe *Britanniam*, ut videri poſſit renata: quam ſic moribus incorruptam reddiderit, ut ab hac vel ipſa *Maſſilia* diſciplinæ civilis exemplum petere poſſit: ſic pietate pollentem, ut vel ipſi *Romæ* queat eſſe pietatis magiſtra: ſic abundantem eruditis viris in omni doctrinæ genere, ut huic invidere poſſit *Italia*, niſi ſtudiorum æmulatio neſciret invidiam: poſtremo, cui talis fuerit Princeps, ut omnibus in poſterum Principibus imperii gerendi poſſit eſſe regula. Deum immortalem, hoc demum eſt regnum eſſe, hoc demum eſt Regem agere, hoc eſt aulam principalem habere. Olim impenſo quodam amore literarum, atque ocii dulcedine, nonnihil abhorrebam à Regum aulis: nunc vero cum animo contemplor, quem Principem ac moderatorem habeat aula *Britannica*, quam Reginam, quos Proceres, quos à conſiliis, quos ab officiis, impendio mihi geſtit animus in talem aulam immigrare: nec puderet ambitionis, niſi valetudinis imbecillitas, jam plus etiam quam pro ætatis modo ingraveſcens, diſſuaderet. Etiamſi nihil eſt, quod hic ambitionis infamiam verear, qui huc & hodie non adſpernandis conditionibus, nec ab uno Rege provocer. Equidem nativus non ſum, fateor, ſed inſitivus *Britanniæ*: & tamen ubi mecum reputo quot illic annos vixerim, quot illi debeam *Mæcenates*, quot eximios ac ſinceros amicos, quantam fortunæ meæ, ſi qua tamen eſt, portionem, non minus illi felicitatem hanc gratulor, quam ſi me genuiſſet. At nihil interim mihi dictum eſt de præclaris corporis animique tui dotibus, quas Deo naturæque debemus magis, quam noſtræ induſtriæ, & tamen hæc quoque bona cedunt in felicitatem Reipublicæ, ſi in Principem probum inciderint. Porro tametſi jam ſeculis aliquot non ita multum laudis in Regibus tulere bonæ literæ, tamen tua majeſtas efficiet, ut quemadmodum olim præcipuum decus Regum fuit eruditione præcellere, ita poſthac pulcherrimum habeatur, Principem ſcire literas. Tuæ virtutes diſpellent veterem cavillationem, qua dictitant quidam, regii pectoris vigorem langueſcere ſtudio literarum. Quis enim unquam eorum, qui literas neſcierunt, exſtitit te uno in ulla regia functione dexterior? quis attentior ad coercenda flagitia? quis ad conſulendum ſolertior? quis ad proſpiciendum oculatior? quis in obeundis rebus præſentior? Et tamen in literis, quas olim feliciſſime deguſtavit tua majeſtas, eo nunc progreſſa eſt fortaſſe non multo ſtudio, ſed inaudita naturæ felicitate, ut eruditiſſimis etiam Theologis miraculo ſit ſanitas & acumen ingenii tui. Siquidem in diſputatione, quam nuper animi cauſa tua majeſtas inſtituit cum acutiſſimo ſimul & doctiſſimo Theologo, defendens, à laicis non exigendam precationem, præter eam, quæ mentis cogitatione Deum alloquitur, Deum immortalem, quem artificem præſtitit? Quis invenire poterat argutius? quis colligere nervoſius? quis explicare venuſtius? Omnium autem virtutum & ornamentorum tuorum ceu colophon quidam accedit, quod nemo te uno ad congreſſum civilior, nemo minus faſtus aut ſupercilii præ ſe ferens, incolumi tamen interim regia dignitate, quoties res poſtulat. Olim *Olympiacis* victoriis terrarum dominos in deos evehi, ſcripſit *Horatius*. Olim ſolenni ritu, qui cum laude geſſiſſent imperium, referebantur in numerum divorum. Hæc ſunt facinora, quæ vere conſecrent immortalitati: ſic itur ad aſtra. Non patientur eruditorum hominum ingenia, quæ tu tot modis ornas ac foves, virtutum tuarum memoriam ulla temporum vetuſtate obſoleſcere. *Græca* pariter ac *Latina* facundia, grata tuis erga ſe meritis, ſemper loquetur, apud *Britannos* fuiſſe quendam *Henricum* octavum, qui unus tot heroum dotes ac decora ſuis retulerit: *Ptole-*



Digitized by Google

An. 1519. *mai Philadelphi* ſtudium erga bonas literas, *Alexandri* magni felicitatem, *Philippi* civilitatem, *Caſaris* invictam animi vim, *Auguſti* ſanitatem, *Trajani* manſuetudinem, *Alexandri Severi* integritatem, *M. Antonini Pii* doctrinam, *Theodoſii* pietatem, & ſi quid aliud in ſingulis priſcorum inſigne fuiſſe legitur. Precamur ut Deus, qui iſtas dotes largitus eſt, eaſdem velit tibi tuiſque fauſtas ac felices eſſe: qui iſtos dedit impetus, idem ſuo favore provehat, beneque fortunet. Sciebam importunius eſſe, quod hujuſmodi neniis tuam majeſtatem alioquin occupatiſſimam interpellarem, ſed vicit ardor animi in gratulationem geſtientis: quum & multorum & certiſſima prædicatione cognoviſſem, quod ſeculum nobis tua virtute foret exoriturum: ſimulque viſum eſt teſtari me memorem eſſe favoris erga me tui, jam non oratione tantum, ſed re quoque declarari. Patiatur, oro, tua ſereniſſima majeſtas inter tam multos eximios, quorum ingenium tua nobilitas illuſtrat ac fovet, & quorum literæ viciſſim tuum famulitium exornant, & hunc *Eraſmum*, qualis qualis eſt, annumerari: quam incolumem ſemperque florentem ſervet *Chriſtus* Opt. Max. *Antuerpia* 15. Maji, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCXIX.

*Alberto, Cardinali & Archiepiſcopo Maguntinenſi, Eraſmus* S. D.

REVERENDISSIME domine, Princepſque clariſſime, non dubito quin libellus, quem celſitudini tuæ dicavimus, redditus ſit eidem. Qui an tuo ſatisfaciat animo, neſcio: meo certe non ſatisfacit: verum id temporis nihil aliud erat ad manum. Circumſpicietur aliud, quod & tuæ magnitudini, & meo in te ſtudio magis reſpondeat. *Richardus Pacæus*, qui Regis ſui nomine Legatus ad vos venit, præter alias innumeras dotes, vir eſt inſigni utriuſque literaturæ peritia præditus, apud regiam majeſtatem multis nominibus gratioſiſſimus, fide ſinceriſſima, moribus pluſquam niveis, totus ad gratiam & amicitiam natus: quem ſi dignaberis propius noſſe, ſcio, gaudebis te à nobis admonitum fuiſſe. Apud *Anglos* triumphant bonæ literæ. Rex ipſe cum ſua Regina, Cardinales ambo, Epiſcopi ferme omnes toto pectore tuentur, fovent, alunt, ornantque. Rabulis omnibus per Regem impoſitum eſt ſilentium: ſpero idem fore apud *Germanos*, ſi tuæ ampliſſimæ dignitatis, tuique ſimilium favor adſpirarit: quod ut faciat, etiam atque etiam rogo. Nihil enim non moliuntur ſycophantæ quidam, præſertim hic, ubi barbaries terris exceſſura videtur extrema poſuiſſe veſtigia. Quanquam & hi miteſcunt, incipiuntque ſuam ſtultitiam agnoſcere. *Hutteni* ingenium in dies magis ac magis exoſculantur omnes: cui tua celſitudo tam candide favens, multum laudis, imo gratiæ ſibi parit apud eruditos omnes: quam incolumem diu ſervet immortalis *Chriſtus Jeſus*. *Antuerpia* 20. Maji, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCXX.

*Antonio de Bergis Eraſmus Rot.* S. D.

ORNATISSIME juvenis, antehac uno nomine duntaxat amabam te, quod honeſtis ſtudiis ac moribus delectareris præter vulgatum morem nobilium: nunc hoc quoque debeo nomine, quod expertus ſum mirum patris tui in me ſtudium. Ejus totam ſpem in tua indole ſitam eſſe, ex illius ſermone perſpectum habeo: nec dubito quin optimi patris exſpectationi ſis per omnia reſponſurus. Bonæ literæ paſſim efflorescunt, fruſtra reluctantur veteris inſcitiæ patroni. Apud *Anglos* triumphant recta ſtudia, Regis, Cardinalium, & Epiſcoporum auxilio. Rabulis, qui tantum ad maledicendum linguam habent, impoſitum eſt ſilentium. Hic quoniam tales patronos non habemus, ſæviunt adhuc, & libris quoque graſſantur, ſed quibus nihil aliud quam ſuam traducunt ſtultitiam, ac mentis ſtoliditatem. Miteſcunt tamen & hi paulatim, velut ex graviſſima febri reſipiſcentes; obmuteſcent etiam, ſi Principum adſpirarit favor. In *Ferdinando* magna ſpes eſt: in te quoque non mediocris. *Carolus* abeſt, *Civerius* non mirum ſi à literis eſt alienior, quanquam non adverſatur. Cardinalis *Adrianus* bonis literis nunquam admodum favit, etiamſi non eſt adeo devotus hoſtis, quam ſunt quidam, qui ſe non putant incolumes fore, niſi oppreſſis bonis literis. Hunc *Richardum Pacæum*, ſereniſſimi Regis *Anglorum* Oratorem, eique gratioſiſſimum, ſi propius complecteris, gaudebis hominis conſuetudine. Eſt enim præter mores candidiſſimos, utriuſque literaturæ peritiſſimus. Bene vale. *M. Adriano Barlando* multam ex me ſalutem dicito. *Antuerpia* 20. Maji, Anno 1519. An. 1519.

## EPISTOLA CCCCXXI.

Leonardus Priccardus Eraſmo Rot. *S. D.*

HIC *nuper Cucullatus quidam inter ejuſdem farinæ ignobile vulgus diſſeminavit*, Anglum, *neſcio quem*, Lovanii Græcas *literas profiteri, centuplo* Roterodamo *doctiorem, qui & illius in Novum Teſtamentum editionem, recens excuſam, in locis pluribus centum ſuggillet, errata tua libello jamjam emittendo publicaturus. Non potui equidem huic hominis monſtro credere, tametſi miram præ ſe fert ſanctitatem. Adjecit præterea, Theologos omnes tibi adverſari ac contradicere, eiſque certum eſſe, te communi decreto è ſchola ſua profligare, nihil in hoc divalia reſcripta verituris, cum Deo magis audiendum ſit quam Principibus. Hæc aliaque multa,*

—— Effutit beſtius idem,
Jactat & in toto verba canina foro.

*Proinde te, mi ſuaviſſime* Eraſme, *per Deum immortalem obſecro, bono eſſe animo, atque hunc ipſum (quem nunquam pœnitendis commentariis expreſſiſti) moribus atque invincibili fortitudine referre* Hieronymum. *Non erit tibi (crede mihi) tantum negotii in hoc dejiciendo allophylo, quantum illi in* Ruffini *verſutias laboris atque vigiliarum fuit inſumendum. Para in* Goliam *iſtum fundam, quod eſt verbum Dei, & recta caperatam in frontem librato lapidem* Chriſtum, *cujus amore ſacras Literas illuſtrandas ſuſcepiſti, ſuperbum ilico proſternes gigantem, confundes & allophylos cæteros omnes, Theologiſtas ſcilicet iſtos, qui in te conſpiraſſe dicuntur, adſtipulante in hæc verba apud* Eſaiam *Spiritu ſancto*; Confuſi ſunt & erubuerunt omnes ſimul, abierunt in confuſione fabricatores errorum. *Vale, deſideratiſſime mi* Deſideri, *& quì valeas corpore atque animo, nobis quam primum ſignificato. Ex* Aquiſgrano 23. *Maji, Anno* 1519.

*D. Cantor, Vicepræpoſitus*, Schonraide, *& alii complures, ſalutem atque victoriam animitus tibi precantur, tuaſque literas, aut epiſtolium ſaltem præſtolantur. Item D.* Haſebart, *confrater noſter, te quoque atque* Nevium *ſalutat plurimum.*

## EPISTOLA CCCCXXII.

*Eraſmus Roterodamus R. P. Thomæ, Epiſcopo Dunelmenſi*, S. D.

REVERENDE Pater, quoniam *Ariſtoteles* ſcripſit, multorum amicitias ſilentio dirimi, nolui committere, ut idem nobis eveniret, præſertim in tanto amico. Mitto *Paraphraſin* in Epiſtolam ad *Galatas*, in qua locus eſt de *Petro*, *Pauli* voce objurgato; qui mihi nondum ſatis à quoquam Veterum explicatus videtur. Non ſum ignarus, varios rumores de me ſpargi. Sentiunt philobarbari, erigere ſeſe recta ſtudia, eoque nullum non movent lapidem, ſed temporis progreſſu vincet veritas. Hoc modo te exoratum velim, ne quid temere credas *Eraſmiomaſtigibus*. Nunc fato quodam ſuo ſæviunt, at brevi illos ſui morbi pudebit ubi reſipuerint, quemadmodum evenit *Ajaci*. Bene



Digitized by Google

An. 1519. vale, Pater ampliſſime, & in *Eraſmum* eum te præbere perge, qui ſemper fuiſti. *Antuerpiæ* 25. Maji, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCXXIII.

*Eraſmus R. P. D. Richardo, Epiſcopo Wintonienſi*, S. P.

REVERENDE Præſul, ſi unquam placuit tibi animi mei ſtudium in te, hoc tantum præmii repoſco, ne quid temere credas ſycophantis de me, quibus nunc fatali quadam peſte fervent omnia. *Eduardus Leus* ſi demonſtrat argumentis ſe melius ſentire, quam ego ſentiam, nunquam offendet animum meum. Cæterum, quod hic, & apud ſuos, ſcriptis, dictis, per ſe, per ſuos omnia implet inimicis rumoribus, nec ſuæ famæ recte conſulit. Jampridem palam præ ſe fert pluſquam hoſtilem animum, nullo unquam dicto aut facto laceſſitus à me. Juvenis eſt, ardet cupiditate famæ, ſed præſtabat hanc melioribus auguriis auſpicari. Novi prudentiam tuam, quæ non facile pronunciet, præſertim in malam partem. Tempus omnia proferet in lucem. Veritas laborare poteſt, vinci non poteſt. Si tua auctoritas conſulet *Leo*, ut aut in totum deſiſtat ab iſtis ſycophantiis, quibus ſeipſum magis traducit quam me, aut argumentis duntaxat mecum certet, illius famæ conſuluerit. Nunc enim odio, ceu morbo animi lymphatus, fertur. *Eraſmus* olim ambiit tuum favorem, non ſucceſſit: nunc non orat, ut ſibi faveas, ſed ut *Leo* tuo. Bene valeat tua pietas, cui me totum conſecro, dedicoque. *Antuerpiæ* 25. Maji, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCXXIV.

Eraſmo Rot. Gaſpar Schalbus *S. D.*

PER *tot ſylvas latrocinio, per tot urbes peſtilentia morbo jam infames, ad te graſſati ſumus*, Eraſme, Jonas *& ego: & pervenimus dii boni quam in tempore, quam feliciter! Ejus quantumvis longi & moleſti itineris tantum abeſt ut nos pœnituerit, ut in itinere adhuc incerti, ubi unicum margaritum* Chriſtiani *orbis deliteſceres, ſancte conjuraverimus, te extrema* India *& ultima* Thule *nos quæſituros, nedum in* Brabantia, *aut* Gallia. *Deſine tui contemptu laborare, ut contra omnes illi* Ariſtotelici *Theologi ſupercilioſa* φιλαυτίᾳ. *Si tu te ex ea parte neſcis, quam ſis magnum hujus ſeculi ab ipſo* Chriſto *nobis datum munus: ego te in iſto ſtudiorum meorum ſilentio domi, mecum ex operibus tuis didici: at nunc ex vivis vultibus, ex ſermone tam ſine affectatione ſacchareo, tam mellito (quod miraberis,* Eraſme) *tantundem pene fructus, quantum alius quis ex aliquo librorum tuorum poſſit, hauſi. Non tibi ingererem has meas ineptias, niſi non minus ardenter, quam comes meus* Jonas *Epiſtolam tuam habere optarem. Diſpeream enim, ſi à te, etiamſi baculo mineris abigere, avelli poſſimus, niſi habeamus quod te in nobis in itinere jam, & maxime tunc quum in iſtam nimis longinquam regionem noſtram redierimus, præſentem referat. Quid multis verbis hic explicem, quanti hanc profectionem noſtram faciam? Ut me Deus bene amet, nollem eam mihi decem* Pactolis *aut ſolidis auri montibus commutatam. Vale, magne* Eraſme, *& dignare nobis (ut diu etiam exſpectandus ſis) ſolum reſcribere. Iterum vale.* Bruxellis 28. *Maji, à nato* Chriſto *Anno* 1519.

## EPISTOLA CCCCXXV.

*Georgio Spalatino, illuſtriſſimi Saxoniæ Ducis à Sacris, Eraſmus Rot.* S. D.

MIHI vero nihil hactenus abs te redditum eſt literarum, neque tuo, neque illuſtriſſimi Ducis nomine, eoque nonnulla ni delictum fuiſſet. Vides quanto locorum intervallo dirimamur, & non ſecus atque in bello, literis intercipiendis advigilant hoſtes meliorum ſtudiorum: quo magis cavendum, ne cuivis committantur epiſtolæ. Gratiſſimum mihi fuit nomiſma, optimi Ducis imaginem mihi referens, vivæ ſimillimam. Hujus epiſtolam videre deſiderabat reverendiſſimus Epiſcopus ac Princeps *Leodienſis*, eam una cum nomiſmate ad illum miſi, nec poſtea licuit hominem convenire. Quicquid favoris, quicquid benignitatis, quicquid præſidii illuſtriſſimus Dux impendit evehendis optimis ſtudiis, id in me peculiariter collatum arbitror. Nihil in *Jona* conſpexi, quod non unice me delectarit. Ita me Deus bene amet, video delectum organum ad *Chriſti* gloriam illuſtrandam inter craſſiſſimas horum temporum tenebras. *Schalbi* collegæ dotes magis ex illius literis, quam ex oratione licuit cognoſcere. Ego poſthac *Georgium Spalatinum* non ſolum inter præcipuos amicos, verum etiam inter patronos meos obſervandos ſcripturus ſum, non perinde in chartis, atque ipſo in pectore. Bene vale, *Georgi* chariſſime. *Lovanio* 29. Maji, Anno 1519. An. 1519.

## EPISTOLA CCCCXXVI.

*Friderico Saxoniæ Duci Eraſmus Roterodamus* S. D.

ILLVSTRISSIME Princeps, pro ſtudio, quo tuæ celſitudini Cæſarum Vitas à me recognitas dedicavi, jam nunc abunde magnam gratiam relatam exiſtimo, poſteaquam amantiſſimis literis ſibi non ingratum fuiſſe teſtatur. Nam cum id operis deſtinarem, nondum mihi perinde prædicatum erat atque nunc eſt, quanta animi propenſione faveres bonis literis, adhuc cum veteris inſcitiæ patronis digladiantibus, ſed ita, ut hoſtes nihil aliud aſſequantur reluctando, quam quod & noſtram illuſtrent victoriam, & ſuam denobilitent ſtultitiam. Quicquid autem favoris, quicquid benignitatis, quicquid ſubſidii tua nobilitas inſtaurandis honeſtis ſtudiis, & evehendis tuendiſque ſtudiorum aſſertoribus impendit, id totum in me collatum eſſe duco. Neque vero te pœniteat iſtius animi, non erunt ingratæ literæ, quin magis trilingui facundia vindicem ſuum immortali gloriæ conſecrabunt. Erit olim *Fridericus* adjutis ſtudiis, quam ſtemmatum luce nobilior. Ego poſthac non verebor & alios ingenii mei fœtus tibi dicare, quando feliciter ceſſit hæc mihi audacia. Celſitudinem tuam patriæ ſtudiis ac pietati quam diutiſſime incolumem tueatur *Chriſtus* Opt. Max. *Lovanio* 30. Maji, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCXXVII.

*Eraſmus Rot. Martino Luthero* S. D.

FRATER in *Chriſto* chariſſime, epiſtola tua mihi fuit gratiſſima, & ingenii argutiam præ ſe ferens, & animum ſpirans *Chriſtianum*. Nullo ſermone conſequi queam, quas tragœdias hic excitarint tui libelli: ne adhuc quidem ex animis iſtorum revelli poteſt falſiſſima ſuſpicio, qua putant, tuas *lucubrationes* meis auxiliis eſſe ſcriptas, meque hujus factionis, ut vocant, vexilliferum eſſe. Exiſtimabant quidam ſibi datam anſam, qua & bonas literas opprimerent, quas capitaliter oderunt, velut offecturas majeſtati Theologicæ, quam multi pluris faciunt quam *Chriſtum*: ſimulque me, quem arbitrantur ad excitanda ſtudia nonnihil adferre momenti. Tota res vociferationibus eſt acta, temeritate, ſtrophis, obtrectationibus, ſycophantiis, ut ni præſens hæc ſpectaſſem, imo ſenſiſſem, nulli unquam auctori fuerim crediturus ſic inſanire Theologos. Peſtem fatalem eſſe diceres. Et tamen hujus mali virus à paucis ortum, in plures ſerpſit, adeo ut magna pars hujus Academiæ non infrequentis, ejus morbi contagio lymphata ferretur. Teſtatus ſum te mihi ignotiſſimum eſſe, libros tuos nondum eſſe lectos: proinde nec improbare quicquam, nec probare. Tantum admonui, ne libris tuis nondum lectis ad populum tam odioſe vociferarentur, id ipſorum referre, quorum judicium oporteret eſſe graviſſimum. Quin & illud perpenderent, an expediret ea traduci apud plebem promi-

Digitized by Google

An. 1519. miscuam, quæ rectius libris editis refellerentur, aut inter eruditos disputarentur, præsertim cum uno ore vita auctoris prædicaretur. Nihil profectum est: hucusque insaniunt obliquis imo famosis suis disputationibus. Quoties inter nos de pace convenit? quoties illi ex temere concepta suspiciuncula novos tumultus excitarunt? Et hi cum hujusmodi factis Theologi sibi videntur. Est hoc hominum genus hic aulicis fere invisum: quod ipsum mihi quoque imputant. Episcopos omnes habeo mihi satis æquos, libris nihil fidunt. In solis sycophantiis victoriæ spes illis sita est. Eas ego contemno, recti conscientia fretus. In te redduntur aliquanto mitiores. Eruditorum calamos fortasse timent, sibi male conscii: quos ego sane suis pingerem coloribus, ut digni sunt, nisi me *Christi* tum doctrina, tum exemplum, alio vocaret. Immanes feræ mansuescunt officiis, isti benefactis efferantur. Habes in *Anglia*, qui de tuis scriptis optime sentiant, & sunt hi maximi. Sunt & hic, quorum est eximius quidam, qui tuis favent. Ego me quod licet integrum servo, quo magis prosim bonis literis reflorescentibus. Et mihi videtur plus profici civili modestia quam impetu. Sic *Christus* orbem in suam ditionem perduxit. Sic *Paulus Judaicam* Legem abrogavit, omnia trahens ad allegoriam. Magis expedit clamare in eos qui Pontificum auctoritate abutuntur, quam in ipsos Pontifices: idem de Regibus faciundum censeo. Scholæ non tam adspernandæ sunt, quam ad studia magis sobria revocandæ. De rebus receptioribus, quam ut subito possint ex animis revelli, disputandum est argumentis densis & efficacibus potius quam asseverandum. Quorundam virulentas contentiones magis conducit contemnere quam refellere. Ubique cavendum ne quid arroganter aut factiose loquamur, faciamusve: sic arbitror gratum esse spiritui *Christi*. Interea servandus animus, ne vel ira, vel odio, vel gloria corrumpatur: nam hæc in medio pietatis studio solet insidiari. Hæc non admoneo ut facias, sed ut quod facis perpetuo facias. Degustavi *Commentarios* tuos in Psalmos: vehementer arrident: & spero magnam utilitatem allaturos. Est *Antuerpiæ* Prior ejus monasterii, vir pure *Christianus*, qui te unice deamat, tuus olim discipulus, ut prædicat. Is omnium pene solus *Christum* prædicat. Cæteri fere aut hominum fabulas, aut suum quæstum prædicant. *Melanchthoni* scripsi. Dominus *Jesus* tibi suum spiritum in dies uberius impartiat ad ipsius gloriam, & publicam utilitatem. Cum hæc scriberem, tua epistola ad manum non erat. Vale. *Lovanio* 30. Maji, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCXXVIII.

*Erasmus Roterodamus Gaspari Schalbo suo* S. D.

OBSECRO te, doctissime *Schalbe*, utrum istuc est rogare, an cogere? vides mihi vix ocium esse ad tuendam valetudinem, vides tot studiorum laboribus obrutum, & tamen efflagitas epistolam? Adeo violenta res est & impotens, amor, præsertim *Germanicus*, cui si coner reluctari, nihil agam. Itaque respondeo tuis literis, sed ita ut verear, ne dicas tibi nihil esse responsum. Quod si brevitatem hanc apud te non excusat misericordia nostri, saltem excusabit publicorum studiorum ratio, quorum jactura distrahor in hæc officia: quæ singulis, quibus præstantur, exigui momenti videntur, mihi tamen, in quem unum agminatim glomerantur, ingentem sarcinam addunt. Quando tu *Jonæ* non cedis in amando, par arbitror, ut te non minus quam illum redamem. Deplorarem tam longinquam profectionem tuam, totque periculis obnoxiam, nostra causa susceptam, ni tu tibi tantopere gratulareris etiam. Id si judicio facis, non invideo fructum: sin imaginatione, remedii pars est, non sentire malum. Illud autem quam *Germanice?* Negas te fustibus depelli posse, ni detur, quod in patriam reverso præsentem *Erasmum* referat. Os impudens, non tibi sat est, oculos, aures & animum explesse nostri copia, mellitissima uti scribis, ni me totum tecum auferas? & auferas in tam procul dissitam regionem? An. 1519. Quantulum autem *Erasmi* tecum auferes, si hujus corpusculi imaginem pictam aut expressam ad tuos retuleris? Optimam *Erasmi* partem in libris videre licet, quoties libet, si quid tamen omnino nostri est, quod sit visendum. Bene vale, *Gaspar* charissime. *Lovanii* 30. Maji, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCXXIX.

*Erasmus Rot. Eobano Hesso* S. D.

ADEO placuit tuum ὁδοιπορικὸν, ut emendatis, quæ commiserant Typographi, curarim hic rursus formulis excudendum. *Jonæ*, *Schalbique* conspectus mihi fuit multo gratissimus. Sed interim dum hos huc mittis, parum consulis meæ famæ, cujus nunquam non facio jacturam ex hujusmodi congressibus. At minitaris te plures etiam horum similes huc missurum. Quoniam hi contigerunt, per quos maxime licuit scribere, ideo scribo parcius. Per alios non satis tuto scribitur, per hos frustra, qui melius omnia coram referent quam ego literis possim. Nollem epistolas meas editas, quas adjunxisti tuo carmini; brevi editurus eram, sed locupletatas. Carmen ad Comitem de *Nassau* percupio videre. Favet ille bonis literis, & harum gratia mihi quoque. Sed nostri Principes laudare norunt, numerare non norunt. Quod tamen mea causa non dico, qui nihil ambio, sorte mea contentus. Bene vale, amicorum sinceriissime. Jam nunc circumspice ac delige tibi argumentum aliquod fœcundum, in quo declares posteritati quantus sis. In hoc conferes paulatim, quicquid egregium quotidiana lectio tibi suppeditabit. Sed hæc plane memorem admoneo. Rursum vale. *Lovanio* 30. Maji, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCXXX.

*Erasmus Rot. Antonio Papinio, Abbati Gemblacensi*, S. D.

EX Indice Bibliothecæ vestræ, cujus mihi jampridem facta est copia, intelligo apud vos esse duos codices manu descriptos pervetustos, opuscula divi *Cypriani* continentes. Mihi certe gestit animus hunc auctorem orbi tradere, repurgatum à mendis: deinde discretum ab his, quæ illi falso inscribuntur, quando non alium video inter eos, qui *Latine* scripserunt, qui ad Apostolici pectoris vigorem propius accedat. Ubique sentias loqui pastorem, ac martyrio destinatum. Et hujusmodi viros Theologi sinimus obsolescere, quo magis miremur frigidas recentiorum nenias. Nihil autem dubito, quin amplitudo tua, ut est veræ religionis observantissima, faveat & piis studiis, & *Cypriano* pietatis magistro. Neque tamen gratis hoc officium flagito: redibit ad vos *Cyprianus*, & redibit non sine fœnore, neque patiemur interim, ut posteritas ignoret, cui bonam hujus beneficii partem debeat. Jamdudum pro cervina missa debeo, sed longe plus debiturus pro misso *Cypriano*. Bene vale, Pater reverendissime, cum sancto fratrum tuorum collegio, quorum purissimis precationibus *Christo* commendari cupio. *Lovanio* 1. Junii, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCXXXI.

*Erasmus Roterod. Jodoco Jonæ Erphordiensi* S. D.

NE pro tam erudita tamque prolixa epistola nullas vices referam, doctissime *Jona*, & inter candidos amicos præcipue, accipe quid mihi visum sit submonere tuam prudentiam. Cum Deo Opt. Max. esset in manu singulis quibusque mortalibus largiri omnia, tamen ad concordiam, quam unice nobis voluit esse commendatam, illi magis visum est idoneum, sic aliis alias dotes impartire, ut necesse foret nos invicem mutuis officiis sublevari: simulque fieret, ut nec sibi quisquam

Digitized by Google

An. 1519. quam plus ſatis fideret, cum ſciret, quicquid uſquam poſſet, id totum benignitatis eſſe divinæ: nec alius alium contemneret, cum perpenderet, Deum magnam beneficiorum ſuorum partem homini per hominem largiri voluiſſe. Denique nec beneficium in alterum collatum quiſquam aut arrogaret ſibi, aut exprobraret adjuto, non ignarus, miniſtrum & organum eſſe ſe largitatis alienæ, non auctorem: & is, qui officium ſenſiſſet, ſic haberet gratiam homini, ut Deo velut auctori, fontique bonorum omnium, gratias ageret, non ſolum pro beneficio, quod ab illo per hominem acceperiſſet: verum etiam pro ipſo benefico, qui quod voluit, quod potuit benefacere proximo, totum muneris erat divini. Studium igitur omnium commune debet eſſe, ut aliis alii viciſſim benefaciamus, ſi quid poſſumus: & ab aliis alii ſublevari ne gravemur, ſi quid egemus. Verum, cum variæ ſint dotes Dei, aliæ in alios velut in ejuſdem corporis diverſa membra diſtributæ; in eam partem erit cuique potiſſimum incumbendum, qua ſenſerit ſe potiſſimum uſui eſſe poſſe. Nec enim ſufficit, ſi membrum ſis non prorſus ocioſum, niſi hac proſis corpori, qua maxime prodeſſe queas: præſertim cum quicquid cuique contingit facultatis, in hoc ipſum à Deo ſortitus ſit, ut in communem conferat utilitatem. Nec ſatis eſt talentorum modum expendere, quin & talenti cujuſque ratio qualitaſque erit expendenda. Ita videlicet futurum eſt, ut dives ille dominus, ſed tamen hujuſmodi lucrorum avidiſſimus, gaudeat domum ſuam fidelium ſervorum uſuris magis ac magis locupletari. Qua quidem in re quorundam vel prudentiam, vel felicitatem deſidero, qui priuſquam ſibi ſatis noti ſunt, in genus aliquod vitæ ſe conjiciunt, ubi nec ſibi, nec aliis poſſint uſui eſſe. Hæc cogitatio, mi chariſſime *Jona*, protinus inceſſit animo meo, ubi ex oratione, moribuſque tuis, demum & oris lineamentis habituque, mentis tuæ ſimulacrum conjeci. Quanquam arbitror te tibi non ignotum eſſe, tamen viſum eſt admonere, ut quando Deus te non agitandis ſordidis cauſis deſtinaſſe, ſed velut organum quoddam electum finxiſſe videtur, ad illuſtrandam Filii ſui *Jeſu* gloriam, ad mortalium animos in hujus ſtudium inflammandos, ad hanc omnium ſaluberrimam functionem omnia tua ſtudia conferas, idque mature, dum corpus laborum patiens, dum viget animus. Bene fortunabit tuos conatus, mihi crede, is qui ad hoc muneris te tot egregiis dotibus inſtruxit, qui pectus dedit veræ pietatis amore flagrans, qui linguam dedit eruditam, ut diſſipes, ut evellas, ut plantes, non deerit iſta conanti, præſertim ſi non alio ſpectes, quam ad *Chriſti* lucrum. Sit ſane magnificum manu mota, ſupplici benedicere popello: ſit res egregia, miniſtrare ſacramenta eccleſiaſtica, pulcherrimum certe vereque Apoſtolicum atque epiſcopale munus eſt, ſalutari doctrina multitudinem ad mentem moreſque *Chriſto* dignos adducere. Verum, in hac omnium ut difficillima, ita pulcherrima functione, quos videmus hodie verſari paſſim? Quorum pleriſque deeſt eruditio, nonnullis pectus, ſine quo friget omnis eloquentia Chriſtiana, multis naturæ facultas, veluti linguæ plectrum vocale, latera, aut corpus alioqui laborum hujuſmodi patiens. Sed age, boni conſulamus cum *Paulo* noſtro, quod iſti moliuntur, modo *Chriſtus* annuncietur, ſi tamen annuncietur. Bona pars, non *Chriſtum*, ſed homines, ſed ſeipſos prædicat. Verum, hæc deplorare non eſt hujus inſtituti. Sunt qui *Scotiſticas* ſubtilitates tractent apud imperitam multitudinem, delectis etiam in hoc argumentis quam maxime perplexis, quo magis miraculo ſint auditoribus, ſi nihil omnium, quæ dicuntur, intelligant. Quid autem frigidius? Imo quid inutilius? Alii præter ſcholaſtica dogmata, nihil adferunt in concionem: quorum aliquot ejuſmodi ſunt, ut non referat ea neſcire: quædam ejuſmodi, ut extra ſcholas tractata frigeant. Nec deſunt, qui, quo curioſis auditoribus faciant ſatis, undique congerunt, & velut ex variis rhapſodiis centonem concinnant, ex Jure Civili, ex Jure Pontificio, ex variis doctoribus, ne quid non legiſſe videantur. Omnis humanus affectus ponendus ei, qui ſtudeat veram pietatem animis mortalium inſerere. Prudentior autem es, quam ut ſis mihi monendus, efficacius eſſe ad inſerendam hominum mentibus *Chriſti* philoſophiam, ſi quis admirabilem illam & amabilem veræ pietatis imaginem, quam poſſit expreſſiſſimam, ingerat, quam ſi inſectandis vitiorum formis ac generibus vocem lateraque exerceat. Efficax quædam res ipſa virtutis ſpecies, quæ puris oculis oſtenſa, mox rapit in amorem ſui. Immenſum eſt, quot modis aberretur ab honeſto, perſequi. Rectius ad propoſitum exemplar ſe quiſque tacitus exigat; niſi quod fuerit hujus generis vitium, ut fallat umbra ſpecieque pietatis: ea conveniet ſuo loco nominatim etiam prodere, ne quis deceptus erret. Nunc quoſdam videas ex arcanis illis hominum confeſſionibus concionari, ſic monſtra vitiorum depingentes, ut doceant: ſic inſectantes, ut aut invidere dicas, aut delectari. Quis autem fructus ſit, ſi quis enumeret, quot modis peccetur libidine? Si quis vociferetur, adulteris plena eſſe omnia? Magis retulerit, venerabilem illam caſtitatis imaginem pectoris oculis ſubjicere: quam ubi conſpexiſſet *Auguſtinus*, illico cœpit exſecrari formas omnes inhoneſtæ libidinis Itidem in cæteris, quiſquis ardere cœperit pulcherrimam *Chriſtianæ* pietatis Ideam, ſimul odiſſe incipit, quicquid ab hac viderit diſcrepare. Nec mihi probantur iſti, qui quo ſibi ſanctimoniæ famam venentur apud plebeculam, ſeditioſe vociferantur in Epiſcoporum aut Principum vitia: qui clamoribus hujuſmodi magis etiam irritantur, cum admonitione tempeſtiva, modeſta, civilique ſæpenumero corrigantur. Eſt & pietati ſua libertas, ſed nunquam non condita melle charitatis. Quoad licet parcendum eſt iis, qui ſumma publicaque funguntur auctoritate. Si res poſcet ſævitiam, magis ſæviendum in eos, qui Pontificum, Epiſcoporum, aut Principum titulis ad ſuas cupiditates abutuntur, quam in ipſos proceres. Nec temere ſæviendum in ordines hominum, adverſus illos magis clamandum, qui ſuis vitiis, ordines alioqui præclaros dehoneſtant. Utilius enim fuerit oſtendere quantum abſint à vera religione, qui *Benedicti*, *Franciſci*, aut *Auguſtini* inſtitutum profitentes, ventri, gulæ, libidini, ambitioni, avaritiæ vivunt, quam ipſum vitæ genus inceſſere. Inutilius ſit damnare publicas ſcholas, quam indicare, quid ab his reſecari conveniat, aut quid expediat addi. Ita eſt humanum ingenium, citius ducitur civilitate, quam auſteritate pertrahitur. Non parum autem ponderis addet orationi tuæ, ſi quæ doces, potiſſimum ex arcanis voluminibus haurias, ſi vita doctrinæ reſponderit, ſi docendi officium nulla gloriæ, nulla quæſtus ſuſpicione vitietur. Vim atque *ἐνέργειαν* addet, ſi quæcunque doces, amaris ex animo, ſi ad dicendum, non à compotatione, aut profano colloquio, ſed ab altiſſima precatione, te contuleris, ut ad inflammandos aliorum animos, ipſe ardens accedas. Sed næ ego hæc nimis multa ad te, à quo magis eram ipſe docendus. Bene vale, mi *Jona*. *Antuerpiæ* 1. Junii, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCXXXII.

Budæus Eraſmo *S. D.*

LVDOVICVS Vives, *homo literarum bonarum feliciter ſtudioſus, ut ex ejus ſermone intellexi, mire nomini tuo meoque favere, mihi viſus eſt: cujus humanitas ſingularis & erudita glutinum (ut arbitror) tenaciſſimum eſſe poterit in poſterum tuendæ retinendæque noſtræ amicitiæ, ſi (ut ſunt humana) nonnihil ſimultatis, vel ſuſpiciuncula potius inter nos inciderit. Nam hactenus incidiſſe τόγε κατ' ἐμὲ, nunquam fatebor ne ſacerdoti quidem, apud quem animum curare ſolitus ſum. Ut obiter epiſtolæ tuæ reſpondeam, quam peregre agens accepi, in qua non neceſſariam conteſtationem facis, te honorifice de me loqui ſo-*

An. 1519. *solitum, simul illam tuam tibi φιλολόγον, mihi βεβαχυλόγον epistolam, eo demum nomine displicere tibi affirmas, quod me offendisse videatur: à qua suspicione, ut semel te deducam, quando mihi nec inficianti, nec affirmanti credis, bona mea gratia licet, ut eam officinis tuis permittas, si tibi non displicet. Ego enim eam sine animi offensione legi. Si nondum me nosti, velim, ut sero saltem nosse incipias subausteram ingenii mei naturam, qui nec observantias probem supparasitatrices, nec amicitias φιλοφρονέσας libenter exerceam, sicut amarulentam iracundiam stylo prodere non didici. Malim immodicus joci minusque circumspectus videri, quam alterius vitii insimulari. Eodem pertinere videtur illud, quod συγχαλίζειν ἡμᾶς opus esse dicis, scilicet ὥσπερεὶ τἀναντία σοι φρονοῦντ' ἐμοῦ, ἢ ἐνδιδόντ' γε ἑαυτὸν ὀκνηρῶς εἰς τὸ τάττεσθαι τῷ ζῷ συμαίνεσιν. Mihi vero iniquo quodam fato contigit, ut bellum φιλοβαρβάροις istis olim indictum, ferociter etiam commissum, jam prosequi nequeam, nec in partes bonorum meo arbitratu incumbere, quarum tu auspicia regis: ac tanquam jam in partibus non sim, nec hos adjuvo, nec illos infesto, tametsi alteros exosus sum, & alteris bene cupio. Sed id quid est aliud quam ἑτώσιον ἄχθος ἀρούρης ad senectutem vergere, quasi in theatro sedentem? Quod autem ad id pertinet, quod scire avebas, quid animi haberemus, ut quodam epistolio scripsisti: pudet me τῷ συνείδησιν τῷ ἡμετέραν ἐξομολογεῖν, tantum hoc opto, ut aliquando scire possis, ὅπως μοι ἔχῃ τὰ φὶλ τῷ ζωηγορίαν τούτων οἳ ζωεροῦν τῇ ἡμετέρᾳ φιλολογίᾳ ἤυχοντο. Tu velim ad me scribas, si quid ὁ ὑπερφυαπῶν ζε ἀρχιερεὺς ἐπέστειλέν σοι. Τοῦτο γὰρ κρύβδην ἐμοῦ ἐγένετο, εἴτε καλῶς ἔχῃ, εἴτε μή. Τὰ δὲ τούτων ἐχόμενα, τοιαῦτα ἐστὶν, ὥστε βέλτιον εἶναι ἡγοῦμαι ἐνταῦθα τοῦ γράφειν παυσάμενον, ἔρρωσο σοι φάναι.* Parisiis 10. *Junii, Anno* 1519.

## EPISTOLA CCCCXXXIII.

### Thomas Morus Erasmo *S. D.*

*De puero, cujus causam commendasti mihi, jam ante cum patre ejus egeram quam tu scripsisti. Rogarat enim pridem me per literas puer ipse, quod sibi persuaserat apud illum meam sententiam momenti aliquid ac ponderis habituram. Tractavi rem diligenter, quid profecerim haud satis certo scio. Respondit mihi pater ejus non omnino duriter, & tamen (ut novi hominem ad rem attentum) opinor respondisse tam commode, magis pudore quodam adversandi mihi, quam quod ex animi sui sententia loqueretur. Summa erat, de filio se usurum consilio meo, sed interim non obscure significabat, eum se nummatum malle quam literatum. At puerum ipsum sic animatum video, ut non rem paternam tantum, sed ipsum etiam patrem, citius relicturus sit quam se divelli patiatur à literis, nimirum dignus cujus indolem talem foveant omnes, atque omni ope promoveant.* Lovanienſem *illum scholasticum ita collocavi, ut non dubitem quin tibi perpetuo sit habiturus gratias. Eruditio ejus perplacet hero, qui quum audivisset eum mihi commendatum abs te, rogavit ultro uti juvenem ipsi permitterem, qua in re ego non gravatim illi sum gratificatus, utpote quod alioqui destinaveram petere. Nam apud me pluribus ministris non vacabat locus. Is, dum primis illis diebus esset apud me, ostendit mihi opera quædam* Lodovici Vivis, *quibus neque magis elegans, neque magis eruditum quicquam jam diu vidi. Quotum enim quemque reperias, imo adeo quem unum ferme reperias usquam, qui tam virente ætate, (nam tu eum virente etiamnum ætate scribis esse) tam absolutum cyclopædias orbem absolverit? pudet me profecto, mi* Eraſme, *mei, meique similium, qui uno aut altero libellulo eoque fere inepto venditamus nos, quum* Vivem *respicio tam juvenem, tam multa, tam excussa, tam diserti sermonis, tam abstrusæ lectionis edidisse. Magna res est linguarum alterutra pollere, ille se probat utraque peritissimum. Majus quiddam ac fructuosius præclaris imbutum esse disciplinis, at quis uno* Vive *se ostendit aut pluribus instructum, aut melioribus? Multo vero maximum est sic bonas artes imbibisse discendo, ut in alios easdem possis rursus docendo transfundere. At quis illo docet apertius, dulcius, efficacius? Non possum satis admirari virtutes illas, quas in declamationibus ejus tu & acute perspexisti & expressisti luculenter, potissimum vero (quod in declamando potissimum est) non modo illorum historias temporum tam expromptæ memoria complecti, quam non quivis suarum rerum meminit, verum hominum tot olim seculis functorum fata affectus tam præsentes induisse, ut non è libris hausisse quæ declamat, sed vidisse, sensisse, in parte fuisse rerum vel prospere vel secus cadentium videatur. Consilia denique non ex aliena conditione languidule, sed ferventer admodum ex suo ipse metu, spe, periculo, felicitatem metiri. Quod si in alterutra tantum parte præstaret, esset tamen admiratione dignum. Nunc vero talem se præbet in utraque, ut chamaleonta putes, verso solo simul mutasse colorem. Utinam expergiscantur,* Eraſme, *atque ad istud* Vivis *exemplar componant sese quidam, qui nimium ambitiose volunt haberi pro disertis, idque eo magis titulo quod alia omnia contemnant, quam quod vel assequantur, vel rite consequantur eloquentiam, utpote qui ne per somnium quidem concipiant ullam Rhetorices imaginem. Hi quum cæteras artes negligant, quonam studiorum nomine cohonestari postulant? Oratorem profecto vel Rhetorem nemo jure vocabit eum, qui neque veras agat causas, neque declamet fictas. Quin Poeta perquam tenuis fuerit atque exsanguis, cujus poema nullis Philosophiæ monitis, nullis Rhetorum præceptis, nullis disserendi exercitamentis formetur.* Vives *quum in Rhetorica talem se præstiterit, qualem haud ferme jam quisquam qui nihil profitetur aliud, tamen cæterarum artium omnium, quæ quidem dignæ sunt scitu, nullam reliquit, in qua non ita versatus est, ut in ea sola ætatem omnem contrivisse censeas. Itaque ut nihil est illius quod non mirum in modum delectet omnes, ità me profecto quæ scripsit in pseudodialecticos peculiari quadam voluptate perfundunt. Non ideo tantum (quanquam ideo quoque) quod illas ineptas argutias lepidis cavillis eludit, validis argumentis oppugnat, inevitabili ratione à fundamentis eruit atque subvertit, sed & præterea quod ibi video quædam iisdem fere tractata rationibus, quas & ipse mecum olim, quum nihil adhuc* Vivis *legissem, collegeram. Quæ mihi nunc non eo nomine placent in libello* Vivis, *quod meæ rationes ante arriserint mihi, (solet enim placere, si quid afferre alios videmus quod nobis ante in mentem venerat) sed quod mihi plaudo quando quod ante suspectum habueram, ne parum apte diceretur, nunc confirmor haud inscitum esse, postquam* Vivi *quoque video placuisse. Jam illud me capit ac delectat maxime, quod quum videam idem argumentum utrique nostrum animum & cogitationem occupasse, tum sic utrique tractatum, ut quanquam & fusius ab illo & elegantius, tamen in nonnullis non tantum res easdem afferamus, sed propemodum eadem etiam verba, sic mihi libenter blandior, quasi cognati quippiam syderis, animos inter sese nostros occulta quapiam vi & conspiratione conciliet. Hoc illi gratulor quod tantum habet locum apud Cardinalem suum. Spero fore ut illius numinis favor iniquitatem fortuna corrigat, quæ solet in eos esse pessima quicunque merentur optima, & tanquam literis ac virtutibus invidens, indoctos fere atque improbos beneficiis suis evehere. Verum, Cardinalis (cui beandi quemvis tam facilis fere quam ipsi fortunæ facultas est) homini tali, quem inter penitissimos adscivit, cui tantum eruditionis eximiæ (qua nunc haud paulo clarius quam ipso dignitatis fulgore splendet) acceptum fert, non insigniter esse beneficus, neque pro insigni sua bonitate volet, neque sine insigni apud posteros quoque traductione potest. Vale, mi* Eraſme *charissime, quem ego spero fore ut* Caleti *propediem præsens præsentem in hoc Regum congressu complectar. Hodie appellit Imperator. Cras summo mane Rex in occursum prodibit, imo fortassis hac ipsa nocte quæ jam nunc appetit. Non credas quanto gaudio non dico Regis ac Procerum, sed populi quoque sit acceptus nuncius, per quem constabat Imperatorem huc appellere. Iterum vale. E* Cantuaria *pridie Pentecostes, sive* 11. *Junii, Anno* 1519.



Digitized by Google

An. 1519. *Quiddam eſt, mi* Eraſme, *de quo ſi mihi notus eſſet* Vives, *admonerem illum. Nunc quoniam haud certus ſum quo animo acciperet ab ignote tam importunum officium, ipſe potes per occaſionem ſubmonere, eſſe in* ædibus legum *atque item in ejus* ſomnio (*quod alioqui multorum ſuperat pervigilatas vigilias*) *abſtruſiora quædam quam ut pateant niſi doctiſſimo, quum fuerit in rem literariam utile, illius omnia quam plurimis intelligi: ei rei vel explicando, vel adjectis in margine breviſſimis ſcholiis, facile mederi fuerit. Addet item plurimum lucis declamationibus, ſi brevibus hiſtoria ſummam complexus vel una pagella præponat. Iterum vale. Anno* 1519.

## EPISTOLA CCCCXXXIV.

Albertus Cardinalis Moguntinenſis Eraſmo *S. D.*

QVANQVAM *graviſſima ſunt, ac omnium nomine maxime neceſſaria, qua nos cura & ſollicitudine multum exercent hoc tempore,* Eraſme *doctiſſime, ut qui non privati alicujus negotii cura diſtineamur, ſed deligendi totius orbis Imperatoris munere fungi cogamur, tui tamen interim ſumus impigre ac libenter memores. Itaque nihil arduum adeo obverſari poteſt, quod nobis eruditiſſimarum tuarum literarum, quoties illæ, & ubi ubi reddantur, lectionem interturbet. Teque oramus plurimum, ut nos frequenter ad hunc modum interpelles. Jam enim tibi perſuade, toties exſultare nos, quoties tuam aliquam epiſtolam accipimus. Id quanquam in te præcipue verum eſt, tamen non parum interim nobis placet doctorum hominum, undecunque ea acceſſerit, notitia. Itaque* Ricardum Pacæum, *invictiſſimi* Anglorum *Regis Oratorem, commendatum nobis ſua primum virtute, qua nec prius fuerat incognita, nimirum eruditorum virorum oratione nobis ſæpe prædicata, deinde Regis ſui, & Cardinalis* Eboracenſis *literis, ac tuo poſtremo teſtimonio, charum habemus, complectimur cupidiſſime. Tu perge ſacras Literas, & divinam Theologiam admirando illo tuo ſtudio locupletare. Sic enim fiet, ut barbara eſſe deſinat, ſi qua maxime fuit natio. Ad quod felicitatem tibi omnem, & ex animo ſucceſſum optamus, noſtram ad id opem operamque pollicentes.* Huttenum *noſtrum, vel idcirco, quia amari abs te intelligimus, libenter diligimus. De libello nobis per te dicato, nihil eſt quod turberis, haud egre tulimus ab alio aliis adſcriptum illum quandoquidem nobis tu ante deſtinaveras. Remittemus & noſtrum ſtatim munuſculum. Tu interim vale. Ex civitate Imperiali* Francfurdia 13. *menſis Junii, Anno* 1519.

## EPISTOLA CCCCXXXV.

*Eraſmus Rot. Jodoco Jona Erphordienſi* S. D.

QVOD tam impenſe rogas, vir optime, ut tibi *Joannis Coleti* vitam paucis velut in brevi tabella depingam, hoc faciam lubentius, quod ſuſpicer te tibi quærere egregium aliquod pietatis exemplar, ad quod tuum inſtitutum attemperes. Equidem, mi *Jona* chariſſime, ut fateor me cum multis habuiſſe conſuetudinem, quorum integritas mihi valde probaretur, tamen nullum adhuc vidi, in cujus moribus neſcio quid adhuc *Chriſtiana* puritatis non deſiderarem, quoties ad horum duorum ſinceritatem conferrem aliquem: quorum alterum mihi noſſe contigit apud oppidum *Arteſia*, quod vulgo dicitur *ſancti Audomari*, dum huc me peſtis, hac ſane in parte mihi felix, *Lutetia* propuliſſet: alterum in *Britannia*, quo me *Montjoii* mei charitas pertraxerat. Lucrum facies, cujus ſcio te avidiſſimum, pro uno duos dabo. Prior dictus eſt *Joannes Vitrarius* Ordinis *Franciſcani*: nam in hoc vitæ genus adoleſcens inciderat, meo judicio, nulla ex parte poſthabendus *Coleto*, niſi quod ob ſervitutem inſtituti, minus multis prodeſſe poterat. Annos natus erat ferme quadraginta quatuor quum hominem noſſe cœpiſſem. Ac ſtatim adamare me cœpit, hominem ſui multum diſſimilem. Erat auctoritatis maximæ apud optimos quoſque, multis magnatibus gratiſſimus, corpore procero & eleganti, natura felici, animo ſic excelſo, ut nihil eſſet illo humanius. *Sceticas* argutias puer imbiberat, quas nec prorſus improbabat, quod quædam ſcite dicerentur licet ſordidis verbis, nec rurſus magni faciebat. Cæterum, ubi contigiſſet *Ambroſium*, *Cyprianum*, *Hieronymum* deguſtare, mirum quam præ his illa faſtidiebat. Nullius ingenium magis admirabatur in ſacris Literis quam *Origenis*: quumque cavillarer me mirari, quod hominis hæretici ſcriptis delectaretur, ille mira alacritate, fieri non potuit, inquit, quin hoc pectus inhabitarit Spiritus ſanctus, unde tot libri tam eruditi, tanto ardore ſcripti prodierunt. Quanquam autem illud vitæ inſtitutum, in quod per inſcitiam ætatis fuerat, vel delapſus, vel pertractus, nequaquam probabat, ſubinde dictitans apud me, fatuorum eſſe vitam potius, quam religioſorum, ad nolæ ſignum dormire, expergiſci, redormiſcere, loqui, tacere, ire, redire, cibum capere, deſinere paſtu, denique nihil non facere ad præſcriptum humanum, potius quam ad *Chriſti* regulam: nihil iniquius eſſe, quam inter tam inæquales, æqualitatem, maxime quod illic ſæpenumero cœleſtia ingenia, ac melioribus rebus nata, ceremoniis, & conſtitutiunculis humanis, aut etiam livore ſepelirentur: tamen nec cuiquam unquam fuit auctor mutandæ vitæ, nec ipſe quicquam hujuſmodi molitus eſt, paratus omnia ferre potius, quam ulli mortalium offendiculo eſſe, *Pauli* ſui exemplum in hoc quoque referens. Nihil autem erat tam iniquum, quod ille pacis ſervandæ ſtudio, non ſumma cum alacritate perpeteretur. Libros divinos, præſertim Epiſtolas *Pauli*, ſic edidicerat, ut nemo melius teneret ungues, digitoſque ſuos, quam ille *Pauli* ſui ſermones. Dediſſes initium ex quacunque parte, ille mox totam Epiſtolam abſque ullo lapſu fuiſſet proſequutus. *Ambroſii* pleraque tenebat memoriter. Vixque credibile eſt, quantum item ex aliis orthodoxis veteribus memoria complecteretur. Præſtitit hoc illi partim memoria natura felix, partim aſſidua meditatio. Rogatus à me in familiari colloquio, quibus modis præpararet animum ſuum iturus ad concionandum. Reſpondit ſe ſolitum in manus ſumere *Paulum*, & in ejus lectione tam diu commorari, donec ſentiret incaleſcere pectus. Illic hærebat, addens igneas ad Deum preces, donec admoneretur eſſe tempus incipiendi: non dividebat fere conciones ſuas, quod vulgus ita facit, quaſi ſecus facere non liceat, unde fit ut frequenter ſit frigidiſſima diſtinctio. Quanquam omnis illa diſtinctionum cura, frigus addit orationi, & artificii ſignificationem præbens, fidem elevat dicentis. At hic perpetuo quodam ſermonis fluxu, connectebat ſacram Epiſtolam cum Euangelica lectione, ut auditor domum rediret & eruditior & inflammatior ad ſtudium pietatis. Neque geſticulationibus ineptiebat, nec vociferationibus tumultuabatur, ſed totus apud ſe ſic promebat verba, ut ſentires ex ardenti ac ſimplici, ſed ſobrio pectore proficiſci: nec uſquam immorabatur ad tædium uſque, neque jactabat ſeſe variis citationibus nominum, quemadmodum nunc è *Scoto*, *Thoma*, *Durando*, nunc ex Juris utriuſque libris, nunc è Philoſophis, nunc è Poetis centones frigidos conſarcinant, quo populo nihil neſcire videantur. Totus ſermo, quem promebat, erat ſacræ Scripturæ plenus, nec aliud ructare poterat. Amabat quod loquebatur. Habebat hominem incredibilis quidam ardor pertrahendi mortales ad ſinceram *Chriſti* Philoſophiam. Ambiebat ex hujuſmodi laboribus martyrii gloriam. Proinde quemadmodum ex illius familiariſſimis cognovi, olim à ſuis auctoribus impetrarat veniam adeundi regiones, in quibus *Chriſtus* aut ignoratur, aut impie colitur, ſe felicem fore judicans, ſi hæc obiens, martyrii palmam meruiſſet. At è medio curſu revocatus eſt, voce velut cœlitus audita: *Redi Joannes, non defuturum eſt tibi apud tuos martyrium.* Paruit oraculo, & reperit eſſe verum, quod

Digitized by Google

An. 1519. quod vox illa prædixerat. Erat illic monasterium sororcularum, in quo sic erat prolapsa omnis religiosæ vitæ disciplina, ut lupanar verius esset, quam monasterium. Et tamen inter has erant quæ sanari possent, & euperent. Has dum crebris concionibus, hortatibusque revocaret ad *Christum*, octo deploratæ ex eo numero conspirarant, & hominem observatum in locum semotum pertrahunt, atque ibi fasciis injectis præfocant. Nec finem faciunt donec casu nescio qui intervenientes, impium facinus dirimunt. Atque ille jam exanimatus erat, vixque revocatus est, ut spiraret: nec tamen usquam hac de re questus est, ne his quidem quos habebat intimos, nec ullum officium prætermisit, quo solet illarum saluti subvenire; imo ne vultus quidem unquam visus est in illas solito tristior. Noverat auctorem hujus conspirationis, is erat Theologus *Dominicanus*, Episcopi *Morinensis* à suffragiis Episcopus, vir palam impiæ vitæ. Nec huic unquam verbo molestus fuit, tametsi nulli hominum generi erat iniquior, quam qui doctores ac duces pietatis professi, moribus ac doctrina impia populum à *Christo* alienarent. Nonnunquam septies concionabatur uno die, nec unquam illi deerat sermonis eruditi copia, quoties de *Christo* loquendum erat. Quanquam tota illius vita nihil erat, nisi sacra concio. Erat alacer, minimeque tetricus in convivio: sed sic, ut nullam unquam præberet speciem levitatis, aut ineptiæ, luxus aut intemperantiæ multo minus. Miscebat sermones eruditos, plerunque sacros, & ad pietatem facientes. Talia erant colloquia, si quis illum adibat, aut si quem ille viseret. Aut si quo faceret iter, habebat potentes amicos, qui illi in itinere mulum aliquoties, aut equum subjiciebant, quo commodius liceret confabulari, ibi promebat vir optimus exhilarato spiritu, quæ nullis gemmis poterant æstimari. Neminem ab se tristem dimittebat, imo neminem non dimittebat meliorem, & ad pietatis amorem animatiorem. Nihil erat in quo sentire possis illum ulli suo commodo servire, non ventri, non ambitioni, non avaritiæ, non voluptati, non odio, non livori, non ullis malis affectibus erat obnoxius. Quicquid acciderat, agebat gratias Deo: nec aliud erat gaudium, quam si quos inflammasset ad studium Euangelicæ pietatis. Nec irritus fuit illius conatus. Complures, tum viros, tum fœminas lucrifecerat *Christo*: qui quantum differrent ab hoc *Christianorum* vulgo, mors arguebat: vidisses enim hujus discipulos summa cum alacritate spiritus mori, & sub mortem vere cygneam canere cantionem, ea promentes, quæ pectus afflatum sacro numine testarentur: cum cæteri peractis ceremoniis, & adhibitis solennibus illis protestationibus fidentes, diffidentes, exhalarent animam. Testis est hujus rei Medicus eximius ejus oppidi *Ghisbertus*, ac pertinax veræ pietatis cultor, qui plurimis utriusque scholæ morientibus adfuit. Pertraxerat aliquot & è sui gregis sodalibus, sed pauciores: quemadmodum & *Christus* apud suos non potuit multas virtutes facere; nam illis fere placent qui sua doctrina plurimum commeatus convehunt in culinam, potius quam qui plurimas animas asserunt *Christo*. Cum autem ab omnibus vitiis abhorrebat animus ille purissimus, ac vere templum *Christo* dicatum, tum maxime à libidine, adeo ut odore talium gravissime offenderetur, tantum aberat ut turpiloquium ferre posset. In vitia vulgi nunquam odiose debacchabatur, neque quicquam adferebat è secretis confessionibus: sed ita depingebat honestatis imaginem, ut se quisque tacitus agnosceret. In consiliis dandis mira prudentia, mira integritas, mira dexteritas. Secretas confessiones non admodum volens audiebat, sed tamen in hoc quoque serviebat charitati: anxias ac subinde repetitas confessiones palam detestabatur. Superstitioni ac ceremoniis minimum tribuebat, vescebatur cibis quibuslibet sobrie, & cum gratiarum actione. Vestitus erat nihil ab aliis differens. Solet nonnunquam & valetudinis causa suscipere iter aliquod, si quando senserat corpus humore de-

A gravari. Quodam igitur die, cum persolveret pensum precum matutinarum cum suo sodali, sensissetque stomachum, fortassis ob pridianam inediam nauseantem, ingressus domum proximam sumpsit cibi nonnihil, ac repetito itinere pergebat precari: ibi cum sodalis illius putaret omnia repetenda ab initio, quod primæ horæ precibus nondum dictis sumpsisset cibum, ille alacer negavit quicquam esse admissum, imo Deo nonnihil fore lucri. Antehac, inquit, languidi & segnes precabamur, nunc alacribus animis illi dicemus hymnos spirituales, & ejusmodi sacrificiis ille delectatur, quæ ab hilari datore offeruntur. Ego cum id temporis diversarer apud *Antonium à Bergis* Abbatem B *Bertinicum*, nec nisi post meridiem illic pranderetur, neque meus stomachus ferret tam diutinam inediam, (erat autem tempus Quadragesimæ) præsertim cum totus essem in studiis, solebam ante prandium sorbitiuncula tepida fulcire stomachum, quo duraret in horam prandii. Hac de re cum illum consulerem num liceret, ille circumspecto sodali, quem tum habebat laicum, ne quid offenderetur, imo, inquit, peccares nisi faceres, & ob cibulum omitteres ista tua sacra studia, tuoque corpusculo faceres injuriam. Cum *Alexander* Pont. ex uno *Jubileo* fecisset duos, quo quæstus esset uberior, ejusque dispensationem Episcopus *Tornacensis* præsente pecunia suo periculo redemisset, summo studio adnitebantur Commissarii, ne sortem perderet Episcopus, imo ut lucrum non pœnitendum accederet. Hic in primis ad fabulæ partes vocabantur ii, qui in concionibus populo essent gratiosi. Noster sentiens id in scrinia conferri, quo sublevabantur ante pauperes, non improbabat quod offerebat Pontifex, nec probabat tamen. Cæterum, illud improbabat, quod tenues fraudarentur solito subsidio: damnabat stultam eorum fiduciam, qui nummo in scrinium conjecto putarent sese liberos à peccatis. Tandem obtulerunt Commissarii centum florenos ad structuram templi, nam id tum ædificabatur in ejus monasterio, ut si nollet commendare venias Pontificias, D saltem ea taceret quæ officerent. Ibi vir velut afflatu sacro percitus, *Abite*, inquit, *hinc Simoniaci cum vestra pecunia, An eum me putatis, qui ob pecuniam sim suppressurus Euangelicam veritatem? ea si vestro quæstui obstat, mihi major esse debet cura animarum quam vestri compendii.* Cessere tum vigori pectoris Euangelici, homines male sibi conscii, sed interim præter exspectationem summo diluculo affixa est excommunicatio, quæ tamen à cive quodam detracta est priusquam multis innotesceret. Ille nihil his minis territus, summa cum animi tranquillitate docebat populum, & *Christo* sacrificabat: nec ullum metum præ se ferebat talis E anathematis, quod ob *Christum* prædicatum intentaretur. Mox citatus est ad Episcopum *Morinensem*, paruit Episcopo suo, venit uno sodali comitatus, nihil ipse de se sollicitus: sed tamen inscio illo cives equitum præsidia collocarant in itinere, ne per insidias interceptus in antrum aliquod conjiceretur. Quid enim non audet auri sacra fames? Episcopus objecit articulos aliquot, quos ex illius collegerant concionibus: ille magno animo respondit, & Episcopo satisfecit. Aliquanto post denuo vocatus est, objecti sunt plures: ubi & ad hos respondisset, rogabat cur non adessent accusatores, ut suo quoque periculo accusarent: se jam bis venisse honoris illius gratia, quod Episcopus esset, cæterum, non venturum tertio, si simili modo vocaretur: esse sibi domi melius negotium. Ita suo ingenio F relictus est, sive quia deerat ansa nocendi, sive quia timebant populi tumultum, in quo probitas illius habebat optimum quemque addictissimum: etiamsi ille tale nihil ambiebat. Jamdudum rogabis, scio, quis hujus viri fuerit exitus. Non solum displicuit Commissariis, sed etiam suis fratribus aliquot, non quod non probarent vitam, sed quod ea melior esset, quam ipsis expediebat. Totus inhiabat in lucrum animarum, cæterum ad instruendam culinam, aut exstruendos



Digitized by Google

An. 1519. parietes, ad illectandos dotatos adoleſcentes ſegnior erat quam illi vellent: etiamſi hoc quoque non negligebat vir optimus, duntaxat ſi quid ad ſublevandam neceſſitatem pertineret, verum non ut plerique præpoſtere curabat iſta. Imo quendam etiam *Thynnum* alienarat: is erat aulicus, ac prorſus aulicis moribus, foris per omnia cubilia ſe volvens, paſſim matrimonia aliena contaminans, & uxorem pro derelicta habens, quam habebat & claro genere natam, & aliquot liberorum matrem. Per occaſionem evenit, ut hæc quoque ſeduceretur: illico rejecit mulierculam primo lapſu, qui ſibi tot lapſus ignoverat. Illa tandem longius etiam prolapſa ad extremam devenit calamitatem, præter infamiam, ſcabiei etiam, quam *Gallicam* vocant, obnoxia. Hic cum omnibus tentatis, quo uxorem marito reconciliaret, nihil ageret, nec durus ille, vel affinium reſpectu, vel liberorum communium affectu, vel ſua ipſius conſcientia, qui tot adulteriis, qui ſuo neglectu occaſionem dediſſet, flecteretur, reliquit hominem ceu deploratum. Is paulo poſt ex more, petaſonem, aut armum ſuillum miſit. Cæterum *Joannes*, nam tum *Guardianum* agebat, mandarat janitori, ne quid reciperet niſi ſe vocato. Cum adeſſet munus, vocatus eſt: ibi famulis, qui deferebant heri nomine, Referte, inquit, onus veſtrum unde attuliſtis, nos non recipimus munera diaboli. Itaque tametſi non ignorabant illius vitam ac doctrinam eſſe ſeminarium egregium Euangelicæ pietatis, tamen quoniam non perinde conducebat proventui culinæ, juſſus eſt deponere *Guardiani* munus, quo nihil ille fecit lubentius: & ſuffectus eſt illi quidam, quem ego novi, aliunde adſcitus, homo non dicam qualis, aut quam alteri diſſimilis, in ſumma is mihi viſus eſt, cui nemo prudens caulctum ſuum vellet committere: ſive hunc obtruſerunt, qui cupiebant abeſſe, ſive is viſus eſt ad rem magis idoneus. Porro cum ex ejus convictu ſuboleſceret unus atque alter, qui ſimili ſpiritu raperetur ad ſtudium conſulendi pietati *Chriſtiane* potius, quam ad augendum penu, relegarunt hominem *Curtracum* in monaſteriolum Virginum: ibi quantum licuit, ſui ſimilis, docens, conſolans, adhortans, diem ſuum feliciter obiit, relictis aliquot libellis, quos è ſacris auctoribus decerpſerat *Gallice*, quos non dubito tales eſſe, qualis erat hominis vita & oratio. Et tamen audio nunc à nonnullis damnari, qui putant eſſe ingens periculum, ſi populus aliquid legat præter ineptas fabulas hiſtoriarum, aut ſomnia Monachorum. Vivit adhuc illius doctrinæ ſcintilla in multorum pectoribus, quos ſi conferas cum cæteris, dices hos non eſſe *Chriſtianos*, ſed *Judæos*. Sic contemptim habitus eſt à ſuis vir ille ſingularis, qui ſi *Paulo* Apoſtolo collega contigiſſet, nihil addubito, quin illum ſuo *Barnabæ*, aut *Timotheo* fuerit antepoſiturus. Habes vere gemmeum *Vitrarium* noſtrum, ignotum mundo, celebrem & clarum in regno *Chriſti*. Nunc *Coletum* huic ſimillimum accipe. Alterum alteri depinxeram, & uterque alterius videndi deſiderio flagrabat, atque hac gratia *Vitrarius* in *Angliam* trajecerat, ac mihi poſt narrabat *Coletus* apud ſe fuiſſe *Minoritam* quendam, cujus colloquio prudenti pioque mirum in modum fuiſſet delectatus, ſed adhibitum alterum quendam ejuſdem Ordinis *Stoicum*, qui viſus indigne ferre, *Chriſtianum* colloquium interruperit. Ac fortaſſe *Coletus* hoc nomine plus laudis meretur, quod nec indulgentia fortunæ, nec impetu naturæ, longe alio trahentis, potuerit ab Euangelicæ vitæ ſtudio depelli. Natus eſt enim è claris & opulentis parentibus, idque *Londini*. Siquidem Pater bis in urbe ſua præfecturam ſummam geſſit, quam illi *Majoritatem* appellant. Mater, quæ adhuc ſupereſt, inſigni probitate mulier, marito ſuo undecim filios peperit, ac totidem filias. Quorum omnium natu maximus erat *Coletus*, ac proinde ſolus hæres futurus juxta leges *Britannicas*, etiamſi illi fuiſſent ſuperſtites: ſed ex omnibus ille ſuperfuit ſolus, cum illum noſſe cœpiſſem. Acceſſerat his fortunæ commodis corpus elegans ac pro-

A cerum. Adoleſcens apud ſuos quicquid eſt ſcholaſticæ Philoſophiæ, diligenter perdidicit, ac titulum aſſequutus eſt, qui ſeptem liberalium Artium ſcientiam profitetur. Quarum nulla erat, in qua ille non fuiſſet gnaviter ac feliciter exercitatus: nam & libros *Ciceronis* avidiſſime devorarat, & *Platonis*, *Plotiniique* libros non oſcitanter excuſſerat, nec ullam Mathematices partem intactam reliquit. Poſt, tanquam avidus bonarum rerum negotiator, adiit *Galliam*, mox *Italiam*. Ibi ſe totum evolvendis ſacris Auctoribus dedit, ſed prius per omnia literarum genera magno ſtudio peregrinatus, priſcis illis potiſſimum delectabatur, *Dionyſio*, *Origene*, *Cypriano*, *Ambroſio*, *Hieronymo*. Atque inter Ve- B teres nulli erat iniquior, quam *Auguſtino*. Neque tamen non legit *Scotum*, ac *Thomam*, alioſque hujus farinæ, ſi quando locus poſtulabat. In utriuſque Juris libris erat non indiligenter verſatus. Denique nullus erat liber, hiſtoriam, aut conſtitutiones continens majorum, quem ille non evolverat. Habet gens *Britannica* qui hoc præſtiterunt apud ſuos, quod *Dantes* ac *Petrarcha* apud *Italos*. Et horum evolvendis ſcriptis linguam expolivit, jam tum ſe præparans ad præconium ſermonis Euangelici. Reverſus ex *Italia*, mox relictis parentum ædibus, *Oxonia* maluit agere. Illic publice & gratis *Paulinas* Epiſtolas omnes enarravit. Hic hominem noſſe cœpi, nam eodem tum me Deus neſcio C quis adegerat; natus tum erat annos ferme triginta, me minor duobus, aut tribus menſibus. In Theologica profeſſione nullum omnino gradum, nec aſſequutus erat, nec ambierat: tamen nullus erat illic doctor, vel Theologiæ, vel Juris, nullus Abbas, aut alioqui dignitate præditus, quin illum audiret, etiam allatis codicibus: ſive hoc laudis debetur *Coleti* auctoritati, ſive illorum ſtudio, quos non puduerit ſenes à juvene, doctores à non doctore diſcere: tametſi poſt ultro delatus eſt doctoris titulus, quem ille recepit magis, ut illis gereret morem, quam quod ambiret. Ab his ſacris laboribus, Regis *Henrici*, ejus nominis ſeptimi, favore *Londinum* eſt revocatus, ac Decanus apud di- D vum *Paulum* factus, ut illius præeſſet collegio, cujus literas ſic adamabat. Eſt autem dignitas ejus nominis apud *Anglos* prima, tametſi ſunt aliæ proventu magis opimo. Hic vir optimus tanquam ad opus vocatus, non ad dignitatem, collegii ſui collapſam diſciplinam ſarſit, &, quod erat illic novum, ſingulis diebus feſtis in ſuo templo concionari inſtituit, præter concionem extraordinarias, quas nunc in regia, nunc aliis atque aliis locis habebat. Porro in ſuo templo non ſumebat ſibi carptim argumentum ex Euangelio, aut ex Epiſtolis Apoſtolicis, ſed unum aliquod argumentum proponebat, quod diverſis concionibus ad finem uſque proſequebatur: puta Euangelium *Matthei*, Symbolum fidei, Precationem Dominicam. Et habebat auditorium frequens, in quo pleroſque primores ſuæ civitatis, & aulæ regiæ. Menſam Decani, quæ antea ſub hoſpitalitatis titulo luxui ſervierat, contraxit ad frugalitatem. Nam cum & ante annos aliquot in totum abſtinuiſſet à cœna, caruit veſpertinis convivis. Porro quum ſerius prandcret, etiam tum minus habuit multos: ſed hoc pauciores, quod & frugalis eſſet apparatus, tametſi nitidus, & brevis accubitus, denique ſermones, qui non delectarent niſi doctos ac bonos. Conſecrata menſa, mox puer aliquis clara voce diſtincte pronunciabat caput aliquod ex Epiſtolis *Pauli*, aut Proverbiis *Salomonis*. Ex eo delectum locum ipſe fere repetebat, ac ſermonis occaſionem ſumebat, ſciſcitans ab eruditis, aut ingeniofis etiam idiotis, quid hoc aut illud dictum ſibi vellet. Atque ita ſermonem temperabat, ut quanquam & pius & gravis, tamen nihil haberet tædii, aut ſupercilii. Rurſus ſub convivii finem, cum jam utcunque ſatisfactum eſſet, non voluptati, ſed neceſſitati, aliud argumentum injecit: atque ita convivas dimiſit & animo & corpore refectos, ut meliores diſcederent, quam venerant, & ſtomachum minime cibis o-

nu-

Digitized by Google

An. 1519. nustum referrent. Impense delectabatur amicorum colloquiis, quæ sæpe differebat in multam noctem: sed omnis illius sermo, aut de literis erat, aut de *Christo*. Si grati confabulonis non erat copia (nec enim quibuslibet delectabatur) puer aliquis è sacris Libris aliquid pronunciabat. Me nonnunquam & peregrinationis comitem adscivit, nihil erat illic eo festivius: sed semper libellus erat itineris comes, nec alii sermones quam de *Christo*. Impatiens erat omnium sordium, adeo ut nec sermonem ferret solœcum ac barbariæ spurcum. Quicquid erat domesticæ supellectilis, quicquid apparatus in cibis, quicquid in vestibus, quicquid in libris, nitidum esse volebat, de magnificentia non laborabat. Non nisi pullis vestibus utebatur, cum illic vulgo sacerdotes ac Theologi vestiantur purpura. Summa vestis semper erat lanea ac simplex, si frigus hoc postulabat, interulis pelliceis se muniebat. Quicquid è sacerdotiis redibat, id in usus domesticos œconomo suo dispensandum reliquit: quod erat patrimonii (erat autem ampliſſimum) ipse in pios usus distribuebat. Nam patre defuncto, cum ingentem pecuniæ vim accepisset ex hæreditate, ne servata gigneret in eo aliquid morbi, novam scholam exstruxit in cœmeterio S. *Pauli*, puero *Jesu* sacram, opere magnifico: adjecit ædes magnificas, in quibus agerent duo ludi magistri, quibus amplum salarium designavit, quo gratuito docerent, sed sic, uti schola non capiat nisi certum numerum. Eam distinxit in partes quatuor. Primus ingressus habet ceu Catechumenos. Nullus autem admittitur, nisi qui jam norit & legere & scribere. Secunda pars habet eos, quos hypodidascalus instituit. Tertia, quos Superior erudit. Alteram ab altera dirimit velum quoddam, quod adducitur, ac diducitur, cum libet. Supra cathedram præceptoris sedet puer *Jesus* singulari opere, docentis gestu, quem totus grex adiens scholam ac relinquens hymno salutat. Et imminet Patris facies dicentis, *Ipsum audite*: nam hæc verba me auctore adscripsit. In postremo sacellum est, in quo licet rem divinam facere. Tota schola nullos habet angulos, aut secessus, adeo ut nec cœnaculum sit ullum, aut cubiculum. Pueris singulis suus est locus in gradibus paulatim adscendentibus, distinctis spaciis. Quæque classis habet sedecim, & qui in sua classe præcellit, sellulam habet cæteris paululo eminentiorem. Nec quosvis admittunt temere, sed delectus sit indolis & ingeniorum. Vidit illud vir perspicaciſſimus, in hoc esse præcipuam Reipublicæ spem, si prima ætas bonis rationibus institueretur. Ea res cum constet immensa pecunia, tamen nullum in hujus consortium admisit. Quidam legarat in eam structuram centum libras monetæ *Britannicæ*, ubi senſit *Coletus* hac gratia sibi nescio quid juris vendicare laicos, permissu Episcopi sui, eam pecuniam contulit in sacras vestes templi. Reditibus totique negotio præfecit non sacerdotes, non Episcopum, aut capitulum ut vocant, non magnates, sed cives aliquot conjugatos, probatæ famæ. Roganti causam ait, nihil quidem esse certi in rebus humanis, sed tamen in his se minimum invenire corruptelæ. Atque ut hoc opus nemo non probavit, ita multi demirabantur, cur magnificentissimas ædes exstrueret intra pomœria monasterii *Carthusiensium*, quod non procul abest à regia quæ dicitur *Richemonda*. Ajebat se parare sedem illam suæ senectuti, cum jam impar laboribus, aut morbo fractus cogeretur se submovere ab hominum consortio. Illic erat animus philosophari cum duobus aut tribus amiculis eximiis, inter quos me solitus est numerare, sed mors antevertit. Nam cum ante paucos annos correptus esset sudore pestilenti, qui morbus peculiariter infestat *Britanniam*, & ab eodem tertio repetitus, utcunque tamen revixit, sed ex morbi reliquiis contracta viscerum tabes, qua periit. Medicus unus hydropem esse judicavit. Anatomia nihil indicavit novi, nisi quod hepar repertum est extremas fibras cirrhis prominentibus hirsutum. Sepultus est ad australe chori latus in suo templo humili sepulchro, quod in eum usum jam ante annos aliquot delegerat, inscriptione addita, *Joan. Col.* Finem faciam, mi *Jona*, si pauca commemoraro primum de ipsius natura, deinde de opinionibus paradoxis, postremo de procellis, quibus explorata est hominis ingenua pietas, cujus minimam portionem debebat naturæ suæ. Siquidem animo præditus erat insigniter excelso, & omnis injuriæ impatientissimo, ad venerem, ac luxum, ac somnum mire propensus, ad jocos ac facetias supra modum proclivis: hæc ipse mihi fassus est, nec omnino tutus à morbo philargyriæ. Adversus hæc ita pugnavit philosophia, sacrisque studiis, vigiliis, jejuniis, ac precibus, ut totum vitæ cursum ab hujus seculi inquinamentis purum peregerit. Nam quantum mihi licuit ex illius consuetudine, colloquiisque familiaribus colligere, virginitatis florem ad mortem usque servavit. Opes in pios usus dissipavit, adversus animi celsitudinem ratione pugnavit, adeo ut à puero quoque moneri se pateretur. Venerem, somnum, ac luxum, abstinentia cœnæ perpetua, jugi sobrietate, indefessis laboribus studiorum, sanctisque colloquiis profligavit: & tamen si quando sese obtulisset occasio, vel jocandi apud facetos, vel colloquendi cum fœminis, vel accumbendi in opiparis conviviis, vidisses aliqua naturæ vestigia. Et ob id fere à laicorum consuetudine abstinuit, sed præcipue à conviviis: ad quæ si quando cogebatur, me aut mei similem adhibebat, quo *Latinis* fabulis declinaret prophana colloquia. Atque interim sumpto ex uno tantum genere cibi pusillo, uno aut altero cerevisiæ haustu contentus erat, à vino temperans, quo tamen delectabatur eleganti, sed temperatissime utens. Ita se sibi semper habens suspectum, cavebat ab omnibus, quibus esse posset offendiculo cuiquam. Nec enim ignorabat omnium oculos in se conjectos. Nunquam vidi ingenium felicius, atque ob id similibus ingeniis unice delectabatur: sed ad hæc se malebat demittere, quæ præpararent ad immortalitatem vitæ futuræ. Nulla in re non philosophabatur, si quando se laxaret fabulis amœnioribus. In pueris ac puellis delectabat naturæ puritas, ac simplicitas, ad cujus imitationem suos vocat *Christus*, Angelis eos solitus comparare. Jam ut alteram exsolvam partem, opinionibus à vulgo multum dissidebat, sed mira prudentia hac in re sese attemperabat aliis, ne quos offenderet, aut ne quid labis in famam contraheret, non ignarus quam iniqua sint hominum judicia, quamque prona in malum credulitas, quantoque facilius sit maledicis linguis contaminare famam hominis, quam benedicis sarcire: inter amicos ac doctos liberrime profitebatur, quid sentiret. *Scotistas*, quibus hominum vulgus ceu peculiare tribuit acumen, ajebat sibi videri stupidos, & hebetes, & quidvis potius quam ingeniosos. Nam argutari circa alienas sententias ac verba, nunc hoc arrodere, nunc illud, & omnia minutatim dissecare, ingenii esse sterilis & inopis. *Thomæ* tamen, nescio qua de causa, iniquior erat quam *Scoto*. Etenim cum hunc apud illum aliquando laudarem, ut inter recentiores non adspernandum, quod & sacras Literas, & auctores veteres videretur evolvisse, cujus rei suspicionem mihi fecerat *Catena*, quæ vocatur *aurea*, & aliquid haberet in scriptis affectuum, semel atque iterum dissimulavit obticescens: verum, ubi rursus in alio colloquio inculcarem eadem vehementius, obtuitus est me, velut observans serio-ne hæc dicerem, an εἰρωνεύων· cum animadverteret me ex animo loqui, tanquam afflatus spiritu quodam, quid tu, inquit, mihi prædicas istum, qui nisi habuisset multum arrogantiæ, non tanta temeritate, tantoque supercilio definisset omnia: & nisi habuisset aliquid spiritus mundani, non ita totam *Christi* doctrinam sua prophana philosophia contaminasset. Admiratus sum hominis ἐνθουσιασμὸν, cœpique diligentius ejus viri scripta evolvere. Quid verbis opus est? omnino decessit aliquid meæ de illo existimationi. Cum nemo magis faveret *Christianæ* pietati, tamen erga monasteria, quæ nunc falso nomine pleraque sic vocantur,



Digitized by Google

An. 1519. minimum habebat affectus: eisque aut nihil, aut quam minimum largiebatur, ac ne moriens quidem aliquid illis decidit: non quod invisos habebat ordines, sed quod homines suæ professioni non responderent. Nam ipsi in votis erat, se prorsus ab hoc mundo extricare, sicubi reperisset Sodalitium vere conjuratum in vitam Euangelicam. Atque id negotii mihi delegarat *Italiam* adituro, narrans sese apud *Italos* comperisse quosdam Monachos vere prudentes, ac pios. Nec enim ille judicabat esse religionem quam vulgus judicat, cum sit aliquoties ingenii penuria. Laudabat & *Germanos* aliquot, apud quos resiederent etiamnum priscæ religionis vestigia. Dictitare solet se nusquam reperire minus corruptos mores, quam inter conjugatos, quod hos, affectus naturæ, cura liberorum ac res familiaris ita veluti cancellis quibusdam distringerent, ut non possint in omne flagitii genus prolabi. Cum ipse castissime viveret, tamen inter illaudatos, minus erat iniquus his, qui tametsi sacerdotes essent, aut etiam Monachi, Venere duntaxat peccarent: non quod impudicitiæ vitium non detestaretur, sed quod hos experiretur multo minus malos, quoties eos cum aliis conferret, qui cum essent elatis animis, invidi, maledici, obtrectatores, fucati, vani, indocti, toto pectore pecuniæ & ambitioni dediti, tamen sibi magnum quiddam esse viderentur, cum alteros infirmitas agnita redderet humiliores ac modestiores. Ajebat magis exsecrandam in sacerdote avaritiam, & superbiam, quam si centum haberet concubinas. Ne vero quisquam hæc huc rapiat, ut putet leve crimen esse in sacerdote aut Monacho libidinem, sed ut intelligat alterum genus longius abesse à vera pietate. Nulli mortalium generi erat infensior quam Episcopis, qui pro pastoribus lupos agebant, nec ullos magis exsecrabatur, quod cultu sacro, ceremoniis, benedictionibus, ac veniolis sese venditarent populo, cum toto pectore servirent mundo, hoc est, gloriæ & quæstui. E *Dionysio* cæterisque priscis Theologis quædam hauserat, quibus non ita favebat, ut usquam contenderet adversus decreta ecclesiastica, sed tamen ut minus esset iniquus iis, qui non probarent sic passim in templis adorari imagines pictas, ligneas, saxeas, æreas, aureas, argenteas; item iis, qui dubitarent an sacerdos insigniter ac palam improbus conficeret aliquid sacramentali functione, haudquaquam favens istorum errori, sed indignans iis, qui vita palam & undique contaminata, præberent causam hujusmodi suspicionis. Collegia, quæ multo magnificoque sumptu sunt apud *Anglos* instituta, dicebat officere bonis studiis, nec aliud esse, quam invitabula ociosorum: neque scholis publicis perinde multum tribuebat, quod ambitio profitendi & quæstus omnia vitians, corrumperet sinceritatem omnium disciplinarum. Ut confessionem secretam vehementer probabat, negans se ulla ex re capere tantundem consolationis ac boni spiritus, ita anxiam ac subinde repetitam vehementer damnabat. Cum apud *Anglos* mos sit, ut sacerdotes fere quotidie faciant rem divinam, ille tamen contentus erat diebus Dominicis ac festis sacrificare, aut certe pauculis diebus extra hos: sive quod sacris studiis, quibus se parabat ad concionandum, & ecclesiæ suæ negotiis distineretur: sive quod comperiret se majore cum affectu sacrificare, si id ex intervallo faceret: haudquaquam tamen improbabat illorum institutum, quibus placeret quotidie adire mensam Dominicam. Cum esset ipse doctissimus, tamen anxiam hanc & laboriosam sapientiam non probabat, quæ ex omnium disciplinarum cognitione, & ex omnium Auctorum lectione, velut ansis omnibus absolvitur: dictitans ita deteri nativam illam ingenii sanitatem ac sinceritatem, hominesque reddi minus sanos, & ad *Christianam* innocentiam, puramque ac simplicem charitatem minus idoneos. Plurimum tribuebat Epistolis Apostolicis, sed ita suspiciebat admirabilem illam *Christi* majestatem, ut ad hanc quodammodo sordescerent Apostolorum scripta. Omnia fere *Christi* dicta, miro ingenio revocarat ad ter-

A B C D E F

niones, unde & librum instituerat scribere. Quod sacerdotes etiam occupati quotidie tam prolixas preces exhaurire cogerentur, etiam domi atque in itinere vehementer admirabatur. Nam cultum ecclesiasticum magnifice fieri valde probabat. Innumera sunt hodie in publicis scholis receptissima, à quibus ille plurimum dissentiebat, de quibus inter amiculos solet aliquando conferre: apud alios dissimulabat, ne geminum caperet incommodum: ut & nihil proficeret nisi in pejus, & existimationis suæ jacturam faceret. Nullus erat liber tam hæreticus, quem ille non attente evolveret, dicens se plus aliquotiens ex illis capere fructus, quam ex horum libris, qui sic omnia definiunt, ut frequenter adulentur Coryphæis, nonnunquam & sibi ipsis. Recte loquendi copiam non ferebat peti è præceptionibus Grammaticorum, quas asseverabat officere ad bene dicendum, nec id contingere nisi evolvendis optimis Auctoribus, sed hujus opinionis ipse pœnas dedit. Cum enim esset & natura & eruditione facundus, ac dicendi mira suppeteret orationis ubertas, tamen scribens subinde labebatur in his, quæ solent notare Critici. Atque hac, ni fallor, gratia à libris scribendis abstinebat, atque utinam non abstinuisset: nam hujus viri cogitationes, quacunque etiam lingua proditas optarim. Jam ne quid defuisse putetur absolutæ *Coleti* pietati, tempestates, quibus agitatus est, accipe. Nunquam illi bene convenerat cum suo Episcopo, de cujus moribus ne quid dicam, superstitiosus atque invictus erat *Scotistæ*, & hoc nomine sibi semideus videbatur: quo quidem ex genere cum aliquot noverim, quos nolim improbos appellare, nullum tamen adhuc vidi, quem, mea quidem sententia, possis vere pureque dicere *Christianum*. Nec admodum gratus erat plerisque sui collegii, quod tenacior esset disciplinæ regularis, ac subinde quiritabantur se pro Monachis haberi, quanquam hoc collegium olim fuit, & in vetustis syngraphis vocatur orientale monasterium. Sed cum jam odium senis Episcopi, erat enim non minor annis octoginta, atrocius esset, quam ut premi posset, adscitis duobus Episcopis æque cordatis, nec minus virulentis, incipit *Coleto* negotium facessere, non alio telo quam quo solent isti, si quando cui exitium moliuntur. Defert eum apud Archiepiscopum *Cantuariensem*, articulis aliquot notatis, quos ex illius concionibus decerpserat. Quorum unus erat, quod docuisset non adorandas imagines: Alter, quod sustulisset à *Paulo* laudatam hospitalitatem, qui enarrans illud ex Euangelio, *Pasce, pasce, pasce oves meas*, cum in prioribus duobus cum reliquis Interpretibus consentiret, pasce exemplis vitæ, pasce sermone doctrinæ, in tertio dissensisset, negans convenire, ut Apostoli, qui tum erant pauperes, juberentur oves suas pascere subsidio temporali, & hujus loco aliud quiddam substituisset: Tertius, quod cum in concione dixisset, quosdam de charta concionari (id quod multi frigide faciunt in *Anglia*) oblique taxasset Episcopum, qui ob senium id solitus sit facere. Archiepiscopus, cui *Coleti* dotes erant egregie cognitæ, patrocinium innocentis suscepit, è judice factus patronus, cum ipse *Coletus* ad hæc aliaque stultiora respondere dedignaretur. Non conquievit tamen senis odium, tentavit aulam regiam in *Coletum* concitare, atque in primis Regem ipsum, jam aliud telum nacti, quod publice dixisset in concione, pacem iniquam præferendam bello æquissimo. Id enim temporis adornabatur bellum in *Gallos*, & hujus fabulæ non minimam partem Minoritæ duo agebant: quorum alter, fax belli, mitram meruit, alter bonis lateribus vociferabatur in concionibus in Poetas: sic enim designabat *Coletum*, cum is à poeticis numeris esset alienissimus, alioqui non imperitus Musices. Hic Rex egregius juvenis dedit evidens specimen ingenii sui regno dignissimi, privatim hortans *Coletum*, pergeret sua doctrina libere succurrere moribus ejus seculi corruptissimis, neque subduceret lucem suam temporibus tenebricosissimis: se non ignorare quid in illum stimularet Episcopos illos,

An. 1519.

Digitized by Google

An. 1519. los, neque nescire quantum ipse fructus attulisset genti *Britannicæ* sua vita, sacraque doctrina. Addebat sese sic cohibiturum illorum conatus, ut aliis liqueret non impune fore, si qui *Coletum* impeterent. Hic *Coletus* egit quidem gratias pro animo regio, cæterum, quod obtulit, deprecatus est, negans se velle, ut cuiquam pejus esset sua causa, se potius cessurum munus quod gerebat. Sed aliquanto post data est illis ansa, ut sperarent jam posse confici *Coletum*. A Pascha parabatur expeditio in *Gallos:* in die Parasceves *Coletus* apud Regem & aulicos mire concionatus est de victoria *Christi*, adhortans *Christianos* omnes, ut sub Regis sui vexillo militarent ac vincerent. Etenim qui odio, qui ambitione mali pugnarent cum malis, seque vicissim trucidarent, non sub *Christi*, sed sub diaboli signis militare: simulque ostendit, quam res esset ardua, *Christianam* obire mortem, quam pauci bellum susciperent non odio aut cupiditate vitiati; quam vix consisteret eundem habere fraternam charitatem, sine qua nemo visurus esset Deum, & ferrum in fratris viscera demergere. Addidit, ut *Christum* Principem suum imitarentur potius, quam *Julios* & *Alexandros*. Multaque alia tum declamavit in hanc sententiam sic, ut Rex nonnihil metueret, ne hæc concio adimeret animos militibus, quos educebat. Huc velut ad bubonem omnes convolant mali, sperantes fore, ut Regis animus jam in illum posset exacerbari. Accersitus est *Coletus* jussu Regis, venit, pransus est in monasterio *Franciscanorum*, quod adhæret regiæ *Grienwikensi*. Rex ubi sensit, descendit in hortum monasterii, & *Coleto* prodeunte, dimisit suos omnes. Ubi solus esset cum solo, jussit ut tecto capite familiariter colloqueretur, atque ita exorsus est juvenis humanissimus: Ne quid temere suspiceris, Decane, non huc accersivi te, quo turbem tuos sanctissimos labores, quibus unice faveo, sed ut exonerem conscientiam meam scrupulis aliquot, tuoque consilio rectius satisfaciam officio meo. Verum, ne totum colloquium repetam, quod fere sesquihoram productum est: interim in aula ferociebat *Bricotus* ex *Franciscano* Episcopus, existimans periclitari *Coletum*, cum per omnia conveniret illi cum Rege: nisi quod Rex optabat, ut quod *Coletus* vere dixisset, diceret aliquando explanatius ob rudes milites, qui secus interpretarentur, quam ipse dixisset, videlicet *Christianis* nullum esse bellum justum. *Coletus* pro sua prudentia, proque singulari animi moderatione, non solum animo regio satisfecit, verum etiam auxit gratiam pristinam. Ubi reditum est in Regiam, Rex dimissurus *Coletum*, allato poculo præbibit, & complexus hominem humanissime, omniaque pollicitus, quæ sint ab amantissimo Rege exspectanda, dimisit. Jam aulica turba circumstans, exspectabat exitum ejus colloquii. Ibi Rex omnibus audientibus, *Suus*, inquit, *cuique doctor esto, & suo quisque faveat, hic est doctor meus*. Ita discessserunt quidam lupi, quod ajunt, hiantes, & præcipue *Bricotus*, nec ab eo die quisquam est ausus impetere *Coletum*. Habes, *Jodoce*, duos, quos ætas nostra tulit, mea sententia, vere sincereque *Christianos*, non tam depictos, quam delineatos, quantum passa est epistolaris angustia. Tuum erit ex utroque decerpere, quod tibi videbitur ad veram pietatem maxime conducere. Jam si quæres utrum alteri præferam, mihi videntur pari laude digni, cum dissimili fuerint conditione. Siquidem ut magnum erat, *Coletum* in ea fortuna constanter sequutum esse, non quo vocabat natura, sed quo *Christus:* ita speciosior est laus *Vitrarii*, quod in eo genere vitæ tantum obtinuerit ac præstiterit spiritus Euangelici: perinde quasi piscis in palude vivens, nihil trahat de sapore paludstri. Sed in *Coleto* quædam erant, quæ testarentur illum hominem esse: In *Vitrario* nihil unquam vidi, quod ullo pacto saperet affectum humanum. Quod si me audies, *Jona*, non dubitabis hos duos Divorum adscribere catalogo: etiamsi nullus unquam Pontifex eos referat in canonem. Felices animæ, quibus ego multum debeo, vestris precibus adjuvate luctantem adhuc in hujus vitæ malis *Erasmum*, ut in vestrum contubernium remigrem, nusquam postea divellendus. Vale, mi *Jona*. Bene habet, si tuo desiderio feci satis: nam argumento scio nequaquam esse satisfactum. Ex rure *Anderlaco* 13. Junii, Anno 1519.

An. 1519.

## EPISTOLA CCCCXXXVI.

Erasmo Rot. Petrus Ægidius *S. D.*

VIDEO *te occupatissimum, qui ad quaternas meas literas non responderis. Venit nuper ad nos tabellio quispiam, cum literis ad* Joannem Nevium *tuis. Aberat* Franciscus *in* Britannia *cum ille adesset: delatæ sunt tandem ad me cum epistola quadam* Frobenii, *quam sum apprime exosculatus.* Borsalus *Decanatum, ut vocant, nactus est, hac proficiscens in* Zelandiam *nos invisit, te* Basileam *pervenisse narravit, unde vehementissime sum gavisus. Et quidni gaudeam, qui quoties tui fit mentio, gestire, tripudiare & subsilire soleo. Quæso te,* Erasme *mi, si quando dabitur occasio, ut* Pyladi *tuo, sic enim me non minus ex animo quam vere nuncupas, aliquid literarum mittere ne graveris. Admiratus sum non parum, quod minime rescripseris, præsertim cum tu interea temporis bis ad* Nevium *literas miseris.* Badius *fuit apud nos, viximus genialiter: super* Fabro Stapulensi *facta est mentio in convivio, pœnitet se unquam* Erasmum *irritavisse, nec responsurus est, nisi ad Calendas* Græcas. Paulus Æmilius *reliquos historiarum suarum libros formulis excudendos* Badio *tradidit. Intelligo item* Budæum *Epistolas colligere, nimirum curabit eas edendas, non sine doctorum omnium & admiratione & fructu. Est apud nos, si superis placet, sycophanta ille* Hypsistrotus* *instar ululæ invisus omnibus, is nunc rem agit alienam prorsus à sua sodalitate, vendit libellos illos suos ineptissimos, quibus indidit titulum* Apologiæ, *hos minutuli isti libelliones circumforanei tanquam præcones vendunt: compendiolum autem quantulum est scabiosus & miser accipit* Hypsistrotus. *Hunc nemo dignatur colloquio, nemo vel salutat, nisi fortassis insanæ quædam & veneficæ lenæ, quanquam ne hæ quidem suo nebulonem dignantur commercio. Corradit undecunque potest pecuniam, sed nil præter aurum* Tolosanum. *Dialogus nescio cujus auctoris, prorsus tamen eruditi, de* Julio *hic passim venditur: hunc nemo non emit, nemo non habet in ore, hunc te vidisse maximè vellem, quanquam non dubium, quin istic quoque venundetur.* Ferdinandus *illustrissimus Princeps faustis avibus applicuit, paucis ex nostratibus comitatus. Ajunt hunc non falsi auctores, comi & affabili esse ingenio, moribus optimis, & ad miraculum usque* Latine *doctum, nec ineloquentem.* Marcus Laurinus *apud me versatus est dies aliquot, de te totus noster fuit sermo, tota confabulatio, jussit te oppido quam salvere.* Sixtinus *ad me literas misit. De* Moro *nihil audio.* Franciscus *ex* Britannia Lutetiam *petiit.* Beatus Rhenanus *si belle valet, impendio gratulor. Bene vale, mi* Erasme. *Uxorcula mea, jam partui proxima, te plus millies salutat.* Antuerpia 19. *Junii, Anno* 1519.

* Hochstratum intelligit: vox enim Græca Ὑψιστρότος idem notat quod Belgica *Hochstraten.*

## EPISTOLA CCCCXXXVII.

*Erasmus Roterodamus Jacobo Banisio suo S. D.*

VIR omni decorum genere cumulatissime, audio, te nova, eaque eximia dignitate auctum, quo nomine tibi magnopere gratulor: neque dubito quin fortuna sit aliquando benignius étiam tuis præclaris virtutibus responsura. Nos hic plusquam *Banicis* tumultibus jactati sumus, adeo Theologi quidam novas excitarunt Tragœdias: neque quicquam tamen aperto *Marte* gestum est: omnia technis, cuniculis, ac strophis acta sunt. Male habebat istos, negotium linguarum procedere: metuebant, ne si subsisteret Novum Testa-

Digitized by Google

An. 1519. ſtamentum, labaſceret eorum auctoritas: nihil itaque non tentatum, ſed reſipiſcunt. Prodiit Novum Teſtamentum, venditur, & quidem feliciſſime. Auſus eſt quidam & libellum adverſus me ſcribere, ſed magno ſuo malo, mea ſumma cum voluptate. Triumpharent bonæ literæ, ſi Principem haberemus domi, qualem habet *Anglia*. Rex ipſe non indoctus, tum ingenio acerrimo, palam tuetur bonas literas, rabulis omnibus ſilentium indixit. Cardinalis *Eboracenſis* omnia ſtudia in melius reſtituit, ſuaque benignitate paſſim omnes invitat ad amorem ſtudiorum: nec aliud agit Cardinalis *Campegius*, vir omnium & optimus, & doctiſſimus. Aula Regis plus habet hominum eruditione præſtantium, quam ulla Academia. Video *Germanos* quoque Principes honorem habere literis, tuo, tuique ſimilium hortatu: nos nondum hoc diſcere poſſumus. Sereniſſimus Princeps *Ferdinandus*, adoleſcens, ita me Deus amet, ad omnem virtutem natus, nos amat, noſtriſque libellis delectatur: ut & ab aliis accepi, & ipſe mihi narravit, libellum de *Principe* ſemper habet in manibus. Huic me præceptorem dare conati ſunt, & ipſe videtur id ambire: ſed cum alia me deterrent ab aula, tum præcipue valetudo tam imbecillis, ut niſi temperetur meo arbitratu, mox periclitetur. Mortuus nec Principi ſim uſui futurus, nunc utcunque proſum calamo. Exiit *Paraphraſis* in duas Epiſtolas ad *Corinthios*, & in Epiſtolam ad *Galatas*. Hac certe parte probor, & doctis & indoctis omnibus. Si inciderit commoditas, commendabis me illuſtriſſimo *Saxoniæ* Duci *Friderico:* ei ſcripſimus nuper, opinor epiſtolam eſſe redditam. Bene vale, patrone ſingularis. Si continget congredi cum hoc Oratore Regis *Anglorum*, *Richardo Pacæo*, ſi nondum tibi notus eſt, fac ut hominem cures noſſe propius: nihil ejus ingenio candidius, utriuſque literaturæ peritiſſimus eſt: pro ſuis virtutibus Regi, Cardinalibuſque, atque adeo *Romano* Pontifici, gratiſſimus eſt. Rurſum vale. *Bruxellis* 21. Junii, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCXXXVIII.

*Eraſmus Roterodamus inſigni Theologo Joanni Claymondo* S. D.

EGREGIAM illam prudentiam ſuam, qua ſemper publicæ famæ præconio commendatus fuit *Ricardus* Epiſcopus *Wintonienſis*, nullo certiore argumento nobis declaravit, *Claymonde*, non infimum decus ordinis Theologici, quam quod collegium magnificum ſuis impendiis exſtructum, tribus præcipuis linguis, ac melioribus literis, vetuſtiſque Auctoribus proprie conſecravit. Nam qua ratione melius mereri potuit de rebus humanis: aut quo monumento rectius nomen ſuum æternæ hominum memoriæ dedicare? Iſtuc profecto demum eſt eccleſiæ columen, iſtuc eſt Epiſcopum agere. Majorem autem in modum gaudeo, *Thomam* Cardinalem *Eboracenſem*, Cardinalem *Campegium*, ac ne cæteris commemorandis fiam prolixior, ipſum etiam *Henricum* octavum, Principem nullo hujus ætatis vere regiis dotibus inferiorem, toto pectore huic favere negotio. Quorum ut auctoritas facile coercet oblatrantium improbitatem, ita benignitas abunde ſuppeditat quibus invitatur induſtria profeſſorum, quæque poſtulat ocium literarum. Complures regiones vulgare monumentum aliquod nobilitavit. Ingenti *Coloſſo Rhodus* eſt celebris: *Caria Mauſoli* ſepulchro: *Memphis* pyramidibus: *Gnidus* ſculptili *Veneris* ſigno: *Theba* magico *Memnone*. Mihi præſagit animus futurum olim, ut iſtud collegium ceu templum ſacroſanctum, optimis literis dicatum, toto terrarum orbe inter præcipua decora *Britanniæ* numeretur: pluresque futuros, quos trilinguis iſtius bibliothecæ ſpectaculum, quæ nihil bonorum Auctorum non habeat, unde nihil malorum non exſulet, pertrahat *Oxoniam*, quam olim tot miraculis viſenda *Roma* ad ſeſe pellexit. Quin & illud mihi quidem ſagax conſilium optimi Præſulis arguit, quod te potiſſimum ex omnibus delectum, virum haudquaquam novæ, ſed jam olim notæ perſpectæque probitatis, novo collegio præfecerit: qui primum poſſis eas literas & cum dignitate profiteri, deinde poſſis vel unus eſſe documento, optimis literis cum optimis moribus maxime convenire. Facit enim paucorum improbitas, ut qui bonis literis parum bene volunt, calumnientur hoc ſtudiorum genus corrumpere vitam humanam, & avocare à pietate Chriſtiana. Sunt autem apud nos, præcipue *Germanos*, juvenes aliquot, vita quidem integra, ſed qui ſic aſſerant meliores literas, ut in harum hoſtes, magna libertate velut ἐξ ἀμαξῶν debacchentur. Equidem non nego veniam dandam ætati, imo etiam genti, præſertim cum tam acerbis odiis irritentur, ut in adverſarios nihil poſſit ſatis aſperum dici. Sed tamen mea ſententia, longe plus adferet momenti tua modeſta gravitas, & erudita lenitas, hos etiam, qui modo reclamabant, qui arma contra ferebant, in ſua caſtra pertractura, ex infeſtiſſimis hoſtibus fideliſſimos milites, ac propugnatores futuros. Plus efficit, qui ſua moderatione omnibus commendat bonas literas, quam qui cum pertinacibus harum ſycophantis aſſidue rixatur. Ego quod tandem contumeliæ genus non ſum paſſus ab iſtis philobarbaris? Quos tumultus excitarunt? quas movere tragœdias? quas ſtruxerunt inſidias? Mihi ſane nec ungues deerant, nec dentes, nec telum, ſi libuiſſet uti: neque ſum ignarus, quibus modis ejuſmodi portenta tractanda ſunt: verum, judicavi non ſolum *Chriſto* eſſe gratius, verum etiam ad provehenda rectiora ſtudia conducibilius, aut moderatis rationibus placare reclamantes, aut certe cedere, donec temporis progreſſu aut evaneſcat ille ſtolidi pectoris impetus, aut ipſi reſipiſcant. Nec adhuc me hujus conſilii pœnitet. Non auſurus eram, doctiſſime *Claymonde*, te meis literis laceſſere, niſi *Cuthertus Tonſtallus*, *Thomas Morus*, *Ricardus Pacæus*, ſuis literis magno conſenſu morum tuorum τὸ εὔχρηστον, ac facilitatem integritati parem prædicaſſent. Quibus auctoribus fretus, non veritus ſum, vel hac manu tibi ſcribere, qua ſoleo cogitationum mearum celeritatem æquare. Bene vale. *Lovanio* 27. Junii, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCXXXIX.

*Eraſmus Rot. Tranquillo Parthenio Dalmatæ* S. D.

SCRIPSERAM ex *Antuerpia*, doctiſſime *Tranquille*, ut ſi nondum abiſſes, detinerent te *Lovanii* dies aliquot in reditum meum: aut ſi id non poſſent, efficerent certe, ne diſcederes, ni prius mecum collocutus: me meo ſumptu ſarturum ejus moræ diſpendium. Sed abiturientis celeritas epiſtolam noſtram antevertit. Itaque *Lovanium* reverſus, pro *Tranquillo* meo geminum carmen reperi, utrunque juxta doctum, ſed utrunque ſane querulum: quorum alterum teſtatur abiſſe te, iratum huic Academiæ, alterum mihi. In illo nos omnes barbaricæ cujuſdam inhumanitatis reos agis: cui volenti nobis edere ſpecimen eruditionis tuæ, literas nobis impartire, locus datus non ſit: cum cæteræ ſcholæ præmiis ad id invitent, quod tu gratis & ſponte deferebas. In hoc me, ut hominem *Batavum*, & à Gratiis alienum, incuſas: qui repulerim à colloquio te, quem amor videndi noſtri è tam longinquo per itinera difficillima in regionem ignotam pertraxiſſet. Verum, ego tibi utriuſque nomine reſpondebo: ſed meam ipſius cauſam prius agam. Primum vero verius eſt, optime *Tranquille*, quod id temporis *Antuerpiæ* verſabar in negotiis quibuſdam mihi moleſtiſſimis. Sed nunquam adeo ſum occupatus, ut *Tranquillum* à colloquio fuerim excluſurus, ſi *Tranquillum* aut noviſſem ipſe, aut alius mihi ſimulachrum illius recte depinxiſſet. Pro juvene docto, candido, modeſto, *Danum* aut *Getam* quendam barbarum faſtuoſumque mihi deſcripſerant ac circumforaneum ardelionem, à quo hominum genere vix credas quantum abhorream. Et ab

Digitized by Google

An. 1519. ab iis frequentius impetor quam velim, aut quam ferat ſtudiorum utilitas. Id accidit errore perſonæ. Nam alter quiſpiam ejuſmodi tum temporis ſeſe venditabat *Antuerpiæ*. Huic igitur generi ſalutatorum, & odioſo & ocioſo, aliquoties domi non ſum, interim non vaco, aliquando non vigilo, quemadmodum olim non omnibus dormiebatur. Quod ſi parum humanum videtur, ego arbitror non paulo inhumanius eſſe, dum horum næniis aurem præbes, tot eruditorum hominum flagitationes negligere, ſemper aliquid poſcentium à nobis, quo juventur recta ſtudia. Quod ſi quis mihi *Tranquillum*, non dicam ſuis pinxiſſet coloribus, ſed vel delineaſſet modo, ultro in tuos complexus advolaſſem. Atque hactenus quidem mihi patrocinatus ſum. Supereſt ut pro *Lovanienſi* quoque ſchola nonnihil reſpondeam. Scis eſſe maximum ac primum, ſi quid agas adire in tempore. Tu non poteras magis ἀκαίρως venire *Lovanium*, bonas literas profeſſurus, cum jam maxime ferveret recens conſpiratio quorundam, qui ſe devoviſſe videntur diis manibus, ni politiores literas exſtinctas reddant. Sic enim ſibi ſtultiſſime perſuaſere, ſi contingat his literis auctoritas, ſuam auctoritatem labefactatum iri. Vident autem paſſim toto orbe, non jam ſcholas tantum, verum etiam Principum aulas infici hoc novo genere ſtudiorum, quo magis adnituntur, ut *Lovanium* ab hoc contagio tueantur incolume. Res optimo cuique non probatur. Nam tumultus hic ortus eſt ex initiis vaniſſimis, nimirum ex falſiſſima unius aut alterius ſuſpicione. Deinde ut nos pudet etiam in male cœptis parum conſtantes videri, multo ineptioribus rationibus pergunt exſequi, quam inſtituerant. Porro tota fabula ab uno aut altero chorago pendet, ne mali hujus invidiam in totam Academiam conferas. Horum pertinacia quibuſdam perſuaſit, quoſdam improbitas pertraxit: quidam ad gratiam obſequuntur: quidam ſpe commodi cujuſpiam, aut incommodi metu, fabulæ non probatæ partem agunt. Magna pars vociferatur, non ob aliud niſi quod multos vociferantes videt. Hæc qui procul audiunt, rem publico conſilio geri credunt, præſertim cum ſplendidi tituli prætexantur, univerſitatis, rectoris, facultatum. Qui propius ſpectant fabulam, aut etiam intra proſcenium verſantur, intelligunt totam hanc machinam unius atque alterius opera moveri. Ego tumultus hujuſmodi vel *Ate Homericæ*, vel *Pani* deo poetico, vel *Tiſiphonæ*, aut Furiarum cuilibet, vel quod Aſtrologi faciunt, aſtris parum commode concurrentibus imputare malo, quam multitudini. Suſpicor & illud obfuiſſe tibi, quod nimis ingenue præ te ferebas noſtri ſtudium. Et hujus fabulæ choragi ſe credunt vituperari, ſi laudetur *Eraſmus*. Nec defuere fortaſſis qui ſuſpicarentur te ſubornatum, ut in Theologos poetica libertate diceres. Nec ullum adhuc hominum genus vidi, quod æque indulgeat ſuis ſuſpicionibus. Verſiculus hic tuus adagii vice circumfertur *Lovanii*,

*Cernere non licuit facundi pectus* Eraſmi.

Quem cur rideant non ſatis intelligo. Neque enim carmen adeo malum eſt, ut rideri debeat: nec *Eraſmus* uſque adeo eſt infans, ut prodigioſum ſit, ſi quis amicus ei tribuat eloquentiam. Neque enim opinor hic eſſe tam perverſe malos, ut ex hoc ipſo voluptatem capiant, quod tibi res parum ex animi ſententia ſucceſſerit. Verum, age, fruantur per nos hac voluptate ſua, qualis qualis eſt, te velim æquiorem eſſe huic noſtræ ſcholæ, cui nec ingenia deſunt, nec eruditi juvenes, modo eſſet ingeniis honos, & ni eſſent qui ſumma vi melioribus ſtudiis obſtreperent: quos ſemideos ſi tibi nominatim depingerem, non mirareris, ſi tales habeat propugnatores priſtina barbaries. In hos dictus es neſcio quid invectivarum deſtinaſſe, quod quidem mihi adeo non probatur, mi *Tranquille*, ut nec verum eſſe libeat credere. Digni ſunt, inquies. Eſto ſane, fac vel crùce dignos: at te meminiſſe volo, quid his dignum ſit, qui literas eas profitentur, quæ humanitatis titulo commendantur. *Ludovicum Vivem* fac meo A nomine ſalutes. Huic gratulor, ſi noſtri meminit: invideo, ſi non meminit. Nam audio hominem mire geſtire gaudio, quod elapſus ab hoc, ut ille ait, barbariei præſidio, ad priſtinam ſtudiorum libertatem redierit. Bene vale, *Tranquille* chariſſime. *Lovanio* 28. Junii, Anno 1519. An. 1519.

## EPISTOLA CCCCXL.

Antonius Papinius, Abbas Gemblacenſis, Eraſmo Roterodamo *S. D.*

ERASME *multis modis amande, perquam libens mitto volumina* Cypriani, *quæcunque reperimus in noſtra Bibliotheca, toto pectore favens & gloriæ ſanctiſſimi viri, & tuis irrequietis ſtudiis ac laboribus, quos eruendis & caſtigandis ſacris Libris impendis.* Chriſtus *tuam induſtriam, nunquam ſatis laudatam, bene fortunet ac provehat: nam ut iſti, qui codices excudunt adeo corruptos, ut nec intelligi, nec legi poſſint, multorum animos alienant à ſanctiſſimis ſtudiis, ita tui labores complures inflammabunt ad eorundem lectionem. Proinde, doctiſſime Pater, ſi qua ſunt apud nos tuo laudabili propoſito conducibilia, noſtra omnia tua ſunto. Quin ſi voles, univerſa noſtra Bibliotheca ſemel ad te commigrabit, tota tua fidei committetur. Bene valeat tua dilectio, mihi longè chariſſima. Ex* Gemblaco 29. *Junii, Anno* 1519.

## EPISTOLA CCCCXLI.

Guilielmus Budæus Eraſmo Roterod. *S. D.*

SCRIPSERAM *ad te nuper per* Ludovicum Vivem, *hominem (ut mihi ex gemina congreſſione viſus eſt) doctiſſimum, & tibi amiciſſimum. Nunc ad me viſendum quum* Glareanus *veniſſet, comite* Jacobo Ceratino, *utraque lingua docto & profitenti, facere non potui quin ad te hoc epiſtolium darem, quum interim illi præſtolari non nollent domi meæ. Peregre agens, duo à te epiſtolia accepi eodem pene exemplo, certe argumento non diſſimili. Quod videre tu longam illam epiſtolam tuam eo demum nomine deteſtari ac deſpuere quaſi ἀποδυτηρίᾳ dignam: quod tibi me infenſum reddiderit, longe falleris opinione in hac re quoque, ut antehac in aliis falſus es, id quod ante diſceſſum meum teſtatus ſum illa ſcilicet epiſtola*, cujus eſt initium,* Vidi enarrationem, quam in epiſtolam meam ſcripſiſti. *Quod ſi mihi ne nunc quidem credis, per me licet ut tuam meaſque ſimul chalcographis permittas, idque bona mea venia facturum te affirmo. Neque enim mihi ab hominum doctorum exiſtimatione metuendum eſſe puto: quod quidem eo pertinet, ut invaleſcat illa apud acres candidoſque lectores opinio: ſi hæc palam fiant epiſtolarum argumenta, nos non ſatis bona fide amicitiam coluiſſe, ſtylumque exercuiſſe. Nam ut jocis libenter utor ſcribens, & immodicè fortaſſe ſcribens: ſic haud illibenti animo, aut certe non iniquo, ludicros taliones perfero, etiam ex ancipiti petitos. Nec quum ſim natura φιλοπαίγμων, πάνυ ἑτοίμως ἂν μὴ ἀχθεσθείην φιλοσπούμμων. Quod ſi vir bonus exiſtimari velim, ἐπόμενον δήπου τοῦτο ἐστὶν ἐκ ἀχθομένως δὴ ἔχειν πρὸς τὰ δίγνωμόνως τε καὶ δεξιῶς ἀνθυποπλόμενα. Atqui velim ita exiſtimes, me hujuſcemodi viciſſitudines ſcribendi inter homines quidem rerum callentes, in diverſam partem interpretari, atque tu exiſtimare ſolitus ſis. Nam quibus tu labefactari fixam amicitiam putas, aut alios verere ne ita putaturi ſint, iis ego confirmari, καὶ πάντη πάντως ἐπικυρῶσθαι cenſeo. Cave quenquam exiſtimes à literis alienibrem eſſe quam nunc ſum. Quo fit ut vitam meam minoris dimidio æſtimem: nec aliud opto, quam ut ad ingenium meum remigrare mihi liceat quocunque cenſus mei intertrimento. Eximo tibi omnem ſcrupulum ὑπονοίας, quaſi ego ſubiratus ſim, ne tu iſtas conteſtationes poſthac facias parum neceſſarias, te de me honorificè loqui, & alias hujuſcemodi. Vale.* Pariſiis 30. *Junii, Anno* 1519. *Vereor ne nimium morer* Glareanum *& comitem. Miror cur ad illam epiſtolam non reſponderis, cujus ſuperius memini.*

* Quæ eſt CCCLXXXIII.



Digitized by Google

## EPISTOLA CCCCXLII.

*Eraſmus Rot. Leonardo Priccardo, Canonico apud Aquiſgranum*, S.D.

An. 1519. SCIEBAM, eruditiſſime *Leonarde*, genus hoc hominum nuſquam ceſſare: ſummum illis præſidium in mendacibus linguis, atque impudentiſſimis ſycophantiis poſitum eſt. Ego vero jam ad iſta occallui: tantum admiror homines profeſſione pietatis inſignes id ſibi permittere, quod omnium maxime cum vera pietate pugnat. Inexpiabile ſcelus haberi volunt, ſi carnibus veſcantur, & ſanctum eſt fratrem, etiam de ipſis bene merentem, linguæ ſpiculis Tartareo veneno tinctis confodere, cum nullum ſit veneficii genus exſecrabilius. Omnino diis manibus, ut poetice dicam, ſe devoviſſe videntur, ni bonas literas funditus exſtinxerint: nec ſe credunt incolumes fore, ſi bonæ literæ ſint incolumes. Harum cauſam ſibi perſuadent meis præſidiis ſuſtineri. Nec ulli tamen odioſius blaterant, quam qui noſtra prorſus non legerunt. Ignoſcerem imperitiæ, ignoſcerem ignorantiæ, niſi id ipſum ingens eſſet ſcelus, re incomperta in famam alterius debacchari. Nec video qua fronte poſſint inſcitiam prætexere, qui ſe totius orbis magiſtros haberi volunt. De *Anglo* ſive *Scoto** non omnino vanum eſt quod narravit. Is eſt juvenis & ætate, & ſuopte ingenio gloriæ famelicus: ad eam parandam hæc via viſa eſt illi cum primis compendiaria. Quanquam autem ipſe ſibi ἀφθόνως nihil non tribuit, non tamen uſque adeo perfrictæ frontis eſt, ut dicat ſe melius ſcire *Græce*, quam *Eraſmum*. Jactat libellum, neſcio quem, at hujus nulli copiam facit, niſi quem cognorit nobis male velle. Quidvis ab illo citius impetrari poteſt, quam ut mihi faciat inſpiciundi copiam, in quem unum ſcriptus eſt. Adeo fidit ſuo libello, quem tamen nuſquam non jactat. Utcunque hæc habent, organum opportunum ſeſe præbuit Theologis quibuſdam, quibus jampridem male cogitantibus, nihil deerat præter occaſionem, juxta *Græcorum* proverbium. Imo ſunt qui negant hoc opus eſſe illius, ſed potius omnium ſycophantiarum centonem ac rhapſodiam: huic tamen corniculæ ceſſuram facti gloriam. Id mihi multis nominibus probabile videtur, quandoquidem paulo ante id factum conſpeximus in dialogo *Latomi*: titulus erat unius, conflatura omnium, aut certe multorum. *Anglum* jam pene placidum rurſus exaſperarat, quod in calce Apologiæ, qua *Latomo* reſpondeo, teſtatus ſim eſſe quendam ex fucis ac mendaciis conflatum, qui gloriæ fame inſanus, nihil in me non moliretur: nec ullam addo conjecturam, qua ſuſpicio poſſit in quenquam recidere. Nihil enim aliud agebam, quam ut eo ſchemate deterrerem multos ſibi male conſcios. At is poſt ſic agere cœpit, quaſi ejus elogii laudem cæteris invideret. Nondum homo prodiit in arenam, & amici cordatiores mihi ſunt auctores, ne digner illum unguibus meis, etiamſi prodierit: non enim defuturos, qui me quieſcente conficiant juvenem famæ jejunio præcipitem. Cæterum, quod Theologos aliquos habeam iniquiores, id ex falſiſſima natum eſt ſuſpicione. Perſuaſerant ſibi *Lutheri* doctrinam me propugnatore niti, cum nec hominem norim, nec libros illius unquam legerim. Intelligunt tandem errorem ſuum, ſed pudet agnoſcere, ideo placet illis conſtantia, ut nec in male cœptis velint παλινδρομεῖν· & tamen hujus veneni fons ex uno potiſſimum ſcatet: qui niſi deſtiterit, brevi omnibus omnium eruditorum literis celebrabitur, ac toto notus cantabitur orbe. Hactenus complurium cohibui calamum, vereor ut ſemper poſſim. Mihi plane peſtis quædam fatalis videtur, quæ contagio paulatim in plures ſpargitur. Itaque gemina lue laboramus, & animorum & corporum: & tamen reſipiſcunt aliquammulti, præſertim qui noſtris legendis attenderint: & ſpero fore ut tandem emicet ac vincat veritas, quæ ut ſæpenumero laborat, ita nunquam opprimitur. Me vero levius hæc movent, vel quod, ut olim *Balaam*, his monſtris aſſueverim: vel quod mihi bene conſcius ſim, ſperemque *Chriſto* meas vigilias probari, cui noſtrum utcunque deſudat ingenium: vel quod conſpiciam optimis quibuſque noſtrum placere ſtudium. Illud mihi moleſtum eſt, quod his ſycophantiis inficiuntur liberalia ſtudia, quodque nonnullam bonarum horarum partem cogar hujuſmodi næniis, vel audiendis, vel refellendis, impendere. Sæpe me pudet iſtorum nomine, qui cum ſemidei velint haberi apud vulgus, tumultuentur uſque adeo muliebriter, ne quid dicam acerbius. Meum quidem ingenium ab hoc genere contentionis, dici vix poſſit quam abhorreat: ſeduloque obnitor, ne verus ſit in me mimus ille, *Furor fit læſa ſæpius patientia.* Video quid mereatur illorum nimium pertinax malitia, ſed revocat *Chriſtiana* lenitas, revocat bonorum reſpectus, quos nolim attactos videri, dum improbos merito taxamus. Nam ut eſt multitudinis in malam partem prona interpretatio, periculum eſt, ne quod in paucos Theologos hoc titulo indignos dictum fuerit, in univerſum ordinem detorqueatur: & quod jure dictum fuerit in paucos prædicatores titulo, re ſycophantas, toti ordini conciliet odium, qui plurimos habet ab horum factis ac moribus longe diſcrepantes. Quod Theologi decreverint me profligare communi conſulto, falſo falſius eſt. Bene vale, vir optime, meque dominis meis, collegis tuis, commenda diligenter. *Lovanio* 1. Julii, Anno 1519. An. 1519.

* Is eſt Eduardus Leus, ad quem Epiſt. CCCCXLVI.

## EPISTOLA CCCCXLIII.

Laurentius Cardinalis Campegius reverendo Domino Deſid. Eraſmo Roterod. Theologo eruditiſſimo, tanquam fratri noſtro chariſſimo.

REVERENDE *ac doctiſſime vir, ſalutem, &c. Quum ſtudiorum tuorum ſuaviſſimus odor, quo* Italia *omnis ac Occidentalis hæc ſchola tota redolet, me quoque ſpiritus ſui attractu pridem affecerit, indieſque apud me augeſcat, ſummo laboravi deſiderio, virum, qui tantam ſpirat eruditionem & doctrinam, cognoſcendi: meaſque peregrinationes, & longos errores, quibus pluribus jam annis conficior, nihili habendas ducebam, ſeduloque accuſabam, quod tot tantiſque itineribus exhauſtis,* Eraſmum *nondum mihi cognitum viderem. Quod ut levius ferrem, poſtquam coram te frui non dabatur, illud enixe laboravi, quod plerique amatorum ſolent, quibus cum nulla eſt amicæ copia, in ejus imagine utcunque ſeſe oblectare geſtiunt. Itaque cum præſentia tua & colloquio, deſiderio meo facere non poſſem ſatis, tuam ſæpe atque avide perquiſivi effigiem, qua mihi primo in iis, quæ in* Hieronymum *ſcripſiſti, occurrit: dein in Apologia illa, qua tuam tutaris cauſam ſuper illo Pſalmi verſiculo,* Minuiſti eum paulo minus, *&c. Ultimo demum loco, in paraphraſtico ſermone tuo in Epiſtolis* Pauli, *quibus veluti per gradus ad tui agnitionem deductus, cum majori deſiderio inflammarer, utpote dimidiatam & non ex integro tui imaginem conſpicatus, ejus reliquum miro affectu concupiebam. Quum neſcio qua bona fortuna exactiſſima eruditionis litera abs te mihi deferuntur, qua eodem plane deſiderio me videndi te laborantem mihi dicerent: quod certe tanta accepi jucunditate, ut multo minoris ampliſſima Regum munera mihi habeantur. Nam mea ſtudia quibus a pueritia ad hoc uſque ætatis incubui, quanquam a tuis, hoc eſt, a ſacris Literis majori quam δὶς διὰ τεσσῶν intervallo diſtant: ita tamen tuis & hujus generis reliquis lucubrationibus favere, dulce & gratum adeo habuere, ut nihil a pancis annis citra habuerim, aut gratius, aut jucundius, aut potius quam aliqua in ſacris Literis vel audire, vel legere: loqui enim vel ſcribere tanquam novitius nequaquam auſim. Quo factum eſt dum tua vel quorundam antiquorum Theologorum ſcripta, veluti per officii mei rationem, ſitibundus aveo, & proſequor, tanto jucundiores tua mihi exſtiterint literæ, quanto præcipuis meis votis minus exſpectata advenere: quibus quod primam & alteram tuas in Inſtrumen-*

Digitized by Google

An. 1519. *mentum Novum editiones adjunxeris, reliquum profecto concupita imaginis tuæ mihi obtuliſſe videris, quo diutius & jucundius tui deſiderium, tecumque colloquendi ſuſtinere poſſim: quod proculdubio facturus es, quousque ſaltem hæ tuæ vigiliæ & labores inter manus meas erunt, erunt autem quoties à publicis laboribus ad privata hæc ſolatia ſubterfugere dabitur. Qui quidem quod eorum novitate quibuſdam ſtomachum moveant, hoc ventriculi eorum labor, non ingeſti vel apparati cibi noxia qualitas fecerit: quo minus eorum ingenia mirari aut ægre ferre debes, quo apertius tibi conſtat, ſaniſſima etiam laboranti ſtomacho inſuavia eſſe. Ego ab hujuſmodi offenſione tantum abſum, ut hoc ipſum Inſtrumentum tuum Novum, quod ad me miſiſti, propemodum ſim voraturus, neque enim minorem eruditione pietatem tuam cenſeo. Quamobrem quicquid calumniæ aliquorum inſania vel iniquitas impingere tibi ſtuduerit, dum quæ alii licentioſius ſcribunt, ad te referunt, nihil eſt quod cures. Satis enim in his, quæ publicato nomine tuo profiteris, ſpectata eſt tua probitas, qua tametſi eſt magna, ea tamen minime effugere poteſt, quæ illuſtria ſæpe ingenia non potuerunt, hoc eſt, perverſa hominum judicia, & malevolas detractiones. Et quod ad dialogum attinet, iſtud velim mihi nunc credas, me nunquam hoc de te dixiſſe aut affirmaſſe, aut dubium aliquibus reliquiſſe, te ejus fuiſſe auctorem: potui fortaſſis eam opinionem ſequutus, qua dicis quicquid libellorum prodit hoc temporis, quod ſalem aut aculeum aliquem habeat, tibi impingi, id intra me cogitaſſe, ſed humanas cogitationes quis videt? aut cenſuram in eis exercet? niſi qui cuncta videt, & veluti ab ipſo lapſa arguit. Quare iſtud pro conſtanti tibi habe, me eum non eſſe, qui de te, aut quovis alio male ſentire, multoque minus dicere velim: quin ſtudioſis omnibus, tibique præcipue, omnem operam meam adeo ſincere & jucunde exhibeo, ut eorum ingenia & nomen pro viribus ſemper provehere nitar: quod ſedulo in gloriam tuam, & doctrinæ tuæ illuſtrationem facio, itemque facturus ſum. Quamobrem poſthac me tui amantiſſimum habebis, & literarum officio hoc mutuo junctum, atque eruditionis tuæ apprime ſtudioſum: quumque evenerit ut in rem dignitatemque tuam aliquid efficere poſſim, ſponte & ultro non committam, ut ullum à me officii genus deſideretur. Quum vero pro enata occaſione me monueris, omnium ſtudia & diligentiam in te ornando & juvando ſuperabo, maximaque mea erga te benevolentia acceſſerit charis & ſuavitas, ſi quoad hic fuero, quod diutius eſſe non poteſt, me aliquando literarum tuarum lepiditate delectaveris. Cæterum, aliquas gratias pro miſſo mihi munere tibi agere omnino ſupervacaneum arbitror, cum hujuſmodi gratiſſimis officiis tuis nullus verborum apparatus recte reſpondeat: animum itaque meum pro verbis & gratiis tibi addictiſſimum ſuſcipies, unaque pignoris loco Adamanta anulo incluſum, his literis inſertum, quem mei mnemoſynon tenebis. Nuncio vero, qui librum ad me detulit, nummos decem aureos pro viatico dedi, & bene vale. Ex* Londino 4. *Julii, Anno* 1519.

## EPISTOLA CCCCXLIV.

*Eraſmus Roterod. Collegio Canonicorum Metenſium* S.

ORNATISSIMI Patres ac Domini, ut quiſque venatur quod amat, nonnullorum prædicatione didici apud vos eſſe bibliothecam non vulgaribus, ſed eximiis ac venerandæ vetuſtatis codicibus differtam. Et quoniam ex Euangelica lege jubemur ſuum quiſque talentum ſic in uſum publicum conferre, ut uſuram approbet, qui ſortem credidit, ego ſtudium meum ad hoc appuli, ut vetuſtiſſimos auctores aut in lucem eruam, & à blattis tineiſque vindicem, aut depravatos emendem. Etenim ut gravis eſt jactura nobis interire, quod tantis vigiliis ſummi viri prodiderunt: ita non exſtare videtur, quod exſtat, ſic mendis undique conſpurcatum, ut nec legi poſſit, nec intelligi. Nec dubito quin veſtra quoque pietas publicæ faveat utilitati, nihilque minus probet, quam canem illum præſepi incubantem, de quo eſt in *Græcorum* proverbiis, præſertim cum ita liceat iſtam utilitatem aliis communem facere, ut vobis nihil deteratur. Proinde vos oro ne gravemini bibliothecæ veſtræ indicem ad nos mittere, potiſſimum eos libros recenſentem, qui vulgo non habentur, aut habentur depravati, id quod uſu venit in omnibus prope vetuſtioribus. Ex eo deligam, quos exiſtimem maxime profuturos. Hac in re ſi noſtros conatus veſtra pietas adjuvabit, primum rem faciet *Chriſto* gratiſſimam, deinde ſplendidiſſimo collegio veſtro cum primis glorioſam. Neque enim committemus, ut veſtrum officium ignoret poſteritas. Incolumes ſervet vos omnes *Chriſtus* Opt. Max. domini in *Chriſto* plurimum obſervandi. *Lovanio* 14. Julii, Anno 1519. An. 1519.

## EPISTOLA CCCCXLV.

*Laurentio Campegio Card. Eraſmus Rot.* S. D.

REVERENDISSIME Domine, quid poſthac non libeat audere, poſteaquam hæc temeritas mihi tam feliciter cecidit? Ego id modo ambiebam, ut Operi meo, ob novitatem apud quoſdam invidioſo, ſi contingeret ſic in tuam bibliothecam reponi, quemadmodum olim libri, qui poſteritatis memoriam promereri viderentur, in *Apollinis* templo collocabantur, dignitatis nonnihil accederet: ſic enim futurum, ut eruditiſſimi Cardinales, P. maximi *Leonis* oraculo ſubſcribere viderentur. Neque enim ulla cedrus fidelius ſervat à carie temporumque injuria ſtudioſorum hominum monumenta, quam talium procerum auctoritas. Nam illud ſane leviter metuebam, ne quid apud prudentiſſimam eruditionem tuam, & eruditiſſimam prudentiam valerent impudentiſſimæ quorundam ſycophantiæ, quas rident atque exſibilant, ſi qui ſunt ex media plebe paulo cordatiores. Hoc igitur quum agerem tantum, ecce quam ingens lucrum præter ſpem obtigit, quam ingentem prædam hæc attraxere retia. Primum, tam inſignem heroa, & eccleſiæ *Chriſtianæ* columen, plenius noſſe contigit: deinde, tam eximium patronum, atque etiam, ſi fas eſt uſurpare quod offers, amicum mihi paravi. Utcunque tui ſimulacrum mihi publica fama delinearat, verum, effigiem animi tui longe plenius expreſſit *Ricardi Pacæi*, qui ſereniſſimo Regi primus eſt à ſecretis, oratio. Nam is ut egregias tuas dotes propius inſpexit, ita non vulgaris eſt pingendi artifex, homo nimirum non minus facundus, quam eruditus. Verum, epiſtola tua ita te totum mihi repræſentavit, ut mihi viderer antehac tenuem modo umbram excellentiæ tuæ noviſſe. Magnum quendam & eximium virum ille deſcripſerat: ſed immane, quanto majorem te tuæ literæ declarant: præter eruditionem Pontificio Legato dignam, præter humanitatem eruditione ſumma dignam, raram etiam vitæ integritatem, ſacrarum etiam Literarum amorem ac ſtudium ſpirantes. Nam illud immodicæ cujuſdam benignitatis fuit, quod eum, qui libros advexit, tot aureis oneraris, videlicet ut largius etiam potitaret addictiſſimus *Bacchi* myſtes, quum ego hominem juſto viatico inſtruxiſſem. Cæterum anulus, quem digitis tuis detractum, ceu ſacrum quoddam amicitiæ noſtræ μνημόσυνον, imo ſi tuis verbis utendum eſt, fraternæ charitatis pignus ad me miſiſti, adeo gratus eſt animo meo, ut recuſaturus ſim unum illum vel cum univerſis *Attali* gazis commutare. Igneus auri fulgor, mihi tuæ ſapientiæ prorſus Cardinalitiæ ſymbolum ſemper erit, & Adamantis gratiſſima lux, nunquam antiquandam nominis tui gloriam repræſentabit. Denique ſi mihi poſſet unquam talis patroni oblivio obrepere, ſuffricabit memoriam, quidque *Campegio* debeam commonefaciet. De noſtro ingenio vere *Batavo*, deque ſtudiis noſtris non fuit ingratum quod tam erras amanter. Siquidem hic eſt oculus ille Euangelicus, puri



Digitized by Google

An. 1519. candidique pectoris, alienas dotes ex sese metiens: cum oculo pravo vitiatoque mala sint etiam quæ sunt optima. Nihil igitur, inquies, profecit mea laudatio? profecit nonnihil, certe stimulos addidit, ut posthac alacrius enitar fieri, quod me prædicas esse. Nec enim arbitror ullam ætatem seram ad id, ut quis seipso melior evadat. Quod provehendis egregiis ingeniis favorem propensum tam benigne polliceris, omnium nomine gratias ago, efficiamque pro virili, ut intelligant sese tuæ celsitudini debere. Porro quod in ornando juvandoque *Erasmo* negas te commissurum, ut aliorum quisquam tibi par esse videatur: nimirum exosculor istum animum tuum, meque cum primis felicem hoc nomine judico. Hæc tumultuanter effutivi verius quam scripsi, ne, quando significas tibi celeriter istinc abeundum, meæ literæ tuam amplitudinem non offenderent. Non ero contentus hoc argumento tuam in me benignitatem & meum in te animum declarasse: quod brevi, uti spero, uberiore magisque vivaci monumento docebimus. Bene valeat tua sublimitas, cui *Erasmum*, quantus est, mancipo, dicoque. *Lovanio* 14. Julii, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCXLVI.

*Erasmus Roterod. Eduardo Leo* S. D.

QVOD à me dissentis alicubi, non admodum ægre fero, semper hoc licuit inter eruditos, incolumi amicitia. Quod istis rationibus rem tractas, demirabor si quisquam vir gravis probet, quando nec ipse probat *Joannes Briareus Atensis*, tui, ut par est, amantissimus. In tot millibus annotationum, in tanta sententiarum & ingeniorum varietate, quid novum aut mirum, sicubi vidisses, quod me fefellisset? aut tibi minus placeret, quod mihi non displicuisset? Quis autem probaturus est, quod subito ex amico factus hostis, in absentem scripseris, cum nec ulla lacessitus esses injuria, nec unquam expostulasses cum præsente? quod in veterem editionem scripseris, cum scires adornare me novam? quod Opus tuum per omnia monasteria sparseris, præsertim ubi scires esse qui mihi parum bene vellent? quod iis modo communicaris, quos noveras iniquiores *Erasmo*? quod nunquam provocari potueris, nec *Atensis* auctoritate, ut mihi voluminis tui faceres copiam, imo ne ad hoc quidem, ut voce vel unum proferres locum, quem reprehendisses? quod virulentis conviciis, imo mendaciis, Opus passim adsperseris, (id enim affimant qui viderunt, neque reclamant paginæ quas intercepi) quod nusquam non prædicas ac jactitas sexcenta loca abs te reprehensa, nec unius interim facis copiam? Quæso te, unde istud exemplum vel gravitatis vel animi *Christiani*? Si prodesse vis omnibus, cur non edis? Si me docere vis, cur solus non impetro ut legam? Si tibi scripsisti, cur tam late volitat liber? Si diffidis Operi tuo, cur sic ubique jactas? Si fidis, cur tam anxius es, ne quis legat, nisi qui mihi parum sit æquus? Ita dum me traducis apud eos, qui tibi jurati, mihi male cupiunt: nec me reddis meliorem, & illos inficis. Quid quod interim nec tuæ gloriæ, quam hoc tumultu venaris, satis recte consulis? Si statim edidisses Opus tuum, omnes admirati fuissent prodigiosam ingenii tui felicitatem, qui pauculis mensibus tantum *Græcitatis* & *Hebraismi* devoraris, ut tuo judicio nihil sapiat in *Græcis Erasmus*, in *Hebraicis Hieronymus*, si tamen hæc est illius translatio: nam id honoris gratia soles addere, ne parum videare tribuere *Hieronymo*. Imo ajunt, te mox triduo posteaquam *Hebraissare* cœperas, multa damnasse in *Capnione*, nonnulla etiam in *Capitone*. Et fieri poterat, ut summus Pontifex admiratus istud ingenium pene divinum, tibi tradita virgula, totius orbis censuram fuerit mandaturus: nec jam ullus liber aut ederetur, aut legeretur, nisi *Lei* suffragio probatus, nimirum totius rei literariæ *Aristarchi*. Nunc plerique dictitant, te hoc consilio premere præclaras istas annotationes, ut me fatis functo, tum demum edas, ἐρήμῃ victurus, id est, ingloriam victoriam reportaturus, cum nemo sit qui contra certet. Alii prædicant interim undique captare te, quid quisque calumnietur, nec tuum Opus aliud futurum, quam alienarum sycophantiarum rhapsodiam, in qua minima portio sit tui *Martis*. Ita periculum est, ne fiat, ut cum tibi speraris opimam laudem, minus ex tuo libro referas gloriæ, quam *Latomus* retulit ex suo illo frigido dialogo, in quo ferunt totam Theologorum cohortem desudasse. Nec dubito quin tibi valde nunc arrideant quæ scribis, sed cave putes itidem omnibus arrisura, cum claræ luci sese commiserint. Quod juvenis gloriæ fame stimularis, ignoscendum arbitror: at quod ista via grassaris ad gloriam, qui non solum Theologus ac vir bonus, verum etiam sanctulus haberi vis, nulla non improbabit posteritas, etiamsi non desunt fortasse, qui nunc applaudant. Atque hanc fabulam jam ferme biennium agis, & adeo dulcescit actio, ut immoriturus videaris. Nec tamen ob ista facta adeo tibi sum infensus, ut cupiam quenquam tibi vel pilo minus amicum esse mea causa, tantum abest ut gravius aliquod malum optem accidere. Sed res nusquam gentium non sparsa est: sic enim undique volitant emissarii istorum, qui novo exemplo simul & mendici sunt & tyranni, ut dictu sit incredibile. Nec ulla est natio, in qua meæ lucubrationes non aliquot amiculos mihi conciliarint; at in *Germania* complures sunt, qui mihi impensius student etiam quam velim. Nec ignoras hujus gentis animos, ingeniique violentiam. Nondum enim prorsus exsuerunt nativam illam ferocitatem, quamvis assidue miteſcant humanis literis. Vides quibus libellis confodiant eos, à quibus sunt lacessiti. Equidem multorum stylum partim oratione, partim epistolis cohibui, cohibiturus etiam quantum erit in me. Sed audio quosdam his atrociora minari, quod genus si quid accideret, (id quod Deus avertat) nec ego possem tuo mederi malo, & ut est nunc prona hominum suspicio, invidia facti in meum quoque caput recideret. Ita ex tuo malo mihi duplex incommodum nasceretur; primum, ipse dolerem mea causa læsum esse, cui nihil tale velim accidere; deinde, non deerunt, qui suspicentur me connivente factum. Jam, ut spero, nihil hujusmodi futurum, ita contra metuo, ne quid accidat. Si nihil est periculi, amice timui; sin est, amicius præmonui, quo possis, si videretur, aliquo consilio occurrere, quod tuæ prudentiæ videbitur esse commodissimum. Bene vale. *Lovanio* 15. Julii, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCXLVII.

*Erasmus Roterod. Ulrico Hutteno* S. D.

QVOD *Thomæ Mori* ingenium sic deamas, ac pene dixerim deperis, nimirum scriptis illius inflammatus, quibus, ut vere scribis, nihil esse potest neque doctius, neque festivius, istuc, mihi crede, clarissime *Huttene*, tibi cum multis commune est, cum *Moro* mutuum etiam. Nam is vicissim adeo scriptorum tuorum genio delectatur, ut ipse tibi propemodum invideam. Hæc videlicet est illa *Platonis* omnium maxime amabilis sapientia, quæ longe flagrantiores amores excitat inter mortales, quam ullæ quamlibet admirabiles corporum formæ. Non cernitur illa quidem oculis corporeis, sed & animo sui sunt oculi, ut hic quoque verum comperiatur illud *Græcorum*, ἐκ τῆ ὄψεν γίνεται ἀνθρώποις ἔρως, per hos fit aliquoties, ut ardentissima charitate conglutinentur, inter quos nec colloquium, nec mutuus conspectus interceſſit. Et quemadmodum vulgo fit, ut incertis de causis alia forma alios rapiat: ita videtur & ingeniorum esse tacita quædam cognatio, quæ facit ut certis ingeniis impense delectemur, cæteris non item. Cæterum, quod à me flagitas, ut tibi totum *Morum* velut in tabula depingam, utinam tam absolute præstare queam, quam tu vehementer cu-

Digitized by Google

An. 1519. cupis. Nam mihi quoque non injucundum fuerit, interim in amici multo omnium suaviſſimi contemplatione verſari. Sed primum ὁ παντὸς ἀνδρός ἐστιν omnes *Mori* dotes perſpexiſſe. Deinde haud ſcio an ille laturus ſit, à quolibet artifice depingi ſeſe. Nec enim arbitror levioris eſſe operæ *Morum* effingere, quam *Alexandrum* magnum, aut *Achillem*, nec illi quam hic noſter immortalitate digniores erant. Tale argumentum prorſus *Apellis* cujuſpiam manum deſiderat: at vereor, ne ipſe *Fulvii Rutubæque* ſimilior ſim quam *Apellis*. Experiar tamen tibi totius hominis ſimulacrum delineare verius quam exprimere, quantum ex diutina domeſticaque conſuetudine vel animadvertere licuit, vel meminiſſe. Quod ſi quando fiet, ut vos aliqua legatio committat, tum demum intelliges, quam non probum artificem ad hoc negotii delegeris, vereorque plane, ne me aut invidentiæ incuſes, aut cæcutientiæ, qui ex tam multis bonis tam pauca vel viderim lippus, vel commemorare voluerim invidus. Atque ut ab ea parte exordiar, qua tibi *Morus* eſt ignotiſſimus, ſtatura modoque corporis eſt infra proceritatem, ſupra tamen notabilem humilitatem. Verum, omnium membrorum tanta eſt ſymmetria, ut nihil hic omnino deſideres, cute corporis candida, facies magis ad candorem vergi, quam ad pallorem, quanquam à rubore procul abeſt, niſi quod tenuis admodum ruborubique ſublucet, capilli ſubnigro flavore, ſive mavis, ſufflavo nigrore, barba rarior, oculi ſubcæſii, maculis quibuſdam interſperſi, quæ ſpecies ingenium arguere ſolet feliciſſimum, apud *Britannos* etiam amabilis habetur, cum noſtri nigrore magis capiantur. Negant ullum oculorum genus minus infeſtari vitiis. Vultus ingenio reſpondet, gratam & amicam feſtivitatem ſemper præ ſe ferens, ac nonnihil ad ridentis habitum compoſitus. Atque ut ingenue dicam, appoſitior ad jucunditatem, quam ad gravitatem aut dignitatem, etiamſi longiſſime abeſt ab ineptia ſcurrilitateque: Dexter humerus paulo videtur eminentior lævo, præſertim cum incedit, id quod illi non accidit natura, ſed aſſuetudine, qualia permulta nobis ſolent adhærere. In reliquo corpore nihil eſt quod offendat, manus tantum ſubruſticæ ſunt: ita duntaxat, ſi ad reliquam corporis ſpeciem conferantur. Ipſe omnium quæ ad corporis cultum attinent ſemper à puero negligentiſſimus fuit, adeo ut nec illa magnopere curare ſit ſolitus, quæ ſola viris eſſe curanda docet *Ovidius*. Formæ venuſtas quæ fuerit adoleſcenti, nunc etiam licet ἐκ τῆς καλάμης conjicere: quanquam ipſe novi hominem, non majorem annis viginti tribus, nam nunc non multum exceſſit quadrageſimum. Valetudo proſpera magis quam robuſta, ſed tamen quæ quantislibet laboribus ſufficiat, honeſto cive dignis, nullis aut certe pauciſſimis morbis obnoxia: ſpes eſt vivacem fore, quando patrem habet admodum natu grandem, ſed mire virenti vegetaque ſenectute. Neminem adhuc vidi minus moroſum in delectu ciborum. Ad juvenilem uſque ætatem aquæ potu delectatus eſt, id illi patrium fuit. Verum, hac in re ne cui moleſtus eſſet, fallebat convivas è ſtanneo poculo cerviſiam bibens, eamque aquæ proximam, frequenter aquam meram. Vinum, quoniam illic mos eſt ad idem poculum viciſſim invitare ſeſe, ſummo ore nonnunquam libabat, ne prorſus abhorrere videretur, ſimul ut ipſe communibus rebus aſſueſceret. Carnibus bubulis, ſalſamentis, pane ſecundario ac vehementer fermentato libentius veſcebatur, quam his cibis, quos vulgus habet in deliciis. Alioqui neutiquam abhorrens ab omnibus quæ volut atem innoxiam adferunt etiam corpori. Lactariorum, & eorum fœtuum, qui naſcuntur in arboribus, ſemper fuit appetentior: eſum ovorum in deliciis habet. Vox neque grandis eſt, nec admodum exilis, ſed quæ facile penetret aures, nihil habens canorum, ac molle, ſed plane loquentis eſt: nam ad Muſicam vocalem à natura non videtur eſſe compoſitus, etiamſi delectatur omni Muſices genere. Lingua mire explanata articulataque, nihil habens nec præceps, An. 1519. nec hæſitans. Cultu ſimplici delectatur, nec ſericis, purpuravе, aut catenis aureis utitur, niſi cum integrum non eſt ponere. Dictu mirum, quam negligens ſit ceremoniarum, quibus hominum vulgus æſtimat morum civilitatem: has ut à nemine exigit, ita aliis non anxie præſtat nec in congreſſibus, nec in conviviis, licet harum non ſit ignarus, ſi lubeat uti. Sed muliebre putat, viroque indignum, ejuſmodi ineptiis bonam temporis partem abſumere. Ab aula Principumque familiaritate olim fuit alienior, quod illi ſemper peculiariter inviſa fuerit tyrannis, quemadmodum æqualitas gratiſſima. Vix autem reperias ullam aulam tam modeſtam, quæ non multum habeat ſtrepitus, atque ambitionis, multum fuci, multum luxus, quæque prorſus abſit ab omni ſpecie tyrannidis. Quin nec in *Henrici* octavi aulam pertrahi potuit, niſi multo negotio, cum hoc Principe nec optari quicquam poſſit civilius ac modeſtius. Natura libertatis atque ocii eſt avidior, ſed quemadmodum ocio cum datur lubens utitur; ita quoties poſcit res, nemo vigilantior aut patientior. Ad amicitiam natus factuſque videtur, cujus & ſinceriſſimus eſt cultor, & longe tenaciſſimus eſt. Nec ille metuit πολυφιλίαν ab *Heſiodo* parum laudatam. Nulli non patet ad neceſſitudinis fœdus. Nequaquam moroſus in deligendo, commodiſſimus in alendo, conſtantiſſimus in retinendo. Si foris incidit in quempiam, cujus vitiis mederi non poſſit, hunc per occaſionem dimittit, diſſuens amicitiam, non abrumpens. Quos ſinceros reperit, & ad ingenium ſuum appoſitos, horum conſuetudine fabuliſque ſic delectatur, ut in his rebus præcipuam vitæ voluptatem ponere videatur. Nam à pila, alea, chartis, cæteriſque luſibus, quibus vulgus procerum temporis tædium ſolet fallere, prorſus abhorret. Porro ut propriarum rerum eſt negligentior, ita nemo diligentior in curandis amicorum negotiis. Quid multis? Si quis abſolutum veræ amicitiæ requirat exemplar, à nemine rectius petierit, quam à *Moro*. In convictu tam rara comitas, ac morum ſuavitas, ut nemo tam triſti ſit ingenio, quem non exhilaret: nulla res tam atrox, cujus tædium non diſcutiat. Jam inde à puero ſic jocis eſt delectatus, ut ad hos natus videri poſſit, ſed in his nec ad ſcurrilitatem uſque progreſſus eſt, nec mordacitatem unquam amavit. Adoleſcens comœdiolas & ſcripſit, & egit. Si quod dictum eſſet ſalſius etiam in ipſum tortum, tamen amabat, uſque adeo gaudet ſalibus argutis, & ingenium redolentibus, unde & epigrammatis luſit juvenis, & *Luciano* cum primis eſt delectatus, quin & mihi ut *Morias encomium* ſcriberem, hoc eſt, ut camelus ſaltarem, fuit auctor. Nihil autem in rebus humanis obvium eſt, unde ille non venetur voluptatem, etiam in rebus maxime ſeriis. Si cum eruditis & cordatis res eſt, delectatur ingenio: ſi cum indoctis ac ſtultis, fruitur illorum ſtultitia Nec offenditur morionibus, mira dexteritate ad omnium affectus ſeſe accommodans. Cum mulieribus fere, atque etiam cum uxore, non niſi luſus, jocoſque tractat. Diceres alterum quendam eſſe *Democritum*, aut potius *Pythagoricum* illum Philoſophum, qui vacuus animo per mercatum obambulans, contemplatur tumultus vendentium atque ementium. Nemo minus ducitur vulgi judicio, ſed rurſus nemo minus abeſt à ſenſu communi. Præcipua illi voluptas eſt ſpectare formas, ingenia & affectus diverſorum animantium. Proinde nullum fere genus eſt avium, quod domi non alat, ſi quod aliud animal vulgo rarum, veluti ſimia, vulpes, viverra, muſtela, & his conſimilia. Ad hæc ſi quid exoticum, aut alioqui ſpectandum occurrat, aviditſime mercari ſolet, atque his rebus undique domum habet inſtructam, ut nuſquam non ſit obvium, quod oculos ingredientium demoretur: ac toties ſibi renovat voluptatem, quoties alios conſpicit oblectari. Cum ætas ferret, non abhorruit à puellarum amoribus, ſed citra infamiam, & ſic ut oblatis magis frueretur, quam captatis,



Digitized by Google

An. 1519. tis; & animo mutuo caperetur potius, quam coitu. Bonas literas à primis ſtatim annis hauſerat. Juvenis ad *Græcas* literas ac philoſophiæ ſtudium ſeſe applicuit, adeo non opitulante patre viro alioqui prudenti, proboque, ut ea conantem omni ſubſidio deſtitueret: ac pene pro abdicato haberet, quod à patriis ſtudiis deſciſcere videretur, nam is *Britannicarum* legum peritiam profitetur. Quæ profeſſio, ut eſt à veris literis alieniſſima: ita apud *Britannos* cum primis habentur magni, clarique, qui in hoc genere ſibi pararunt auctoritatem, nec temere apud illos alia via ad rem ac gloriam parandam magis idonea. Siquidem pleranque nobilitatem illius inſulæ peperit hoc ſtudiorum genus. In eo negant quenquam abſolvi poſſe, niſi plurimos annos inſudarit. Ab hoc igitur cum non injuria abhorreret adoleſcentis ingenium, melioribus rebus natum, tamen poſt deguſtatas ſcholaſticas diſciplinas, ſic in hoc verſatus eſt, ut neque conſulerent quenquam libentius litigatores, neque quæſtum uberiorem faceret quiſquam eorum, qui nihil aliud agebant. Tanta erat vis ac celeritas ingenii. Quin & evolvendis orthodoxorum voluminibus non ſegnem operam impendit: *Auguſtini* libros *De civitate Dei* publice profeſſus eſt adhuc pene adoleſcens auditorio frequenti, nec puduit, nec pœnituit ſacerdotes ac ſenes à juvene profano ſacra diſcere. Interim & ad pietatis ſtudium totum animum appulit, vigiliis, jejuniis, precationibus, aliiſque conſimilibus progymnaſmatis ſacerdotium meditans. Qua quidem in re non paulo plus ille ſapiebat, quam plerique iſti, qui temere ad tam arduam profeſſionem ingerunt ſeſe, nullo prius ſui periculo facto. Neque quicquam obſtabat quo minus ſeſe huic vitæ generi addiceret, niſi quod uxoris deſiderium non poſſet excutere. Maluit igitur maritus eſſe caſtus quam ſacerdos impurus. Tamen virginem duxit admodum puellam, claro genere natam, rudem adhuc, utpote ruri inter parentes ac ſorores ſemper habitam, quo magis illi liceret illam ad ſuos mores fingere. Hanc & literis inſtruendam curavit, & omni Muſices genere doctam reddidit, planeque talem pene finxerat, qui cum libuiſſet univerſam ætatem exigere, ni mors prærematura puellam ſuſtuliſſet è medio, ſed enixam liberos aliquot, quorum adhuc ſuperſunt puellæ tres, *Margareta*, *Aloyſia*, *Cecilia*, puer unus *Joannes*. Neque diu celebs vivere ſuſtinuit, licet alio vocantibus amicorum conſiliis; paucis menſibus à funere uxoris viduam duxit magis curandæ familiæ, quam voluptati, quippe nec bellam admodum, nec puellam, ut ipſe jocari ſolet, ſed acrem ac vigilantem matremfamilias, qui cum tamen perinde comiter ſuaviterque vivit, ac ſi puella foret forma quantumlibet amabili. Vix ullus maritus à ſua tantum obſequii impetrat imperio atque ſeveritudine, quantum hic blanditiis jociſque. Quid enim non impetret, poſteaquam effecit, ut mulier jam ad ſenium vergens, ad hoc animi minime mollis, poſtremo ad rem attentiſſima, cithara, teſtudine, monochordo, tibiis canere diſceret, & in hiſce rebus quotidie præſcriptum operæ penſum exigenti marito redderet? Conſimili comitate totam familiam moderatur, in qua nulla tragœdia, nulla rixa. Si quid exſtiterit, protinus aut medetur, aut componit. Neque quenquam unquam dimiſit ut inimicum, aut ut inimicus. Quin hujus domus fatalis quædam videtur felicitas, in qua nemo vixit, qui non provectus ſit ad meliorem fortunam, nullus unquam ullam famæ labem contraxit. Quin vix ullos reperias, quibus ſic convenerit cum matre, ut huic cum noverca, nam pater jam alteram induxerat, utramque non minus adamavit, ac matrem. Nuper induxit tertiam, hac *Morus* ſancte dejerat ſe nihil unquam vidiſſe melius. Porro erga parentes ac liberos, ſororeſque, ſic affectus eſt, ut nec amet moleſte, nec unquam deſit officio pietatis. Animus eſt à ſordido lucro alieniſſimus. Liberis ſuis ſemovit è facultatibus, quod illis ſatis eſſe putat, quod ſupereſt largiter effundit. Cum advocationibus adhuc aleretur, nulli non dedit amicum verumque conſilium, magis illorum commodis proſpiciens quam ſuis: pleriſque ſolitus perſuadere, uti litem componerent, minus enim hic fore diſpendii. Id ſi minus impetrabat, tum rationem indicabat, qua poſſent quam minimo diſpendio litigare, quando quibuſdam hic animus eſt, ut litibus etiam delectentur. In urbe *Londinienſi*, in qua natus eſt, annos aliquot judicem egit in cauſis civilibus, id munus ut minimum habet oneris, (nam non ſedetur niſi die *Jovis* uſque ad prandium) ita cum primis honorificum habetur. Nemo plures cauſas abſolvit, nemo ſe geſſit integrius, remiſſa pleriſque pecunia, quam ex præſcripto debent, qui litigant. Siquidem ante litis conteſtationem actor deponit tres drachmas, totidem reus, nec amplius quicquam fas eſt exigere. His moribus effecit, ut civitati ſuæ longe chariſſimus eſſet. Decreverat autem hac fortuna eſſe contentus, quæ & ſatis haberet auctoritatis, nec tamen eſſet gravibus obnoxia periculis. Semel atque iterum extruſus eſt in legationem, in qua cum ſe cordatiſſime geſſiſſet, non conquievit ſereniſſims Rex *Henricus*, ejus nominis octavus, donec hominem in aulam ſuam pertraheret. Cur enim non dicam pertraheret? Nullus unquam vehementius ambiit in aulam admitti, quam hic ſtuduit effugere. Verum, cum eſſet optimo Regi in animo, familiam ſuam eruditis, gravibus, cordatis, & integris viris differtam reddere, cum alios permultos, tum *Morum* in primis accivit, quem ſic in intimis habet, ut à ſe nunquam patiatur diſcedere. Sive ſeriis utendum eſt, nihil illo conſultius, ſive viſum eſt Regi fabulis amœnioribus laxare animum, nullus comes feſtivior. Sæpe res arduæ judicem gravem & cordatum poſtulant, has ſic *Morus* diſcutit, ut utraque pars habeat gratiam. Nec tamen ab eo quiſquam impetravit, ut munus à quoquam acciperet. Felices res publicas, ſi *Mori* ſimiles magiſtratus ubique præficeret Princeps. Nec interim ullum acceſſit ſupercilium. Inter tantas negotiorum moles & veterum amiculorum meminit, & ad literas adamatas ſubinde redit. Quicquid dignitate valet, quicquid apud ampliſſimum Regem gratia pollet, id omne juvandæ Reipub. juvandis amicis impendit. Semper quidem adfuit animus de cunctis bene merendi cupidiſſimus, mireque pronus ad miſericordiam: eum nunc magis exſerit, quando poteſt plus prodeſſe. Alios pecunia ſublevat, alios auctoritate tuetur, alios commendatione provehit: quos alioqui juvare non poteſt, his conſilio ſuccurrit: nullum unquam à ſe triſtem dimiſit. Diceres, *Morum* eſſe publicum omnium inopum patronum. Ingens lucrum ſibi putat acceſſiſſe, ſi quem oppreſſum ſublevavit, ſi perplexum & impeditum explicuit, ſi alienatum redegit in gratiam. Nemo lubentius collocat beneficium, nemo minus exprobrat. Jam cum tot nominibus ſit feliciſſimus, & felicitatis comes fere ſoleat eſſe jactantia, nullum adhuc mortalium mihi videre contigit, qui longius abeſſet ab hoc vitio. Sed ad ſtudiorum commemorationem redeo, quæ me *Moro*, mihique *Morum* potiſſimum conciliarunt. Primam ætatem carmine potiſſimum exercuit, mox diu luctatus eſt, ut proſam orationem redderet molliorem, per omne ſcripti genus ſtylum exercens, qui cujuſmodi ſit, quid attinet commemorare? tibi præſertim qui libros ejus ſemper habeas in manibus. Declamationibus præcipue delectatus eſt, & in his materiis *adoxis*, quod in his acrior ſit ingeniorum exercitatio. Unde adoleſcens etiamnum dialogum moliebatur, in quo *Platonis* communitatem ad uxores uſque defendit. *Luciani Tyrannicida* reſpondit, quo in argumento me voluit antagoniſtam habere: quo certius periculum faceret, ecquid profeciſſet in hoc genere. *Utopiam* hoc conſilio edidit, ut indicaret quibus rebus fiat, ut minus commode habeant Reſpublicæ, ſed *Britannicam* potiſſimum effinxit, quam habet penitus perſpectam, cognitamque. Secundum librum prius ſcripſerat per ocium, mox per occaſionem primum adjecit ex tempore.

Digitized by Google

An. 1519. re. Atque hinc nonnulla dictionis inæqualitas. Vix alium reperias, qui felicius dicat ex tempore, adeo felici ingenio felix lingua subservit. Ingenium præsens, & ubique prævolans, memoria parata, quæ cum omnia habeat velut in numerato, prompte & incunctanter suggerit quicquid tempus aut res postulat. In disputationibus nihil fingi potest acutius, adeo ut summis etiam Theologis sæpe negotium facessat, in ipsorum arena versans. *Joannes Coletus*, vir acris, exactique judicii, in familiaribus colloquiis subinde dicere solet, *Britannia non nisi unicum esse ingenium*; cum hæc insula tot egregiis ingeniis floreat. Veræ pietatis non indiligens cultor est, etiamsi ab omni superstitione alieniſſimus. Habet suas horas, quibus Deo litet precibus, non ex more, sed è pectore depromptis. Cum amicis sic fabulatur de vita futuri seculi, ut agnoscas illum ex animo loqui, neque sine optima spe. Ac talis *Morus* est etiam in aula. Et postea sunt, qui putent *Christianos* non inveniri, nisi in monasteriis. Tales viros cordatissimus Rex in familiam suam, atque adeo in cubiculum non solum admittit, verum etiam invitat, nec invitat modo, verum etiam pertrahit. Hos habet arbitros ac testes perpetuos vitæ suæ, hos habet in consiliis, hos habet itinerum comites. Ab his stipari gaudet, potius quam luxu perditis juvenibus, aut mulierculis, aut etiam torquatis *Midis*, aut insinceris officiis, quorum alius ad voluptates ineptas avocet, alius ad tyrannidem inflammet, alius ad expilandum populum novas technas suggerat. In hac aula si vixisses, *Huttene*, sat scio, rursum aliam aulam describeres, & *misaulos* esse desineres, quanquam tu quoque cum eo Principe vivis, ut integriorem nec optare possis. Neque desunt qui rebus optimis faveant, veluti *Stromerus* ac *Coppus*. Sed quid ista paucitas ad tantum examen insignium virorum, *Montjoii*, *Linacri*, *Pacai*, *Coleti*, *Stocschleii*, *Latimeri*, *Mori*, *Tonstalli*, *Clerici*, atque aliorum his adsimilium? quorum quencumque nominaris, mundum omnium virtutum ac disciplinarum semel dixeris. Mihi vero spes est haudquaquam vulgaris, fore, ut *Albertus*, unicum his temporibus nostræ *Germaniæ* ornamentum, & plures sui similes in suam allegat familiam, & cæteris Principibus gravi sit exemplo, ut idem & ipsi suæ quisque domi facere studeant. Habes imaginem ad optimum exemplar à pessimo artifice non optime delineatam. Ea tibi minus placebit, si continget *Morum* nosse propius. Sed illud tamen interim cavi, ne mihi possis impingere, quod tibi minus paruerim, neve semper opprobres nimium breves epistolas. Etiamsi hæc nec mihi scribenti visa est longior, nec tibi legenti, sat scio, prolixa videbitur: id faciet *Mori* nostri suavitas. Verum, ne nihil ad postremam tuam epistolam respondeam, quam prius excusam legi quam scriptam, Clarissimi Principis *Alberti* humanitatem ex ipsius etiam ad me literis intellexi. Sed quî, quæso, factum, ut patera prius ad omnes pervenerit tuis literis quam ad me? Certe per neminem certius mittere poteras, quam per *Richardum Pacæum*, sereniss. *Angliæ* Regis Oratorem, sive me haberet *Brabantia*, sive *Britannia*. Tu, quantum video, & calamo & ense gnaviter belligeraris, nec minus tamen feliciter, quam fortiter. Nam apud Cardinalem *Cajetanum* audio te magnam etiam iniisse gratiam. *Capnioni* bene esse gaudeo. *Francisci Sichnii* nomen non sinent emori literæ, nisi velint ingratitudinis postulari. De rebus nostris aliàs: nunc illud tantum. Res hic sordidissimis sycophantiis agitur, quibus artibus ut imparem me fatear, necesse est. Si quis est isthic, qui cupiat artem sycophanticam discere, indicabo illi quendam hujus disciplinæ mirum artificem, quem huic rei plane natum dicas. Minus bonus orator *Cicero*, quam hic sycophanta: & reperit dociles multos apud nos. Nondum tempus est, verum brevi vobis hominem commendabo, ut quo dignus est, quodque misere ambit, omnium eruditorum literis celebretur, portentum verius quam homo. Bene vale. *Antuerpiæ* 23. Julii, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCXLVIII.

### IN CYPRIANUM.

*Erasmus Roterodamus Laurentio Puccio Cardinali* S. D.

An. 1519. IN tam vasta rei literariæ clade, quæ non solum tot egregia Veterum monumenta, vel depravavit, vel detruncavit, verum etiam innumeros scriptores immortali memoria dignos totos absorbuit, fortassis ineptius videatur, R. Pater, unius aut alterius interitum deplorare, ni *Cyprianus* unus esset multorum instar habendus, sive spectes eloquentiam, sive doctrinam, sive pastoris dignitatem, sive pectus Apostolici spiritus vigorem ubique fragrans, sive martyrii gloriam. Hanc autem jacturam haud scio an hoc moderatius ferremus, si totus nobis interisset. Nunc quoniam ex his fragmentis, quæ nobis nescio quis casus supersse voluit, conjicimus qualia fuerint illa quæ perierunt, gravius etiam animo discruciamur, quicunque thesaurorum hujusmodi sumus avari. Porro, ut nunc in obscuro sit, quæ & quam multa vir ille scripserit, Operum claritas in causa fuit, quæ & *Hieronymo* persuasit, ut non duceret operæ precium lucubrationum illius indicem texere, cum ipsius ætate & sole clariores haberentur, & publicitus omnium manibus tererentur, haudquaquam existimans fieri posse, ut tantam lucem ac celebritatem ullus casus, oblivionis tenebris obscuraret; quod idem malum nobis usu venit in *Tertulliano*: nam alius quispiam casus *Origenicorum* Operum catalogum nobis ademit, quem *Hieronymus* sese testatur attexuisse in quadam ad *Paulam* epistola, in qua hujus *Adamantii* libros cum libris *Varronis* confert, quem & ipsum constat πολυγραφότατον fuisse. Cæterum, cum *Lactantius* testetur, à *Cypriano* admodum multa fuisse conscripta, rectius perspiciet quanta fuerit ea calamitas, quæ cætera nobis ademit, qui reliquiis, quas habemus, notha ac pseudepigrapha detraxerit. Etenim ut *Cypriano* cum cæteris Scriptoribus est commune, quod ipsius lucubrationibus multa sunt aliorum admixta: ita hoc fuit *Hieronymo* felicior, quod hujus voluminibus multa sunt interspersa, prorsus indigna lectu; *Cypriano* nihil adscriptum est nisi doctum, & à magnis viris profectum. Proinde nos adeo nihil semovimus etiam hujus generis, ut nonnulla ex vetustis codicibus adjecerimus: neque enim protinus rejiciendum, quod *Cypriani* non est. Jam ne quis in hac censura putet nos nihil aliud secutos quam somnium animi nostri, *Symbolum fidei*, quod in evulgatis pariter ac descriptis voluminibus *Cypriani* titulum hactenus possidet, inter Opera divi *Hieronymi*, fertur *Ruffini* nomine. Liber *De singularitate Clericorum* habetur inter *Augustini* lucubrationes, quanquam is an *Cypriani* sit, dubito: certe *Augustini* non esse, præter phrasim arguunt ipsæ sacrarum * Voluminum citationes. De cæteris conjecturam nostram suis locis annotabimus. Vitam apparet ex eo libro decerptam, quem, ut testatur *Hieronymus*, conscripsit *Pontius Cypriani* diaconus, in ipso etiam exsilio comes individuus usque ad ultimi supplicii diem. Nec enim mihi verisimile fit, hoc esse volumen illud egregium, cujus in Vita *Pontii* meminit *Hieronymus*, quum quod exstat apud nos, ne libelli quidem vocabulum mereatur. Certe coronidem de translatione corporis ejus, ab alio quopiam adjectam esse, clarius est quam ut sit admonendum, præsertim cum in ea *Caroli* Imperatoris fiat mentio. Jam quod D. *Hieronymus* memorat, octo tantum epistolas *Cypriani* ad *Cornelium Romanæ* urbis Episcopum exstitisse, cum in nostris codicibus undecim, ni fallor, habeantur, fieri potest, ut non omnes pervenerint in manus *Hieronymi*, aut, quoniam fit aliquoties, ut in iisdem diversa tractentur argumenta, singulæ quæpiam in binas dissectæ sint, id quod nos in una certe factum & deprehendimus, & indicavimus. Por-

* Sic habetur in utraque Editione Basil. ac Londinensi, *sacrorum* legendum esse quivis videre potest.

Digitized by Google

An. 1519. Porro cum olim *Africa* permultos ediderit eloquentia doctrinaque celebres, inter quos ſunt in primis *Tertullianus* & *Auguſtinus*, tamen vix ulli contigit *Romana* dictionis germana puritas, præterquam *Cypriano*. De Scriptoribus eccleſiaſticis loquor, alioqui *Lactantius* in primis erat excipiendus. Nam *Tertullianus* licet denſus & argutus ſit in ſententiis, ſermo tamen difficilis eſt & obſcurus, atque etiam incomptior; quemadmodum indicat *Hieronymus* in epiſtola ad *Paulinum*, videlicet *Lactantii* judicio ſubſcribens. Jam in *Auguſtino* ſubinde lectorem offendit perplexum neſcio quid, & impeditum atque obſcurum, quod in epiſtolis illi objicit & *Hieronymus*: at uterque *Cypriano* ſummas eloquentiæ dotes tribuit; ſic enim ſcribit *Hieronymus* in epiſtola ad *Paulinum*: *Beatus Cyprianus inſtar fontis puriſſimi dulcis incedit & placidus. Lactantius* autem in Præfatione libri quinti *De inſtitutione religionis Chriſtianæ*, non ſolum illi tribuit facilitatem, jucunditatem, perſpicuitatem, copiam ac nitorem, verum etiam vim ac nervos in perſuadendo: *Erat enim*, inquiens, *ingenio facili, copioſo, ſuavi, &, quæ ſermonis maxima eſt virtus, aperto, ut diſcernere nequeas, utrum ornatior in loquendo, an facilior in explicando, an potentior in perſuadendo quiſquam fuerit.* Atque utinam divus *Auguſtinus*, ut *Afer Afrum*, Epiſcopus Epiſcopum, numero voluminum præcurrit, ita dictionis elegantia potuiſſet aſſequi: utinamque linguam hujus tam feliciter eſſet æmulatus, quam candide miratur ac prædicat. Siquidem is libro *De doctrina Chriſtiana* IV. ex hujus voluminibus potiſſimum petit exempla, quibus demonſtret, nullam eloquentiæ partem in *Chriſtianis* Scriptoribus deſiderari; hunc cum *Ambroſio* ſubinde conferens, quemadmodum *Fabius Marcum Tullium* cum *Demoſthene* committit. Idem in conflictationibus cum *Pelagianis* ac *Donatiſtis*, multa cum reverentia citat hujus ſententias. Non poſſum equidem inficias ire, quin olim inter orthodoxos Scriptores primas tribuerim *Hieronymo*: verum, ubi *Cyprianum*, quem prius & carptim & oſcitans legeram, propius ſum contemplatus, prorſus animi dubius reddor, utrum utri præferam, adeo ſuis uterque virtutibus ſummus occurrit. Quod ſi hoc nomine jure præfertur *Demoſthenes*, quod propius acceſſerit ad verum illud ac naturale dicendi genus, & longius abſit ab umbra declamatoria, longe præcellit hac parte *Cyprianus Hieronymum*: magis ubique ſerius ac minus affectans; cum hic, quemadmodum & *Tertullianus*, in riſu pene ſit immodicus, ſubinde deſidens in exſpatiationibus, plurimum admiſcens ex prophana literatura: quæ dotes, ſi laudi dantur, non tam defuere *Cypriano*, quam vel ſpretæ ſunt, vel neglectæ. Nihil in hoc reperies, quod ad oſtentationem ingenii videri poſſit adſcitum, aut quod ullo pacto vafritiem ſapiat, quæ non abeſt *Hieronymo*. Talis ubique ſermonis habitus eſt, ut loqui ſentias vere *Chriſtianum* Epiſcopum, ac martyrio deſtinatum. Pectus ardet Euangelica pietate, & pectori reſpondet oratio: loquitur diſerta, ſed magis fortia quam diſerta: neque tam loquitur fortia quam vivit, ut ipſe meminit alicubi. Huic nimirum perſonæ magis congruebat dignitas quam lepos, etiamſi locis aliquot declarat ſibi non defuiſſe naſum, ſicubi res ita poſtulaſſet: velut ubi ſalſiſſime ridet hæreticum quendam, qui negabat *Cyprianum* habendum pro Epiſcopo: deinde cum refellit eos, qui non immerſos, ſed adſperſione aquæ baptizatos in periculoſis morbis, non *Chriſtianos*, ſed clinicos cenſebant appellandos. Nam hic præter perpetuam illam jucunditatem, ſanguinis in morem per omne corpus ſparſam, jocis etiam atque dicteriis utitur. In una duntaxat epiſtola, cujus initium eſt, *Bene admones, Donate*, nonnihil luſit apparatu pompaque ſermonis: unde & *Auguſtinus* comptæ, jucundæ, ſplendidæque dictionis depromit exemplum. Talem Eccleſiæ doctorem, talem *Chriſtianæ* pietatis athletam nobis dedit rhetorum ſchola, ne quis ſibi ſtolide placeat, quod nihil rhetorices attigerit. Efferant alii quantumlibet eos, quos nobis ediderunt Dialecticorum ac Peripateticorum ſcholæ, quos nec nos ſane improbamus, certe primas inter orthodoxos Patres *Cypriano* tribuit Papa *Gelaſius*, in Decretis, XV. *diſt. cap. Sancta Romana*. Jam fortaſſis non abs re fuerit, nonnihil attingere de dogmatis hujus, à quibus hodie diſſentire videtur Eccleſia, inter quæ cum primis jactatum eſt illud, quod exiſtimaret hæreticos ab Eccleſiæ conſortio ſemotos ac ſchiſmaticos nihil agere baptizando: atqui hæc ſententia non uni placuit *Cypriano*, verum pleriſque omnibus *Africæ*, *Numidiæ*, *Mauritaniæque* Epiſcopis: quod abunde perſpicuum eſt ex Actis Synodi *Carthaginenſis*, quæ nos adjecimus in hac editione. Error erat ſimplex, non ex ambitione malitiave, ſed ex hæreſeôn odio & eccleſiaſticæ unitatis amore profectus. Dum enim ſedulo vitat lacus hæreticorum contritos, horretque bibere aquam de ciſterna aliena, incautiore mali fuga, in eum errorem inciderat. Nec ille repertor fuit ejus erroris, ſed à majoribus acceptum tuebatur, haud dubie mutaturus ſententiam, ſi melioribus argumentis veritatem fuiſſet edoctus; quemadmodum poſt Epiſcopi cæteri priorem opinionem meliore ſententia mutarunt. Nam teſtimonia Scripturarum & rationes, quibus illi fuerunt in eum errorem inducti, eleganter refellit *Auguſtinus* in libris *De Baptiſmo* contra *Donatianos*, præſertim libris tertio, ſexto, ſeptimo. Sunt & alia quædam, ſed hinc ferme profecta, quæ ſuis locis attingemus. Jam quod quidam (ut refert *Lactantius*) homo diſertus, ſed impius, *Caprianum* pro *Cypriano* vocarit, hoc magis nobis placere debet vir optimus, quod viro peſſimo diſplicuerit, imo cui nihil in *Cypriano* diſplicuerit præter *Chriſtianam* pietatem. Satis enim declarat quid ille de *Chriſto* ſenſerit, qui doctrinam ejus aniles fabulas judicarit. Ad hæc, quod huic *Hieronymus* in epiſtola quadam ad *Paulinum* videtur abſolutam ſacræ Scripturæ ſcientiam detrahere, nihil aliud ſenſit, opinor, quam perſecutionum procellis, quibus tum agitabatur Eccleſia, martyrioque præpeditum, non abſolviſſe in explanandis divinis Voluminibus, quod egregie præſtaturus videbatur, ſi licuiſſet. Nam quæ ſcripſit, fere verſantur in locis communibus: unde non pauca decerpit *Hieronymus*, quoties in iiſdem verſatur, quemadmodum, ut eſt veriſimile, è *Tertulliani* libris multa mutuatus eſt *Cyprianus*, quibus adeo delectatus deditusque legitur, ut quoties ab amanuenſi codicem poſceret, dicere ſolitus ſit, *Da magiſtrum*, nihilominus ob id ingenio tribuens, quod ab Eccleſia ſeſe ſubmoviſſet, nimirum gnarus vel è ſterquilinio legere aurum, & intelligens ubique bonum eſſe quod bonum eſt, ac vitans propheticam imprecationem adverſus eos, qui pro perſonarum varietate, vel pro ſuo magis affectu, de rebus judicium variantes: quod bonum eſt, dicunt malum: quod dulce eſt, faciunt amarum. Sed ne celſitudinem tuam pluribus morer, reverende Pater, prodit *Cyprianus* & emendatior multo, ſublatis opera noſtra mendis; & aliquanto purior, ſemotis iis quæ illi falſo tribuebantur; & auctior, adjectis aliquot ex vetuſtiſſimis exemplaribus, quæ hactenus deſiderata ſunt. Poſtremo, prodit opera *Frobenii* nitidior ſimul & auguſtior: prodibit autem & feliciter, ſi tua auctoritas noſtræ favebit induſtriæ ſimul & conſilio, qui laborem hunc tuo nomini dicatum eſſe voluimus, non ignari quantum ea laboret inſtaurandæ religioni *Chriſtianæ*. Quorum enim auſpiciis magis conveniebat reſtitui priſcos Eccleſiæ doctores, quam veſtris, qui nunc illorum præcipuas vices geritis? per quos potius oportuit aſſeri ſcriptorem Apoſtolis proximum, quam per eos qui nobis ſummates Apoſtolos repræſentant? Quin & illud mihi probe viſum eſt congruere, ut *Cyprianus*, cui primum locum tribuit ſedis Apoſtolicæ cenſura, tuis prodiret auſpiciis, cui meritiſſimo inter tot ordinis Cardinalitii lumina primas tribuit *Leo* Pontifex, non minus cordatiſſimi, quam maximi titulo clarus. Celebris eſt apud *Romanos Hannibal Pœnus*, qui

cum

Digitized by Google

An. 1519. cum *Italis* de *Romano* certavit Imperio: hunc æquum est haberi celebriorem, qui cum *Romanis* orthodoxis felicius quam *Hannibal*, de *Romana* certavit eloquentia. Ille cum *Scipione* conflixit armis, hic cum *Cornelio Romano* Pontifice sic susceptisse pietatis certamen videtur, ut ambos virtutibus pares, eodem die, licet anno non eodem, similis martyrii palma decorarit: eloquentiæ gloria vicerit *Cyprianus*. Mihi vero peculiaris etiam quædam causa fuit, ut hoc, quicquid est operæ, amplitudini tuæ dedicarem: quandoquidem non licuit alia ratione testari animum memorem officiorum haudquaquam vulgarium, quæ primum R. D. *Antonius Puccius* nepos tuus, id temporis Legatum agens summi Pontificis apud *Elvetios*, mox tua celsitudo *Romæ* mihi largiter impendit: quam precor ut *Christus* Opt. Max. dignitati *Romanæ* Sedis, & Reipublicæ *Christianæ* juvandæ, diu servet incolumem. *Lovanio* 31. Julii, Anno à *Christo* nato 1519.

## EPISTOLA CCCCXLIX.

*Erasmus Rot. Joanni Episcopo Roffensi* S. D.

REVERENDE Pater ac patrone singularis, *Brugis* doctor quidam utriusque Juris, Cæsaris *Maximiliani* Consiliarius quondam, vir eruditus & gravis, narravit mihi *Reuchlinum* nostrum *Ingelstadii** agere, atque illic ducentorum aureorum salario *Græce* & *Hebraice* prælegere. Hac ratione illic consultum est ab amicis, quod tutum non esset agere in patria. Causa, si vera narrant, hæc erat: cum periculum esset ne Dux *Wirtenbergensis*, in quem scribit *Huttenus*, *Stockardiam* reciperet, *Reuchlinus* civibus aliquot erat auctor, ut alio demigrarent, ipse comes illis futurus. Profugerunt illi. *Reuchlinus* mutato consilio mansit, consulens suæ supellectili. Deinde rursus profligato Duce, per quosdam amicos impetratum, ne victor exercitus sæviret in domum *Reuchlini*. Sed cives illi, quos fefellerat, reversi exhibebant seni negotium. Nunc sua omnia eduxit salva, & *Ingelstadii* tranquillam agit vitam. Hæc nolui nescire te. *Germania* prorsus insanit in *Leum*: tantum libellorum prorumpit. Etsi *Leus* nullo non malo dignus est, tamen optarim eos conquiescere. Scribunt aperte, se non aliter mihi obtemperaturos, nisi quatenus abstineant à convicio gentis *Anglicæ*. Minatus sum me posthac *Gallum* futurum, nisi desinant me tam molestè amare. Adnitar equidem quod erit in me. Sed *Leus* consulto fecerit, si ipse aliquo scripto edito studeat illos delinire quos irritavit. Audio bellum parari *Dominicanis* & *Romanensibus*. Vereor ne ex hoc ludo nascatur incendium maximum. Bellum indicetur *Dominicanis* & *Romanensibus*, & interim sævietur in omnes sacerdotes, exemplo *Bohemorum*. Bene vale. *Lovanio* 2. Augusti, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCL.

*Georgio Spalatino Erasmus Rot.* S. D.

SI quid vacat occupatissimo, & si fas est Theologo, audi quod rideas. Adiit me *Petrus Alamirus*, homo non infestivus, circiter calendas Augusti, anno 1519. *Lovanii* reddidit epistolium ex *Aquisgrano* missum, sed affirmans sibi *Antuerpiæ* esse ingentes epistolarum fasciculos à summatibus amicis, de rebus haudquaquam vulgaribus. Hujus interim voluptatis, dies aliquot lucrum feci: post decem ferme confero *Mechliniam*, salutaturus Episcopum meum nempe *Trajectensem*; nam is forte tum aderat. Ἀγαθῇ τύχῃ obvius est *Alamirus*, admoneo de epistolis: ait esse in promptu. Condicitur locus in templo, simul & tempus. Profert multis circunstantibus in templo epistolas quinque, quasdam duplici tunica vacuaque obvolutas, omnes item communi contectas involucro. Accipio, gaudio gestiens. Ac tum quidem contentus ex opisthographia didicisse, quinam essent qui scriberent, (nam aderant, quibus cum erat quod agerem) ad prandium me recipio. Nam condixeram apud *Joannem Robbinum* decanum ejus templi, virum prudentia singulari, summa integritate, sed ingenio perquam festivo. Is est in quem collegii trilinguis præcipua cura inclinata recumbit. Inter epulas quum animadverterem à convivis desiderari rerum novarum aliquid, quo tædium discuteretur, promo meas epistolas modo redditas, resigno, tua primum venit in manus, in qua flagitas ut tuis literis aliquando respondeam, quas ut apparet illustrissimi Ducis, atque adeo publico Academiæ nomine ad me scripseras. Eas quum non accepissem, & tamen ad proximas Ducis tuasque literas paucis ante diebus respondissem, demiror quid tibi velis. Tandem inspicio subscriptionem, & reperio scriptam ex arce *Adelburgia*, Anno millesimo quingentesimo decimoseptimo, Idibus Novembris. Mox, ut par erat, ingens risus obortus, pro thesauro carbones reperimus, pro novis vetera. Ibi frustratus, aperio literas *Pirkheimeri*, has comperio scriptas anno millesimo quingentesimo decimo octavo, calendis Octobribus. Major etiam obortus risus. Resigno literas *Ricardi Sbrulii Forojuliani* Cæsarii poetæ, reperio scriptas item decimo octavo, Idibus Novembris. Jam me suppudere cœperat. Solvo epistolam *Georgii Behem*, Canonici *Nurembergensis*, scriptam decimoseptimo die Februarii, anno decimonono. Unus attulit omnes, & ita reddidit, quasi curriculo ex ultima *Germania* advolasset, sed ita mundas omnes, ac si eodem die scriptæ fuissent. O diligentiam? Posthac igitur huic mandabis, si quid epistolarum recte servatum velis: si quid reddi cupies, mandabis alii. Non dubito quin optimus ille *Jonas* cum collega suo, & literas, & animum nostrum vobis retulerit. Male me habet, quod nomisma, quo illustrissimi Ducis imago mire repræsentabatur, mihi periit una cum epistola. Quum enim sensissem Episcopum ac Principem *Leodiensem* utriusque videndi percupidum esse, neque tum forte haberem in crumena, & ille ad multam noctem tardaret in intimis consiliis apud *Margaretam*, *Maximiliani* Cæsaris filiam, postridie summo diluculo *Germaniam* aditurus, tradidi cuidam, qui nobis una cum Episcopo prandentibus adstiterat pocillator, ut illi ostensum utrunque mihi restitueret. Post dies complures ex medico disco, & juvenem abisse cum cæteris in *Germaniam*. Nec adhuc Episcopus sese in aulam nostram recepit, è *Germania* reversus. Mihi tamen magis dolet epistolæ jactura, quam nomismatis. *Ricardus Pacæus*, vir in utraque literatura præceilens, qui in electione Imperatoris, nomine sereniissimi *Angliæ* Regis legatione fungebatur, reversus isthinc, dictu mirum, quo pectore, quaque facundia mihi *Federicum* totum depinxerit, gravitatem viri, prudentiam, integritatem, eruditionem, quid multis? omnia magno Principe digna. Is mea sententia majore cum laude recusavit imperium, quam quidam ambierunt. Et tamen nemo melius gerit principatum, quam qui pondus ejus penitus perspexit. In nos magni nominis sarcina depositа est. Superest precari superos, ut nobis cum primis, mox toti orbi *Christiano* sit faustum ac felix. Ad primum rumorem, qui *Carolo* destinatum imperium nunciabat, tota hæc regio sese in gratulationem & gaudium effundebat pene immodice. Sed ut est rerum humanarum temperatura, non deerat huic voluptati comes dolor. A pestilentia nusquam tuti sumus, quæ locis aliquot inclementissime sævit. Ad hæc magna manus, opinor, ex his militibus, quorum opera profligatus est Dux *Wirtenbergensis*, obsidet nostra confinia, incertum quo duce, cujus jussu, aut quorsum tendens: hoc unum facile conjectant omnes, ingentem vim pecuniarum flagitari. Multos adhuc terret exemplum *Asperæ*, ante biennium internecione vastatæ. Jamque pœnitet clementiæ, qua superiores exercitus dimisimus incolumes. Neque desunt qui suspicentur hunc exercitum consilio Principum ali, ut sit in promptu quo populum premant, si quid graventur audire jussis; & jubentur vix ferenda.

* *Ingolstadii* rectius: quæ supra Epist. ccxxix. dicitur *Angelopolis*.



Digitized by Google

An. 1519. Sed in his fata viam invenient: me miseræ plebis miseret, & piget quorundam plus quam *Turcicæ* tyrannidis. Postremo video rerum summam ad paucos cogi, paulatim antiquatis veteris democratiæ reliquiis. Siquidem in *Hispania Saracenici* imperii manifesta vestigia licet hodieque cernere. Nam *Saracenorum* tyrannidem aliquando passa est ea regio. Utinam illud Principibus queat persuaderi, neminem splendidius regnare, quam qui liberis ac felicibus imperat. *Albertus* Princeps *Maguntinensis* humanissimis literis nos ornavit, donoque luculento cohonestavit, quod ego vel hoc nomine pluris facio, quod & à cordatissimo Principe & ultro missum est. Nam quæ judicio dantur, testimonia sunt verius quam munera. Edimus *Cyprianum*, emendatum non mediocri sudore: ita me *Christus* bene amet: deinde auctum accessione libellorum aliquot, quos ex vetustissimis codicibus adjecimus; adjunximus annotatiunculas aliquot, sed paucas; notha semovimus à gnesiis, & hujus generis adeo nihil decidimus, ut nonnihil etiam auctarii addiderimus. Illustrissimo Principi me meaque studia commendabis, & sodalitatem, bonis literis adjuratam, meis verbis salutabis diligenter. Amat victoria curam. Bene vale. *Antuerpia* 7. Augusti, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCLI.

*Erasmus Roterodamus Petro Zutpenio Cassiletano* S. D.

VIDEO plerosque mortales in hac esse persuasione, ut felicitatis aut infelicitatis causas è supernis corporibus petant. Ego vero non arbitror ullum sydus affulgere cuiquam felicius, quam sincerum ac tuo accommodum ingenio amicum: contra, nullum adversius ac funestius, quam fucatum & insincerum sodalem. Proinde stellas observent alii, si lubet, egò in terris quærendum existimo, quod nos felices aut infelices reddat. Cæteri negotium auspicaturi, anxii considerant qua figura *Venus*, *Jupiter*, & *Mercurius* sese contueantur. Ego satius esse duco, perpendere quibuscum agas. Sunt enim quidam sibi tantum prosperi, cæteris omnibus inauspicati. Itaque vix ullo sermone consequi queam, *Petre* mortalium candidissime, quam opimum lucrum mihi putem obtigisse, quum te nactus sum amicum, quo non alium optare poteram magis ad naturam moresque meos factum, sculptumque. Antehac abunde fortunatus mihi videbar unico *Petro Ægidio*, quem amiculum ego nolim cum ullo *Pylade* commutare. Eam felicitatem mihi congeminavit accessio tui, adeo similis illi, ut dubitem utrum utri præferam. Nam omitto fortunam satis amplam: omitto literaturam haudquaquam vulgarem: omitto vim ingenii ad omnia negotia mirum in modum versatilis: qui pectoris candor, quæ morum simplicitas, quæ consuetudinis suavitas, quæ modestia, quæ fides, quæ in officiis præstandis promptitudo? Ubi sunt interim qui temporum horum mores ut deploratos damnare solent, quando tales animas habent aulæ Principum? Olim non ferebam, ingenia literis ac gratiis nata pertrahi in Regum familias: nunc video virtuti rectisque studiis nusquam esse plus honoris quam apud Principes. Omnibus, itaque qui studiorum sacra colunt, expedit, tui similes aliquot in aulis versari, ne non sint qui summates viros ad favendum literis ac probitati, suis dictis inflamment, qui ad benignitatem stimulos addant, qui submoneant, quibus artibus nunquam intermoriturum honestæ famæ decus paretur. Quanto studiorum omnium bono in regia *Britannica* vivere credis *Thomam Morum*, *Thomam Linacrum*, & *Richardum Pacaum*? in *Gallia Guilielmum Budæum*? quorum felicitati gratulandum, quod in tales Principes inciderint, officio habenda gratia, si tales reddunt. Scio tibi nihil esse dulcius ocio literario, nec deesse in aula, præter negotiorum tumultum, quod offendat animi tui puritatem: quæ omnia hoc moderatius ferre debes, quod sub optimo Principe *Adolpho* meres, qui favorem erga literas ac viros virtutibus ornatos, à teneris usque unguiculis olim haustum è *Batto* præceptore, in hanc usque ætatem retinet, qui nos quoque non ob aliud diligit ac tuetur, nisi quod persuasum habet his rebus præditum esse me, à quibus longissime absum. Is intelligens quanti referat primam ætatem Principum optimo viro formandam committi, filiolum suum *Joanni Borsalo* in gremium tradidit: viro, ut compendio virtutes innumeras complectar, *Batti* mei simillimo. Talis erat admovendus *Ferdinando* nostro, qua quidem in re demiror cessari à nobis, *Midis* opinor quibusdam id agentibus, quibus expedit Principes ex sese nihil sapere. Ac vereor, ne quis interim ingerat sese, qui præceptorem professus, aucupem sacerdotiorum agat, ingenti totius populi malo. Ambiunt hanc provinciam Theologi, & Theologum esse decet, qui Principem instituat, sed vere Theologum, nec avaritiæ, nec ambitionis morbo corruptum. Bene vale. *Antuerpia* 10. Augusti, Anno 1519.

An. 1519.

## EPISTOLA CCCCLII.

*Erasmus Rot. Jacobo Hoochstrato Theologo* S. D.

ANTEHAC legenti mihi libellos, quibus tumultus inter te & *Capnionem* continetur, sæpenumero suasit, ut ad te scriberem, primum *Christiana* charitas, deinde studiorum communium professio, ad hæc peculiaris quidam favor, quo jam olim inde à puero vestrum prosequor Ordinem, postremo non vulgaris animi propensio erga te, quem audio moribus esse commodis ac civilibus. Nam literarum nostrarum avidissimum esse te, vel tua scripta palam clamitant, quæ cum nusquam non affectent politiem ac Venerem orationis, dubitari non potest, quid de bonis literis sentias. Neque enim refert, quam feliciter hoc agas: imo cum palam sit te sedulo, ac pene dixerim anxie affectare, quo minus succedit, hoc magis intelligimus animi tui propensissimum studium, alioqui sermonis ornamenta videri poterant ultro nolentem secuta. Hæc, inquam, mihi subjecerunt stimulos, ut te admonerem, quæ & ad tuam dignitatem, & ad Ordinis negotium, & ad Reipublicæ *Christianæ* tranquillitatem pertinere videbantur: sed rursus hinc deterruit non incompertum mihi mortalium ingenium, quorum admodum paucos esse video, quibus feliciter cedat, quamvis amica, admonitio. Sacra quidem res est consilium, sed eadem periculosa. Vetus est, *Consultum male, consultori pessima res est.* At ea nunc est morum corruptela, ut bonum etiam ac verum consilium sæpe damno sit bene consulenti. Hunc tamen scrupulum exemit animo meo Episcopus suffraganeus *Colonienſis*, vir incredibili morum comitate, suavitateque præditus. Quod si is mihi tui simulachrum bona fide depinxit, non accipies in malam partem, quæ nos optimo atque amantissimo pectore nunc admonebimus. Jam olim *Capnionis Apologiam* magno cum animi dolore legeramus, licet carptim, nec eum dolorem dissimulavimus, scriptis ad *Capnionem* literis, quod tam manifestis conviciis, tamque impotenter in adversarios debaccharetur, qualescunque essent: nam ii mihi tum non minus erant ignoti, quam *Capnion* ipse. Idem deplorabam apud amiculos, inter quos erant qui *Capnioni* studentes, sic placare conarentur ægritudinem animi mei, ut dicerent, invidiam omnem in eos conferendam, qui cum debuissent esse modestiæ, *Christianæque* lenitatis exemplum, tam virulentis, tamque atrocibus insectationibus priores lacessissent, alioqui *Capnionis* ingenio nihil esse placidius ac mitius. Dubitanti credere, mox ingesserunt scripta *Pepericorni*, scripta *Gratii*, scripta *Arnoldi Tongari*, aliaque, quæ nunc non necesse est commemorare. De moribus tuis variabant sententiæ: erant qui prædicarent ipsum te moribus esse satis commodis, sed quorundam instinctibus inflammari: rursus bona pars asseverabat,

tibi

Digitized by Google

An. 1519. tibi nullos esse magis in consilio, quam ambitionem & avaritiam, quod & plurimi fieri velles, ob plusquam tyrannicam ingenii ferocitatem, & ob inexplebilem habendi famem, *Judæorum* facultatibus inhiares. Mihi sane semper hic mos fuit, ut in meliorem partem credulitate vergere mallem, quam in deteriorem: ac tum quidem non potui refellere omnia, lenii tamen pro viribus sermonum atrocitatem. Aliquanto post evenit, ut & acta legerem tc tius causæ, & tuus libellus exiret in manus hominum, quo *Benigni* dialogum refellis, quem ipsum tamen non nisi carptim legi. Vis dicam quomodo me affecerit? Eloquar invitus, sed veriſſime. Melius senseram de te, priusquam te tibi patrocinantem legissem. Quoties illud mecum inter legendum mussitabam, utinam hic se meis oculis cerneret? Non excutiam cætera, quæ meum animum illic offenderint, neque de tota causa quicquam attingo, neque enim mea refert. Certe plurimis in locis animi lenitatem, moderationemque desiderabam, dignam homine *Christiano*, dignam Theologo, dignam *Dominicano*. Quoties indolui, quoties erubui tuo nomine, priusquam Præfationem illam perlegerem? Quid hic mecum cogitarim, quid æstuarim, quid stomachatus sim, placabilius opinor in sinum tuum effundere, si colloquendi copia daretur. Ante dies vero non ita multos, casu nactus sum in aliena bibliotheca jacentem libellum quendam, habentem epistolas aliquot magna libertate stomachantes in te: prima, ni fallor, erat *Capnionis*, altera clarissimi Comitis à *Nova aquila*, tertia *Hermani Buschii*, quarta *Hutteni*: harum omnium amarulentiam nullo pacto ferre potuissem, nisi scripta prius ea legissem, quibus ad hanc intemperiem videbantur efferati. Eas igitur non simplici cum dolore legi, nunc illorum, nunc tuam vicem ingemiscens, subinde metuens, ne bonis & æquis viris tam acerba convicia non omnino in immerentem contorta viderentur: & tamen illos judicabam indignos, à quibus ejusmodi scriberentur, & te cupiebam indignum videri, in quem scriberentur. Nam paucis ante diebus exierant libelli duo, quorum altero oppugnas *Cabalisticam Capnionis*, altero respondes iis qui student *Capnioni*, cujus phrasis tamen magis resipit *Gratium*. Nihil hic rursus attingam, utrius causa mihi magis arrideat: neque enim mihi mandata est hæc provincia, & si mandetur, videor mihi libenter recusaturus: nec tantam mihi arrogo doctrinam, ut existimem me posse pronunciare de causis tam arduis, in quibus identidem hæreseos fit mentio: siquidem in præsentia non ago negotium *Capnionis*, tuum potius ago negotium, & hactenus ago, ut velim te magis in posterum dignitati tuæ consulere, ac decori meminisse: nec dubito quin ipse & perspicias, & memineris, sed haud scio an tibi quoque more hominum usu veniat, ut impetus & calor contentionis oculos tuos avocet alicubi. Nam mihi jam non levis est fiducia, te nostram admonitionem à fraterna dilectione tui profectam, æqui bonique consulturum. Primum de titulo, quem isti vehementer lacerant, ut arrogantiæ plenum, me res non admodum movet. Siquidem id videri poterat opificum opera factum, ni constaret te tum *Coloniæ* præsentem fuisse. Illud minus potest excusari, quod ad singula capitula repetis & inculcas, *Capnion* præco *Cabalisticæ* perfidiæ. Vix enim cuiquam persuadebitur hoc inscio te factum: quod toto Opere tam subinde repetitur. Quisquis autem credet abs re factum, non dubitabit quo animo sis in *Capnionem*. Atqui cum primis non solum ad dignitatem tuam, verum etiam ad causam tuam attinebat, argumentis duxtaxat ac civiliter rem tractare, neque tam manifestam odii significationem dare. Si *Christianæ* pietatis esset, in quenquam conviciis debacchari, in *Celsum* debacchatus fuisset *Origenes*: nam is universam *Christi* doctrinam simul ac vitam non ferendis conviciis laceravit, editis etiam voluminibus: & tamen in hunc nusquam sic invehitur *Origenes*, ut tu passim in *Capnionem*, qui, ut ne quid aliud dicam, An. certe nondum damnatus est eorum sententia, quorum 1519. est pronunciare. Nec in hoc laborat *Origenes*, ut *Celsi* dicta in pessimam partem torqueat, aut exaggeret, quod tu mihi passim miro calore videris facere, nihil interim non trahens ad hæreseis causam. At dices, fungor officio meo. Laudo quod fungeris, sed ea moderatione te velim fungi, ut evidens sit omnibus te nihil aliud quam *Christi* negotium agere; longissimeque te subducas ab ea specie, ut videaris defendendæ fidei prætextu vel ambitioni servire, vel avaritiæ, vel ad privatum odium saturandum abuti. Quid enim omnino tam circumspecte scriptum erit, quod ab irato non possit depravari sinistra interpretatione? Porro qui præ se fert odium animi, protinus sibi fidem abrogat, in causa etiam justissima: neque dubito quin hæc res in primis obstiterit, quo minus assecutus sis, quod, ut putant, venabaris. Inquisitio tibi mandata est, non jus pronunciandi. Quoties autem de *Capnione* pronuncias, præsertim cum lis adhuc sub judice pendeat, & sub eo judice, unde negant appellari posse? An non satisfeceras officio tuo, posteaquam tot annos tanto tumultu libellum, nescio quem obscurum, nec ulli forte cognoscendum, nisi tu nobilitasses, insectatus eras? Posteaquam *Romanus* Pontifex, intelligens ejusmodi causæ genus esse, ut magis expediret obliterari quam longius exagitari, quiesci jussit? Si quis error exstiterit pernicioſus *Christianæ* pietati, primum eruditorum disputatione diligenter est excutiendus, mox indicandus Episcopo. Id ubi factum est abs te, jam Inquisitoris officio functus es. Investigasti, prodidisti quibus oportuit. Non est tibi necesse cœlum miscere terræ, & tantas excitare tragœdias. Utinam eam operam, eos sumptus, eos annos prædicando *Christi* Euangelio impendisses: aut plane me fallit animi præsagium, aut major esset *Jacobus Hoochstratus*, quam nunc est, & nomen esset apud optimos quosque gratiosius, aut certe minus invidiosum. Jam vero bona pars odii redundat in Ordinem, quem & antehac sæpe multis occasionibus gravi invidia laborantem, non oportebat novis odiis degravare. Quin & illud erat tuæ prudentiæ, perpendere, num libellus ille *Capnionicus* haberet aliquid, quod pestem aliquam gravem religioni *Christianæ* posset inferre. Nihil autem illic agitur, nisi ne quid præter æquum patiantur *Judæi*. Quorsum autem attinebat tanto spiritu agere, ut *Judæos* in odium adduceres? An quisquam est nostrum, qui non satis exsecretur hoc hominum genus? Si *Christianum* est odisse *Judæos*, hic abunde *Christiani* sumus omnes. Sunt qui cum alia permulta, tum illud in primis adducunt in suspicionem, quod cum tot ubique libri scribantur, in unum illum libellum inquisieris tam odiose. Nihil usquam offendit animum tuum in libris *Augustini Justiniani*, in libris *Sylvestri Prieratis*, in libris *Thomæ à Vio*, atque in his sunt permulta, quæ non mediocriter offendunt Theologos *Parisienses*: nam ipse degustavi duntaxat. Negant igitur tibi ad *Dominicanos* errores oculos esse, ad unius *Capnionis*, aut eorum qui *Capnioni* bene volunt, oculatum esse te. Hæc dico, non quo *Capnioni* patrociner, sed quo tibi tuisque consulam: nam ille sic est amicus, ut me causæ non admisceam, quod tu tamen videre suspicari. Siquidem hac gratia clarissimum Comitem *à Nova aquila* dictitant abs te plusquam odiose perstrictum in præfatione tua; nec alia de causa me quoque voluisse attingere in libellis, quos adversus *Cabalam* edidisti. Neque enim me magnopere sublevat ea civilitas, qua nomen *Erasmi* supprimis, cum & operis titulum, & locum expresseris, ad verbum recitans, quæ illic scripserim. Sed illud miror in primis, cur nos admiscueris ei negotio, quod & tu vis odiosissimum videri, & à quo sum alienissimus. Utinam mihi tam propitius sit *Christus*, quam ego *Cabalæ* sum parum propitius: & ad hujus rei mentionem non admodum invitabat disputationis cursus, sed obtorto collo videris affectasse, ac ceu pannum male cohærentem inter-



Digitized by Google

An. 1519. texuisse. Deinde quam exacerbas omnia, quam seditiose detorques quæ scripsimus? Quod ego de me meique similibus dixi, id tu perpetuo interpretaris dictum in Ecclesiam: & unum duntaxat adducis locum, qui tibi videbatur ad calumniam esse cum primis idoneus, cum ego compluribus locis ejus rei meminerim. Ex horum collatione deprehendi poterat, quo animo scripsissem quæ reprehendis. Nam alibi testor me misereſcere quorundam, infelici matrimonio male cohærentium, quos tamen si dirimas, spes non sit fore, ut se contineant à stupro. Horum saluti volebam aliqua ratione consuli, si fieri posset, nec id aliter opto fieri, nisi si in hoc consentiat Ecclesia. Non ego cuiquam præeo, rem omnem ad Ecclesiam refero. At non potest, inquis, Ecclesia, quod optas. Primum, non ego definio quid possit Ecclesia, quod si maxime constet non posse, tamen à me nihil aliud audis, quam votum charitatis. Non faveo divortio, sed miseret pereuntium, & optat sæpenumero *Christiana* charitas, quæ fieri non possunt, & sæpe pium est optare, quæ tamen non possis efficere. Id ego cum paucis verbis admonuerim, duntaxat ut annotator, non ut dogmatistes: tu subinde dogmatis vocabulum inculcas, quo mihi concilies invidiam. Et adeo toto corpore contremiscis, quemadmodum scribis, ad meum sermonem, ut parum abfuerit, quin præ horrore concideres, & annotatiunculam Ecclesiæ judicio relictam, totius Ecclesiæ vocas suggillationem. Hujusmodi jactis fundamentis, multum diversis à nostra sententia, in longum protrahis disputationem, nihil non adducens, quo doceas, à divortio non esse fas instaurare matrimonium: quasi vero nos fugiat quid hac de re vel senserint olim doctores, vel Ecclesia decreverit, sed fieri potest, ut non omnia semel aperuerit *Christi* spiritus Ecclesiæ. Et ut Ecclesia non potest irritare decreta *Christi*, ita potest ad hominum salutem interpretari commode, quædam interim relaxans, quædam adstringens pro rerum ac temporum statu. Optabat *Christus* omnes suos esse perfectos, inter quos nullum incideret divortium, tentavit Ecclesia dogmatis Euangelici vigorem ab omnibus impetrare. Qui scis an eadem infirmorum quoque saluti consulere studens, putet hinc aliquid esse remittendum? Non antiquatur Euangelium, sed ab iis, quibus ejus credita est dispensatio, ad salutem omnium accommodatur. Postremo non antiquatur, quod rectius intelligitur. Verum, hic non est animus disputationis ingredi labyrinthum, præsertim cum in posteriore editione fere contraxerim quicquid ad hanc causam pertinet, videlicet annotans in Epistolæ prioris ad *Corinthios* caput septimum. Atque hic etiam, vir optime, cogor desiderare moderationem tuam, qui putaris hunc locum exagitandum, cum non ignorares me novam editionem adornasse, quam in priore fueram pollicitus. Neque enim verisimile est te latuisse, quod nemo nesciebat, etiam multo antequam proxime reciperem me *Basileam*, nimirum hujus rei gratia. Proinde videberis aut antevertisse carpendi studio, aut noluisse perire quod jam conscripseras. Ergo, ut dixi, non ingredior hic campum argumentationis, neque enim id patitur epistola, tantum expostulo, quod iniquius nos attigeris. Nam quod ego de commoda interpretatione memineram, vide quam tu non commode interpreteris, quasi calumnier, ecclesiam *Christi* decreta antiquare: cum ego senserim nos, id est, me, meique similes, abuti dogmatum Euangelicorum interpretatione, atque ita fieri, ut vigor Euangelicæ doctrinæ in nostris moribus obsoleſcat. *Christus*, ut exempli gratia loquar, adeo voluit suos abesse ab homicidio, ut interdixerit omne convicium, nec irasci permiserit. Nos interpretamur, irasci temere. Hac interpretatione fretus, sæpe qui irascitur, ita sibi blanditur, non temere est quod illi succenseo. Item, *Christus* adeo voluit suos abesse à perjurio, ut prorsus interdixerit jusjurandum. Id sic interpretamur, non jurandum temere. Hoc interpretamento sibi blandiuntur, qui passim quamlibet levi de causa jurant. Ad eundem modum adeo voluit suos abesse à *Judæorum* divortio, qui quamlibet frivola de causa repudiabant uxores, ut divortium in totum interdixerit. Quid hic possit interpretari Ecclesia, non pronuncio, vellem posse, quo saluti multorum consulatur, & tamen aliquod divortium admittit Ecclesia, & plures divortii causas admittit, quam *Christus* indulserit, & distinxit inter matrimonium consummatum, & non consummatum: illud non patitur dirimi, hoc patitur, si intercedat votum, quod nescio quare vocent solenne. Horum nihil docuit *Christus*, sicut nec de casibus, quibus coit, aut non coit matrimonium: in quibus nec veteres consentiebant orthodoxi, & Ecclesia, aut certe *Romani* Pontifices sua decreta mutarunt. Cum viderem *Christi* spiritum mire pro temporum ratione dispensare suos afflatus, & animadverterem quanta sit auctoritas Ecclesiæ, submonebam, si qua fieri posset, ut tot hominum pereuntium saluti consuleretur. Nec hic quicquam statuo, sed decernendi jus Ecclesiæ defero, ipse nihil aliud quam monitoris officio functus. Hic te quæso, quid erat quod putares tam atrocibus verbis exaggerandum? Nam toties spargis in disputatione, doctorem quendam submurmurare & stomachari adversus Ecclesiam, imo ream peragere sacrosanctam Ecclesiam, secus dogmatizare quam sacrosancta prædicet *Romana* Ecclesia, & periculum esse, ne præstetur fomentum audacitatis in regimen ecclesiasticum, & in Ecclesiæ consurgatur despectum, & carnalia vitia in sui damnationem impudorate sectentur homines. Agnoscis, opinor, tua verba, quæ nemo non judicabit seditiosius esse dicta, quam aptius, aut moderatius. Nam illa fortasse falsa videbuntur aliquibus, cum doctorem illum, qui cum agis, frigidum tractatorem eloquiorum *Christi* facis, ipse fortassis plus satis calidus, cum illi nunc præter phalerata dicta, nunc præter grammaticalem, ut vocas, sensum nihil tribuis, cum illum noctuam aut vespertilionem facis, teipsum opinor, aquilam esse sentiens. Equidem in rebus divinis minus arbitror cernere me, quam cernat noctua, quæ per tenebras etiam cernit; & tamen si liberet totum hoc argumentum justo studio tractare, videres me fortasse non usque adeo cæcutientem, quam tu videri vis. Verum, & res foret non unius voluminis, & jam pleraque à nobis attacta sunt in posteriore editione, quasi præsagientibus fore, qui locum eum labefactare conarentur. Quanquam nec illic quicquam asserо, sed Ecclesiæ judicio suam ubique reverentiam & auctoritatem defero: argumentor, non decerno. Quod si dices nefas esse, quæ jam recepta sunt, ea vocare in disputationem, quid faciemus sacrosanctis doctoribus, qui non verentur in disputationem vocare, An Eucharistia sit sacramentum? An fornicatio simplex sit peccatum? Leviter autem me movet, quod initio disputationis obiter me taxas, quod è capite *Matthæi* decimo nono scripserim, legem inductam apud *Christianos*, ne dirimantur matrimonia, bis videlicet tuo judicio peccans: & quod senserim lege humana inductum, ne dirimantur matrimonia: & quod putarim ex eo loco sumptum, cum ex quinto ejusdem Euangelistæ capite potius sumptum appareat. Atque ut præpostere respondeam, si utriusque loci eadem est sententia, quid refert ex utro sumptum dicatur? imo probabilius erit ex decimo nono sumptum, ubi nominatim tractatur negotium divortii, quanquam ego non dixi locum eum, qui est in codice, sed totum hoc argumentum ubicunque tractetur, locum vocavi: alioqui nec ex quinto, nec ex decimo nono capite sumptum videbitur, sed potius ex *Paulina* Epistolæ ad *Corinthios* prioris capite septimo. Nam illic mulierem, quæ digressa à viro nolit reconciliari, jubet manere innuptam. Rursus hic ubi excipitur fornicatio, non videtur in totum adimi jus divortii, sed adstringi magis, quod apud *Judæos* æquo licentius erat. Deinde negari non potest exstare Pontificum leges, quæ vetent divortio divulsos aliis jungi matrimonio, si modo constiterit verum matri-

Digitized by Google

An. 1519. trimonium interceſſiſſe. Eas ſi hauſerunt ex Euangelicis literis, non video cur ſim reprehendendus, ſi ſcripſi legem exſtare, quæ vetat dirimi matrimonia. Atque his etiam levius eſt, quod cavillaris mihi parum proprie dictum, *Moſen Judæis* conceſſiſſe divortium, in tam paucis verbis geminum errorem indicans. *Permiſit*, inquis, *non conceſſit*, quaſi quicquam interſit inter *permittere* & *concedere*, niſi quod *permittit*, qui quocunque modo jus facit; *concedit*, qui de jure ſuo remittit aliquid: unde fit ut poſterius verbum ſit ad hunc ſenſum accommodatius. Deinde permiſit, inquis, *Moſes*, ſed auctore Domino, quaſi quod *Moſes* juſſu Dei præſcripſit populo, non recte dicatur juſſiſſe, aut quod ex doctrina *Chriſti* docuit *Matthæus*, improprie dicatur docuiſſe. Si ſtylum exercere cupis, quod mihi ſane non paulo rectius eſſe videtur, quam quod quidam faciunt, alieno calamo ſcribere, malim te in his argumentis verſari, quæ minus habeant odii, plus fructus. Aut ſi res poſcit, hujuſmodi tractare quæſtiones, ita totius negotii phraſim habitumque modereris, ut non ſolum applaudant aliquot Ordinis tui ſodales, ſed eruditiſſimus quiſque & cordatiſſimus lector, atque ipſa etiam poſteritas agnoſcat pectus vero Theologo dignum. Si cauſa ſeveritatem poſtulabit, abſit tamen ubique ſævitia, maxime vero vitandum, necubi ſuboleat ambitionis aut avaritiæ venenum, multo magis hypocriſis. Habet vera pietas aliquotics indignationem ſuam, ſed charitatis dulcore temperatam. Non eſt conſultum irritare quibus poſſis mederi, nec alienandi ſunt, quos poſſis lenitate revocare. Nomen hæreſeos quo magis eſt inviſum, eo magis ab hoc temperandum quoad licet. Nunc nihil magis eſt in ore quibuſdam. At recte quidem diſtinguit tua prudentia hæreticum ab hæreſi, tum hæreſim pro factione impia, ab hæreſi errore, qui pertinaciter defenſus faceret hæreticum; verum, has ſubtiliſſimas diſtinctiones non intelligit craſſum hominum vulgus, cum audit hæreſes hujus aut illius, nihil aliud intelligit, quam hæreticos eſſe, de quibus fit mentio. Nec poſſunt imaginari, quomodo bellum dicatur *Gallorum*, cum ipſi bellatores non ſint. Imo cum publice loquuntur, ubi metuunt obſervari ſe, dicunt hæreſes *Capnionis*, cum privatim & inter ſuæ factionis homines, *Capnionem* vocant hæreticum, obliti videlicet eruditæ diſtinctionis. Adeo vilis eſt iſtis aliena fama, qui ſuam habent chariſſimam. At te quidem video moderatiorem aliquanto in libellis poſterioribus, ſperoque futurum, ut poſthac magis ac magis hac laude teipſum ſuperes. Conſulueris autem non Ordini modo *Dominicano*, verum etiam univerſo Theologico, ſi quorundam maledicentiam inſulſiſſimam auctoritate tua reprimas, qui paſſim in publicis aut privatis prælectionibus, in diſputationibus, in conviviis, in conciliabulis, in colloquiis, &, quod graviſſimum eſt, in ſacris ac publicis concionibus virulentiſſime deblaterant in linguarum peritiam, in politiores literas, in harum invidiam antichriſtos, hæreſes, & alias id genus tragicas voces admiſcentes, cum obſcurum non ſit quid Eccleſia debeat viris linguarum peritis, quid debeat eloquentibus. Hæc ſtudia non obſcurant Theologicam dignitatem, ſed illuſtrant: non oppugnant, ſed famulantur. Neque enim ideo protinus cum hæreſi copulata ſit muſica, ſi quis forte muſicus huc prolapſus deprehendatur. Damnandus eſt error hominis, ſtudiis ſuus ſervandus eſt honos. At nimis prolixum ſit referre, quam ridiculas fabulas de quibuſdam audiamus quotidie, qui dum conantur apud imperitam plebeculam traducere bonas literas, cordatis, doctis, ac probis viris ſuam produnt impudentiam parem ſtoliditati. Si Theologia cohoneſtabit hæc ſtudia, viciſſim ab his decorabitur: ſin ſuggillabit & calumniabitur, metuo ne fiat, quod ait *Paulus*, ut dum mutuis morſibus ſeſe conficiunt, invicem ſibi ſint exitio. Hæc ſi puro ſinceroque animo à nobis dicta, ſimili animo acceperis, non dubito quin futurum ſit, ut olim mihi gratias acturus ſis pro conſilio tum vero, tum amico. Non indignaberis, opinor, admoneri ab *Eraſmo*, ut nihil aliud, certe natu, ni fallor, grandiore, quando *Moſes Jethro* conſilium non eſt adſpernatus. Vale, pater eximie, meque refer in eorum numerum, qui tuam amplitudinem haudquaquam ficte diligunt. Majorem in modum precor, ut me tuis ſanctis precibus *Chriſto* commendare digneris, qui ſuo mitiſſimo ſpiritu ſemper animum tuum moderetur. *Antuerpiæ* 11. Auguſti, Anno 1519. An. 1519.

## EPISTOLA CCCCLIII.

*Leoni X. Papæ Eraſmus Rot.* S. D.

BEATISSIME Pater, exiit jamdudum in manus hominum Novum Teſtamentum, rurſum à me non æſtimandis ſudoribus novatum, una cum annotationibus acceſſione non mediocri locupletatis. Exiit autem felicibus, ut videtur, auſpiciis, non modo *Romani* Pontificis titulo, verum etiam *Leonis* vocabulo commendatum, quo non aliud nomen orbi *Chriſtiano* gratius. Antehac quotquot erant vera pietate præditi, venerabantur ut tibi ceu numini conſecratum: nunc avidius etiam amplectuntur, ut ſummi Præſulis oraculo comprobatum. Parum religioſum eſt, non venerari quod dicatum eſt religionis antiſtiti, ſummæ vero dementiæ ſit, ſi quis homuncio tentet rejicere, quod amplectitur ſummus *Chriſti* vicarius: privata temeritate damnare, quod approbat ſummus divinæ mentis interpres, cujus auctoritati debemus, & quod Euangelio credimus. Nam ipſe nihil hic mihi laudis vindico, præter animum juvandi ſtudio nihil vigiliarum reculantem. Tuum eſt, quod Opus avidiſſime rapitur ab eruditis omnibus, tuum, quod amatur, quod manibus teritur, quod per hoc paſſim omnes inflammantur ad ſacrarum Literarum amorem. Quos prioris editionis novitas nonnihil offenderat, hi nunc reſipiſcunt & errorem agnoſcunt ſuum. Qui hactenus è putribus lacunis perturbatam quandam ac frigidam Theologiam hauriebant, nunc è puriſſimis fontibus *Chriſti* & Apoſtolorum haurire malunt. Priorem editionem candidiſſimus quiſque & eruditiſſimus amplectebatur. Poteram horum ſuffragiis eſſe contentus: nam cui non ſatis ſit præcipuis placuiſſe, quando nulli adhuc mortalium contigit omnium emeruiſſe ſuffragia? Hanc mire conſentientibus calculis approbant omnes, exceptis perpaucis; quorum alii ſtupidiores ſunt, quam ut poſſint rectis rationibus coargui: alii ſuperbiores, quam ut velint meliora diſcere: alii pertinaciores, quam ut non pudeat in male cœptis parum eſſe conſtantes: nonnulli natu grandiores, quam ut ſperent ſe facturos operæ precium: quidam ambitioſiores, quam ut ſuſtineant videri neſciſſe quicquam antehac, ſed omnes ejuſmodi, ut non referat talium ambiſſe ſuffragium. Siquidem non inſcite dictum eſt illud *Senecæ*, *quoſdam eſſe tales, ut pulchrius ſit ab his vituperari, quam laudari.* Et inter hos vix quiſquam eſt, qui noſtra legerit. Metuebant tyrannidi ſuæ, quidam etiam quæſtui, ſi mundus reſipiſceret. Quid ſibi perſuaſerint neſcio, certe rudibus & indoctis perſuadere conantur, linguarum cognitionem, bonaſque, quas vocant, literas adverſari Theologiæ ſtudio, cum nullis diſciplinis ea magis vel ornetur, vel adjuvetur. Hi (ut ſunt omnibus Muſis & Gratiis iratis nati) ſine fine belligerantur adverſus ſtudia, ſeſe noſtris temporibus ad meliorem frugem erigentia. Summa vero victoriæ ſpes in meris ſycophantiis illis eſt ſita. Si libris agant, nihil aliud quam ſuam traducunt ſtultitiam, ſimul atque inſcitiam. Si rationibus confligantur, nimirum ſuperat manifeſta veritas: tantum apud imperitam plebeculam ſtultaſque mulierculas vociferantur, quibus imponere facillimum eſt, præſertim religionis prætextu, cujus ſimulandæ miri ſunt artifices. Prætexunt horrenda nomina, hæreſes, antichriſtos: jactitant periclitari, nutareque religionem *Chriſtianam*, quam ipſi ſcilicet ſuis humeris ſuſtinent, atque his tam odioſis admiſcent mentionem linguarum,



Digitized by Google

An. 1519. ac politioris literaturæ. Hæc, inquiunt, horrenda dictu, naſcuntur ex poetica, nam hoc vocabulo traducunt quicquid eſt elegantioris doctrinæ, hoc eſt, quicquid ipſi non didicerunt. Hujuſmodi nænias non pudet etiam in ſacris concionibus deblaterare, qui ſe præcones Euangelicæ doctrinæ haberi poſtulant. Abutuntur & *Romani* Pontificis & *Romanæ* Sedis nomine, videlicet apud nullos, ita ut par eſt, non ſacroſancto. His technis, his cuniculis adoriri parant efflorescentes optimas literas, ac puriorem illam Theologiam, ſuos fontes reſipientem. Nihil non tentatum eſt, nullum calumniæ genus non excogitatum in eos, quorum opera vident hæc ſtudia gliſcere: inter quos me quoque numerant, qui quantum attulerim momenti, neſcio, certe magno conatu ſum adnixus, ut homines ab his frigidis argutiis, in quibus tantum conſeneſcebant, ad purioris pariter ac ſeverioris Theologiæ ſtudium accenderem. Neque laborem hunc mihi prorſus fruſtra ſuſceptum eſſe, vel hinc intelligo, quod quidam ſic in me ſæviunt, quibus ægre eſt quicquam in precio eſſe, quod ipſi nec docere poſſunt, & erubeſcunt diſcere. Aſt ego primum *Chriſto* teſte, cui potiſſimum meæ vigilant literæ; deinde tuæ ſanctitatis judicio, ad hæc recti conſcientia; poſtremo tot inſignium virorum ſuffragio fretus, iſtorum latratus ſemper neglexi. Hoc quantulumcunque eſt ingenium, ſemel *Chriſto* dicatum eſt, unius hujus gloriæ ſerviet, ſerviet Eccleſiæ *Romanæ*, ſerviet eccleſiæ Principi, præſertim autem ſanctitati tuæ, cui me pluſquam totum debeo. Poteram aliis argumentis tractandis ad opes, ad dignitates provehi: graviſſimis teſtibus docere poſſum verum eſſe quod dico. Hoc lucrum mihi viſum eſt potius, *Chriſti* gloriæ ſervire malui, quam meæ. Semper à puero mihi curæ fuit, ne quid aut impie ſcriberem, aut ſpurce, aut ſeditioſe. Quod ſi quid etiam olim per ætatem licentius effutivimus, hanc certe ætatem nihil decet, niſi ſerium ac ſanctum. Nullus adhuc meis ſcriptis factus eſt vel pilo nigrior: nullus minus pius: nullus mea cauſa tumultus ortus, aut oriturus. Hoc animi decretum nulla vincet obtrectatorum improbitas. Quid alii ſcribant ipſi viderint, ego ſervum alienum non judico, ſuo domino ſtat aut cadit. Doleo tamen majorem in modum quorundam amarulentis contentionibus labefactari tranquillitatem ſtudiorum, ac rei *Chriſtianæ*. Neque res jam intra argumentorum conflictationem conſiſtit, atrocibus utrinque convitiis pugna crudeſcit, dentatis libellis res geritur, ac reciprocantibus maledictis tumultus in rabiem exit. Nemo non labitur alicubi, niſi qui homo non eſt. At decet humanos lapſus, ſi tales ſunt ut non oporteat ad eos connivere, *Chriſtiana* lenitate corrigere. Nunc depravant & quod recte dictum eſt, ſæpe & quod non intelligunt. Amarulentis dictis exacerbant, quibus poterant *Chriſtiana* manſuetudine mederi: alienant ſævitia, quos comitate poterant retinere. Protinus *hæreſis* vocabulum in ore eſt, ſicubi diſſentiunt, aut videri volunt diſſentire: ſi quid parum arridet, ſeditioſe quiritantur apud craſſam & indoctam multitudinem. Hæc aliquoties parvis initiis orta, ſæpenumero vaſtiſſimum gignunt incendium, fitque ut malum, quod initio ccu leve negligebatur, paulatim auctum tandem erumpat in grave diſcrimen tranquillitatis *Chriſtianæ*. Hac quidem in re multum laudis debetur optimis monarchis, qui auctoritate ſua diſſidium hoc oriri cœptum ſedarunt, velut *Henricus*, ejus nominis octavus, apud *Anglos*; *Franciſcus*, hujus nominis primus, apud *Gallos*; apud *Germanos*, quod ea regio in Regulos complures diſſecta eſt, non poteſt idem fieri; apud nos, quoniam & nuper Principem habere cœpimus, atque eum habemus optimum quidem pariter & maximum, ſed ingenti ſemotum intervallo, tumultuantur adhuc impune quidam. Proinde mihi videtur *T. S.* rem factura *Chriſto* longe gratiſſimam, ſi contentionibus hujuſmodi ſilentium indixerit, atque id præſtet in orbe toto *Chriſtiano*, quod *Henricus* & *Franciſcus* in ſuis uterque regnis præſtitere. Tua pietas ſummos Reges redigit in concordiam: ſupereſt, ut per eandem & ſtudiis ſua reddatur tranquillitas. Id fiet ſi tuo juſſu homines, qui loqui non poſſunt, deſinant obgannire politioribus literis, & ad benedicendum elingues deſinant in linguarum ſtudioſos maledicere, ſed ſuam quiſque profeſſionem gnaviter tueatur citra contumeliam alienæ. Ita fiet ut graviores illæ, quas vocant, facultates, Theologia, Juris prudentia, Philoſophia, Medicina, harum literarum acceſſione non mediocriter adjuventur. Sine, ut hoc quoque beneficium debeant bonæ literæ, quæ jam beatitudini tuæ nihil non debent, quam in multam ætatem religioni ſuæ inſtaurandæ, propagandæque, tueatur *Chriſtus* Opt. Max. *Lovanio* 13. Auguſti, Anno 1519. An. 1519.

## EPISTOLA CCCCLIV.

*Eraſmus Rot. Chriſtophoro Haco* S. D.

ALLATVM eſt huc carmen elegiacum, à quo ſcriptum, incertum, certe titulus ad te ſcriptum arguit: eo quiſquis eſt mortem meam deplorat, meque tandem inter divos collocat. Agerem gratias homini pro ſuo officio, ſi noſſem: nunc tuum eſt illi meo nomine gratias agere, cujus animus ſic in *Eraſmum* propenſus hoc mihi gratior eſt, quod hæc tribuit ſepulto. Nam vivum qui laudat, non ſolet abeſſe prorſus ab aſſentandi ſuſpicione. Sed quid imprecemur rabulis iſtis, qui me quotannis fere bis efferunt, idque quo crudelius ſit, vivum, coguntque toties me mihi ſuperſtitem eſſe? Quid imprecemur miſeris, niſi mentem illis meliorem dari, ne ſemper, quod hactenus faciunt, vivant mortui. Etenim quum Deus ſit charitas, atque is vita ſit animæ, qui poſſunt haberi vivi, qui ſic odere proximum adeo non lædentem, ut ſtudeat de omnibus bene mereri: ut quem vivere doleant, falſiſſimis iſtiuſmodi rumoribus ſubinde ſepeliant: interim imaginatione fruentes, dum re non licet: tum ex eorum dolore, quos triſtibus fabulis exanimant, crudeliſſimam voluptatem capientes. Nos ſive vivimus, ſive morimur, Domino vivimus ac morimur. Bene vale, vir optime. *Antuerpiæ* 13. Auguſti, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCLV.

### ΒΟΤΔΑΙΟΣ ΕΡΑΣΜΩ ΕΤ Π·ΡΑΤΤΕΙΝ.

ΗΔΥ μοι πάνυ ἐγκέλοι τὰ γράμματά σε λαβεῖν, ἐτύγχανον γὰρ ὀκ πολλῆ τύτε ἐφιέμενος. Οὐμὲν ὅ ἔτως ἡδέα μοι τὰ γράμματα αὐτὰ ἀνεωγμένα, τό γε πρῶτον ἀναγνόντι γέγονε. Ἐκείνη μὲν ἔνημέρα Χερσοφόρος ὁ Λογγόλιος, ἀνὴρ ὀκ εἰς μακρὸν ὑπάρξων τῆ ὄντι παιδείᾳ δόκιμος ὢν, λέγε τὰ ἀγροικίας τὰ ἐμῆς μεταβεβηκέναι, σώ τισι δὴ χαρίεσιν ἀνδράσιν εἰς Βρεττανίαν ἰόντι. Ἐπί γε μὲν τῷ συγγνώστῳ σοι, ἦν Λουάνιον δὴ πόλιν ὀνόμηνε ἐν τῆ ὁδοιπορίᾳ ὡς γε μοι ἔφασκε. Περὶ δείλην ἔν ὁπίαν ἔχοντί μοι ἐπὶ τὰ τῆ φιλολογίας, ἀπήγγειλέ τις τῆ οἴκοι, νεανίσκον τινὰ ἐπὶ τὴν αὔλειον θύρην εἶναι ἵππῳ ἐποχούμενον. Καὶ ἐπάχρημα καταβάντι μοι νεανίσκος ἔτος ἐπέστη, μὴ δὴ τὸ προσδοκηθὲν ἐμὲ, γράμματα ὑπὸ τῆ Ἐρασμου κομίζειν φάμενος, καί τινος ἄνωθεν τῆ φίλων. Τύτε τοίνυν ἀκροώμενος, ὀκ οἶδ' ὅπως ὑπὸ χαρᾶς διεκείμην, μεταξὺ δὴ αἰσθανόμενος τῆ καρδίας αὐτίκης ἀνὰ τὰς φρένας ἐμάς. Κομιζόμενος ἔν αὐτὰ τῆ ἀνοίξας, ὡς Ἑλλησι φθεγγομένοις ὀθνεῖος εἶδον τὴν ἀρχὴν, τὸ ἄνθρες δὴ ἡγαθὼν, εἶτ' ὀξέως ὑπὸ πανδῆς διεξιέναι ἠρξάμενος, μεταξὺ ἀναγινώσκων ἐρυθρὸς, ὠχρὸς, ὑπομειδιῶν, σεζηρὸς, δυσχεραίνων ἐν μέρει τῆ διγνωμόνως ἔχων, μεκεχυμένος, συγκεχυμένος, ποικίλος, παντοῖος, τῆ τί γὰρ ὀκ ἐγενόμην, ἀπαλλαξείων δῆθεν ἔ δὲ ἔ ἀγῶνος ὁτὲ μὲν, ὁτὲ δὴ πάλιν πολεμησείων. Μετὰ δὴ τῦτο, τὸ πρᾶγμα ἐπ' ἐμαυτῆ σκεπτόμενος, εἶτ' ὀπισχυ ταλαντούμενος τῆ γνώμην, μεταπόντων δῆθεν τῆδε κακεῖσε τὸν λογισμὸν ὑπεναντίων παθῶν ἀλλήλοις, εἰς συμβουλὰν ἦνα καθέσηκα συμφιλοσοφῶν ἐμαυτῷ. Ἄχει δὴ τελευτῶν ὑπὸ ἔ τὸν μεταμέλειαν ἰσορροπῆντος ὄντι τὸ διάρεσον καλέρρεψα τῆ ὄμφης, τὸν φιλίας δήπυθεν ἐχό-

Digitized by Google

An. 1519. ἐχόμενον τ ἄγαν ἐμοὶ κεχαρισμένης. Οὐ τοσοῦτόν γέ σε τὸ ἐπιμηνικὸν ὑπολογισέον εἶναι ἀναμιμνησκόντας με ταύτης, ὅσα χρὴ τιμᾶσθαι τὸ δύνειν καὶ προσφιλὲς τ ψυχῆς. Ἅμα δ καὶ ἐπ' αὐτό μοι τοιοῦτον ὑπεσκεψάμην ἐπολέ λι κῆ ξ φιλίας θεᾶ πεπλημμελημ) ὑπ' ἐμοῦ, (συμβαίη δ' ἂν τοῖσδε τί που ἐν τῷ παιγνιώδει σκείνῳ τ ἀληθῆς συμβολῆς ἀπόχνισμα, τῷ ἐν ταῖς ὑποσολαῖς ἡμῶν.) τοῦτο δὴ ἐκπεφάσθαι δεῖν ἐμὲ ἱεροδύτῃ λινί τ τῷ τυχόντι, ἀλλ' ὡς ἂν τύχῃ ἱερᾶργηθέντι. Οἶμαι τοίνυν ἀλλ' ἂν ἐνὶ ἱερείῳ τ πλημμελήσαντα θεὸν δύσκερδέστερον ἐξιλάσασθαι, ἢπερ τῇ τ ἡμαρτημένων ἐξομολογήσει τε καὶ μεταγνοίᾳ, ὁμολογούμενον ἐστὶν ἐν ἡμῖν τοῖς ἐμφιλοσοφοῦσιν τοῖς θείοις. Τοί γαρ ἔν, ἄνερ φιλτατε, σὲ μὲν προκαλούμενον ἐμὲ εἰς χαριστέαν ἵνα καὶ φιλοπρεπεστέαν τ ἀμυνοίων ἰδέαν τε καὶ ὑποθεσιν, ἅτινος ὑποδέχομαι τ τε δύσνωτον σμίνης καὶ τ μισεγκλήμονος ψυχῆς, ὥστε τῇ νενομοθετημένῃ ὑπὸ σε ἀμνησίᾳ κομιδῇ τε χρήσομαι, ἀφελεστέαν τε ὑπισχνούμενον αὐτῇ ἐναπομένων. Γνοίη ἔν τ σὸν Βιδαῖον ἔχων τοιαποτοῦτο τοῖς φιλίας νομίμοις πειθαρχοῦντα, εἰ κῆ ἄλλον ἵνα δὴ τ δοκίμων σῶν καὶ ἐξητασμένων φίλων. Οὐ μὴν ἀλλὰ, σὺν οἰκήσαι ἔγωγε ἅτινος φιλίαν φρονῶν, καί σε δέεσθαι μίαν δέησιν τηνδε. Σὺ δ' δὴ ταύτην οἶμαι σὺκ ἂν βαρυνθείης αἰτυμένῳ μοι συγχωρεῖν, ἵν' ἔξῃ μοι σωζομένης τ ἀμνησίας, ἀλλ' οἱανδήτε βιαζομένης, τόγε τοσοῦτον μεμνῆσθαι τ παρελθυσόντων, ὅσον ἀμαρύσσειν ἀνθρώπων ἀπάντων ἂν τ ἐχθρῶν ἄντε φίλων ἐμῶν τε καὶ σῶν. Αἴτ' ἂν ἢ καὶ ὁποῖ' αἴτ' ἂν δόξῃ τὰ ὑπ' ἐμοῦ ποτὲ φίλα σοῦ τε καὶ πρός σε γεγραμμένα καὶ εἰρημένα, ταῦτα δὴ γεγωνῆσθαι ὑπὸ φιλονεικίας μὲν ἴσως σὺκ οἶδ' ὅπως τῇ ψυχῇ παρεισδύζης καὶ τ θυμὸν ἀκονισάζης. Γνωσδέπω καὶ παρεισφθαρείζης ἂν τὸ τελοῦλαῖον, (οἷα φιλεῖ δ θυμοῦ τὰ ὁρμήματα εἰς χεῖρον ἐπιλείνεσθαι) σὺκ ἔν δε τοι ὑπὸ τ δυσέρωτος φιλονεικίας καὶ ἀμίλλης τ κακόνου, ἀμὰ τῷ φιλοσοφίαν, ἧς τὸ θεῖον ἡμῖν σεπτὸν τυγχάνει ὂν καὶ σεβάσμιον. Καὶ μὲν δὴ καὶ τάτε μάρτυρος ἀνακαλεῖσθαι τῷ αὐταλήθειαν σὺκ ἂν ὀκνοίην αὐτός, τῷ τ εὖ φιλοσοφούντων προαίρεζιν καλοῦθύνουσαν, καὶ καρδιῶν τ ἡμετέρων ἔφορον. Καί τοι ἐκ ἀδεῶς ἔγωγε ἀλλ' ὅτε ἔτυχε διόμνυσθαι εἰωθώς, ἀδὲν νῦν, ὡς οἶμαι, πιστώσασθαι τῷ ἔννοιαν ἡμῶν ἐδεόμην, εἰ μὴ οἱ φίλοι οἱ σοὶ, τάχασδε καὶ οἱ ἐχθροὶ οἱ ἡμέτεροι, μᾶλλον δ' οἱ τῷ ἡμελέσθαι φιλοκαλίαν δυσχεραίνοντες, πιστῶσαι μὲ σιγῇ ἐδόκουν, καὶ τέλουν τ ὅρκον ὁρκῶσαι, δυσμένειάν τινα δήπου ὑφορώμενοι ἐν ἡμῖν ταύτην τε ἐφηδόμενοι, ἐξ ὧν ἡκροβολιζόμεθα προῖξ μελεῖητικῶς. Σύγε μὲν, ὦ δαιμόνιε, εἰ τοιόνδε καὶ σοι σύνοιδα εἰργασμένῳ, πρέ γε τ ἐφαμίλλου τ δε φιλονεικίας τ χωρούσης πόρρω δ' ὑποχρῶν, εἰδείης ἂν εἰ καί σοι καθαρτέον ἐστὶν ὧδέ πως τὰς φρένας σῦ. Οὐ γὰ ἂν ἐν δέοντι θεῖτό τις τ χρησῶν καὶ προσφιλέστερον ἐχόντων, τὸ ὑπομνημονεύειν νῦν ἐκεῖνα, ὧν ἔγωγε τυγχάνω τεθαυμακὼς ἐν τῇ σῇ ἐπιστολῇ, δεξιῶς μὲν καὶ σοφῶς, φιλαλήθως δέπως ἐρμηνευθέντων, καὶ δὴ καὶ πέρα τοῦ δέοντος ἡκριβολογημένων, ὥς γε δὴ ὑπὸ δ ἀνδρὸς ἀμνησίαν πραγματικῆς παρειζοίζοντος. Ἐπεὶ γάρ τοι περιττῶς μᾶλλον λόγῳ καὶ καλακηλίτικῇ ἐφῶ τε πραστεύσασθαί με πιθανώτερον, καὶ δίκαιον τ νόμον ἐνδεχόμενον τ σόν. Ἐπεὶ εἰ αὐτὸς ἀγωνιστικῶς ἔχων ταύτῃ ἐπεχείρησα τῇ ἀφελεσίᾳ ἐπεξιὼν, θυμοειδεῖ τῇ ψυχῇ μᾶλλον χαρίζεσθαι ἐμπαθέστερον, σὺκ ἂν τὸ πρᾶγμα αὐτὸ πέρας ἔχειν ἀδεπωπόλε, εἶτ' ἐκ τ ἄγαν ἀμίλλης τ δε δυοῖν φίλοιν ἰλιὰς κακῆς φιλονεικίας ἀνεφάνη ἄν, ἑκατέρᾳ δήπουθεν τὸ δίκαιον ἑαυτῷ προποιούμενα ἑζαεὶ, καὶ δικαίως καδίκως. καί μὲν ἔγωγε συνήδομαί μοι αὐτὸ ὧν αὐτὸς ἐμαυτῷ ἔφθην εἶναι αὐτεξούζιος, ἅζα καὶ τῇ φιλόφρονί σε ἀμνησίᾳ δικαίως ἐπαναπαύσασθαι ἐπιδεξιτέρᾳ ἂν δήπου χρωμένη, εἰ μὴ ταύτῃ πρὸς ἐγκλημαλικῇ ἐκείνῃ τῇ ἐπιστολῇ ἐπεσήγαγες, πολυπραγμονήζη γε τὰ καὶ τὰ ὑπ' ἐμοῦ προπεπονθέναι δοκοῦντα, ὑπὸ δ ἀσυμμέτρου ἐν τῷ ἀγωνίζεσθαι. Οὐ γὰ ἔξαρνός εἰμι τὸ καθ' ἐμὲ ὑπαίτιον, ὥσπερ ἀλλ' ἂν αἰσχυνθείην ἀναλίθεσθαι τὰ ἐσφαλμένα μοι ὅπη παρείκαι, συγγνώμην τε προσαιτεῖσθαι, ὧν ἔφθην ποιήσας σὺκ ἐν δέοντι. Πρὸς δ' τοῖς ἄλλοις καὶ τοῦτο δὴ ὠναίμην τ δεινότητος τ σῆς· ὅτι τ νομοθετοῦντά μοι φέρειν ἤδη κοσμίως τε καὶ τεταγμένως ἐθισθήσομαι, καὶ νουθετοῦντος δίκαιος ἀκροᾶσθαι, μέχρι δὴ καὶ δ κερτεῖν δυσκαθέκτου παθήματος, καὶ μάλιστα τ ἀπάντων πρὸς τ λογισμὸν ἀπαυθαδιαζομένου. Οὐ γὰ ἐσθ' ὅτι τ παθῶν ἥττον ὑπήκοος δ λόγου, ἀδὲ δυσχερέστερον ἐπειθάρχησε τῇ ἐγκρατείᾳ, τ δ' τ ἀνταγωνιστικῆς ὁρμῆς, καὶ ταῦτα ἀφιλοτιμουμένης πρὸ δ δικαιολογεῖσθαι δοκεῖν. Σᾶ δ' δὴ ἔργον ἔσαι ὦ φιλότης, καὶ πρόνοιαν ποιήσασθαι δ μὴ δοκεῖν σε ἀνεπιφθονέστερον τάτε ἀπαλλάξαι δ ἀγῶνος. Ὅπου καὶ αὐτὸς ὁρῶν σε πρὸς τῇ φήμῃ μᾶ δεδιότα, ὡς ἔφης, πρὸς δ καθηκοντος δὴ Anno 1519. δ ἐμοῦ ὠφθῆναι εἶναι, καὶ δὴ δοκήσεως ἀνεπιμελεῖσθαι τ σῆς. Τί ἂν πρὸς θεᾶ, ἐσὶν ὅσις τ κοινῶν ἡμῖν φίλων ἐν καλῷ τοῦτο θήσει). Ὅτι τελῶν ὑπ' ἐμοῦ γραφίζων ἐφεξῆς ἐπιστολῶν, μία μὲν μόνον σὺ τῇ χρείσῃ καὶ ἡδονῇ ἀπηρκαιωμένῃ ἐπεξιὼν ἅπαντα ταύτης μόρια ἀπρεπῶς γε ἔχοντα, πάνυ παντὸς μελιῶν, ἐπιπλήζω, ἔτι τοι παρεμπλωύσας ὡς ἀκαιανόνητά μοι εἶναι τὰ ὑπ' ἐμοῦ ἐπεσαλμένα· δυοῖν δ' ταῖν προσφιλῶς καὶ δυνοϊκῶς ἐχόντων, ἀλλ' ὅλως ἐμνήσθης ἀδὲ πώποτε. Οὐδὲ γὰ ἐκείνη γε ἡ ἀπεργία τοῦ πικρίαν τε καὶ ἀτοπίαν ἐπανακυκλοῦσα τ ἐμῆς ὑποσολῆς, τ ἄγαν γλυκυθυμίας ὄζει. Οὐδὲ δὴ τ ὑπομνημονευτέων τ εὖ καὶ φιλικῶς ἐχόντων γραμμάτων ἡ ὑποζωπησις ἡ σή, πιστώσασθαί μοι δοκεῖ τὰ ἀπὸ φιλίας τ δύσαθες τὸ σὸν μέρος· σὴ γὰ ὁ αὐτὸς ἀεὶ εἶναι τὰ καὶ τοῦ φιλίαν φήσας, ἀπιστεῖσθαι ἀ δέδοικας τηλικαύτῳ σῶ τῷ μνησικακίαν καλεγνωκὼς; εἶτα τοῦτο ποιεῖν φθάσας ἀκαπείζειν οἴει τὰς ἄλλας πάντας σε εὖ τίθεσθαι ὅπως τιοῦν εἰρῆσθαι φθάσαντας; πῶς γὰρ; ὅς γε τῇ τ ἐγκλημάτων διεξόδῳ ὑπερφῶν δεινοήκως καὶ σμικρολόγως, πάντων τε τ ὑπ' ἐμοῦ γεγραμμένων ὑπλαβόμενος ἀπελῆ, ἀνεπίληπτόν σε παντάπασιν ὑποδεικνύναι ἐγκεχειρηκας. Τοῦτο μὴτοι ἀ πείζεις, ἀλλ' ἰὼ πείζεις, τὸ δ κωμικῶ. Ἐγὼ μὴν δὴ, ὦ φίλε, τῷ ἁμαρτίαν τῷ ἐμοὶ δίκης ἀνομολογούμενος, συγγινώσκεσθαι ἀξιῶ εἰ βαρυνθεὶς τῷ αὐσηρόν σε καὶ ὑπερφυᾶ ὑπόμνησιν διόλε γὲ σεαυτὸν ἀθυμώσαντα, μέχρι δ' ἂν παρεξετάσω τ λόγον, εἰ καὶ πάντως γε πέπεισμαι ἀληθῆ σε φίλον εἶναι, καὶ δυνοϊκῶς ἔχοντα. Ἄμφω γὰρ ἴσως πῆ δεδεκασμένῳ γνώμῳ ὑπὸ ἀπιδῆς ἔχομεν, τ φιλαυλίας ὡς ἔοικεν ἐχομένης ἐμπαθέστερον, οἷα φιλεῖ τὰ τ ἀνθρώπων εἶναι· ἀλλαμὲν αὖθις αὖ δέδια μὴ ἔλαθον τῷ ἐπιτελησθυμένῳ ὑπ' ἐμοῦ μεζόνοιαν ἀφλαρότητα. Ὦ γὰρ μεταμέλῃ τ ἡμφισβητημένων, ἔτ' εἰμὶ εἰς τύπιν τοπαρχὸν ἀναδύσιλο τὰ τ ἀμφισβητήζεως, σὺκ ἂν φθάνοι πρὸ τὸ αὐτὸ πλᾶσμα πάλιν καλινδούμενος. Τυνιεῦθεν δ' ἤδη ἀνεπισρέπτως μεζονοῦνά με παρέχομαι, καὶ εἰς ἅπερ ἂν βούλῃ πρόθυμον καὶ δύτρεπῆ, ἄλλωσε οὐκ ἀπηλλαγμένως φύσῃ διακείμενον τ ἀσφαλείας καὶ χαριεστέρας ἀμοιβῆς, εἰς ὃ δὴ πεδίον σύγε ἡμᾶς προκαλῇ, ὁ ταῖς χάρισι σωτρόφος· ἔσω δὴ σὺν θεῷ ὁ ἀμνησίας νόμος τοαποῖδε κύριος. Ὁπότερος δ' ἂν ἡμῶν τ ἀφειμένων ἐκαλέρωθεν ὁτιοῦν ἀνανεοῖ, οὕτως ὑπὸ τῷ τῷ προδηλομένῳ δίκῃ φόβῳ, καὶ ζημίαν δὴ οὐ μικρὰν προσοφλέτω, τῷ τ κοινῶν φίλων ἔχθρας δηλονότι. Ἰδοὺ δὴ τ νομοθεσίας σωεπιλαμβάνομαί σοι, καὶ σωεπιψηφίζω τὸ δόγμα, καὶ σωεπιχυρῶ τ βελῆς σε, τὸ διαχρᾶψον τε, ὡς ἐλπὶς, καὶ ἀναιρητέον πάντα τὰ ἐγκεκλημένα. Ὅπως οὖν μνησθεὶς ὧν σὺ εἰσηγητὴς γέγονας, πιθανοῦ τινος καὶ κομψοῦ προκαλέρξῃ, οἷς καὶ τὰ προγεγραμμένα καλῶς θέσθαι. Ἐν Μαρλιανῷ τῷ ἡμελέρῳ μαιμαχητηρίων πέμπτῃ ὑπὸ δέκα. Ἐρρῶσο, δ διαλέλαθυχέσθαι πρέπλων. Ex *Marliano* 15. Augusti, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCLVI.

*Erasmus Rot. Alberto Card. Mogunt.* S. D.

IN tam immensis studiorum laboribus lassescenti nonnunquam non modo calcar, sed & robur addit adeo propensus tuae cessitudinis favor, cui in negotio, cum per se omnium maximo, (quid enim majus, quam orbi dare Cæsarem?) tum multis etiam difficultatibus transversim incurrentibus, vehementer perplexo, vacaverit, & nostras tam inconditas literas legere, & lectis non indiligenter respondere. Gratias agerem celsitudini tuae pro tam singulari in hunc homuncionem civilitate, ni magis gratulari liberet orbi *Christiano*, cui sapientissimorum Principum, & in his tua præcipue opera *Carolus* Imperator contigerit: unus hac tempestate merito visus idoneus, qui cum tantam Imperii molem sustineat, tum *Maximiliano* succedat. Et fortasse minus erat difficile reperire qui oneris magnitudini par esset, quam qui Cæsaris demortui virtutibus responderet. Omnibus vero summa spes est fore, ut *Carolus* noster avita decora nobis referat, æquetque, non enim ausim dicere superet, sed tamen ausim optare tacitus. Deinde ea est *Caroli* felicitas, ut Imperii titulo, qui superioribus aliquot seculis plus habuit juris quam auctoritatis, par responsura videatur potestas.

Digitized by Google

An. 1519. ſtas. Nam complures magnos reddidit commiſſum imperium, *Carolus* ipſi imperio dignitatem adjunget. Aliis imperii nomen adſerebat jus orbis, *Carolus* orbis principatum adſeret imperio. Denique ea eſt ætate, ut propitii numinis præſidio ſpes ſit fore, ut ſub eo Principe quam diutiſſime floreat orbis *Chriſtianus*. Et ejuſmodi regnis imperat, ut nemo magis ſit formidandus barbaris *Chriſtianæ* religionis hoſtibus. Illud omnium votis optandum à ſuperis, ut hanc eximiam virtutis indolem, quam nunc præ ſe fert *Carolus*, & ſervent, & ſemper in melius provehant, quo profligatis ab omni Republica *Chriſtiana* bellorum impiis tumultibus, *Chriſti* populus, jugi pace tranquilloque ocio lætus, honeſtiſſimis artibus, ac pietatis ſtudiis eximie floreat, aut certe ſi res ita poſcet, concordes noſtrorum Principum vires & arma in *Chriſtiani* nominis hoſtes convertantur. Quod ſi quid etiam *Carolo* gratulandum eſt, duplici nomine cum primis gratulandum arbitror, & quod veſtro judicio ſit adſcitus, & quod *Franciſco Galliarum* Rege, tanto videlicet competitore, ſit imperii faſtigium aſſequutus, ipſe promerens magis, quam ambiens: ut quemadmodum olim *Hectoris* virtus *Achillis* victoriam illuſtravit, quemadmodum *Turnus* vir fortiſſimus *Æneæ* laudem auxit: ita ſummus Rex, ejuſdem honoris æmulus, *Caroli* gloriam reddiderit illuſtriorem. Mandatum eſt, non venditum imperium, & mandatum eſt ei, qui quam fortiſſime poſſit obire: mandatum eſt ei, qui velit quam ſanctiſſime adminiſtrare; nihil ſupereſt, niſi ut ſummus ille Princeps, cui uni cor Regum omnium in manu eſt, & veſtrum judicium, & *Caroli* conatum, & noſtrum votum bene fortunet. Ad id omnibus pro ſua cuique portione eſt adnitendum, quando negotium agitur omnium. Non pœnitebat antehac libelli, quo quod ſit Principis munus utcunque præſcribimus, quem libellum *Ferdinandus* noſter, adoleſcens virtuti natus, ſemper habet in manibus. Nunc etiam magis gaudeo, quod ſperem eam, ſi qua eſt, utilitatem ad univerſum orbem perventuram. Etenim quemadmodum plurimum lædit, qui fontem inficit, unde bibant omnes: ita latiſſime patet illius beneficium, qui pectus inſtruit omnibus imperaturum. *Richardus Pacæus*, optimi Regis Orator optimus, non dubitabam, quin tibi modis omnibus eſſet placiturus. Atque ille reverſus ad nos, dici vix queat, quantopere ſibi gratulatus ſit, cui contigiſſet talem Principem, non minus integritate morum, quam imaginibus majorum, fortunæ dignitate clarum & noviſſe & viciſſim innotuiſſe. Quam ille geſtiens, quam ardenti oratione, plurima cupidiſſime percunctanti, totum te mihi depinxit. Ego porro, quid dignitatis aut adjumenti poſſim adferre ſacris Literis, alii viderint, nobis certe propoſitum eſt, hiſce laboribus immori, quos *Chriſto* non ingratos eſſe confidimus, vel hoc certe nomine, quod ſimplici animo in illius gloriam à nobis ſuſcipiuntur. Quid ni boni conſulat hanc noſtram ſedulitatem, qui pauperculæ viduæ quadrantem omnibus omnium divitum muneribus prætulerit? Aliis alii benefactis *Chriſtum* demerere ſtudent: nos quando nihil aliud poſſumus, hac illi victima litabimus. Jam vero vide quantum benignitati tuæ, & *Hutteni* nomine debeam, de quo ſic mihi præſagit animus, hominem aliquando magnum ornamentum noſtræ *Germaniæ* futurum, ſi modo & Dei præſidio vita ſuppetat, & tuæ celſitudinis favore non deſtituatur: nam hanc ingenii laſciviam (ut ita loquar) ſatis per ſe corriget ætatis acceſſio. Quod nihil te commovet error ejus, qui dicato libello, ſedulo verius quam prudenter ſtuduit alteri gratificari, ea res mihi animum vere excelſum, & tanto Principe dignum arguit. Munus nondum eſt allatum: ubi redditum erit, mihi ſemper ut res quæpiam ſacra ſervabitur, atque etiam oſtentabitur, ut tui erga me animi pignus, tuique de me judicii monumentum. Bene valeat tua ſublimitas, cui ſemper commendatus eſſe cupio. *Antuerpiæ* 16. Auguſti, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCLVII.

### IN OFFICIA CICERONIS.

*Eraſmus Rot. Jacobo Tutori* S. D.

An. 1519. QVEMADMODVM qui ſunt à ſcorpiis icti, ſolent ab iiſdem remedium petere, ita mihi convenire videtur, *Jacobe* Juriſconſultorum eruditiſſime, ut qui literis ſumus addicti, animi laſſitudinem, aut corporis affectionem è ſtudiis gravioribus contractam, ab iiſdem ſtudiis, ſed amœnioribus recreemus. Etenim qui vere ſtudioſi ſunt, per omnem vitam nihil aliud agunt, quamdiu licet illis ſuo arbitratu vitæ curſum moderari, nec tam intermittunt ſtudia, quam remittunt & relaxant aliquoties ingenium, ceſſant nunquam, otiantur interdum, ſed interim agentes aliquid. Feriantur aliquando, ſed ſic, ut otii rationem pulchre queant reddere. Et, ſi libet, ceſſant etiam nonnunquam, ſed ut horum ceſſatio plus adferat bonæ frugis, quam quorundam negotioſiſſimæ occupationes. Sic nimirum fortis & gnavus miles (conferam enim exemplum ſimilius) dum in æſtivis, aut hybernis agit, aut dum induciæ præſtant, ut neceſſe non ſit in acie ſtare, aut excubare ſub pellibus, tamen ita luſibus relaxat animum, ac vires reficit, ut luſus ipſi militiam ſapiant. Pugnat ad palum, jaculatur ad ſcopum, torquet fundam, vibrat haſtam, decertat palæſtra, concurrit lanceis, torrentem natatu tranſmittit, armatus in equum inſilit. Denique ſic feriatur à belli muniis, ut ad ea redeat vegetior. Aliter ludit ganeo, aliter egregius Princeps. Aliter ſcurra jocatur, aliter vir probus & integer. Ad hoc igitur exemplum cum nuper valetudo flagitaret, ut ingenii corporiſque vires diutinis atque immodicis ſtudiorum laboribus fatigatas inſtaurarem, ſarciremque, relicto *Lovanio*, per aliquot *Brabantiæ*, *Flandriæque*, oppida circumvectus ſum, quo ſimul & à libris aliquantiſper abeſſem, & amiculorum eruditorum conſpectu, fabuliſque, memet oblectarem. Neque ſic tamen abeſſe potui ab adamata bibliotheca mea, quin unum aut alterum libellum, itineris comitem circumferrem, ut ſi quando forte in vehiculo non contigiſſet congerro ſat commodus, non deeſſet tamen, cujus colloquio temporis tædium fallerem. In his erant *Officia Ciceronis*, *Lælius* & *Cato*, una cum *Stoicorum* paradoxis. Invitarat autem voluminis exiguitas, haud multum additura ſarcinulæ ponderis. Ex hujus lectione, mi *Tutor*, geminum fructum cepi: primum enim priſtinæ conſuetudinis noſtræ, qua nihil eſſe potuit mellitius, memoriam ſic mihi renovavit, ut incredibilem animo perſenſerim voluptatem. Deinde, ſic me totum inflammavit ad honeſti, virtutiſque, ſtudium, ut jampridem nihil tale ſenſerim, noſtrates quoſdam neotericos legens, qui *Chriſtiani*, *Chriſtianæ* philoſophiæ myſteria profitentur, & iiſdem de rebus, magna, ut nobis videtur, ſubtilitate diſſerunt, ſed æque frigide. Ego quid aliis accidat neſcio, mihi quid acciderit ingenue fateor, ſive id illorum vitio fit, ſive meo. Sic ſubinde mecum inter legendum cogitabam: Hiccine Ethnicus ſcribit Ethnicis, prophanus prophanis? At in præceptis vivendi quanta æquitas, quanta ſanctimonia, quanta ſinceritas, quanta veritas, quam omnia conſentanea naturæ, quam nihil fucatum, aut ſomnolentum? Quem animum exigit ab his, qui gerunt Rempublicam, ut admirabilem virtutis ſpeciem ponit ob oculos, quam multa, quam ſancte, imo quam divinitus tradit, de gratis etiam juvandis omnibus, de tuenda amicitia, de immortalitate animorum, de contemptu earum rerum, quarum gratia vulgus hodie, non dicam *Chriſtianorum*, ſed Theologorum etiam ac Monachorum, nihil non & facit & patitur? Pudebat interim noſtrorum morum, qui ſacris Libris edocti, qui tantis & exemplis, & præmiis provocati, doctrinam Euangelicam profitemur, nec præſtamus. Deſcribe noſtris Satrapis talem Principem,

Digitized by Google

An. 1519. cipem aut magiſtratum, qualem deſcribit *Cicero*, diſpeream ni cum ſua imagine, ut delirus, ridebitur. Quis nunc Rempublicam niſi ſpe lucri, aut honoris gratia, capeſſit? Quis non ita gerit, ut quæſtum facere videatur, ut hoſtem agat eorum, quibus debuerat etiam vitæ ſuæ diſpendio conſulere. Ubi reperias inter *Chriſtianos* par amicorum ad hanc imaginem, quam proponit *M. Tullius*? Ubi ſenes, qui tam infracto animo ferant ætatis incommoda? Ubi tam ſancta ſenum cum juvenibus colloquia? Nunquam antehac magis expertus ſum verum eſſe, quod ſcribit *Auguſtinus*, *Ex Ethnicorum benefactis, acriores addi ſtimulos ad virtutem quam noſtratium, cum ſubit animo, quam turpe ſit, non ea perſpicere pectus euangelica luce illuſtratum, quod perſpectum eſt iis, quibus ſola naturæ ſcintilla prælucebat. Non præſtare nos, qui ſub Chriſti vexillis militamus pictati, qui ſtipendium immortalitatis ab eodem exſpectamus, quod præſtiterunt ii, qui nihil hominis à rogo ſupereſſe, aut ſuſpicati ſunt, aut plane crediderunt.* Et poſt ea non deſunt craſſi quidam, qui ſtudioſos ab hujuſmodi libris deterreant, ceu poeticis, ut vocant, ad morum integritatem officientibus. Ego vero dignos cenſens, quos & omnibus in ludis prælegant adoleſcentiæ literatores, & ſibi legant relegantque ſenes, quos olim emaculatos tibi dicavi, nunc denuo dico, non ſolum purgatiores, verum etiam auctario cumulatos. Siquidem adjecimus libellum *De amicitia*, alterum *De ſenectute*, tertium *De paradoxis*, atque in omnes annotatiunculas quaſdam, breves quidem illas, ſed, ni fallor, haudquaquam incommodas; in quibus hoc potiſſimum agimus, ut quorundam moroſam in dicendo ſuperſtitionem retundamus, qui ad ſingulas pene voces reclamitant, *Non eſt Latinum*, *Non reperitur apud probos ſcriptores*. Ad hæc mendas aliquot prodidimus, antehac à nemine, quod ſciam, animadverſas. Supereſt, ut quemadmodum mihi in hoc labore verſanti *Tutor* ſemper ob oculos verſabatur, ita tibi, cum hæc leges, *Eraſmus* in mentem veniat, tui cumprimis & amans & ſtudioſus. Bene vale. *Lovanio* 10. Septembris, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCLVIII.

### Budæus Eraſmo.

Τί φής. Τὸ περὶ ἐγκωμίῳ σε τὸ πρὸς Τούνσαλλον λέληθέ σε μυκτηρισμὸν ἢ σροφὴν ἔχον; Θαυμάζω τοίνυν ἔγωγέ σε ἀτεχνῶς δήπου σαυτοῦ καταγνώστορ τοιαύτῃ τινὰ σροφολογίαν, ἐν οἷς ὑπ' ἐμοῦ γέγραφας σὺ πρότερον ἐγκωμιωδῶς. Vives *tuus tibi teſtis eſſe potuit, cui epiſtolam ad me ſcriptam oſtendi ab homine naris emunctæ (tametſi nomen digito ſuppreſſi ſuperpoſito)* ὃς ὑπέμνησέ με, οἰόνει οὐκ αἰσθανόμενον τοὺς καθαπτικοὺς σοὺς λόγους, ἐν τοῖς συγγράμμασί σε διεσκαρμένους. *Quanquam ipſe non vidit* ὅλῃ σολλῷ μίαν εἰς τὸ αὐτὸ καθήκειν, ἄνδρὸς Ἰταλιώτου δοκιμοῦντος ἐν τοῖς μάλιστα, οὐκ ἐμοὶ μὲν ἐπιτείλαντος, ἀνδρὶ δή τινι τῶν ἑαυτοῦ γνωρίμων καὶ φίλων. Ὃς δὴ τὸ αὐτόχαρτον ἔπεμψέ μοι ἔναγχος. *Et cum hæc & hujuſmodi permulta ſilentio prætermittenda duxerim, atque etiam oblivione, tu mihi dolorem nunc refricuiſti, ac pene opinionem ex ſuſpicione feciſti. Niſi vero ſupradictis verbis exemplum in te ipſe ſtatuiſſe inficiabere, id de te exiſtimandi, quod tibi in mentem veniſſe ais, ut de me eadem in cauſa exiſtimares. Neque ideo velim ut exiſtimes non gratiſſimas mihi literas illas tuas fuiſſe* Græce *ſcriptas: quibus jam* Græce *reſpondi, ſed tamen* ἀμφιλαφῆ μοι ἐνέδοκας ὑπόθεσιν ἀντιλαληγορίας τινὸς μητίγε ἀπολογίας. Πῶς γὰρ οὔ; Ὃς γε πάντα τὰ ὑπ' ἐμοῦ γεγραμμένα ἀνακυκλῶν, πᾶσαν ἢ ῥητορικὴν ἐπιμέλειάν τε καὶ περιεργίαν ὑπερηκόντισας, ὁ πολλὰ σύγε φράσας ἐᾶν με καὶ μὴ λέγειν τὰ ὑπ' ἐμοῦ πεπλημμεληκότα, ἐμοῦ γε αὖ ἐν τῇ ἐμῇ ἀπολογίᾳ δεήσεσθαι πολλὰ παραινοῦντος. *Novi enim, novi ea fere tranſmittere in mea defenſione, in quibus proloquendis, ſtyloque proſequendis, aut indignationem obrepſiſſe ingenio meo ſentio, aut vehementiam contentionis tranſverſum me rapuiſſe. Intelligo me*



A *nonnunquam immodicum, atque* ἐμπαθῶς διακείμενον *fuiſſe. Quare æquo animo caſtigare me ab amico paſſus ſum:* An. 1519. *quod quidem ad ea loca pertinet, qua tractata miteſcere nequeunt. Tu autem animum meum nondum pertractaſſe videre, ſi tamen ex ſententia animi tui potius quam ex aliorum loqueris. Jam primum quod dixi,* Catapotia epiſtolæ meæ jam, ut ſpero, voraſti, *vide etiam atque etiam ne te commodius interpretari hoc modo ego poſſim. Amaras quidem literas meas fuiſſe, (identidem enim mihi* πικρίαν *objicis &* ἀτοπίαν*) ſed tamen me ſperare concoxiſſe te, aut certe ita devoraſſe omnem indignitatem illam, ut jam immemor eſſes injuriæ, (ſi tamen injuria eſt, ubi animus non fuit injuriam inferendi) præſertim cum* B *& tu in me ſatis deſtomachatus eſſes, & ex pagina poſtrema literarum tuarum viderere mihi amarulentiam illam meam (ſit enim ſane quando ita tibi videtur) placidiore animo ferre, & recordari nolle. Quippe qui te dictitares ingenium meum jam noſſe. Deinde quam illud* δυσφορῶντός με ἢ δυσαρεστῆ διεξιέναι *putas, quod* παρατραγῳδῶν σὺ ἢ θεὸς ἢ ἄνθρωπος ἐπικαλέσηται τοῦτόν μοι τὸν λόγον προφέρεις ὡς ἐφύβρισον, ἢ ὡσανεὶ δεσποτικὸν βδελύττῃ ἢ ἐξουσιαστικὸν, *jocis ſcilicet mecum aſſueſcens.* Πρὸς τὴν φιλανθρωπίας τὴν σῆς, ὦ φιλτάτη μοι κεφαλή. Πρὸς τὴν φιλοκαλίας τὴν ἡμῖν ἀγχωμάλως ὡς οἶμαι προσπεσάσης, μή μοι τηλικαύτην δόξαν ἀλαζονείας προσάψῃς, ὥστε συμφέρεσθαί σοι δοκεῖν μὴ ἐξίστ ἢ φιλοπρεπῶς. *Audi igitur interpretationem meam hujus dicti, & aude poſt ea conqueri,* C *quaſi ego non ex æquo tecum agam. Quoniam igitur tu immodicum me eſſe jocorum ſæpe dixiſti, etiam ex periculo petitorum (ut ita loquar) & proxime contumeliam accedentium, quibus tu ipſis animum adjicere non poteras, (neque enim iſtius eſſe modeſtiæ fortaſſe & gravitatis videbantur) ego illis tuis literis grandioribus ita me converberatum jocis tuis ſentiens ac lapidatum, nihil ut amplius dicere potuiſſes, aut certe ſuſtinuiſſes, etiamſi ſtomachi res fuiſſet, non joci, ſcripſi ego ea ſimplicitate qua ſoleo, jocis te jam mecum aſſueſcere. Religio enim fuit dicere, tam te impudenter aut licenter dicacem eſſe cœpiſſe, quam me eſſe conquerebare. Amabo te, relege locum, & verſa* D *intellectum ejus, invenies, ut ſpero, in me magis quam in te dicacem me fuiſſe. Niſi vero non in me meumque caput recidit, quod dixi aut ſignificavi, ex tuo te ingenio migraſſe contagio literarum mearum, & jocandi commercio. At tu id ſcelus prope cothurnatum feciſti exclamatione tragica. Porro autem quod plumbeum te conjectorem feciſſe me criminaris, ni vererer cicatricem obductam refricare, locum hunc explicarem: verum, commonefacere te uno & altero verbo* οὐδεὶς φθόνῳ οἶμαι. Μέμνησε γοῦν, ὅτε ἕνα τῶν Γαλιέλμων ὡσπερανεὶ ἐχθροδίκειος, ὅτι ἔγωγε ἢ ποῖον διαπεφέξεσθαί σοι ἔμελλον, *quidque inter nos convenisſet: quem omnino ipſum nollem à te nominatum,* πρὸς γὰρ τῷ ὠζακρυσὴς & ἀπαίνων κυριδίου εἶναι ἱερὸς, ἔτι δὲ ἐν ἀξιώματι αὐτὸς καθέσηκεν δὲ τάξει τῶν ἐνδόξων. Καὶ τῶν πεπραγμάτων ἢ ἄπλεια τῶν ἔνδοθεν, ἵνα μὴ σαφέστερον φθέγξωμαι. Ἐπὶ ἢ τούτοις δὲ τῶν προσφιλῶς ἐχόντων ἐστὶν οὗτος πρὸς ἐμὲ δὲ σπουδαζόντων ἐμοί τε δὲ σοί. *Sed ſcilicet periculo meo res agebatur, non tuo: quare tantum tibi penſi non fuit. Quanquam id nondum attingo, in quo parum te acutum fuiſſe jocatus ſum, id eſt, parum tui ſimilem. Nam illa verba* ἐν ᾧ διαπεφέξασθαί σοι τὸ ὑφ' ἡμῶν προαιρεθὲν ἐπεχείρουν, *non te intellexiſſe vix credo; præſertim cum tu dicta mea* ἐμοῦ σωφρονικώτερον *excipere ſolitus ſis, ut ex iis, qua dixi, liquet. Quod ſi tibi* αἰνίττεσθαι μᾶλλον ἢ φράζειν δοκῶ τὰ ἐπινενοημένα, φέρε δή, ὅταν βουληθῇ, ἀμαθέστερον ἐρῶ δὲ σαφέστερον, ἀλλ' οὐδὲν οἶμαι δέομαι. *Quod* περὶ τῶν διαγελίων *ſcribis, quaſi ſcilicet verens ne operam aut ſtudium ea in re navata imputaturus ſim tibi, jam te libero illa obligatione ſi te auctoramenti pudet, non etiam legibus amicitiæ te ſolvo, qua per me licebit ipſa ut ſit inter nos perpetua, atque etiam per te quoad tu ex tuo animo meum æſtimabis, non ex aliorum ſententia, quantum argumentis conjicio, & hominum relatione. Age, æſtima tecum ipſe quam illud* φιλικὸν, *imo quam* ἐρασμοπρεπὲς, δὲ δεξιὸν, δὲ κομψὸν, *de mellitis epiſtolis* Deloini *& aliorum noſtratium, quod injuriarum mecum agis,*

An. 1519. *quasi* Φιλοκόλακα *te vocarim, vel esse significarim, cum tamen tu omnium maxime libertate gaudeas amicorum.* Ἐῶ νῦν ἐξετάζειν τοῦτο εἴτ' ἀληθές ἐσιν, εἴτε μὴ, τὸ μάλισά σε χαίρειν ἓ ἥδεσθαι τ φίλων τοῖς ἐλθθερολογκοῖς. Ἐπεὶ πόθεν ἄλλοθεν προσεκρούζαμεν ἀλλήλοις ἄμως γέ πως οἱ μάλισα φθέτερον φίλοι εἶναι δοκοῦνλες, εἰ μὴ ἐξ ὧν ἐλθθερολάσας ποῦ τλῳ ἐχλῳ, ἐν ταῖς ὑπισολαῖς γέγραφα. *Sed sit sane nunc verum & pro comperto habitum, quid igitur? existimastine me tam commodis meis inimicum atque etiam tam male propitium numen habuisse scribendo,* ὡς προσκρούφν τοῖς προσεχοῦζιν ἐμπλήκλως τε κ προπελῶς, κ δὴ κ εἰς αὐτὸν λοιδορέμενον φέρεσθ τ φίλων ἐμῶν τ κορυφᾶον, ὑπὸ τ ἄγαν ἐκείνης ὁρμῆς εἷς σε ἀπερειδομθμένης; τί ἂν; ἵτως ἐφθλω ἀκρεχλὴς εἶναι τ καθαπλικῶν γελοίων κ σκωπλικῶν ὥσε κ ἄνδρα μοι πάνλων προσφιλέσαλα διακείμθνον τ Δηλοϊνὸν προσέλη ἢ ἓ ἐπ' ἀξιώζεως ὄνλα ὑ τ τυχούζης, ἐφυβρίζων κόλακα ἀπεκάλεν; ὑ γάρ σε δήπε Φιλοκόλακα ὑπκαλεῖν ἡδωάμλω, μὴ ὑχὶ αὐτὸς τᾶτον ἀποκαλῶν κόλακα· ὦ ῥᾳσα σὺ προφέρων ἐμοὶ ὅτι ἄν σοι φθάσῃ. Οἵπλωίκα τοίνυν τοιάδε πάμπολλα ἔτυχες συνειλοχὼς διεξοδικώταζα, ἐν ἐκείνῃ τῇ ἰλιάδι τ ἐμῶν ἁμαρλημάτων, ἐξέσαι σοὶ ἐμᾶ γε ἕνεκα κ ταῦτα δὴ συνείρφν ῥητορικῶς ἐν τῇ τ φίλων σᾶ συνόδῳ, ἄλλως κ τ αἰλωμθνῶν δεινῶς τὰς ὑπισολὰς ἐμάς. Εἶτ' ἰῶ ἄξι' ἀκᾶζαι τ εἰρημθνων αὐτοῖς δόξω, ἐχόμθνον δήπε ἔσαι τ ὑπό σε τεθείζης ἀμνησίας, ἀντεξεταζμόν ἵνα γλυέσθ ὧν τυχάνω ἀνλιπεπονθὼς ὑπό ζε. Τᾶτα ἢ γεγλυμθμένα ἰῶ ἰσοσάζιοι δίρεθῶζιν κ πάεζοι αἱ ἀμοιβαὶ, ὑπὶ ἴσῃ δὴ κ ὁμοίᾳ ἡμᾶς ἀφλύεσθ φεὶ τ ἀντεσκεκλημθνων. *Sic fiet potissimum, ut facta pro infectis habeantur, nec tu in posterum hujuscemodi causificari oratorie possis.* Πολλὰ πασδῆ ἐῶ λέγφν ἐν οἷς ἐσὶ κ τᾶτο ὁ χάφης, *cum ne id ipsum quidem* τᾶτο *ante quiescere siveris, quam* τοιᾶτο *feceris ut atrocis contumeliæ instar esse videatur. Itane vero, bone vir, id est orator, donare mihi te dices, quod consertis manibus retines & mordicus? & cum jus omne tuum cum ramentis tuleris, æquum & benignum litigatorem te prædicabis? Jam vero quod* φεὶ τ συνοχῆς τ ὁμονοίας ἡμῶν *scribis* ὑ δεῖν συγκοπίζονθ', *quocunque id pertineat, existimes velim nemini unquam homini me verbum ea de re fecisse, nisi hactenus, ut dicerem, atque omni corporis animique habitu præ me tulerim, non ita mentes nostras hujuscemodi velitationibus verborum esse commotas aut emotas, ut luxari propterea confirmata amicitiæ compages ac dimoveri possent: sed tamen hanc simultatis imaginem ita ad verum esse effictam, ut amicorum studiis & hominum errore pro vera simultate tandem exciperetur. In quo nihil ipse magnopere providendum mihi ante existimavi, quam tibi cordi esse magis genus illud ludicri certaminis sensi atque perspexi, quod prælatis jaculis certiusque innocuis editur. Non quod tibi metueres aut mihi, aut tibi à me metuendum esset, aut mihi à te, sed quod spectatores delectandos magis duceres, quam exspectatione suspendendos tristioris exitus: cujus consilii rationem facile mihi probasti, posteaquam attentius rem animadvertere cœpi. Denique nullam inter nos animorum alienationem, & διάσαζιν interfuisse puto,* οἵαν δὴ ἓ διαλαγῆς δεῖσθ, οὐκ ὄπως διαλαλῖ. Ἀμέλφ τὸ κατ' ἐμὲ εἴτι πολὲ καλῷ σε ἔφηκα ἢ γέγραφα κακόηγως γε ἓ δυζνοϊκῶς, *quo commodis tuis officerem, aut gloriam istam tuam* παμμεγέθη *imminuerem,* ἐκεῖνο δὴ ὑπιηδῶν τοῖς ἐχημαλιζμθνοις λόγοις, ὡς ἐκ μεῖεώρᾳ τῆσδε τ δόξης ἐκπέζοις, *Deus me pari mactet infortunio. Datum est aliquid stomacho, & humanius nonnihil admissum est, & incommode fortasse, atque imprudenter de amicitia consultum, dum jugulum existimationis petentium speciem præbebamus, ut assolet interdum in simulacris pugna, dum concertationis impetus extra præscripta ludicri, & præter legitimas vices ac constitutas effertur. Id enim ipsi in septis accidere decursionum militarium videmus aliquando, & veniam tamen mereri cum blanda satisfactio deprecatur errorem. Neque id inexpiabile est quod extemporale fuit, nec unquam unum diem hæsit animo. Ne tum quidem ita valuisse stomachationem aut contentiunculam ullam affirmarim, ut evaserit in odium. Id quod ut de me affirmo, sic de te haud dubie conjicio. Quid si mihi ne pœnitenda quidem videntur quæ scripsimus? Quantum est enim ad confirmationem amicitiæ, ab acriore nos contentione citra noxam discessisse? ita ut uterque alterius animum periclitatus, perspectum se habere pertentatumque confidat & lætetur. Quod aulicum me factum cavillaris, & literarum vicem doles, quasi eam causam receptam deseruerim, aut prodiderim, ob idque magno patrocinio litera bonæ destitutæ sint, materiam mihi tecum jocandi præbebit.* Græce *tamen scribam, ut liberius & simplicius acroama præbeam expeditionis aulicæ, quæ mihi hoc anno obtigit, haud scio quam propitia providentia. Vale. Ex* Marliano 15. *Septembris, Anno* 1519.

An. 1519.

*En tibi alteram exomologesim optima fide factam. Post aliquot dies quam literas tuas accepi, meas ad* Hermannum *tuum misi* Græce *scriptas, sed urbem jam exierat ob pestem, ita ex urbe relatæ sunt, & has illis subdidi animi causa. Mirum est enim quantum delector ad te scribens. Utrasque tamen eidem homini non committam, ut mihi in binarum vicem cedant. Vale rursus.*

## EPISTOLA CCCCLIX.

*Erasmus Rot. Conrado Schutterani & Laurentio Ethonis monasteriorum Abbatibus, Provinciæ Brisgaudiæ,* S. D.

ZASIVS ille nihil facit novi, qui dum sic ubique prædicat *Erasmum*, ut ex musca plusquam elephantum faciat, non vobis solum, verum etiam aliis multis imponit, sed prius ipsi imposuit amor quidam immodicus. Quanquam hac in parte prorsus ignorat rerum mearum statum. Nullus est mortalium, qui libentius abstinet ab aulæ commercio, quam *Erasmus*. Et illic valere non potest, nisi qui subinde suo fultus choro, fabulæ partem agat. Ego nec factiones ambire possum, nec ingerere memet, nec alium cubito protrudere, nec ignorat vestra prudentia, qualis sit aula Cæsaris, nimirum bellua capitum innumerabilium, adeo ut si mihi incidat aliquid negotii, malim jactura rei ocio meo consulere, quam persequi. Adscitus quidem sum in ordinem Consiliariorum, sed ita, ut ne vocatus quidem adsim, tantum abest, ut memet ingeram. Et tamen non gravabor causam vestram pro viribus adjuvare, si se dederit occasio, quanquam citra meam operam non dubito quin sit successura, nimirum justissima, apud Principem justissimum. Habet enim *Carolus* præter alias egregias dotes, illud vel præcipue dignum Imperio, quod æqui justique tenacissimus est, & falli quidem potest, corrumpi vero non potest. Id eo magis confido fore, quod ut scribitis, jam vos cœperit illius clementia tueri adversus violentiam illius, qui vobis facessit negotium. Bene valete, Patres ac domini, cum primis colendi mihi, atque observandi. *Lovanio* 1. Octobris, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCLX.

*Erasmus Rot. Stephano Poncherio, Archiepiscopo Senonensi,* S. D.

REVERENDE Pater, quum nihil esset magnopere, quod te scire vellem, tamen hujus humanissimi Commendatoris præter spem oblata commoditas effecit, ut vel salutatrice epistola declararem animum tui memorem, cui non ignoro quot modis debeam. Nos hoc cœlo tam incommodo vix tuemur valetudinem hujus corpusculi: & tamen præter temporis incommoditatem tantis tempestatibus pulsati sumus, quas nobis excitarunt hostes bonarum literarum, ut ego nihil unquam simile in vita nec legerim, nec audiverim, nec expertus sim: tanta fuit omnium in unum *Erasmum* conspiratio. Nullis non machinis adorti sunt, imo totum orbem, quantum in ipsis fuit, in me concitarunt. Malum primum à paucis ortum, paulatim ita serpsit, ut omnes fere denique corripuerit: ego sola recti conscientia fretus, libravi memet in tantis sycophantiarum insultibus, quod parum esse *Christianum*

Digitized by Google

An. 1519. *ſtianum* ducerem, convicia conviciis retaliare. Tandem reſipuerunt, & ultro mecum iniere concordiam, neſcio quandiu duraturam, certe per me non violabitur ſemel ſarta pax. Doleo *Fabro* negotium eſſe cum Epiſcopo *Roffenſi*, viro pio cum primis & erudito, ſed eo ingenio ut non facile deſinat, ubi ſemel incaluit in certamine. Utinam in prioribus libris magis temperaſſet à dicteriis: adjecit alteros, hoc eſt, idem argumentum denuo retexuit, quos nondum legi. Quis genius malus turbat ſtudiorum tranquillitatem hujuſmodi contentionibus? Quanto præſtabat concordibus animis in *Muſarum* campis ludere? Jam unis atque alteris literis *Beraldus* mihi minatur epiſtolam abs te: ea certe mihi gratiſſima futura eſt, quocunque fuerit argumento. Quæcunque tellus habebit *Eraſmum*, habebit clientulum tibi addictiſſimum: id ipſa re declarabo, ſi continget vel annum adhuc ſupereſſe. Bene vale.

Impudens ſim, ſi tibi commendem *Commendatorem*, & *Commendatori* velim eſſe commendator: cujus opera ſpero me tibi fore commendatiorem, cui cupio eſſe quam commendatiſſimus. *Lovanio* 2. Octob. Anno 1519.

*Copum* Medicum opto bene valere.

## EPISTOLA CCCCLXI.

*Eraſmus Rot. Florentio ab Iſelſteyn* S. D.

CLARISSIME Princeps. Munus, quod tua benignitas nobis donavit, non uno nomine mihi fuit gratiſſimum: vel quod à tali profectum heroe, vel quod ultro delatum, nec promerito, nec exſpectanti. Admonui filium tuæ celſitudinis, raræ cujuſdam indolis puerum, ut mihi in referenda gratia ſit auxilio. Sic enim videbor retuliſſe, ſi effecero ut ille in bonis literis exſpectationi tuæ reſpondeat. Recepit facturum, ac mihi ſane in hac ætatula jam nunc emicans eruditionis ſpecimen maximam ſpem præbet talem evaſurum *Maximilianum*, ut non ſolum ſuo generi, verum etiam ipſis literis bonis ſit olim ornamento futurus. *Arnoldus*, ut eſt pueri amantiſſimus, ita eum non minus diligenter quam blande curat. Eſt hic *Conradus Goclenius*, juvenis utriuſque literaturæ peritiſſimus, ſtylo cum primis felici, ſive proſam orationem tractet, ſive metri legibus adſtrictam, Philoſophicæ rei non vulgariter doctus, moribus incorruptis, ſpectatæque integritatis. Quid multis? Dignus vel ipſo *Ferdinando* diſcipulo. Id tibi meo polliceor periculo, quod ſi videbitur hic filii familiæ adjungendus, agam cum illo, & agam non minore fide quam ſi filii mei negotium ageretur: ſin minus, ſcito *Eraſmum* toto pectore tuum eſſe. Bene vale. *Lovanio* 2. Octob. Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCLXII.

*Eraſmus Rot. Card. Grymanno* S. D.

REVERENDE domine, jam anni ſunt aliquot, quod *Paraphraſim* Epiſtolæ ad *Romanos* tui nominis auſpicio in publicum emiſerim, idque meo judicio ſatis feliciter, toties interim excuſa eſt typographorum formulis. Avebam ſcire num meum officium animo tuo gratum fuiſſet. Nec enim aliam mercedem ambiebam. Literæ, quas ajebat *Andreas Ammonius* abs te ſcriptas, interciderunt: quare te rogo ne graveris alteris literis teſtari, num eo officio, tuo judicio ſatisfecerim. Jam crebris literis me interpellat *Guilielmus* Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, ut vertam Commentarios *Origenis* in Pſalmos. Horum exemplar ſi tua habet bibliotheca, non auſim rogare ut huc mittas: tantum oro, ut patiare deſcribi meo ſumptu. Non committam ut in eo opere frauderis portione tibi debitæ laudis. Dedi negotium hoc domino *Commendatori*, viro primariis virtutibus cumulato, & ob has ſuo Principi longe gratiſſimo. Bene valeat amplitudo tua, cui quam commendatiſſimus eſſe cupio. *Lovanio* 2. Octob. Anno 1519.



## EPISTOLA CCCCLXIII.

Joannes Slechta Koſtelecius Eraſmo Roterodamo *S. P. D.*

REDDITAE *ſunt mihi literæ tuæ tertio Idus Septembris præter omnem ſpem: nam cum anno ſuperiori literas meas per famulum bibliopolæ* Lipſienſis, *qui* Pragæ *libros impreſſos venundando agit, ad te dederam, pollicitus eſt mihi bona fide literas ipſas ad te uſque per certum tabellarium, ubicunque locorum eſſes, miſſurum & reſponſum allaturum: quas cum ſibi accepta ab eo fide tradidiſſem, & per hunc totum annum reſponſum abs te diu exſpectatum nullum accepiſſem, pro perſuaſo habui literas illas neutiquam ad te perveniſſe, ſed vel deperditas, vel ad aliquem in via detentas, vel ab aliquo interceptas eſſe. Tanto igitur nunc mihi gratiores & jucundiores fuerunt, quanto minus ſperatæ venerunt, & quidem à tali amico, qualem ego nimirum inter charos & raros chariſſimum habeo. Gratulor autem inprimis proſperæ & integræ valetudini tuæ, cupioque ut æmuli tui de mortis tuæ commentitio genere diu ſic verum loquantur, quemadmodum ſuperiori & præſenti anno hic & apud vos fecerunt: utque ætatem annoſi* Neſtoris *vivendo non ſolum adæques, verum etiam ſuperes. Quod te autem quidam Eccleſiaſticorum & potiſſimum Monachis implacabili odio proſequuntur, & canino morſu nonnunquam clam impetunt, iſtud apud me mirum non eſt, cum virtus vitio, & bonum malo ſemper contrarium ſit: boni bonos, ſcelerati ſceleratos amare, & ſimile ſimili amicum eſſe ſolet: morum namque ſimilitudo (uti noſti) benevolentiam gignit, diſſimilitudo vero odium: ſi non aliquando vitam illorum hypocriſi ceu pallio tectam, ut aliquis* Apelles, *ad amuſſim depinxiſſes, & antiſilenos gnathoneſque probatiſſimis argumentis demonſtraſſes, ſi traditiones divinas poſthabere & inventis humanis literæque interfectrici, & non ſpiritui adhærere non prævaviſſes, amicus & frater chariſſimus eſſes. Nam cum veritas male conſciis auditu admodum moleſta & amara eſt, nec aliud quam (ut Comicus Poeta inquit) odium parit, inde hæ inimicitiæ & ſimultates ceu è quibuſdam ſcatebris liventis animi erumpunt. Sed præſtat taliumſucatam & inefficacem amicitiam longe abjicere & contemnere, quam ei veritate remota turpiter blandiri: certum eſt enim quod nullius vita ſine aliqua reprehenſione cucurrit. Innocuum tamen & abſque aculeo ſtylum tuum eſſe quis ignorat? cum vitia ſola notes, carpas & damnes, perſonis ubique parcas. Quis tibi igitur pro iis juſte ſuccenſere poterit, niſi ille qui ſibi male conſcius de ſe iſta intelligere velit, & hac cauſa majore laude dignus es, quo animi ſanctimoniam & vita ſinceritatem cum doctrina & ſapientia conjunxiſti, luce ſua aliis lucem afferens, legendoque, ſcribendo, declarando & inſtituendo fructus hactenus omnibus producens. Sed nolo de his plura ſcribere, ne videar eximias virtutes & doctrinam tuam vitamque innocuam oratione mea ſterili & jejuna velle comprehendere & clariora reddere, cum hoc aliud nihil eſſet quam ſoli lumen & mari aquas addere. Teſtamentum Novum, quod multorum auctorum præclaris ſententiis egregie ac utiliſime locupletaſti, allatum mihi eſt cum nonnullis aliis opuſculis tuis pridie Idus Maji. Omnes enim libros tuos, quoſcunque ſcripſiſti, &* Baſileæ Joanni Frobenio, *viro docto, & in arte chalcographica* Dædaleo *ingenio prædito, imprimendos dediſti, habeo, mirificeque lectione eorum delector, quibus etiam magna ex parte bibliothecam meam non ſolum auctam, ſed & ornatam reddidi.* Pragæ *quamvis te nihil negotii habere cognoſcam, libenter te tamen cum multis aliis, qui videndi tui magno deſiderio tenebantur, & ipſe vidiſſem, conveniſſemque: ſed cum id nunc partim occupationes tuæ plurimæ, partim vero ſtudiorum perpetui & indefeſſi labores non patiantur, oportebit ut id in tempus aliud magis opportunum & idoneum ſeponamus, ubi te, cum hic fieri non potuit, alio loco & tempore concedente Domino conveniamus.*



Digitized by Google

An. 1519. *Quod autem patria noſtra in alias pergentibus regiones certo comitatu & conductoribus ſecuritatis gratia indiget, mirari id, amice chariſſime, deſines, ſi ab omni parte arduis & in altum ſurgentibus montibus vallatam, denſiſſimiſque ſylvis ac proceris arboribus late circumſeptam cogneſces, quales in ſylva* Hercynia *ſæpe multas videre potuiſti: in qua frequentiſſimi graſſatores deliteſcentes, & aditus viarum obſidentes, ſæpe multa damna viatoribus minus cautis, maxime vero mercatoribus, inferunt, nonnullos vero non ſolum rebus, ſed & vita, ſpoliant. Et quamvis fere ſingulis menſibus ex vicinis urbibus & oppidis infinitos id genus latrones capiant, & vario ſupplicio rum & mortis genere diſperdant, nunquam tamen tam perniciosum & noxium ſeminarium & exſtirpari & radicitus evelli poteſt: ſed cum hi damnantur & delentur, protinus alii ſuccedunt: haud ſecus quam fiebat circa* Hydram *illam* Herculeam, *cui adempta capita renaſcebantur. Scribis mihi poſtremo non ſine certa admiratione, quod attinet ad diſſidium illud fidei & religionis, quod à ſatis longinquo tempore in patria noſtra ſubortum durat: quodque in tanto tempore nullus inveniatur neque ex Eccleſiaſticis, neque ex ſecularibus Principibus, qui illud ad certam aliquam concordiam perduceret: cauſamque hujus non aliam quam pecuniæ ſtudium arbitraris. Quali ego opinioni tuæ abſque ulla controverſia ſubſcribo. Quotus enim nunc quiſque invenitur, ſive ſummum Pontificem, ſive Cardinales & Epiſcopos, ſive alias Eccleſiaſticas perſonas, ſive ipſos Monachos ſpectes, qui non potius ambitioni & lucris pecuniariis, quam ſaluti animarum proximorum conſulant. Si Salvatoris noſtri vitam & doctrinam, qua ipſos cohortatur & admonet, ut bona iſta temporaria, caduca, fragilia, & nuſquam conſiſtentia contemnerent, religionemque, pietatem, charitatem, miſericordiam, & reliquas virtutes amplecterentur, audire & illi obtemperare vellent, certus ſum quod nulla eſſet tam remota & ſepoſita gens vel regio, nulla tam gravis & laborioſa via, ut non eam pro ſalute proximorum læto & alacri animo ſuſciperent: ſicut facere ſolebat* Paulus *& cæteri Apoſtoli, quorum ſe iſti vicarios & ſucceſſores falſo tamen & inani titulo gloriantur. Forſan autem ab re non erit, ſi tibi & hoc obiter oſtendero, cum ſit inter noſtros tale in fide & religione diſſidium, ut cognoſcas quot & quam variæ ſint diviſiones & cauſæ ipſius. Nam ne* Judæos & Epicureos, *qui animarum immortalitatem negant, ſimiliter & quoſdam* Nicolaitas *commemorem, ex iis enim omnibus non pauci apud nos inveniuntur, totus populus regni hujus & Marchionatus* Moraviæ *in tres ſectas diviſus eſt. Prima eſt eorum, qui* Romanum *Pontificem in omnibus ſequuntur & obſervant, verumque vicarium* Chriſti *recognoſcunt, quemadmodum faciunt* Germani, *& cætera nationes eidem ceu paſtori caulæ dominicæ adhærentes. Et ex iis eſt major pars procerum, magnatum, & nobilium. Sunt & nonnullæ civitates regiæ cum monaſteriis, olim opulentis, nunc magna ex parte dirutis & deſpoliatis, variorum ordinum. Alia ſecta eſt illorum, qui Euchariſtiam ſub utraque ſpecie populo diſpenſant. Cui ex Proceribus pauci, ex nobilitate autem plurimi, civitates vero regiæ prope triginta adhærent. Hi ſacramenta Eccleſiaſtica omnia tenent, ſimiliter ceremonias ac ritus Eccleſiæ non aliter quam ipſi* Romani: *in ſolo autem uſu communionis differunt, & quod in ſacrificiis ſacerdotes illorum Epiſtolam & Evangelium lingua domeſtica canunt: & huic utrique conſuetudini pertinaciſſime adhærent, aſſerentes ſe utrunque literis Concilii* Baſilienſis *(quas vocant pactionis) confirmatum & approbatum habere. Ad quod cum aliquando decem magiſtros Theologos ſcholæ* Pragenſis, *juſſu Imperatoris* Sigiſmundi, *tunc Regis* Bohemiæ, *miſiſſent, & pro articulo illo de communione ſub utraque ſpecie cum Theologis Concilii conflictati eſſent, oſtendiſſentque communionem talem à* Chriſto *eſſe inſtitutam, & à* Paulo *Apoſtolo* Corinthiis *traditam, ab omnibus deinde priſcis doctoribus tam* Græcis *quam* Latinis *ad annos circiter mille & ducentos inviolabiliter obſervatam. Quibus Concilium ſingulis diligenter perſpectis, & rite examinatis, conceſſit eis prædictum uſum &*

A *conſuetudinem communionis ante memoratæ: his tamen conditionibus, ut ſacerdotes illorum præſentes & futuri Euchariſtiam populo communi, ad hoc diſpoſito, ſub una, vel ſub utraque ſpecie, prout quiſque ex fide cuperet, exhiberent, hac prius proteſtatione utriſque facta, Vos qui ſub una ſpecie communicaturi eſtis, non minus vos accipere credatis quam ſub utraque ſpecie: & qui ſub utraque ſpecie communicaturi eſſent, non magis eos accipere quam eos qui ſub una ſpecie. In reliquis autem omnibus rebus Eccleſiæ* Romanæ *ceremonias legitimas obſervare, & ſequi polliciti ſunt. Similiter Pontificem* Romanum *cum ſucceſſoribus ſuis pro veris vicariis* Chriſti *haberent & recognoſcerent, & dictis eorum abſque omni*
B *repugnatione obtemperarent, cum ſucceſſoribus ſuis omnibus: quæ ſe omnia & ſingula facturos & opere completuros bona fide promiſerunt, qua ab ipſis accepta comprobaverunt eis communionem ante memoratam literis Concilii, quas pactionis vocant. Sed erant hæc ab* Eugenio *ſummo Pontifice, qui tunc* Romanæ *præſidebat Eccleſiæ, literis (quas vocant* exſequutoriales) *confirmanda & ratificanda, qui huic Concilio inprimis auctoritatem dederat. Poſtea vero intellectis certis decretis in eodem Concilio contra ſe, & futuros Pontifices concluſis & determinatis, abolevit & abrogavit omnia in eodem Concilio concluſa & determinata: qua cauſa neque hæc, qua* Bohemis *in eodem Concilio conceſſa & approbata fuerunt, literis ſuis*
C *approbare voluit, ne videretur jam dictis decretis Concilii auctoritatem dare. Qua cauſa neque hoc ab aliis Pontificibus* Romanis *hactenus obtinere potuerunt, qui cognita in hac parte tam obſtinata & immobili Pontificum mente, qui ea, qua* Chriſtus *inſtituit, & Eccleſia priſca tenuit, Conciliumque approbavit, confirmare noluerunt, nec eis etiam obedire, nec pro veris* Chriſti *vicariis & ſucceſſoribus* Petri *habere voluerunt. Et ubi compromiſerant majores illorum, quod ſacerdotes factionis ipſorum, communicaturi populum ſub una vel ſub utraque ſpecie, alloquuturi erant populum his verbis, qua ante prafati ſumus, jam illa omnia ceu falſa abjecerunt: neque aliter ullum ex communi populo, quam ſub utraque ſpecie com-*
D *municare volunt, reprehendentes in hoc vehementer majores ſuos, qui ad illud Concilium miſſi fuerant, quod tam ſtulti & temerarii fuiſſent, ut tam falſis & iniquis conditionibus à Concilio oblatis aſſentire voluerint, cum apud doctores veteres* Græcos *&* Latinos *apertiſſime inveniatur aliam gratiam dari accipientibus corpus* Chriſti, *& aliam ſumentibus ſanguinem ipſius: & cum ibi donentur differentes gratiæ, quomodo hæc vera eſſe poſſunt, ut percipientes ſacramentum illud ſub una ſpecie non minus gratiarum accipiant, quam qui ſub utraque, neque qui ſub utraque ſumunt, non plus ſumant, quam qui ſub una? Hæc ſubdentes, ſi iſta quæ commemorata ſunt neque ipſi tractatores antiqui ſacrarum Literarum docuiſſent, tamen non erat altera pars ſacramenti*
E *ſalutaris populo communi ſupra inſtitutum* Chriſti *ullo modo ſubtrahenda, cum hoc aliud nihil ſit, quam merum ſacrilegium: neque plus ſapere debuerunt ſupra illam priſcam & ſanctam Eccleſiam, quæ hoc ad annos prope mille & ducentos inviolabiliter ſervavit. Et ubi noſtri certas cauſas, & pericula quædam adducunt, propter quæ altera pars ſacramenti communi populo adempta eſt, dicunt inde illud inconveniens ſequuturum, ut iſti ſapientiores ipſo* Chriſto *eſſe velint, qui neſcivit & ignoravit pericula quædam futura circa illam partem ſacramenti emerſura, quæ iſti invenerunt & cognoverunt, & iſtud*
F *eſt ſupra* Chriſtum *ſcire & intelligere. Hæc & alia longe plura in tractatibus eorum contra communionem ſub una ſpecie conſcripta inveniuntur, quæ commemorare ſicut longum, ita & tadioſum eſſet. Quis igitur tantæ diſſenſionis idoneus apud nos arbiter invenietur? Tertia ſecta eſt eorum, quos vocant* Pyghardos, *hi denominationem à quodam transfuga ejuſdem gentis acceperunt, qui huc veniens ante annos nonaginta ſeptem eo tempore quo* Joannes Zizka, *homo ſacrilegus & ſceleratus, bellum hic Eccleſiaſticis & omni clero indixerat, & bona eorum diripienda invaſerat, ei adjunctus infecit imprimis ipſum ducem*

Digitized by Google

An. 1519. *cem scelarum pestiferis doctrinis, & postea totum exercitum ejus, quem ex latronibus, homicidis, proscriptis & reliqua fece perditorum coegerat: qualis seges duravit ad usque tempora Regis* Vladislai, *qui annis istis proximis vitam cum morte commutavit, maximaque incrementa sub ipso accepit: nam cum gubernacula regni* Hungariæ *suscepisset, plusque ibi quam in* Bohemia *mora traxisset, parum curabat quid hic ageretur, dum modo pace omnes subditi sui fruerentur. Hi de summo Pontifice, Cardinalibus, Episcopis, & cæteris personis ecclesiasticis non aliud sentiunt quam de manifestis antichristis, Pontificem ipsum, nunc bestiam, nunc meretricem illam Apocalypticam appellantes, & cum omnia contra doctrinam & traditionem* Christi *faciant, quomodo possunt esse alicujus auctoritatis & virtutis in operandis sacris, sed quæcunque ab officio eorum prodeunt, neque esse sacra, neque sacramenta, neque benedictiones, sed magis exsecrationes, abominationes & maledicta. Episcopos & sacerdotes ipsi sibi eligunt laicos rudes, & literarum expertes, uxores & liberos habentes, fratres se & sorores invicem vocant, & salutant: auctoritatem tantum Veteris & Novi Instrumenti ex Scripturis recipiunt. Doctores omnes veteres & neotericos, & libros eorum contemnunt, nec doctrina eorum quicquam tribuunt. Sacerdotes eorum, cum officia missarum celebrant, absque ullis id vestibus sacerdotalibus faciunt, nec ullis circa hæc preculis vel orationibus utuntur, præter solam Dominicam Orationem, qua panem fermentatum consecrant. De sacramentis Ecclesiæ, vel parum, vel prope nihil credunt & sentiunt: qui ad hæresim eorum accedunt, coguntur singuli rebaptizari in aqua simplici, nec salem, nec aquam benedicunt, nec de oleo consecrato quicquam tenent: in sacramento Eucharistiæ nihil esse divinitatis credunt, sed solum panem & vinum consecratum, signis quibusdam occultis mortem Christi repræsentantem affirmantes: & propterea in idololatriam cadere omnes quotquot coram illo genua flectunt, & incurvant, vel illud adorant: cum in alium finem à* Christo *sacramentum illud institutum non sit, nisi ad memoriam passionis ipsius recolendam, & non ut hinc & inde circumferatur, aut elevatum à sacerdote videndum ostendatur: quoniam* Christus *ipse, qui adorandus, & cultu latriæ honorandus est, sedet ad dextram Dei Patris, sicut in Symbolo fidei* Christiana *confitetur Ecclesia. Suffragia Sanctorum, & orationes pro mortuis, rem vanam & ridiculam arbitrantur: similiter confessionem auricularem, & pœnitentiam pro peccatis à sacerdotibus injunctam. Vigilias & jejunia, fucum & tectorium esse hypocritarum: festa divæ Virginis* Mariæ, *Apostolorum, & reliquorum divorum, inventa esse ociosorum affirmant: dies tamen dominicos, & festum* Natalis Dominici, Paschæ, & Pentecostes *celebrant. Multa essent alia illorum portentorum pernicioſa dogmata commemoranda, si non rationem meliorum & graviorum studiorum tuorum haberem. Si tamen superiores duæ factiones ad concordiam reducerentur, posset & ista nefaria secta (quamvis jam plurimum aucta, maxime vero propter vitam sacerdotum nimium dissolutam) opitulante Rege exterminari, vel in meliorem fidei & religionis formam reduci. Sed de his jam diu superque satis. Rogo velis æquiori animo ferre hanc meam tam immoderatam loquacitatem, qua erga te non alia causa usus sum, nisi ut factionum nostrarum multiplicum veram & certam rationem acciperes. Litera ista cito ne te contingent prorsus nescio, cum* Misnæ *tela* Apollinea *passim volitare dicantur. Quæ forte* Jodocus *noster, Rector Academiæ* Erfordiensis, *evitare volens, ad quædam sese loca remotiora receperit: nam & litera tuæ, quas ei ad me mittendas tradideras, ad quatuor menses apud eum retenta fuerunt, non tamen alia causa quam quod fidelem tabellarium, qui huc transiret, non habuit. Cupio te, amice charissime, diu & optime valere, meque, ut cœpisti, diligere, & cum opportunum erit nonnihil rescribere, quod & ego me facturum recipio: etiam vale. Ex Arce nostra* Kostelecensi 10. *Octob. Anno Dominicæ incarnationis* 1519.

## EPISTOLA CCCCLXIV.

*Erasmus Budæo suo* S. D.

LONGOLIUS, homo impense doctus, mihique multis nominibus jucundus, pro literis ad me tuis expostulationem attulit, quod duabus tuis epistolis proximis nihil adhuc responderim. Ex quo conjicio, postremas meas literas tibi non esse redditas, aut tum certe redditas non fuisse. Literas ad *Vivetem* hodie ab illo accepi, sed nondum legi: nec enim licuit per *Longolium*. *Joannes Coletus*, vir optimus, mihique certissimus amicus, *Londini* periit hydrope. Tu cura, mi *Budæe*, ut quam rectissime valeas, nosque, ut soles, ames. *Lovanio* 15. Octob. Anno 1519. An. 1519.

## EPISTOLA CCCCLXV.

*Erasmus Nicolao Beraldo* S. D.

LONGOLIUS ex *Anglia* reversus tuas mihi reddidit literas. De crabronibus nihil est quod metuas. Epistola illa tua feliciſſime cessit, *Dorpius* blandissime respondit. Theologi ultro mecum egerunt de pace, & sarta est hac lege, ut sit omnium superiorum amnestia. *Dorpius* etiam edita oratione testatus est se mutasse sententiam. Proinde de hujus constantia plane confido. Cum cæteris sic convenit, ut tamen observem quid agant. Dabo operam, ne mihi rupti fœderis crimen possit impingi, sed excubabo, ne interoscitans opprimar. Scripsi ad te nuper per *Augustinum*, Medicum *Friscum*, per quem misi & *Dorpii* orationem. Saluta *Ruzaum*, *Delosinum*, & *Ruellium*. Bene vale, doctissime *Beralde*. *Lovanio* 15. Octobris, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCLXVI.

*Erasmus Roterod. Ambrosio Leoni, insigni Medico*, S. D.

QVO minus exspectatæ venerunt tuæ literæ, *Ambrosi* doctissime, hoc mihi plus voluptatis attulerunt. Sic enim mihi totam illam nostræ consuetudinis memoriam renovarunt, ut eas legens apud *Venetos* mihi viderer agere, veteres amicos meos tueri coram & amplecti, *Aldum*, *Baptistam Egnatium*, *Hieronymum Aleandrum*, *M. Musurum*, te cum primis amicorum omnium suavissimum. Agnosco lepidissimos tuos mores in epistola tua, quæ tota jocis ac salibus scatet. O te felicem cui contigerit in pulcherrimis studiis, & in urbe facile omnium magnificentissima, inter patricios & eruditos viros consenescere! cum me meus genius pluribus casibus atque erroribus exercuerit, quam unquam *Neptunus Ulyssem Homericum*. At ne quid horum tribuas inconstantiæ animi, in tanta fatorum varietate semper idem ac sui simillimus fuit *Erasmus*. Nec unquam alius fui, quam sum, sed ita ferebat fabulæ ratio, alia subinde erat agenda persona. Et tamen tum demum mihi *Pythagoras*, ac *Proteos* objiceres, si nosses omnes fabulæ nostræ scenas. Quoties enim post illa me sepelierunt isti, quoties ipse mihi sum superstes? Bonarum literarum hostes me prope singulis annis efferunt, sepeliuntque. Quoties adita mihi *Basilea* per medios latrones, per medias pestes? Cum quibus monstris mihi luctandum fuit? Qui fudores exantlandi? Diceres *Erasmum* illum olim vitreum, nunc adamantinum esse factum. Quid faciam? Sic est fatum meum. Tu felicior, cui licuerit in honesto tranquilloque ocio cum philosophia mussare. Nec ullæ tempestates inciderunt, quæ te à tenore vitæ transvorsum alio raperent; exspectamus avidissime fœtus istos non solum *Leone* dignos, ut tu vocas, verum etiam *Ambrosio* dignos, ut non minus habeant jucunditatis quam roboris, & *Nestorem* illum *Homericum*, mellita facundia scatentem, nobis referant. Pie tu quidem, quod *Nolam* patriam tuam illustras, cui



Digitized by Google

An. 1519. quondam *Maro* noſter famam invidebat. Atque utinam prodiſſet ingens illud Opus adverſus *Averroem* impium περὶ τῶν καθόλου. *De problematis rerum naturalium*, quod Opus jam olim habebas in manibus, admiror te nihil meminiſſe, ne de *Græcis* quidem literis, quas jam caneſcens, & tamen feliciter amplexus es, gravi exemplo, ne poſthac quiſquam deſperet adoleſcens. Quod mones, ne temere *Abydum*: utinam in tempore monuiſſes, nunc poſteaquam ſemel me ventis ac fluctibus credidi, horum arbitrio ferar neceſſe eſt. Attamen in tantis motibus, quos quotidie novos excitant, in meliora ſtudia conjurati ſycophantæ, rationis ac philoſophiæ ſaburra me libro, arteque, quantum licet, cum tempeſtate pugno. *Turcicos* motus nihil eſt quod formidemus, ſi modo *Chriſtianos* Principes jungat concordia. Et ô pectus vere philoſophicum, prædiis ac pecuniis non times, ſtudiis times! ad quorum exitium nihil opus eſt *Turcis*. Moliuntur iſthuc ſumma vi Monachi quidam ac Theologi. Quotam enim ſtudiorum portionem relinquit, qui præter Sophiſticam Theologiam, ac perturbatam legum cognitionem nihil vult ſciri, qui linguas explodit, qui ſemel quicquid eſt politioris literaturæ damnat? Sed nihil agunt homines impudentiſſime ſtolidi. Tota *Gallia*, tota *Germania*, atque ipſa quoque *Britannia*, flagrantibus etiam animis optimas literas amplectitur ſummo favore Principum, atque etiam præſidio. *Marcus Muſurus* Epiſcopus eſſe maluit, quam profeſſor, ſed huc feſtinantem *Roma* abſorbuit: non opinor quenquam apud nos tam impudentem eſſe, qui velit in iſto theatro ſui ſpecimen edere, & *Gallus* aut *Germanus* cum *Italis*, imo cum *Muſuri* poſteris inire certamen, quid niſi ſibilos ac riſum lucrifacturus? Pergratum *Petri Alcyonii* per te noviſſe nomen, utinam & lucubrationes hominis videre liceret, præſertim quæ vertit ex *Ariſtotele*. Cupio totum hominem propius noſſe, præſertim cum noſtra non adſpernetur, quod haud faceret, ni foret ingenio longe candidiſſimo. Laceſſam eum alias literis meis, nunc viro meis verbis dices ſalutem. Eſt apud *Britannos* vir undiquaque doctiſſimus *Thomas Linacrus*, tibi jam olim ex *Aldi* noſtraque prædicatione cognitus, tuæ profeſſionis, ac ni fallor ætatis. Is idem agit quod tu: multis annis elimatas lucubrationes ſuas viciſſim edit in lucem. Prodiit *Galenus* σὺν τῷ ὑγιεινῷ, tanta fide, tanta luce, tanto *Romani* ſermonis nitore redditus, ut nihil uſquam deſideret lector *Latinus*. Imo nihil non melius reperiat, quam apud *Græcos* habeatur. Succeſſerunt libri *Therapeutices*, quos ſcis quales antehac habuerimus. Exſpectamus proxima fœtura libros *Ariſtotelis* Meteorologicos, non æſtimandis ſudoribus primum emendatos, deindè feliciſſime verſos. Sunt illi permulta in ſcriniis, magno uſui futura ſtudioſis. His monumentis vir ille conſuluit immortalitati ſui nominis, his ornat ſuam *Angliam*, his aulam regiam illuſtrat, atque ipſum inprimis Principem, cui medicus eſt primarius. Apud *Gallos* item magnus ille *Guilhelmus Copus* novis ſubinde libris rem medicam nobis aſſerit. *Budæus* per Jureconſultorum libros obambulans, *Augeæ* ſtabulum repurgat. Gaudent omnes admoneri, ſoli Theologi nolumus meliora diſcere. Fac valetudinem tuam, *Ambroſi* doctiſſime, tueare diligenter, quo & diu proſis optimis ſtudiis, & multis annis ſenex ſene frui poſſim. Nam ipſe præcurrentem te ſum aſſequutus, totus ferme canus. *Aldus* in familiaribus colloquiis non ſine voluptate ſolitus eſt imitari ſenis decrepiti balbutiem, qua olim putaret futurum, ut alter alterum conſalutaremus: *Quomodo vales*, inquit, *domine Eraſme?* deinde voce æque balba, ſed exſiliore, me videlicet agens, reſpondebat: *Si vales, ego valeo.* Hæc jucunde quidem ſomniabat, præſertim ſi ſermo accederet de exſtruenda nova Academia, ſed fidem non præſtitit. Reliquit nos ante balbam illam ætatem: etiamſi me multo grandior erat *Aldus*, annis, ni fallor, plus minus viginti: nam ipſe nunc annum quinquageſimum ſecundum, aut ad ſummum tertium ago. Juvat plura tecum confabulari, optime *Leo*, ſed alio me vocant negotia. Tuum nomen ſemper exſtabit in meis Proverbiis, ſi tamen his ipſis continget exſtare. Neque viciſſim in tuis lucubrationibus gravaberis *Eraſmi* meminiſſe. Optimum *Baptiſtam Egnatium* meo nomine ſalutato diligenter: item *Aſulanum* cum ſua familia, nominatim *Manutiolum*, qui nobis iſthic puellus ludebat, cum adeſſem. Bene vale. *Lovanio* 15. Octobr. Anno 1519. An. 1519.

## EPISTOLA CCCCLXVII.

*Eraſmus Rot. Thomæ Lupſeto* S. D.

TRIGINTA jam annis nullius mors mihi fuit acerbior, quam *Coleti*: percupio hominis memoriam poſteritati conſecrare. Sed hoc negotii tu pro tua in illum pietate capeſſes, ut me inſtruas, præſertim ſi qua ſunt, quæ putes mihi non eſſe cognita. *Longolio* pene totum triduum dedi: placuit omnibus modis, hoc uno dempto, quod nimium *Gallus* eſt, quum ſit noſtras. Commigrat iſthuc clariſſimus adoleſcens *Antonius* à *Grimberga*, filius cordatiſſimi herois à *Bergis*, rara indole, ac probitate, literarum ex animo ſtudioſus, cui nec inviſus eſt *Eraſmus*. Valent hic tui *Hermannus Friſius*, ac *Neſenus* cum *Carino*, cæteriſque. *Veſculus* nunquam magis fuit in negotio, quam nunc: ſed omnia fucate. Mi *Lupſete*, ſi vis me tibi immortali devincire beneficio, cura quavis ratione, ut liber ille ad me perveniat. Exemplar eſt iſthic apud tres aut quatuor, amici agunt ut prematur, & interim hoc me lædunt, quod hic quotidie reddit inſtructiores ſuas ſycophantias. Nihil enim minus ſperandum eſt, quam ut ille perpetuo premat. Hoc officii ſi mihi præſtiteris, repoſce viciſſim quicquid voles, nihil negabitur. Magnopere gratum feceris, ſi frequenter ad nos ſcripſeris. Bene vale. *Lovanio* 16. Octobris, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCLXVIII.

*Eraſmus Roterod. Richardo Paceo, Decano apud divum Paulum Londini*, S. D.

VIDEOR mihi dimidiatus vivere, *Coleto* mortuo; quem virum *Britannia*, quem amicum ego perdidi? Tibi gratulor, qui in ejus fortunam ſucceſſeris. Aveo ſcire ſi quid allatum de libris tuis novi. Cardinalem *Campegium* vidi *Brugis*, nam me miro ſtudio acerſiverat. Nihil unquam vidi humanius aut ſincerius. Rex minabatur reſponſurum, & item Card. *Eboracenſis*, neque quicquam adhuc audio. Facito me certiorem, ſi quid eſt quod mea referat ſcire. Commigrat in aulam veſtram ſuaviſſimæ indolis juvenis *Antonius* à *Grimberga*, Principis *Bergani* filius, nec illiteratus, & ex animo literarum ac literatorum amans. Non cupio ut ames adoleſcentem, tantum noſſe velis rogo: cognitum amabis, velis nolis, ea eſt morum & ingenii probitas. Pater, ut ſcis, apud nos valet ſuo merito plurimum. E re mea fuerit, ſi is intelligat, mihi iſtic cum filio ſuo amicos eſſe communes, & tales amicos, quorum convictu talis evadat juvenis, qualem impenſiſſime cupit ſenex cordatiſſimus atque optimus. Nos hactenus vix tutati ſumus valetudinem, cœlo tam incommodo. Hibernis his menſibus reliquas Paraphraſes abſolvemus adjutore *Chriſto*. Literas tuas jam pridem miſere exſpecto. Bene vale. *Lovanio* 16. Octobris, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCLXIX.

*Eraſmus Rot. Guilielmo Montjoio* S. D.

EXIMIE *Mecenas*, vix mihi tempero quin invideam aulæ veſtræ, tot eruditis differtæ, cum noſtra præter *Midas* fere nihil habeat, etiamſi res ipſa cogit noſtros Satrapas literarum habere rationem. Clariſſimus Princeps *Berganus*, ex multis cognita ſinceritate veſtræ

Digitized by Google

An. 1519. ſtræ aulæ ac Regis Reginæque dotibus, non alio magis quam emandare filium ſuum *Antonium* dominum *Grimbergæ*, juvenem indole feliciſſima, ac moribus plane ſuo genere dignis: cum primis autem literarum ex animo ſtudioſum, &, quod tecum habet commune, faventem *Eraſmo*. Hunc quid ego tibi commendem? quum & illum norim iis rebus præditum, quas tu non potes non amare. Ducit ſecum præceptorem ſuum *Adrianum Barlandum*, virum haud vulgariter eruditum. Quod non reſpondes meis literis, nihil aliud in cauſa ſuſpicor, quam ſolitam tuam hac in re pigritiam. Mors *Coleti* tam acerba mihi fuit, ut nullius his annis viginti fuerit acerbior. Sed quis uſus querelarum, aut fletus? ille ad nos redibit nunquam, nos illum ſequemur. Cum Theologis ſarta pax, quam illi ultro expetierunt: quam ſic admiſi, ut nec meo vitio ſim violaturus, nec illis tamen unquam fiſurus. Nunquam audita fuit ejuſmodi conſpiratio, ex unius hominis bili nata: cujus etiam opera ſarta eſt, quum videret & ſe imparem Tragœdiæ, & me recti conſcientia fretum non cedere, imo tandem etiam dentes aliquot nudare; ſæviturum ſi porro perrexiſſent. Nos ſat proſpera valetudine ſumus, niſi quod ætas ſemper aliquid decerpit hujus corpuſculi nervis, ſed non recuſarim immori literis, *Chriſti* gloriam illuſtrantibus. Si tu ſolitum in nos animum non mutaſti, fac tuis literis aliquoties *Eraſmum* appelles tuum, ubi ubi terrarum eſt. Bene vale. *Lovanio* 16. Octob. Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCLXX.

*Eraſmus Rot. integerrimo D. Guilielmo Dancaſtro* S. D

O NOS miſeros, qui talem præceptorem, talem patronum, talem amiſerimus amicum? Ploratur lachrymis amiſſa pecunia veris, hanc ego jacturam omni lachrymarum genere deplorandam cenſeo. Sed quid conferunt ſingultus? quid ejulatus? ille revocari non poteſt, nos illum brevi ſequemur. Interim *Coleto* gratulandum, qui jam ſecurus ſuo fruitur *Chriſto*, quem ſemper habebat in ore, ſemper in pectore. Mandabo literis vitam hominis, ſi tu tuique ſimiles, quædam me docueritis, mihi fortaſſis incognita. Quod ut facias etiam atque etiam rogo. *Gerardum* œconomum meis verbis ſalutato diligenter, erga quem adhuc ingratus eſſe cogor, ſic obruor undique. Cum Theologis ictum fœdus, ipſi ultro flagitarunt, poſteaquam nihil ab illis non tentatum eſt in meam perniciem, & vident conatus parum ſuccedere: Si *Chriſtus* pro nobis, quis contra nos? Bene vale, mi chariſſime *Guilielme*, meque *Chriſto* Opt. Max. tuis precibus commendato. *Lovanio* 16. Octob. Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCLXXI.

*Eraſmus Rot. Cutberto Tonſtallo* S. D.

CUM catalalis ictum fœdus, ipſis id diu flagitantibus: nunquam neque lecta neque audita fuit ejuſmodi conſpiratio. Solus (ut ferunt) *Noxus* ille fuit, qui & olim inſtigavit *Dorpium*, & hanc totam Tragœdiam excitavit: id pridem ſuſpicione collectum, jam plane comperi: idem ſarciendæ pacis fuit auctor, ubi ſenſit & me minari, ni deſinerent, & alios ad bellum accinctos, & ſuam valetudinem ob tumultum periclitari, & in ſuum caput recidere, quod in meum moliebatur. Scio tibi non placere meas apologias, ſed tempori fuit ſerviendum, imo laudares meam lenitatem, ſi negotii noſſes atrocitatem. Neque me clam eſt vobis auctoribus fieri, ut *Leus* premat ſuum librum, nec aliud tamen interim mihi præſtatis, niſi ut ille Opus edat inſtructius, ac me fortaſſis aut mortuo, aut procul abſente. Nihil enim minus ſperandum eſt, quam ut ille perpetuo premat, quod quotidie retexit, imo nunquam magis fuit in hoc negotio, quam nunc eſt. Mihi tamen non eſt animus cum veſtra pugnare ſententia. *Dorpius* etiam libello edito teſtatus eſt animum mutaſſe ſeſe, ac cæteris in rebus talem ſe præbet, ut ſatis fidam. Cum cæteris initum fœdus, à me quidem non violabitur, & arma depoſui: cæterum excubias non intermittam. Hac hyeme Paraphraſes abſolvam, ſi *Chriſtus* adfuerit. *Coleti* mortem inconſolabiliter deplorarem, niſi ſcirem nec illi, nec mihi profuturas lachrymas. Commigrat aulæ veſtræ *Antonius à Grimberga*, filius primarii viri Principis à *Bergis*, juvenis natus virtuti, literarum ac literatorum amantiſſimus, indole manſuetiſſima pudoriſque plena: huic non gravaberis declarare, quantum faveas probitati. *Longolius* hic mihi totum biduum abſumpſit. Cardinalem *Campegium* vidi *Brugis*, cœnavi cum eo, mira hominis humanitas. Placuere mores aperti minimeque fucati. Si fieri poſſit, cuperem mihi fieri copiam eorum, quæ notavit *Leus*, nam adornant rurſus tertiam editionem, ab ipſo nihil poteſt extorqueri. De *Roffenſis* animo nihil equidem addubito, ſed tamen hoc ſycophanta nihil nec doloſius, nec improbius. Si quid me jubebis facere, promptiſſimum ad omnia reperies. Bene vale. *Lovanio* 16. Octob. Anno 1519. An. 1519.

## EPISTOLA CCCCLXXII.

*Eraſmus Rot. Thomæ Card. Eboracenſi* S. D.

QUOD proximas literas meas tua ſublimitas non ſolum boni conſuluit, verum etiam alacri lætaque fronte perlegit, (nam id mihi *Brugis* narravit Cardinalis *Campegius*) gratiam habeo maximam: quod nondum reſpondit, negotiorum undis imputo. Mihi tamen maximi muneris inſtar fuerint celſitudinis tuæ literæ, ſi promerear. Ut autem eam rurſus interpellarem in cauſa fuit hic *Antonius Grimbergius*, clariſſimi cordatiſſimique Principis *Bergani* filius, qui in regiam *Britannicam* commigrat, videlicet hoc agente patre, ut dignus evadat ſuo genere. Eſt autem adoleſcens ingenui pudoris plenus, nec illiteratus, & literarum ac literatorum amantiſſimus: in ſumma, ea indole, ut ſummam de ſe ſpem præbeat, ſi naturæ felici par acceſſerit inſtitutio. Hunc pater ob hoc etiam tenerius deamat, quod omnium liberorum minimus, veluti poſteritatis ſacra ſit ancora. Scit vir prudentiſſimus quantopere referat, inter quos ætas ea verſetur, ſic in bivio virtutum ac vitiorum conſiſtens, ut levi momento huc aut illuc impelli poſſit. Perſuaſum habet, non aliam aulam eſſe incorruptiorem, quæ præter Regem hujus ætatis facile integerrimum, ac Reginam omnis probitatis exemplar, tot habeat viros doctrina præcellentes, morum innocentia commendatos, gravitate venerandos, prudentia conſilioque ſuſpiciendos. Nec ignorat quibus illecebris aulæ noſtræ ad perniciem lubricæ ætatis ſint inſtructæ. Proinde cordatiſſimus ſenex iſtam aulam ceu ſcholam unicam delegit, quæ juvenem non literas ſolum, verum etiam mores, bono Principe dignos, doceat. Neque enim dubium eſt, quin juvenis hic magnis rebus natus, ad longe majora ſit evehendus, ſi vixerit. Nihil addubito, quin ille ſit vobis ſummorum Principum literis diligenter commendatus, ut plane ſupervacaneum ſit, meam accedere commendationem. Tamen quando id verecunde ſignificavit verius quam petiit, viſum eſt celſitudini tuæ paucis illius imaginem adumbrare. Quanquam eum nemo commendaverit efficacius, quam ipſius mores & ingenium cum primis amabile iis, qui probitatem diligunt cum eruditione conjunctam, quorum tu citra controverſiam antiſtes es, ac Princeps: quem precor, ut propitius Deus rebus humanis quam diutiſſime ſervet incolumem. *Lovanio* 17. Octobris, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCLXXIII.

*Eraſmus Rot. Joanni Draconi, ex urbe Karoli, ſuo*, S.

VT ad epiſtolam tuam paucis reſpondeam, humaniſſime *Draco*, primum, poſt longam apud *Baſileam*

Digitized by Google

An. 1519. *leam* ægrotationem, denuo periculosissime relapso, deinde negotiis ingentibus occupatiori quam quisquam credat, *Eobanus* noster voluptatis attulit plurimum, tum lucri non parum, qui ipse vir & admiratione dignus, & amore, te novum amicum mihi conciliavit, licet hac certe parte satis opulentum: & vel unus *Helius* queat *Germaniam* nostram à barbariæ calumnia vindicare. Deum immortalem! quam felix felicitas, quam facilis facilitas in carmine! dicerem in hoc renatum *Ovidium*. Neque sui dissimilis est in oratione soluta. Nam in utroque specimen sui præbuit, idque ex tempore. Tum autem qui morum candor? quæ comitas? quæ facilitas? quam nusquam est affinis iis vitiis, quibus vulgo sunt obnoxii, præsertim apud *Italos*, qui Poeticen deamant? quam pia Musa castaque *Christianas* celebrat Heroidas? Felicem ter quaterque *Germaniam*, si plures huic simillimi vates exorirentur: & exoriuntur jam aliquot. Sed longe plures exorituros video, si Principes ac primates ingeniis honorem habere cœperint; tametsi jam hoc facit inclytus ille *Saxoniæ* Dux *Fredericus*, Archiepiscopus *Moguntinensis*, vel citra Cardinalitium galerum maximus ac clarissimus. Unum hoc me male habet, quod *Hessus* noster tantum itineris exantlarit frustra. Quid enim fructus erat? aut quod operæ precium vel totum *Erasmum* vidisse? Meliorem mei partem, si quid in me boni est, jam in lucubrationibus meis conspexerat. Porro, quod supereſt, quæso, quid habet visendum? Gratum fuit tuum munusculum, animi in me tui symbolum. Bene vale. *Lovanio* 17. Octobris, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCLXXIV.

*Erasmus Rot. Joanni Episcopo Roffensi* S. D.

EXIMIE Præsul, perscripturus eram, ut tua jusserat reverentia, quæ adnotaram tribus libellis, quibus *Fabri* refellis opinionem. Verum, id serum arbitratus sum, edito posteriori libro, quem sane nondum legi, lecturus tamen propediem. Miseret me *Fabri:* viri nimirum optimi, qui *Lutetiæ* non mediocri gravatur invidia, præsertim *Dominicanorum*, potissimum ob hoc quod dictus sit favere *Capnioni*. Optarim ut tua reverentia contenta sit hac victoria, quam eruditorum suffragiis adeptus diceris, Opus emitur cupide. Quare posthac quidquid voles committere lubens recipiet excudendum typographus: nam initio mire difficilem sese præbuit, adeo ut vix hominem quiverim perpellere. Cum Theologis sarta concordia, ipsis ultro flagitantibus, quod utinam illis prius venisset in mentem, & non lædere maluissent, quam reconciliari. Nunc *Dodonæi* lebetes semel moti, diu tinniunt, præsertim autem Monachorum quorundam mira virulentia, & ad insaniam usque impudens, calumniandi libido. *Jacobus Hoochstratus* agit *Lovanii*, profugus *Colonia* ob pestem: ut alii suspicantur, extrusus à Monachis invidiam ab illo ortam depellentibus. Nihil adhuc molitur, quid in posterum facturus, nescio. De *Leo* pudet queri, precor ut *Christus* illi mentem inserat digniorem & sacerdote, & Theologo. Nunquam magis fuit in negotio, quam nunc est, nec interim quicquam ab illo potest exsculpi. *Frobenius* minatur se rursus excusurum typis Novum Testamentum, quare te obtestor, & per tuum sacrorum studiorum amorem, & per tuam pietatem Episcopo dignam, & per nostram amicitiam, & per si quid omnino apud te valet *Erasmus*, ut si totius libri copiam facere non vis, quod tamen summopere volebam, saltem annotes ea, quæ judicaris alicujus esse momenti, hinc (mihi crede) nulla nascetur tragœdia. Quod si tuæ occupationes obstant, quo minus hoc officium mihi queas præstare, saltem *Moro* detur hæc provincia, vel adjurato, si videtur. Illud certissimum est, *Leum* suas nænias non perpetuo pressurum. Hoc agit, ut Opus edat instructius, & tamen interim jactat passim se id dare amicorum voluntati, meoque honori, quod premit. Quod si me vita functo librum evulgarit, utriusque deterior erit conditio. Nam neque me docebit aut corriget, & longe odiosius illi respondebitur, quam si ipse respondeam. Hac igitur in re, te quæso, fac experiar animum illum in me tuum, quem semper præ te tulisti. Hæc scripsi mœrens ob *Coleti* decessum, qui mihi tam acerbus est, ut his triginta annis nullius hominis mors me discruciarit gravius. Scio bene actum cum illo, qui exemptus ab hoc scelerato pariter atque ærumnoso seculo cominus fruitur suo *Christo*, quem vivus sic deamabat. At ego publico nomine non possum non deplorare tam rarum *Christiana* pietatis exemplar, tam singularem *Christianæ* doctrinæ præconem: privatim autem meo nomine tam constantem amicum, tamque incomparabilem patronum. Quod unum supereſt, hoc illi parentalium vice persolvam officii: si quid mea scripta valebunt, non sinam ejus viri memoriam apud posteros intermori. Dux *Saxoniæ Fridericus* bis ad me scripsit, eidem meæ respondens epistolæ: hujus unius præsidio substitit *Lutherus*. Id ait se causæ dedisse verius quam personæ. Addit, non commissurum sese, ut in sua ditione opprimatur innocentia, eorum malitia qui sua quærunt, non quæ *Jesu Christi*. Ab omnibus delatum imperium ingenti animo recusavit, idque pridie quam *Carolus* eligeretur, cui nunquam contigisset imperii titulus, nisi *Fridericus* deprecatus esset, clarior honore contempto, quam fuisset adepto. Mox rogatus, quem igitur censeret eligendum, negavit sibi quenquam alium videri tanti nominis oneri sustinendo parem, quam *Carolum*. Ob hunc insignem animum à nostris oblata triginta floren. millia constantissime rejecit. Quumque urgeretur ut saltem decem millia pateretur dari famulis: Accipiant (inquit) si velint, attamen nemo manebit postridie apud me, qui vel aureum acceperit: ac postridie conscensis equis subduxit sese, ne pergerent esse molesti. Hoc mihi ut compertissimum retulit Episcopus *Leodiensis*, qui Comitiis imperialibus interfuit. Dux *Wirtembergensis* nuper profligatus bellum redintegrat, receptis aliquot oppidulis. Nos *Carolum* nostrum proximo vere reducem operimur ex *Hispaniis*. Bene vale, reverendissime Præsul, & *Erasmum* hoc etiam magis amplectere, quod *Coletus* avulsus dimidiatum reliquit. *Lovanio* 17. Octobris, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCLXXV.

*Erasmus Henrico Guilfordo, rei equestris regio præfecto*, S.

VIDES, ornatissime *Guilforde*, virtute nihil amabilius, quæ sic omnium animos ad se pellicit, ut nulla incantatio possit efficacius. Siquidem fragrantia honestissimæ famæ, quæ nusquam non divulgat aulam *Britannicam*, præter Regem, omnibus absoluti Principis dotibus egregie cumulatum, & huic simillimam Reginam, tot insuper integris, eruditis, gravibus, cordatisque viris abundare, Principem *Bergensem*, virum in primis prudentem, hoc est, à tergo pariter atque à fronte oculatum, excitavit, ut *Antonium* natu minimum ex liberis, quem natura videtur genuisse virtuti, non alteri scholæ tradendum judicaret: unde rediret, non solum incorruptus ab his vitiis, quibus fere sunt obnoxiæ magnatum aulæ, verum etiam iis virtutibus instructus, quæ tam claris stemmatis, tantisque negotiorum molibus, ad quas haud dubie vocabitur, dignæ sint. Nihil agam si tibi juvenem commendem. Ea est indoles, ea morum suavitas, is pudor ac probitas, ut optimum quenque protinus in sui amorem rapturus sit. Atque hic quoque sentio mihi *Rhamnusiam* infensam. Ante complures annos & Regis benignitas, & Cardinalis *Eboracensis* humanitas, me ad aulæ consortium non semel invitavit, eodem provocavit *Guilielmi Montjoii* fidele semper & amicum consilium. Sed mihi læva mens erat, surdo canebatur fabula. Sciebam haud ullam usquam aulam ista esse incorruptiorem, at quis divinare, poterat Principis

Digitized by Google

An. 1519. pis domum tale Musarum domicilium futurum? Nunc id consilium sequar oportet, quod dant ætas ac valetudo. Vobis interim gratulabor istam felicitatem, quando meam infelicitatem deplorare, nihil attulerit fructus. Bene vale, vir ornatissime. *Lovanio* 18. Octob. An. 1519.

## EPISTOLA CCCCLXXVI.

*Erasmus Rot. Eobano Hesso suo* S. D.

JAM arbitrabar mihi probe cognitam *Germaniam*, & quicquid esset insignium ingeniorum perveſtigatum. Admirabam ingenium *Beati Rhenani:* exosculabar indolem *Philippi Melanchthonis:* suspiciebam *Capnionis* majestatem: capiebar *Hutteni* deliciis. Et ecce derepente *Hessus*, quod antehac in singulis vel amabam, vel mirabar, unus universum exhibuit. Quid enim aliud Heroides tuæ quam *Christianum Ovidium* referunt? Cui vel in oratione soluta contingit ea facilitas, quæ tibi in omni carminis genere? Eloquentiam æquat eruditio; & utrumque decorat *Christiana* pietas. Jam in oratione prosa talis es, ut alienus à carmine videri possis. O venam ingenii vere auream! nec à stylo mores abhorrent, quibus nihil candidius, nihil simplicius, nihil potest esse purius. Rara avis, eximia doctrina sine supercilio. Quid supereſt optandum, mi doctissime *Hesse*, nisi ut egregiis tuis dotibus, quas partim tuis vigiliis, partim cœlo debes, Fortuna respondeat? Id fiet, si *Germaniæ* Principes ingeniis honorem habere cœperint; & bellicæ gloriæ hanc quoque meliorem laudis portionem adjunxerint. Tu mihi terra marique visendus eras, & ultro tam immensō, tamque periculoso itinere *Erasmum* petit *Eobanus*, homuncionem visurus fama maligna, sed tamen hac ipsa minorem. Mihi tam insigne lucrum gratulor, qui cum *Hesso* meo tot egregios amicos lucrifecerim, tuam vicem doleo, qui tam levi fructu tantum laboris susceperis. Bene vale, *Germaniæ* nostræ vel præcipuum decus. *Lovanio* 19. Octobris, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCLXXVII.

*Alberto Archiepiscopo & Principi Moguntino Cardinali Erasmus Roterodamus*

SALVTEM plurimam. Suspiciende Præsul & idem illustrissime Princeps, redditum est mihi celsitudinis tuæ munus, materia juxta atque opere visendum & insigne, dignum quidem, quod à tali Principe mitteretur, sed haud scio, an dignus *Erasmus* ad quem mitteretur, quem magis convenit vitreis, aut *Samiis*, quam auro celatis poculis bibere. Quod si calix vitreus missus fuisset, tamen mihi inter ea, quæ maxime sunt in deliciis, reponeretur: vel ob id ipsum, quod ab heroe longe optimo profectus fuisset. Commendavit autem mihi non mediocriter munus per se gratissimum *Huttenus* noster, qui docuit appellari poculum amoris, ceu Gratiis sacrum, ob id opinor, quod quum velut osculo sibi committuntur, è duobus fiat unum: addit eam inesse vim, ut qui ex hoc biberint, tenacissima quadam benevolentia conglutinentur. Hujus rei periculum facere volens, *Guilhelmo* Cardinali *Croio*, cum hisce diebus inviseret bibliothecam meam, è tuo poculo præbibi, & ille mihi vicissim. Juvenis est longe felicissimus, & cujus indoles non videatur indigna tanta felicitate. Sed doleo serius fuisse redditum. Nuper enim Theologi *Lovanienses* mecum redierunt in gratiam, hac lege, ut illi compescerent obtrectatrices linguas, quas excitassent, ego pergerem cohibere calamos meorum, quantum esset in me. In eo convivio (nam hic nihil sacrum absque compotatione) produxissem tuum poculum si mihi fuisset, ex quo si bibissent singuli, fortasse felicioribus auspiciis coiisset nostra concordia; nunc ex epistola, nescio qua, parum bene intellecta, & pejus interpretata, male sarta gratia sic dissiliit, ut post brevem tranquillitatem sævior etiam tempestas coorta videretur? Nec dubito, quin hæc omnia gerantur artificio *Satanæ*, cui nihil invisius est, quam *Christianorum* inter ipsos concordia: eoque modis omnibus conatur, & vitæ, & studiorum tranquillitatem aliquo pacto turbare, idque facit pietatis prætextu, quo magis etiam noceat. Qua de re, si celsitudini tuæ per negotiorum undas vacaret, sunt quæ mea refert illam scire, ac fortassis ipsius quoque, certe bonarum literarum interest, quibus æquum est, optimos quosque adversus pessimos favere. Primum illud præfandum est, mihi neque cum *Reuchlini* negotio, neque cum *Lutheri* caussa quicquam unquam fuisse. *Cabala*, & *Thalmud* quicquid hoc est, meo animo nunquam arrisit. Conflictationes illæ virulentæ inter *Reuchlinum* & hos, qui *Jacobo Hoochstrato* favebant, mihi majorem in modum displicuerunt. *Lutherus* mihi tam ignotus est, quam qui ignotissimus, cujus libros nondum vacavit legere, nisi quod carptim deguſtavi quædam. Si bene scripsit, nihil mihi debetur laudis: sin secus, nihil est, quod mihi imputetur. Illud video, ut quisque vir est optimus, ita illius scriptis minime offendi: non quod probent omnia, opinor, sed quod hoc animo illum legant, quo nos legimus *Cyprianum* ac *Hieronymum*, imo etiam *Petrum Lombardum*, nimirum ad multa conniventes. Libros *Lutheri* editos dolebam, & cum cœpissent primum ostendi libelli nescio qui, pro viribus obstabam, ne ederentur, præcipue, quod vererer, ne quid tumultus ex his oriretur. Scripserat ad me *Lutherus* epistolam bene *Christianam*, mea quidem sententia, & respondi, obiter admonens hominem, ne quid seditiose, ne quid procacius in *Romanum* Pontificem, ne quid arrogantius aut iracundius scriberet, sed doctrinam Euangelicam animo sincero cum omni mansuetudine prædicaret. Id feci civiliter, quo magis proficerem. Addidi, hic esse qui illi faverent, quo magis ad horum judicium sese accommodaret: hæc quidam stultissime sic interpretati sunt, quasi *Luthero* faverem: cum istorum nullus hominem adhuc monuerit, ipse solus admonui. Ego *Lutheri*, nec accusator sum, nec patronus, nec judex: de spiritu hominis non ausim judicare, est enim difficillimum, præsertim in partem pejorem. Et tamen si illi faverem ut viro bono, quod fatentur & hostes: si, ut reo, quod juratis etiam Judicibus permittunt leges: si ut oppresso, quod dictat humanitas, & obruto ab his, qui simulato prætextu, devotis animis tendunt adversus bonas literas, quæ tandem esset invidia? modo ne me causæ admiscerem. Postremo, *Christianum* est, opinor, sic favere *Luthero*, ut si innocens est, nolim eum improborum factionibus opprimi: sin errat, velim sanari, non perdi: hoc enim magis congruit cum exemplo *Christi*, qui juxta Prophetæ testimonium, *linum fumigans non exstinxit, neque baculum confractum comminuit.* Optarim pectus illud, quod videtur habere præclaras quasdam scintillas Euangelicæ doctrinæ, non opprimi, sed correctum revocari ad prædicationem gloriæ *Christi.* Nunc Theologi quidam, quos ego novi, nec admonent, nec docent *Lutherum*, tantum insanis clamoribus apud populum traducunt hominem, & virulentissimis obtrectationibus lacerant, nihil habentes in ore præter hæreses, hæreticos, hæresiarchas, schismata, & antichristos. Negari non potest hic clamatum fuisse apud populum odiosissime, ab his, qui libros *Lutheri* nondum viderant. Compertum est, quosdam nominatim damnasse quæ non intellexerant. Quorum illud est unum; *Lutherus scripserat; nos non teneri ad confitendum peccata capitalia, nisi manifesta, sentiens manifesta, quæ nobis confitentibus essent nota.* Id quidam sic interpretans, quasi manifesta essent, quæ palam essent admissa, vociferatus est miris modis, in re non intellecta. Compertum est ab his damnata, ut hæretica in libris *Lutheri*, quæ in *Bernardi*, *Augustinique* libris, ut orthodoxa, imo ut pia leguntur: admonui eos initio, ut ab hujusmodi clamoribus temperarent, sed scriptis potius ac disputationibus rem agerent. Primum, non esse publice damnandum, quod non esset

An. 1519. lectum, imo, quod non expensum, non enim dicam non intellectum. Deinde, Theologis indecorum esse, quicquam per tumultum agere, quorum judicium oporteret esse gravissimum: postremo, non facile debacchandum in eum, cujus vita probaretur ab omnibus. Denique, fortassis non esse tutum attingere talia apud promiscuam multitudinem, in qua sunt multi, quibus valde displicet secretorum peccatorum confessio. Hi si audiant esse Theologos, qui negant oportere confiteri omnia crimina, facile arripient, unde concipiant perversam opinionem. Cum hoc idem videretur cordatissimo cuique quod mihi videbatur, tamen ex hac amica admonitione conceperunt suspicionem, libros *Lutheri* magna ex parte meos esse, & *Lovanii* natos, cum in his nec apiculus ullus sit meus, aut me conscio, aut volente editus: & tamen hac falsissima suspicione freti, citra ullam expostulationem, excitarunt hic multas Tragœdias, quibus adhuc in vita nihil vidi furiosius. Ad hæc, cum Theologorum sit proprium docere, nunc video multos nihil aliud agere, nisi ut cogant, ut perdant, ut exstinguant, cum *Augustinus*, ne adversus *Donatistas* quidem, non hæreticos modo, verum etiam sævissimos latrones, probet eos, qui cogant tantum, non etiam doceant. Homines, quos maxime decebat mansuetudo, nihil aliud sitire videntur, quam humanum sanguinem, tantum in hoc inhiant ut capiatur, ut perdatur *Lutherus*. Atqui, hoc est carnificem agere, non Theologum. Si se magnos Theologos volunt ostendere, convertant *Judæos*, convertant ad *Christum* à *Christo* alienos, emendent publicos *Christianorum* mores, quibus nihil est corruptius, ne apud *Turcas* quidem. Quo pacto æquum est, ut rapiatur ad pœnam, qui primum proposuit disputanda, de quibus in omnibus Theologorum scholis semper est disputatum; cur affligi debet, qui cupit doceri, qui se submittit judicio *Rom.* Sedis, qui se committit judicio scholarum, quas Universitates appellant. Quod si se non credit manibus quorundam, qui illum mallent exstinctum, quam probum, mirum videri non debet. Spectandi in primis sunt hujus mali fontes. Mundus oneratus est constitutionibus humanis, oneratus est opinionibus & dogmatibus scholasticis, tyrannide Fratrum Mendicantium, qui cum sint satellites Sedis *Rom.* tamen eo potentiæ ac multitudinis evadunt, ut ipsi *Rom.* Pont. atque ipsis adeo Regibus sint formidabiles. His cum pro ipsis facit Pontifex, plusquam Deus est: in his quæ faciunt adversus eorum commodum, non plus valet quam somnium. Non damno omnes, sed plurimi sunt hujus generis, qui ob quæstum ac tyrannidem, data opera illaqueant conscientias hominum. Ac perfricta fronte, jam cœperant, omisso *Christo*, nihil prædicare, nisi sua nova, & subinde impudentiora dogmata. De Indulgentiis sic loquebantur, ut nec idiotæ ferre possent. His & ejusmodi multis rebus paulatim evanescebat vigor Euangelicæ doctrinæ: & futurum erat ut rebus semper in deterius prolabentibus, tandem prorsus exstingueretur illa scintilla *Christiana* pietatis, unde redaccendi poterat exstincta charitas: ad ceremonias plusquam *Judaicas* summa religionis vergebat. Hæc suspirant ac deplorant boni viri, hæc ipsi etiam Theologi, non Monachi, & Monachi quidam in privatis colloquiis fatentur. Hæc, opinor, moverunt animum *Lutheri*, ut primum auderet se quorundam intolerabili impudentiæ opponere. Quid enim aliud suspicer de eo, qui nec honores ambit, nec pecuniam cupit. De articulis, quos objiciunt *Luthero*, in præsentia non disputo, tantum de modo & occasione disputo. Ausus est *Lutherus* de Indulgentiis dubitare, sed de quibus alii prius nimis impudenter asseveraverant. Ausus est immoderatius loqui de potestate *Rom.* Pontificis, sed de qua isti nimis immoderate prius scripserant, quorum præcipui sunt tres Prædicatores, *Alvarus*, *Sylvester*, & Cardinalis sancti *Sixti*. Ausus est *Thomæ* decreta contemnere, sed quæ *Dominicani* pene præferunt Euangeliis. Ausus est in materia Confessionis scrupulos aliquos discutere, sed in qua Monachi sine fine illaqueant hominum conscientias. Ausus est ex parte negligere scholastica decreta, sed quibus ipsi nimium tribuant, & in quibus ipsi nihilo minus inter se dissentiunt; postremo, quæ subinde mutant, pro veteribus rescissis inducentes nova. Discruciabat hoc pias mentes, cum audirent in scholis fere nullum sermonem de doctrina Euangelica, sacros illos ab Ecclesia jam olim probatos auctores haberi pro antiquatis: imo in sacris concionibus minimum audiri De *Christo*; De potestate Pontificis, De opinionibus recentium fere omnia. Totam orationem, jam palam quæstum, adulationem, ambitionem, ac fucum præ se ferre. His imputandum opinor, etiamsi qua intemperantius scripsit *Lutherus*. Quisquis favet Euangelicæ doctrinæ, is favet *Rom.* Pontifici, qui hujus primus est præco, cum cæteri Episcopi sint ejusdem præcones. Omnes Episcopi *Christi* vicem gerunt, sed inter hos præcellit *Rom.* Pontifex. De eo sic sentiendum est, quod nulli rei magis faveat quam gloriæ *Christi*, cujus se ministrum gloriatur. De hoc pessime merentur, qui per adulationem illi tribuunt, quod ne ipse quidem agnoscit, nec expedit gregi *Christiano*. Et tamen nonnulli, qui movent has Tragœdias, non faciunt studio Pontificis, sed hujus potestate ad suum quæstum, suamque tyrannidem abutuntur. Habemus, ut arbitror, Pontificem pium, sed in tantis rerum fluctibus plurima sunt, quæ ille ignorat: quædam, etiamsi velit, non potest obtinere, sed (ut inquit *Maro*)

*Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.*

Hujus igitur pietatem adjuvat, qui exhortatur ad ea, quæ maxime *Christo* digna sunt. Obscurum non est, esse qui sanctitatem illius incitent adversus *Lutherum*, imo adversus omnes, qui audent adversus ipsorum dogmata mutire. Sed maximis Principibus magis spectandum, quid velit perpetua voluntas Pontificis, quam obsequium improbitate extortum. Jam quales sunt auctores hujus tumultus, possem verissime demonstrare, nisi metuerem, ne dum veridicus esse pergo, videar maledicus. Multos novi familiariter, multi quales sint, editis libris ipsi declararunt, nec in ullo speculo magis relucet imago mentis & vitæ. Atque utinam isti, qui sumunt sibi censoriam virgulam, qua quos velint ejiciant de senatu *Christianorum*, penitus imbibissent doctrinam & affectum *Christi*. Ea non contingit, nisi animis ab omni cupiditatum hujus mundi sorde defecatis. An isti tales sint, id mox experietur, qui cum illis agat de re, quæ ad quæstum, aut gloriam, aut vindictam eorum pertinet. Utinam possim insinuare animo celsitudinis tuæ, quæ super his rebus, & perspecta habeo, & comperta: nam me decet meminisse modestiæ *Christianæ*. Hæc eo liberius dico, quod modis omnibus sum à *Reuchlini*, *Lutherique* causa alieniissimus. Nec enim ipse velim ejusmodi scribere, nec eam doctrinam mihi arrogo, ut ab aliis scripta velim tueri: sed mihi non tempero, quin illud mysterium aperiam, istos longe alio tendere, quam præ se ferant. Jam pridem male habet istos efflorescere bonas literas, efflorescere linguas, reviviscere veteres auctores, quos antehac exedebant tineæ, pulvere opertos, mundum ad fontes ipsos revocari. Timent suis lacunis, nolunt videri quicquam nescire, metuunt, ne quid ipsorum majestati decedat. Hoc ulcus cum diu presserint, nuper tamen erupit, dolore vincente dissimulationem. Antequam exirent libri *Lutheri*, jam magnis studiis hoc agebant, maxime *Dominicani* & *Carmelitæ*, quorum utinam plurimi non essent sceleratiores, quam indocti. Ubi libri *Lutheri* prodissent, velut ansam nacti, cœperunt linguarum, bonarum literarum, *Capnionis* ac *Lutheri*, imo & meam causam, eodem fasce complecti, non solum male offerentes, verum etiam male dividentes. Primum enim, quid rei bonis studiis cum fidei negotio? deinde, quid mihi cum causa *Capnionis* ac *Lutheri*? Sed hæc arte commiscuerunt, ut communi invidia degravarent omnes bonarum literarum cultores. Porro, rem non sincero animo geri, vel ex hoc licet conjicere: cum ipsi fateantur nullum esse,

Digitized by Google

An. 1519. esse, neque veterum, neque recentium auctorum, in quo non reperiantur errores, etiam hæreticum facturi, si quis pertinaciter defendat, cur cæteris omissis, in unum tantum, aut alterum inquirunt tam odiose? Non inficiantur in multis erasse *Alvarum*, in multis Cardinalem sancti *Sixti*, in multis *Sylvestrum Prieratem*, de his nulla mentio, quia *Dominicani* sunt. In unum *Capnionem* clamatur, quia linguas callet. In *Lutherum*, quem isti putant nostris literis præditum, cum eas tenuiter attigerit. Multa scripsit *Lutherus* imprudenter magis, quam impie, quorum hoc istos habet pessime, quod *Thomæ* non multum tribuit, quod minuit quæstum veniarum, quod Ordinibus Mendicantium parum tribuit, quod scholasticis dogmatibus non tantundem defert quantum Euangeliis, quod negligit humanas disputatorum argutias. Hæ nimirum sunt hæreses intolerabiles. Sed his dissimulatis, prætexunt invidiosa apud Pontificem, homines, tantum ad nocendum, & concordes, & callidi. Olim etiam reverenter audiebatur hæreticus, absolvebatur si satisfaciebat: sin convictus perstitisset, extrema pœna erat, non admittebatur ad catholicam & ecclesiasticam communionem. Nunc alia res est hæreseos crimen, & tamen, ob quamlibet levem causam, statim hoc habent in ore, *Hæresis est*. Olim hæreticus habebatur, qui dissentiebat ab Euangeliis, ab articulis fidei, aut his, quæ cum his parem obtinerent auctoritatem. Nunc si quis usquam dissentiat à *Thomæ*, vocatur hæreticus, imo si quis à commentitia ratione, quam heri sophista quispiam in scholis commentus est. Quicquid non placet, quicquid non intelligunt, hæresis est, *Græce* scire, hæresis est, expolite loqui, hæresis est, quicquid ipsi non faciunt, hæresis est. Fateor grave crimen est viciatæ fidei, sed non oportet quidvis trahere in quæstionem fidei. Et qui tractant fidei negotium, debent ab omni specie ambitionis, quæstus, aut odii, vindictæque procul abesse. At quid isti præ se ferant, quis est qui non videat? quorum cupiditati si semel licentiæ frena laxentur, passim incipient sævire in optimi cujusque caput. Postremo, minitabuntur ipsis Episcopis, atque ipsi etiam *Romano* Pontifici. Quod non recusabo, quo minus falsum videatur, nisi jam à quibusdam fieri videmus. Quid ausit Ordo *Dominicanorum*, ut ne quid aliud adferam, *Hieronymus Savonarola*, & *Bernense* facinus, admonere nos debet. Non renovo Ordinis infamiam, sed admoneo quid sit cavendum, si illis successerit quicquid temere tentarint. Quicquid adhuc diximus, extra causam *Lutheri* est, de modo tantum ac periculo disputamus. Causam *Capnionis Romanus* Pontifex ad se recepit. *Lutheri* negotium delegatum est Academiis, quicquid hi pronunciabunt citra meum periculum fuerit. Ego semper cavi, ne quid scriberem obscœni, ne quid seditiosi, ne quid alienum à doctrina *Christi*: nec unquam sciens, vel magister erroris, vel auctor tumultus fui, omnia passurus citius, quam seditionem excitaturus. Hæc tamen certis de causis volebam esse nota celsitudini tuæ: non ut illi consuiam aut præeam, sed ut si conentur adversarii bonarum literarum abuti prætextu dignitatis tuæ, certius possit hisce de rebus, quod optimum sit, statuere: quæ, mea sententia, quo magis abstinebit ab hac causa, hoc rectius consulet suæ tranquillitati. Methodum celsitudini tuæ dicatam recognovi, & auctario non mediocri locupletavi.

Te incolumem ac florentem in æternum servet *Christus* Opt. Max. *Lovanio* 1. Novembris, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCLXXVIII.

*Erasmus Rot. Joanni Slechtæ Bohemo* S. D.

Ad prolixam epistolam tuam, optime *Slechta*, paucis in hoc tantum respondebo, ut intelligas eam mihi & redditam fuisse & perlectam; nec enim aliud in præsentia sinunt occupationes meæ. Ad obtrectatorum voces, quando beneficiis etiam efferantur, jam pridem obsurdui. Antehac existimabam me rerum humanarum mediocrem tenere peritiam, qui diversis regionibus, cum variis hominum generibus egissem consuetudinem: sed hujusmodi belluas inter *Christianos* reperi, ut nunquam fuerim crediturus, ni magno meo malo comperissem. Verum, posteaquam illi sui dissimiles esse non possunt, nos nostri similes esse studebimus, neque desinemus pro nostro talento bene mereri de omnibus, quod quidem in nobis erit. Fortasse sic Deo visum est, ut hoc modo luamus commissa nostra, quibus illum frequenter offendimus. Ignoscam illis, ut ille vicissim ignoscat mihi: nam vitæ sanctimoniam, quam mihi tribuis oratione, utinam aliquando sua benignitate mihi tribuat *Christus*, omnis auctor sanctimoniæ. Quod nostris lucubrationibus oblectas ocium tuum, facis tu quidem amice, facturus etiam utiliter, si modo nostra legas cum judicio, neque enim dogmata scribimus: deinde si tum denique sumes in manus *Erasmum*, cum non adest meliorum voluminum copia. At sane totam istam regionem nobis admodum graphice depingis, ut plus prope videam in oratione tua, quam conspecturus fuerim, si isthic annos aliquot egissem. Quod vestra *Germania* passim latrociniis est obnoxia, partim opinor in causa esse reliquias priscæ feritatis: partim quod regio dissecta est in tot ditiones, ac minutos Principes, quorum nemo velit alteri concedere: partim quod nulla gens crebrius belligeratur stipendio conducta; ita latrociniis exercendis bello se parant, & bello defuncti, belli reliquias exercent: jam cum nulla res sit tam incommoda, quin alicui sit commodo, quibus ex deducendis hospitibus, aut negotiatoribus quæstus est, hi nonnunquam procurant ne tutum sit iter, ne ipsorum auxilio non sit opus. Ac mea sententia consultius esset hujusmodi malis occurrere prudentibus consiliis, ne committerentur, quam punire commissa. Qua commeatus esset frequentissimus, via liberari posset arborum densitate, ac vicis, villis, & arcibus communiri. Profecto non parum indecorum mihi videtur, non idem præstare *Germanas* urbes ac Principes in suis regionibus, quod *Elvetii* præstant in sua, populari consilio freti. Sed his malis fortasse medebitur *Carolus* noster Princeps, ut summus, ita justitiæ cultor maximus. Cæterum, quod ad fidei dissidium attinet, levior esset calamitas, mea sententia, si idem error haberet omnes, nunc bona pars non solum dissidetis, ut ajunt, ab Ecclesia Catholica, verum etiam variis erroribus inter vos digladiamini. Nam quod *Judæos* habetis admixtos, id fortasse commune est cum *Italia Germaniæque* reliquæ partibus, sed præcipue cum *Hispania*. Quis autem crederet adhuc superesse, qui stultitiam *Epicuri* profiterentur, negantes animas nostras superesse post obitum? Passim & hic videre est, qui sic vivant, quasi non credant superesse quicquam à morte, sed nemo tam demens, qui hujus doctrinæ, vel dux esse velit, vel comes. Quemadmodum & *Nicolaitas* reperias permultos, quibus uxores sint cum multis communes, sed hujus dogmatis nulla est professio, etiamsi *Plato*, nobilis auctor, ab hac sententia non abhorruit. Sed obsecro te, mi *Slechta*, an istos non pudet appellari hæreticos? Nihil hoc nomine probrosius, quo tamen ipso videntur indigni. Quid enim credit, qui negat immortalitatem animarum? Quid tribuit Euangelio, qui vult uxores esse promiscuas? Illud mihi mirum videri solet, nihil excogitari posse tam prodigiosum, quin suos reperiat sectatores. *Pythagoras* interdixit mortalibus cium fabarum, & reperit qui abstinerent. Fuere qui docerent esse pium, ut filii parentem necarent longævum, & inventus est populus, qui id solenniter faceret. Fuere qui dicerent impium esse quicquam possidere suum, & exorti sunt, quemadmodum testatur divus *Augustinus* in *Catalogo Hæresiarcharum*, qui in ocio degentes, mendicato viverent, ac cæteros velut impios à suo consortio semovebant, qui suis laboribus pararent unde uxores alerent ac liberos. Erant qui *Judæ* proditori ferrent acceptum,



Digitized by Google

An. 1519. orbis redempti ſalutem, nec defuerunt diſcipuli, qui illum pro ſummo divo colerent. Fuere qui totos dies ore ſonarent Pſalmos innumeros, nec interim quicquam aliud agentes: nec defuerunt hujus inſaniæ ſequaces. Fuere qui dicerent impios eos, qui caſte colerent matrimonium, iis etiam ſceleratiores, qui poſtulabant uxores eſſe communes, & hi titulum ſuo gregi dare potuerunt. Fuere qui ſuaderent pium eſſe, ſi parentes liberos ſuos vivos exurerent, & inventi ſunt quibus perſuaderetur dogma tam impium. Adeo credulum eſt genus mortalium, & tanta eſt ingeniorum varietas. Equidem opinor, ſi quis exoriatur nunc, qui doceat religioſum eſſe, ſi viri nudi cum fœminis nudis ſaltent in foro, non defore ſectæ ſuos diſcipulos ac patronos. Quo magis eſt circumſpiciendum iis, qui auctoritate pollent, ne quid doceant inſtituantve, quod non quadret ad *Chriſti* regulam. Sed hujuſmodi portentis, ut par eſt, omiſſis, demonſtras totum *Bohemiæ* regnum atque etiam *Moraviæ* Marchionatum in tres ſectas eſſe diviſum. Utinam, mi *Slechta*, pius aliquis artifex ex iſta triade monadem faceret. Sed dum quiſque privatim ſuis ſtudet commodis, nec publica bene habent, nec privata, neque fere quiſquam ingenioſus invenitur, niſi ad ea, quæ ſunt Philoſophiæ vulgaris, quæ, ut ferunt, moderatius apud *Turcas* habent, quam apud nos. Non loquor de articulis, quos ad fidem pertrahimus, ſed de iis, ex quibus ceu fontibus ſcatet Evangelica pietas, videlicet è contemptu pecuniarum, è contemptu honorum, è moderatione affectuum, iræ, odii, invidiæ. Quibus cupiditatibus ſi quis ſerviat, quæſo quid confert fidei profeſſio? Si plus apud nos valet avaritia, ſi plus ambitio, ſi libido ſceleratior, ſi odium ſævius, ſi livor nocentior, ſi obtrectatio venenatior, quorſum attinet profiteri *Chriſtum*, in hoc factum hominem, ut ab his rebus nos avocaret? Hæc mihi dicenti qui ſuccenſere volet, ſuccenſeat *Jacobo* Apoſtolo, qui diligenter ac pluribus verbis hæc diſſerit in Epiſtola ſua. Sectam igitur, quam tu primo loco recenſes, ſic velim eſſe primam, ut unicam eſſe cupiam. Quid enim magis accedit ad imaginem cœleſtis hierarchiæ, quam ut digeſtis ordinibus ſumma redeat ad unum, aut quæ res utilior ad excludenda mundi diſſidia? Si Princeps quiſpiam tyrannidem moliatur, precibus, hortatu, doctrinaque & auctoritate *Romani* Pontificis componetur. Tyrannum agit Epiſcopus aliquis, erit unde ſubſidium imploret populus. Exſiſtit aliquis, qui dæmoniacam invehat doctrinam, ſupererit *Romanus* Paſtor, qui è puris Evangelicæ Philoſophiæ fontibus depromat digna diſpenſatore & vicario *Chriſti*. Quod ſicubi non reſpondebit ſummus ille Præſul, primum fieri non poteſt, ut qui omnibus præſidet, ſatisfaciat omnibus: deinde noſtrum eſt, quantum licet, omnia in bonam partem interpretari. Præterea bonam partem eorum, quæ fiunt, non ipſi Pontifici, ſed iis, quibus ipſe neceſſario fidit, imputare debemus. Ad hæc meminiſſe convenit, illum hominibus præſidere, ſed hominem: neque diu conſtare poſſe mutuam concordiam, niſi quemadmodum illius lenitas nobis obſecundat in multis, ita nos viciſſim illi pro tempore morem geramus, præſertim cum id habeat Apoſtolica doctrina, ut improbis etiam ac moroſis Principibus obtemperemus, quatenus licet, incolumi pietate. Atque hac in parte, mea ſententia, magis peccat ſecunda factio, quod odioſe rejicit judicium & conſuetudinem Eccleſiæ *Romanæ*, quam quod exiſtimat pium eſſe, ſub utraque ſpecie ſumere Euchariſtiam. Atque utinam hic *Eugenius* maluiſſet indulgere concordiæ publicæ, quam ſuis privatis affectibus, ſi tamen vera ſunt, quæ refert epiſtola tua. Quanquam hic *Bohemis*, ſi me in conſilium adhibuiſſent, auctor eram futurus, ut tametſi probabilis eſt hac in parte illorum opinio, tamen obtemperarent potius, quam contenderent, præſertim cum ab hac conſuetudine ſtaret maxima pars orbis *Chriſtiani*. Tametſi, ut dicam ingenue quod ſentio, demiror cur viſum ſit immutare, quod à *Chriſto* fuit inſtitutum, quum cauſæ, quas adfe-

A runt, non admodum graves videantur. Porro factionem *Pygardicam* longius abeſſe à regula pacis Euangelicæ minus mirandum eſt, quum, ut ſcribis, ab auctore ſcelerato profecta ſit. Nam ſi ideo Antichriſtus eſt Pontifex *Romanus*, quod aliquando contigit Pontifex impius, aut ſi ideo meretrix eſt Eccleſia *Romana*, quod aliquoties habet Cardinales, aut Epiſcopos, aut alioqui miniſtros improbos, eadem opera, nullis Epiſcopis, nullis Paſtoribus, nullis Regibus obtemperaremus: ut ne dicam interim, quod hac feneſtra aperta, ut cuique hic aut ille eſſet inviſus, ita impius haberetur. Quanto probabilior eſt *Auguſtini* ſententia, *Miniſtri moribus non vitiari donum Dei, quod nobis per ſacramenta confertur,*
B *etiamſi graviſſimas pœnas illi daturi ſunt ſacerdotes, ſi moribus imptis efficiant, ut inter idiotas & infirmos male audiat nomen illud adorandum Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Quod ſi illi refractis omnis pudoris repagulis, pergant palam eſſe ſceleroſi, ut aliqua ratione coercendi ſunt, ita neque cujuſlibet eſt illos inceſſere, nec armis rem geri placet, ne ſemel admiſſum exemplum violentiæ, ſæviat in innoxios. Quod ſibi Sacerdotes & Epiſcopos eligunt, non abhorret à conſuetudine Veterum. Sic electus eſt S. *Nicolaus*, ſic *Ambroſius*, ſed nondum edita formula electionis Canonicæ, quemadmodum olim & Reges à populo deſignabantur. Deinde crebri tumultus populares effecerunt, ut res paucorum arbitrio tranſigeretur. Cæterum, quod indoctos eligunt & literarum
C expertes, tolerabilius eſſet, ſi vitæ pietas penſaret eruditionis inopiam. Nunc gemina calamitas eſt populi, ſi non minus impii ſunt, quam indocti. Jam quod ſe viciſſim fratres ac ſorores appellant, non video cur debeat reprehendi. Atque utinam eadem appellatio mutuæ charitatis perſeveret apud omnes *Chriſtianos*, ſic uti mores non diſſentirent à verbis. Quod minus tribuunt doctoribus, quam divinis voluminibus, hoc eſt, plus deferunt Deo, quam hominibus, recte ſentiunt: ſed quod horum auctoritatem ubique rejiciunt, tam iniquum eſt, quam ſi ubique reciperent. Jam tametſi non abhorret à vero, *Chriſtum* & Apoſtolos in quotidiano veſtitu conſecraſſe, tamen impium eſt contemnere, quod
D non abſque ſalutari conſilio poſt à Patribus eſt inſtitutum. Ceremoniæ ſunt, ſed his ceremoniis commendantur populo divina myſteria. Et ſi nihil aliud, quorſum attinet in ea re diſſentire, quæ citra negotium poteſt obſervari? Niſi Pontifex *Romanus* hoc illis permitteret, ut ad antiquitatis memoriam ſuis ritibus uterentur, quemadmodum *Græcis* & *Mediolanenſibus* ſuos concedit ritus, à noſtris multum diverſos. Quod ſi iſtis tantopere placet Dominica precatio, ea & noſtri ſacrificii pars eſt. Ut ſtultum eſt nihil admiſcere ſacris præter unam precationem, ita non recte faciunt qui quaslibet, quorumlibet nænias admiſcent. Jam quæ de ſacramentis ſen-
E tiunt abſurdiora ſunt, quam ut aures piæ ferre poſſint, niſi quod è tantis malis hoc boni poſſumus excerpere, ne nos rebus bene inſtitutis, ad quæſtum, aut inanem gloriam, aut etiam tyrannidem abutamur. Vigilias ac moderata jejunia, demiror qua fronte contemnant, quum ea nobis toties Apoſtolicis verbis commendentur, quanquam ad hæc malim hortatu duci homines, quam imperio trahi. Porro de feſtis diebus non multum abeſt iſtorum opinio à ſeculo *Hieronymi*. Nunc in immenſum accrevit feſtorum turba, quum nullis diebus plus ſcelerum committat vulgus: & quod eſt inhumaniſſimum,
F coguntur eſſe ocioſi totos dies, qui non aliis reditibus alunt uxores ac liberos, fortaſſis etiam parentes, quam opera diurna. His indicere ferias, nec dare quicquam, quid eſt aliud, quam eos ad famem adigere? Sint crebra feſta, ſed in templis, ad quæ divitibus liceat accedere, ſed ita ut pauperibus liceat vivere. Saltem illud concederetur, ut peractis ſacris redeant ad ſanctos labores. Quid enim ſanctius quam manuum labore proſpicere liberis ac familiæ? Nunc ad cujuſlibet ſuperſtitioſum affectum inſtituitur feſtus dies, imo fere videmus hoc ſtudio eſſe quibuſdam Epiſcopis, ut ſinguli ſingulos feſtos dies addant Calendario, quo vel hoc monumento ſuum

An. 1519.

no-

Digitized by Google

An. 1519. nobilitent episcopatum. Verum, ut est obedientiæ popularis, observare quod à Proceribus Ecclesiæ prescribitur: ita horum erat prudentiæ, non temere constitutionibus hujusmodi, vel gravare populum, vel male consulere moribus publicis. Hactenus è tuis literis morbum cognovimus, nunc utinam medicina fidelis & efficax possit excogitari: & arbitror posse, si modo boni gravesque viri huc totis incumbant studiis, præsertim cum *Carolum* habeamus Cæsarem, ad ea quæ sunt *Christianæ* religionis toto pectore propensum: cum *Leonem* habeamus in primis mitem & exorabilem. Pulchre coibit concordia, si pars utraque nonnihil concesserit alteri. Fortasse finitimarum regionum querelæ faciunt, ut plerique istorum abhorreant à dominatu Pontificis *Romani*, quod se clamitent inclementer expilari, premique, sævitia eorum, per quos geruntur Pontificia negotia. Sed aut ego plane fallor, aut facile impetrabitur ab ingenio *Leonis* clementi juxta ac pio, ut & perplexas superiorum temporum rationes omittat, & in posterum etiam, quam minimum ab illis exigat, præsertim si sese sincero pectore illi ceu patri crediderint. Satis amplum lucrum esse ducet si propulsato dissidio pacem & concordiam paraverit. Adjunget sese ad hanc rem Cæsaris auctoritas, quem Monarcham opinor agnoscit & *Bohemia*. Cæterum, quod attinet ad ordinationes & sacramenta, nullo modo oportet à reliquis orthodoxis dissentire. Et fortassis de recentiorum definitionibus remittentur aliqua. De ritibus facile condonabitur aliquid, etiamsi magis probarim, ut omnes ubique *Christiani*, & ritibus, & precibus iisdem uterentur. Nunc immodica varietas est, dum pro suo quisque affectu hæc comminiscitur, & alius aliquid addit repertis. Quin & illud, mea sententia, complures populos conciliaret Ecclesiæ *Romanæ*, in quam nunc velut in caput quoddam colliguntur omnes, si non passim quælibet sic definiantur, ut velimus ad fidei negotium pertinere; sed ea duntaxat, quæ evidenter expressa sunt in sacris Literis, aut sine quibus non constat ratio salutis nostræ. Ad hæc pauca sufficiunt, & pauca citius persuadentur pluribus. Nunc ex unico articulo sexcentos facimus, quorum aliqui tales sunt, ut citra periculum pietatis, vel nesciri possint, vel ambigi. Atque sic est mortalium ingenium, quod semel definitum est, tenemus mordicus. Porro philosophiæ *Christianæ* summa in hoc sita est, ut intelligamus omnem spem nostram in Deo positam esse, qui gratis nobis largitur omnia per Filium suum *Jesum*. Hujus morte nos esse redemptos, in hujus corpus nos insitos esse per baptismum, ut mortui cupiditatibus hujus mundi, ad illius doctrinam & exemplum sic vivamus, ut non solum nihil admittamus mali, verum etiam de omnibus bene mereamur: & si quid inciderit adversi, fortiter toleremus spe futuri præmii; quod omnes pios haud dubie manet in adventu *Christi*: ut ita semper progrediamur à virtute in virtutem, ut nihil tamen nobis arrogemus, sed quicquid est boni Deo transcribamus. Hæc potissimum sunt animis hominum inculcanda, sic, ut velut in naturam transeant. Quod si qui volent circa naturam divinam, aut circa hypostasim *Christi*, aut sacramenta quædam abstrusiora rimari, quo magis attollant mentem in sublime, & à rebus humilioribus abducant, hactenus liceat, ut non statim quod huic aut illi visum fuerit, cogantur omnes profiteri. Quemadmodum ex loquacibus syngraphis citius nascitur controversia, sic ex plurimis definitionibus nascitur diffidentia. Neque pudeat nos ad quædam respondere, Deus novit quo modo id fiat, mihi satis est, quod credo fieri. Scio *Christi* corpus, & sanguinem purum, pure à puris esse sumendum, qui hoc sacrosanctum signum ac pignus esse voluit, & suæ erga nos charitatis, & *Christianorum* inter ipsos concordiæ. Exeutiam igitur meipsum, num quid sit in quo mihi male conveniat cum *Christo*, num quid sit cum proximo dissidii. Cæterum, quomodo illic sint decem Prædicamenta, & quomodo transubstantietur panis, verbis mysticis, & quomodo corpus idem possit esse sub tantilla specie, ac diversis locis, meo judicio, haud multum conducit ad profectum pietatis. Scio me resurrecturum, hoc enim omnibus promisit *Christus*, qui primus omnium resurrexit: cæterum, quale corpus futurum sit, aut quomodo possit idem esse, quod toties in aliud atque aliud redactum est, ut non improbarim suo tempore moderate vestigare, ita minimum conducit ad veram pietatem in his multum operæ ponere. Nunc his atque id genus aliis innumeris argutationibus, quibus se jactitant quidam, avocantur hominum mentes ab iis, quæ sola faciunt ad rem. Denique plurimum habebit momenti ad orbis concordiam stabiliendam, si profani Principes, sed præcipue *Romanus* Pontifex, absint ab omni specie tyrannidis & avaritiæ. Nam facile resiliunt, cum vident paratam servitutem, quum intelligunt se non invitari ad pietatem, sed captari ad prædam. Si nos innoxios, si nos beneficos senserint, facillime sese credent nostræ fidei. Ignoscam, ut rogas, loquacitati tuarum literarum, sed si tales sæpe miseris, nam assueta facilius ferimus. *Jodocus Jonas* hoc ipso tempore mecum erat, cum Academiæ suffragiis rector designaretur, quo viro vix aliud quicquam vidi melius. Bene vale, vir egregie. *Lovanio* 1. Novembr. Anno 1519. An. 1519.

## EPISTOLA CCCCLXXIX.

Joannes Turzo, Episcopus Vratislavienſis, Erasmo Roterodamo *S. D.*

EXPLICARI *nequit*, Erasme *doctissime, quantum me tuæ literæ oblectarunt, licet vix septimo tandem mense ad me pervenerint: quibus sane ut antea nihil mihi fuit optatius, ita revera nec acceptius quicquam evenire poterat. Proinde eas ipsas obviis (ut ajunt) manibus excepi, exceptas & legi cupide, & lectione earum etiam num obsaturari neutiquam possum. Fuerant, fateor, sapissime magnæ admodum tum admirationi, tum delectationi,* Erasmi *doctissimi ad alios scripta doctissima, formulis literariis alienaque manu excusa: jam vero voluptati & gaudio nihil reliqui factum est, ubi autographum eruditissimi ac omnibus dotibus ornatissimi viri conspicatus sum. Erunt itaque tuæ literæ mihi selectissimi ac preciosissimi muneris loco. Non est autem, charissime* Erasme, *quod meas literulas verius quam literas tantopere collaudes: novi egomet me, atque intra meam perquam libenter me pelliculam contineo. Verumtamen quam inhumanus optimo jure valeam judicari, nisi tibi pro ea etiam re gratias agerem, tam essem impudens, si tuas prædicationes agnoscerem. At tu quomodo tibi non injurius videri possis, qui laudes, quibus te universus propemodum orbis verissime prosequitur, nimia (ni fallor) hac in parte hujus modestia, tantum abest ut admittas, ut contra maxime averseris, declinesque. Debentur profecto tibi longe majora, præsertim cum tui unius patrocinio omnium honestissimarum disciplinarum nitor, multo jam barbariei situ & squalore obtenebratus, resplendescat: tum sinceræ quoque illius Theologiæ puritas, & sanctissima studia, prope ad interitum redacta, te parente, te duce, veluti renata, toto orbe refloreſcant. Quod ad me attinet, tuæ nimirum literæ, totque tui vigilantissimi juxta ac sanctissimi labores, me tibi obstrictum efficiunt, atque nullo non momento tui ingerunt memoriam, quantumvis nihil prorsus mei apud te sit, quod hujus hominis recordationem vicissim tibi possit afferre. Igitur ut amoris & observantiæ meæ singularis in te studium tibi etiam atque etiam magis fiat cognitum, atque interim ob oculos obversetur* Turzonis *tui memoria, munus tibi mitto, non magni sane precii: quatuor, inquam, horologia, vitreis vasculis exigua, pulviſculoque paulatim delabente, horas dimetientia: quorum usus, opinor, clepsydram nostro seculo æquat: hæc sane crebro obversatu atque tractatu, te nostri in horas poterunt admonere. Adjunxi præterea auri puri nativique quatuor particulas, sive ramenta, è subterraneis specubus, adeoque ex ipsis terræ visceribus, in ditione mea*



Digitized by Google

An. 1519. *diœceſeos, qualia vides nuper eruta, nempe ut auri vivax vis te immortalitate digniſſimum declaret: ad hæc tegmentum ſacro tuo capiti ex murium Ponticorum exſuviis, quas noſtrates* Sabellinas *pelles, etiamnum uſurpata voce, cognominant. Debebunt equidem hæ pelles, dum caput hoc tuum & grata mollicie demulcebunt, & fovebunt caloris temperie, meum in te amorem, aut teſtari, aut comprobare. Ego adeo hæc tibi mitto, non quia te, qui Regum & potentiſſimorum Principum muneribus exornaris quotidie, ſimilibus longeque præſtantioribus carere arbitrer: ſed ut amoris mei, & propenſiſſimæ obſervantiæ ſtudium, quemadmodum præmonui, tibi fiat compertius. Verum, quicquid eſt hujus, quod mitto, ut lubens & grato animo accipias vehementer oro. Id quod futurum confido, ſi animi mei benevolentia, atque profuſiſſima in te propenſione, non precio munuſculum æſtimaveris. Nam ſi pro tuis meritis ornandus ſis, vix certe totius orbis opes & copiæ, nedum* Dynaſtæ *cujuſpiam facultates, tuæ dignitati ſatis ſunt factura. Quod ſupereſt, chariſſime* Eraſme, *maxime omnium opto, me, ut cœpiſti, amare pergas, beneque ac feliciſſime valeas. Datum* Vratiſlaviæ 1. *Decembr. Anno* 1519.

Joannes Turzo, *Epiſcopus* Vratiſlavienſis, *manu propria ſcripſit.*

## EPISTOLA CCCCLXXX.

*Eraſmus Rot. Joanni Robino, Decano Mechlinienſi*, S. D.

VIR eximie, vides humanæ vitæ ſcenas. Quid facias? Non aliter conſtat hæc fabula. *Paulus* gloriatur ſe vinctum eſſe *Jeſu Chriſti*; *Rutgerus* gloriari poteſt ſe vinctum eſſe collegii trilinguis. Diſſimulent quantumlibet, hoc collegium illos peſſime habet. Atque hæc auguria mihi portendunt, olim florentiſſimum futurum. Sic natum eſt *Romanum* Imperium; ſic crevit *Hebræorum* gloria; ſic orta, ſic propagata, ſic conſtabilita Chriſtiana religio. Nulla res egregia, niſi difficilibus initiis nata eſt. Argumentum omne cognoſces ex *Bartholemæo*, qui fuit non modo ſpectator, verum etiam affinis periculo. Ut ſunt res humanæ non uſquequaque puræ, etiamſi quid commiſſum eſſet, tamen humanitatis veſtræ fuerat aliquouſque favere Profeſſori. Nunc & tali, & innocentiſſimo, multo minus debetis deeſſe. Doctior an inveniri poſſit neſcio, certe diligentiorem, ac moribus puriorem, vix invenias. Utimur eadem menſa; & inter pocula quidvis garrimus. Ille tot modis fuit laceſſitus: hunc enim ſtudio expetunt, ne quid offendant magis maſculos. Nec unquam tamen audivi illum quicquam impotentius loquentem. O pectus vere Chriſtianum! Modo cum *Paulo* contuli *Rutgerum*, qui hac certe parte vincit, quod qui *Paulum* affligebant, errabant, nimirum alieni à profeſſione Euangelica. Hi proceres *Chriſtianæ* doctrinæ, prudentes, de compoſito hæc deſignant. Inhibuerunt & *Neſenum*, aggreſſum *Geographiam Pomponii Melæ*. Qui ſi domi ſuæ lupanar aliquod inſtituiſſet, tolerandus erat. O ſanctam Academiam, ſi cum aliis conferatur, ſed dignam aliis, quorum arbitrio temperetur! Mihi multis modis videtur hoc mereri *Rutgerus*, ut illi ſalarium, quod jam aliqua portione eſt auctum, augeatur uſque ad octodecim libras. De Profeſſore *Latino* proſpectum eſt, ni fallor, ex animi veſtri ſententia. De *Hebræo* non poſſum judicare, ſed conſulam eos, qui ſine dubio poſſunt. Excellentiam tuam incolumem ſervet *Jeſus* Optimus Maximus. *Lovanio* 1. Decemb. Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCLXXXI.

*Eraſmus Roterodamus Thomæ Lupſeto* S. D.

EX literis magni cujuſdam amici, ſed qui idem *Leo* non ſit inimicus, cognovi, iſtic late ſparſum eſſe rumorem, & ita ſparſum, ut pleriſque fidem quoque fecerit, hic mea, meorumque opera fieri, quo minus *Eduardo Leo* librum ſuum, quem jam olim adverſum me parturit, aliquando parere liceat, & typographis obſtetricantibus edat in lucem. Imo nos minis territare hominem, ne quod ſcripſit auſit evulgare. Jam iſta ἓξ πολέμῳ κενὰ mirari non debeo, quibus ut pene quotidianis jampridem oportuit aſſueviſſe. Illud admiror, quinam ſint iſtius omnium impudentiſſimi rumoris auctores. Non enim adduci poſſum, ut credam *Leum*, qualis qualis eſt, uſque adeo perfrictæ frontis eſſe, ut iſta ſuſtineat affirmare, nimirum ipſe ſibi probe conſcius, rem longe ſecus habere. Neque enim tam ſtupide credulus ſum, ut mihi quiſquam, vel perſuaſerit, vel perſuaſurus ſit, *Leum* perpetuo preſſurum egregias illas ſuas vigilias, annis jam aliquot deſudatas, ſpem immortalitatis ſuæ, & unde potiſſimum famam ſuam voluerit auſpicari. Compertum habebam eum harum rerum parciorem eſſe, quam ut paſſurus ſit, tantum operæ atque olei ſibi perire. Nec intantum ſum obeſæ naris, etiamſi minime ſuſpicax, planeque ſimplicis ingenii, ut mihi non ſuboleret, quid ageret ille. Et ſi meus ſtupor hoc minus potuiſſet deprehendere, tamen non deerant, qui ſubmonerent, primum hoc venari *Leum*, ut ſi quid mihi accideret humanitus, aut ſi quis caſus in regionem longinquam avocaret aliquo, tum demum ille, non tutius modo, verum etiam felicius, ederet ſuas notationes γλυκεῖ' ὀπώρᾳ φύλακι ἐπιλελοιπότι. Novit ille verum eſſe, quod vulgo dicunt, *non remordere mortuos.* Fortaſſis & apud *Quintilianum* legit, (nam videtur & bonas literas aliquando deguſtaſſe) *ſi quis mentiri velit, in neminem id poſſe fieri tutius, quam in vita defunctos.* Deinde non ignorat, tametſi ſtimulatur famæ gloriæque ſiti, quam ingens ipſi fœnus hæc dilatio ſit allatura. Siquidem dum interim undique captat, quid quiſque calumnietur, in conviviis, aut in conciliabulis, quid ſuggerant *Dominicani*, aut *Carmelitæ*, quid notarint Baccalaurei Theologiæ candidati, (nam his datum erat negotium, ab iſtis, qui poſt non fraudabuntur ſua laude) quid Licentiati, quid Magiſtri noſtri, ſi qui ſunt, qui mihi parum æqui videntur, arroſerint: dum ſubodoratur, quid ego aut alius pro me reſpondeat: dum inter relegendum quædam diſplicent, quæ primus ille ſcribentis calor nimium commendarat auctori: dum animus ac fortaſſis odium identidem novum aliquid indicat, quod calumnietur, quando dolor, non ſolum eloquentes, verum etiam ingenioſos facit, & juxta Satyricum, *abſolvit indignatio verſum, quem natura negat.* Poſtremo dum ex quotidiana lectione, ſubinde nonnihil adjicit auctarii, nimirum fit, ut Opus exeat non ſolum locupletius, atque inſtructius, verum etiam emendatius. Nam ipſe mihi faſſus eſt in proximo colloquio, ſe totum fere Opus à capite, quod ajunt, uſque ad calcem, retexuiſſe, multa reſecuiſſe, ut jam à poſteriore Novi Teſtamenti editione ſupervacanea, tum pleraque mutaſſe, in nonnullis à ſeipſo diſſentire, re diligentius penſitata. Porro quod iſta facit, poſteaquam decretum eſt belligerari, nec admiror admodum, nec indignor magnopere. Suum agit negotium, fortaſſe jus belli permittit, ut nihil non machineris in eum, quem velis opprimere. Verum, in hoc illius prudentiam nonnihil deſidero, quod in eo, de quo modo dixi, colloquio, ſerio mihi faſſus, ſibi totum Opus retexi, tamen urgebat ut ſibi crederem aſſeveranti, nunquam futurum, ut librum eum evulgaret. Hoc ſcilicet conſilio ſumpſerat operam in retexendo, uti retextum premeret. Veritatis ut ſimplex, ita conſtans eſt oratio, nec ullis frequentius accidit σφάλμα μνημονικὸν *, quam iis qui non loquuntur ex animo. Niſi forte non fuit ille memoriæ lapſus, ſed meus ſtupor hanc illi fiduciam addidit, ut exiſtimarit me protinus creditum, primum rem tam incredibilem, deinde tali auctori. Proinde cum mihi perſuaſum eſſet, omnino fu-

* In utraque Editione Baſileenſi & Londinenſi μνημικὸν minus recte legebatur.

Digitized by Google

An. 1519. futurum, ut ille quod scripserat evulgaret, & adeo persuasum esset, ut nec hi mihi diversum persuadere potuerint unquam, quibus ego nihil non soleo credere, atque hac una in re dissentirem ab his, quibuscum libentissime consuevi sentire: neque nescirem quantum illi commodi, rursum mihi quantum incommodi foret allatura mora, imo quanto meo periculo, quantaque illius spe prorogaretur Opus, quis non desideraret in me sanam mentem, si quod isti jactitant, modis omnibus obniterer, ne liber exiret in manus hominum? Mihi semper fuit eadem & mens, & oratio, ut optarim quamprimum evulgari quicquid esset operis. Si proferre possunt ullam epistolam, in qua secus sentiam, si producere, qui me secus loquentem audierit, vicerunt. Sed hujusce rei non possum alium magis idoneum testem adducere, quam *Leum* ipsum. In primo congressu, cum à proxime relicta *Basilea*, venissemus in colloquium, idque in ædem divo *Petro* sacram, quemadmodum rebus parum pacatis, belli duces solent in locum aliquem utrisque tutum convenire, atque ille jactaret plusquam trecenta loca sibi notata, quæ nemo posset diluere, ne res exiret in rabiem & in contentionem, cum *Christianis* omnibus, tum vero præcipue Theologis indecoram, proposui ut è tribus unum eligeret. Primum, ut quod maxime dignum esset animo *Christiano*, quodque dignum nostra vetere necessitudine, in qua professus esset se talem fore, ut tametsi novus amicus, nulli tamen veterum fide, atque officio cederet, communicaret suas annotationes. Nam eam voluminis partem, quæ nostras annotationes complectebatur, licet esset excusa typis, nondum tamen editam esse, nec futurum ut ederetur, nisi toto Opere absoluto. Adhuc integrum esse, mutare chartas aliquot, non illud quidem jam absque jactura pecuniæ, sed mihi longe chariorem esse famam meam, ac publicam studiosorum utilitatem, quam pecuniam. Proinde si quid indicasset, quod alicujus esset momenti, me sarturum, sed ita, ut nihil interim mihi suffurarer alienæ laudis, ingenue testaturum cum honorifica nomenclatura *Leici* nominis, cui fructum illum deberet lector. Hanc conditionem adeo æquam, ut his quoque probaretur, quos tum suspicabar, post comperi, mihi neutiquam æquos esse, cum ille toto corpore renueret, ad id quod erat proximum descendi. In rem præsentem utrique veniremus, & collatis utriusque voluminibus negotium viva voce transigeremus. Ita nihil fore scrupuli, cur timeret exemplari suo. Quod cum nec ipsum placeret, cœpi provocare, ut Opus suo meoque periculo publicaret, nihil enim aliud superesse, quando jam liber ipse propemodum esset editus: mihi non item, cum in exemplaria non pauca propagatus, legeretur à conjuratis duntaxat, & me rumor per illum, illiusque fautores jactatus, magis etiam gravaret, quam si fuisset editus liber, ut semper auget fama quod dissipat, præsertim si quid sit affine malis. Quod si ipsum vel sumptus, vel opera deterreret, me meopte impendio, meoque periculo curaturum, ut excuderetur. Ad hæc si quid addubitaret de mea fide, sibi servaret antigraphum, quo mox coargui possem, si quid esset à me vel additum, vel omissum, vel immutatum. Hæc opinor sic esse gesta, *Leus* ipse non inficias ibit: alioqui vel illud arguerit me nihil fingere, quod *Leus* aliquando amicis communibus, simulatque jam gustum Operis cepissent, magnopere deterrentibus ab editione, per literas questus sit se per me provocatum ad editionem. *Theoderico Alustensi* semper suasi, ut si *Leus* traderet exemplar, excuderet, me volente id facturum. Cum comperissem illum *Antuerpiæ* egisse cum duobus typographis de publicando libro, nec processisset, norunt omnes quam indigne tulerim quod institutum erat, ad nihilum recidisse. Mox accito typographo, quanto possum studio ago, ut pactionem instauraret, sed *Leus* mutata sententia, sese jam subduxerat. Rumor sparserat, ab illo volumen esse missum *Coloniam*, ut illic ederetur. Scripsi duobus amicis, sinerent edi, tantum curarent, ut mihi mature fieret voluminis excusi copia. Nam illud ab iis jactabatur, qui *Leo* favent, sic excusum iri librum, ut inter mihi male volentium manus volitans, post annum demum à me deprehenderetur. Et multis conjecturis adducor, ut id verum esse credam, eas alias fortasse adducam. Jam producere possum quibus testibus receperim me effecturum, ut *Theodericus* librum excuderet, quo possit ipse *Leus* præesse castigationi. Appellent qui volent *Galfredum Lei* fratrem, per quem velut ἐφεδρῶ quempiam, aliquoties mecum collocutus est, quoties per hunc provocavi ut ederet. Postremo jam dicebatur transegisse cum *Michaele* typographo *Antuerpiensi*, nihil esse in mora, nisi quod dubitaret, quo animo essem id laturus: Responsi, ut maturarent, mihi vehementer probari. Hæc literis mea manu scriptis docere in promptu est. Et post hæc, quæ tandem impudentia est dissipare vanissimam fabulam, me modis omnibus adniti, ne liber evulgaretur? Jam de minis quoque paucis dicam, in quo non solum demiror impudentiam, verum etiam insignem ingratitudinem istorum. Senseram quosdam mihi impensius etiam quam ipse cuperem faventes, nescio quid submoliri, ut in *Leum* atrocibus libellis inveherentur, atque etiam si pergeret, non calamo tantum, sed fuste rem gererent. Quorum utrunque, uti ne fieret, cum quantum in me fuit obnixus essem, inimicitias denuncians ei, qui rem tam barbaricam, & literis indignam, mea causa fuisset aggressus, non tamen ita fisus sum illorum ingeniis, ac promissis, quin *Leum* quoque super hac re commonefaciendum esse putarem, ne quid accideret incauto, quod pariter & illum offenderet, & bonarum literarum cultores invidia gravaret. Nam quod ad me pertinet, puto neminem esse, qui vel mea legerit, vel mecum aliquam egerit consuetudinem, quin perspectissimum habeat me nihil æque detestari, quam exempla libelli famosi, aut violentiæ. Itaque sic mecum reputabam, si quid esset periculi, amice monui; si nihil est, amice timui. Nec dubitabam, quin hanc admonitionem esset boni consulturus. Quod si hoc officium meum secus interpretatur, malo tantisper hoc officii perisse mihi, quam illum scire, quantum mihi hac sane in parte debeat. Proferat epistolam, quam illi proxime scripsi, ea docebit quod simpliciter & amanter monui, eadem docebit me illum ad editionem Operis provocasse, non deterruisse. Imo non ob aliud in illum tantopere stomachabantur amici mei, nisi quod tam insolenter ubique jactaret suum librum, nec ederet tamen. Neque vero me fefellit, qua techna hic *Leus* sit usus. Cum nondum esset satis instructus ad editionem, voluit hoc interim gloriæ lucri facere, quasi in gratiam meam premeret Opus. Rursus ubi jam gestiret animus edere, sibique videretur utcunque adornatus, quiritari cœpit, se per me provocari ad edendum, ne quid offenderet suos amicos, qui tantopere deterrebant ab edendo. Proinde si quos posthac audieris eadem garrientes, dic illis meis verbis, eos aut vehementer falli, aut impudentissime mentiri. Denique si cui hæc, quæ dixi, nondum persuadent, in promptu est experimentum. Etiam nunc tradat *Leus* librum, & nisi curaro vel *Basileæ* excudendum, idque nullo ipsius sumptu, credant omnes me hactenus obstitisse, quo minus ederetur. Atque ut manifestum mendacium fortiter rejicio, ita quod verum est, ingenue fatebor. Cum facile suspicarer futurum, ut hoc Opus adspersum esset variis contumeliis, vel quod scirem *Leum*, utcunque nunc affectus est, prorsus inimico animo negotium hoc suscepisse, id quod ubi res postulabit clarissimis argumentis evincemus: vel quod ipse sæpius efflagitanti, atque urgenti, cur tantopere caveret, ne liber, quem in me scripsisset, mihi omnium uni communicaretur, cum ejus copiam faceret tam multis, tandem respondit inesse quædam, quæ mihi bilem essent motura, quasi vero non indignius esset, si aliis de me scriberet, quæ

Digitized by Google

An. 1519. quæ mihi coram non auderet proferre: vel quod una atque altera annotatio, quam mihi forte contigit intercipere, ſatis declararet, quale futurum eſſet reliquum Opus: admonui ut argumentis, non contumeliis; rationibus, non conviciis rem ageret. Ita tum illi fore ſimplicem in ſcribendo laborem, tum mihi in reſpondendo. Nunquam enim offenſum iri me, etiamſi mille locis à me diſſentiret; imo gratiam habiturum quod noſtram induſtriam ſua induſtria adjuvaret. Sin admiſceret convicia, geminum utrique fore, tum laborem, tum incommodum. Siquidem illum in periculum venturum, ne vir parum modeſtus ac gravis habeatur, me rurſum gemino malo conſtrictum iri, qui ſi reſponderem conviciis, viderer illi non diſſimilis, ſin minus, fortaſſe pleriſque viderer agnoſcere, quæ ille in me congeſſiſſet. Opinor hoc conſilium nulli probo non videri & prudens & amicum. Et tamen hoc animo ſemper fui, ut qualis qualis eſſet liber, quamprimum exire in lucem optarem, quidvis paſſurus citius, quam quorundam inſulſiſſimas gloriolas. Nec enim ſum tam iniquus *Leo*, quam quidam exiſtimant. Scio quid poſſit gloriæ ſtimulus, quam violentum calcar habeat ambitio laudis, quid valeat juventæ calor, præſertim in eo, qui nunc primum famæ ſtadium ſit ingreſſus. Ad quid enim non adigat nominis immortalitas, cum non fabuloſum ſit, quod de *Heroſtrato* proditum legimus? Adeſt ingenium non aliter avidum gloriæ, quam naphtha flammæ; nec deerant exempla, quæ, juxta *Flacci* proverbium, oleum adderent camino. Nam ut ne commemorem vetera, videbat quantum ſi non laudis certe famæ ſibi nuper paraſſet *Ortuinus Gratius*, ex una aut altera qualicunque conflictatiuncula. Intelligebat eſſe verum, quod ſcripſit *Pindarus*, bello nobilitari viros, & quos tranquillitas obſcurat, tumultus illuſtrat: nec fugerat illum, opinor, illud *Græcorum* proverbium, ἐν ᾗ διχοστασίῃ καὶ δορυκλείδης πολεμαρχεῖ· perſpiciebat, & longam, & difficilem eſſe viam ad parandam gloriam, ſcribendis libris innoteſcere mundo, nec admodum diſſimilem *Heſiodiæ* illi. Vidit aliam magis etiam compendiariam ea, quam tibicen ille apud *Lucianum* indicat diſcipulo, nimirum ut artis ſuæ ſpecimen præberet iis, qui jam omnium judicio probati tibicines haberentur. Sic enim compendio fore, ut horum ſuffragiis commendatus, quorum judicio plurimum tribueret vulgus, per univerſam *Græciam* illuſtris evaderet. Honeſtam ſane viam indicavit ille tibicen, ſed quæ nonnullis nondum ſatis compendiaria videtur. Malumus inſinceram gloriam, quam quæ verior, ſed ſerius contingat. Qui taxat aliena ſcripta, primum uno ſtatim anno tantundem nominis aſſequitur, quantum ille multorum annorum vigiliis ſibi paravit. Deinde vulgo doctior habetur, qui reprehendit. Poſtremo non deſunt, qui admiſſo ſubdant calcar, qui currentem incitent, qui acclament, qui mellitiſſimum illud εὖγε ſuccinant, qui applaudant, qui medio in curſu frigidam ſuffundant, qui

*Creſcentem tumidis inflent ſermonibus utrem.*

Hæc faciunt, ut etiamſi quid juvenilius ſcriptum eſſet à *Leo*, non admodum ægre laturus ſim, modo ne nimium diu torqueat nos iſta parturiens, pollicitans, jactitans, minitans, obtrectitans, & rem ad ſeditionem vocans. Quod ſi meo conſilio parens meminerit ubique modeſtiæ *Chriſtianæ*, magiſque ſpectarit, quid ipſo dignum ſit, quam quid cupiant quidam, qui alienis ingeniis abutuntur ad lædendum ſuboleſcentia meliora ſtudia, non ſolum apud ſtudioſos, verum apud me quoque gratiam non mediocrem inibit. Cur enim mihi turpe ducam, ſi in tot millibus locorum, quæ vel reſtitui, vel explicui, cernat aliquid, quod meos oculos alio properantes ſuffugiſſet, aut deprehendat in quo à me diſſentiendum putet? Non hac lege ſcripſimus annotationes, ut cæteris jus eſſet ademptum, vel addendi, ſi quid præterea queat aliquis animadvertere, vel corrigendi, ſicubi nos eſſemus hallucinati, non ſolum homines, verum etiam & ingenio perquam exiguo, & eruditione vix mediocri. Id etiamſi non eſſem teſtatus, tamen nemini debebam uſque adeo videri arrogans, ut cum ipſe non dubitem locis aliquot à probatiſſimis doctoribus, *Ambroſio*, *Auguſtino*, *Hieronymo*, *Cypriano* diſſentire, cæteris præſcribam legem, ne quis à me diſſentiat. Nunc clara voce teſtor, me velle jus hoc primum mihi ipſi integrum eſſe, deinde alios ad hoc ſtudium provoco, atque invito, tantum abeſt ut deterream. Atque hæc fortaſſis non legerat *Leus*. Nam memini cum in colloquio quodam me graviter admoneret, ut teſtarer alicubi in Præfatione, me non hoc animo edidiſſe Novum Teſtamentum, quod nollem à *Græcorum* lectione uſquam diſſentiri, moxque reſpondiſſem jamdudum id mihi non ſemel teſtatum eſſe in prologis, aiebat ſeſe præteritis Præfationibus, ad rem properaſſe. Atqui ſi idem, inquam, faciant cæteri quod tu, quid retulerit fuiſſe teſtatum? Illud mihi videor meo jure ſumpturus, neminem ante me vel plura, vel diligentius annotaſſe. Ut ne dicam interim quod in eo Opere non profiteor me quicquid eſt ſcitu dignum annotaturum, ſed ea duntaxat, quæ ad lectionis ſinceritatem faciunt. Quod ſi cui videbitur, diverſorum generum annotationes complecti, non continuo me vicerit, niſi in eodem argumento ſe præſtiterit copioſiorem. Et tamen ſic faveo piis ſtudiis, ut non à *Leo* tantum, verum etiam ab omnibus vinci cupiam. Ad *Chriſti* gloriam, ad publicam utilitatem eorum, qui deamant ſacras Literas, hoc quicquid eſt laboris deſudavi, cur repente mutatus inviderem iis, quorum gratia tantum vigiliarum exantlaſſem? Imo cur mihi ipſi invideam, ſi quis ſuo ſumptu me velit docere vel plura, vel rectiora? Quæſo, quid hic eſt, quod vel mihi *Leus* indignetur, vel ego ſim illi iniquior? Si non probat argumentum ſuſceptum, cur ipſe voluit in eodem argumento verſari, & cum res fere tota pendeat à *Græca Latinaque* linguæ peritia, cur mihi non concedat utriuſque linguæ aliquanto, opinor, peritiori, quam ille ſit, quod ipſe ſibi permittit, nuper *Græca* linguæ rudimentis initiatus, nec eo progreſſus adhuc in lingua *Latina*, ut mecum, opinor, dedignetur uti jure communi: deinde cur mihi non permittat in Novo Teſtamento, qui ſibi nihil non permittit in Veteri, idque nuper deguſtatis *Hebræorum* literis, præſertim cum à me ſtet tot probatorum exemplarium conſenſus, tot orthodoxorum auctoritas, ille præter hodie vulgatos *Hebræorum* codices, & lexica quædam, nullis pene præſidiis nitatur? Poſtremo cur mihi jus non ſit hoc facere, hortante & approbante *Leone* Pontifice Maximo, quod ipſe ſibi ſumit auctoritate propria? Neque vero hæc dico, quod parum comprobem *Lei* induſtriam, ſed quo declarem neutri cauſam eſſe, cur alteri vel invideat, vel indignetur. Etenim qui contendunt nefas eſſe quicquam immutare in vulgatis noſtris codicibus, prorſus inſaniunt, ut abunde docuimus in *Apologia*, qua Novo Teſtamento præfati ſumus. Sin quædam in Opere meo non probat, quorſum opus erat hac belli ſpecie, quorſum tot oblatratibus, tot ſuſurris, tot ſycophantiis, tot obtrectatricibus epiſtolis? cum ego ultro provocarim ad hoc officium, priuſquam *Leus* attigiſſet *Græcas* literas, aut ſuſpicarer futurum etiam ut attingeret. Non ſum tam impudens, ut factum improbem, ad quod provocavi, viam modumque facti, nullus opinor cordatus, aut gravis homo probaturus eſt, quando nec illi viſus eſt hac in parte *Leus* æquum facere, cui nihil non æquum videri ſolet, quod bonis literis, & *Eraſmo* adverſetur. Quod ſi rectam rationem maluiſſet adhibere in conſilium, quam iram, aut odium, aut livorem, aut ambitionem, aut alium his ſimilem affectum, neque me læſiſſet dux & organum factus ſycophantis, qui nunc neſcio quo fatali ſydere regnant, & ſibi gloriam peperiſſet, ut uberiorem, ita etiam veriorem. Primum enim, cum difficillimum ſit prodeſſe, lædere facillimum, ab illo potius quam ab hoc debebat parandi nominis auguria ſumere. Nunc cum audito

An. 1519.

An. 1519. dito *Lei* nomine, antehac obscuro, rogabunt hospites, quid hominis est *Leus* iste? Respondebitur, is qui primus omnium exstitit Erasmomastix. Ut ingeniosius, ita plausibilius est novum aliquod Opus gignere, quam in alienis libris ingeniosum ac doctulum velle videri: præclarius est auctorem esse novi cujuspiam Operis, quam in alienis Operibus *Momum* quendam agere; etiamsi *Momus* reprehendit duntaxat, non etiam calumniatur, liber verius, quam contumeliosus. Quis autem ferat eum convivam, qui in epulo accumbens magna cura gravique sumptu apparato, dissimulet si quid lautum sit, ac tantum degustatis omnibus, damnet & exprobret convivatori, si quid deprehenderit, quod parum palato respondeat? Quanto civilius sit, convivatorem illum vicissim domi tuæ lautioribus epulis accipere. Proinde si rem ingenue, si *Christiana* lenitate gessisset, nemo probus non probasset hominis industriam. Egissem & ipse gratias, ac laudibus applausissem. Jam si vel ingenii vis, vel ætatis calor ad bellum pertraxit, proximum erat, ingenue bellum gerere: virtute, non technis: viribus, non insidiis: aperto *Marte*, non dolis. Qui cædem, incendium, qui internecionem moliuntur hosti, prius missis fecialibus expostulant, rem repetunt, conditiones præscribunt, quæ si præstentur, arma non recusant deponere. At *Leus* coram amicum nulli cessurum professus, subito factus est inimicus, nec læsus unquam, nec expostulatione facta. Immo cur in odium mei factus est amicissimus iis, de quibus antea pessime & loquebatur, & sentiebat? Id si inficiabitur, est in promptu, quo possit redargui. Deinde cur in præsentem mutus, in procul absentem ferox ac formidabilis esse cœpit? cur captato etiam tempore ad lædendum magis accommodo, cum sciret hic exulceratam rem, ob quorundam conspirationem, in eo ulcere, velut unguis exstitit, ac ceu noxius humor buboni sese adjunxit? Cumque cerneret linguæ morbum apud nostrates δηδήμειν, cur primus impulit *Dodoneum* lebetem amicus nemini cessurus, princeps & auctor tinnitus perpetua reciprocatione in orbem obambulaturi? Cur veterem editionem calumniatus est, cum sciret me novam emittere? Aberam hac de causa *Basileæ*. Nunciabar, ut eram, ægrotus, fortasse rumor, ut solet, rem auxit, & mortuum esse sparserat. Hic subito fortis *Leus* totam hanc regionem, ac suam *Angliam* sexcentis illis locis implebat. Quod si hæc simplici animo facta sunt, cur reverso non exhibuit, quod sine fine jactitat apud omnes? Si me mihi voluit ostendere, (sic enim ille loquitur) cur uni non fit legendi copia? Si sibi scripsit, cur in tot exemplaria propagatus liber, per multas etiam provincias, volitat inter manus conjuratorum: apud quos esse tantum fidei demiror in re sycophantica, cum hodie vix usquam reperias, qui in re quamlibet honesta fidem præstet. Si scripsit omnibus, cur non edit? Si decrevit premere, cur sic ubique jactitat, cur tam multis impartit: denique cur retexit toties, ac recudit? Si verum erat quod antea prædicabat, nihil esse cui posset responderi, cur non vel in pauculis locis ausus est periculum facere? cur nunc à seipso in multis dissentit? Si fidit libro suo, cur totus est in hoc, ne veniat in manus meas? Si diffidit, cur tot fumos ubique spargit? Si cupit edere, cur tam anxie celat? Cur non utitur conditione toties delata? Cur quiritatur apud suos, quod ad editionem provocem? Quid sibi vult ista perplexa inconstantia, *Volo, nolo, nolo, volo?* Si simplici, puroque animo hæc fiunt, cur iis potissimum ostendit, quos novit mihi male velle? Quibus hic non videtur ob aliud bene velle, nisi quod mihi male volunt. Cur his solis negat, quos scit mihi certos amicos esse? Sic enim ipse mihi percunctanti, cur *Thomæ Moro* non faceret copiam sui libri, respondit, eum mihi sinceriter amicum esse. Et tamen is est amicus communis, licet *Leo* ὁμόπαλεις quoque, in quo videlicet ille πλεονεκτεῖ. Adeo satis idonea causa visa est illi negandi, quod mihi ex animo esset amicus. Sed interim locupletat & emendat Opus suum. Non improbo, sed interim quod verum est, ingenue fateatur. Ne fingat se premere in gratiam meam, quod in suum commodum differt. Ne simulet se à me provocatum ad edendum cogi, cum ipse id facere gestiat? Sed interim tamen non perspicit, quod dum auget Opus suum, imminuit Operis gloriam. Si statim edidisset satis jactatum Opus, nemo non credidisset rem ipsius *Marte* gestam. Nunc periculum est, ne plerique clamitent, prodire cornicem *Æsopicam*, plumis alienis sese venditantem, ut etiamsi quid præstiterit, minima gloriæ portio sit ad ipsum reditura. Jam mihi vide quæso te, quam nec illic sibi recte consulit. Exspectat ut casus aliquis me tollat è medio. Quid? An vir fortis tum demum prodibit in aciem? & opima spolia feret? ovationem ac triumphum aget? ac non metuit potius ne, quod est turpissimum, dicatur & ipse cum larvis luctari? Quid unquam laudis retulit ὁ ἐρήμην νικήσας; Sed esto, maluit iste tutam quam glorioſam victoriam. At vereor, ne hoc quoque in diversum illi cadat. Nec enim dubito, quin pro uno *Erasmo* plures sint exorituri, qui *Leo* respondeant inclementius, quam ego fuerim responsurus: qui tot contumeliis hinc atque hinc lacessitus, nondum ab instituto vetere potui depelli, quo decretum est non committere, ut quisquam meis scriptis fiat ater, etiamsi non defuerunt, qui me libris editis petulantissime prosciderint. Ab aliis repertum est novum genus libelli famosi. Conspiratum est agminatim ab iis, qui se devoverunt diis manibus, ni funditus perdant & bonas literas & veterem Theologiam, ut nusquam non blaterent in *Erasmum*, in compotationibus, in foris, in conciliabulis, in pharmacopoliis, in curribus, in tonstrinis, in fornicibus, in privatis ac publicis lectionibus, in scholasticis diatribis, in sacris concionibus, in arcanis colloquiis, in secretis admissorum confessionibus, in bibliopoliis, in tabernis pauperum, in aulis divitum, in palatiis Regum, apud superstitiosos senes, apud crassos *Midas*, apud indoctam plebeculam, apud stultas mulierculas, per quas, serpentis illius exemplo, aditum sibi parant ad fallendos viros, nusquam non penetrantes, nihil non mentientes, quo me videlicet de omnibus bene merentem in publicum odium vocent. Ad hoc sanctum negotium alunt suos emissarios, non minus diligenter instructos ad inficiendos animos simplicium & imperitorum, & constabiliendum regnum diaboli, quam *Christus* suos Discipulos instruxerat ad prædicandum regnum Dei. Ad hoc munus Euangelicum, Euangelicis viris potissimum sunt usi, quos hodie mundus simul & mendicos alit, & tolerat tyrannos. Quod ego sane nolim in communem ullius Ordinis invidiam rapi, sed in eos duntaxat recidere, qui sibi tyrannidem quandam usurpantes, opprimunt bonos, ac mansuetudine *Christiana* præditos. Adsciscunt & auxiliares copias eorum, qui vel frusto panis ad quodvis facinus conduci possunt. Quem non subornarunt ad agendam hanc fabulam? Cujus ingenio aut morbo non sunt abusi? Et hujus fabulæ sunt auctores, qui de sarcienda pecuniæ jactura tam superstitiose disputant, nec diffitentur graviorem esse jacturam ereptæ famæ, quam pecuniæ. Si quis ausit mutire in sophistas Theologos, si quis in *Carmelitarum*, aut *Dominicanorum* superstitionem tentet verbum jacere, protinus cœlum terræ commiscent. Vociferantur periclitari ecclesiam *Christi*, superos atque inferos inclamant. Ipsi cum tanta malitia, tanta pertinacia, tanta conspiratione mentiantur adversus eum, qui studet omnibus prodesse, lædere neminem, sanctuli videlicet sibi videntur, & pii. In famosum libellum capitalis est actio. Isti talium sibi conscii, non dubitant protinus illotis animis, ad sacrosanctam *Christi* mensam accedere. Et satis esse credunt, si suis viciis utcunque blandiantur. Quasi vero desit sicariis, & parricidis, quo sibi sua facinora utcunque excusent. Age, conferamus, si videtur, quantum horum scelus absit à libello famoso, aut etiam ab homicidio. Quisquis auctor



Digitized by Google

An. 1519. est famosi libelli, primum unum hominem scelere contaminat, isti tot faciunt auctores alienæ infamiæ, quot hominum linguas inficiunt, & infectis abutuntur. Ille suo periculo scribit, hi quoniam prætexunt sanctimoniam, laudem etiam sibi venantur ex maleficio. Ille quoniam palam profitetur hostem, in totum fere sibi fidem abrogat; isti cultu venerandi, in locis sacris, pro doctrina *Christi*, spargunt venena linguæ in immerentem. Ad hæc libello famoso, etiamsi incertus est auctor, tamen quoniam certa crimina objicit, responderi potest, quod à Cæsaribus aliquot etiam factitatum legimus. Hi quoniam & multi, & sparsim, & fere clanculum obtrectant, nescias quid cui respondeas, & vulnus sentis, nec licet auctorem vulneris deprehendere. Quod si quando deprehenduntur, ibi in promptu est status inficialis, etiamsi rhetoricen nunquam didicerunt, *Non dixi*, *non ita dixi*, *secus relatum est quam dixi*. Jam ut maxime deprehendas omnia, quis possit cum tam multis delitigare? Quid quod vix ullus libellus tam late spargi potest, quam istorum calumniæ; qui sic per orbem terrarum obambulant, ut olim non æque Apostoli; quibus nullus est thalamus tam abditus, in quem non penetrent; qui non aliter permixti sunt toti mundo, quam sanguis & succus per corpus universum diffusus. Quid quod infamiæ libellum nonnunquam excusat necessitas, nimirum ubi territatur tyrannus, quem objurgare nulli sit tutum. Isti vociferantur in eum, qui cunctis obvius, & expositus, paratus est omnibus rationem reddere. Nihil cuiquam charius est, quam sua vita. Et tamen bonis viris, hac quoque charior est fama, qui vitam eripi patiuntur, famam eripi non sinunt. Hanc igitur qui destinata malitia eripit, nonne nocentior est sicario, aut etiam venefico? Sceleratissimum homicidii genus est, venenum in lingua non in pyxide circunferre. His injuriis cum hactenus nunquam perpelli quiverim, ut oblivisscerer modestiæ *Christianæ*: imo ne ad hoc quidem, ut de studiis bene mereri desinerem, non erat quod vereretur *Leus*, etiamsi quid scripsisset procacius, aut juvenilius. Jam istarum rerum non sum insolens, & pulchrius, atque etiam fortius arbitror alienam petulantiam ferre, quam referre. Nec interim desunt tamen, qui mihi procacitatis morbum conentur impingere, quod alicubi attingam communes hominum mores, quod à probatis ac receptis auctoribus alicubi dissentiam, quod cum stomacho quædam rejiciam. Si dissentire contumelia est, quis unquam scripsit, qui non alicubi dissentiat à cæteris? Si contumelia est taxare in genere mortalium vicia, cur in publicis concionibus depingunt, & evulgant arcanorum flagitiorum mysteria? quod à me tamen nusquam est factum. Porro sicubi videor stomachantior, expendere decuit, unde stomachus ille nasceretur. Sævit in *Turnum Æneas*, sed pietati datur quod sæviit. *Pallantis* occisi baltheus vicit nativam *Æneæ* clementiam. Videbam sacrosanctos Ecclesiæ doctores, partim pro antiquatis & obsoletis haberi, haberi depravatos, confusos, conspurcatos: Videbam Euangelicam doctrinam pene obrutam commentatiunculis hominum, & hujus libros mendarum vepribus ac zizaniis obsitos. Nimirum hic pietas, non ingenium me vehementem fecit. A tam profundo lethargo non poterat leni placidaque voce mundus expergefieri. Si quid igitur hic stomachatus sum, non admodum me pœnitet. Ubi vero videor immoderatius incanduisse, quoties privatam injuriam à me depello? Malim hoc animo præditus esse, quam istorum adsimilis, qui ad *Christi* injuriam lenes & placidi, tantum non insaniunt, si de privato lucro, si de gloria vel unciolam detrahas. Hæc pluribus ad te scripsi, ut hac epistola, seu clypeo quopiam, impudentissimas istorum nænias facile propulses. Sed quis tandem erit istiusmodi sycophantiarum aut modus, aut finis, aut pudor? Quando desinent huic excetræ nimium fœcundæ sua repullulare capita? Quis noxius dæmon, quæ *Erinnys*, quis malus genius pestem hanc invexit *Christianorum* studiis? Nam mihi plane videtur fatale quoddam esse malum, quod tam late grassetur. Dicas *Alecto*, quæ paulo ante Principes ac populos impiis bellorum tumultibus miscebat, sese vertisse ad studiorum exitium. Bellatur inter eruditos pene pernicioſius linguis & calamis, quam hactenus inter Principes bellatum est ferro. Et ô Deum immortalem! ubi interim Musæ sorores? Ubi harum sodales simplices Gratiæ? Parum erat, si lues hæc profanas duntaxat disciplinas corripuisset. In ipsas etiam invasit literas, quæ nos solæ poterant docere *Christianam* concordiam, quæ nostros animos ab omni cupiditatum tumultu tranquillare. Hic unicus portus nobis erat relictus, in quem nos ab hisce rerum humanarum undis ac tempestatibus reciperemus. Quis nescit quam variis malis tota hominis vita sit obnoxia? Ab his quo nonnunquam refocillari liceret, patebat nobis divinæ Scripturæ paradisus. Hic dabatur per amœna virecta reptare ociosis. Hic è puriſſimis fontibus, lassi pectoris æstus refrigerare. Hic aura liberiore respirare, hic dulcissimos animi fructus undelibet decerpere. Hic gratissimos flosculos ungui spiritus demetere. Sed unde serpens ille noxius huc etiam irrepsit, ac felicissimum ocium vento discordiæ corrupit? Quis salubribus herbis, noxium aconitum admiscuit? Quis limpidissimas scatebras, malo toxico viciavit? Quis salutiferas arbores, lethalibus sorbis adulteravit? Pro charitate, pro modestia, pro lenitate, pro candore *Christiano*, livor, odium, ira, contentio, ambitio, studia temperant. At interim ubi purus ille & Euangelicus oculus, ubi judicat livor? Ubi charitas, quæ de malis etiam bene mereri studet, quando dictaturam gerente odio, qui bene merentur pro officio reportant maleficium? Quis sano judicio locus est, ubi bilis dictat, exsequitur furor, urget temeritas, absolvit cæcitas? Porro quis malorum finis, ubi litem ex lite serit, malum è malo propagat contentio? Quomodo vincet veritas, ubi summam rerum versat ambitio? Quid autem recte dictum erit illi, qui iratus, qui invidens, qui corruptus hoc animo librum sumit in manum, ut venetur, quod carpat? immo qui præjudicans sibi, prius damnavit quam legeret. Et video rem plane à conspiratis ac devotis, immo plusquam gladiatoriis animis geri. Itaque pene in animo est, absolutis *Paraphrasibus in Paulum*, quod adspirante *Christo* facturus sum his hybernis mensibus, in posterum mihi canere & Musis, imo *Christo* magis. Descendat alius qui volet in arenam, ego cum hujusmodi monstris satis mihi videor luctatus. Expedit nonnunquam deploratæ malitiæ cedere, cum nec officii fructus est ullus, & irritati mali gravius lædunt. Sed nos querelæ finem faciamus oportet, cum illi suæ vesaniæ nullum faciant finem. Illa querela justissima mihi tecum communis est, quod mors ademit *Joannem Coletum*, mihi sincerissimum amicum, tibi singularem patronum, præceptorem ac potius parentem. O verum Theologum! ô mirum Euangelicæ doctrinæ præconem! Quanto studio vir ille imbiberat philosophiam *Christi*! quam avide hausserat pectus ac spiritum divi *Pauli*! Ut cœlesti doctrinæ, totius vitæ puritate respondit! Quot annos ille gratis populum docuit, & hoc suum *Paulum* referens? Nunquam mihi tam familiare, aut non serium cum illo colloquium fuit, quin ab eo discederem melior, aut certe minus malus. Quo magis tibi, *Lupsete*, adnitendum, ut tantum præceptorem, qui cum tot annos domesticam consuetudinem egeris, & eruditione referas, & pietate. Bene vale. *Lovanio* 13. Decembris, Anno 1519.

An. 1519.

## EPISTOLA CCCCLXXXII.

*Erasmus Rot. Nicolao Præposito Edano* S. D.

VIR eximie, scribit ad me bibliopola quidam *Moguntinus* sibi excudi nescio quid libelli de antiquita-

An. 1519. tate agri *Moguntini*, in quo prædicat visi molem quandam quæ vocetur *Drusiana*, de ea si quid habes, aut in commentariolis tuis, aut in memoria, majorem in modum te rogo, ut nobis impartias. Bene vale. *Lovanio* 19. Decembris, Anno 1519.

## APPENDIX.

AVDIO vacare ædes quasdam vicinas scholæ, & in tua manu propemodum esse situm, cui debeant cedere. Neque nescit tua prudentia, quam incommode habitet *Nicolaus Buscoducus*, quantaque felicitatis portio sit bene habitare, nec est necesse hominem vobis omnibus notissimum commendare. Rogo itaque, si citra tuum incommodum potes optimo viro commodare, ut tui similis esse velis, eodem officio me quoque tibi devincturus. Rursum vale. Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCLXXXIII.

*Erasmus Rot. Joanni Fabro, Vicario Episcopi Constantiensis*, S. D.

OPECTVS amicitiæ natum, nec tumultus negotiorum, quibus undique distringeris, neque tanta locorum sejunctio potuit amiculi memoriam excutere, præsertim à quo sis tam indiligenter cultus. Etenim *Basilea* quum essem, adeo nullum mihi vacuum tempus faciebant edendorum voluminum meorum curæ, ut aliquando vix vacarit resalutare tam eximium amicum ac patronum, quem omni genere officiorum prosequi par erat. Egregiæ cujusdam humanitatis erat, nostris fastidiis ignoscere, nunc etiam magnifice gratias agis. Sed ut sic ad tuam epistolam non minus eruditam quam prolixam respondeam, quemadmodum *Basileæ* salutantem resalutare soleo: ex laudibus, quas mihi tribuis effusissimas, nihil decerpam, præter animum impendio majore quam judicio, meo nomini faventem. Quod *Beatus Rhenanus Methodum* meam tuo nomini inscripsit, facile boni consulerem, si prius ille me de suo consilio certiorem fecisset, quam ego hoc libelli *Alberto* Præsuli *Moguntinensi* dedicassem. At nostra dedicatio jam exierat in vulgus, prius quam *Beatus* exemplar accepisset, cui tum non addideram epistolam nuncupatoriam, quod nollem in Novo Testamento duas legi dedicationes, ne quis cavillaretur me de una fidelia duos parietes linere voluisse. Atque ita temperaram libelli filum, ut vel separatim legi posset, vel illius Operis pars esse: quod quidem testor in ipso statim Operis limine. Proinde consilium hoc, mea sententia, non satis auspicato venit in mentem *Beato Rhenano*, præsertim quum ipse premat in scriniis suas lucubrationes, quibus possit se pariter ac suos illustrare rectius quam alienis. Quanquam hic quoque laudarem etiam *Beati* studium, nisi fuisset infelix. Magis enim fortunæ quam illius animo reor imputandum. Cæterum quod nunc parum ex animi sententia cecidit, alias nostra cura sarciemus. Neque prorsus committam, ut nostram amicitiam ignoret posteritas, si quid tamen mearum næniarum ad posteros unquam perveniet. *Richardus Pacæus* bellissime valet, floret ac triumphat apud suos, optimo Regi longe charissimus, cui primus est à secretis, quod munus cum primis optimum est apud *Anglos*. Is nuper hac iter fecit, à Rege legatus, ut salutatis *Margarita* & *Ferdinando*, adesset electioni Cæsaris. Cujus conspectus mihi tam jucundus fuit, ut nullius æque multis jam annis. *Thomas Morus* est Regi à consiliis, atque item *Coletus*: *Thomas Linacrus* à cura valetudinis. Ipse Rex feliciſſime philosophatur. Regina literas amat, quas ab infantia feliciter didicit. Quis non cupiat in tali aula vitam agere? Bene vale, vir eximie. *Lovanio*, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCLXXXIV.

*Erasmus Rot. Gerardo Noviomago Episcopi Ultratrajectini à sacris* S. D.

AMICORVM candidissime, aurigam nacti sumus, non minus temulentum, quam erat meus famulus. Itaque *Lovanium* pervenimus aliquanto ante nonam horam, non sine periculo: nam is currus, qui nos anteibat, subversus est. Vehementer arrisit illa literarum tuarum pars, qua significas reverendissimum *Jacobum Calkarem*, Ordinis *Dominicani* isthic provincialem, nostri studiosum esse. Nam ego palmarium puto, placuisse viro tanto, quantum tu nobis eum describis, & ipse facile credo optimæ fidei auctori. Cæterum vix animum queo inducere, ut ille sese ad nostras nugas legendas demittat. Locum inspexi, atque omnino res sic habet ut ille narrat. Candorem hominis exosculor qui repererit quo locus ille defendi posset, si pro *&*, scribatur *aut*. Sed adversus alienigenas aut impios. Quanquam idem sensus consistebat, manente conjunctione, *&*: siquidem cum dicimus, hic non habet honorem, nisi doctis, ac probis, nihil vetat quo minus diversi sint docti, ac probi. Verum, ille recte voluit addita luce, caliginem amphibologiæ discuti. Memineram historiæ de Tribu *Benjamitide* pene usque ad internecionem exstincta. Sed primum arbitrabar generalem orationem constare, etiamsi unum aut alterum eximatur: sicuti non ideo falsum dixit *Paulus*, *Omnes in Adam peccaverunt*, si credamus *Mariam* & *Christum* à peccato fuisse immunes, quanquam fateor non consistere, si dialecticus summo, quod ajunt, jure tecum agat: deinde, mihi non visum est istud proprie belli nomine censendum, sed potius animadversionis; nisi forte cum *Moses* ob vitulum aureum tot hominum millia trucidavit, bellasse videtur. Postremo mihi satis erat, quod nos semper inter nos belligeramur, illi aut nunquam, aut rarissime. Ad persuadendum facit exaggeratio, ut, *nunquam*, positum sit, vice; *fere nunquam*: quemadmodum *Paulus*, cum ait, *Omnes quæ sua sunt quærunt*, non omnes sensit esse tales, sed intelligi voluit perpaucos esse, qui Euangelium sincere tractarent. His tergiversari poteram, ut nemo non ingeniosus est ad defensionem sui: nisi quod non libet à tam eximio viro dissentire. Itaque proxima editione locus is mutabitur. Fac me illi quam diligentissime commendes. Nam homini cupio propius esse notus. A te nihil meo nomine peto præterea, nisi ut pergas tui similis esse. Bene vale. *Philippo Montjoio*, omnium quos in vita viderim candidissimo, cum uxorcula meis verbis salutem dices. Reverendissimo dices, quæ nunquam non dicis. *Lovanio*, Anno 1519.

An. 1519.

## EPISTOLA CCCCLXXXV.

*Erasmus Rot. Martino Bruxellensi* S. D.

NON queror, quod mihi parum tribuas, sed hoc nomine parum tribuis, quod *Leicis* annotationibus meas præfers, quasi vero ille scripserit annotationes. De *Luthero* movent stultam ac pernicioſam Tragœdiam. Id postea sentient, non quod *Luthero*, sed quod *Christiana* faveam tranquillitati. Utcunque scripsit *Lutherus*, certe hic tumultus nulli cordato placet. Sortem tuam merito ferres graviter, nisi cuique mortalium, ubique satis esset quod ferat. Commode ferendo, facillime lenies necessitatem, quæ vitari non potest. Nam servitutem mutare, fortasse duriore, non est consilii. Non desero vos, sed fatigatus studiorum immodicis laboribus, obambulabo, verum non procul à *Lovanio*, ne me conficiat Quadragesima. Spero Regis adventum his pudendis tumultibus finem impositurum. Roga nostrum *Lutzenburgum*, ut cras ad prandium veniat familiariter, & tu una cum illo, si possis: nam velle sat scio. Bene vale, chariſſime *Martine*. E museo nostro, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCLXXXVI.

*Erasmus Roterod. Martino Bruxell.* S. D.

TOT obruor laboribus studiorum, ut, si maxime cupiam, non vacet adire te. *Joannes Hagius* abjurat se esse auctorem famosi libelli. Ego suspicor *Leum* au-



Digitized by Google

An. 1519. ctorem esse, aut certe instigatorem, si me mea fallit divinatio. Res leviter me movet, mihi ipsi bene conscium: sed si possim certum scire qui sit, fiet ut sit aliis exemplo, quisquis est ille *Satanæ* organum. Tu fac te sacris Literis oblectes, absque contentione, quæ tuam tranquillitatem turbat, & meis negotiis non multum adfert momenti. Cras eo *Antuerpiam* empturus *Hebraicum* volumen, nisi quid variat animi tui sententia. Bene vale, *Martine* charissime, ætate fili, sacerdotio frater, & istos homunculorum tumultus magno animo despice, nixus cœlesti *Christi* præsidio. Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCLXXXVII.

*Erasmus Roterodamus Martino Bruxellensi* S. D.

VIDE num aptum munus miseris, crumenulam non habenti pecuniam. Reperi in mea bibliotheca *Gregorium Nazianzenum*, & ab *Hieronymo* laudatum, non minus pium, quam eruditum ac facundum. Eum ratus tibi placiturum, ad te ire jussi, vel *συνδρομον*, vel mei in te studii qualecunque symbolon. Tu perge tuam ætatem florentem, atque indolem non vulgarem, utrunque Dei donum, in sanctis studiis exercere, sed ita ut simul hoc agatur quod legitur. Bene vale, charissime mihi, ætate fili, presbyterio frater, nostque precibus tuis *Christo* commenda. Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCLXXXVIII.

*Erasmus Rot. Martino Bruxellensi* S. D.

CHARISSIME frater, acceptis tuis literis non respondi, protinus decreveram visere te. Verum semper novis occasionibus sum prohibitus. Oro te, ne quid animum tuum discruciet hæc tragœdia plane fatalis, tuus dolor mihi prodesse non potest, obesse potest certe tibi. Omissis hujusmodi næniis oblecta te sanctis studiis, & philosophia *Christi*, quæ gaudet bonis, & tolerat malos. Puto me habiturum Vetus Testamentum *Hebraicum Antuerpiæ*. Si non mutasti sententiam, curabo ut ematur: sin secus est animus, describe quid velis fieri. Bene vale in Domino, mi *Martine* charissime. Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCLXXXIX.

*Erasmus Roterod. Ludovico Vivi* S. D.

QUID te felicius, eruditissime *Vives*, qui gratiam ineas etiam maledicendo, quum nos & benedicendo nobis odium & invidiam conciliemus. Conati sumus veræ pietatis ac religionis aperire fontes, adnixi sumus rem Theologicam, plus satis prolapsam ad argutas magis quam necessarias quæstiunculas, priscæ majestati pro virili restituere, & sic in me debacchantur Monachi quidam, quasi sacrilegium admiserim, quum tu tam gratos & commodos experiaris sophistas, irrisibile, ut vulgus existimat, hominum genus. Proinde posteaquam res tibi tam feliciter cessit, perge qua cœpisti, studiis ad meliora revocandis invigilare. *Parisiensis* Academiæ candorem ac civilitatem jam olim sum admiratus, quæ tot annos *Faustum* tulerit, nec tulerit solum, verum etiam aluerit, evexeritque. Cum *Faustum* dico, mulcta tibi succurrunt, quæ nolim literis committere. Qua petulantia solitus est ille in Theologorum ordinem debacchari? Quam non casta erat illius professio? Neque cuiquam obscurum erat, qualis esset vita. Tantum malorum *Galli* doctrinæ hominis condonabant, quæ tamen ultra mediocritatem non admodum erat progressa. Hujus Academiæ proceres non ferunt trilingue collegium, gratis adjuvans publica omnium studia, gratis ornans non solum hanc scholam, verum etiam universam Principis ditionem. Non ferunt Professores moribus inculpatissimis, professione casta, doctrina longe *Faustine*, præferenda. *Parisiensis* Academia, certe in hoc literarum genere, quod sibi proposuit, semper primas tenuit, & tamen gaudet undecunque sibi contingere literaturæ politioris accessionem. Datur locus quivis quacunque mercede profitentibus. Hic *Guilhelmus Nesenus*, *Pomponii Melæ* geographiam profiteri gratis aggressus, nihilo remissioribus studiis obstiterunt, quam si parasset totam hanc urbem incendio miscere. Ante annos non ita multos frigebat hæc schola, nunc bonarum literarum commendatione facta celebrior, mirum quas critas erigit, quod attollit supercilium, quam meditatur tyrannidem. Sed hoc quicquid est tragœdiæ duobus aut tribus acceptum ferimus. Quos etiamsi non queant mitescere, tamen obruent tandem in dies magis ac magis invalescentia rectiora studia, præsertim si tu te in hoc bello *Camillum* quendam præbeas. De *Budæo* tametsi nihil novi prædicis, tamen hominis amicissimi verissimis laudibus sum unice delectatus. Ille vero nunquam *Erasmum* ab se alienabit, etiamsi atroces invectivas in nos scripserit; tantum abest, ut illa literarum velitatio queat animos Gratiarum nodis conjunctissimos divellere. Habes epistolam Laconicam, sic enim soleo pro *Lucullianis* cœnis *Diogenicum* reponere convivium. Verum, hoc non animo, sed occupationibus imputabis. Bene vale. *Lovanio*, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCXC.

*Erasmus Roterod. Paulo Voltzio* S. D.

DIFFICILE mihi sit tibi dare consilium in ea re, in qua nescio, qua parte pedem tuum torqueat calceus. Si quod vitæ genus nosti, quod eam præbeat tranquillitatem, quam animus tuus, ut auguror, humanorum tumultuum pertesus, suspirat, indica mihi, jungam me tibi. Jamdudum enim satur sum omnium quæ video geri, veluti fato quodam. Sed vereor ne in omne vitæ genus sequantur nos molestiæ. Quare si durare potes in isto vitæ genere, malim te tranquillitatem istam ab animo petere potius quam aliunde. Si non potes, precor ut *Christus* Opt. Max. velit esse faustum ac felix, quicquid agis. Molitur & *Oecolampadius* fugam. Et *Wimphelingus* portum suum spectat, ut scribit. Ego solus relinquor in his fluctibus. *Coletus* præcessit, *Christus* addidit mihi *Sutunam* eximium, qui rebus omnibus omissis, totus in hoc est, ut orbem in me concitet, natus ad seditionem. Et tamen mihi interim laborandum est, ne vapulet. Mi *Voltzi*, nunquam eram crediturus, tantum veneni esse in pectoribus humanis. Et tamen sacrificat frequenter. Minatur exitium omnibus, qui audeant bene loqui de *Erasmo*: etiamsi de ipso nihil loquantur mali. Bene vale, Pater & amice in *Christo* charissime. Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCXCI.

*Erasmus Godschalco Rosemundo, Lovaniensium Academiæ moderatori*, S. D.

INVITUS te toties interpello meis literis. Sed hoc tamen utrique nostrum est commodius. Conticuerat ad tempus *Frisius* ille Prædicator, pridem *Moriæ* nostræ interpres, nunc *Antibarbarorum*, nullis conviciis non debacchans in nomen ac famam meam. Et putat se recte facere, vel hoc argumento, quod in scriptis meis Monachos attigerim, quanquam ubique abstinens ab atrocibus illis, quæ tamen heu nimium frequenter, atque utinam falso, de illis narrat vulgus, nuper etiam in frequenti convivio Card. *Sedunensis*, semperque nominibus parcens atque etiam ordinibus. Nisi forte totum Ordinem *Dominicanorum* lædi putant, si quis queratur sibi à *Dominicano* quopiam factam injuriam. *Hieronymus* nonne Monachorum & Monacharum vitia depingit ipse Monachus? Si non est fas ullo pacto attingere Monachorum vitia, ne sacerdotum quidem aut aulicorum licebit. Sed in hos isti velut è plaustris magna licentia vociferari solent. In *Antibarbaris*, quid aliud illis impingit *Bastus*, quem facio loquentem, nisi odium politioris literaturæ? An non hoc ipsi vel me tacente declarant,

Digitized by Google

An. 1519. rant, ubique tam odiosè concionantes in linguas ac bonas literas? multum hic certe dissidentes à summo Pontifice, qui in suis ad me *Brevibus* ait, eas & dici, & esse bonas, multum à Synodo proxima *Lateranensi*, quæ totos quinque annos tribuit his studiis. Nec post interdicit, si modo non nihil studii gravioris admiscearur. Jam cum fateatur se ideo lacerare me, quod attigerim Monachos, nonne palam declarat animo vindicandi sese hoc facere? Quid autem turpius, quam ad ultionem abuti, templo, abuti suggesto prædicandæ *Christi* gloriæ destinato, abuti plebis imperitæ credulitate? Et hæc eo turpius fiunt quod fiant in hac celebri Academia, & in oculis vestris: quasi vobis auctoribus, aut certe approbantibus. Quid jam erit sincerum, si sermo divinus nobis vertitur in telum, quo jugulemus proximum? Ingens flagitium est, si quis indigne sumat corpus Dominicum. At plus exitii redit ad multos, si quis adulteret sermonem Euangelicum. Si læsi sunt; est alia ulciscendi via citra injuriam sacræ concionis. Jam hoc opinor erit quibusdam voluptati, si mihi senserint aliquid ægre esse. Ego quidem & majora tuli, & adhuc ferre possum: mentiar tamen, si dicam me nihil hisce rebus commoveri. Minus indigne feram si me feriat mulus, aut homo furiosus: sed tamen malim non feriri. Ut vitæ, ita famæ alienæ dominus est, qui suæ contemptor est. Cuivis in proclivi est lædere. Et absit ut ego vicissim, quid hac in parte possim, velim experiri. Cum tot dies agerem *Colonia*, nulli verbo questus sum, fretus tua oratione, quod diceres te sperare futurum, ut in posterum consilesceret *Egmondanus*. Nam ab hoc *Frisio* nihil exspectabam novæ tempestatis. His malis auctoritas tua vel verbo potest finem imponere. An debeat, ipsa viderit. Ego debere arbitror, si non mea causa, certe publicæ tranquillitatis gratia. Antequam perficerem hanc epistolam, pransus cum *Maximiliano* Abbate *Middelburgensi*, quoniam erat in proximo, adii per occasionem Priorem *Dominicalium*. Is negavit se scire quid ille dixisset, sed tamen vultu, gestu, totoque sermone declaravit, se conscio ac volente hæc fieri. Postridie ejus diei venit ad me *Frisius* ille veluti purgaturus sese, juvenis mire confidens, & qui sibi videatur nihil loqui nisi gemmas meras, meros flosculos, & oracula mera. Is fassus est se in die divæ *Catharinæ* plura dixisse, quam mihi fuerat delatum. Et in purgationem sui mira confidentia proposuit quædam tam stulta, ut stultissimum fuerit respondere. Tametsi respondi tribus verbis. *Egmondanus* in auspicando *Paulo* precatus est, ut quemadmodum *Paulus* ex Ecclesiæ persequutore factus est Ecclesiæ doctor, ita convertantur aliquando *Lutherus* & *Erasmus*. Quid fiet istis? Nihil magis optent, quam ut aliqua ratione molesti sint. Et male habet illos, quod *Lutheranus* non sim, ut re vera non sum, nisi serviat gloriæ *Christi*. Scio me esse linguæ licentioris: nullus tamen audivit me probantem *Lutheri* doctrinam. Libros illius nunquam studui legere, præter paucas pagellas, easque degustatas verius quam lectas. Disputationibus vestris adversus *Lutherum* semper constantissime favi: sed multo magis scriptis, maxime *Joannis Turenholtii*, qui docte & sine affectibus disputavit, ut audio. Cum exurerentur libri, nemo me tristiorem vidit. Constanter fassus sum, mihi displicere in eo permulta. Scripsi privatim multa, & dixi multa, quæ illum ab hoc seditioso scribendi genere compescerent: & *Lutheranus* vocor. Hi joci, si vestræ placent Academiæ, sum is qui possim ferre. Nam id malo quam ulcisci. Sed mea sententia præstiterit rem aliis rationibus agi. Imputat mihi *Vincentius* tumultum *Hollandicum*, quod illic post stultissimam concionem propemodum fuerit lapidatus à plebe, cum ego nulli *Hollando*, neque bene scripserim de *Luthero*, neque male. Bene vale in *Christo*, Magnifice D. Rector. Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCXCII.

*Guilielmo Montjoio Erasmus Rot. S. D.*

VNICE *Maecenas*, antehac gratulatus sum *Angliae* tuae, quae tot haberet viros egregia probitate, parique doctrina praeditos: nunc propemodum invidere incipio, quae sic efflorescat omni genere studiorum, ut omnibus regionibus laudem praeripiat, ac pene tenebras offundat. Quanquam ista laus haud ita nova est vestrae insulae, in qua constat & olim eximios viros exstitisse. Declarant id vel Academiae vestrae, quae vetustate nobilitateque cum vetustissimis ac celeberrimis certant. Deamo *Richardum* Episcopum *Wintoniensem*, qui magnificentissimum collegium suo sumptu proprie dicavit bonis literis. Magis autem exosculor egregium, ac prorsus heroicum animum *Thomae* Cardinalis *Eboracensis*, cujus prudentia schola *Oxoniensis*, non solum omni linguarum ac studiorum genere, verum & moribus, qui deceant optima studia, condecorabitur. Nam *Cantabrigiensis* Academia jampridem omnibus floret ornamentis, praeside *Joanne* Episcopo *Roffensi*, qui nulla in parte non egregium agit Praesulem. Caeterum hujus laudis praecipua portio regio pectori, velut horum consiliorum fonti, debetur. Cum tot regnis ac Regibus altissima pax est, atque, ut augurari libet, aeterna. Pelluntur nocentes, vigent bonae leges, evehuntur optimae literae. Rex ipse hisce rebus omnibus non solum auctor est, ac dux, verum etiam exemplum primus ipse praestans quod praescribit. Nulli mortalium magis ex animo bene volo quam tibi, & tamen parum abest, quin invideam tuae celsitudini, quae tantis bonis fruatur sine me quondam commodorum & incommodorum socio. Quodque gravius est: interim dum tu tot hominibus felix es, mihi cum terrimis quibusdam non hominibus, sed portentis conflictandum, in quo me hercle lubens experirer, quid possit eloquentia, ni me *Christianus* pudor, ceu *Pallas* quaepiam *Homerica*, jam capulo manum admoventem, capillos vellicans revocaret. Bene vale. *Antuerpiae*, Anno 1519. An. 1519.

## EPISTOLA CCCCXCIII.

*Erasmus Aloisio Marliano, Episcopo Tudensi, S. D.*

MAJOREM in modum gaudeo, reverende Pater, amplitudinem tuam nobis esse redditam, ne nullus mihi patronus sit in aula, posteaquam obiit *Sylvagius*, nec rediit *Barbirius*. Neque enim dubito, quin eum animum sis praestaturus *Erasmo*, quem hactenus semper praestitisti: quem ipsum non tam mihi praestabis, quam optimis studiis, quibus quoniam impense faveo, multos habeo qui mihi non favent. Mitto *Apologiam*, qua respondeo iis, qui me traducebant apud populum, quod vertissem, *In principio erat Sermo*. Vel ex hac re licet illorum stoliditatem malitiosam agnoscere. Qui has perfert, est *Huttenus* ille facundissimus Eques, & Orator bellacissimus, juvenis candidissimi pectoris, & tuo dignus amore, nisi plane fallor. Pro consilio tuo tum amico, tum prudenti, quod ex *Barbirii* literis accepi, gratiam habeo, & animus est sequi. Adissem ipse te; sed adhuc tenella est valetudo, nam aestus superior, quem *Phaethon*, opinor, rursus admotus solis currui nobis invexerat, me propemodum confecit. Bene vale. Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCXCIV.

*Erasmus Rot. Guilielmo Budaeo S. D.*

Καὶ πολλοὶ σοῦ σε ἀπαγγέλλουσι, φίλτατε Βουδαῖε, ἐγὼ αὐτὸς τρίτον ἤδη οἶμαι χρόνον ἀπόντος σου μείζονος θαυμάζειν σε λόγῳ τί τοσοῦτον χρόνον σιωπήσας, ὑδὲν ἀποκρινόμενος πρὸς ἐπιστολάς σου, πλὴν ὕστατος ἐρχόμενος, Vidi enarrationem quam, &c. τοῦτο μὲν ἴσθι, ὑδὲν ἄλλο μοι αἴτιον εἶναι, εἰ μὴ, ὅτι τὴν φιλίαν τὴν ἡμετέραν, ὡς πτῆμα τιμιώτατον περὶ πολλοῦ ποιῶν, μᾶλλον ἢ παντὸς ἀξίαν ἡγέμην, μᾶλις



Digitized by Google

An. 1519. ἂν εὐξαίμην, τοιαύτην δοκεῖν παρὰ πᾶσιν, ὁποῖαν παρ' ἡμῖν ἀληθῶς εἶναι, πάνυ πέπεισμαι, τοῦτ' ἔστιν ἀκέραιόν τε καὶ εἰλικρινῆ. Οὐ γὰρ νομίζω πρὸς τὸ συνέχειν καὶ συντηρεῖν τὴν ἡμετέραν ὁμόνοιαν δεῖν πως Λοδοβίκου Βιβέως, ὥσπερ κολλαστῆρος ἀμφοτέρων, ἀλλὰ μᾶλλον γραμμάτων χαριέστερον καὶ μετριότερον παιζομένων, ἵνα καὶ ἄλλοις οὕτω φιλικῶς ἔχειν πρὸς ἀλλήλους δοκῶμεν. Τῷ γὰρ ἐμαυτοῦ γε θυμῷ, αἱ παιδιαί σου καὶ σκώμματα, ἐνίοτε μὲν οὐδαμῶς ἄκνισσα, ἀεὶ δὲ παιδείας μεστὰ, οὐδεμίαν δυσχέρειαν οὐπώποτε προσέφερον. Οὐκ ἄχθομαι λοιδορίαις ταῖς εἰς ἐμὲ, ἀλλὰ φοβοῦμαι τῇ φήμῃ σου, ἢν καὶ αὐτὴν ἐμὴν εἶναι ἡγοῦμαι, ἐπειδὴ πάντα κοινοῖ ἡ φιλία. Ἀλλὰ μὲν καὶ αὐτὸς ὁ Βιβεὺς, δεικνύσαντος ἐμοῦ τὴν ἐπιστολήν σου, μείζονα τρόπον ἐθαύμασεν, οὐδαμῶς, ὡς ἔφη, πιστεύσων τοιαῦτα γραφθῆναι Βουδαίῳ πρὸς Ἔρασμον, εἰ μὴ αὐτῆς αὐτογράφου ἀναγνωστὴς γενόμενος. Καὶ δὴ εἶπέ μοι πρὸς τῶν χαρίτων, βέλτιστε Βουδαῖε, τί ἀποκρίνετ' ἄν τις πρὸς τοιαῦτα, οὐ μόνον σκαιῶς, καὶ ἐχθρωδῶς λεχθῆναι δοκοῦντα, ἀλλὰ καὶ ἀκαίρως, καὶ ἀπροσδιονύσως, ὡς ἔπος εἰπεῖν. Πρῶτον δὴ ἐγεγράφειν που ἀντεπιστέλλων σοι, πάντα τῶν λόγων καὶ γνωμῶν πρόπτα σοι, καὶ παρὰ χερσὶν, ὥς φασιν, εἶναι, δηλονότι εὐδαιμονίζων σε τῆς τε εὐφυίας καὶ μνήμης τρὶς μακαρίας, ᾗ σύ γε σπουδὴν καὶ ἐπιμέλειαν ἴσην προσεθήσειας. Τοῦτο εὐμενῶς λεχθὲν καὶ ἁπλῶς διαστρέφεις ὥσπερ εἰς ψόγον καὶ ὕβριν ῥιφθὲν, ἐμοῦ δῆθεν αἰνιξαμένου, τὸ Βουδαῖον ἐξ ὑπομνημάτων καὶ ἐλέγχων, οὐδὲν ἄλλο, λόγιον καὶ πεπαιδευμένον εἶναι. Πρὸς τούτοις εἰς πεδίον τὶ οὐκ οἶδα πῶς ἀποτραπεὶς ἐγκαλεῖς ἐμὲ φθόνουτε καὶ τυραννίδος ὡς ἁπαξάπαντας ἐμποδίζοντα καὶ κωλύοντα μὴ χρῆσθαι τοῖς τῶν παλαιῶν ἄνθεσι, ὅμως δημοσίοις ἤδη καὶ τοῦ κοινοῦ γενομένοις, ὑπωπιάζων μεταξὺ, τὸ τῆς ἐμῆς παροιμιολογίας περιττόν. Πάλιν αὖθις ἐρωτῶ, τί πρὸς ταῦτα ἀπεκριναίμην, αὐτό φασι δείκνυσιν, ἃ ἐγὼ εἰς τὸν ἔπαινόν σου γέγραφα, ταῦτά σε διεστραμμένως πρὸς ὕβριν ἑρμηνεύεσθαι. Πῶς δὲ δὴ φθονερῶς καὶ βασκαίνως ἐνοχλῶ τοῖς ὁποσοῦν χρωμένοις ταῖς παροιμίαις, ὡς κωλύων ἐν τῇ θαλάσσῃ ἁλιεύειν, ὁ εἰς τοῦτο αὐτὸ τοσούτους πόνους ἐξαντλήσας, ὥστε μᾶλλον κοινὰς ἅπασι καὶ δημοσίας γενέσθαι. Ἢ πῶς ἐμποδών εἰμι τοῖς ἐκδιδοῦσι τὰ αὐτῶν συγγράμματα, ὁ πολλοὺς πολλάκις ἐποτρύνας, ἐπὶ τοιαύτην σπουδὴν καὶ ἅμιλλαν, εὐμενὴς ὢν, οὐ μόνον τοῖς τυχοῦσιν, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἐπισήμοις καὶ τὸ Ἐρασμικὸν ὄνομα ἐπισκοτίζουσιν, εἴτιγε πάντως ἐστὶν ὄνομα τοὐμόν. Πολὺ βέλτιον οὖν ἔδοξε πρὸς ταῦτα πάντως ἀποσιωπᾶν, ἢ πρὸς τὸ ἔπος ἀποκρινόμενον μάτην, ἐρεθίζειν ἴσως καὶ ἐξοργίζειν τὸν φίλον, ἢ οὐδὲν πρὸς ἔπος ἀποκρινόμενον, γέλωτα παρέχειν τοῖς φιλοσκώμμοσι, τάχακεν καὶ τοῦτο τὸ δημονάκτους εἰς ἡμᾶς καταβολισομένοις, ὁ μὲν τὸν τράγον ἀμέλγει, ὁ δὲ τὸ κόσκινον ὑποτίθησι. Οἶμαι γὰρ ἐλάχιστον διαφέρειν τὸ κατ' ἐμὲ, πόσας ἑβδομάδας ἢ μυριάδας ἐτῶν μεμελέτηκα τὰ νῦν παρ' ἐμοῦ ἐπαλλήλως, ὡς φῄς, ἐκδιδόμενα, εἰ καὶ σαφὲς καὶ φανερόν ἐστι τοῖς ἐμοὶ πλησιάζουσι, καὶ οἴκοθεν ἐγνωκόσι τἀμὰ, ὅτι πάνυ εἰς θάτερον μέρος ἁμαρτάνω, πάντα σχεδὸν ἀμελητὶ καὶ αὐτοσχεδιασμένως ἐκχέων μᾶλλον ἢ τίκτων ἄφορμα ἔτι καὶ ἀτελῆ ὄντα, ἤγουν τῶν λεόντων καὶ τῶν ἄρκτων δίκην. Ἐν τούτῳ δὲ μέρει οὐκ ἐγὼ παιδευτότερος ἀξιῶ νομίζεσθαι, ἀλλά σε φημὶ εὐτυχέστερον ἅμα καὶ φρονιμότερον εἶναι. Αὐτὸς γὰρ ἴσως πλείονά σου γράφω, ἀλλὰ καὶ χείρονα. Αὐτὸς θᾶσσον ἐκτίκτω, ἀλλ' οὐ μετὰ πολὺ τεθνηξόμενα. Ὅπου σὺ βραδύνῃ μὲν ἐν τῷ τίκτειν, ἀλλὰ τίκτεις ἀθάνατα. Περὶ τούτων μὲν τοσαῦτα. Περὶ δὲ τοῦ Ἱερωνύμου καὶ Ἀρεοπαγιτῶν, τοῦ μνημικοῦ ἁμαρτήματος συγγνώμην, καὶ δίδωμι ἀσμένως καὶ ἐκὼν ἀποδέχομαι, κατὰ τὴν παροιμίαν, ἴσον ἴσῳ ἐπιφέροντός σου, εἰ καὶ κλοπῆς γένει τινὶ θανάσιμος ἦν ἐκδίκησις, παρὰ τοῖς πάλαι, ὥσπερ καὶ τὸ νῦν. Οὐδ' ἀγνοεῖς εὖ οἶδ' ὅτι, πάντα κριτὴν, ἐσχηματισμένως Ἀρεοπαγίτην καλεῖσθαι. Τάγε δὴ μετὰ ταῦτα πῶς οὐ πικρῶς λεχθέντα δόξεται, οὐ μόνον ἀτόπως, εἴτινα φῄς, ἐν τοῖς ἐμοῖς πρὸς Τοὐσταλλον γράμμασιν ἀτόπως καὶ οὐκ ἐν καιρῷ λεχθῆναι δοκεῖ σοι τῷ τῶν ἁπάντων κριτῇ τε καὶ διαιτητῇ, ἐμοῦγε ἐπιτρέψαντος, ἀλλάξαι, ταῦτα δὲ ἐπανορθῶσαι, τοῦτο δηλονότι ὑπαινίττων, ἅτινα ἐκεῖ ἐπαινεῖς μου, οὐ σπουδῇ σοι, οὐδ' ἐκ θυμοῦ γεγράφθαι, εἰ καὶ τὸ ἐκεῖνο ἐγκώμιον οὐκ ἔλαθεν ἐμὲ, μυκτῆρας καὶ στροφὰς ἔχον. Ἀλλ' ἵνα δὴ ἀνυποκρίτως λέξωμαι, ἐπιφανέστατε Βουδαῖε, ὥσπερ ἥδομαι ἐπαινούμενος παρ' ἀνδρὸς ἐπαίνων ἀξίου, οὕτω στερηθείς πως τῶν ἐγκωμίων σοῦ, οὐκ ἂν ἀδημονήσαιμι, οὐδὲ σχετλιάσαιμι. Διὸ εἰ ταύτης εὐεργεσίας ἢ μᾶλλον χρηστότητος μετάνοιά σε εἴληφεν, οὐ μέλλοιμι ἂν ἀποδοῦναι, τὴν ὅλην δωρεάν. Ὅρα δὲ δὴ ὡς ἀδίκως ὅτι διὰ τὴν μετριότητα τὴν ἐμὴν οὐκ ἀπεδεξάμην τὰ παρὰ σοῦ ἐγκώμια, τοῦτό σου ὄγκον καὶ δυσκολίαν ἑρμηνεύῃ, κελεύσας κατενέγκειν ἐμαυτὸν, εἰ δοκεῖ, ἐκ τοῦ κολοφῶνος, ἐν ᾧ σου δῆθεν ἑστήκεις ἐμέ. Καὶ τίς ποτε ἀγανακτεῖ παραιτουμένῳ, ὅταν λίαν καὶ ἐπιφθόνως ἐπῃνηθῇ. Τίς οὐ μᾶλλον τὴν σωφροσύνην ἀγαπᾷ τοῦ τὰ διδόμενα οὐκ ἐπιγινώσκοντος; εἶτα γυμνὸς Ἔρασμος, καὶ οὐδὲν ἄλλο, εἰς τὴν Φραγκίαν ἀφικνήσομαι, εἰ σὺ τῶν ἐπαίνων σου κόσμον ἀφελῇς. Ἐνταῦθα δὲ φῄς, οὐκ οἶδα τί ὑπῆρξαι ἐν τοῖς γράμμασί σου ὅτι ἐγὼ μολίβδινος ὅλος οὐ συνῆκα. Τί τοῦτο ἦν οὐ δύναμαι εἰκάζειν, ἀλλὰ μέμνημαί σε λόγοις πάνυ σαφέσι γεγραφέναι. Δεδόχθαί σοι παύσασθαι τοῦ πράγματος, ἀμφοτέρων ἕνεκα, σοῦ τε καὶ ἐμοῦ. Τοῦτό γε καὶ ὁ Δαῦος ὁ ἐκ τῆς κωμῳδίας, συνήσειεν ἂν οἶμαι. Οὐδ' ἔτι τέλος, ἀλλὰ καὶ τῆς ἀχαριστίας, κακίστου πάντων ἐγκλήματος, δίκην μοι γράφεις νὴ τὸν Δία, ὅτι πρὸς τὰ οὕτως ἀσαφῶς ἐπηγγελμένα, καὶ ὡς τύπῳ εἰπεῖν κατ' ὄναρ μόνον ἀποδεχθέντα, οὐδὲν σαφὲς ἀπεκρίθην, ὀφείλων μεταξὺ, καὶ τὰ εὐαγγέλια. Ἔξεστιν οἶμαι, ἐπιτρεψόντων ἡμῶν, τῆς παρούσης τύχης, εἰ οὕτως δοκεῖ, ἀγαπᾷν, ὁποῖά τις οὖν ὑπάρχει ἢ ὑπάρξει, μάλιστα ὅπου ὅτι πράττετε, ὥσπερ πράττετε, ἐμοῦ τὴν εὐμένειαν τὴν ὑμετέραν ἀποδεχομένου, οὕτως οὐπώποτε δεηθέντος ἐμοῦ ἢ ἀντιβολήσαντος πράττετε. Ὅμως γε μέμνημαι διὰ γραμμάτων νουθετήσας, ἵνα μὴ ἄγαν σπουδάσῃς τοῦτο τὸ πρᾶγμα, ὑποσημαίνων ὅτι ἐμοὶ οὐ λίαν αὐτοῦ μέλει. Καὶ διὰ τί μετὰ ταῦτα ἀγανακτεῖς μοι, καὶ τούτων ἔτι πικρότερά ἐστιν, ἃ ἐπιφέρεις περὶ τοῦ ἀρουραίου μυὸς, περὶ χολῆς τῆς ὑπὲρ τὸ λίαν μοι περισσευούσης, καὶ τάχα τεθνηξομένω, εἰ μὴ σοῦ τὴν ἀλεξίκακον κάθαρσιν εἰς ἔμετον παρέξαντος. Τούτοις ὅμοιον καὶ ἐκεῖνο, ὃ γράφεις οὕτως ἐθιζόμενος δήπουθεν συμπαίζειν ἐμοὶ, ὡς ἀτόπου ὄντος, τοῦ τὸν Ἔρασμον ἀντιπαίζειν Βουδαίῳ, ἢ ὡς ἐγὼ οὐ τολμήσαιμι ἂν ἀντιμύζειν, εἰ μὴ κατὰ μικρὸν εἰθισμένος. Τὶ ἄλλο πρὸς τῶν μουσῶν λέξειεν βασιλεύς τις ἢ σατράπης πρὸς δοῦλον ἁλώνητον. Καὶ ταῦτα σὺ γράφεις φίλος πρὸς φίλον, ταῦτα γράφεις αὐτὸς προκαλέσας εἰς τοῦτο πεδίον. Ταῦτα γράφεις ὁ φιλοπαίγμων, καὶ φιλοσκώμμων, καὶ μηδαμῶς δυσχεραίνων τὰ ὁπωσοῦν ἀντισκωπτόμενα, ταῦτα γράφεις ὁ πειρόκαλος, τῶν τε χαρίτων μύστης. Τοιαῦτα δὴ παίξας καὶ λιθοβολήσας εἰς ἐμὲ, καὶ πρὸς τὰς ἀπειλὰς μεταβαίνεις, λόγοις μάλα μειλιχίοις θέλγων ἐμὴν κεφαλήν. Οὕτως δὲ γράφεις. Ἢν ὁμοίαις ἔτι μανίαις, ὁ δαίμων ὁ σὸς κακὸς ἄγει σε καὶ φέρει, ἔα, στρέψαι τὸ τοῦ καλάμου ἄκρον, καὶ τοῦ βέλους ἀκμὴν εἰς τὸν μονόγραμμον θεολόγον, πολλὰ κακὰ σοὶ βυσσοδομεύοντα, ὡς Ὁμηρικῶς λέξω. Κἀγὼ, ἐν τῶν μέρει ἔξω βελῶν φασὶ καθήμενος, θεάσομαί σε ἐκείνῳ ἀνταγωνιζόμενον, ἀπολαύσων δηλονότι φίλος φίλου κακῶν. Πολλὰ σπουδῇ ἐῶ λέγειν, ἐν οἷς ἐστιν, ἃ γράφεις περὶ τοῦ Δελοίνου καὶ τοῦ Ῥουζαίου. Οὐχ ὁρῶ διὰ τὶ φιλοκόλακα ποιεῖς ἐμὲ τὸν ἐν τοῖς μάλιστα φίλοις ἐλευθέροις χαίροντα. Οὐ πρέπει μὲν τῇ φιλίᾳ τὸ κολακεύειν, ἧττον δὲ πρέπει τῷ φίλῳ λοιδορίοις ἐντρυφᾶν. Ἐπεὶ δὲ εἰς μόνον ἐμὲ τοιαῦτα παίζεις, ἢ φιλεῖς μάλα οἰκείως, ἢ ἑτερόν τι εἶναι δοκήσεται. Πρὸς δὲ πᾶσι τούτοις καὶ τῆς συκοφαντείας ἔγκλημά μοι εἰσενέγκεις, ὅτι τόπον τινὰ ἐκ τῶν γραμμάτων σου παρατιθείς που τὸ, φῄς, ἔλεξα ἀντὶ τοῦ φήσειας ἄν, ὡς δῆθεν παρὰ Ῥωμαίοις, πολὺ διαφέροντος ἐν τῇ λογοποιΐᾳ πότερον φήσειέν τις λέγεις τοῦτο, ἢ λέξοις ἂν τοῦτο. Αὐτὸ γὰρ τοῦτο εὐήμανον, τὸν λόγον, ὃν ἐμοὶ προσποιεῖς, οὐχ ἁρμόζειν ἐμοί. Ταῦτα καὶ τοιαῦτα πολλὰ αὐτὸς μὲν ἀναγινώσκων οὐδαμῶς δυσχεραίνω, πάντα εὖ τιθέμενος τὰ ἀπὸ φίλου. Φοβοῦμαι δὲ, μή τις ἀπειρόκαλος καὶ ἧττον οἰκεῖος τῷ τῶν χαρίτων χορῷ καὶ ἄλλη τρέπων τὰ ὑπό σου Φραγκικῶς πεπαιγμένα, χείρονα, ἢ ἔγωγε θέλοιμι περὶ Βουδαίου λάβῃ γνώμην. Αὐτὸς γὰρ οὔτε φοβοῦμαί τι, οὔτε κινδυνεύομαι. Οὐκοῦν ἐμοὶ, ὦ ἀνδρῶν λογιότατε, βέλτιστον ἔσεσθαι δοκεῖ, εἰ ταῦτα στροφώδη καὶ μιξόχολα παιγνία, πάντως ἐάσαντες, ταῖς μούσαις καὶ ταῖς χάρισι, τῇτε φιλίᾳ καὶ φιλολογίᾳ πρέποντα, εἰς τὸ ὕστερον γράψομεν πρὸς ἀλλήλους. Ἐπὶ τούτοις ἀμνηστία ἔστω τῶν ἁπάντων πρὸ τούτου ὁπωσοῦν εἰρημένων καὶ πεποιημένων. Ἔρρωσο.

NON admodum mihi placuit, quod in una quapiam epistola tua videris literarum causam velle deserere, posteaquam in aulam es cooptatus. Imo mea sententia nunc maxime patrocinandum est iis literis, quas tu per omnem vitam & adamasti vehementissime, & coluisti sic ut vix alius diligentius, & fortissime defendisti. Dabit hoc aulæ dignitas, ut nunc magis prodesse queas honestissimis studiis, præsertim merenti sub eo

Digitized by Google

An. 1519. eo Principe, cui cum primis videtur esse studio, ut hoc studiorum genus quam honestissimum reddat: fortasse nec otium negabitur absolvendis eruditissimis lucubrationibus, quas olim instituisti. An tu mediocre præsidium existimas paratum nostris studiis, posteaquam *Morus* & *Ricardus Pacæus* regio famulitio sunt adscripti? *Thomas Linacrus* otium ad edenda, quæ nunc partim vides edita, quod domi desiderabat, in aula reperit. Permagni refert, in quam aulam immigres: nunc video tales, ut præ his ipsæ etiam scholæ frigeant. Tu modo fac paulisper assuescas, non dubito quin mox futurum sit, ut fatearis tibi calcar additum ad culturam Musarum: neque multum negotii fuerit, ut coalescas: iis luctandum est, quos tenues & obscuros recipit aula. Tu & clarus imaginibus, & re lauta, & literarum stemmatis nobilissimus in aulam venis, nec venis nisi rogatus ac pertractus. Quod si nobis esset aula similis, non dubitarem me illi committere, quamlibet reclamante valetudine atque etiam ætate. Rursum vale, *Budæe* charissime. Ut *Deloino* me excuses, qui non rescripserim, etiam atque etiam te rogo. *Ruzæo* respondi, quum Legatus ageret apud *Leodios*. *Lovanio*, Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCXCV.

*Erasmus Roterod. Petro Ægidio suo* S. D.

QUANDOQUIDEM in rebus humanis adeo nihil est perpetuum, ut ne diuturnum quidem aliquid esse possit, non perinde discruciari debes, optime *Petre*, quod patrem amiseris, quam gratulari tibi, quod talem habueris. Quæso te, circumfer oculos tuos per omnes familias tuæ civitatis, ac teipsum consule, num alium patrem tibi deligere velles, etiamsi quis deus hoc largiretur, ut liceret. Aut ego fallor, aut non alium optares tibi, quam contigit. Et ille potest inter felices numerari, si quid omnino felix est in hac vita. Si beatum est diu vivere, pervenerat ille usque ad annum octogesimum, integris membris, vigentibus adhuc oculis, ut nec scipione, nec conspicillis ocularibus esset opus, vix prima canities cœperat capillorum nigrorem adspergere. Et quod est omnium felicissimum, quemadmodum est rarissimum, totus illi constabat animus. Quod si fortunatum est bonis avibus sortiri conjugium, & ea res illi bis successit: secundum autem hoc fuit felicius, quod optimo viro tot liberos optimos dedit. E quibus tam multos vidit, non modo superstites, verum etiam adultos omnes, & ad aliquem honestum vitæ gradum provectos. Et quemadmodum ipse sic universam ætatem egit apud cives suos, ut nunquam ullo fœdo rumore famæ candorem adsperserit, ita sic instituit suos omnes, ut nullus esset, cujus ipsum pœniteret aut puderet. Quid patre tuo sanctius? Quid matre integrius? Quam ille deamabat conjugem, quam illa venerabatur etiam maritum? Et tamen non semper ex optimis nascuntur optimi. Quam non fuit illi molesta mors, quum se videret in talibus liberis superstitem fore? Porro quoties mellitissimum nepotulum, filium tuum, *Nicolaus Nicolaum* exosculabatur, ne mori quidem sibi videbatur. Opes habebat non tam amplas, quam justas, &, quod his temporibus rarissimum est, sine fraude quæsitas. Artem delegerat, quæ citra dolum lucri tantum suppeditabat, quantum & alendæ familiæ, & pauperibus etiam, in quos erat liberalissimus, sublevandis sufficeret. Liberis reliquit, quod ad mundum victum cuique satis esset, etiamsi nihil aliunde accederet. Gessit magistratus aliquot civiles, gesturus majores ac plures, si quid ambisset. Quos gessit, ita gessit, ut nemini quicquam esset, quod de illo quereretur. Domesticam discordiam, non secus ac pestem aliquam exsecrabatur. Ac nec cum civium quoquam illi fuit unquam controversia. Tanta erat morum commoditas. Decedebat de suo jure potius, si videret concordiam aliter constare non posse. Nullus ex ore illius audivit unquam sermonem vanum, obscœnum, aut obtrectatorium. In tam frequenti civitate nullum habebat inimicum. Plerique defunctum non secus ac patrem lugebant, præsertim inopes. Quanta vero tolerantia pertulit acerbissimos cruciatus dierum complurium. Nulla enim mors violentior, quam quæ accidit ex obturatis urinæ viis. Moriturus nihil aliud mandavit liberis, quam concordiam & studium pietatis. Hæreditatem reliquit ita distributam, ut nihil referret, quis quam portionem delegisset. Nec ullus exstitit, qui diceret sibi deberi teruntium. An non ingratus merito videaris, si talem parentem lugeas? Fruere potius illius felici memoria, & ab hujus vitæ fluctibus in immortalitatis portum delato gratulare. Perge illum referre morum integritate, quemadmodum antehac fecisti, ac filium jam nunc à teneris annis ita fingito, ut avum, quem nomine refert, referat & vitæ sanctimonia, patrem ac patruum etiam eruditione. Jam nunc Euangelicæ Philosophiæ decreta, veluti lac animi, combibat. Jam nunc utriusque literaturæ semina hauriat, & parentem amabili balbutie, *Græce*, *Latine*que salutet. Sic tibi contingat, mi *Petre*, cum optima conjuge tua *Cornelia* feliciter senescere, & ex optimis liberis honestissimam capere voluptatem. Bene vale, amice incomparabilis. *Lovanio*, Anno 1519. An. 1519.

## EPISTOLA CCCCXCVI.

*Erasmus Rot. Thomæ Moro suo* S. D.

NAE ad istius exemplum perversissimo judicio videmus esse patrum vulgus. Corpori liberorum anxie prospiciunt, animi possessionibus neglectis, cum frustra, imo cum suo malo possideat opes, qui nesciat uti. De puero nec ago gratias, nec tu novi quicquam fecisti, cum nunquam non sis tui similis. De *Lodovici Vivis* ingenio gaudeo meum calculum cum tuo consentire. Is unus est de numero eorum, qui nomen *Erasmi* sint obscuraturi. Nec alii tamen magis faveo, & te hoc nomine magis amo, quod huic tam candide faves. Est animo mire Philosophico. Heram illam, cui sacrificant omnes, litant perpauci, fortiter contemnit. Et tamen tali ingenio, talibus literis non potest deesse fortuna. Non alius magis idoneus, qui profliget Sophistarum phalangas, in quorum castris diu meruerit. Adero *Calets* si valetudo suppetet, ut amicis omnibus extremum complectar, ac vale dicam. Bene vale, amice incomparabilis. Anno 1519.

## EPISTOLA CCCCXCVII.

*Erasmus Roterod. Henrico Gruingio, Decano Embricensi*, S. D.

BREVIS epistola tua paucis me non pauca docuit. In primis virum esse te melioris literaturæ non vulgariter peritum: deinde singulari modestia atque humanitate præditum: postremo, bene volentem *Erasmo*, quem admoneas tam amice, neque male de ipso sentientem, qui tam simpliciter admoneas, nimirum intelligens, eum multum abesse ab ingenio vulgarium hominum, quos offendere solet officium, quo vix aliud præstari potest amicius. Quare posthac nomen tuum mihi scribetur inter selectos amicos. De loco mutato plane tuæ subscribo sententiæ, & primo quoque tempore sartietur, non sine honorifica tui mentione. Res agebatur per tumultum. Nec vacabat in tam vasto mari historiarum excutere singula. Debeo tibi, vir optime, plus etiam debiturus, si quod facis, facias frequenter. Bene vale. *Lovanio* 7. Martii, Anno 1520. An. 1520.

## EPISTOLA CCCCXCVIII.

*Erasmus Rot. Francisco Chiregatto, Protographei Apostolico*, S. D.

HUMANISSIME *Chiregatte*, si frater esses mihi, quæso quid posses amantius? Diploma mihi vehemen-

Digitized by Google

An. 1520. menter placet, sed nunc incertum, an hic sim diutius commoraturus, nam vocor in *Galliam*. Itaque ne quid huc mittatur, nisi literis meis significavero. Et fortassis intra menses paucos adero *Romæ:* interim cura, ut te offendamus alacrem. *Eduardus Leus* emisit in me librum, plenum conviciis, non sine dedecore meo, sed majore suo. Ei nunc respondeo, sed absque conviciis. Id in causa fuit, ut tibi scriberem parcius. Bene vale. Scio quantum debeam Reverendo Præsuli *Sylvestro* patrono tuo. Non ero ingratus, qua licebit. Rursum vale. *Antuerpia* 15. Martii, Anno 1520.

## EPISTOLA CCCCXCIX.

*Erasmus Roterod. Sylvestro Episcopo Wigornensi* S. D.

REVERENDISSIME Præsul, exspectabam ut me vocares ingratissimum, quod pro veteribus tuis in me officiis nullam retulerim gratiam. Nunc ô inauditam humanitatem, etiam pristinis tuis in me meritis, sane cumulatissimis, novos adjicis cumulos. Redditum est mihi exemplar diplomatis. Magnopere placuit. Nihil fingi potuit amantius, aut magis ex animi mei sententia. Sed hac de re, ne quid ad me mittatur amplius, donec scripsero, quo velim mitti: nam spero futurum, ut ipse *Romæ* sacras istas manus tuas deosculer, idque brevi, nisi *Caroli* nostri reditus adferat nobis nova consilia. Et scio, & memini quid debeam celsitudini tuæ. Sed si ea nosset quibus rerum procellis obruar, non solum daret veniam, verum etiam misereretur nostri. Si vixero adhuc annum, testabor me scire, quantopere tibi sim devinctus. Bene valeat tua sublimitas, cui me totum ut debeo ita dedo, dicoque. *Antuerpia* 15. Martii, Anno 1520.

## EPISTOLA D.

*Erasmus Rot. Card. Laurentio Campegio* S. D.

REVERENDISSIME D. Mitto libellum tuo nomini dicatum, qualecunque grati in te animi documentum. Quid facerem? Non dabatur occasio commodior. Sed in posterum, ut spero, dabitur. Nunc mihi cum monstris compluribus res est, non *Herculi*, sed semihomuncioni. Spero fore, ut ante paucos menses *Romam* olim adamatam revisam, nisi si quid novi consilii *Caroli* nostri ex *Hispania* reditus adferat. Faxit Deus, ut eos incolumes offendam, quos maxime cupio. Bene vale. *Antuerpia* 15. Martii, Anno 1520.

## EPISTOLA DI.

*Erasmus Roterod. Aloisio Marliano, Episcopo Tudensi*, S. D.

EX amicorum aliquot literis, neque vulgarium, neque levium, sed haud scio, an amoris nimium solliciti, cognovi isthic per nescio quos clancularios obtrectatores, subinde spargi novos rumores, ac suspiciones, me favere *Luthero:* mihique tribui nescio quos libellos maledicos, quos audio istic subinde novos provolare, aliunde alios. Scio temporibus his regnum esse calumniæ, nec ulla tempestate plus licuisse effreni maledicentiæ: sed tamen apud eruditos, cordatos & graves viros, inter quos te vel in primis numero, non oportet esse locum hujusmodi delationibus. Admonuerat me pridem tua prudentia, etiamsi memorem, ut ajunt, monebat, ne me admiscerem *Lutheri* negotio. Adeo me non admiscui, ut summis viribus obnixus sim, ne res in hunc locum progrederetur, quo minime volebam. Tantum initio priusquam viderem, quorsum tenderet *Lutherus*, non probavi seditiosos clamores apud populum. Suasi ut res inter eruditos libris transigeretur. Malebam *Lutherum* correctum quam exstinctum: aut si perdendus erat, malebam absque magno orbis tumultu confici. Hoc consilium etiam nunc probaret *Romanus* Pontifex, si pernosset quibus modis hic res geratur, & quo studio plurimæ nationes prosequantur *Lutherum*. Sed illud fuit commentum quorundam Monachorum, quibus non aliter charus sum, quam bonæ literæ, ut me volentem nolentem involverent *Lutherano* negotio. Qui *Luthero* favere videntur, modis omnibus conati sunt me in suas partes attrahere Qui *Lutherum* insectantur, conati sunt me in illius factionem propellere, passim in publicis concionibus debacchantes in nomen meum odiosius aliquanto, quam in ipsum *Lutherum*. Ego tamen nullis machinis à statu mentis dimoveri potui. *Christum* agnosco, *Lutherum* non novi, Ecclesiam *Romanam* agnosco, quam opinor à catholica non dissentire. Ab hac nec mors divellet, nisi illa palam divellatur à *Christo*. Seditionem semper exhorrui, atque utinam eadem mens esset *Luthero*, ac *Germanis* omnibus. Video in plerisque regionibus *Cisalpinis* plurimos esse, qui fato quodam favent *Luthero*. Ac mire fit, ut *Lutherum* hostes sublevent, ipse vicissim hostes, quasi mutuo colludentes. Nemo magis officit *Luthero*, quam ipse sibi novis subinde & odiosioribus libellis. Rursus quidam tam indocte, tam stulte, tam seditiose vociferantur apud populum, ut & seipsos faciant omnibus invisos, & *Lutherum* commendent affectibus hominum, & Pontificis causam gravent, quemadmodum solent gravare clientem mali patroni. Laudo eos qui favent *Romano* Pontifici, cui nemo pius non favet. Quis enim non faveat ei, qui proximus imitator *Christi*, totum se impendat saluti populi *Christiani?* sed optarem illi cordatiores patronos. Isti nihil aliud quam esuriunt *Lutherum*, nec mea refert, elixum malint, an assum. Certe quod me negotio admiscent, quod ad me nihil attinet, & impie faciunt, & parum prudenter: citius enim *Lutherum* conficerent me non admixto. Atque hac in re cogor in *Aleandro*, viro alioqui tum humanitate non vulgari, tum eruditione singulari prædito, desiderare prudentiam tam periculoso negotio dignam: si modo vera sunt, quæ de illo scribuntur ac prædicantur. Fuit olim inter nos arctissima familiaritas, commendavi eum proficiscentem in *Galliam* literis meis, ubique apud omnes de homine honorificentissime prædicavi, etiam scriptis: suspexi doctrinam hominis, mores amavi, quanquam eos habet ille suos, nec male videbatur convenire inter utriusque genium. Habebat in mandatis, ut modis omnibus eos etiam pelliceret, qui ante fuissent factionis *Lutheranæ*, tantum aberat ut summus Pontifex quenquam innoxium cuperet alienari. Sed hujus ingenium, per se non inhumanum, alio perpulit quorundam instigatio. Atqui commodius illi successurum erat *Lutheranum* negotium, opinor, si suos favores cum meis conjunxisset. Habuisset in re pia fautorem: in re Pontificis, certe non adversantem. Jactitant *Lutherum* hausisse pleraque ex libris meis, quid hoc mendacio impudentius? cum primus statim articulus refellat manifestariam istorum vanitatem. Ubi significo, quicquid agimus esse peccatum? ut ne commemorem innumeros alios, quibus affine nihil omnino reperitur, ne in ludicris quidem meis. Et tamen olim hæretici ex Euangelicis & Apostolicis literis hauriebant sua venena. Interim loquor perinde, quasi ille scripsisset aliquid hæreticum, atque illud è meis scriptis hausisset. Dicitur non agnoscere quosdam libellos: fortasse saperet si nullos agnosceret, siquidem hoc persuadere queat: sed quibuscunque auxiliis ille scribit, certe in omnibus libris, qui illius titulo circumferuntur, non est ulla syllaba mea: hoc quamlibet sancte dejerare non dubitem. A multis jam annis, non mihi tantum perspecta est tua singularis prudentia, perspectus animus in me candidus & amicus, nota est omnibus tua auctoritas. Proinde te rogo, ut adversus istiusmodi malitiosas calumnias patrocineris innocentiæ nostræ. Excutiantur omnia, quæ secretissimis etiam literis effudi in sinum amicorum, fortasse liberius pro meo ingenio, quam expediat nonnunquam: excutiantur quæ inter pocula etiam solemus effutire: nihil comperietur, nisi me maluisse *Lutherum* correctum quam exstinctum, quum

Digitized by Google

An. 1520. quum adhuc spes esset fore ut sese verteret ad meliora. Et nunc quoque malim rem sopiri, quam magno orbis tumultu exacerbari. Mallem à malis bona secerni, quam odio quorundam, quæ mala videntur, optima perire. Postremo suadeo, fic esse vitandam *Lutheranam Scyllam*, ne præcipites eamus in *Charybdim* diversæ factionis. Hæc si videntur digna supplicio, habent reum confitentem. Ego certe non alio animo feci, quam ut consulerem, & *Romani* Pontificis, & Theologorum dignitati, & publicæ *Christianæ* ditionis tranquillitati. Nullum adhuc *Lutheri* librum, quamvis pusillum, legi totum: nullum illius paradoxum unquam defendi, vel joco. Quorundam indoctos & seditiosos tumultus, nec probo, nec quisquam vir probe cordatus hic probat. Quorsum tendant video, nimirum in exitium bonarum literarum & ad stabiliendam suam tyrannidem. Sic igitur fugio *Lutherum*, ut hos tamen probare non possim. Pauci sunt, sed hi multos concitant. Non damno ordinem, sed ipsi suo ordini pessime consulunt. Habes, ornatissime Præsul, totam animi mei tabulam, quod si quid isthic jactatur, quod repugnet religioni *Christianæ*, quod turbet publicam tranquillitatem, quod adversetur dignitati Sedis *Romanæ*, certo certius habeto, non esse profectum ab *Erasmo*, quocunque titulo circumfertur. Id ita esse tempus, nihil non proferens in apertum, olim declarabit: & nunc paratus sum quocunque argumento testificari, me nec unguem latum velle discedere ab iis, qui consentiunt cum Ecclesia catholica. Scio quidvis esse ferendum potius, quam ut publicus orbis status turbetur in pejus, scio pietatis esse, nonnunquam celare veritatem, eamque neque quovis loco, neque quovis tempore, neque apud quosvis, neque quovis modo, neque totam ubique promendam. Neque quenquam eruditum fugit esse quædam recepta, vel paulatim obrepente consuetudine, vel adulatione Jurisconsultorum recentium, vel temerariis definitionibus Scholasticorum, vel arte denique techniſque Principum, quæ præstaret rescindi: verum, illud erat prudentiæ *Christianæ*, sic tentare remedium, ne siniſtre tentatum morbum non tolleret, sed exacerbaret, ac pro morbo mortem acceleraret. Nec enim ausim pronunciare, an aliquo pacto *Christianis* probanda sit *Platonis* sententia, qui permittit sapientibus illis custodibus, ut populum ipsius bono fallant mendaciis, quandoquidem veris ac philosophicis rationibus contineri promiscua multitudo non potest, ne prolabatur in deterius. Illud semper cavi, ne aut tumultus essem auctor, aut novi dogmatis asseverator. Rogatus sum à multis ac magnis, ut me *Luthero* adjungerem: rescripsi me fore *Lutheri*, si ille sit in parte catholica. Rogarunt ut præscriberem fidei regulam, rescripsi me non nosse aliam fidem, quam Ecclesiæ catholicæ. Hortatus sum illos, ut se *Romano* Pontifici reconciliarent, & querimonias illorum dilui. *Lutheri* libellis primus omnium obstiti, ne excuderentur. Mox egi cum homine, ut abstineret à seditiosa scriptione. Semper enim hunc exitum metui, majora moliturus, ni me, præter alia, religio quædam deterruisset, ne forte imprudens repugnarem Spiritui *Christi*. Hortatus sum & hortor multos, ut abstineant à libellis famosis, præsertim anonymis, quibus tantum irritant animos hominum, male consulentes non solum *Christianæ* paci, verum etiam illi cui videntur favere. Monere possum, cogere non possum. Mundus plenus est officinis typographicis, plenus Poetastris & Rhetoristis. Quid isti tumultuentur, ut mihi in manu non est, ita iniquissimum sit mihi imputari temeritatem alienam. Atque hac sane in parte minus sum iniquus *Hutteno*, etiamsi supra modum discrucior, illud ingenium, illam in utroque genere dicendi felicem venam, non dedicatam esse felicioribus argumentis: siquidem is suam phrasim, suumque titulum ubique præferens, neminem alium gravat invidia, præterquam seipsum. Isti cum sibi fidem abrogant, dum ceu diffisi causæ, non audent addere verum nomen, tum innoxios eosque multos degravant invidia. Jam isthic adessem una cum illustrissimo *Ferdinando*, si certum scire potuissem vos adhuc esse *Wormaciæ*. Sed mirum quam hic nihil est certi, ne apud Proceres quidem aulicos. Bene vale, Præsulum decus, & aulæ Cæsareæ non infimum ornamentum. An. 1520.

*Augustino Scarpinello* scripsi pridem, ei quæso uti meis verbis salutem dicas, atque etiam *Severo* viro mitissimo, maleque respondenti suo nomini. *Lovanio* 25. Martii, Anno 1520.

## EPISTOLA DII.

*Erasmus Livino Algotio* S. D.

INCIDERUNT nonnulla præter spem, quæ reditum nostrum in dies compluſculos remorantur. Itaque quod iter ingressurus admonui, visum est rursum inculcare literis. Vide ne committas, ut absentia nostra te segniorem ad studia reddidisse videatur, quæ potius debet acuere. Nimirum quo plus tibi vacat temporis ab obsequiis, quibus præsenti soles inservire, hoc par est attentius incumbere literis. Hac certe spe te reliqui *Lovanii*, magis tuo commodo consulens, quam meo. Dabis igitur operam, ne me hæc fallat ratio, ac modis omnibus cavebis, ne quid reversus offendam, quo reditus meus minus lætus esse videatur, nosti illud *Terentianum*, *Ita ut sit domini ubi absunt*. Item illud: *Malo coactus, qui suum officium facit, tantisper cavet dum id rescitum iri credit: si sperat fore clam, rursus ad ingenium redit*. Illud te dignius est: *Is, quem beneficio adjungas, ex animo suum officium facit, præsens absensque idem erit*. Mihi semper placuit hæc *Mitionis* ratio, tuæ partes erunt adniti, ne me hujus animi pœniteat. Non aliter quam pestem fugito quorundam consortia, in quos vere competit illud *Menandri*, φθείρουσιν ἤθη χρηστ' ὁμιλίαι κακαί. A *Carini* latere digitum latum ne discedito. Is annis quidem haud ita multo major est te, sed ea morum integritate, tanta siti literarum, ut vix alterius convictu queas evadere vel melior, vel eruditior. Natura dedit ingenium felix; quo nomine ut tibi gratulari possumus, ita laudari non debes, ni naturæ bonitatem, veluti solum felix, tua excolas industria, dedecus ingens reportaturus, si tute tibi defuisse videaris. Neque te clam est quid abs te exspectent parentes optimi, neque nescis quid debeas *Marco Laurino*, qui te mihi prorsus affectu paterno commendavit. Ut ne commemorem interim quid mihi debeas, qui te semper habuerim non famuli, sed filii loco. Certe auget quoque exspectationem multorum, quod cum *Erasmo* familiariter convixeris. His omnibus non potes, nisi summo studio respondere, & nunc ætas est ut maxime docilis, ita laborum patiens. Alios à studiis arcet nummorum, librorum, aut præceptorum inopia, tibi quum nihil horum non suppetat ex amicorum benignitate, nisi talem te reddideris, qualem oportet, non erit quod prætexas, culpa omnis in te unum recidet. Hæc tam multa quum satis opinor inflamment te ad studium egregiæ probitatis atque eruditionis, tamen hoc quoque calcar addere debet animo non degeneri, quod *Lovanii* vides tot pueros, tot adolescentes, non minus feliciter quam ardenter ambire laudem literaturæ bilinguis. Postremo par est, ut gentis paternæ cognomento respondeas, ne, quod abominor, exsistant aliquando, qui πάγκαλον per jocum vertant in πάγκακον, unius elementi depravatione, ex *omnibono* (nam id sonat gentile cognomen) *omnimalum* facientes. Quin huc potius manibus pedibusque connitendum, ut hoc cognominis non fortuito, sed numinis alicujus consilio tibi contigisse videatur. Hæc tam diligenter admoneo, non quod diffidam ingenio tuo, sed quod iis, quibus vehementer ex animo bene volumus, etiam tuta timere soleamus. Si quid isthic allatum est literarum, quas intelligis non esse magni momenti, cas servato in reditum meum. Sin quid erit, quod prorogari non expediat, nec continget per quem certo mittas, ipse huc advolato. Bene vale. *Antuerpiæ* 13. Aprilis, Anno 1520.



Digitized by Google

## EPISTOLA DIII.

*Erasmus Rot. Thomæ Moro* S. D.

An. 1520. SPERABAM meas literas aliquid ponderis habituras fuisse apud *Brixium*. Sed ecce prodiit ac profstat hic *Antimorus* ejus, qui liber, vellem auctoris ipsius causa, cui faveo ob animum ejus vel in bonas literas, vel in me (quod ejus declarant scripta) propensum, aut perpetuo latuisset, aut certe *Brixius* fuisset imitatus tuorum epigrammatum modestiam ac civilitatem: quæ & ipsa tamen optassem nunquam potius essent edita, quam ut hic tumultus tragicus inter vos fuisset excitatus, non sine dispendio bonarum literarum: quas non video posse consistere, nisi adversus tam pertinacem barbarorum conspirationem illas defendat eruditorum numerus, junctæque umbone phalanges. Verum, quando fieri non potest, ut quod factum est fiat infectum, cupio vehementer, ut malum germen, quod parum faustis avibus enatum est, opera nostra curetur, ut si radicitus evelli non possit, saltem ne serpat latius. Quod ut ego, mi *More*, cupiam, non *Brixii* tantum causa, cui valde faveo, me movet: verum etiam, cui multo adhuc magis faveo, tua. Non quod arbitrer esse periculum, ne *Antimorus* ejus quicquam officiat famæ tuæ, quæ utinam non plus nocuisset ipsius: sed plane metuam, ne si tu respondendo talionem in illum regesseris, fiat ut quod nunc de illo sentiunt omnes, idem posthac de utroque sentiant. Scio quam difficile sit, ad tam aculeatum undique libellum respondenti temperare à conviciis: & tamen si quid eam in partem pecces tu, nemo qui te norit, tam facile putabit ignoscendum tibi, quam ignoscet *Brixio*. Nam ut nihil interim de utriusque eruditione dicam, tua certe conditio, tua dignitas, ac rerum usus exigit, ut ejusmodi rixas non minus ineptas, quam virulentas, negligas potius, quam ut conviciis accurate retalies. Audio quotidie quid post editum libellum eruditi loquantur de *Brixio*: quæ ut de illo non libenter audio, ita de te multo minus audire velim. Quamobrem quum sentiam, quam arduum sit tam virulento libello lacessitum, sic attemperare responsum, ut nihil indulgeas affectibus: optimum certe censeo, si rem totam, ita ut meretur, negligas, atque contemnas. Neque vero hoc tibi consulerem, optime *More*, si quicquam esset in *Antimoro*, quod tibi sic labem adspersisset ullam, ut operæ precium sit eam curare abstergendam. Sed omnia plane sunt ejusmodi, ut inter legendum quisque respondeat sibi. Nam omnes vident *Brixium* id in te reprehendere, quod tam temere tamque præpropere ederis tua epigrammata, quæ tu nec adhuc edidisti: cum pleraque tibi ante annos plus viginti scripta sint, omnia ferme ante annos decem. Vident illum vellicare pro erratis tuis, quorum alia sunt exscribentis, alia typographi, & in his pleraque talia, ut nisi damnatis summis auctoribus reprehendi non possint. Vident epigrammata tua, quæ feceras in *Chordigeram*, jam olim esse scripta flagrante bello: nec fuisse causam *Brixio*, ut nunc tot annis post initam & confirmatam pacem, bellicum tumultum renovaret. Vident *Brixium* in Epitaphio *Abyndonii* ludere manifesta calumnia dissimulantem quod dissimulari non potest, illic opera data affectatam carminis ineptiam. Cæterum qua parte insectatur id carmen, quo tu gratularis auspiciis regnum ineuntis Principis, usque adeo nemo doctorum in *Brixio* non desiderat animi calamique moderationem, ut ego non pessimus, ut scis, amicorum patronus, haud alium inveniam colorem illius excusandi, quam quod ita senserit *Britannicarum* Rerum ignorantia: quas si compertas habuisset, neque scripsisset ea, & vel iratus fuisset fassus, Regem abs te laudibus vere regiis magnifice laudatum esse. Hæc, mi *More*, cum omnes & sentiant, & fateantur, quid restat causæ cur te torqueas respondendo, hoc est, rem, quod ajunt, actam agas, non alio fructu, quam ut venias in periculum, ne famæ jacturam, quam nunc solus apud A eruditos patitur *Brixius*, tibi facias aliqua ex parte communem, si forte (quod haud facile vitare possis, ubi calamus, ut fit, incaluerit) respondeas inclementius, & convicia repensis conviciis. Non minima portio tuarum laudum est, ingenii lenitas, perpetuaque morum suavitas, unde nolim ego quicquam decedere. Sin tibi decretum est diversa ingredi via, (nam audio librum tibi adversus eum jam in manibus esse) velim te excusso tantum, & malevolentiæ crimen, provocatoriæque petulantiæ, sic abs te depellas, ut in adversarium non regeras, ac ratione pugnes, non jurgiis, illius invidiam tua cumulaturus modestia: tamen, ut sic quoque rem geras, multo certe malim tacere te, utque tota res obliteretur silentio. B Quod ut ilico fieri non potest, ita paulatim poterit, te ut spero volente. Scripseram *Brixio*, ut *Antimorum*, quam tum audiebam eum meditari, premeret: & si fuisset in tabellario diligentia, persuasissem, si vera scribit *Brixius*. Verum (quod ex ejus responsione vides) liber jam erat sub prælo, priusquam meam videret epistolam. Abs te vero, mi *More*, mihi plus profecto, quam à *Brixio* polliceor: cui cum videam persuasurum fuisse me, si meæ ad illum literæ veniissent in tempore, dubitare non debeo, quin abs te facile sim impetraturus, ut mea causa tantum impetres ab affectibus tuis, ne eum, qui & me amat, & viciissim amatur à me, magis etiam oneres novis libellis. C Ab alterutro proficiscatur oportet hujus contentionis finis, nisi litem alterna reciprocatione perpetuam esse velis. Et tua dignitas, tuique mores hoc postulant, ut abs te potius sit hujus rei initium. Crede mihi, mi *More*, tametsi *Brixius* hac in re ita se gessit, ut nunc fortassis etiam ipsum pœniteat, & si res esset integra, non sit facturus: neque enim quisquam tam felix est, ut omnibus horis sapiat: tamen is est, quem si nosses propius, hominis tum ingenio, tum literis delectareris, neque quenquam alium facile reperies, quem judicares amore tuo digniorem. Neque debes ab omnibus tam sedatos affectus exigere, quam omnes ferme pro cæteris factis tuis, proque spectata jam diu prudentia prorsus exspectant abs te. D *Brixius* quanquam in *Chordigera* sua quædam scripserat, in quæ tu lacessitus prius, jure potueris acerbius etiam, præsertim ut tum res erant, rescribere: tamen postquam epigrammata tua lepore quodam omnibus ablandientia, omnium risus excitassent in illum, mirari non debes, si juvenis natura vehemens, famæque appetens, aliquantulum à consideratione sui facti dolore quodam animi totus in tuos versus aversus, sibi putavit injuriam fieri, quam se non animadverteret, neque merito, nec idoneo tempore vindicare. Scio te non tanti facere paucula illa epigrammata, quæ lusisti in illum, quin pati possis, ut in meam gratiam aboleantur, qui nisi monuisses sero, E hoc tua sponte curabas olim, quum totum librum non libenter audires proditurum in publicum. Igitur efficiam, ut è tua voluntate, cum posthac excudetur liber, omittantur illa, atque viciissim, ne propagetur *Antimorus*: ita fiet ut si nihil accedat alimenti, ignis iste paulatim emoriatur. Quod si tam obfirmato animo decrevisti litem hanc persequi, tamen per amicitiam nostram, neque novam, neque vulgarem, precor etiam atque etiam dispicias, ut rem tractandam putes. Ego, si detur optio, te (ut dixi) tacere malim, ac rem plane contemnendam contemnere. Id si fieri non potest, quod proximum est optarim, ut quod & hactenus abs te curatum est, eruditione tantum & causa, non etiam maledicentia vincere pergas: ut quoniam F alterum amicum habere me video, nonnihil hoc infelici casu mutilum, alterum saltem, qui mihi sic est charus, ut unum omnibus habeam potiorem, possim perpetuo servare integrum, felicior futurus, si utrunque liceat. Etenim quum nihil sit homini precio sius fido bonoque amico, par est nullius rei jacturam quam amicitiæ ducere graviorem. Hæc scripsimus in mediis turbis, in quibus nos non ignoras versari. Bene vale, amicorum sinceriſſime. *Antuerp.* 26. Aprilis, An. 1520. An. 1520.

EPI-

Digitized by Google

## EPISTOLA DIV.

Bilibaldus Pirckheimerus Eraſmo Rot. *S. P. D.*

An. 1520. SVVM *officium facit affinis iſte meus*, Eraſme *amiciſſime, quod te colit, ac ſubinde meo nomine ſalutat. Probe enim novit qua te proſequar benevolentia, poterimus ejus opera in mittendis literis uti, qua neſcio quo fato, aut tardiſſime redduntur, aut etiam penitus intercidunt. Diu enim nullas abs te accepi, quamvis ipſe aliquoties ſcripſerim, & niſi ex Epiſtolarum tuarum farragine te mihi reſpondiſſe deprehendiſſem, ne nunc quidem id ſcirem. Quam vero fideliter & mea tibi reddita fuerint, vel* Alamiri *noſtri diligentia ſatis declarat. Caterum inſulſiſſimam invectivam* Eduardi Lei *legi, imo verius vidi. Quis enim ſuſtineat legere librum tam ſine mente, ſine fronte, ſine literis, ſine omni dote humana? Legi & tuam* Apologiam, *qua tamen pollicetur reſponſionem ad illius annotationes. Scire cupis quid ſentiam? Vellem omnino tacuiſſes, aut ita homini, ut dignus erat, reſpondiſſes. Sed periculum erat, ne ſilentio objecta videreris agnoſcere. Quaſi vero optimus ac doctiſſimus quiſque non confeſtim intellecturus fuerit cuncta, qua ille furioſus & impotens ſui evomuit, meras eſſe ſycophantias & impudentiſſima mendacia. Habet ſuam faciem veritas. Et iſte rabioſulus adeo apud ſe non eſt, ut ipſe frequenter prodat ſeipſum. De improbis vero & mendicis, nulla tibi debebat eſſe cura. Quanquam qui inter hos ſunt paulo minus ſtolidi, ſentiunt ac damnant hominis prodigioſam arrogantiam, inſcitiam, ac virulentiam: quam exſecrantur etiam ii, qui tibi parum bene volunt, & indignantur propugnatori lævo, magis quam* Leo, *qui cauſam ſuam tam infeliciter egerit, ut ſatius fuerit quieviſſe. Utinam igitur poſteaquam tibi non eſſe ſilendum cenſueras, ementita & ficta modeſtia immodeſtiſſime reſpondiſſes, & cuncta rhetorices ſpicula contra tam purulenta ac tartareo veneno tincta convicia ſcelerati capitis diſtrinxiſſes. Sed volebas modeſtiæ memor eſſe, nec malum pro malo reddere, ſanum profecto propoſitum & à nemine bono non laudandum. Verum, ſi ita perpetuo feceris, quid tibi ab amulis exſpectandum ſit cogita, ſi viderint cuivis audaci ac ſtolido impune eſſe* Eraſmo *maledicere, & capiti tuo illudere. Quare te per tuam gloriam, ac per noſtram amicitiam obteſtor, ne poſthac quemvis rabulam reſponſione tua dignum cenſeas, aut ſi omnino reſpondendum duxiſti, non per teipſum, ſed per coquum quempiam, aut ſtabularium, reſpondeas. Agnoſce te ipſum, qui major es, quam ut cum talibus in eam paleſtram deſcendas, ex qua victor etiam nil niſi ignominiam referre poſſis. Quod ni ita feceris, ſycophantarum turba tandem obruare neceſſe eſt. Nunquam enim quieſcunt iſti, ſed aſſidue contra optimum ac doctiſſimum quenque, necnon veritatem ipſam debacchantur. Nec mirum, quo pacto enim benedicerent, qui nil niſi maledicere didicerunt? Quorum animus, ingenium, mores ejuſmodi ſunt, ut longe præſtet ab illis vituperari quam laudari, maleque quam bene audire. Caterum cum ſint infantes ipſi, ut animi veneno deſit oratio, cum ſint inertes, ut nolint interim abeſſe à ſuis voluptatibus, poſtremo cum metuant, ne minus colligant caſeorum, indies accreſcente adverſus eos orbis odio, non mirum, ſi quærunt talem hiſtrionem, qualis eſt* Leus, *qui perſonatus & inſtructus alienam agat fabulam, & infamem gloriam pramii loco ferat? Hunc oportet nec frontis habere quicquam, nec cordis, ſed tantum linguam effrenem, ac meretriciam procacitatem. Quo quidem in genere* Leus *iſte vincit omnes quotquot antehac prodierunt in proſcenium, quos tamen aliquot ſpectavimus inſigniter impudentes. Quis enim non intelligit, à quibus conſutus ſit iſte calceus? Sed* Leus *induit acturus pro multis fabulam, hoc eſt, orbi exhibiturus teterrimum monſtrum ex inſcitia, arrogantia, vanitate, virulentia, impudentiaque conflatum. In ſumma tale quale depinxiſti in libello, quo reſpondes* Latomi *dialogis, mira quidem brevitate, ſed ut nihil fieri poſſit abſolutius. Quencumque contemplabaris animo cum illa ſcriberes, certe tua deſcriptio aptiſſime congruit cum imagine Operis* Leici. *Et in hoc uno viſus eſt mihi aliquid humanæ mentis habere, quod agnovit imaginem ſuam. Scio te non imperitum eſſe pictorem. Sed nemo poterat* Leum *exprimere rectius, quam expreſſit ſeipſum. Totus ille ſibi placuit, & ſe totum expreſſit. Quod ſi tu prædicaſſes hominem ad inſaniam uſque glorioſum, uſque adeo ſibi placentem, ut miretur non verti in roſam, quidquid calcaverit, ſe unum admirantem, ſibi pulchrum, ſibi doctum, ſibi ſanctum, cum nulla omnino re bona ſit præditus, nec quicquam habeat in pectore, præter venena, quanquam veriſſima dixiſſes, tamen fortaſſis non omnes erant tibi credituri. Nunc ipſe* Leus *ſe talem expreſſit. Ego, mi* Eraſme, *plurimum fido tuæ ſimplici probitati, vix tamen eram crediturus tantum ſtultitiæ, tantum arrogantiæ, tantum fuci, tantum ſtoliditatis, tantum malitiæ eſſe in ullo pectore humano. Si tamen iſte* Leus *homo dicendus eſt, ac non potius teterrima bellua. Si quiſquam fuiſſet nequior, ſi quiſquam inſanior, hunt ſibi delegiſſent hujus provinciæ, quam jampridem agunt, proconſulem. Neque enim novum eſt quod agunt. Vetus hoc iſtis ſtudium eſt, inſignium virorum famam contemerare, & optima conantibus obſiſtere. Nam ut vetuſtiora pratereamus, qua pars orbis ignorat, quam perverſis, quam ſycophanticis, quam ſceleratis machinationibus vexaverint inclytum, & optime de* Germania, *optime de literis meritum* Capnionem? *Ut interim ſileam ſpurciſſima convicia, qua in eximium illum ac vere generoſum* novæ Aquilæ *Comitem, qua in nobilem* Huttenum, *denique in me, & omnes* Capnionis *amicos evomuerunt; quid non moliti ſunt in optimum* Jacobum Fabrum? *Nam qua adverſus* Lutherum *jampridem machinantur, forſitan tacere præſtat, ne me quoque, quod jam diu egere, ſub amicitiæ illius prætextu in jus rapiant, ac de crimine hæreſis cauſam dicere cogant. Verum, id nullus ignorat, eo temeritatis illos progreſſos eſſe, ut & Pontifici ſummo, ad quem præcipue hujuſce rei cognitio ſpectat, negotium hoc, quod eum tum in manibus habere ſciebant, extorſerint, & priuſquam ille ſententiam tuliſſet, hæreſeos condemnaverint auctorem. Caterum per Gratias quid aliud tot ſycophantiis, probris ac conviciis effecere, quam quod ſuam ſtoliditatem parem malitiæ traduxere, ſeque Deo pariter ac hominibus reddidere inviſos? Siquidem eo res illorum culpa deducta eſt, ut jam nihil magis placeat bonis omnibus, quam quod iſtis maxime diſplicet, iſque optimus eſſe videatur de quo ipſi peſſime ſentiunt. Macte igitur virtute, qui dignus ſis viſus, quem impuriſſimi ſycophanta per ſceleratiſſimum hiſtrionem* Leum *virulentis ſuis maledictis inceſſerent. Haud enim majori laude extolli poteras, quam ut talium ornareris vituperiis, nec unquam bonis & eruditis placeres, niſi* Leo Leique *ſimilibus indoctis hypocritis diſpliceres. Ne quid igitur,* Eraſme, *commovearis, ſi invidi & vere miſeri homines ſeipſos torqueant, & ſuo fungantur officio, idque faciant quod nunquam non faciunt. Talia enim veræ virtutis tibi jacta ſunt fundamenta, talem probitatis & eruditionis conſecutus es exiſtimationem, ut eam nullus livor, quamvis edax, valeat abolere. Tantos denique ac tales undique tibi conciliaſti amicos, ut etiam tacente te defendere, & à ſceleratorum rabularum injuriis & contumeliis vindicare poſſint & audeant. Sed te laudare deſinam, ne* Leus *rumpatur invidia, cui precor lentum ac longum exitium, quo digniſſimus eſt. Si tamen prius commemoraro, à quo crimine te nuper defenderim. Convenerámus plerique, ac inter cætera de te ſermo incidit. Cumque nonnulli te tuaque ſummis extuliſſent laudibus, ſanctiſſimus quidam, qui forte aderat, ex Mendicorum genere Theologus, laudes tuas admodum moleſte ferebat, ac ſubinde concutiens caput, neſcio quid ſecum cornicabatur. Id ſentiens rogo nunquid eſſet quod in te minus probaret. At ille vultu ad gravitatem compoſito, multa eſſe reſpondit, qua quis merito in te reprehenderet. Cum adigi non poſſet, ut unum proferret, tandem importunitate mea ſubactus, Tametſi decreveram ſilere, inquit, tamen quando me urges, ne quis me putet invidia ſtimulatum dixiſſe, quod dixi:* Eraſmus *ille veſter, & quem tantis effertis præconiis, libenter comedit gallinas: idque non aliorum rela-*



An. 1520.

An. 1520. *tu, ſed eum hominem* Baſileæ *cognoviſſem, duobus hiſce oculis conſpexi. Tum ego, Furtivas ne, an emptas? Emptas, ait ille. Longe, inquam, pernicioſior eſt vulpecula illa ſceleſtiſſima, quæ mihi quotidie è corte gallinas rapit, nec unquam perſolvit precium. Rogabam num veſci gallinis poneret inter flagitia. Maxime, inquit. Nam eſt gulæ vitium, & eo gravius cum aſſidue & à devotis committitur. Adjeci, forſitan diebus quibus fas non eſt. Non, inquit, ſed nos ſacros viros ab omni epularum lautitia abſtinere decet. Atqui, bone Pater, ni fallor, inquam, haud farre, aut hordeo tantum ſaginaſti aqualiculum, (nam obeſior erat) & ſi gallinæ, quibus ventrem farſiſti, adhuc pipare poſſent, vel exercitus ac tubarum ſtrepitum vincerent. Vide quam ſtrenue impiam ac nefariam defenderim ὀρνιθοφαγίαν. Sed tu me forſitan nugas agere exiſtimas, ego tibi etiam per ſanctam hypocriſin me vera ſcribere paratus ſum dejerare. Sed ne cuncta tua laudare videar, habes quæ & ego non injuria reprehendam. Nempe quod* Leo *tam divino viro fueris impedimento, quo minus ſemeſtri tempore, ſomniando, ſeu potius paſtoris illius inſtar bibendo, literas* Hebræas *&* Græcas *omnes devorarit. O felicem Eccleſiam, ſi illi ſuum dulce ocium reliquiſſes. Nunc, opinor, habet quod agat in extremam uſque ſenectam. Sed oportet nos eſſe faventes homini, quibus nonnihil laudis alicubi viſus eſt adſpergere. Quod niſi agnoverimus, vereor ne nos omnes appellet mortalium omnium ingratiſſimos. Quare noſtrum erit quotannis* Leico *nomini, aliquo panegyrico gratificari, donec fateatur officium hoc eſſe ſatis abunde repoſitum. Quod in ſuperiorem* Germaniam *te venturum eſſe ſignificas, multis de cauſis probo conſilium. Nam præterquam quod hic minus à talibus veſpis, qualis eſt* Leus, *infeſtari poteris: non ſine ingenti animi oblectatione conſpicies, quales quantoſque undique tibi conciliaveris amicos. Invitarem te ut primum ad nos accederes, niſi hic peſtis recrudeſceret, egoque fugam circumſpectarem. Sed brevi deſituram ſpero: nam ſumma diligentia occurritur malo. Sub* Caroli *Regis adventum te exſpectamus: interim lues graſſari deſinet. Ex veteri enim inſtituto primus novi Regis conventus hic celebrari conſuevit. Oſtendi* Alamiro *aliqua noſtra cubicula, quibus te accipiam, non inamœna; ipſe regia eſſe dicebat. Quin & hoc polliceor, ultra gallinas gallos gallinaceos, filios ac filias gallorum me abunde appoſiturum. Tu interim bene vale,* Eraſme *amiciſſime. Etiam atque etiam memineris, te longe feliciorem eſſe contumeliis invidorum, quam laudibus amicorum, quas nunquam tam agre ferrent iſti, niſi certo certius cognoſcerent, te eruditione ac probitate immortalitatem etiam viventem induiſſe. Iterum vale.* Norimberga 30. *Aprilis, Anno* 1520.

*Tuus* Bilibaldus Pirckheimerus.

*Cum hæc ſcripſiſſem, certior factus ſum,* Oecolampadium *noſtrum vigeſimo tertio Aprilis Monachum eſſe factum in monaſterio Servatoris juxta* Auguſtam, *Ordinis* S. Brigidæ, *in quo mulieres primas tenere conſueverunt. Utinam ſibi rectius conſuluiſſet.*

## EPISTOLA DV.

*Eraſmus Roterodamus Thomæ Moro* S.

NON ignorabam, optime *More*, conſilium iſtud veſtrum, quantumlibet incommodum mihi, ab animo amantiſſimo proficiſci, atque ideo non potui non boni conſulere. Quanquam interim ſedulo teſtatus ſum vos *Leo* conſulere, non mihi. Perſpectum erat hominis ingenium, hujuſmodi Tragœdiis natum. Satis ardebat ſua ſponte, & tamen habebat qui quotidie oleum adderent camino. Ac ſæpenumero mecum admiratus ſum, vobis non itidem animadverſam *Lei* naturam, qui familiarius cum eo vixeritis. Nec unquam eam pacem accepi, imo cum pacificus ille *Pacæus*, optimo quidem animo, ſed conſilio mihi parum felici, reverſus è legatione *Germanica*, conaretur nos in gratiam redigere, pertinaciſſime reclamavi, teſtificans eam pacem nullum alium fructum adferre, niſi quem ego maxime fugerem. Nec enim alia re magis offendi à *Leo*, quam rumore libri adverſum me ſcripti, quem ille cum ſine fine jactaret, nunquam tamen ederet, paucis tantum juratis communicans, quo ſic me vocaret in invidiam, ut interim nec me doceret quicquam, nec ipſe poſſet refelli. Nec alia mea fuit oratio apud ipſum *Leum*, quam fuerat apud *Pacæum*. Sed quum perſpicerem vobis concordi conſilio ſic eſſe decretum, malui non ſervire meis commodis, quam pugnare cum animis veſtris. Etenim quum nunc talis prodierit liber, ut iis etiam modis omnibus diſpliceat, qui hactenus illi favebant, ut hoc organo in meam perniciem abuterentur: quos ludos nobis præbuiſſet ſacer ille liber, qui per paucos juratos amicos & craſſos Abbatulos circumferebatur, nec oſtendebatur, niſi initiatis, quum hic, in quo non ab uno adjutus eſt, tot ineptiis ſcateat? Cujus rei ſi libet facere periculum, confer hæc quæ edidit orbi, cum iis quæ ſcripſit ſelectis amicis. Sed hæc ſera jam ſunt. Cæterum, quod hortaris, ut meminerim *Chriſtianæ* modeſtiæ, ſane memorem mones: etiamſi non dubito futuros, qui modeſtiam hanc, vel ignaviam, vel formidinem, vel aliud quidvis interpretentur. Jamdudum aggreſſus ſum illi reſpondere. Exiit Operis aliqua pars, ea (ni fallor) docebit, me *Leum* magis vincere moderatione animi, quam eruditione. Ut hic mundus mihi gratiam referat, nec anxie poſtulo, nec admodum exſpecto. Verum, admiror quorundam dementiam, qui poſthabitis rebus omnibus, unum illud devotis animis agunt, ut quam minimum fructus è meis vigiliis ad ſtudioſos perveniat. Atque hunc vitæ ſuæ fructum opimum eſſe ducunt, ſi commodis omnium obſiſtant. Bene vale cum tuis omnibus, vir immortalitate digniſſime. *Antuerpiæ* 2. Maji, Anno 1520.

## EPISTOLA DVI.

*Eraſmus Roterodamus Richardo Epiſcopo Wintonienſi* S. D.

REVERENDE Præſul, quod *Eduardus Leus* tam manifeſtis convitiis debacchatus ſit in famam meam, dici non poteſt quam diſpliceat probis omnibus. Nec enim tam mihi nocuit quam omnibus bonarum ſtudioſis literarum, quorum utilitati deſudat hactenus noſtrum ingenium. Tot amicorum literis, tot monitis meis non potuit deterreri, quo minus ſuæ non minus quam meæ famæ maculam inureret. Exiit liber malis avibus, nonnullo detrimento nominis mei, ſed multo majore ipſius. Ad convitia reſpondimus moderatius quam vellent quidam. Ad argumenta ſic reſpondimus, ut ille nunquam ſit reſponſurus, ſat ſcio, & tamen ubique tempero à convitiis. Nec his contentus *Leus*, adornavit, ut ajunt, alterum libellum multo etiam virulentiorem, quem miſit *Lutetiam* excudendum. Non audit amicorum ſana conſilia, nec unquam finem facturus eſt, niſi tua auctoritate coerceatur. Atque utinam id eſſet factum antequam hoc incendium erupiſſet. Subornavit *Londini Cartuſienſem* quendam, opinor, nomine *Joannem Batmanſon*, juvenem, ut è ſcriptis apparet, prorſus indoctum, ſed ad inſaniam uſque glorioſum. Quod ſi *Leum* ab his furioſis tumultibus compeſcuerit auctoritas tua, non meis tantum ſtudiis conſulet, ſed etiam *Eduardi*, qui nunc & ſuum perdit ocium & meum. Bene vale. *Lovanio* 5. Maji, Anno 1520.

## EPISTOLA DVII.

*Eraſmus Roterodamus Beato Rhenano Sletſtadienſi* S. D.

QVOD ſcribis, optime *Beate*, verius eſſe video quam vellem. Sed illud demiror, cur ea potiſſimum efflagitent amici mei *Germani*, quæ me degravant invidia. Scis enim quam non dextris avibus exierint Epiſtolæ, quas tu primum edendas curaſti: at quan-

Digitized by Google

An. 1520. quanto pejoribus illa Farrago, cujus editionem partim extorsit amicorum flagitatio, partim ipsa necessitas: cum viderem accinctos, qui quod habebant epistolarum mearum vel invito me essent publicaturi. Atque id facturos sese jam palam literis ad me suis minitabantur. Quod ne fieret, fasciculo ad te misso, delectum atque etiam emendandi jus tibi credidi, si quid inesset, quod vel offecturum famæ meæ videretur, vel exacerbaturum vehementer cujusquam animum. Nec dubito quin tu sedulo pro tua in nos benevolentia sis amici sinceri functus officio. Et tamen illic etiam inventum est, quod apud quosdam plane tragicas iras excitarit. Quare decretum erat in totum ab hoc genere scripti desistere, præsertim cum nunc res undique miris tumultibus agitentur, ac multorum animi sic odiis sint exacerbati, ut nihil tam blande, nihil tam simpliciter, nihil tam circumspecte possis scribere, quod non rapiant in calumniam. Ego quum adolescens atque etiam virili ætate, plurimas scripserim epistolas, vix ullam tamen in hoc scripsi, ut ederetur. Exercebam stylum, fallebam ocium, nugabar cum amiculis, stomacho morem gerebam: denique nihil aliud hic fere quam ludebam, nihil minus exspectans, quam ut hujusmodi nænias describerent & asservarent amici. Nam *Senæ* cum essem, humanissimus ille *Piso*, qui tum Regis sui nomine Oratorem agebat apud *Julium* Pontificem, reperit apud bibliopolam quendam prostantem codicem Epistolarum *Erasmi*, sed manu descriptum, emit ac mihi misit. In hoc tametsi erant permulta, quæ fortasse non indigna videri poterant quæ servarentur, tamen offensus tam inopinato casu, totum, quantus erat, *Vulcano* dicavi. Huc reversus comperi similes libellos apud complures adservari, in aliquot exemplaria transfusos. Et hic quicquid à notis impetrare potui, *Vulcano* tradidi. Sed expertus sum tandem mihi rem esse cum excetra. Hoc igitur consilio paßus sum exire quasdam, ut vel satiati desinerent flagitare cæteras, vel ipsi certe desisterent ab edendi consilio, cum perspicerent me huic negocio manus admolitum esse. Ad hæc, exirent certe cum aliquo delectu, minusque depravatæ quam apud multos habebantur descriptæ: denique minus haberent aloes. Hoc consilio Farraginem recognovi; quædam explicui, quæ quidam siniστre fuerant interpretati; quædam expunxi, quibus animadverteram quorundam offensos animos, nimium profecto teneros atque irritabiles; quædam mitiora reddidi. Ac rursus horum temporum ratio fecit, ut me ejus consilii pœniteret. Jampridem magnis odiis flagrabant studia tuentium linguas ac bonas literas, & istorum qui stultissime sibi persuadent, suis commodis decedere, quicquid accrescit proventui melioris literaturæ. Mox *Lutherana* tragœdia in tantam exarsit contentionem, ut nec loqui tutum sit, nec tacere. Rapiuntur in diversum omnia, etiam quæ optimo scribuntur animo: ne tempus quidem perpenditur, quo scripsit aliquis, sed quod suo tempore recte scribebatur, transferunt in tempus incommodissimum. Proinde scripseram diligenter *Frobenio* nostro, ut hoc Operis mei perpetuo premeret, aut servaret in aliud tempus, aut certe in reditum meum proferret: Paraphraseon Opus acceleraret, quo neminem offendi adhuc comperissem. At ille, ut mihi quidem frequenter est, levæ mentis, omnibus ut scribunt posthabitis, Epistolarum Opus adproperavit, jamque me inscio ad quadragesimum primum senionem pervenit, neque quicquam remoratur editionem, præter præfationem & coronidem. Negat autem se diutius pressurum Opus, etiamsi ipse fortasse graver aliquid addere, citius emissurus ἀκέφαλον ac μείωρον Opus, quam tantam impendii jacturam accepturus. Scilicet mos homini gerendus est, & ipse fortasse famæ dispendium aliquod faciam, ut illius compendio consulatur. At quando quod volui obtineri non potest, tui, mi *Beate*, candoris erit, advigilare ut Opus exeat quam minima mei nominis invidia. Non satis memini, quas epistolas miserim. Atque ea gratia jussi, ut per juvenem eum, per quem misi priorem Novi Testamenti partem, remitteret quod excusum esset ex Epistolis. Quod quo consilio gravatus sit facere, non queo satis conjectare. Hac igitur in re, te per amicitiam nostram obtestor, eruditissime *Beate*, ut quod ego facturus eram, si licuisset, tu facias, vere alter ego: atque omnibus modis sic agas, ne isthic *Erasmus* abfuisse videatur. Neque vero te moveat tantulum damni, quod erit in aliquot chartis mutandis suscipiendum. Mihi totum istud quicquid erit dispendii volo imputari. *Frobenium* immunem esse jubeo. Ego lucrum esse deputo, quoties pecuniæ jactura, famæ consulitur. Pecuniolam illam facile sarciemus alicunde. Famæ laboranti non facile succurritur. Cui si nihil etiam immineret periculi, tamen arbitror animi esse Christiani, pro viribus adniti, ut sic studeamus omnibus prodesse, ne quenquam vel imprudentes offendamus. Fit autem hoc nescio quo meo malo fato, ut ab his ad quæ videbar natura compositus, in alium campum longe diversum me fortuna depellat, sive vitæ spectes institutum, sive studiorum genus. Etenim ne singula commemorem, cum viderer ad fusum hoc ac liberum orationis genus esse natus, quod in concionibus, consultationibus, aut etiam declamationibus adhiberi solet, in collectaneis proverbiorum, in scholiis & annotationibus bonam studii portionem contrivi. Cæterum ad epistolas scribendas, fortasse non ita valde videri poteram ineptus, verum alioqui multæ res erant, quæ me ab hoc genere deterrebant. Primum, si epistolæ carent veris affectibus, neque vitam ipsam hominis repræsentant, jam Epistolæ nomen non merentur. Quales sunt *Senecæ* ad *Lucilium*, atque adeo inter eas, quas olim scripsit *Plato*, quasque ad Apostolorum (ut apparet) imitationem, scripserunt *Cyprianus*, *Basilius*, *Hieronymus*, *Augustinus*, perpaucæ sunt, quas non libros rectius appellaris quam Epistolas. Porro, quas nobis reliquit, nescio quis *Bruti* nomine, nomine *Phalaridis*, nomine *Senecæ* & *Pauli*, quid aliud censeri possunt, quam declamatiunculæ? Verum autem illud Epistolarum genus, quod mores, quod fortunam, quod affectus, quod publicum simul & privatum temporis statum, velut in tabula repræsentat, cujus generis fere sunt Epistolæ *Ciceronis*, *Plinii*, & inter recentiores *Æneæ Pii*, aliquanto plus habet periculi, quam historia rerum nuper gestarum: periculosæ (ut inquit *Flaccus*) plenum opus aleæ. Proinde si quid edendum sit in hoc genere, nulli velim auctor esse ut ipse vivus edat, sed Tironi cuipiam hoc det negotii. Quanquam hic in edendis patroni fui monumentis, plus studii quam judicii creditur adhibuisse. Sive laudes, sive vituperes aliquem, non deerunt qui offendantur. Ut ne commemorem esse quosdam, qui ne laudari quidem sustineant libris editis: sive quod dedignentur à quovis nominari, sive quod vereantur, ne cui veniant in suspicionem φιλοκολακίας. Quo magis admiror divum *Bernardum* Epistolas suas evulgasse, in quibus tot nomina carbone notantur. Nunc si quis *Jacobitæ*, aut *Carmelitæ* meminerit, vel suppresso nomine, nisi multa cum honoris præfatione, res videtur digna lapidatione. Jam & illud est incommodi, quod ut sunt res mortalium, ex amicissimis nonnunquam redduntur inimicissimi, & contra, ut & illos laudatos, & hos doleas attactos. Postremo, ne famæ quidem auctoris satis consulitur, quod plerique ex una quapiam Epistola totum æstimant hominis ingenium, cum aliquoties scribamus uvidi, nonnunquam dormitantes, interim lassi, interim etiam ægroti, aut aliud agentes, nonnunquam alieno stomacho, frequenter ad ejus, cui scribimus, vel captum, vel judicium, orationis habitum attemperantes. Unde fit ut imperitis veniamus in suspicionem inconstantiæ, cum ea varietas, ætati, affectui, personis ac rebus in diversum mutatis, sit imputanda. Hæc cum alium quamlibet felicem ab edendis epistolis merito deterrent, me tamen illud peculiariter dehorta-



Digitized by Google

batur, quod cum mihi ſemper fortuna non ſolum hu- An. 1520.
milis fuerit, verum etiam conſtanter iniqua, neque is vitæ tenor, ut eam velim aut poſſim ab omni crimine vindicare, non erat cur vellem utriuſque multa ſupereſſe veſtigia. Atque hæc ratio fortaſſis & illos moveret, ad quos ſcribimus, qui quod per literas, velut in ſinum effutiunt amiculi, nolint omnibus prodi, cum ſint qui nati Gratiis iratis, nihil non interpretentur in pejorem partem. Sæpenumero fit, ut quod in convivio, aut inter candidos homunculos dictum, gratiam habet; ſi idem loco non ſuo dicatur, atroces excitet tragœdias. Hac quidem de cauſa pauciores admiſcuimus ex his quibus reſpondemus, & tamen aliquot adjecimus, præſertim eruditorum: partim quod me piguerit laboris, quem *Angelus Politianus* fere ſumit, in repetendo argumento Epiſtolæ cui reſcribit: partim quod ut addas argumentum, tamen aliquid lucis ac vitæ videtur deeſſe, ni prius legas eam, ad quam reſpondetur. Habes totius conſilii mei rationem. Nihil ſupereſt, niſi ut primum te rogem, ut in delectu animum iſtum vere amicum exeras: deinde ſuperos precer, ut tuum judicium, meumque obſequium velint eſſe felix, non ſolum mihi, qui ſodalium affectibus repugnare pertinaciter non poſſum, verum etiam illis, qui hoc obſequii, majore ſtudio quam judicio à nobis extorſerunt. Bene vale. *Lovanio* 27. Maji, Anno 1520.

## EPISTOLA DVIII.

*Eraſmus Rot. Alberto Card. Maguntino.*

SVBINDE motis alis iſthuc advolaturio, reverende Præſul, ac Princeps longe clariſſime, ſed ſemper aliquid oboritur quod hic me alliget. Exſpectatur indies *Carolus* noſter, adornatur ſub Calendas Junias congreſſus duorum Regum, *Galli* & *Angli*, mirifico ſane apparatu, admoneor, ne deſim. Interim umbram *Eraſmi* mitto, nam tuæ celſitudinis effigies apud me eſt. Minimum igitur abfuerit, quin totum habeas *Eraſmum*. Potiorem imaginem mei, ſi quid tamen mei probum eſt, habes in libris expreſſam. Corporis effigiem inſignis artifex expreſſit ære fuſili. Etiamſi quid adhuc ſupereſt *Eraſmi*, id totum ſibi ſuo jure vendicare poterit tua celſitudo, cui ſum & ſemper futurus ſum addictiſſimus, quæcunque corpuſculum hoc habitura eſt regio. Eandem florentiſſimam quam diutiſſime ſervet *Chriſtus* Opt. Max. *Lovanio* 14. Junii, Anno 1520.

## EPISTOLA DIX.

*Eraſmus Rot. Joanni Oecolampadio* S. D.

VTINAM tibi contingat, quod expetis, optime *Oecolampadi*, id ſi ſcirem, haberes me comitem, ſed vereor ne te ſequatur hoc tædium. Sic eſt vita mortalium, ab animo petenda eſt tranquillitas. Index in *Hieronymum* jam nimium nos torquet exſpectatus. Valetudini tuæ etiamnum ſuccurri poteſt, quando ætas eſt integra, mihi his laboribus immoriendum eſt: cui ſi fuiſſet vel paululum fortunæ cum hoc animo conjunctum, non impune ſic imponerent mundo, iſti, neſcio quid addam. Seditionem non amo. Cætera præſtabo pro viribus. Jam adeſſem in *Germania*, ſed remoratur me Regum conventus. Exſpectatur indies *Carolus*. Rex *Anglus* & *Gallus* adornant colloquium in litore *Caleti* ſub Calendas Junias. Monet *Cantuarienſis* ut adſim. *Lutheri* libri pene arſerant in *Britannia*. Nec erat remedium. Attulit remedium amiculus quidam humilis, ſed in tempore vigilans. Non ſum is, qui poſſim judicare de *Lutheri* ſcriptis. Sed hæc tyrannis mihi nullo pacto placet. Bene vale, chariſſime *Oecolampadi*. *Leo* reſpondi tribus libellis intra menſtruum fere tempus. Et obiter alia ſunt acta. Nunc aggrediar, imo aggreſſus ſum Paraphraſim in duas Epiſtolas *Petri*, hoc malo, quam rixari cum rabioſulis. Tædet me horum *Chriſtianorum*, imo *Phariſæorum*; ego malim eſſe *Publicanus* mihi diſpliceńs. *Lovanio* 14. Junii, Anno 1520. An. 1520.

## EPISTOLA DX.

*Clariſſimo viro Georgio, Haloini Cominiique Domino, Eraſmus Rot.* S. D.

MIHI vero vehementer jucundum fuit, quod animo nondum excidit amiculus *Eraſmus*, quem epiſtola quoque digneris vir tantus. Locus, qui te movet in *Moria*, quo ſenſu dixerim quædam vere eſſe, perſpicuus erit, ſi memineris fabulæ *Platonicæ De ſpecu, atque in hoc natis:* qui rerum umbras pro veris rebus admirantur. Quæ ſenſu comprehenduntur vere non ſunt, quoniam neque perpetua ſunt, neque ſemper eodem modo ſunt. Sola vere ſunt, quæ contemplatione mentis comprehenduntur. Id cum *Plato* multis locis inculcat, tum *Ariſtoteles* in libris rerum ultramundanarum teſtatur. Et *Paulus* Epiſtolæ ad *Corinth.* II. cap. IV. *Non contemplantibus*, inquit, *nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur temporalia ſunt, quæ autem non videntur æterna ſunt.* Ut autem omnium perfectiſſime eſt Deus, quia ſimpliciſſime eſt, longiſſimeque abeſt à craſſitudine rerum ſenſibilium: ita quæ ad illum proxime accedunt, veriſſime dicuntur eſſe. Sic verius eſt anima quam corpus. Quanquam autem Philoſophus abducens ſeſe à rebus ſenſibilibus meditatur contemplationem rerum intelligibilium, tamen iis non fruitur perfecte, niſi cum animus expeditus organis materialibus, per quæ nunc agit, totam vim ſuam exerit. Porro tametſi ſunt vires quædam, quas exercet animus per organa minus materiæ obnoxia, veluti cum intelligit, cum meminit, tamen dubium eſt apud Philoſophos, an mens, quam *Græci* vocant νοῦν, omnino quicquam agat in corpore, nullo corporis organo. Quod hactenus nemo tuo ſatisfacit animo, nec inter hos qui conſcripſerunt *De ratione parandæ linguæ Latinæ*, nec ex his qui nunc complures libris proditis teſtantur, quantum aſſequuti ſint in lingua *Latina*, fortaſſe nec ipſe *Cicero* ſatisfaciet animo tuo, ut non defuerunt, quibus *Maro* viſus eſt ſolœcus, & barbarus *Livius*. Ego nec hos probo, qui neglectis in totum præceptionibus, ex auctoribus petunt loquendi rationem: nec hos, qui præceptis addicti, non verſantur in evolvendis auctoribus. Præcepta volo eſſe pauca, ſed optima: quod reliquum eſt, arbitror petendum ex optimis quibuſque Scriptoribus, aut ex eorum colloquio, qui ſic loquuntur ut illi ſcripſerunt. Hæc via ſi cui non placet, non video quid ſuperſit, niſi ut ad magicas ineptias, & polygraphias ridiculas confugiamus: quas non videmus adhuc cuiquam uſui fuiſſe. Porro quod eorum, qui ſcribunt hodie, videtur impurior oratio, fortaſſe in cauſa ſunt aures eorum ad quorum judicium ſcribimus: fortaſſis quod ſubinde cogimur in barbaris auctoribus, quibus plena ſunt omnia, verſari: haud ſcio an & illud, quod orationi vere *Romanæ*, ne apud *Romanos* quidem, honos habeatur, atque ob id ſegnius huic rei datur opera. Alium anguem in herba latentem ego non video. Citius accederem tuæ ſententiæ, ſi quis exoriretur qui ſine ullis præceptis mere *Latine* ſcriberet. Adeſt iſthic *Ulrichus Huttenus*, linguæ *Romanæ* delicium, juvenis nobilis, eruditus, & humanus, cum eo melius hanc quæſtionem tractabis. Ipſe adero poſt biduum, ſi vires ſinent: nam à morbo vix adhuc ſatis firmus ſum. Ea res in cauſa fuit, ut hanc epiſtolam dictaverim, non ſcripſerim. Bene vale, vir clariſſime. *Lovanio* 21. Junii, Anno 1520.

## EPISTOLA DXI.

*Eraſmus Rot. Germano Brixio* S. D.

DVM curru vehor *Antuerpiam*, forte obvius eques quiſpiam *Anglus* tuas mihi literas reddidit, quas tu

An. 1520. tu tertias esse significas. Expostulas quod non rescripserim, sed gravius etiam, quod istuc me non receperim, & nisi me purgem gravioribus argumentis, vis in periculum venire me, ne videar exosos habere *Lutetianos* amicos omnes. Postremo non recusas cum *Moro* redire in gratiam, me quidem auctore, contentus hoc præjudicio meo, quod illum eruditione præcellas. Sic enim interpretaris verba quædam mea, nescio quæ, quæ scripseram ad *Beraldum*. Ad quæ ut paucis respondeam, (sic enim postulat temporis angustia) Si vidisses, eruditissime *Brixi*, quantum negocii mihi fuerit in refellendis, tum aliorum, tum *Lei* calumniis, si videres sarcinas epistolarum, quibus legendis aliquoties vix suppetit ocium, si laborem, quem assidue colloco B describendis, emendandis ac recognoscendis libris, sat scio, quæ tua est humanitas, facile veniam dares nostro silentio. Ad hæc accessit adversa valetudo, ex æstu contracta, quæ me graviter afflixit, & adhuc habet imbecillem, & aliqua ex parte sui juris. Deinde nullus occurrit, qui se diceret istuc iturum. Jam finge pigritiam in causa fuisse, quo minus scripserim. Non statim oportuit colligere, mihi exosos esse, quibus non respondeo. Omnes redamare possum, rescribere omnibus non possum. Vix alium sincerius amo quam *Budæum*, & tamen illius literis semel atque iterum provocatus, nondum respondi. Cæterum non minus mihi in votis erat frui dulcissima consuetudine *Budæi*, tua, *Beraldi*, *Deloini*, *Rusei*, *Ruellii*, *Lascaris*, *Pauli Æmilii*, *Cypriani*, quam vos estis cupidi videndi hujus corpusculi, uti scribis. Sed ex transverso repente incidit *Lei* tragœdia. Cui rei dandus erat fere sesquimensis. Ad hæc reditus *Caroli* nostri, quædam item negocia *Hispanica*, coegerunt me vertere consilium, non animum. Nec ita tamen sum pollicitus me venturum, quin hujusmodi casus exceperim, quos semper oportet tacite exceptos esse. Porro quicquid humanitatis mihi decreveratis præstare, non minus libenter debeo, neque minorem habeo gratiam, quam si jam usus essem. De dissidio, quod meo magno dolore tibi cum *Moro* incidit, decreveram accuratius ad te scribere, nam *Moro* jam hac de re scripseram non indiligenter. Verum, hactenus non licuit. *Beraldo* paucis scripsi, ne malum utcunque natum gliscceret in pejus. Nec tamen id factum est volente *Moro*, cui videbam usque adeo non esse formidabilem tuam *Antimorum*, ut quemadmodum scribunt, ipse eam curaverit excudendam formulis, idque suadentibus aliquot optimis simul ac prudentissimis amicis, inter quos nonnullos esse scio, qui tibi ante libellum editum favebant: nunc in diversum mutati, desiderant in te civilitatem, humanis literis dignam. Neque ideo volui rem inter vos componi, quod existimarem periclitari *Mori* famam, ob hujusmodi libellum, quem hic pene E nulli legunt; certe neminem adhuc audivi qui laudaret: aut quod diffiderem *Mori* viribus, si veniendum esset in certamen: sed quod existimarem hoc ad publicam studiorum dignitatem pariter atque utilitatem pertinere, si bonarum literarum mystæ inter se consentirent, nec abessent à Musis Gratiæ, præsertim cum tam acerbis odiis undique conspiretur adversus ordinem nostrum. Ocio *Mori* consulere volui magis quam famæ, siquidem major est ille omnium eruditorum calculis quam ut ejusmodi cavillatiunculis possit obscurari. Tuæ vero famæ cum primis consultum volebam, cui faveo non vulgariter, quamque indies in majus ac melius augescere cupiebam. Existimabam hoc & ad *Galliæ* quoque laudem pertinere, ex qua nihil adhuc prodiit, quod omnium judicio tantum habeat amarulentiæ, quantum tuus in *Morum* libellus. Provocavit te *Morus*, sed provocatus, sed tamen id fecit longe civilius quam tu respondes, quod tui quoque fatentur *Galli*. Et ille scripsit in bello, tu tot jam annis rebus pacatissimis, nec edidit tamen ille quod scripserat. Sed amicis extorquentibus indulsit, si modo recognoscerent. Nec mirum est in homine poeti-

A co, si veris affingat aliquid, attollendæ rei gratia, An. nec fœdum est admodum amore patriæ hallucinari. 1520. Hoc tantum tibi impingit *Morus*, tu quam atrociter hoc moliris, ut illum apud Regem deferas, veluti paternæ laudis suggillatorem. Nam quæ de carminis viciis notarat, non erant digna tragœdia. Jam non excutio qualia sint, quibus illum vicissim taxas, nec enim est animus cum amico *Brixio* depugnare, nec opus est *Moro* nostris præsidiis, cujus mihi potius est opus suppetiis. Imo ne judex quidem cupiam esse inter duos amicos, ne alterius jacturam cogar facere. Proinde magnopere miror, mi *Brixi*, quid tibi venerit in mentem, ut verba, nescio quæ, mea ex meis ad *Beraldum* literis sic interpretareris, quasi meo præjudicio, palmam eruditionis tibi detulerim. Ego cupiebam utrunque perpetuo amicum, nec erat consilium alterum alienare meo calculo, præsertim cum adhuc inter vos ferveret contentio. Non satis memini quid scripserim *Beraldo*, illud ausim dejerare, me nihil minus sensisse, quam quod tu interpretaris. Illud sentiebam, quando de literis certamen erat, non oportuisse aliam captare laudem ex eo certamine, quam ut eruditione vinceres, utique si posses. Ostendi quid tibi conandum fuerat, non quid esses assequutus. Quod si ego maxime tuam doctrinam *Morica* prætulissem, tamen arbitror te modestiorem, ac prudentiorem, quam qui velles agnoscere. Non pronunciavi uter esset doctior, C nec est necesse ut pronunciem, & haud scio an meum sit de *Mori*, tuaque doctrina censorem agere; quid alii censeant scio. Tua non admodum multa vidi, neque cominus eruditionis tuæ feci periculum. *Mori* plura legi, & cum eo fuit intima familiaritas. De illo sentio, quod nemo non sentit, qui pernovit hominem. Ingenium est prorsus incomparabile, memoria felicissima, dicendi facultas promptissima. A puero feliciter imbibit *Latinas* literas, *Græcas* juvenis, idque sub doctissimis præceptoribus, cum aliis, tum præcipue *Thoma Linacro*, & *Guilielmo Grocino*. In sacris Literis eo progressus est, ut nec magnis Theologis sit D contemnendus. Liberales disciplinas non infeliciter attigit. In Philosophia ultra mediocritatem progressus est. Ne quid interim dicam de professione Juris præsertim *Britannici*, in qua ille vix ulli cedit. Prudentia rara & inaudita: quas ob res Rex cordatissimus non conquievit, donec hominem ad penitissima sua consilia pertraxerit. Itaque, mi *Brixi*, plane friget cavillum illud tuum, quod subinde repetis, in *Morum*. Nullus est illi tam inimicus, quin prudentiæ laudem affatim tribuat. Nam quod ubique videri vis *Morum* ex alto despicere, ac velut pro delectamento habere, vereor ne parum probaturi sint graves & eruditi viri. Nam ut te numero inter eximios, ita non video qua parte *Morus* sit tibi contemnendus, sive fortunam spectes, sive naturæ dotes, sive ingenium, sive mores, E sive quodcunque doctrinæ genus. Et quo magis admiror *Mori* dotes, quod ego non facio solus, hoc magis cupiebam inter vos convenire, tua magis causa quam illius, imo mea quoque causa, ne qua res nostram amicitiam obnubilaret. Quod factum est infectum fieri non potest, cæterum optarim hoc quicquid est tumultus aboleri. Quod autem credis vix fieri posse, ut tua *Antimorus* obsolescat, aut ego plane fallor, aut nullus est iterum editurus, si tu conquiescas. Illud multis displicet, quod *Morum* rursus attigisti in præfatione quadam, cum ille ad tuum libellum nihil adhuc respondent. Sed ut finiam, optime *Brixi*, si vis me hoc F agere cum *Moro* ut jungat vos amnestia, pergam id facere, quod cœpi. Sin exspectas ut *Morus* tibi supplex sit, plane falleris. Ut illius animum sentio, feliciter gessero rem, si hoc ab illo impetrem, ut nolit te odiosius impetere, idque ut fiat, arbitror & ad communem studiorum dignitatem, & ad tui nominis honestatem pertinere. Quod adjicis animum ad res Theologicas, nostrasque Paraphrases habes assidue in manibus, non possum non probare tuum consilium.

Edi-

Digitized by Google

An. 1520. Edidimus proxima fœtura Paraphrasin in Epistolas *Petri* duas, & unam *Judæ*. Hoc agentem morbus oppressit, sed paulatim reviviscimus. Bene vale, *Brixi* doctissime. Saluta amicos omnes nominatim. *Antuerpiæ* 25. Junii, Anno 1520.

## EPISTOLA DXII.

*Erasmus Rot. Georgio Spalatino* S. D.

ALEXANDER, juvenis longe candidissimus, reddidit mihi tuas literas exoptatissimas, una cum duobus nomismatis, optimi Principis tui vivam imaginem nobis referentibus. Quo sane dono magis sum exhilaratus, quam si mihi misisset auri talentum *Atticum*. Ille se mihi misit argenteum & aureum, ego me vicissim illi mitto æreum. Utriusque meritis respondet materia. Quid enim in isto Principe non aureum? qui pro magnitudine animi plusquam heroica, contempsit ultro delatum imperium; qui pro singulari fide & integritate sua nullis præmiis vinci potuit, quo minus ei decerneret imperium, quem oneri ferendo judicasset unum omnium hujus ætatis Principum maxime idoneum; qui tantam auri vim à nostris oblatam pertinacissime respuit; qui mira quadam prudentia dexteritateque inaudita ditionem suam ornat ac locupletat, idque nulla finitimorum injuria, sed omnium potius publico bono: qui nova schola rem *Christianam* auxit, quam annis perpaucis ex rara frigidaque, omni linguarum ac literarum genere florentissimam reddidit, ea moderatione favens optimis studiis, ut tamen non sit veteris doctrinæ patronis quod de illo querantur. Ingratissimæ literæ, nisi hujus herois merita monimentis consecrent nunquam intermorituris. Debeo illi privatim permultum, sed multo plus publico studiorum nomine. Atque utinam ea felicitas mihi contingat in vita, ut inclytum Principem cum Academia florenti videre liceat. Ni fallor, hoc autumno sum aditurus *Germaniam*, adnitar invisere vos, si modo tuto liceat. Interim optimi Ducis imaginem inter ea reponam, quæ mihi sunt charissima, mecumque circumferam semper in deliciis habiturus. Scripsi nuper *Philippo Melanchthoni*, sed sic, ut eadem opera putarim me scripsisse *Luthero*. Precor ut *Christus* Optimus Maximus *Lutheri* stylum & animum ita temperet, ut plurimum adferat fructus Euangelicæ pietati, mentemque meliorem det quibusdam, qui cum ignominia *Christi* suam quærunt gloriam, qui cum illius jactura suum quærunt lucrum. In castris eorum, qui *Lutherum* oppugnant, multos video, qui mundum spirant magis quam *Christum*. Et tamen utrinque peccatur. Utinam *Huttenus* temperasset stylo suo, cujus ingenium amo unice. Optarim *Lutherum* ab istis contentionibus aliquantisper conquiescere, ac rem Euangelicam tractare pure, non admixtis affectibus, fortasse res aliquanto melius successerit. Nunc & bonas literas degravat invidia nobis exitiabili, ipsi infrugifera. Et periculum est, ne publica morum corruptela, cui nemo non fatetur opus fuisse publico remedio, ceu pestis exagitata, magis ac magis sese confirmet. Nec semper est proferenda veritas. Et magni refert, quomodo proferatur. Bene vale, vir optime, meque Principi tuo commendatum facito. *Lovanio* 6. Julii, Anno 1520.

## EPISTOLA DXIII.

Erasmo Rot. Hermannus Buschius *S. D.*

CONVENIT *me* Moguntiæ *famulus tuus, è* Basilea *reversus, ac continuo abiturus, à quo intellexi, me absente* Apologiam *tuam cum literis* Spiræ *mihi redditam, adversus* Eduardum Leum *hominem levissimum, hoc est, improbissimum, qui hoc ista egregia editione sua consequutus est, ut universis, quibus saltem aliquod hominis est cerebrum, maximo sit ridiculo, & in proverbium venerit, non minus quam* Scarabeus *ille, qui maximo suo malo* Aquilam *quæsivit: bis terque habeo gratiam, doctissime* Erasme, *quod me tuo isto elegantissimo munere dignatus es, utinam possem tam ulcisci nebulonem istum carnificem tuum, quam te amo,* Erasme, *videres procul dubio, ex ipsa scriptura non vulgare* Buschii *odium adversus hanc furiam, nulla certe alia quam tui causa. Sed ô diis gratia, quod tu non* Buschii, *sed nec cujusvis alius copiis ad tui defensionem indiges, satis superque unus domesticis auxiliis toti barbarorum factioni (nedum uni* Leo) *futurus.* Christus *te nobis sospitet, vir clarissime, publico omnium studiosorum bono natum, quod etiam ita facturum eum, tam certo mihi polliceor, quam ille maledicorum omnium certus erit ultor, & maxime eorum, qui sub nomine ac specie religionis nihil magis quam unum id agunt, quo veram omnem religionem evertant. Duos priores libros tuos jam legeram, forte apud* Wangiones *repertos, ex quibus animadverti te tertium adjecturum. Legam igitur avidissime cum domum rediero, & ideo quoque non paulo maturius repetam domum. Ex tempore hæc scripsi, alioqui nec meditatus satis probus scribendi artifex, quamobrem hic quæso censuram remitte. Vale athletice, in* Lei *omnium bipedum nequissimi pudorem, si modo ingenuitatis tantum is habet, ut pudere possit.* Moguntiæ *ex ædibus domini* Marquardi *de* Huttenstein, *viri nobilissimi, omnium studiorum, studiosorumque, & inprimis tui ac* Capitonis *amantissimi, qui me rogavit, ut quam accuratissime suis tibi verbis salutem adscriberem, seque tibi non secus ac summo cuipiam Pontifici reverenter commendat. Saluta etiam isthic* Nesenum *mihi, &* Martinum Dorpium, *quem totus nunc amo, postquam intellexi totum te amare. Sed jam satis est ineptiarum. Vale iterum.* Moguntia 7. *Julii ante exortum solem, Anno* 1520.

## EPISTOLA DXIV.

*Erasmus Rot. Matthiæ, Illustrissimi Saxoniæ Ducis Georgii à decimis,* S. D.

FELICITATEM istam tibi gratulor, vir ornatissime, qui tandem manumissus ab ociosis & odiosis aulæ negotiis, decreveris in optimis studiis consenescere. *Alberti,* Ducis bellicæ rei peritia clari, quondam adolescens nomen duntaxat accepi in *Hollandia.* Pridem quum apud *Anglos* agerem, *Georgii* Ducis mirificam quandam imaginem mihi depinxit illius Cancellarius. Atque cum hujus oratione mire consentiebant publicæ famæ suffragia. Porro *Friderici* Ducis virtutes plus quam heroicas, non solum ex nostrorum Principum prædicatione, verum etiam ex ipsius ad me literis ac xeniis nuper cognovi. Reddidit mihi *Henricus Epphendorpius*, rara indole juvenis, & ipsa fronte generis sui nobilitatem præ se ferens, tuo nomine tres argenti infecti massulas, ut è vestris venis sunt effossæ, quarum minima rubebat, maxima livebat, media pallebat. Majorem in modum me delectabat rei novitas, nunquam antea conspectæ. Tametsi, quod scribis me percupidum fuisse venarum vestrarum, scito mihi nunquam antehac in mentem venisse vestra metalla. In præsentia nihil est ad manum, quo tuam pensem munificentiam, nisi quod tibi mitto *Erasmum* plumbeum, ipse plus quam luteus, aut si quid luto vilius. Porro cur mihi tuum nomen invideris, admiror, quod in literis tuis nusquam adscriptum reperi. Hoc ubi nactus ero, inter amicos haudquaquam postremæ sortis adscribam. Bene vale. *Lovanio* 30. Julii, Anno 1520.

## EPISTOLA DXV.

*Erasmus Rot. Petro Mosellano* S. D.

REDDITAE sunt mihi literæ, quibus deploras editam epistolam tuam, ego vero non hanc tantum editam doleo, plus officit mihi studium quorundam *Germanorum*, quam odium hostium. Quæso, quorsum attinebat evulgare epistolam, quam scripseram Archiepisco-

Digitized by Google

An. 1520. piscopo *Moguntino?* Plus nobis sapiunt hostes, qui celant omnia, & clam conspirant, nos nihil tegimus. Adornatus alteram editionem epistolarum omnium, ne quis rursus excudat, ut excusæ sunt, quædam abjiciemus, quædam molliemus. Epistola, quam *Luthero* scriptam isthic ediderant, delata est ad *Leonem*: alia quædam loca ad alios descripta sunt, ut eos in me provocarent. Quis docuit istos Cacodæmones hanc artem conspirandi? Honorem istum tibi gratulor, & auctam fortunam gaudeo. De *Oecolampadio* sciebam ex ipsius literis. Principi tuo scribam, si dabitur ocium. Adorno profectionem in *Germaniam*. *Leus* nihil intentatum reliquit quo me subverteret, sed nihil illi successit: nemo probus apud *Anglos* mihi non favet. In superioribus literis tuis videbare nonnihil blandiri *Hephæstio*: sed is est unus qui *Noxum* instigavit, quique nunc est hujus Tragœdiæ caput, homo mire virulentus ac pertinax: tales esse solent qui emergunt è sterquilinio. Vidi quædam epigrammata scripta in *Leum*, sit sane dignus ille, vel suspendio, sed tamen malim argumentis per graves viros oppugnari hominem, quam istiusmodi convicijs. Bene vale. *Lovanio* 31. Julii, Anno 1520.

## EPISTOLA DXVI.

*Erasmus Roterodamus Hermanno Buschio* S. D.

MISERET me tui, doctissime *Buschi*, qui bonas horas in *Lei* meisque nugis male contriveris. Inter tot futiles libellos, quos nobis evomunt typographorum officinæ, dispeream si quicquam adhuc prodiit indoctius, aut etiam stolidius, denique virulentius. Rident hominem cum suo glorioso diuque jactato libello docti omnes, exsecratur optimus quisque etiam apud *Anglos*, nec ipsis germanis, quos habet eleganter eruditos, probatur. Displicet etiam his, quorum gratia hanc agit fabulam. Exsibilatur ab universo theatro, & tamen homo sibi pertinacissime placet, unus sibi plaudit, imo putat aleam pulchre cecidisse, quod cum *Erasmo* sit congressus, quod doctis ac bonis viris stomachum moverit, quod subito innotuit orbi. Habet Abbatem unum egregie stolidum, habet *Standicium* multis titulis insignem, primum Minoritam, deinde Theologum, postremo Episcopum, horum duorum suffragio contentus est. Abbatis nomen adhuc silebitur. Porro *Standiciani* ingenii gustum tibi dabo. Non cupit, opinor, ipse celari, quod publice magna hominum celebritate designavit. Concionabatur in cœmiterio divi *Pauli*, *Londini*. Cumque sermonem exorsus esset à charitate, subito pudoris omnis simul & charitatis oblitus, cœpit debacchari in nomen ac famam meam, testatus imminere *Christianæ* religionis παναλωσίαν, nisi novæ translationes omnes subito de medio tollerentur. Negavit rem diutius ferri posse, posteaquam *Erasmus* ausus esset corrumpere Euangelium divi *Joannis*, qui cum Ecclesia tot annis legisset, *In principio erat verbum*, nunc novam lectionem induceret, *In principio erat sermo*. Hic existimabat sibi datum esse telum, quod nullo pacto mihi liceret effugere. Addebat, *Augustinum* alicubi magis probare vocem *verbi*, quam *rationis*, & rationes adducere cur ita sentiat. Verum eas, inquit, rationes Græculus iste non intelligit. In hanc sententiam cum multa stolida & ἀπροσδιόνυσα deblateraſſet, cœpit homo facundus movere affectus, deplorare sortem suam, se cum esset tot annorum doctor, & hactenus semper legisset *In principio erat verbum*, nunc huc redigi, ut cogatur legere *In principio erat sermo*, suspicans fore, ut hac tam flebili querimonia lachrymas excuteret populo. Mox magnis obtestationibus obsecravit urbis præfectum, (nam is ex more aderat) magistratus omnes, & universam civium multitudinem, adesse in tanto discrimine religioni *Christianæ*. Credebat se divinitus dicere, & tamen nulli placuit. Quotquot aderant vel mediocriter eruditi, demirabantur hominis stultitiam: è vulgo quibus erat ingenium festivius ridebant illius nugas, nihil ad thema propositum pertinentes: qui natura erant severiores, indignabantur quod talibus blateramentis impleret aures plebis, multo aliud exspectantes. Evenit, ut eodem, opinor, die prandere[t] in aula regia. Id simul atque senserunt duo quidam, quorum alter cœlebs est, & sic linguarum trium, ac veteris doctrinæ gnarus, ut in *Scoticis* argutiis nemini cedat eorum, qui nihil aliud didicerunt, aut tractant in omni vita: alter conjugatus est, sed ingenio cœlesti, aulicus uterque: protinus accumbunt in eadem mensa, haud satis commodi commessatores *Standicio*. Nomina silebuntur ad tempus. Continuo ne quid temporis periret, sic ingressus est alter: Mihi perjucundum est, quod tua pietas cœpit operam dare legendis *Erasmi* commentarijs, nimirum captans hominem, qui si negasset se legisse, statim objecisset, cur igitur publice damnas quod non legeris? Id præsentiens *Standicius*, Fortassis, inquit, tantum legi, quantum mihi in animo est legere. Tum alter, non dubito, inquit, quin legeris: nam hodie nominatim etiam locum quendam taxasti, in Annotationibus illius in *Joannem*. Ille rursus ambigue respondit, subindicans tamen se legisse. Euge, inquit, aveo scire quibus argumentis, aut quibus auctoribus nitatur *Erasmus*. Nec enim dubium est, quin hujusmodi rebus fretus, sit ausus mutare locum. Hic cum ille teneretur medius, sic elusit impudens. Nihil moror, inquit, illius auctores, aut rationes, mihi satis est, quod scripsit *Augustinus*, Dei Filium aptius explicari per *verbum* quam per *rationem*, cum λόγῳ utrunque significet *Græcis*. Assentior, inquit alter, de *ratione*, sed quid istud ad *sermonem?* Nec enim *Erasmus* vertit *In principio erat ratio:* sed, *In principio erat sermo*. Tum ille, eadem, inquit, est vis *sermonis* & *rationis*. Imo longe diversa ratio est, inquit alter, & tu parum prudenter facis, qui nec lecto loco, nec intellecta re, sic debaccharis publicitus in famam viri de studiis bene meriti. Hic dejerat *Standicius*, quicquid dixisset, bono zelo dixisse se. Verum, non meminisse ubi Dei Filius in sacris Literis dictus esset *sermo*. Mox alter, At ego, inquit, qui nec Theologus sum, nec sacerdos, tibi redigam in memoriam, proferens illud, *Omnipotens Sermo tuus Domine*, &c. Fassus est homo, legi *omnipotens Sermo*, sed non legi, *In principio erat Sermo*. Risit omne convivium hominis acumen. Post hæc deflexit sermonem ad argutiam sophisticam, in qua statim ab altero exceptus est, qui *Standicium* non minus superat hoc doctrinæ genere, quam ille bonis literis est inferior. Ab hoc quoque cum esset dejectus, in sua ipsius arena, vide quo deflexerit: Si tibi, inquit, tantum est animi, age conscendito suggestum, & adversum me concionator. Tum ille, Non sum, inquit, tam stultus, ut hæc apud stultas mulierculas & indoctam plebeculam velim effutire. Quod si mihi videretur, non dubitarem publicitus docere, quod hodie concionatus es tu, semihæreticum esse. Hanc vocem cum abominaretur *Standicius*, alter pergens, Quod summus, inquit, Pontifex bis approbavit suo diplomate id palam hæreseos insimulare, utrum hoc hæresim sapit, an non? Cum ad hunc modum acceptus esset homo, tamen neque puduit, neque resipuit. Verum, aliquanto post apud Regem unice cordatum, apud Reginam fœminam juxta prudentem ac piam, adstante frequenti corona doctorum ac nobilium virorum, religiose procubuit in genua. Exspectabatur aliquid magni à Monacho, à tot annorum Theologo, ab Episcopo, denique à sene: ibi vernacula suæ gentis lingua, qua nonnihil valet, collaudatis Regis ac Reginæ majoribus, quod semper Ecclesiam Catholicam adversus hæreticos ac schismaticos religiose defendissent, hortatus, imo per omnia sacra obtestatus est eos, ut pergerent suorum progenitorum esse similes, adesse tempora longe periculosissima, prodisse novos *Erasmi* libros, quibus ni fortiter obsisteretur, deploratam esse *Christi* religionem. Hic,



Digitized by Google

sublatis in cœlum & manibus & oculis, cœpit obsecrare *Christum*, dignaretur ipse suæ sponsæ opitulari, si nemo mortalium succurreret. Hæc atque hujusmodi cum mira religionis specie dixisset, & forte adstarent utrique, à quibus ante sic fuerat acceptus in convivio, hunc ad modum ingressus est profanus ille. Collaudavit R. Patris tam piam ac religiosam orationem, & faceta imitatione nonnihil etiam de gestu *Standiciano* referens, precatus est Deum Optimum Maximum, ut quemadmodum loqueretur, ita & sentiret, nec animus ab oratione dissideret. Sed vereor, inquit, ne si res attentius excutiatur, comperiamus illum longe aliud agere, quam præ se ferat oratio. Simulque jussit, ut posteaquam injecisset eam sollicitudinem animis tantorum Principum, simul etiam indicaret, quænam essent in *Erasmi* libris, unde metueret exitiales hæreses, & pernicios schismata. Hic protinus homo confidens pollicitus est id se facturum. Et rem in digitos porrectos dispartiens: Primum, inquit, *Erasmus* tollit resurrectionem. Deinde nihili facit sacramentum matrimonii. Postremo male sentit de Eucharistia. Hæc oratio cum prima specie nonnihil commovisset animos religiosissimorum Principum, patronus ille meus ampliter collaudavit *Standicium*, quod distincte simul ac dilucide rem oculis subjecisset, nunc nihil aliud restare, quam ut probaret ea quæ belle proposuerat. Ille nihil etiam cunctatus, hoc quoque se præstaturum esse confirmavit. Et exorsus à pollice, Primum, inquit, quod tollat resurrectionem, probo sic: *Paulus* in Epistola ad *Colossenses* (nam adeo versatus est senex Theologus in *Paulo*, ut quod habetur in Epistola ad *Corinthios* priore, somniaret esse in Epistola ad *Colossenses*) scribit hunc in modum: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*: sed *Erasmus* hanc ecclesiasticam lectionem sustulit, & è suis *Græcis*, legit hunc in modum: *Omnes quidem non dormiemus, sed omnes immutabimur*. Palam est igitur ab illo tolli resurrectionem. Quis crederet huic homini esse cerebrum? In annotationibus recenseo diversam lectionem, nec ullam rejicio, quum auctorum probatissimorum aliam alii sequantur, iidem nonnunquam diversas. In contextu id verto, quod solum reperiebam in libris *Græcorum*. Jam cum resurrectio tot locis apud *Paulum* comprobetur, quid insanius dici poterat, quam sublatam esse resurrectionem, si uno in loco mutata fuerit vox resurrectionis? Nam symbolum fidei *Christiana* dum profitetur resurrectionem mortuorum, num ideo cogit omnes mori, ut resurgant? Quasi vero lex Pontificia dum jubet deponere officium, cui contigit Episcopatus, illud senserit, Cuicunque contigerit Episcopatus *Romæ*, ei, si non habeat, parandum esse officium, quod possit deponere. Verum, ubi patronus ille meus, re tota dilucide explanata, sic hominis stoliditatem oculis omnium subjecisset, ut idiotis quoque & mulierculis esset perspicuum, nihil esse peccatum à nobis: nec ipse Theologus, quamvis effrons, haberet quod contra hisceret: tamen quoniam juxta *Luciani* præceptum arbitrabatur ἀλγεῖν εἰώτων, ne tacitus omnino porrigeret herbam, fatus est esse verum, & hanc lectionem recenseri à veteribus orthodoxis, & nominatim ab *Hieronymo*, sed hoc, inquit, *Hieronymus* reposuit ex *Hebræo*. Audierat vir egregius, *Hieronymum* quædam ex *Hebræorum* fontibus restituisse in Vetere Testamento, & putabat idem habere locum in *Paulinis* Epistolis. Eam vocem *Standicii* non passus est perire cœlebs ille Theologus, cujus supra memini. Sed flexis nonnihil genibus, ac præfatus honorem, idque præter morem suum, Quæso, reverende Pater, inquit, ne gravare repetere nobis, quod modo dicebas: nam eram parum attentus. Ille stolidam vocem clarius etiam ac pluribus verbis deprompsit, laudem opimam ex eo dicto sibi pollicens. Hic alter quo redderet omnes magis attentos, Haud leve, inquit, proposuit argumentum *R. P.* Sed tamen conarer nonnihil respondere, si modo regiæ majestati non esset molestum audire. Mox Regina vellicans Regem, jussit auscultare; tum ille sic vultu composito, ut cogitabundus, & nonnihil perplexus videretur; Profecto, inquit, non satis video, quibus rationibus isti argumento possit occurri, aut quid responderi debeat pro ipsius dignitate. Neque enim opinor *R. P.* usque adeo delirare, ut existimet eas Epistolas primum *Hebraice* scriptas fuisse, cum pueri quoque sciant, à *Paulo Græce* scriptas esse. Quod autem fuisset illud *Hieronymi* consilium ex *Hebræis* voluminibus mutantis publicam lectionem, cum ex fontibus id fieri soleat, cumque nemo testetur has Epistolas ulli visas *Hebraice* descriptas? Atque eam rem satis per se stultam, atque absurdam, sic iteravit, sic impressit, sic infixit, sic inculcavit, ut Rex pro sua nobili humanitate, misertus tantæ stoliditatis, apud tales viros proditæ, sic hominis pudori succurreret, ut alio versus diversum sermonem injecerit. Sic triumphavit *Standicius* in primo capite. De reliquis nulla mentio. Dic mihi per Musas, optime *Baschi*, an putas ullum facinus esse, quod isti non sint ausuri, cum non vereantur perfricta fronte sic calumniari de nihilo, idque apud summos Principes, apud quos omnis obtrectatio debebat esse capitalis, tum in corona non vulgariter eruditorum hominum? Quisquis enim audiebat sublatam à me resurrectionem, imaginabatur à me negari, quod ego tot locis testor basim & caput esse nostræ fidei. Nec enim ulla in re diligentius versor, quam in asserenda corporum resurrectione. Non deerat homini nocendi voluntas, sed judicium non erat. Hæc tria tela sibi stulte delegerat, ut si persuasisset me male sentire de Eucharistia, clerum universum in me concitaret. Si de matrimonio, maritos & uxores, imo totum laicorum ordinem ad lapides animaret. Si de resurrectione, Principes ac populos omnes *Christiani* nominis in meum exitium armaret. At de resurrectione quod calumniabatur, res ipsa loquitur non modo vanum esse, verum etiam insanum. Porro matrimonio adeo non detraho, ut apud *Lovanienses* in publica schola Theologorum satis odiose notatus sim, quod in declamatiuncula quadam generis suasorii plus satis tribuerim matrimonio. Nam quod alicubi disputo, An divortio possit succurri male cohærentibus infelici conjugio, nihil facit contra matrimonii dignitatem. De Eucharistia nunquam, ita me Deus amet, quivi divinare quid sibi voluerit *Standicius*, cum mihi nulla unquam cogitatio venerit in mentem, nisi digna sacrosancto illo mysterio, tantum abest ut quicquam secus dixerim, aut scripserim. Atque hæc audet sacerdos in sacerdotem, Theologus in Theologum, senex in senem, præterea professor Apostolicæ vitæ, postremo reverendus in *Christo* Pater. Cæsareæ leges ita statuunt, ut calumniator, qui falso crimen intendit, isdem pœnis obnoxius sit, quas daturus erat delatus, si commeruisset. Hic tria crimina simul intendit, ut atrocissima ita falsissima, idque apud eos Principes, apud quos etiam de rebus compertis religiose loquendum esset. Ex quo facile est conjicere, qualia sint, quæ apud suos sodales in compotationibus deblaterant. Si quis *Ajacem* imitatus in porcos conviciis ac telis sæviat, hunc *Agamemnonem* appellans, illum *Ulyssem*, aut *Menelaum*, nemo post haberet fidem homini qui tam luculenter insanisset semel. At hic, qui tot ac talibus viris testibus sic insanierit, quasi re bene gesta, plaudit etiam sibi, magnaque auctoritate de causis fidei pronunciat. Quid autem refert utrum à morbo corporis, an ab animi vicio proficiscatur insania? Hoc est ab humoribus viciantibus organa animi, an ab odio, stoliditate, superbia, invidia, cæterisque malis viciantibus animi judicium. Et tales fere comperimus omnes istos, qui bonas literas impugnant, nunc *Capnionem*, nunc *Lutherum*, nunc *Romanum* Pontificem, nunc alia atque alia prætexentes nomina, sed eandem agentes fabulam, licet variatis personis ac scenis, non solum indoctos, verum etiam dementes. In *Standiciana* fabula ne syllabam quidem affinxi, quædam etiam prudens re-

Digitized by Google

An. 1520. reticui. Et hujus generis sexcentas possem referre. Sed unam addam in præsentia. quæ nonnihil ad hanc rem facit. Nomen interim tacebitur, etiamsi ille monitus à me, ut desisteret in meum nomen deblaterare, perrexerit sui similis esse: tacebitur & Ordo, est enim ex hoc genere, quod vulgo dicunt *Mendicantium*. Nam video totum Ordinem commoveri, si quis *Carmelitam*, aut *Dominicanum* attingat, haud etiam scio, stultius ne an iniquius. Nam qui minus totus sacerdotum ordo commoveatur, si quis narret se læsum à sacerdote, suppresso etiam nomine? Atque in hunc ordinem isti quotidie seditiosissime declamant apud populum, & suos ordines non patiuntur nominari sine honoris præfatione, ut si querar mihi pecuniam furto sublatam à *Carmelita*, totus Ordo mecum agat injuriarum. Atque hæc faciunt quidam, etiamsi quis verum dicat, imo veri partem aliquam, nec omnia referens quæ novit, & nomini interim civiliter parcens. Sed ut ad rem redeam: cum apud hunc Theologum, ac religionis professorem (ipse tacitus agnoscet me nihil mentiri) narrassem me majorem in modum admirari, quid *Standicio* venisset in mentem, cum me de Eucharistia calumniaretur, cum nihil esset in libris meis, unde posset ansa prehendi calumniæ, pollicitus est se locum indicaturum. Qua quidem ex re protinus intellexi, negotium hoc inter istos ex composito geri. Ego vicissim pollicitus sum, id quod præstiti, me demonstraturum locum non intellectum, si ille lectum ostendisset. Perlegit ille curriculo, sic ut sibi duntaxat legeret. Ac mox librum occlusum semovit, veluti jam constaret me scripsisse, non esse definiendum in synaxi esse verum *Christi* corpus: cœpit mecum argumentari, testans se nescio quid libelli etiam super hac re conscripsisse, unde speraret opimam gloriam. Negavi me adversus inanem aerem agere velle pugilem, nisi prius docuissem illi locum non intellectum. Juravit sic esse ut ajebat. At tanto minus ego credebam, maxime cum jam argumentis certissimis hominis insignem stoliditatem comperissem. Eorum unum atque alterum recensere fortasse non abre fuerit. Multis conjecturis suspicor huic à sui Ordinis [illegible]alibus datum negotium, ut ex omnibus meis libris enotaret, quæ possent arrodi: id sedulo conatus est homo prorsus ignarus *Latini* sermonis, & in literis Theologicis sane quam tenuiter eruditus, judicio nullo, arrogantia magna, ingenio tali, ut ni cuculla commendaretur, etiam vulgo pro morione posset haberi, toto vultu naturæ stoliditatem clamitante. Quodam igitur in loco cum excusans *Thomæ* lapsum, adjecissem virum indignum esse, qui in ea incidisset tempora, significans videlicet, atque etiam exprimens *Thomam* dignum fuisse feliciori seculo, cum ipsi nec ingenium, nec industria defuisset: noster Theologus gravissime de me questus est; clamitans blasphemiam non ferendam, qui *Thomam* tantum ac tam sanctum virum appellassem indignum: opinor si ipsum dixissem virum pistrino dignum, sibi laudi vertisset, quod virum dignum appellassem. Nec erat querimoniarum finis, donec incideret in Theologum quendam, qui cum *Latine* sciret, suspicatus id quod erat res, postularet sibi demonstrari locum, ac tandem ostenso loco risit affatim. Eaque res pene in vulgi fabulam exiit, & adagionem. Sed mecum coram expostulavit serio, quod alicubi viderer agnoscere libellos famosos. Id cum mihi videretur absurdum, qui sic abhorream ab hoc genere, ut nemo magis, & flagitarem, quonam argumento id diceret, protulit locum ex epistola ni fallor ad *Thomam Lupsetum* mea, in qua scripsi, quod libellum famosum aliquoties excuset necessitas. Existimabat me defendere libellum famosum prætextu necessitatis, sed tamen pro sua civilitate fassus est hoc aliquo prætextu defendi posse, quod addiderim *aliquando*. At non intellexit stolidus ille censor, me illic exaggerandæ rei gratia conferre detractionem quorundam, qui privatim & publice, mendaciis etiam incessant famam alienam, cum libellis famosis veluti cum facinore atrociissimo, plusquam capitali: & ex circumstantiis demonstro, illorum An. 1520. oblatrationem aliqua ex parte minus mereri veniam, quam libellum famosum, quod hunc aliquando excuset necessitas: veluti cum monendus, aut territandus est tyrannus, quem monere coram non sit tutum, cum tamen id sit è Republica: sed isti cum tuto possent admonere, tamen nec monito, nec audito me, famam incessant mendaciis. Itaque non illic magis faveo libellis famosis, quam faveret homicidio qui stuprum cum homicidio conferret, & ita conferret, ut diceret hac parte gravius esse cæde, quod homicidium non læderet nisi unam hominis partem, eamque deteriorem, stuprum & animum & corpus conspurcaret. Mox pollicitus est sese locum indicaturum, in quo pronunciarem, Virginem matrem conceptam absque peccato originali. Kursum promisi me declaraturum locum non intellectum, si ille lectum ostendisset. Et indicat locum, in quo cum adduxissem unum atque alterum testimonium ex *Chrysostomo* & *Augustino*, in quibus viderentur aliquo modo peccatum actus tribuere Virgini, his verbis claudo sermonem, *Et nos facimus eam immunem prorsus ab omni peccato*. Hoc illi visum est pronunciatorie dictum, cum intulerim nos non recte liberare eam ab originis peccato, si tanti viri recte tribuunt illi peccatum actionis. Atque hic errorem suum lubens agnovit, videlicet dissentiens à *Scoti* sequacibus. Post hæc ventum est ad locum longe periculosissimum, is est Epistolæ ad *Corinthios* prioris capite undecimo. Vix tandem extudi ut mihi liceret videre locum, ostendit, sed marginem manu prætegens, ea depulsa, scriptum reperi: Vide quam perniciose scribit hic de re, de qua toties pronunciavit Ecclesia. Vide, inquam, quam tu stulte scribis ista in locum non intellectum. Multaque cum admiratione sciscitari cœpi, quid illum offenderet. Prima pars habebat, *Thomam* opinionem eorum, qui negabant sub Eucharistia esse verum *Christi* corpus, hæreticam appellare. Cæterum eorum sententiam, qui negabant *Christum* his verbis consecrasse, *Hoc est corpus meum*, refellere quidem, at non appellare hæreticam. Rogabam nunquid hac in parte displiceret, negabat. Sequitur autem, in omnibus accedendum est judicio Ecclesiæ, licet hic sermo videatur non consecrantis, sed panem jam consecratum porrigentis. Rogabam ecquid hic improbaret, negabat. Sequitur, *Mihi in totum videtur consultius, de rebus hujusmodi, quæ certis Scripturæ sacræ testimoniis doceri non possunt, sed ab humanis pendent conjecturis, non adeo fortiter asseverare, ut nostram opinionem oraculi vice haberi velimus*. Rogabam nunquid hic reprehenderet, hærebat, urgenti tandem respondit venenum subesse in his verbis, *in totum*. Demiratus causam, vix tandem percunctando exsculpsi illum non intellexisse quid *Latinis* sonet *in totum*. Cum enim ego sensissem abstinendum esse à temeraria asseveratione, non solum in hac materia, verum etiam in omnibus cæteris, ille somniabat *in totum* significare, *in utraque parte*, quæ præcesserat, meque suggillare sententiam Ecclesiæ, quæ definisset in Eucharistia verum esse corpus *Christi*. Ego videns insignem hominis stoliditatem, admonui, literas ut disceret, nec pergeret taxare libros, à quorum intellectu procul abesset. Hujus generis fere sunt, qui oblatrant melioribus studiis, qui quicquid ipsi non didicerunt *poetriam* appellant. Insignis naturæ stupor, magna literarum insscitia, judicium nullum, quod si qua scintilla sit ingenii, si quid eruditionis, sic livore, odioque sunt obcœcati, ut minus videant quam talpæ. Et hi sunt reverendi Rabbini, *Sal terræ*, *lux mundi*, quorum arbitrio sumus *Christiani*, aut secus: qui nobis post Apostolos, novos dictant articulos fidei, qui sic nobis pronunciant oracula, veluti dii, nec dignantur nobis homunculis reddere suæ opinionis rationem. Sat habent dixisse, *Error est*, *suspectum est*, *hæresis est*. Et hæc audent freti conjuratis suis phalangibus, freti populi stultitia, freti temporibus his, in quibus adeo licet audacia pro sapientia uti, ut non alias magis, freti corruptis animis utriusque



Digitized by Google

An. 1520. ditionis Principum, quorum magna pars quoniam ad tyrannidem spectat, blanda mavult audire, quam salubria; mavult suis affectibus accommoda, quam recta consilia. His præsidiis regnat istorum stoliditas, atque utinam in literarum exitium tantum. Si succedit istis suus conatus, actum fuerit de doctrina Euangelica: populus *Christianus* serviet istorum libidini, quibus neque frons est, neque mens. Ab hospite tuo non minus claro, quam humano, libens accipio salutem, non ut summus Pontifex, quemadmodum tu ludis, sed ut infortunatus homuncio, verum qui prodesse *Christianis* studiis velit magis quam possit. *Nesenus* tædio stolidissimarum tragœdiarum, quas hic quidam agunt sine fine, ad vos se recepit. *Dorpius* optimis studiis semet oblectat. Idem nos agimus, quod quidem licet. Bene vale, doctissime *Buschi*. *Lovanio* 31. Julii, Anno 1520.

## EPISTOLA DXVII.

*Illustrissimo Saxoniæ Duci Georgio Erasmus* S. D.

ILLVSTRISSIME Dux, *Alberti* patris tui laudem in re bellica non vulgarem, olim apud *Batavos* etiamnum adolescens accepi, verum universas ingenii morumque tuorum dotes, animi celsitudinem vero dignam Principe, raram prudentiam, sobrietatem, moderationem, mentis incredibilem vim, judicium perspicax, breviter amabilem quandam omnium virtutum harmoniam, sic mihi pridem apud *Anglos* depinxit vir optimus ac modestissimus Cancellarius tuæ celsitudinis, ut protinus in amorem tui sim inflammatus. Non potuisti paterni nominis gloriam magis illustrare, quam superando quicquid ille præclarum habuit & eximium. Neque vero mediocre decus adjunget tuis laudibus apud posteros, quod nunc cum illustrissimo Duce *Friderico* certamen longe pulcherrimum susceperis, cujus auspiciis feliciter efflorescunt apud *Germanos* optimarum literarum studia. Quam paucis ille annis ex quam frigida Academia quàm celebrem reddidit? Aut ego plane fallor, aut hæc erit apud posteros inter illius laudes non minima portio, quod linguarum ac politioris literaturæ præsidiis rem *Christianam* quum ornarit, tum juverit. Atque in hoc gloriæ stadio non committis ut patruele videaris inferior. Tuis nimirum auspiciis, tuaque munificentia *Lipsiensis* Academia, jam olim celebris ac solennibus illis studiis florens, nunc politioris literaturæ, ac linguarum accessione per te sic est ornata, ut vix ulli cæterarum cedat. Tua benignitas excitavit atque evexit ingenium *Petri Mosellani*, juvenis magnæ jam eruditionis, sed spei longe maximæ. Eadem *Henricum Stromerum*, virum integritate summaque singulari prudentia jam pridem spectatum, allexit in istam urbem, ut & scholæ decus esset, eximie doctus medicus, & civitatis senator gravissimus. Eadem *Simonem Pistorium*, ordinarium Juris Professorem, ornat ac fovet. Eadem *Georgium à Breytenbach*, virum non minus clarum Juris professione, quam generis imaginibus. Atque optimi Principis exemplum imitatur senatus pene universus cum magistratibus cæteris, optimis studiis ac virtutibus honorem modis omnibus habens: quos omnes tam procul semotos à nobis, tamen ex amicorum literis, publicæque famæ præconio cognovi. Prorsus judicarem felicissima studia, nisi discordia nonnihil vitiarentur. Ita visum est fatis, ne quid sit in rebus humanis tam undique felix, ut non aliquo nævo contaminetur. Utrinque video peccari. Qui veterem studiorum rationem mordicus tenent, parum comiter excipiunt hæc nova studia, & pro hostibus ducunt eos qui summam adferunt utilitatem. Rursus veterum literarum instauratores malunt irrumpere, velut omnia depopulaturi, quam civilitate sese in hospitium & amicitiam insinuare. Sed ut utrosque peccare fateor, ita multo incivilius agunt, qui rabiose depellunt meliora studia, suis ipsorum commodis invidentes: neque quicquam habent in ore præter hæreses, schismata, & Antichristos, in nugis atroces tragœdias excitantes. Erit igitur hoc quoque tuæ prudentiæ, Princeps illustrissime, hoc studiorum dissidium tua prudentia componere. Id fiet, si suam quisque professionem ornet citra contumeliam alienæ. *Henricus Epphendorpius*, rara indole juvenis, reddidit mihi massam argenti rudem, è tuis metallis effossam, quæ mihi non minus fuit grata, quam si talentum *Atticum* auri misisses. Quanquam mihi nihil non erat preciosissimum futurum, quod à tali Principe venisset. Enitar ne penes hominem ingratum hoc beneficii collocasse videaris. Celsitudinem tuam quam diutissime florentem nobis, ac bonis studiis servet *Christus* Optimus Maximus. *Lovanio* 31. Julii, Anno 1520.

An. 1520.

## EPISTOLA DXVIII.

*Erasmus Roterod. Thomæ Cardinali Eboracensi* S. D.

TANTO itinere me contuleram *Caletium*, tot dies illic commoratus sum, ut celsitudinis tuæ colloquio fruerer; verum, hoc mihi inviderunt occupationes, quas tametsi semper scio esse maximas, tamen id temporis majores esse videbam, quam ut auderem à prima salutatione, prolixiore colloquio interpellare. Pro singulari favore, quo me hactenus prosecuta est tua benignitas, habeo gratiam, quanquam hoc officii non tam mihi præstat, quam bonis studiis, quibus meæ desudant vigiliæ. Cupiebam aliquo monumento testari animum & memorem & gratum, sed hactenus voluntati nostræ defuit commoditas. Et tamen interim qualicunque libello utcunque declaravi propensionem animi mei. Eum spero pro solita tua mansuetudine non adspernaberis. *Germania* velut œstro percita fremit ac sævit in *Leum* sexcentis libellis. Obsisto literis quantum possum. Negant se unquam parcituros *Leo*, genti parcituros, atque hactenus tantum mihi morem gesturos. Mihi consultum videtur, ut *Leus* aliquo scripto placet *Germanos*, quos odiosis in me conviciis irritavit. Ego vicissim adnitar, ut hujus tragœdiæ sit finis. Qui has reddit *Christophorus Palæologus* Monachus est montis *Sina*, vir probatorum hominum testimonio, claro genere natus, ac mere *Christia*[illegible], atque ut ipse ex familiari consuetudine comperi, probus, modestus, nec infacetus. Cupit nonnihil nummorum colligere, sublevando monasterio suo, quod nimirum vere dictum experitur *Hesiodo*, *noxam esse malum vicinum*; adeo à *Sarracenis* finitimis expilatur. Hic messis illi fuit admodum sterilis, vel quia tenaciores sumus, vel quia vehementer ubique frigere cœpit res indulgentiaria. Sperat isthic fore aliquanto uberiorem. Nec dubito quin futura sit, si tua celsitudo dextro nutu faverit. Et favebit, uti spero, vel causæ piæ, vel homini probo. Non enim ausim postulare, ut apud tantum Heroa, hujus homunculi commendatio pondus ullum habeat. Bene vale. *Antuerpiæ* 7. Augusti, Anno 1520.

An. 1520.

## EPISTOLA DXIX.

*Erasmus Budæo suo* S. D.

AMICORVM optime simul & eruditissime. Si *Morus*, & *Brixius* essent à me alieniissimi, tamen vehementer dolerem literarum nomine, quod duo tam insignes Musarum mystæ, tam virulentis libellis sese conscinderent, magno studiorum incommodo, magno gaudio eorum, qui jampridem cum melioribus literis bellum gerunt. Nunc quum uterque sit amicus, alter etiam conjunctissimus, dici non potest, quam acerbe feram hoc dissidii inter eos incidisse, quorum utriusque, & ingenium adamo, & gloriæ faveo. Uterque strenue contemnit alterum: verum, ex mutuo contemptu quid oriri potest, nisi simultas semper gliscens in pejus? Egi studiosissime cum *Moro*, ut silentio rem dissimularet: & persuaseram, ni *Brixius* tam seditiose exagitasset eum locum, de Rege laudato, non sine suggillatione filii, ut quidem interpretatur *Brixius*. Non est res ludicra

rem

KONINKLIJKE
BIBLIOTHEEK

Digitized by Google




Digitized by Google

An. 1520. rem habere cum *Jove*, quem evocasse parum rite conceptis precibus exitio fuit. Non quod *Moro* quicquam sit ab hoc suo metuendum, cui ob eximias dotes unice charus est, tamen *Brixius* declaravit animum perdendi *Mori* cupidum. Quod *Brixius* scripsit in *Morum*, cum omnium judicio sit plusquam satis, tamen odio illius non satisfacit. Nusquam non arripit occasionem insectandi *Morum*. Neque quicquam exit illius, in quo non multis verbis illum impetat, cum ille tamen nihil adhuc responderit. Demiror quis sic instiget animum *Brixii*. Obsecro te per Musas, ut vestra auctoritas juvenilem istum ἐνθουσιασμὸν coerceat. Non hic ago *Mori* mei negotium: nam si pergat hæc contentio, crede mihi, fortasse famæ nonnihil auferet *Brixius*, at gloriæ nihil. Bene vale, *Budaee* charissime. *Antuerpiæ* 9. Augusti, Anno 1520.

## EPISTOLA DXX.

*Erasmus Roterodamus Conrado Goclenio* S. D.

EQVIDEM existimabam antehac voluptatis duntaxat gratia, Priscis tantopere laudatam vitam rusticanam. At me res ipsa docuit non perinde jucundam esse ac salubrem. Pene perierat *Erasmus* in urbibus; adeo sine fine nauseabat stomachus. Jam non uno cum medico mihi res erat, præscriptæ potiones, catapotia, clysteres, pulvisculi, unguenta, balnea, emplastra, quid non? Nec interim vacabat ægrotare, ita negotiis subito exortis aliunde vocabar alio. Itaque compositis sarcinis conscendo equos; famulus rogat, quo me conferrem; ubicunque, inquam, arridebit cœlum blandum ac salubre. Vix hic biduum egeram, febris aufugerat in malam rem, stomachus valebat. Plane mihi visus sum hoc rure repubescere, adeo nihil non concoquit stomachus, pridem imbecillis. Nihil unquam in vita feci, mi *Gocleni*, cujus me minus pœnituerit. Deamo te qui tam gnaviter rem geras in professione linguæ *Latinæ*, tuaque doctrina pariter & ingenio exornes Collegium *Busidianum*. Felix juventus nostra, quæ in hoc seculum inciderit. Prorsum inviderem, nisi toto pectore faverem utilitati publicæ. Quo magis obstrepunt οἱ βάτραχοι, hoc magis ac magis gliscit ardor juvenum, spretis illiteratis literis, ad meliora grassantium. Video, quid mereatur istorum improbitas. Sed tu quod temporis eras perditurus, aut certe male collocaturus rixando cum malis rabulis, hoc bonis studiis juvandis impende. Vis tibi commonstrem splendidum ac magnificum vindictæ genus? Fac ut teipsum præbeas & inculpatis moribus virum, & sedulum ac diligentem optimarum literarum Professorem. Nulla ratione possis istos citius ad suspendium adigere, quo sane dignissimi sunt, qui publicis bonis tantopere discruciantur, non aliis modo, verum etiam sibiipsis invidentes. Excusatius enim invidet γείτονι γείτων εἰς ἄφενον σπεύδοντι. At his in manu est iisdem frui commodis, quibus alios juvari macerantur. Illud in primis mihi semper in utroque vestrum placuit, quod ut mores absunt ab omni turpitudine, ita casta est & professio, neque casta solum, verum etiam modesta. Quid enim sensuri sunt cordati viri, quum audient *Lovanii* poetices ac rhetorices professionem nec obscœnitatis habere quicquam, nec maledicentiæ: Theologicas lectiones, ac sacras etiam conciones, mendacissimis conviciis sic esse fermentatas, ut exsecrentur & idiotæ. *Moro* depinxeram tui imaginem, adeo nihil affingens de meo, ut quædam etiam prætermiserim. Malo enim ut hoc nomine mecum expostulet, ubi mutua consuetudine uterque alteri noti fueritis. Miro quodam desiderio tenetur videndi tui. Cum scribes ad eum, gratulaberis illi & dignitatis & fortunæ accessionem. Nam quum antea Regi tantum esset à consiliis, nuper nec ambieris, nec expetens, ultroneo favore Principis humanissimi & Eques auratus factus est, & munus habet apud *Britannos*, cum honorificum imprimis, tum etiam salarii non pœnitendi, quod appellatur à thesauris. Bene vale. *Brugis* 12. Augusti, Anno 1520. An. 1520.

## EPISTOLA DXXI.

*Erasmus Roterod. Equiti aurato Sebastiano de Rotenhan, Reverendiss. Card. Moguntini à consiliis*, S. D.

CONSVETVDINIS multo jucundissimæ, quæ mihi tecum fuit *Moguntiæ*, memoriam tua mihi renovavit epistola, non abhorrens à tuis moribus, vir omni doctrinæ genere multo clarior, quam majorum imaginibus, quibus tamen es cum primis clarus. Siquidem hoc ipsum visum est eximii cujusdam candoris argumentum, quod inter tot Principum negotia, inter armorum strepitus, in mentem venit amiculus *Erasmus*. Sed utinam argumentum auspicatius tibi contigisset ad me scribendi, quam *Eduardus Leus*, qui quum tibi videatur impudens, sibi videtur pulchre fortunatus, qui paulo negotio sibi famam pararit, quam adeo misere sitiebat, ut si non aliqua nocuisset, mortuus esset. Ego magis admiror quorundam pertinax studium, qui rebus omnibus omissis, nihil intentatum relinquunt, nullum non movent lapidem, quo literas meliores, sat feliciter suboleſcentes, obruant, atque interim, nec sua vetera sat gnaviter tuentur, nec discunt nova. Porro miris technis & cuniculis rem agunt, nunc hunc, nunc illum histrionem subornantes. Quanquam nec hi *Leo* favent, nisi quod quocunque pacto mihi male volebant. Ad eam rem nullus displiceat satelles. Quid mihi Philosophia præstet nescio, illud certe mihi præstat animus bene conscius, ut hujusmodi mortalium insanos conatus perpeti malim quam imitari. Jam quod vir tantus tuo quoque nomine mihi suppetias adversus *Leum* polliceris, si *Germanorum* desint auxilia, ut humanitatem tuam incredibilem amplector, ita officium plane recuso. Absit, ut *Leo* tales viri tantum habeant honoris, ut agminatim illum impetant stylo suo. Opto illis magnificentius aliquod argumentum. Nos in ea re totum sesquimensem perdidimus, idque mihi videtur plus satis: sic enim ille scripsit, ut nullis æque displiceat, atque iis, qui maxime consultum volebant ejus honori. Hanc laudem tulit etiam ab iis, qui mihi male volunt. Nemo fuit arrogantius indoctus. Et tamen hoc ille certamen appellat. Quod mihi *Senecæ* versibus ominaris nominis immortalitatem, de mea apud posteros opinione, viderint superi, modo bene sit iis studiis, quæ nos *Christo* commendant. Quis enim non perspicit mundum paulatim ad barbaram quandam tyrannidem tendere? Parturit jampridem, quid pariturus sit nescio. Nos ut (si liceat) prodesse cupimus, ita tumultus auctores esse nolumus. Bene vale, nosque tuo Principi commenda. *Lovanio* 13. Augusti, Anno 1520.

## EPISTOLA DXXII.

Thomas Morus Erasmo Rot. *S. D.*

DILATVS *ac procrastinatus* Palgravi *nostri, quotidie iturientis, discessus effecit, ut & meas literas, & aliorum, serius multo quam aut ego volebam, aut tu debebas, acciperes. Videbatur enim commodissime relaturus ad te meas, qui tuas ad me attulisset: sic necesse fuit, prioribus præsentes addere, quibus constare tibi dilationis ratio possit, simul uti quid nunc agatur apud nos intelligas: qui si unquam alias, nunc maxime in mœrore & periculo versamur, multis undique morientibus, omnibus fere, qui* Oxoniæ, *qui* Cantabrigiæ, *qui* Londini *sunt, intra paucos dies decumbentibus, amissis plurimis, optimis, atque honestissimis amicis: atque in his (quod tibi quoque dolori esse doleo)* Andrea *nostro* Ammonio, *in quo & literæ, & omnes boni magnam fecere jacturam. Is valde sibi videbatur adversus contagionem, victus moderatione munitus: qua factum putavit, ut quum in nullum pene incideret, cujus non tota familia laboraverat, neminem adhuc è suis id malum attige-*



Digitized by Google

An. 1520. *rit, id quod & mihi, & multis præterea jactavit non admodum multis horis antequam exstinctus est: nam hoc sudore nemo nisi primo die perit. Ego, uxorque, ac liberi adhuc intacti, reliqua familia tota revaluit. Hoc tibi affirmo, minus periculi in acie, quam in urbe esse. Nunc, ut audio, sævire* Caleti *incipit, quum nos eo extrudimur, legatione functuri, tanquam parum sit, in contagione vixisse, nisi sequamur etiam. Sed quid facias, quod fors feret, ferendum est. Ego animum mihi in omnem eventum composui. Tu vale. Raptim* Londino *19. Augusti, Anno 1520.*

## EPISTOLA DXXIII.

*Erasmus Rot. Thomæ Lupseto* S. D.

VT acerbus mihi fuit rumor de morbo tuo, mi *Lupsete*, ita vehementer gaudeo te nobis revivisscere. *Coleti* nostri vitam Epistola complexus sum, si parum graphice videbitur expressius, tibi partim imputabitur, qui me parum ad plenum instruxeris viri coloribus, quod quidem nemo te melius poterat. Porro quod ad ejus viri formam velutique præscriptum vitam instituis, non possum non vehementer probare, modo delectum adhibeas. Probum quidem exemplar tibi proponis, sed in optimis præcipua sunt imitanda, nec ea tamen nisi accommoda. Nec enim omnibus omnia congruunt. In illo præcipuum erat, quod sinceram *Christi* philosophiam è purissimis Euangeliorum haustam fontibus gratis impartiit populo: ut non absque numine videatur illi contigisse gentile cognomen. Siquidem *Coheleth Hebræis* dicitur *concionator*, quem *Græci* vocant *ecclesiasten*. Eam ad rem si te toto studio contuleris, aut ego plane fallor, aut *Coleto* non inferior evades. Cæterum quod illius exemplo tibi cœnis in totum interdicis, equidem non approbo, nec in illo probabam. Quod si sentis corpori tuo pro vigore ætatis frenis opus esse, mea sententia felicius hoc præstabit moderatus usus cibi potusque, quam multa perpetuaque inedia. Bona continentiæ pars est, certo animo velle continere: huic si accesserit vehemens & assiduum studium sacrarum Literarum, non erit opus carnificina jejuniorum, quæ fortasse premunt luxuriem juventutis, sed ita premunt, ut senectuti tradant valetudinem invalidam, atque ita coercent corporis calorem, ut lædant animi vigorem. Optimæ matri tuæ precor *Mercurium* dextrum ac propitium, quæ cum tot monstris linguacissimis sola depugnat sua lingua: quod si mihi hic decem essent isti similes propugnatrices, liceret in utramvis dormire aurem. Profecto unam arbitror dignam quæ repubescat. Optimo patri multam ex me salutem dicito. Cura ut quam optime valeas, charissime *Lupsete*. Saluta *Guilhelmos* duos parì candore præditos, *Gonellum* & *Dancastrum*. Præterea *Gerardum* quondam *Coleti* œconomum. *Brugis* 23. Augusti, Anno 1520.

## EPISTOLA DXXIV.

*Erasmus Rot. Joanni Turzoni, Episcopo Vratislaviensi*, S. D.

CVR ita visum est superis, ut tanto intervallo disjungant montes & flumina, quos tanta copulat charitas animorum? Epistola tua * post sextum demum mensem mihi reddita est, una cum munusculis. Quorum nihil non fuisset gratissimum, etiamsi minimi precii fuisset, vel hoc nomine, quod à tali Præsule, sed multo magis quod à tali animo proficisceretur. Nunc & precii magnitudine, & ipsa novitate, & auctoris titulo commendabantur, sed in his tamen nihil mihi tam charum est visum, quod epistola tua non superaret, quam jam alteram accepi, tuis istis articulis descriptam, tuo isto ingenio conditam, quo magis etiam refert imaginem animi tui, Deum immortalem qualis! Faxit Deus, ut istud pectus imitentur complures Episcopi, Procereseque, & imaginibus suis tam eximium decus adjungant, & auctoritatem suam bonitatis ac sapientiæ cumulent accessione. Quam ardentem virtutis amorem spirant illæ tuæ literæ, quantam sitim eruditionis *Christiana*? Ad hæc quantum candoris, quantum modestiæ præ se ferunt? Quis credat hæc, à tanto Præsule, à tanto Principe scribi? Nihilo enim minus mirabilis est mihi tuus iste animus, quod me præter meritum admiraris, siquidem hic error in persona est, non in re. Hoc erras, quod *Erasmum* esse credis id, quod non est: sed non in hoc erras, quod ea veneraris & expetis, quæ falso tibi persuades in nobis esse. Adnixi sumus mundum nimis ad scholasticas argutias prolapsum, ad Veterum fontes revocare, ac plus satis fidentem *Judaicis* ceremoniis, ad veræ pietatis studium accendere. Atque utinam hic meus conatus tantum fructus attulerit aliis, quantum nobis attulit invidiæ. Meum incommodum multo levius ferrem, si cum multorum commodo viderem conjunctum. Sed hoc viderit ipse *Christus*, qui, ni fallor, certe hunc animum probaturus est. Jam ut in tuis munusculis etiam nonnihil philosopher, gratulor tuæ ditioni, è cujus venis aurum tam elegans ac purum eruitur, sed tu beatior, qui è divinorum Voluminum longe felicioribus venis, tam avide scruteris aurum Euangelicæ sapientiæ, quo locupletes gregem tuæ fidei concreditum, velut opulentus quispiam paterfamilias, è divite thesauro proferens nova ac vetera, multum dissidens ab Episcopis plerisque, qui pulcherrimam functionis suæ partem in sordidos quosdam relegant, nec probatos, nec exploratos, quum ad id muneris neminem oporteat admitti, nisi quem eruditio *Christiana*, quem morum integritas, quem rerum usus, ac prudentia non vulgaris commendet. Duobus horologiis inscriptum erat, *Festina lente*, atque hanc quidem inscriptionem audit pulviseulus ille per minutissimum foramen lente defluens, hæc me scribente: sed magna celeritate vita nostra avolat, & advolat mors nihilo segnius, etiamsi non defluat arenula. In altero superne inscriptum erat, *Festina lente.*, & inversum horologium ostendebat mortis imaginem: quæ utinam tibi, mi *Turzo*, lenta veniat, digno profecto qui sis immortalis, non tantum longævus, nisi hæc esset fortunæ invidia, ut si quid exstiterit in rebus humanis eximium, id quam ocyssime tollat è medio. Quod omen abs te velim quam longissime abesse, quem & ex tuis literis, & ex aliorum prædicatione, tam multis ac rarıs animi dotibus præditum esse video, ut generis claritudo, ut opes, ut pontificia dignitas, minima portio sit tuorum ornamentorum. Pileum non poterit mihi esse usui, nisi domi. Nam & magnificentius est, quam ut conveniat homini tenui, (nisi forte & hic erras, ut putes *Erasmum* esse aliquid) & alienius à more hujus regionis. Olim, juxta proverbium, bonos viros decebant omnia, nunc non nisi potentes omnia decent: tamen servabitur, & in hoc potissimum, ut *Turzonis* memoriam mihi refricet. Aureum numisma multos exercuit, aliis conjectantibus esse tres *Noe* filios ex Arca revertentes, & ex altera parte Columbam olivæ ramum deferentem: aliis duces duos, qui medium captum ducerent, & aquilam lauri ramum in coronam deflexum gestantem. Subscriptionem nullus adhuc legere potuit, neque *Græcus*, neque *Latinus*, neque *Hebræus*. Video quam sim ingratus, qui pro tot donariis, proque epistola, tam eleganti, tam amica, præter frigidum epistolium nihil rependam, sed alias dabitur occasio: interim cura ut recte valeas, Præsul optime. *Lovanio* 31. Augusti, Anno 1520.

* Quæ est CCCCLXXIX.

## EPISTOLA DXXV.

*Erasmus Rot. Nicolao Busciducensi* S.

OMNES beatitates nostrum beent *Beatum*, qui nobis *Tertullianum* dederit, illum sic adamatum à *Cypriano*, sic laudatum ab *Hieronymo*. Sed utinam integrum & emendatum dare potuisset. Plurimum tamen

Digitized by Google

non debemus illius industriæ, qui quod licuit præstitit. Mihi hactenus degustare licuit verius quam legere. Habet ille quidem suum quoddam orationis genus, quod haud scio an eo sæculo plausibile fuerit apud *Afros*, tametsi nobis subdurum videtur. Id quod non dissimulavit noster *Hieronymus*, qui tribuit illi dignitatem in sententiis, sed adjungit difficultatem in eloquendo. Cæterum quis non admiretur pectus illud semper ardens, tam exactam Scripturarum cognitionem, tamque promptam memoriam: idque priscis illis temporibus, quum nulla adhuc esset solennis Theologiæ professio, nullæ scholæ, nullæ diatribæ, nulli fere sacrorum Voluminum interpretes? Hæc quum contemplor, mi *Nicolae*, dispudet me nostrorum temporum. Habet tamen hoc vicii, quod in *Origene* damnat *Hieronymus*. Nonnunquam vim facit Scripturis, idque impudentius etiam quam *Origenes*: nam hic plerunque disputat & inquirit, *Tertullianus* asseverat ac pugnat. Hujus generis est illud, quod hunc *Christi* sermonem, *Qui dimiserit uxorem & duxerit aliam, mœchatur*, sic interpretatur, quasi non damnetur divortium, nisi quum ideo repudiatur uxor, ut ducatur alia quæ magis adblandiatur. Porro quod egressus sit ab Ecclesia, quanquam excusari nec debet, nec potest, tamen elevat crimen *Hieronymus*: Hic, inquiens, quum usque ad mediam ætatem presbyter Ecclesiæ permansisset, invidia postea & contumeliis clericorum *Romanæ* Ecclesiæ, in *Montani* dogma delapsus est. Atque ut misericordia dignus est, qui simpliciter errat, ita omnis hæresis exsecranda est piis mentibus, quæ cum indocili pervicacia conjuncta est. Sed tamen ut in venenis aliud alio lethalius, ita in hæresibus alia pestilentior alia. Propius autem abesse videntur à pietate, quæ immodico quodam Euangelici vigoris studio plus exigunt quam oportet. Quales erant, qui semel baptismo lotum adeo volebant abhorrere ab omni turpitudine, ut relapsos in crimen aliquod insigne nunquam reciperent in contubernium Ecclesiæ: quo severitas hæc ecclesiasticæ censuræ, cæteros deterreret à peccando. Nec enim hos, opinor, judicabant excludendos à regno cœlorum, quod submoverentur à foribus Ecclesiæ, quas frequenter ingrediuntur ii, quos Deus secludet à suo consortio. Sed pœnitentiæ remedium, quod alii leniores temporarium esse patiebantur, illi volebant esse perpetuum, idque putabant conducere ad continendum in officio reliquum gregem. A quorum opinione quam minimum abfuit divus *Augustinus*, qui semel lapso post satisfactionem aperit Ecclesiæ januam, relapso non aperit, ne dilutior fieret Ecclesiæ disciplina. Sic Veteres illi commoti exemplo verbisque *Christi*, & Apostolorum pudicitiam ubique laudibus vehentium, digamiam improbabant, virginitatem exigebant; quum *Paulus* eam recipi jusserit in Ecclesiæ societatem, qui patris uxorem habuerat, & *Christus* non exigat à suis cœlibatum, sed dicat: *Qui potest capere, capiat*. His annumero eos, qui considerantes, quam res sit impia, quamque immanis, bellum, simul videntes pacem & concordiam in sacris Literis ubique sic prædicatam, pronunciarunt nullum esse bellum licitum inter *Christianos*. Atque excessus hujusmodi propemodum excusatur etiam in orthodoxis, quoties aut deterrent à diversis viciis, aut adhortantur ad ea quæ procul absunt ab iis, quæ vitari cupiunt. Quod facere solent ii, qui virgam incurvam non inflectunt in rectum statum, sed in diversam partem detorquent, ut redeat in rectitudinem. Atque hujus formæ mihi videntur plerique errores *Tertulliani*. Quorundam errores adeo fuere prodigiosi, ut ipsos etiam puderet, qui profitebantur. Qualis fuit insania verius quam error *Simonis*, & *Menandri*, qui se prædicabant summam Dei virtutem; tum *Basilidis* cum suo portentoso *Abraxa*, præterea *Nicolaitarum*, quibus placebant uxores omnium communes. Addantur his *Ophitæ* cultores serpentis qui decepit *Evam*: *Judaitæ*, qui *Judæ*, proditori *Jesu*, salutem humani generis ferunt accepisse. Mox evanuerunt *Cerinthi* & *Valentini* somnia. Evanuerunt deliramenta *Manichæi*. Evanuit *Montanus* cum suo Paracleto. *Arrhyrianorum* vix nomen quisquam novit. Exstiterunt autem hæreses pestilentissimæ, sed quæ non potuerunt altas radices agere, quod palam pugnarent cum fide Scripturarum, quarum inconvulsam auctoritatem magno consensu semper ecclesiæ toto terrarum orbe receperunt. Qualis est eorum, qui negabant *Christo* fuisse corpus humanum, rursum qui detrahebant animam humanam: qui negabant esse vere passum, qui negabant eum natum ex virgine, qui docebant resurrectionem esse peractam resurgente Christo, nec exspectandam aliam mortuorum resurrectionem. Sed nulla majores excitavit in orbe tumultus quam *Arianorum*, quod ea nec portenta palam absurda proferret, & ut erant docti, Scripturarum testimoniis niti videretur. *Pelagianorum*, quod ad liberum attinet arbitrium, etiam hodie licet vestigia quædam deprehendere. Sed bona pars omnium hæreseon è Philosophorum placitis orta videtur. Quo magnis mirandum est, quod nunc negant hæreticos revinci posse, sine præsidiis *Aristotelicæ* philosophiæ. Nimirum aut ea philosophia multum habet sanctimoniæ, aut præclari sunt artifices, qui illa sic norunt uti. Sunt & nunc hæreses quædam scholasticæ, de quibus fortasse præstaret non ita pertinaciter contendere, ut orbis tumultu misceatur: præsertim quum nec magnopere conducant ad bonam vitam, nec officiant gloriæ *Christi*. Sed est hæresis quædam, quæ quanquam hæresis vocabulum non mereatur, tamen maximam perniciem adfert vitæ mortalium, ac plurimum officit Euangelicæ auctoritati, quum ii, qui profitentur philosophiam *Christi*, qui se gerunt pro summis ducibus ac proceribus totius populi *Christiani*, palam tota vita, totis studiis, totis conatibus, nihil aliud doceant, quam ambitionem plusquam theatricam, avaritiam insatiabilem, voluptatum aviditatem inexplebilem, bellorum furias, cæteraque, quæ sacræ Literæ detestantur, quæ ab ethnicis etiam philosophis improbantur. Non ista loquuntur quidem, sed efficacius est ista vivere quam loqui. Quod nuper in colloquio significabas, te cogitare de deponenda tyrannide tua, non probo tuum consilium. Postquam productus es in proscenium, peragenda est fabulæ pars, quam tibi Choragus injunxit. Si vir bonus es, ut mihi persuasum est esse te, non tibi displicebit tua conditio, quod videatur humilior, sed hoc nomine placebit, quod in ea liceat plurimum prodesse Reipublicæ. Offendunt te temporum horum tumultus. Sed interim quod boni nauclери solent, ventis obsecundandum est, donec redierit serenitas. Neque enim hæc tempestas erit diuturna, uti spero. Bene vale, *Nicolae* charissime. Ex *Anderlaco* 31. Augusti, Anno 1520.

## EPISTOLA DXXVI.

*Erasmus Roterodamus Guilielmo Burbanco* S. D.

Is demum vere amat, qui gratis amat. At te *Erasmum* immerentem, tam constanter, tam ardenter amas, ut vix quenquam invenias, qui sincerius, aut pertinacius, aut vehementius amet promeritum. *Roma* à me nullis provocatus officiis, quo affectu complecti cœpisti? Nec interim vel tantillum refrixit in me tua gratuita benevolentia, cum tot jam annis nullum id genus officiorum intercesserit, quibus inter amicos solet ali renovarique charitas, alioqui desuetudine solita languescere. O pectus amicitiæ candorique natum, quod ego ni redamem, tum non deprecor quo minus omnes me dicant adamantem gestare in pectore, aut si quid adamante durius. Atque hic quoque, juxta proverbium, gratia gratiam parit. Afflavit tibi *Montjoius* aliquid sui in me animi, & utriusque studium tot mihi in una familia amicos excitavit, ni fallor. Quid enim aliud in causa esse conjectem: nam quæ dos, aut quod officium meum sic inflammavit *Thomæ Lovetti*, Juris Pontificii do-

Digitized by Google

doctoris; in me ſtudium? Aut quæ res eruditiſſimi viri *Roberti Tonſtalli* tam non vulgarem benevolentiam conciliavit? Unde *Franciſci Philippi*, ſummæ ſpei juvenis, tam ſingularis erga me favor? Quid autem commemorem non novum quidem illum, ſed hoc ſpectatiorem amicum, *Franciſcum* medicum? Quid doctorem incomparabilem *Samſonem*, cujus ingenio nec optari quicquam poteſt purius aut amicius? Quid *Gonellum* illum, non amicum, ſed prorſus animæ dimidium meæ? Quid *Clementem*, cui *Morus* amoris in me ſui ſcintillulas aliquot afflavit? Quid *Ricardum Pacæum*, qui mihi plane *Pyladem* quendam, non tam pollicetur, quam præſtat? Quid *Cuthbertum Tonſtallum*, cum quovis Priſcorum conferendum, quorum non ita multa paria celebravit antiquitas? O me divitem! O domum illam auguſtam ac felicem! O vere ſplendidum Cardinalem, qui tales viros habet in conſiliis, cujus menſa talibus luminibus cingitur! Sed quam iſti præter meritum amant *Eraſmum*, tam alii quidam præter meritum averſantur. Et utinam malevolentiæ non eſſet fœcundior propagatio. Verum, mihi potius eſt paucioribus placuiſſe, ſed egregie probis, quam multis iſtorum ſimilibus, qui fere aut ſtolidi ſunt, & indocti, aut manifeſto livoris & invidentiæ morbo obnoxii, aut ea ingenii perverſitate, ut nemini omnino bene velint, ſibi propemodum ipſis invidentes: ſed obtrectatoribus mentem meliorem precemur. Apud amicos, tu fac nomenclatorem agas, ac nominatim ſingulis ex me ſalutem dicito. Bene valé, vir integerrime. *Lovanio* 1. Septemb. Anno 1520.

## EPISTOLA DXXVII.

*Eraſmus Rot. Bilibaldo Pirckheimero* S. D.

NON deerant, *Bilibalde* clariſſime, qui mihi darent idem conſilium, quod tu nunc prudenter quidem, & amice, ſed tamen ſero das. Deus avertat, ut ullius hominis virulentia ſic me à ſtatu mentis dimoveat, ut laxatis maledicentiæ habenis debaccher in famam alterius. Quid enim hoc aliud ſit, quam cum inſaniente inſanire? & ſic alienam ulciſci malitiam, ut ipſe fias malus? Atque utinam is ſim, qui juxta doctrinam Apoſtolicam, benefactis malefacta vincam. Certe decreveram obticeſcere, ſed ab eo propoſito duo treſve quædam res avocabant. Primum verebar, ne ſi ipſe diſſimulaſſem, pro uno me multi exſiſterent, qui *Leum* multo inclementius accepiſſent, quam ego accepi. Qui etiamſi durius, aut eruditius aggreſſi fuiſſent hominem, tamen haud ſcio an rem æque appoſite fuerint tractaturi; fortaſſe quidam ignari, quam nihil ſapiat, quamque & apud ſuos contemptus ſit *Leus*, plus illi tribuiſſent, quam meretur. Et ut eſt hominis ingenium, hoc ipſum palmarium ac triumphale judicaſſet, ſi pluribus celebribus & eruditis viris moviſſet ſtomachum. Mihi tota hominis natura, & omnes negocii circumſtantiæ penitus erant cognitæ. Deinde toto biennio miris cuniculis egerat hoc, mirus his in rebus artifex *Leus*, ut eſſet Annotationum ſuarum incredibilis apud omnes exſpectatio. Scribebat ſexcentas epiſtolas, ad hunc uſum habebat amanuenſes aliquot: primus excipiebat advenas, præſertim *Anglos*, eos conviviis faciebat ſuos: mox arte confictis mendaciis implebat, ſed miram interim modeſtiam ſimulans, quo majore cum fide læderet famam proximi. Abeuntes omni mendaciorum genere dimittebat onuſtos. Quibuſdam oſtendebat etiam ſi quid eſſet in Annotationibus ſpecie fronteque plauſibilius. Monaſteriorum favorem xeniis, cibo, vinoque redimebat, præſertim horum, quæ ſciret apud populum opinione ſanctimoniæ commendata: habebat omnibus locis, in quos hujus fabulæ ſcenas fuerat partitus, quorum nemo non ſtrenue erat in negotio. His rebus tandem effectum eſt, ut hi quoque redderentur ſolliciti, qui me probe norant, & ſe *Leum* noſſe putabant. Itaque ſi nihil reſpondiſſem, periculum erat, ne ad menſes aliquot, alienatis complurium animis, periret nonnulla pars fructus, quem tot vigiliis venabar. Nam meæ gloriæ jactura ſane leviter moviſſet animum meum. Cur enim verear aliquam famæ partem *Chriſtianis* ſtudiis impendere, qui vitæ bonam partem impendam? Proinde ſic *Leo* reſpondimus, ut & illi ſtultiſſime ſperatam gloriam detraxerimus, & veterem noſtram modeſtiæ laudem tueremur. Habes, optime *Bilibalde*, conſilii mei rationem, cujus me nondum admodum pœnitet, etiamſi nullius temporis jactura me gravius affecit, quam illius ſeſquimenſis, quo *Lei* nænias non minus inamœnas, quam indoctas ac virulentas, & legimus, & refellimus. Porro, quod vereris ne hæc mea lenitas multorum invitet maledicentiam, ego gravius eſſe periculum arbitror, ne ſi maledicentia maledicentiam invitet, nullus ſit inſaniendi finis, quando jam propemodum res in rabiem exiit. Hoc conſilio Deus vetuit, ne quis de *Cain* ſumeret vindictam, ne reciprocis vindictæ vicibus nullus tandem eſſet finis. Utcunque res habet, ego Sycophantarum turba malui obrui, quam committere, ut hanc gloriam amittam, neminem adhuc ſcriptis meis factum eſſe nigrum. Nam *Leus* ſibi imputet oportet, ſi qui male de illo ſentiunt. Porro, quod ſuſpicaris *Leum* ſubornatum hiſtrionem, ut Monachorum ac Theologorum partes ageret, quanquam facile credam hujus actionem gratam fuiſſe quibuſdam, qui male volunt bonis ſtudiis, tamen magis arbitror illi potiſſimum in conſilio fuiſſe proprium ingenium, ad hæc natura propenſum. Non alium fuiſſe prædicant, qui novere puerum: ſemper ſævus erat ac vindex, omnibus invidebat, non ferebat quenquam parem, multo minus ſuperiorem, ſolus haberi in precio volebat, gloriarum ſitientiſſimus, ſuæ ſententiæ mire pertinax. Talis erat puer, talis adoleſcens, talis juvenis, talis nunc etiam vir eſt, niſi quod cum ætate fere ſolent accreſcere vitia. Atque utinam vel ſenex fiat aliquando ſui diſſimilis. Quod mihi plurimos non minus doctos quam potentes amicos gratularis, quod nominis immortalitatem recte factis partam, quod me livore majorem facis, nimirum facis amanter, mi *Bilibalde*, dum amicum, undique impetentibus Sycophantarum machinis, periclitantem, ut tu putas, blanda conſolatione ſublevas. Ego iſtam immortalitatem nihil moror. Recte facta non agnoſco, tantum adniſus ſum aliqua ex parte mea induſtria prodeſſe ſtudiis publicis, & ad ſinceram amplectendam *Chriſti* doctrinam excitare mortalium animos. At vereor ne res in diverſum exeat. Hactenus ad ſcholaſticam ac diſputatricem Theologiam frigebant ac nauſeabant piæ mentes, & mox ad Euangelicæ veritatis guſtum cœperant hilareſcere; ſed tanta contentione conſpiratum eſt ab iis, qui ſuam gloriam *Chriſti* gloriæ præferunt, ut verear ne res in diverſum exeat. Et hæc geruntur per eos, qui vulgo habentur lux mundi, habentur ſal terræ. Nunc ſanctum ac pium eſt in ſacris concionibus pro veritate Euangelica, improbis mendaciis, veluti de plauſtris debacchari in famam proximi. Et ô perverſam malitiam, in odium quorundam & in gratiam Principum, quorum favorem captant, ea prædicant apud populum, quæ ipſi apud ſe damnant! Novos libros rejiciunt, ſed qui bonis literis, quas cane pejus oderunt & angui, conditi ſunt; verum, quid iſti interim ſuis novis libris nos doceant, in præſentia nec vacat, nec libet referre, & tamen pudet meminiſſe, quod illos non pudet ſcribere. Jam de *Luthero* nihil aliud dicam, niſi quod in præſentia ſolum impune licet, mihi vehementer dolere, tale ingenium, quod videbatur futurum inſigne quoddam organum ebuccinandæ veritatis Euangelicæ, ſic exaſperatum eſſe rabioſis quorundam clamoribus. Fabulam de τῆ ὀρνιθοφαγίας calumniatore riſi ſatis, & tibi tam bono patrono xenium debere me fateor. De dulci felicique *Lei* ocio, falſe tu quidem jocaris, ſed tamen extra jocum, utinam ille vel nunc ad ſuum ocium redeat expertus *Martis* aleam. Sed dicitur magno conamine redintegra-

Digitized by Google

An. 1520. grare bellum, fretus Abbate quodam longe ſtolidiſſimo, qui ſolus illius nænias appellavit ſacras Annotationes. Quis credat illi micam eſſe mentis ſanæ, quem non pudeat re tam turpiter geſta, rurſum in arenam prodire? Quod ſi facit, certum eſt non colluctari poſthac cum illa ſcabie. Docti complures è *Germania* miſerunt ad me faſciculos epiſtolarum, ſeu potius voluminum, quibus *Leum* fruſtulatim diſcerpunt. Eas omnes ſic preſſi, ut nec legendas cuiquam dederim, ſive quod cupiam hujus tragœdiæ finem eſſe, ſive quod nolim *Leum* videri tanti, ut in illum tot ac tales viri ſtylum ſuum acuant. Quare ſicut arbitror plane eſſe, ita plane ludum ac jocum eſſe cupio, quod minitaris *Germaniam* illi panegyricis annuis litaturam. Nam id ſi fiat, ipſe ſibi plane Deus eſſe videatur. In adornanda profectione *Germanica*, plane *Calippidem* agimus. Regiam tuam cupide videbimus, ſi modo citra magnum itineris diſpendium liceat. Mihi vero vel tugurium quavis regia ſplendidius erit, quod habeat *Bilibaldum*. Sed ais peſtem ſub *Caroli* Principis adventum deſituram. Quis vates iſtuc futurum prædixit? Quod ſcribis ab *Oecolampadio* factum, jam ex illius literis ſubodorabar futurum. Id ſive judicio fecit, ſive animi morbo, quando mutari non poteſt, precandum eſt, ut illi ac nobis quam optime vertat. Video res humanas ſic undique corruptas, ut nullis unquam ſeculis exiſtimem plus licuiſſe impudentiæ, plus licuiſſe ſtoliditati, plus licuiſſe ſceleri. Et nonnunquam libet aliquo profugere, ſed vereor ne quocunque me vertero, ſequatur moleſtia. Proinde tutius arbitror mali remedium ab animo petere potius, quam à loco aut vitæ inſtituto. Bene habet, quod *Chriſtus* in tanta vitiorum caligine nobis Euangelicæ doctrinæ ſcintillas reliquit. Bene vale, vir ornatiſſime. *Lovanio* 5. Septemb. Anno 1520.

## EPISTOLA DXXVIII.

*Eraſmus Rot. Gerardo Noviomago* S. D.

BRVGIS non admodum mihi placebas. Optarim te videre vultu illo nitido ac florulento. Etiam atque etiam te rogo, ut per tuam facundiam intelligat optimus Præſul, munus ipſius mihi longe gratiſſimum eſſe, quanquam hactenus non vacavit gratias agere. Et malim id agere libello victuro. Dixeram me nonnihil abhorrere à præbendis, ne mihi res ſit cum capitulis. Nunc huic quoque incommodo videor diſpexiſſe remedium. Male metuo miſero *Luthero*. Sic undique fervet conjuratio, ſic undique irritantur in illum Principes, ac præcipue *Leo* Pontifex. Utinam *Lutherus* meum ſequutus conſilium, ab odioſis illis ac ſeditioſis abſtinuiſſet. Plus erat fructus, ac minus invidiæ. Parum eſſet unum hominem perire: ſi res hæc illis ſuccedet, nemo feret illorum inſolentiam. Non conquieſcent donec linguas ac bonas literas omnes ſubverterint. Jam *Capnionem* rurſus aggrediuntur, tantum odio *Lutheri*: qui me diſſuadente nomen illius ſuo negotio admiſcens, & illum degravavit invidia, & ſibi nihil omnino profuit. Diſputavit *Eckius*, *Hochſtratus* promiſerat neſcio quos ſyllogiſmos, quibus omnes cedere cogerentur. Diſputabant atque etiam ſcribebant *Lovanienſes*. Exſpectabatur judicium Academiæ *Pariſienſis*, & ecce res derepente in Bullam & in fumum exitura videtur. Excuſa eſt Bulla formidabilis, ſed quam Pontifex vetuit publicari. Vereor ne res in gravem tumultum exeat. Qui hæc ſuadent Pontifici, dant illi, mea ſententia, conſilium, non dico quam pium, ſed certe periculoſum. Res è peſſimis fontibus primum orta eſt: deinde peſſimis rationibus hucuſque provecta. Ex odio bonarum literarum & ſtoliditate Monachorum primum orta eſt hæc tragœdia. Deinde magnis conviciis, malitioſis conſpirationibus huc veſaniæ res progreſſa eſt. Quo tendant nulli dubium eſt, nimirum ut oppreſſis his literis, quas illi neſciunt, impune regnent cum ſua barbarie. Ego me huic tragœdiæ non miſceo. Alioqui paratus eſt vel epiſcopatus, ſi velim in *Lutherum* ſcribere. Mihi dolet ſic obrui doctrinam Euangelicam, noſque cogi tantum, non doceri: & doceri ea, à quibus abhorrent & ſacræ Literæ, & ſenſus communis. Bene vale, clariſſime *Gerarde*, & quid valeas ſcribe. *Lovanio* 9. Septemb. Anno 1520. An. 1520.

## EPISTOLA DXXIX.

*Beatiſſimo Patri Leoni, ejus nominis decimo, Eraſmus Roterodamus* S. D.

TAMETSI non metuebam, beatiſſime Pater, ne tua bonitas impelli poſſet ad lædendum inſontem, aut tua prudentia temere crederet improborum calumniis; tamen quoniam eam video tot negotiis ex toto undique orbe inundantibus pulſari, ſimulque conſidero inauditam quorundam improbitatem, qui conjurarunt in bonas literas, nuſquam ceſſare, nihil non audere, nullum non movere lapidem, arbitratus ſum nonnihil mea referre, hac veluti antidoto præmunire ſanctitatem tuam, oculatiſſimam quidem illam, ſed pariter occupatiſſimam. Eſſe video, qui quo magis communirent factionem ſuam, conati ſunt cauſam bonarum literarum, cauſam *Reuchlini*, meamque cauſam cum *Lutheri* cauſa conjungere, cum his nihil ſit inter ſe commune. Atque id ſemper tum oratione, tum ſcriptis editis teſtatus ſum. *Lutherum* non novi, nec libros illius unquam legi, niſi forte decem aut duodecim pagellas, eaſque carptim. Ex his, quæ tum deguſtavi, viſus eſt mihi probe compoſitus ad myſticas literas, Veterum more explanandas, quando noſtra hæc ætas immodice indulgebat argutis magis quam neceſſariis quæſtionibus. Bonis igitur illius favi, non malis, imo gloriæ *Chriſti* in illo favi. Ferme primus omnium odoratus ſum periculum eſſe, ne res exiret in tumultum, à quo ſic abhorrui ſemper ut nemo magis. Proinde minis etiam egi cum *Joanne Frobenio* Typographo, ne quid Operum illius excuderet. Scripſi tum crebro, tum diligenter amicis, admonerent hominem, ut in ſcriptis meminiſſet *Chriſtianæ* manſuetudinis, ſerviretque ſemper Eccleſiæ tranquillitati. Et cum ipſe prior ad me ſcripſiſſet ante annos duos, amanter admonui, quid illum vellem evitare, cui conſilio utinam ille paruiſſet. Eam Epiſtolam audio delatam ad tuam Beatitudinem, in odium opinor mei, cum magis favorem tuæ ſanctitatis mihi conciliare debuerit. Quid enim illic omitto, cujus non illum admoneam? Civiliter quidem id facio, ſed ita citius proficitur, quam auſteritate, & ignoto ſcribebam. Poſteaquam formam ac ceu regulam homini præſcripſeram, ne quid offenderet admonitionis libertas, ſubjicio: *Hæc ſcribo, non ut te admoneam quid facias, ſed ut quod facis, perpetuo facias*, videlicet imaginans illum jam ſponte ſua facere, quod illum facere volebam. Quod ſi mihi placuiſſet ea ſcribendi ratio, qua prius utebatur *Lutherus*, quid opus erat illi tot verbis novam formam præſcribere? Et tamen hunc locum ſcio quoſdam impudenter ad calumniam detorſiſſe, ſed magis illud quod adjeceram, hic eſſe plures illi faventes. Id ſane vere ſcripſeram. Bonis illius hic favebant plurimi, non aliter quam ego favebam. Hoc illum ſcire volui, non ut his fretus pergeret ſeditioſe ſcribere, ſed ut ad formam à me præſcriptam moderaretur ſtylum, ſi vellet horum favorem eſſe perpetuum. Nomen Epiſcopi *Leodienſis* quomodo admixtum ſit demiror apud *Lipſienſes*, qui neſcio quo conſilio epiſtolam arcanam evulgarunt, cum *Baſileæ* non fuerit additum. Illud veriſſimum eſt, illi nihil prorſus unquam fuiſſe rei cum *Luthero*, nihilo magis quam mihi. Quod ſi maxime nomen fuiſſet additum, non alio ſenſu fuiſſet additum, quam modo ſum interpretatus. Eam epiſtolam ſcripſimus ferme ante biennium, & res nondum ad hanc acerbitatem proceſſerat, & ad diſputationem erat provocatum. Si quiſquam vel inter pocula audivit me *Lutheri* dogmata tuentem, non recuſem vocari *Lutheranus*. At non impetii meo ſtylo

An. 1520. hominem. Primum refellere non poteram, nisi prius semel atque iterum attente legissem. Ad id mihi non erat ocium, plus satis occupato meis studiis. Deinde videbam rem esse supra modulum eruditionis & ingenii mei. Ad hæc nolebam Academiis, in hoc occupatis, suam prærripere gloriam. Postremo metui tot potentium virorum odium in me provocare, præsertim cum nemo mandasset hanc provinciam. Quare si quid isthic me calumniantur bonarum literarum hostes, in tua prudentia, meaque innocentia mihi certum est præsidium. Non sum tam demens ut contra summum *Christi* vicarium ausim quicquam, qui ne peculiari quidem Episcopo meo velim adversari. Non sum tam ingratus, ut tuæ in me plus quam paternæ indulgentiæ non respondere laborem. Hoc meum qualecunque est ingeniolum, *Christi* gloriæ, gregisque *Christiani* tranquillitati serviet. Quisquis erit hujus adversarius, is & meus erit. *Luthero* ne tum quidem patrocinabar, cum utcunque liberum esset favere. Tantum impetendi modum improbabam, non *Luthero* consulens, sed auctoritati Theologorum. Videbam rem ex odio linguarum ac bonarum, ut vocant, literarum natam. Videbam acerbis odiis, & seditiosis apud populum clamoribus rem geri, quibus nihil aliud efficiebant, quam ut nobilitarent opera *Lutheri*, & vulgus hominum ad aviditatem legendi provocarent. Si prius refellissent *Lutherum*, & animis hominum exemissent, deinde libros exussissent, totum *Lutherum* citra tumultum orbis abolere poterant, siquidem id merebatur quod isti prædicant. Libera ac generosa ingenia doceri gaudent, cogi nolunt. Hoc consilium pro Theologis adversus *Lutherum* faciebat, nisi quidam perperam interpretarentur. Decreveram hyemare *Romæ*, consulturus in locis aliquot bibliothecam tuæ sanctitatis. Sed hi Principum congressus me remorati sunt, in proximam hyemem spero me adfuturum. *S. T.* incolumem tueatur *Christus* Optimus Maximus. *Lovanio* 13. Septembris, Anno 1520.

## EPISTOLA DXXX.

*Erasmus Rot. Francisco Chiregatto* S. D.

ANIMVM istum tam candidum, tam propensum, & expositum, si non exoscules, sim quovis *Geta* inhumanior. Fortassis paucis æque dolet hic *Lutheri* tumultus, ac mihi, quem utinam aut initio potuissem excludere, aut nunc componere. Sed res tota, ut est nata malis initiis, per Monachos quosdam suum agentes negotium, ita malis progressibus ad hanc usque rabiem deducta est. Impius sit, qui non faveat *Romani* Pontificis dignitati, sed utinam sciat ille quantum officiant illi stolidi quidam, qui sibi videntur eam pulchre tueri. Crede mihi, si quid credis, nulla res magis commendavit *Lutherum* affectibus populi, quam horum stolidi clamores apud populum. Et ipsterim nullus illorum refellit *Lutherum* libris editis, quod ut facerent semper hortatus sum. Videbam enim una hac via *Lutherum* opprimi posse, si talis esset, qualem illi traducebant. Nam qui hactenus adversus *Lutherum* scripserunt, nec his satisfaciunt, qui *Luthero* pessime volunt. Ac vide sceleratum consilium quorundam, quibus invisior sum ipso *Luthero*, non quod illi faveam, id enim sciunt secus habere, sed quod faveam bonis literis, quibuscum illi jam olim belligerantur, sed quod Theologos ad fontes revocarim, sed quod admonuerim quibus in rebus sita sit vera religio. Cum Bulla prodiret, quæ jubet eos prædicare adversus *Lutherum*, inter pocula fecerunt hujusmodi decretum duo trésve συγκελλοντοι, ut me cum *Luthero* traducerent apud populum. Hic est quidam κηφηνις, vir indignus cujus nomen mandetur literis, homo indoctus, natura fatuus, ac *Moryche* stultior, & sensu communi carens, effrons, mulierbri procacia linguæ, qui relictis rebus omnibus tantum blaterat in *Erasmum*, nec unquam pudescit aut lassescit. Est alter candido pallio, sed ater animo, stolidus ac furiosus, adeo morosus, ut toti sit gravis Academiæ. Hic cum publicaret Bullam, plura dixit de me in concione, quam de *Luthero*. In publica lectione semper conjunxit nomen *Lutheri* cum meo: imo in quadam lectione *Fabrum Stapulensem* perstrinxit. Cum enim dixissem nos non concordare, adjecit, *Nunquam*, inquit, *convenit inter hæreticos*. Hunc sequuti duo è sodalitio *Dominicali*; tam scurriliter debacchati sunt in nomen meum apud populum, ut res ad tumultum spectaret, etiam me dissimulante, & Academiæ proceres, quanquam alioqui mihi non admodum æqui, cogerentur illis imponere silentium. Idem factum est *Antuerpiæ*. *Brugis* erat Minorita quidam à suffragiis Episcopi *Tornacensis*, à vino lippus, qui totas horas deblateravit apud populum in *Lutherum* & *Erasmum*, subinde nos bestias, asinos, grues, stipites appellans, nec quicquam tamen refellens. Cum in altera quadam concione palam dixisset in libris meis esse quædam hæretica, quidam è magistratu doctus adiit hominem, rogavit quid esset in libris meis tale. Vide quid hic responderit scurra Episcopus: Non legi, inquit, libros *Erasmi*, volui legere Paraphrases, sed *Latinitas* erat nimis alta. Timeo igitur ne possit labi in aliquam hæresim propter altam *Latinitatem*. Tales sunt fere omnes qui clamant in *Lutherum*, & qui, ut ipsis videtur, defendunt Sedem *Romanam*, cujus dignitati nemo non favebit, sed hos rabulas nunquam ferent cordati viri: quos si nosset Pontifex, ita ut nos novimus, in nullos magis sæviret quam in istos. Utinam esset mihi tantum auctoritatis apud Pontificem, quantum est sincerum animi mei studium erga illius dignitatem, dedissem consilium, & ipsi conducibilius, & orbi salubrius. Clamoribus ac terroribus fortassis hoc fiet, ut malum ad tempus prematur, sed mox majore pernicie eruptu-rum. His rationibus efficietur, non ut pauciores *Luthero* faveant, aut melius de *Romano* Pontifice sentiant, sed ut cautius dissimulent. Hactenus certe vidimus fieri, ut horum minis ac vociferationibus irritati, & acrius faverint, qui antea frigide favebant, & favere cœperint, qui antea parum erant æqui. De me nihil est periculi. Nunquam ero neque magister erroris, neque dux tumultus. Et tamen vix credas, quibus modis invitatus sim, ut me vel paululum *Lutherano* negotio admiscerem, cujus si spem ullam facere voluissem, *Lutherana* res longe secus haberet. Sed absit hæc cogitatio ab animo *Erasmi*. Hactenus prædicavi quietem & concordiam, hactenus laboravi *Christo*. Et instat vitæ terminus, non relinquam institutum, nec amittam coronam: rabulas hos, dedecora Ordinis sui, *Christo* judicandos relinquo, quanquam se magis lædunt quam me, sic passim ab illis alienatur populus. Nunc edimus omnia Opera *Augustini* castigata & scholiolis illustrata. Hoc confecto declarabo, quam mihi displiceant homines seditiosi, quam ex animo faveam Sedi *Romanæ*, etiamsi illa hujus vermiculi favore non eget. Cui hoc etiam favebunt impensius optimi quique, si illa sinceris animis favebit gloriæ *Christi*. Nec enim aliis ornamentis oportet esse splendidum summum *Christi* vicarium, quam quibus excelluit ipse *Christus*. Literas tuas accepi resignatas, caute fac igitur ut scribas. Proxima hyeme videbis me *Romæ*, modo vita suppetat ac valetudo. Bene vale, patrone optime. Episcopo *Wigornienſi* me commendabis diligenter. *Lovanio* 13. Septemb. Anno 1520.

## EPISTOLA DXXXI.

*Erasmus Rot. sereniſſimo Anglorum Regi Henrico VIII.* S. D.

SERENISSIME Rex, cum non minima pars vitæ ac felicitatis humanæ sita sit in bonis literis, quo magis impetuntur hoc tempore à stolidissimis quibusdam, hoc magis sublevandæ sunt favore præsidioque Principum, erga quos non sunt ingratæ futuræ. Præ-

Digitized by Google

An. 1520. Præcipue vero favendum iis ſtudiis, quæ conducunt ad pietatem, *Chriſtique* Principis noſtri gloriam. Hac in re utinam animum majeſtatis tuæ cæteri quoque Reges ac Proceres imitarentur. Quanquam ſunt qui id faciant, & ſpero brevi futuros complures tuæ pietatis æmulos. Minimum eſſe fateor quod ego poſſum in literis. At tamen ita *Chriſtus* ſit mihi propitius, ut ego quicquid adhuc ſcripſi, aut ſcripturus ſum, in illius gloriam & ſcripſi, & ſcripturus ſum. Certe hactenus induſtriam noſtram probant optimi quique, & in his ſummus ipſe Pontifex. Conſpirarunt tamen aliquot, quibus, nimium aſſuetis veteri vappæ, non placet noſtrum muſtum. Pauci ſunt, & ſtolidi, ſed tamen devotis animis conjurarunt, adeo ut vel periculo ſuæ ſalutis, cupiant exſtinctas bonas literas, quas dolent ubique tam feliciter refloreſcere. Ab his ſuſpicor inſtigatum *Eduardum Leum*, ut in nos debacchare-tur, cum ipſi non auderent prodire in proſcenium, juvenem gloriæ cupidum & ſibi placentem ſubornarunt, ut pro ipſis fabulam ageret. Qui utinam aut aliter ſcripſiſſet, aut *Anglus* non eſſet. *Eduardo* nihil debeo, ſed tamen animo *Chriſtiano*, melius illi volo, quam ipſe vult ſibi. *Angliæ* debeo, quantum non alteri nationi. Mitto Celſitudini tuæ libellum, quo illi reſpondeo, ſed abſque convitiis: quem ſi vacabit inſpicere, videbit quam res ipſa *Lei* pollicitis non reſpondeat. Non redibit ad convitia, ſi ſuo volet honori conſultum. Argumentis non arbitror unquam reſponſurum. Ea in re perdidi dies ferme quadraginta. Quod temporis utinam collocare licuiſſet in Opus aliquod, quo vel tuam egregiam virtutem poſteritati commendaſſem, vel *Chriſti* gloriam pro mea virili illuſtraſſem. Precor ut *Chriſtus* Optimus Maximus generoſos juxta ac pios conatus majeſtatis tuæ ſuo favore ſemper in majus meliuſque provehat, mihique tantum velit ætatis ſupereſſe, ut aliquando liceat declarare quantopere ſciam me debere benignitati tuæ vere regiæ, quæ dignabitur *Eraſmum* extremum clientulum ſuum ſolito favore proſequi. *Antuerpia* 14. Septembris, Anno 1520.

## EPISTOLA DXXXII.

Franciſcus Craneveldius Eraſmo *S. D.*

NON *poſſum non agere tibi gratias, vir undecunque doctiſſime, quanquam ineptioribus meis literis pro tuo illo nuper in me collato beneficio, cujus erit apud nos ſane memoria ſempiterna, quod ego tanti æſtimo, ut ne* Croeſi *quidem opibus redimi patiar. Quod inquis beneficium? Quod me ad ſuaviſſimum illum* Morum *tuum, imo nunc noſtrum deduxeris, apud quem poſt tuam abitionem frequens fui, vocante quidem illo, cujus ego non tanti facio τὰς τραπέζας ὑπὲρ τὰς ἐν Σικελίᾳ, quanti eruditionem, humanitatem, liberalitatem. Proinde plurimum tibi debere me profiteor, cupioque tibi grati animi ſigna demonſtrare: deinde plurimum mihi dolet, quod quum adeſſes* Brugis, *tam raro te inviſerim, frivolis quibuſdam negotiis occupatus, ut occaſionem illam multa ſimul optimaque diſcendi, ſic è manibus elabentem, non vel mordicus apprehenderim. Memini quid tu dixeris de* Flandricis *moribus, ſed velim tibi perſuadeas me totum eſſe tuum, nec iis ipſis eſſe contaminatum.* Morus *abiens δακτύλιον χρυσῆν donavit uxori meæ, in quo verbis* Britannicis γέχαπλαι, Bona voluntate cenſeri omnia. *Mihi vero vetuſta nomiſmata dedit, aureum, argenteumque: in altero eſt* Tiberii *effigies, in altero divi* Auguſti. *Quæ te ſcire volui, quia pro his etiam tibi me debere gratiam ſemper confitebor. Vale, & me, ſi quid poſſim, utere.* Brugis 19. *Septembris, Anno* 1520. Fevinus *noſter valet, & ſuo nomine ſalutem adſcribi voluit.*

## EPISTOLA DXXXIII.

*Eraſmus Roterod. Petro Manio, ex Ordine Dominicali,* S. D.

MIHI ſane non uno nomine grata fuit tua epiſtola, vir optime, ſed varius quidam caſus eam mihi nunc eripuit, nunc reſtituit, unde factum eſt, ut hactenus illi non reſponderim. Principio cum redderetur, vix erat vel legendi ocium, poſt ubi nonnihil daretur ocii, inter literarum faſciculos ita delituit, ut menſibus aliquot diu multumque quæſita, non quita ſit inveniri. Tandem ultro non quæſita ad manus venit, &, ut inquit *Ovidius*, *non inventa, reperta eſt.* Eam rurſus ſepoſui in primum ocium, quod obtingeret. Rurſum periit, nec divinare poſſum quo pacto. Proinde ne ſuſpicere mihi tuas literas parum fuiſſe gratas, aut me adeo faſtidioſum, ut pigeat hominis, licet ignoti, tamen, ut ego conjicio, probi & eruditi, literis reſpondere, ex mea memoria petam, quod eram ex epiſtola petiturus. Primum, ſi ſatis commemini, commemorabas, quanto ſtudio, quanto applauſu, quantaque gratulatione totius populi, ſed præcipue eruditiorum, ſit acceptus publica concione *Martinus Dorpius*, & hujus laudis portionem aliquam in me conabare transfundere, quaſi ille, quod talis vir evaſiſſet, nonnihil deberet meis lucubrationibus. Deinde narrabas iſthic eſſe complures, qui mea ſummo ſtudio complecterentur, rurſus eſſe nonnullos, qui pari odio averſarentur & *Eraſmum* ipſum, & *Eraſmi* libros: atque in hoc numero quondam fuiſſe te quoque priuſquam noſtra legeres, verum, evolvendis ac penſitandis noſtris voluminibus, ſic eſſe transformatum in alterum hominem, ut nullius ſcriptis æque delecteris, atque unice jam adames illum prius exſecratum *Eraſmum*. Sub hæc veluti jam familiaritate nonnulla mecum contracta, duo quædam rogas: primum ne quid *Græci* ſermonis admiſceam ſcriptis meis, ne lector ejus linguæ rudis alienetur; deinde ne patiar ut *Gallia* ſibi me aſſerat, ſed ingenue fatear *Bataviam* eſſe *Germaniæ* partem, videlicet ne tanta gloria fraudetur. Ad quæ, ut paucis idque præpoſtero reſpondeam ordine; Primo mihi non admodum referre videtur, quo quiſque ſit loco natus, & inanem quandam gloriam arbitror, ſi civitas aut natio ſe jactarit, quod unum aliquem genuerit, qui ſuis ſtudiis non patriæ præſidiis magnus ac celebris evaſerit. Juſtius gloriatur quæ magnum fecerit, quam quæ genuerit. Atque hactenus ita loquor, quaſi quicquam ſit in me, de quo poſſit ſibi placere patria. Mihi ſatis eſt ſi non pudeat illam mei, quanquam *Peripateticus* non prorſum improbat ejuſmodi gloriam, quæ calcar addere poſſit ad honeſtarum rerum æmulationem. Hujuſmodi ſi quid eſſet in me, optarim ut non *Gallia* modo ac *Germania* me ſibi utrinque vendicarent, ſed ſingulæ regiones, ſingulæ urbes *Eraſmum* ſibi certatim aſſererent: utilis eſſet error, qui tam multos ad honeſta provocaret. An *Batavus* ſim mihi nondum ſatis conſtat. *Hollandum* eſſe me negare non poſſum, ea in parte natum, ut ſi Coſmographorum picturis credimus, magis vergat ad *Galliam* quam ad *Germaniam*, quanquam extra controverſiam eſt, totam eam regionem in confinio *Galliæ Germaniaque* ſitam eſſe. Quod aliquoties nonnihil *Græciſmi* meis ſcriptis admiſceo, non ſolum id facio doctorum pene omnium exemplo, ſive veteres, ſive recentes expendas, ſed etiam multo, ut opinor, moderatius cæteris, nunquam certe ſine cauſa. Sunt quædam, quæ niſi *Græce* dicantur, aut emphaſis vim, aut alluſionis jucunditatem, aut ſchematis gratiam perdunt. Quin incidunt interim, quæ nolim protinus à quovis intelligi. Et haud ſcio an expediat paſſim aliquid adſpergi ſermonis *Græcanici*, quo magis omnes compellantur etiam ad linguæ, multis modis neceſſariæ, cognitionem. Etenim ſi par eſſe judicas ideo me in totum abſtinere à *Græcis*, quod ſint à quibus non intelligar, eadem opera vetabis, ne *Latine* ſcribam, quod plurimi ſint qui *Latine* neſciunt: & tamen non inficior eſſe locum, ubi charitas ſe demittit ad captum ſimplicium, verum, iis quatenus ſit indulgendum, non eſt hujus temporis perſequi. Semper illis eſt adnitendum, ut ad meliora proficiant. Porro complures eſſe vehementer infenſos nobis noſtriſque ſtudiis, etiamſi tu



Digitized by Google

An. 1520. non ſcripſiſſes, tamen quotidianis rumoribus abunde diſcimus. Neque enim iſthic ſolum, verum etiam paſſim in omnibus pene oppidis, atque hic denique *Lovanii* tui Ordinis ſodales, & horum ſymmachi *Carmelitæ*, tam ſtolide debacchantur apud imperitam multitudinem in optimas literas, nonnunquam & in nomen *Eraſmi*, ut me ſane pudeat referre, quæ illos non pudet dicere. Atque hæc imputarem privatæ ſtoliditati paucorum, niſi id tam paſſim facerent, ut ex compoſito facere videantur, tam impune, ut patrum plebiſque conſenſu geri ſit veriſimile. Nam ſi non pudet evomere tam inſulſas nenias, tam vana, tam atrocia convicia in his concionibus, quæ doctrinæ Euangelicæ dicatæ ſunt, quid cenſes illos effutire apud ſtultas mulierculas, apud deliros ſenes, apud ſuperſtitioſos idiotas, apud ſimplices adoleſcentulos, quibus gravis eſt & oraculi inſtar iſtorum auctoritas. Atque utinam, mi *Petre*, contingat omnibus, quod tibi ſcribis uſu veniſſe. Id non tam mea proprie referret, quam publice veſtri Ordinis, cui tales rabulæ non levem concitant invidiam, ut ne commemorem interim, quod & populum detractionis tabe inficiunt, qua non alia lues capitalior, & ſacri ſermonis elevant auctoritatem. Bene habet, quod, uti ſcribis, jam victus es, expugnatus es, transformatus es. At mecum interim quam belle agitur, in cujus immerentis famam, ut eſt conjectandum, digna atque indigna loquutus es. Qui religionem abſolutam profitentur, hoc diligentius oportet à linguæ virulentia temperare, quod hac ratione, ut facillimum eſt lædere, ita difficillimum eſt mederi: & tamen fere videmus, qui piaculum eſſe ducunt veſci carnibus, aut aliter cingi, morbum hunc longe ſceleratiſſimum pro ludo habent. Sunt hic duo veſtri ſodalitii, alter Theologus, alter Theologiæ candidatus, quos ſi velim ulciſci, non alia via magis conveniat, quam mandando literis, quæ illi, mire ſibi placentes, quotidie vociferantur in nomen & ſtudia mea, in quibus nihil omnino ſapiunt. Eſt & *Carmelita* quidam Theologus Coryphæus, quem nunquam ſui pudet, cum quotidie videat ſe publice rideri ab omnibus. Jam quemadmodum magnopere faveo gloriæ *Dorpii* mei, quem ob eximias ingenii, doctrinæ, facundiæque dotes, ne tum quidem odiſſe poteram, cum à malis choragis adverſum me ſubornaretur: ita non video quid illinc mihi debeatur laudis, niſi fortaſſe quod olim adoleſcentem hortatus ſum ad meliora ſtudia, & lucubrationibus meis vel incenderim nonnihil illius ſtudia, vel adjuverim. Aut ego fallor, aut illi ſuccedet, quod nos parum feliciter conati ſumus. Bene vale, meque tuis precibus *Chriſto* commenda. *Lovanio* 1. Octob. Anno 1520.

## EPISTOLA DXXXIV.

*Eraſmus Rot. Jacobo Vilingero, Romani & Hiſpan. Regis Theſaurario*, S. D.

QVOD de nomine duntaxat tibi notus ad te ſcribo, vir incomparabilis, non debes imputare meæ impudentiæ, ſed tuæ ab omnibus prædicatæ humanitati. Quod ſi me ab impudentiæ crimine non abſolvis, certe levius damnabis, ſi cogitaris hanc improbitatem ab humanitate profectam eſſe. Nam ut ſic auderem, extorſerunt à me hujus egregii viri *Joannis Fabri* preces, vel merita potius. In quo cum tot egregias dotes perſpexerim, raram morum integritatem, eruditionem haud quaquam vulgarem, judicium acre, fidem & humanitatem incredibilem, exiſtimabam me gratiam etiam initurum apud tuam celſitudinem, qui tibi hominem efficerem notum, aut ſi jam notus eſt, efficerem notiorem, qui pro tua ſingulari probitate, proque fide erga Principem, ſoles impenſe favere iis, quorum virtutibus intelligis ornari ſimul & fulciri monarchias: inter hos vel me auctore pones hunc *Joannem Fabrum*, ſi quid omnino judico, non vulgare decus Ordinis ſui: qui vel citra noſtrum officium ſe tibi ſuis dotibus abunde commendabit, ubi propius hominem inſpexeris. De meipſo non video quid poſſim polliceri, animum certe ac ſtudium fidemque polliceor, ſi qua in re voles *Eraſmi* in te obſervantiam explorare. Bene vale. *Lovanio* 3. Octobr. Anno 1520. An. 1520.

## EPISTOLA DXXXV.

*Mercurino Gattinario, Cancellario ſummo Romani & Hiſpan. Regis Caroli, Eraſmus Rot.* S. D.

MAGNIFICE vir, ex aliquot familiaribus congreſſibus comperio hunc *Joannem Fabrum* Ordinis *Dominicani*, multis eximiis dotibus præditum, religione nequaquam fucata, judicio prudentiaque ſingulari, eruditione ſolida, quarum rerum commendatione Cæſari *Maximiliano*, virtutum omnium, ut fautori candido, ita judici exacto, cum primis charus fuit. Convenit autem, opinor, ut quemadmodum *Carolus* noſter in avitum ſuccedit imperium, ita virtutum etiam avitarum hæreditatem capeſſat. Porro quod petit, non ſolum æquiſſimum eſt, verum etiam facillimum, videlicet ut idem muneris quod habuit apud Cæſarem *Maximilianum*, apud hunc retineat. Atque id ut fiat, ad publicam rei Chriſtianæ pertinet utilitatem, mea ſententia, ſimulque ſacri imperii dignitatem. Id cujuſmodi ſit, ex ipſo rectius cognoſces. Scio mihi non fuiſſe multum conſuetudinis cum celſitudine tua, ſed hanc fiduciam mihi præbet, partim animus iſte tuus ad omnes res honeſtas omnibus expoſitus: partim quod confidam fore, ut quemadmodum te ſucceſſorem habemus eximii viri *Joannis Sylvagii*, omnibus ornamentis parem, aut etiam ſuperiorem: ita hac quoque in parte ſis illum relaturus, ut *Eraſmo* faveas, qui nihil aliud agit in hac vita, quam ut ſuis ſtudiis *Chriſti* gloriam ac bonas literas provehat. Si qua in re potero vel tibi, vel Cæſareæ majeſtati uſui aut ornamento eſſe, nihil defugiam, quod modo præſtare poſſim. Bene vale, vir omnibus modis eximie, cui quam commendatiſſimus eſſe cupio. *Lovanio* 4. Octob. Anno 1520. An.

## EPISTOLA DXXXVI.

*Eraſmus Rot. Alberto Cardinali Moguntino* S. D.

GESTIENTEM advolare iſthuc in tuos complexus, hactenus aliquot negotiola detinuerunt, verum, ſi poſthac cœlum dabitur commodius, adero brevi *Coloniæ*. Epiſtolam, quam tuæ celſitudini de *Lutbero* ſcripſeram, editam doleo. Ego certe bono animo ſcripſeram, ſed non in hoc ſcripſeram, ut ederetur. Neque cuiquam à me fuit exemplaris copia. Incluſeram eam literis ad *Huttenum* obſignatis, admonens, ut ſi videretur expedire redderet in tempore: ſin minus, premeret, aut aboleret. Quo magis admiror, quo conſilio factum ſit, ut & ederetur per typographos, nec tibi redderetur. Si hic caſus fuit, fuit infeliciſſimus: ſin perfidia, pluſquam Punica fuit. Utinam hic *Joannes Faber*, Ordinis *Dominicani*, tuæ celſitudini tam eſſet commendatus, quam merentur hominis eximiæ dotes, ingenium promptum & expeditum, judicium excuſſum, eruditio ſolida & abſtruſa, lingua feliciſſima, mores candidi facileſque. Video tyrannidem quorundam nimium ſuccedere. Nec aliud mihi ſuccurrit, quam precari, ut res tota cedat in gloriam *Chriſti*, utcunque cedet nobis. Bene vale, meum decus. *Lovanio* 8. Octobris, Anno 1520.

## EPISTOLA DXXXVII.

*Eraſmus Rot. ornatiſ. Præſuli ac Principi Leodienſi*

SALVTEM P. Ornatiſſime Præſul, qui has reddidit, *Joannes Faber*, Theologus inſignis, Ordinis *Dominicani*, cupit tuæ celſitudini commendatus eſſe, ac mea ſententia dignus eſt qui ſit. Erat *Maximiliano* Cæſari cum primis charus ob egregias dotes, quibus præditus eſt. Eruditio eſt recondita, ingenium promptum ac verſatile, lingua feliciſſima, mores faciles candidique, ani-

Digitized by Google

An. 1520. animus, ut mihi videtur, integer. Gratus est multis Germaniæ Principibus. Et tamen habet qui illi male velint: ut nunquam caret æmulis virtus eminens. Optime sentit de tua celsitudine: apud quam existimat me nonnihil valere. Si quid valeo, id totum est humanitatis tuæ, non meriti mei. At spero fore, ut hominis virtutes impetrent, etiamsi mea non impetret epistola. Impetrata est à Principe pensio, me quidem non ambiente, sed hoc est gratius Principis optimi munus, & tibi tuique similibus plus debeo. Quorundam immodicam licentiam sic gaudeo coerceri, ut verear ne successus hic animet bonarum literarum osores, ad opprimenda meliora studia, non enim dicam doctrinam Euangelicam. Bene valeat tua celsitudo. *Lovanio* 8. Octob. Anno 1520.

## EPISTOLA DXXXVIII.

*Erasmus Rot. D. Gabrieli Ofhusio Cartusiensi* S. D.

A STVDIIS ac negotiis vix erat ocium scalpendis, ut ajunt, auribus: tamen mitto tibi tuos versiculos, ne queri possis ulla in re non morigerum animo tuo fuisse *Erasmum*, vere tuum in *Christo*. Scio quam multa mala doceat ocium. Proinde malo te istiusmodi opellis transmittere tempus, quod datur à sacrorum pensis vacuum, quam ad deteriora prolabi. Attamen longe satius erat, è sacris Libris *Christi Paulique* imaginem vivam & efficacem pectori tuo penitus imprimere; quam plumbo, ære, chartisve exprimere. Quod ipsum arbitror te facere, mi *Gabriel*, nec istam industriam tuam aliud esse quam felicis ingenii luxuriem: quam in suo *Nepotiano* laudat etiam *Hieronymus*. Non arbitror à *Christo* nato seculum fuisse malitiosius. Quo minus oportet vos pœnitere instituti vestri, me mea fata in has procellas abripuerunt. Nec tacere mihi licet, nec digna *Christo* loqui. *Christus* clamat, *Confidite, ego vici mundum:* Mundus videtur brevi clamaturus, *Ego vici Christum*, adeo pro dotibus Euangelicis palam regnat ambitio, voluptas, avaritia, audacia, vanitas, impudentia, livor, malitia; etiam inter hos qui se lucem ac salem hujus mundi profitentur. Revisam vos, ut primum licebit. Interea salutabis optimum patriarchen vestrum, œconomum, & eum qui nos obiter, magno, ut apparebat, affectu salutabat. Bene valentem & ad cœlestia semper anhelantem te servet ac provehat Christus, unica spes piarum mentium, mi frater in *Christo* chariſſime. Ex *Anderlaco* 12. Octob. Anno 1520.

## EPISTOLA DXXXIX.

*Erasmus Rot. Godschalco Rosemundano, Lovanienſis Academiæ moderatori*, S. D.

NON arbitror necesse, ut te commonefaciam officii tui, cujus partes sunt, non solum hoc præstare, ne quis per teipsum lædatur, verum etiam ne cui liceat alterum injuria afficere. Quod *Nicolaus Egmondanus*, sive ex tuo, sive ex Pontificii diplomatis mandato multa dixit in *Lutherum*, nihil arbitror ad me pertinere: sed quod præter omne mandatum, ac præter Pontificis mentem, qui cupit & illos allici, qui hactenus stetissent à *Luthero*, tantum abest ut quenquam alienum velit involvi, pene plura dixit in me & falso & præter meritum meum, opinor auctoritatis simul & integritatis esse tuæ, hominem ab hujusmodi linguæ petulantia compescere: præsertim cum res sit exempli pessimi, & ordini Theologico atque huic celeberrimæ Academiæ, meo judicio, non mediocriter dedecorosa: nisi forte munus istud non geris publicis hujus scholæ commodis, sed paucorum affectibus. Atqui isthuc est servum non rectorem agere. In natali divi *Dionysii*, in æde divi *Petri*, in publica concione cum exorsus dicere de charitate, subito & præter decorum in me detorsisset sermonem (nam casu interveneram) præter alia multa illud in os dixit,



A me magnopere faviſſe *Luthero*: cum ego ab initio constantissime testatus sim, id quod res erat, mihi cum *Luthero* nihil esse commercii, nisi quod est cuivis *Christiano* cum quovis ejusdem professionis. Doctrinam Euangelicam & Apostolicam agnosco. Cæterum nulli mortalium tantum tribuo, ut illius dogmatis per omnia velim addictus esse: tantum abest, ut ejus causam meo periculo tuendam susciperem, cujus libros non legeram, & adhuc esset in incerto, quid esset scripturus in posterum. Id cum libris etiam editis publice testatus essem, non potuit cuiquam esse obscurum. Ex gustu quem ceperam, ex degustatis verius quam lectis aliquot *Lutheri* paginis, amavi in illo dotes quasdam, ex quibus conjiciebam illum esse posse egregium organum *Christi*, si ad hujus gloriam dotibus suis uti vellet. Cumque passim de illo multa prædicarentur atrocia, quædam etiam manifesto falsa, optabam illum, si parum bonus esset corrigi potius quam perdi: id si est favere *Luthero*, ingenue fateor, me nunc quoque favere homini, quemadmodum arbitror & *Romanum* Pontificem illi favere, simulque vos omnes, si modo vere Theologi, imo si *Christiani* estis. Siquidem ille præscriptis diebus satis multis, invitat ad resipiscentiam. Cæterum populus cum audit favere, nihil aliud intelligit quam me sentire cum illo in his, quæ damnantur ab aliis. Addebat quod erat impudentius, me non solum faviſſe, sed enixe etiam conatum defendere, atque ipsum irrisisse tantum videlicet heroa: quod in literis ad Card. *Moguntinum* scriptis meminerim *Carmelitæ* cujusdam, qui quod *Lutherus* scripsisset, non oportere sacerdoti confiteri capitalia peccata omnia, sed manifesta duntaxat, nimirum sentiens manifesta, non quæ populo essent nota, sed quæ illi qui admisissent indubitata, quod genus sunt homicidium, adulterium, furtum, & quod nunc in peccatis esse desiit, virulenta obtrectatio: sic detulisset apud populum, quasi docuisset licere in confessione reticere quædam admissa criminalia. Atque istud non ex me somniaram, sed ex quodam vestri ordinis præcipuo cognoveram, cujus nomen, cum erit opus, proferam tibi. Ac nunc quoque affirmant esse verissimum, quod scripsi. An is defendat *Lutherum*, qui dicat locum aliquem perperam intellectum. Si *Lutherum* refellere pium est, nimirum intelligere necessarium est. Agnosco mediocritatem, vel potius tenuitatem meam: non mihi tantum eruditionis arrogo, ut possim de aliena fide pronunciare: nec tantum auctoritatis vendico, ut velim: nec tantum est ocii, ut vacet *Lutheri* libros evolvere: nec tam sum demens, ut in re tam odiosa velim probare aut improbare, nisi libris illius omnibus à capite usque ad calcem, quod dici solet, diligenter lectis ac relectis. Damnatur ubique præceps judicium, sed potissimum in exitium hominis: denique nec tam stultus sum, ut ultro me tam odioso negotio involvam, cui in omnem vitam sit serviendum, cum liceat ociosum spectatorem agere: & tamen obtuli vobis organum stili mei, si modo vos me idoneis argumentis instrueretis. Quanquam hæc res, non tam stylum poscit, quam judicium & sacrarum Literarum absolutam peritiam, denique animum ab omnibus humanis affectibus liberum. Hæc cum sic habeant, vides quam impotenter factum sit ab *Egmondano*, qui prius de me verba fecerit, quam de *Luthero*. Nec id satis, cum articulos aliquot recitaret in diplomate damnatos, veniſſetque ad articulum de Confessione, repente ἔξω τῶν πλαιῶν, quod ajunt, *sunt*, inquit, *qui dicunt hanc confessionem institutam non à Christo, sed à Patribus. Hoc*, inquit, *falsum est, videlicet me denotans, quod in apologia, qua Leo respondeo, disputem hanc confitendi rationem esse constitutionis humanæ: & ita disputo, ut Egmondanus non sit refutaturus, tametsi nihil definio.* Mox cum atrociſſimis verbis exaggerasset errores *Lutheri*, rediit ad intermissum de me sermonem. *In hos*, inquit, *prodigiosos errores incidit Lutherus, ob studium rerum novarum.* Et cum ante usque ad vomitum multorum



Digitized by Google

An. 1520. blateraſſet de novis ac veteribus: *Hærete*, inquit, *veteribus, fugite nova, adhærete veteri Euangelio*, ſatis aperte denotans Novum Teſtamentum: quaſi vero ego dederim novum Euangelium, ac non potius vetus & inſtaurarim, & illuſtrarim. Quid multis? Adeo vir egregius, & religionis columen, incanduit inter hæc, ut toto vultu furorem animi ſui teſtaretur. Nec erat facturus inſaniendi finem, niſi vidiſſet paſſim alios ridentes, alios indignantes, & obſibilantes, alios inter ſe muſſitantes. An non hæc erat bella fabula, digna quam talis hiſtrio, cum ſuo candido pallio, in loco ſacro, apud viros eruditos ageret? Nec his contentus, die Dominico proximo, eadem ferme repetens me *Antuerpiam* profecto, bellum adjecit elogium: *Et illi quoque*, inquit, *venient aliquando ad palum, ni deſtiterint.* Omitto nunc quæ blateravit in Theologicis, ordinariis, ac publicis lectionibus in me & in *Fabrum:* diceres non Theologum loqui de cathedra, ſed de plauſtro temulentum. Hæc videt tua prudentia, quam ſint impotenter dicta, etiamſi faviſſem *Luthero*, cum illi utcunque liberum eſſet favere, nondum judicata cauſa: nunc nemo me audivit vel inter pocula tuentem ullum *Lutheri* dogma, cum non deeſſent magni Theologi, qui non vererentur affirmare nihil eſſe in *Luthero*, quin per probatos auctores poſſet defendi. Sed iſtis bilem movent duæ epiſtolæ, quarum alteram ipſi ſcripſi *Luthero*, alteram Card. *Moguntino*. Verum, obſecro, prior illa quid habet niſi civilem admonitionem? cui ſi vir ille paruiſſet, res ad hunc tumultum progreſſa non fuiſſet. At in ea ſcribo, quod hic haberet complures fautores: & ſane habebat plurimos, ſed ita faventes, ut ego illi favebam: non quod probarent univerſa, ſed quod plurima, cuperentque pura ſinceraque eſſe omnia. Id ſcripſi non quo illum animarem ad ſeditioſe ſcribendum, à qua re illum in eadem epiſtola deterrui: ſed ut conaretur horum judicio ſatisfacere, vitatis his, de quibus admonebam: quod ſi feciſſet, & Pontificem *Romanum* habuiſſet fautorem. In poſteriore epiſtola quid aliud ago, quam ut moderatis rationibus cum *Luthero* ageretur potius, quam ſævitia ac violentia: neque dederetur *Dominicanorum* libidini, ſed æquis judiciis vinceretur: quod ſentirem Card. à nonnullis ad hoc inſtigari, ut illum ſua potentia opprimeret, cum magis expediret revinci. Erant aliæ cauſæ permultæ, cur hoc faciendum duxi, quas præſtat coram exponere. Hoc non erat probare quæ ſcribit *Lutherus*, ſed improbare modum ac viam, qua illum conabantur opprimere. In ea ſententia ſum etiam hodie. Nunquam probavi, nec probaturus ſum quenquam ſic clamoribus apud populum opprimi, priuſquam libri ſint lecti & excuſſi, priuſquam admonitus ſit qui errat, priuſquam redargutus ſit argumentis & ſacræ Scripturæ teſtimoniis. Si hoc eſt favere *Luthero*, favent illi magni viri, ſed cordati, qui tamen negotium ſuſceperant adverſus *Lutherum*, & hos tibi proferam cum erit opus. Imo faviſſe videtur illi *Romanus* Pontifex in Bulla, quæ tamen magis ſapit quorundam πλωχοτυφίνων ſævitiam, quam mite noſtri *Leonis* ingenium, qui & ſpacium indulſerit, & admonuerit, ut adverſus *Lutherum* prædicarent, haud quaquam id ſentiens, ut illum Antichriſtum appellarent, ſed ut divinæ Scripturæ teſtimoniis diverſa docerent, ſi quid ille perperam docuiſſet. Hoc enim, opinor, eſt Theologis prædicare: nam ut aliquem è ſuggeſtu magna voce belluam voces, aut Antichriſtum, nihil opus eſt Theologo, cum idem poſſit ſcurra quilibet. Conſilium meum non omnino fuiſſe malum, fortaſſis exitus ipſe docebit. Ego facti veſtri non ſum Deo rationem redditurus: quocunque conſilio res cœpta eſt, precor ut vertat in gloriam *Chriſti*. Admonui ut primum diligenter legerentur ſcripta *Lutheri*, deinde libris editis ac diſputationibus refelleretur, & omiſſis contentionibus, veritati conſuleretur, nec populus ad hujus fabulæ theatrum admitteretur: quid factum ſit, ipſi ſcitis. Tot ſunt millia rabinorum, tot ſunt qui ſibi dii videntur: nullus exſtitit, qui *Luthero* ſobrie docteque reſponderet, ſive inſcitia fuit in cauſa, ſive ignavia, ſive metus; quorum nihil competit in probos Theologos. Qui hactenus ſcripſerunt adverſus *Lutherum*, nec vobis probari ſcio: quorum primus fuit *Sylveſter*, proximus Minorita quidam, tertius ἀνώνυμος, etiamſi præ ſe fert Ordinem *Dominicalem*, nec diſſimulat ſe capere ſalarium annuum à Rege *Gallorum*. Sunt & alii, quorum libelli non prodierunt; nec opinor aliud ſenſiſſe Cardinalem *Dertuſenſem*, qui jubet illi doctrinaliter obſiſti, hoc eſt, non clamoribus ſeditioſis, ſed doctrinæ ſacræ præſidiis opprimi, ſi ſanari nolit, aut non poſſit. Ingenia generoſa doceri cupiunt, cogi non ferunt; cogere tantum, tyrannorum eſt: cogi tantum, aſinorum. In bello non eſt ſpecioſa quævis victoria. Conſulebam dignitati gloriæque Theologicæ, volebam illos verum ac plauſibilem referre triumphum. Si maxime faviſſem Ordini veſtro, ſi maxime fuiſſem infenſus *Luthero*, quod aliud dediſſem conſilium, quam dedi? Libris exurendis *Lutheri* fortaſſis eximetur è bibliothecis, an ex animis revelli poſſit, neſcio. At id poterat, ſi meo conſilio fuiſſet obtemperatum. Hoc conſilium, ſi vobis non placebat, tamen mihi fraudi eſſe non debuit, qui bono animo ſuaſerim *Alberto* Cardinali bene de me merito, cui me putabam hoc officii debere. Et ſuaſi literis obſignatis, nihil minus ſuſpicans, quam fore ut evulgarentur, & audio evulgatas priuſquam Card. redderentur: nec tamen editas, ut à me ſcriptæ ſunt, vel illud arguit, quod in his (ut ajunt) appello *Lutherum* noſtrum, quod à me certe nunquam fuit additum. Quod additurus non fueram etiamſi meus fuiſſet: ſed ad *Carmelitam* noſtrum redeo. Multum ἐβατιολογήσαλο de vitandis novis, de adhærendo veteribus, ſuſpectum habere oportere, quicquid eſſet novum, adhærendum Veteribus, tenendum vetus Euangelium. Hæc quid ſibi vellent plebs idiotarum demirabatur, eruditorum nemo neſciebat dici in linguas, ac Novum Teſtamentum à me recognitum. Porro, quod ad linguas attinet, inſignem injuriam ille facit ſummo Pontifici, qui tanto ſtudio curat, ut literæ *Græcæ Romæ* doceantur. Quod ad Novum Teſtamentum attinet, ſatis illi debuit eſſe, quod *Leo* decimus noſtram induſtriam comprobavit, cujus auctoritatem vult valere plurimum, quoties facit ad ipſius affectum. Si levis eſt illi Pontificis auctoritas, in comprobandis noſtris, cur illi gravis eſt in damnando *Luthero*? Ne commemorem interim ſtultiſſimam Battologiam novorum, ac veterum, ad quam plerique riſum tenere non potuerunt. Nam ille nova appellat, quibus ipſe non aſſuevit. Ita huic novus erit *Hilarius*, novus *Cyprianus*, novus *Hieronymus*, novus etiam *Auguſtinus*. Nihil vetus præter in ſcholas decantata dogmata, & gloſſam ordinariam cum additionibus. Imo huic vetus erit, quod novum eſt, novum quod vetus. Nos vetera inſtauramus, nova non prodimus. Deteſtati ſunt impudens hominis mendacium, cum diceret *Lutherum* horrendos illos errores hauſiſſe è novis, cum ex vetuſtis ſcriptoribus hauſerit, ſi quid hauſit, ut prædicant qui illius legere libros. Sed fortaſſe negabit ſe mihi injurium eſſe, qui nomen meum non expreſſerit. Certe iis notis deſignavit, ut nemo ſtudioſorum non agnoſceret. Quicquid meretur *Lutherus*, mihi non placet ut iſtiuſmodi clamoribus populus ad ſeditionem concitetur, cum res inter doctos tranſigi poſſit: ſed quid de hoc ſtatuatis, veſtræ prudentiæ relinquo: verum, in loco ſacro, in concione ſacra, apud promiſcuam multitudinem palam mentiri de homine immerenti, imo benemerenti, mihi videtur nihil aliud eſſe, quam elevare auctoritatem ſacræ concionis, quam expedit non minus eſſe puram, quam ſynaxim ipſam, fraudare populum ſuo fructu, & hujus Academiæ dignitatem obſcurare. Arbitror mihi pro meis vigiliis multo aliud deberi præmium. Quod ſi maxime eſſem in aliqua culpa, tamen quoniam adſum ipſe, & ſine periculo coargui poſſum, non debebam traduci apud populum, cui vindictæ jam nimium aſſuevit *Egmondanus*. Forte narratur inter pocula, quod hic

Digitized by Google

An. 1520. hic aut ille de illo dixerit, ille postridie semet ulciscitur in concione. Ac rursus inter pocula celebratur triumphus applaudentibus sympotis aliquot ejusdem farinæ. Quanquam quod ad meam injuriam attinet, non admodum ægre fero: sed illud vobis considerandum est, an conducat moribus populi, ut assuescat hujusmodi obtrectationibus, quæ paulatim etiam dulcescunt, posteaquam serpsit venenum: an expediat hujus Academiæ publicæ utilitati, cui fortassis amplius faveo, quam quidam qui sibi videntur favere maxime. Nec enim Principis benignitas hanc instituit Academiam, ut illic suaviter agerent tres aut quatuor, sed ut in totius ditionis utilitatem hic floreant omnia honesta studia. Videlicet in gratiam *Egmondani* exsulabit poetria; sic enim ille vocat poeticen, cujus adeo rudis est, ut ne nominare quidem possit: & locus dabitur sycophanticæ, etiam dicato collegio. Sed ne te prolixioribus onerem literis, magnifice Rector, si stolidis istiusmodi clamoribus imposueritis silentium, consuletis non tam mihi, quam tranquillitati publicæ studiorum, quam moribus populi, quam auctoritati sacrarum concionum, quæ blateramentis hujusmodi profanantur, quales quales nos sumus. Sin aut non vultis, aut non potestis, ipse fortassis experiar remedium, nam satis diu videor mihi tulisse hominis istius furias, quas scio nemini vestrum placere: sed quidam abutuntur hujus ingenio, veluti malo nodo malum adhibentes cuneum. Hæc malui scribere, quod id esset utrique commodius: cras si vacabit, & tua valetudo patietur, coram plura, tum dicam, tum audiam. Bene vale. *Lovanio* 18. Octob. Anno 1520.

## EPISTOLA DXL.

Thomas Morus D. Erasmo Rot. *S. D.*

ACCEPI, *mi* Erasme, *literas ab* Ventfordo, *quas per eundem tabellarium protinus ad te transmitto: ex quibus hominem facile deprehendes antiquum adhuc morem obtinere. Non petam ut ignoscas, quod tuas aperui: vides enim ut scripta tibi, sic mihi inscripta sunt, nec dubito quin eodem errore ad me contra scripta sint, quæ sunt inscripta tibi, quarum ego legendarum tam avidus eram, ut resignare non libuerit. Si quid in his videris quod me putabis velle scire (quod ego certe non puto) significa. Opinor ad te perlatas, quibus te certiorem facio de recepta tabula, de qua rursus, ac millies, mi* Erasme, *rursus, tibi ago gratias. De* Petro *tuo postquam ivit in* Angliam *nihil audio. Utinam tuum vere dignum Rege munus, aliquid tibi ab Rege conciliet boni. Feliciter tibi cedat, quod injunxit* αὐτοκρατῶς, *nam ipsi succedit nihil, imo per Deum omnia. Tuum consilium probo, qui non vis Principum negotiosis nugis implicari: & me plane amas, quum iisdem optas ut extricer, in quibus haud credas quam invitus versor: neque potest quidquam esse odiosius, quam hac est legatio. Nam & relegatus sum in oppidulum maritimum & solo & cœlo injucundum, tum domi qui meapte natura vehementer ab litibus abhorream, etiam cum lucrum adferunt, quantum necesse est hic adferant tadium, quum veniant comitante damno. Sed Dominus benigne pollicetur omnia repensurum Regem. Cum recepero, faciam ut scias. Interim vale, tu fortassis ultro non optas.* Eduardo Leo *multam ex me salutem dicito, &* Palgravo *nostro, si rediit. Iterum vale.* Caleto 25. *Octobris, Anno* 1520.

## EPISTOLA DXLI.

*Erasmus Rot. Joanni Reuchlino* S. D.

REVERENDUS Cardinalis *Sedunensis*, cum nuper apud eum pranderem, narrabat te vita defunctum esse. Mihi non libebat credere, quia non erat è re literarum verum esse. At mox lætiora nunciarunt alii, quæ precor ut nobis sint perpetua, vir optime, idemque doctissime. Vides fatalem esse Tragœdiam, quæ nunc agitur, cujus qualis sit futura Catastrophe incertum. Qualis qualis est futura, precor ut cedat in gloriam *Christi* & in rem Euangelicæ veritatis. Ego hujus fabulæ spectator esse malim, quam histrio, non quod recusem ob *Christi* negotium aliquod subire discrimen, sed quod perspiciam negotium esse supra meam exiguitatem. Utinam tam possem præstare quod est optimum, quam opto. Non dubito quin tibi adsint graves & amici consolatores, qui tibi omnem ægritudinem adimant, si quam animo concepisti, ut mea consolatione non sit opus. Altius infixus es animis bonorum virorum quam ut hinc ullis *Jacobitarum* obtrectationibus queas revelli. Res est invicta veritas. Et tacita bonorum judicia perpetuam obtinent auctoritatem, etiam apud posteros suum habitura pondus. Mihi semper studio fuit *Lutheri* causam à tua bonarumque literarum causa sejungere, quod ea res & nos vocaret in communem invidiam, & illum ne tantulum quidem sublevaret. Sed aliis aliter est visum. Me quoque tanta onerarunt invidia, ut parum abfuerit, quin & ipse fuerim impetitus ab istis, qui in bonas literas ac doctrinam Euangelicam conjurarunt. Obscurum non est quid agant illi. Id quo magis succedat, prætexunt splendidos titulos, irritant mitissimum Pontificis ingenium, ut illius malo suis consulant commodis. Utinam qui bonas literas colunt (nam in has tendunt isti) tam concordes essent ad honestarum rerum defensionem, quam isti devoti sunt ad subversionem honestissimorum studiorum. Si *Germanis* nostris placuisset civilitas, ad quam ego semper amplectendam hortatus sum, res fortasse non processisset huc tumultus. *Anglus* ille Episcopus, quo non alius in ea gente vel eruditior vir, vel Præsul sanctior, sic te deamat, ut non ferat à quoquam laudari te parcius. Habet in animo visere te æstate proxima. Bene vale, *Capnion* charissime. *Colonia* 8. Novemb. Anno 1520.

## EPISTOLA DXLII.

*Conr. Peutingero, Cæsareo Consiliario, Erasmus* S.

SCIEBAM tibi non esse vacuum tempus legendis quorumlibet literis, vir eximie, nec mihi multo plus ocii fuit ad scribendum, tamen huc impulit me *Joannes Faber*, Theologus ex Ordine *Dominicali*, quem equidem, quo propius contemplatus sum, hoc magis experior esse virum longe dissimilem quibusdam ejusdem sodalitii: nam præter eruditionem solidam, præter morum integritatem, atque etiam comitatem, comperi non mediocriter valere & judicio, & consilio. Frequenter inter nos commentati sumus de ratione componendæ hujus *Lutheranæ* Tragœdiæ, sine magno orbis tumultu. Quem enim bene volentem rebus humanis non commoveat hoc fabulæ exordium, cui nisi prospectum fuerit, periculum sit, ne in Catastrophen exeat *Christiana* religioni periculosissimam. Ex levioribus initiis sæpe nata sunt horrenda mundi dissidia. Ac, mea sententia, hic quoque verum est, quod scripsit *Marcus Tullius*, *Pacem vel iniquam, bello æquissimo potiorem esse*. Ac jam nunc fabula longius progressa est, quam velim, & tamen adhuc opinor malum esse medicabile, certe sanabilius est, quam si quibus cœpit auctibus longius etiam provehatur. Sic autem sanari cupiam, ne malum ad tempus suppressum, post majore cum discrimine recrudescat, quod solet usu venire medicis, qui potione propellunt febrem, non ante purgatis venis, unde febris scatet; aut qui cicatrice obducunt vulnus, nondum satis educto pure. Quibusdam videtur optimum factu, ut res omnis sævitia coerceatur, à quibus nec *Faber* admodum dissentit, nisi metueret, ne parum feliciter cedat austeritas. Ait non satis esse fortiter huc tendere, quo vocat animi voluntas, plurima circumspicienda sunt. Primum ut sic consulatur dignitati & auctoritati *Romani* Pontificis, cui merito favent omnes, ut *Christi* vicario summo, qui *Christum* ex animo diligunt, ne quid jacturæ patiatur Euangelica veritas. Neque dubito, quin hoc animo



An. 1520.

sit

An. 1520. sit *Leo* noster, ut tum demum se glorioſum esse putet, si doctrinam Principis sui viderit ubique florere. Negat hoc tantum esse spectandum, quid mereatur *Lutherus*, aut si qui *Luthero* favent, sed quid conducat publicæ orbis tranquillitati. Magni refert, qui manum admoveant huic malo, & quibus remediis curetur. Admiscent enim sese huic negotio quidam, qui læva sedulitate malum exasperant, atque conduplicant, non tam Pontificis auctoritati, quam suis commodis consulentes. Breviter sic agunt, ut non minus lædant optimas literas ac linguas, quam *Lutherum*. Neque æquum est, ob *Lutheri* causam lædere innoxia, imo sanctissima studia, nec expedit sine causa plures in *Lutheri* negotium involvere. Addebat, esse perpendendum, quo fonte natus fuisset hic tumultus: nimirum ex odio bonarum literarum, quas nunc malitiosa versutia conantur admiscere *Lutherano* negotio, quo nimirum eodem telo conficiant utrosque, licet multum inter sese semotos. Ita fieri, ut multi sint infesti *Lutheri* oppugnatoribus, non ob aliud, nisi quod iidem tendant hisce cuniculis in bonas literas, atque hoc odio commoti nonnulli favent *Luthero*, qui non erant alioqui fauturi. Ostendebat non sine magno dolore, quam paucis annis, quam late sese sparsisset hujus mali contagium. Sibi non ignotos esse *Germanorum* animos, qui ducantur citius, quam cogantur. Nec rem abfuturam à periculo, si nativa gentis ferocitas sævitiâ quorundam exasperetur. Videmus, inquit, hactenus pertinacem *Bohemiam*, & ab hac non admodum abhorrentes finitimas regiones. Sævitia sæpius hactenus tentatum est, neque quicquam promotum, diversis utendum remediis. Odium *Romani* nominis penitus infixum esse multarum gentium animis, opinor, ob ea quæ vulgo de moribus ejus urbis jactantur, & ob improbitatem quorundam, qui nonnunquam Pontificis negotium, non ex illius, sed ex suo gerunt animo, & sibi gerunt magis quam illi, quum nec Pontifici sit gerendum, nisi quatenus illius auctoritas servit *Christo*, gregique *Christiano*. Video rem hactenus multo aliter esse tractatam, quam viri prudentes putarint esse tractandam. *Lutherus* etiamsi vera scripsisset omnia, tamen eo modo scripsit, quasi veritati suum fructum inviderit. Contra qui se huic negotio transversim ingesserunt, sic gesserunt rem apud populum, ut etiamsi causam habuissent optimam, tamen illi plurimum obfuerint siniſtro patrocinio. Admonitus est *Lutherus*, ut stylum verteret & atrocitatem temperaret, scribit in dies, ut audio, sæviora. Admoniti sunt hi, ut moderatioribus rationibus rem agerent, quidam sic egerunt, ut cum *Luthero* colludere viderentur. Est autem genus hominum, mi *Pentingere*, quod publico malo saginatur, cuique rebus tranquillis male est. Hi nihil magis affectant, quam ut res mortalium sursum deorsum misceantur. Tum ἐν ὴ διχοστασίῃ κἀνδροκλείδης πολεμαρχεῖ. His placet sævis modis negotium hoc obrui magis quam finiri, nec laborant quanto orbis malo, modo ipsorum bono: mea sententia nihil agetur in hac causa, si qui rem tractant, alium scopum sibi proponunt quam *Christi* gloriam. Saxum illud hinc atque hinc tundi potest, loco moveri non potest, cui inscriptum est illud mysticum elogium, *Novit Dominus qui sunt ipsius*. Quicquid à spiritu *Christi* proficiscitur, non potest humanis præsidiis opprimi, quantumvis prematur: quicquid humanis consiliis tentatur, temporarium est, quantumvis ardentibus studiis agatur, quantumvis operoso molimine ad perpetuitatem communiatur. Mei similium non est de Pontificum diplomatis judicare. Erant tamen, qui in Bulla, quam attulit nuncius Pontificius, mansuetudinem illam desiderarent, dignam eo, qui mitissime *Christi* vices primarias gerit in terris, dignam hujus *Leonis* ingenio, multo hactenus placidissimo, quod tamen ipsi non imputant, sed instigatoribus. Jam ut hac, inquit, sævitia maxime aboleantur libri *Lutherani*, ut ipse etiam tollatur è medio, metuendum est, ne malum exasperetur magis quam finiatur, & pro uno sublato exoriantur plures, donec res ad certamen & schisma deducatur. Breviter hæc tempestas insignem aliquem artificem desiderat, qui negotii cursum moderetur, ut nec fluctibus obruatur, nec illidatur vadoso littori, & ita, quod ajunt, devitet *Scyllam*, ne rapiatur in *Charybdim*; ita malum hoc amputet, ne qua possit excetra repullulascere. Censet igitur *Faber* noster, rei summam arbitris doctis, integris, & ob omni suspicione alienis delegandam, non quod *Romanus* Pont. sit cogendus in ordinem, & alieno subjiciendus arbitrio, sed quod existimet illius pietatem, hoc sponte volentemque facturam, si cognorit ad publicam *Christiana* religionis tranquillitatem conducere. Sed hujus consilii viam ipse tibi copiosius exponet coram: quæ si probabitur, adjunges tuæ prudentiæ consilium, ut in *Wormacia* conventu statuatur aliquid, quod omnibus bonis approbetur. Quanquam non dubito quin hic *Joannes Faber* sit tibi pro suis meritis commendatissimus, tamen etiam atque etiam oro, ut tuo in illum studio, nonnihil etiam accedat ex mea commendatione. Non potes *Erasmum* alio officio magis devincire. Ubi nunc sunt, qui clamitant *Erasmum* parum æquum huic Ordini? Talis animus, talis eruditio, tales mores mihi vehementer placent, sub quocunque pallio. Bene vale. *Agrippina* 9. Novembr. Anno 1520. An. 1520.

## EPISTOLA DXLIII.

*Erasmus Rot. Jodoco Jona* S. D.

VIR optime, epistolas in *Leum* scriptas, etiamsi ille meretur acerbiora, supprimendas duxi, quum aliis de causis, tum ob hoc præcipue, ne illum poneremus in aliqua factione, quum eum nec adversarii nostri agnoscant. Venit huc *Hieronymus Aleander*, satis peritus trium linguarum, sed factus, ut apparet, ad hanc tragœdiam. *Lovanii* primum aliquot *Lutheri* libros incendit, in ipso Cæsaris discessu, mox idem fecit *Leodii*, idem in crastinum parat *Colonia*. Mihi non levius succensent, quam ipsi *Luthero*, quod existimem me unum obsistere, quo minus ubique totus *Lutherus* aboleatur, quum ego me multis de causis nunquam admiscuerim causæ *Lutheranæ*. Faveo bonis studiis, faveo veritati Euangelicæ: id vel tacitus faciam, si palam non licet. Dabit aliquando *Christus* tempora sereniora. Hæc paucis scripsi, mi *Jona*, ne nihil scriberem, quum sese offerret grammatophoros, quondam vestræ peregrinationis comes. *Gasparem Schalbum*, *Draconem*, *Hessum*, ac reliquos amicos jube salvere multum meis verbis. *Agrippina* 11. Novembris, Anno 1520.

## EPISTOLA DXLIV.

*Erasmus Rot. Joanni Oecolampadio* S. D.

EPISTOLAM, sive libellum potius tuum nondum perlegi totum. Ad obsignatas literas mihi longe gratissimas tribus verbis respondebo, velut occupatissimus. Absit, mi frater, ut ego quenquam ab instituto sancto deterream, nedum te, qui jam per ætatem, & tibi notus es, & vitæ genus non ignorabas. Tum optabam ex animo, ut quod ageres feliciter succederet; nam literis tuis suspicabar tale quiddam tibi esse in animo, nunc gratulor succedere. O vere felicem & Euangelicam philosophiam, id serio meditari, ut animus omnibus hujus mundi cupiditatibus defæcatus, expeditus ac liber hinc avolet, evocante *Christo*. De *Pharisæis* bona verba. Hos denotabam, qui nunc prætextu religionis oppugnant veram religionem, & nobis miris technis odiose facessunt negotium, quorum tædio liberet vel in solitudinem aliquam demigrare si liceat, & omnino facerem, ni me corpusculi imbecillitas prohiberet. Proinde suspicionem istam prorsus ex animo rejice. Neque enim dubito, quin tua prudentia gregem purum & integrum delegerit. Metaphrasim tuam in *Ecclesiasten* recepi, sed nondum legi. Proximis

Digitized by Google

An. 1520. ximis literis scribam quid de ea sentiam. *Capito* totus est aulicus, & succedit illi res, sed nonnihil vereor, ne quid illum inesset hic mundus, si unquam alias, perversissimus. Neque quicquam interea possumus nisi optare optima. Bene vale, frater in *Christo* charissime. *Agrippinæ* 11. Novembris, Anno 1520.

## EPISTOLA DXLV.

*Erasmus Richardo Sbrulio suo* S. D.

PARVM humanus videatur, qui succenseat vel immodice amanti. Proinde non possum non ignoscere tuis carminibus, eruditissime *Sbruli*, sane quam eleganter, sed minus amanter de me mentientibus. Neque dubito, quin carminum horum candori, animi candor respondeat. Ingenii tui veram, non minus sinceram quam felicem, ac benignam, primum ex eo carmine perspexi, quod sic ex tempore lusum *Lovanii* reliqueras. Jamque utriusque animus utrique notus erat, quum neuter alteri de facie notus esset. Sed familiaritas, quæ mihi tecum intercessit *Agrippinæ*, non parum magnam accessionem adjunxit meæ de te existimationi, quum ea res fere soleat opinionis jacturam aliquam adducere. Sed heus tu, optime *Sbruli*, ama tuum *Erasmum* quantum voles immodice, modo prædices parcius. Nosti vetus illud Jurisconsultorum adagium, *Nec omnia, nec passim, nec ab omnibus.* Ut non est injucundum laudari à viro laudato, ita non expedit apud quosvis prædicare, quæ tuus in nos amor suggerit animo tuo, ut ne dicam interim quod quædam in me non competunt. Minus nos gravat qui detrahit quod adest, quam qui tribuit quod non habemus. Tu vero quoties amoris œstro percitus bonis lateribus declamas, & omni genere armorum depugnas adversus eos, qui minus *Erasmo* tribuunt, quam tua vellet in me benevolentia, quæso, quid aliud efficis, quam ut illos irrites ad pejus etiam de me prædicandum, & me degraves invidia, cujus nonnulla fortasse portio in te quoque derivetur? Ego jampridem ut obtrectationibus assuevi, ita laudum gloriæque sum satur, ingenue profitens me nihil scire, quod possum præsto. Si non assequor quod conor, tamen in rebus honestis & arduis, vel conatus laudi dari solet: si quid labor, sic me consolor, Homo sum, & hæc culpa cum nemine mihi non communis est. Si quis me superat, gratulor publicæ studiorum utilitati, neque mihi turpe duco, si cum ipse multos præcurrerim, exsistat aliquis qui me vicissim antevertat. Nec ideo pilo futurus sim doctior, si me profitear omnia scire. Nec ob hoc sum indoctior, si cum *Socrate* fatear me nihil omnino scire. Quanquam omnino quota cognitionis portio est omnis nostra scientia? Nam de mea nihil dicam. Ego meam fabulam propemodum peregi. Supereſt ut addam, Valete & plaudite. Gaudeo passim exoriri, qui meum nomen, si quod tamen est meum nomen, sint obscuraturi. Omnibus his precor, ut res optime succedat, sed tibi, cumprimis, *Sbruli* candidissime, quem utinam Cæsaris nostri benignitas inauret. Bene vale. *Agrippinæ* 13. Novembris, Anno 1520.

## EPISTOLA DXLVI.

*Erasmus Rot. Paulo Ritio* S. D.

LIBELLVS tuus, eruditissime *Riti*, me paulo æquiorem reddidit negotio *Caballistico*: quanquam antehac non eram admodum infensus, siquidem ignoscendum arbitror, ut humanum vitium, si quisque faveat iis studiis, in quibus & plurimum insumpsit temporis, & se præcipue valere confidit. Cæterum istos quis ferat, qui quicquid non intelligunt tam acerbis, tamque pertinacibus odiis persequuntur? Neque vero uno nomine mihi placuit Opus. Eruditio, quæ tibi perpetua est, hic mihi non potuit esse nova. Sed imprimis arrisit candor ille & perspicuitas, quæ rem ita ponit ob oculos, ut cæco quoque possit esse conspicua. Arrisit animus iste Gratiis & amicitiæ natus, qui tanto studio tuetur hominis eruditissimi innocentiam, adversus impudentissimos sycophantas. Arrisit denique te, hoc est absoluto veroque philosopho, digna moderatio: qua sic fortiter patrocinaris amico, ut à convitiis in adversarium temperes, magis reputans quid te, quam quid illo dignum esset. Nam brevitati non perinde faveo, cum mihi licet occupatissimo perlectum Opus famem sui reliquerit. Bene vale, doctissime *Riti*. *Agrippinæ*, Anno 1520. An. 1520.

## EPISTOLA DXLVII.

*Laurentio Campegio Card. Erasmus Rot.* S. D.

DECRETVM erat hyemare *Romæ*, cum aliis de causis, tum ut locis nonnullis Pontificiæ bibliothecæ præsidiis uterer, apud nos enim sacrorum Voluminum *Græcorum* magna penuria. Nam *Aldina* officina nobis præter profanos Auctores adhuc non ita multum dedit. Sed hi crebri Regum congressus, à quibus mea referebat non prorsum abesse, nos hic remorati sunt. Itaque quod nunc non licuit, *Christo* favente in proximum annum moliemur. Mihi libebit vel totum hoc ætatis, quod superi volent superesse, *Romæ* peragere: ubi bonis studiis non solum tranquillitas est, verum etiam honos. Hæc regio tametsi miteſcit indies, tamen nondum omnino exsuere potest sylvestre ingenium. Et habet antiqua barbaries pertinacissimos suæ factionis propugnatores. Ac mea sententia peccatur utrinque. Qui favent melioribus studiis, malunt ut hostes irrumpere, quam ut hospites paulatim in societatem & amicitiam coaleſcere; malunt veteres colonos suis finibus depellere, quam commutatis utrinque bonis, utrisque consulere. Contra, qui sibi stultissime persuaserunt se bonam existimationis suæ partem amissuros apud populum, nisi funditus exstinxerint eas literas, quas ipsis nec didicisse contigit, nec vacat discere, tam virulentis, tam stolidis conviciis in eas debacchantur publice, privatim, etiam in sacris concionibus: ut me pudeat recensere, quæ illos non pudet apud promiscuam multitudinem designare, in linguas, in bonas literas, quas tanti faciunt, tum optimi quique Principes, tum ipse *Leo* summus antistes non religionis modo, sed & eorum studiorum, quibus intelligit, *Christianam* philosophiam, vel illustrari, vel propagari, vel constabiliri. Atque hæc agunt devotis animis conjurati, & quod est sceleratius, ad rem exsecrandam abutentes sacris concionibus: quas magis refert ad publicos mores puras esse, quam sacrosanctam Synaxim. Siquidem hanc qui indigne tractat, uni sibi pernicioſus est. Cæterum qui loci auctoritate, qui populi docilis credulitate, non ad *Christi* gloriam, sed ad suos affectus abutitur, & multorum animos, divinæ doctrinæ pabulum exspectantes, fraudat & inficit suo veneno, & sacræ concionis elevat auctoritatem. At isti non contenti in optimas literas digna atque indigna dicere, sæpenumero non verentur è sacro suggesto famam eorum incessere, quorum industria putant hæc studia provehi: inter quos cumprimis ponunt *Erasmum*, qui si negem me favere politioribus literis, plane mentiar: sed tamen ita faveo, ut velim eas servire gloriæ *Christi*. Hujus fabulæ præcipui sunt actores quidam è sodalitate S. *Dominici*: qui Ordo ut multos & olim habuit, & nunc, opinor, habet viros eruditione pietateque præstantes: ita mirum videri non debet, si in tot hominum millibus exsistant illorum multum dissimiles. Hi adscitis sibi nonnullis ex eorum grege, qui se nescio quare *Carmelitas* appellant, me sibi fingunt hostem, cum nemo magis faveat veræ religioni. Veneror & exosculor *Christianam* pietatem, in quocunque cultu, in quocunque pallio se se protulerit veris indiciis, sive pullo, sive candido, sive lineo, sive laneo, sive fusco, sive flavo. Quod si quando per occasionem aliquid dicitur in vicia Monachorum,



Digitized by Google

An. 1520. non magis æquum est eos commoveri, quam ordo sacerdotum commoveretur, quoties aliquis præscribens boni sacerdotis imaginem, ostendit quantum ab hac absit sacerdotum vulgus, aut Principes, quoties illorum vitia tanguntur. Atqui si cui ordini parcendum est, inprimis parcendum erat Sacerdotali, quem ipse *Christus* instituit, & cujus ipse pars fuit. Parcendum erat majestati Principum, quæ sæpius irritata, gravem perniciem excitat mortalibus. Atque ut in totum mihi placet, nullum omnino ordinem seditiosius lædere, ita nimium sibi tribui postulant, qui cum sibi nihil non permittant in alios, palam etiam ac publicitus mentientes in famam alienam, eaque vertentes in hæreses, aut certe odiosissime calumniantes, quæ nec intelligunt, non patiantur ordinem suum nominari, nisi cum honoris præfatione: & totus *Dominicalium* Ordo conjuret in eum, qui inter amiculos quæratur sibi furto sublatam pecuniam, aut constupratam uxorem, ab ejus Ordinis sodali. Divus *Hieronymus* quot locis depingit vitia Monachorum ipse Monachus? Ut satyrico sale defricat Monachorum ac virginum vitam? & tamen huic non succensent *Paula*, non succensent *Eustochium*. Neque mihi tamen unquam sumo, quod sibi sumit *Hieronymus*. Nullum ordinem incesso, nullius nomen perstringo, cum ipsi frequenter à meo nomine non temperent. Tantum locis aliquot demonstro, quibus in rebus sita sit vera religio: nec usquam attingo ea dedecora, quæ vulgo narrantur à multis, non sine pudore eorum qui vere favent illorum instituto. Hic igitur est fons ac seminarium hujus totius Tragœdiæ immedicabile odium linguarum, ac bonarum literarum. At subinde variantur scenæ, variantur histriones & personæ: sed tamen eadem agitur fabula. Hinc illa tempestas in *Joannem Reuchlinum*, & fidei defendendæ prætextus, cum revera nihil aliud quam uni stomacho vindicta peteretur. Cum res nondum satis ex animi sententia succederet, & prodissent, malis ut videtur avibus, scripta quædam *Martini Lutheri*, statim istis crevit animus, existimantibus sibi telum esse porrectum, quo simul & linguas, & literas politiores, & *Reuchlinum*, & *Erasmum* conficerent. Non dico hunc animum fuisse Theologis omnibus, sed hoc fuisse consilium primis illis hujus fabulæ auctoribus, vel illud testatur, quod aliquot ejus farinæ, mox passim velut ex composito dato signo, miris modis vociferari cœperunt in optima studia, *Lutherani* nominis, quod quam odiosissimum reddere conabantur, communi invidia degravantes, clamantes ex his literis nasci hæreses, schismata, Antichristos, quæ videmus plurimum & decoris & præsidii religioni nostræ contulisse: quod & *Brevibus* suis fatetur *Leo* summus Pontifex; & si literis suis non testaretur, tamen ipsa re testificatur, nullos magis ornans fortunis atque honoribus, quam viros harum literarum peritia præstantes. Porro cum me non fugeret, quorsum illi tenderent, nimirum ut res natura disjunctas uno fasce involverent, & dictis ac scriptis, privatim ac publice testatus sum, nihil esse commune *Reuchlino* cum causa *Lutheri*, nihil mihi cum utroque, nisi quod plusculum erat cum *Reuchlino*, qui cum mihi unum aut alterum intercesserat colloquium, & commune studium provehendi linguas ac bonas literas, & ex hujus libris olim nonnihil didici, cum *Lutherus* mihi, ne de facie quidem unquam sit notus, nec eo progressus sit in linguarum aut peritioris literaturæ peritia, ut hujus causa quiquam pertineat ad eorum studiorum fautores. Hæc opinor non ignorabant isti: sed quærebatur ansa, qua privatim odium suum possent ulcisci. Ea quoniam non data est, ægre ferunt: & nihil non comminiscuntur, quo me apud ignaros rei, vel in odium, vel in suspicionem adducant. Primum una aut altera præfatio *Lutheri* libris admixta, paulo *Latinior*, satis erat illis argumenti, *Lutherum* mea opera adjutum fuisse in conscribendis suis libellis, in quibus ne apiculus quidem est meus. Quasi vero desint *Wittenbergæ*, qui possint *Latine* scribere: ne quid dicam de reliqua *Germania*. Hic ipsi sciunt me nihil confingere, & multa silentio præterire, ne quos offendam nimis irritabiles. Sub hæc prodiit epistola quædam ad *Lutherum* mea: mox altera ad Cardinalem *Moguntinum*, utraque typis excusa. Qua quidem in re non queo satis admirari consilium quorundam, qui statim evulgarunt, quod ego cera obsignatum scripseram uni legendum. Unde mihi suspicio est id factum inimicorum opera, undique captantium unde possint lædere. Nam ea, quam scripseram Card. *Moguntino*, prius excusa circumferebatur vulgo, quam obsignata ad illius manus perveniret. Prior illa primum inter Episcopos & aulicos hic circumferebatur: quæ videlicet plane convinceret *Erasmum Lutherana* doctrinæ fautorem esse. Deinde *Romæ* etiam Pontifici delatam ex *Hieronymi Alexandri* literis colloquioque cognovi: cum ea magis declaret me non favere scriptis *Lutheri*: nisi quis perperam interpretetur omnia. Ex universis *Lutheri* libris non perlegi duodecim pagellas, atque eas etiam carptim: & tamen ex his degustatis verius quam lectis, videbar mihi deprehendere dotes naturæ raras, & ingenium pulchre accommodum ad explicandum juxta veterem morem arcanas literas, ad suscitandum Euangelicæ doctrinæ scintillam: à qua & publici mores orbis, & scholæ nimium jam indulgentes argutis magis quam necessariis quæstiunculis, vehementer prolapsæ videbantur. Audiebam eximios viros probatæ doctrinæ probatæque religionis sibi gratulari, quod in hujus viri libros incidissent. Videbam ut quisque esset integerrimis moribus, & Euangelicæ puritati proximus, ita minime infensum *Luthero*. Ferro vita prædicabatur, & ab iis, qui doctrinam non ferebant. Cæterum de spiritu viri, de quo solus Deus potest certo judicare, malui, sicut par est, in bonam partem esse propensus quam in malam. Postremo mundus veluti jam pertæsus hujus doctrinæ nimium urgentis ad humanas vel commentatiunculas, vel constitutiunculas, sitire videbatur vivum illum, ac purissimum laticem ex Euangelicis & Apostolicis hausturn venis. Ad hoc præstandum, mihi videbatur ille, & natura compositus, & accensus studio. Sic igitur favi *Luthero*, bonis illius favi, quæ in illo vel videbam, vel esse credebam. Imo non illi favi, sed gloriæ *Christi*. Et tamen in eodem videbam, quæ mihi nonnullam sollicitudinem ac suspicionem incuterent. Proinde cum ille me suis literis ultro provocaret, statim arrepta occasione, diligenter admonui, quid ab illo vitari vellem, ut correctum ac purgatum illius ingenium, magno cum fructu, magnaque cum gloria simul ac lucro *Christi*, instauraret nobis Philosophiam Euangelicam jam pene frigescentem. Quod si præstitisset, non dubitarem fore, quin hujus propositi *Leonem* ipsum haberet in primis fautorem, cui nihil arbitror esse antiquius, quam *Christi*, cujus vices interim gerit, gloriam, & gregis concrediti salutem. Vide, quæso, an hæc sit epistola, *Luthero* faventis: si quid ille scripsit adversus doctrinam aut pietatem *Christianam*. Quoniam in illius scriptis mox offenderat nescio quid sævum & austerum, nec satis referens mansuetudinem spiritus Euangelici, admonui ut ad exemplum *Christi* & Apostolorum cum omni mansuetudine doceret ea, quæ ad veram pietatem attinent. Id quo majore cum fructu posset, admonui ut parceret *Romano* Pontifici: cujus auctoritatem expedit haberi sacrosanctam, parceret Principum celsitudini, qui conviciis attacti, aut intempestivius admoniti, non solum non redduntur meliores, sed exacerbati pernicioſas aliquoties excitant tempestates, sitque ut & monitori sua pereat auctoritas, interim & vita, & monito suus fructus. Siquidem ut veritati nunquam fas est adversari, ita celare nonnunquam expedit in loco. Semper autem plurimum refert, quam in tempore, quam commode & attemperate eam proferas. Quædam inter se fatentur Theologi, quæ vulgo non expediat efferri. Et sæpe sanat admonitio tempestiva, blanda ac civilis, quos perderet sæva & intempestiva objurgatio. Non enim hic adducam, quod *Plato* perspexisse videtur, multitudinem promi-

Digitized by Google

An. 1520. miteuam, & imperitam, non posse contineri in officio, nisi nonnunquam fuco doloque bono fallatur. Sed ea res ut virum integrum desiderat, ita desiderat egregie prudentem. Admonui, ne scholas aut ordines omnino contemneret, sed civiliter admoneret, quid mutari vellet: ut in his, quæ longo usu magis, quam recto judicio recepta sunt, densis ac solidis argumentis uteretur potius, quam assleverationibus. Et quoniam non ignorabam ingenium *Germanicum*, neque nescirem eum quorundam scriptis immodice mordacibus irritari, admonui, ne convicium convicio regereret: sed aut in totum negligeret, aut argumentis responderet: à maledictis omnino temperaret. Ad hæc quoniam verebar ne tanta libertas exiret in tumultum, admonui, ne quid arroganter aut factiose vel diceret, vel faceret. Postremo excuteret animum ipse suum: de quo meum non esset judicare, ne quid esset corruptus, ira, aut odio, aut inani gloria, quæ mediis etiam pietatis officiis solet insidiari. Quod qui his obnoxius esset affectibus, non videatur idoneus præco Philosophiæ *Christianæ*. Obsecro, quid hic omissum est, de quo fuerat admonendus *Lutherus*? Hæc cum sincero & amico scripserim animo: tamen non defuerunt apud *Germanos*, qui hanc epistolam *Luthero* impingerent, velut illius doctrinæ fugillatricem, quam altera pars calumniatur ut à fautore scriptam. At quosdam hoc ipsum male habebat, quod homini responderim. Quasi vero mihi vicio vertendum sit, etiamsi *Sultani* literis provocatus, illi respondissem: præsertim cum ille nihil de suis dogmatis mihi communicaret. Alios male habebat, quod tam civiliter respondissem. Sed isti non animadvertunt, quam suo quisque ingenio blandiatur, quam amara per se res sit admoneri. *Lutherus* mihi nec de facie notus erat, ut nec adhuc est, librorum illius nihil attigeram præter paucas pagellas. Res nondum erat progressa in hanc contentionem: tantum à paucis reclamabatur, quos omnes suspicabantur suum agere negotium. Flagitabatur disputatio, flagitabantur judices. Et qua fronte ego primum ignotus, deinde nulla præditus auctoritate, deinde nimis quam tenuiter doctus, sumpsissem in illum supercilium censorium: aut quæ spes fuisset illum laturum me, aut qui fructus exspectari poterat, nisi ut hominis stylum tandem in me acuerem objurgando? Hoc ipsum parum civile, ultro admonere non consulentem. Nec eram ignarus quanto plus soleamus proficere civili blandaque admonitione, quam objurgatione sæva. Non mihi sumo tantum ingenii, tantum eruditionis, ut ausim de aliena fide pronunciare, ni plane quis repugnet articulis receptissimis. Quid alii sibi sumant, ipsi viderint. Sunt qui me negent aliud esse quam Grammaticum. An ego nihil aliud sim, in præsentia non disputo: illud extra controversiam est, illos aliud esse. Sed ad rem. An isti tulissent Grammaticum de hæresi pronunciantem? Quod si maxime supperisset eruditio, non poteram illius libros refellere, nisi semel atque iterum perlectos, nisi excussis locis auctorum, unde hausérat sua dogmata. Et haufit pleraque ex Veteribus, quos si nominatim ubique citasset, bonam invidiæ partem defugisset. At mihi vix erat otium mea legendi, & si quid ocii supereresset, malim, ut ingenue dicam, Veteribus evolvendis impendere. Jam cum & eruditi multi, & scholæ etiam hanc provinciam sibi capesserent refellendi *Lutherum*, quæ fuisset impudentia, memet ingerere transversum, aliisque & judicandi auctoritatem, & victoriæ gloriam præripere? Cæterum, quos illud offendit, quod post præscriptam docendi formam adjeci, *Hac non admoneo, ut facias, sed ut quod facis, perpetuo facias*, mihi videntur admodum imperiti rhetoricæ civilitatis, qua mitigare solemus admonitionis austeritatem. Quis enim non novit hæc schemata? Sed ego jamdudum memorem moneo, doctum doceo, & sus *Minervam*. Nimirum jam imaginabar illum sua sponte facere, quod ab illo fieri volebam. Alioqui si nihil in eo displicuisset, stultum erat tot verbis aliam scribendi formam præscribere. Et isti sic interpretantur: Scribe seditiose, scribe hæretice. Et tamen si maxime talis fuisset *Lutherus*, ne potuit quidem hoc dictum aliter intelligi, quam juxta formam præscriptam. Jam & illud perverse interpretantur, quod addiderim, & hic & apud *Anglos* non paucos esse, qui libris illius faverent, quasi voluerim illum animare ad audaciam: cum potius hoc egerim, ut illum hortarer ad moderatius circunspectiusque scribendum, quo magis satisfaceret bonorum virorum judicio, & ea scriberet, eaque moderatione scriberet, quæ piorum & eruditorum favorem perpetuum mererentur. Sic athletis propositis favoribus addimus animum, non ut negligentius certent, sed ut bonorum favori respondeant. Nec interim satis animadvertunt quidam, quod in eadem epistola tractem duplex argumentum, alterum de clamoribus in bonas literas, & harum professores, alterum de vociferationibus in *Lutherum*. In priore prorsus ac palam ab illis dissentio; in posteriore me nec judicem facio, nec adversarium, nec patronum, tantum admoneo quid velim à *Luthero* vitari. Jam in epistola ad Cardin. *Moguntinum* quid aliud ago quam ne per vim opprimatur, causa non cognita: ne ea fenestra aperiretur quibusdam damnandi, quod non refellunt, & haud scio an etiam intelligant? Et tamen in eadem ingenue fateor, mihi quædam in *Luthero* displicere. Hactenus favebam *Luthero*, ut nollem illum dedi quorundam libidini, qui quovis prætextu tendebant ad subvertendas bonas literas: sed tamen non ita favebam, quin divinorum Voluminum testimoniis revinci, quin argumentis refelli vellem, si refelli mereretur. Generosa ingenia doceri cupiunt, cogi non ferunt. Docere Theologorum est, cogere tantum tyrannorum est. Ita favebam *Luthero*, ut corrigi mallem, quam perdi; revocari, quam exstingui, si quid erraret. Et errant quotquot hactenus scripserunt, si modo Canonicas Scripturas excipias. Hoc animo puto & hodie Theologos omnes probos favere *Luthero*. Imo hoc animo video & ipsum esse *Leonem* Pont. Maximum. Amavit libros & ingenium *Tertulliani Cypriani*nus, in dogmatibus non consensit. Amavit *Origenis* ingenium *Hieronymus*, à damnatis opinionibus abstinuit. *Tychonii* libris & ingenio videtur delectatus *Augustinus*, procul interim abhorrens ab illius factione. Nec tamen hæc velim esse fraudi *Luthero*. Ego de illo in neutram partem pronuncio, suos habet judices. Ut mea laudatio nihil illum sublevaret: ita nolim illum gravari, si quid secus de illo sentio. Tantum ostendere volui, quantum absim ab eo quod mihi impingunt. Primus illius libellos suspectos habui, ne quid tumultus gignerent. Primus obstiti, ne *Basileæ* cuderentur, & obstiti non leviter, primum oratione minisque præsens, mox absens literis. Et crebro & diligenter admonui, nunc per literas, nunc per amicos, quid ab illo vitari vellem, idque feci tanta libertate, ut amicorum epistolis admonerer, ne talia passim loquens qualia scriberem, plurimorum *Germanorum* animos à me alienarem: cum horum nihil facerent Theologi, qui se credebant fortiter adversari *Luthero*. Nemo fraterne monebat hominem, nemo deterrebat, nemo docebat, nemo refellebat. Tantum vociferabantur, exortum novum hæreticum, qui doceret, non esse necesse confiteri omnia commissa capitalia. Mox venturum *Antichristum*. De causa nunquam pronunciavi, modum impetendi duntaxat improbabam, ut præproperum, ut indecorum, ut inclementem, ut inutilem. An continuo favet parricidio, qui nolit parricidii reum damnari, nisi cognita causa? An hosti favet, qui monet quo pacto possit hostis opprimi minimo dispendio militum, imo qui monet tentandum, an hostis sine *Martis* alea possit ad deditionem adigi? Si bene consulit Reipublicæ qui mavult hostem servari quam perimi, qua fronte reprehendunt, qui idem velit à Theologis fieri? Et hæc loquor, fingens interim quod mihi non constabat, *Lutherum* erroris esse magistrum. Et tamen sic admonui, quid mihi videre-



Digitized by Google

An. 1520. tur optimum factu, ut nihilo secius liberum aliis facerem, suo uti consilio, si magis probaretur. Videbam hoc ulcus non sine periculo tangi apud plebem promiscuam, in qua plurimi sunt, quos onus confitendi male habet, nullum libentius excussuros, si sensissent Theologum, ac probatæ vitæ virum, in hac esse sententia. Et tamen incertum est etiamnum, an in scriptis suis hoc senserit *Lutherus*. Deinde quid aliud quam nobilitabant ejus libros ejusmodi clamoribus, ante perpaucis notos, & eos irritabant ad legendum, qui nunquam alioqui fuerant lecturi? magna cum utilitate bibliopolarum: qui tanto felicius distrahebant suos codices, quanto isti vociferabantur impotentius. Atque interim nec populum docebant, nec *Lutherum*. Unde doctoris titulo gloriantur, nisi ut doceant? Qualis qualis erat *Lutherus*, certe humanius erat sanare, quam exstinguere. Olim pro convictis etiam maleficis intercedebat Episcoporum auctoritas. Tantum abesse debent ecclesiastici viri à perdendi libidine. *Augustinus* pro *Donatistis*, qui haud scio, pernicioſiores ne fuerint hæretici, an sæviores latrones, quos sciebat insidiari suo capiti, apud Imperiales præfectos intercedebat, ne sæviretur in illorum corpora. Nimirum vir optimus eos resipiscere cupiebat, perire nolebat. Superesse volebat, qui possent resipiscere, & superesse volebat etiam suo periculo. Olim audiebatur hæreticus, etiam cum reverentia, id quod ex *Augustini* libris palam est, & tamen tum temporis hæretici convicti, & in errore persistentis, pœna nihil aliud erat, quam semotio à communione orthodoxorum. Nunc nulla proscriptio sævior est, quam hæresis crimen. Et tamen nihil facilius habent in ore isti, nescio qui, qui munus Episcoporum sibi vendicant, quorum aliquot scio his esse moribus, ut mihi ne pilo quidem viderer melior, si sua sententia me pronuntiarent orthodoxum, ut ingenue quod sentio dicam. Laudatur sapientum quorundam consilium, qui sceleratissimis etiam ignosci cupiebant, quod negarent perpendendum quid illis esset dignum, quorum factis nullum satis dignum supplicium excogitari poterat, sed quid postularet dignitas *Romani* nominis, quid suaderet utilitas publica. *Paulus* ubique parcit pseudapostolis, ne provocati gravius etiam læderent teneram adhuc, ac recentem Euangelicam doctrinam. Quanto minus conveniebat sic illico sævire in eum, cujus vita prædicabatur ab omnibus, cujus scriptis tot egregii proceres, tot eruditi, tot pii delectabantur? Quod si *Lutherus* talis fuisset, qualem illi videri volebant, nullum poterat dari consilium, quod magis & gravaret illum, & Theologorum victoriam illustraret. Illi totum *Lutherum* cupiebant exstinctum. Quod si hominis vel error, vel pertinacia merebatur extrema remedia, quæ tandem tentatis omnibus adhiberi solent membris deploratis, nimirum hac ratione totus *Lutherus* aboleri poterat, si prius exemptus fuisset ex animis hominum, mox etiam è bibliothecis, idque citra tumultum orbis *Christiani*. Ex animis eximi poterat, si dogmata illius solidis argumentis, ac divinæ Scripturæ testimoniis refellissent ii, quos & eruditio non vulgaris commendabat, quosque spectata vitæ integritas vindicabat à suspicione corruptelæ. Gravis est, ut esse debet, apud omnes *Christianos Romani* Pontificis auctoritas, sed ea quo plus habet ponderis, hoc magis circumspiciendum, ne privatis affectibus quorundam nimis indulgeat, hoc minus illi sunt contemnenda doctorum ac piorum hominum tacita judicia. Siquidem illud non verebor in genere dicere, nullos magis officere Pontificiæ dignitati, quam qui illi vel stulte favent, vel corrupte. Quis enim nescit *Romano* Pontifici esse, quo vel perdat, vel terreat quos velit? Sed quod unquam fuit Imperium tam instructum, quod solus metus reddiderit diuturnum? Ipse Deus amari quoque voluit, non solum timeri. Proinde, ut dicere cœperam, quo gravior est ac latius patens Pontificis auctoritas, quo res est atrocior, hoc erat mea sententia lentius ac moderatius agendum. Hoc si solus suasissem, non eram, opinor, reprehendendus. Nunc hac in parte video mecum sentire, si qui sunt cordati, non hic solum, verum etiam *Romæ*, non tantum apud profanos, verum etiam apud Theologos, atque adeo apud ipsos *Dominicales*. Ex his, quibus damnatus *Lutheri* placet, sic damnatus non placet. Non enim hic excutiam quales sint, per quos potissimum agitur hoc negotium, non referam pro damnatis *Lutheri* dogmatis, qualia nobis inferant, fortassis ut nunc sunt res mortalium, longe tutiora, sed si quis pietatis Euangelicæ negotium spectet, non paulo pernicioſiora, quæ nec ii ferunt Theologi, qui alioqui *Lutherum* omni machinarum genere adoriuntur. Hoc igitur meum consilium hactenus modo favit *Luthero*, ne præter meritum, ne præter jus, ne per tumultum, ne magno orbis tumultu opprimeretur. At multo magis favere videbatur dignitati *Romani* Pontificis, auctoritati ordinis Theologici: cujus & judicia oportet esse gravissima, & mores quam maxime sedatos, & ab omni suspicione stultitiæ, invidentiæ, avaritiæ, ambitionis, odii, adulationis, cæterarumque cupiditatum, quæ nobis judicium adimunt, remotos. Ut nemo minus favet *Romano* Pontifici, quam qui favet imprudenter, qui favet corrupte: ita nemo magis officit nomini Theologico, quam qui hoc agunt, ut Theologos faciant, vel adulatores, vel tyrannos. *Moses* non dubitavit sequi consilium *Jethro* soceri, & mihi pro fideli consilio indignantur, cui tamen per me liberum erat non parere. Si verum audire cupimus, sit cuique liberum suam dicere sententiam, sit venia vel male consulenti, modo id fiat animo sedulo. Quod si huic præmium est mitra, illi magnum malum, quæ spes est cognoscendæ veritatis? Ex tot Academiis duæ duntaxat damnarant aliquot *Lutheri* paradoxa. Nec hæ prorsus inter se consentiunt, imo nec alterius Theologi inter sese prorsus consentiunt. Exspectabatur sententia *Parisiensis* Academiæ, quæ semper in re Theologica non aliter principem tenuit locum, quam *Romana* Sedes *Christiana* religionis principatum. Cum hujus exspectaretur judicium, an mihi fraudi esse oportuit, etiamsi faviſſem quibusdam *Lutheri* dogmatis? Nunc nihil unquam illius tutatus sum, etiam cum liceret, tantum illorum præcipitatum ac tumultuosum judicium improbavi, qui displicuerunt & iis, qui *Luthero* adversabantur. O novum *Lutheranum*! primus *Lutheri* libros hactenus certe damnavi, quod viderentur spectare tumultum, à quo ego semper & constanter abhorrui, primus obstiti, ne lucubrationes illius ederentur, pene solus omnium illius libros non legi, solus nihil unquam illius sum conatus defendere, ne inter pocula quidem, ubi quod effutitur, in vino scribi solet. Semper hortatus sum, ut qui possent, disputarent adversus *Lutherum*, scriberent adversus *Lutherum*. Id ubi *Lovanii* cœptum est, constanti vultu probavi, quod utinam non feciſſent præposterе. Exiit duarum Academiarum præjudicium adversus *Lutherum*. Prodiit Bulla terrifica *Romani* Pontificis titulo. Exusti sunt codices. Clamatum est apud populum. Res odiosius agi vix potuit. Bulla visa est omnibus inclementior, quam pro lenitate *Leonis* nostri, & tamen hujus sævitiæ non parum additum est ab his, qui rem exsequebantur. Nullus interim vidit *Erasmum*, aut inquietum, aut solito tristiorem. Quæ *Sylvester Prieras* scripserat adversus *Lutherum*, à nemine hactenus audivi probari, vel ex eorum numero, quibus *Lutherus* est invisissimus. *Augustinus* Minorita minus etiam placuit quam *Sylvester*. De *Thoma Rodagino*, quoniam degustavi duntaxat, nihil interea dicam. Unus erat *Lovanii* vir, Scholasticæ Theologiæ non vulgariter eruditus, nec veteris illius rudis, nomine *Joannes Turenholtus*; is publice multis diebus disputavit adversus aliquot axiomata *Lutheri*, & disputavit ut Theologum decuit absque conviciis. Idem scripsit super hoc argumento libellum, nec dubito quin ea moderatione scripserit, qua disputavit. Nemo vehementius adnisus est, ut is libellus publi-

Digitized by Google

An. 1520. blicaretur, quam ego. Haec nimirum ageret, qui *Lutheri* faveret erroribus? Quid mihi necessitudinis cum *Luthero*? aut quid ab illo sperem praemiorum, ut ab eo stare velim adversus doctrinam Euangelicam? aut adversus Ecclesiam *Romanam*, quam opinor à Catholica non dissentire? aut adversus Pontificem *Romanum* totius Ecclesiae Principem, qui nec Episcopo meo peculiari velim adversari? Non sum tam impius, ut dissentiam ab Ecclesia Catholica, non sum tam ingratus, ut dissentiam à *Leone*, cujus & favorem, & indulgentiam in me non vulgarem sum expertus. Postremo non sum tam imprudens, ut obsistam ei, cui nec Regibus tutum est obsistere, etiamsi illius causa mihi parum probaretur, praesertim cum nulla spes esset boni fructus. Si corrupti mores *Romanae* curiae postulant ingens aliquod ac praesens remedium, certe meum aut mei similium non est hanc provinciam sibi sumere. Malo hunc, qualis qualis est, rerum humanarum statum, quam novos excitari tumultus, qui saepenumero vergunt in diversum, atque putabatur. Qui mare admittunt in novas lacunas, saepe falluntur, quod semel admissum, non ea fertur, qua destinarat admissor, sed quo lubuit proripit sese, magno malo finitimorum. Ego sciens nec fui nec ero magister erroris, nec ullius tumultus vel dux, vel comes sum futurus. Affectent alii martyrium, ego me non arbitror hoc honore dignum. Scio me quibusdam invisum, non quod *Lutheranus* sim, nam hoc ipsum indignantur, quod *Lutheranus* non sim, sed iis qui nullis placent nisi stultis mulierculis, idiotis, & superstitiosis. Nec prorsus aliis displicet *Erasmus* nisi quibus displicent bonae literae, & Euangelica veritas, hoc est, quos alit, ac ditat populi stultitia. Haec pluribus ad te scripsi, ut si qui forte sunt isthic, qui me vocant in suspicionem, ne quid commovearis istorum calumniis, illud certissimum habens, ac persuasissimum, *Erasmum* & fuisse semper, & semper futurum *Romanae* Sedis, cui scio me multis nominibus obligatissimum, cum primis studiosum, habiturum pro adversario quisquis illi adversatur. Atque utinam *Germani* maluissent prudentem aliquam rationem excogitare, negotium hoc *Lutheranum*, & ex dignitate *Romani* Pontificis, & ex publica tranquillitate, componendi, quam procacibus ac seditiosis libellis, ulcus hoc per se satis atrox exasperare. Multorum gravium ac prudentum judicio, videbatur res feliciorem exitum habitura, si per graves, doctos ac sedatos viros majore moderatione, minore saevitia, fuisset acta, hoc est, si *Leo* Papa maluisset hac in re suam sequi naturam, quam aliorum affectibus indulgere. Sed utcunque res coepta est, precor, ut *Christus* Optimus Maximus det exitum felicem omnibus, ipsi glorioſum, *Leoni* splendidum & honorificum, cujus gloriae pro mea virili nunquam sum defuturus, si quid tamen hae valebunt literae. Bene vale. *Lovanio* 6. Decembris, Anno 1520.

## EPISTOLA DXLVIII.

*Erasmus Rot. Christophoro Hegendorfino Lipsio* S. D.

TAM ego absum ab *Ulysse*, quem me facis in literis tuis, quam tu procul abes à *Therſite*, cui te confers. Doctrinae laudem, quam ad invidiam usque mihi tribuitis, toties jam frustra deprecor. Humanitatis & candoris laudem libens agnoscerem, si per occupationes & fortunae malignitatem tantundem praestare possem, quantum cupio. Eruditione volens cedo quibuslibet, humanitatis officiis quod superor nonnunquam, necessitas est in causa, non natura. Si *Philippus Melanchthon* duxit uxorem, quid superest, nisi ut illi bene ominemur? quando quod factum est, rescindi non potest. Quorsum igitur attinet nunc amicorum colligere sententias? Quod isthic agit *Eckius*, hoc hic quidam agunt majoribus etiam studiis. Sed hujus fabulae semper decreveram esse spectator, sic, ut nec, si bene cesserit, mihi laudis aliquid postulem, nec, si secus, reprehendi possim, fata viam invenient. Caeterum, An. 1520. quod in *Eckium* schedis affixis ludunt, multis modis mihi displicet. Primum, exemplum periculosum est, quod in quemvis illico possit recidere. Deinde quid stultius, quam eos provocare, quos non possis coercere? Postremo quid minus decorum *Germanis*, quibus praecipuam laudem olim peperit bellica virtus, quam anonymis libellis pugnare, quorum interim suspicio multos gravat innocentes, cum adversariorum causam reddant etiam meliorem. Ut armis rem gerere, nisi cum urget necessitas, non est mei consilii: ita libellis pugnare, nimis ineptum, nec satis viris dignum judico. Magis illud ad rem pertinebat, circumspicere rationem aliquam, qua sine tumultu totum hoc negotium possit componi. Nunc *Lutherus* eos provocat, qui etiamsi malam causam haberent, quod ego non judico, ne possint quidem opprimi. Et interim bonas literas degravat invidia, in quas crabrones hos immittit, vix tolerabiles, etiam cum res illis male succedunt. Quis autem feret gestientes victoria? Aut ego nihil video, aut alio tendunt quam ad *Lutherum*. Musarum aciem expugnatum properant. Non recusavero videri vanus, nisi res ipsa mihi fidem arroget. Bene vale. *Lovanio* 13. Decemb. Anno 1520.

## EPISTOLA DXLIX.

*Erasmus Rot. Augustino Scarpinello Neapolitano* S. D.

TALE iter hostibus eveniat, quale mihi contigit huc revolanti. Qui venti, qui nimbi, quae inundatio? Parum abfuit quin in ipsis montibus naufragium fecerimus, nam equis erat navigandum. Equus famuli vix enatavit incolumis, nos enim alieno periculo maluimus sapere. *Aragoniae* Regina jam progressa *Aquisgrano* sesquimilliarium, coacta est in urbem redire cum suis. Ego vir fortis turpe ducens, si velut victus redirem unde veneram, hospiti meo risui futurus, homini hominum qui vivunt humanissimo: is est *Leonardus Priccardus*, qui nullis precibus quiverat impetrare, ut eum diem adhuc darem amicis cupientissimis: pertendo quo coeperam. Quid enim conviciorum in me non dixisset ille, si quod tantus amicus, nec solus, quod dies Dominicus, qui ferias impetrat & ab agricolis, non impetrasset, ventus & imber extorsissent. Totum ferme iter equitavimus soli, latronem nullum vidimus, etiamsi multos terrebant saevi rumores. Tu vero quid isthic rerum geris? Jamne satis *Germanice* spiras? Quomodo te beant aestuaria *Germanica*? O te felicem, qui in media bruma fruaris aestate! Sed quid tandem agit amasius tuus *Cicero*? Quae spes habet te fore, ut ille totus aliquando reviviscat? Verum, etiam atque etiam vide, ne sic adamnes *Marcum Tullium*, ut cum *Hieronymo* flagris liventes scapulas referas. Rides somnium? at expertus ille somnium esse negat. Sed ego, mi *Auguſtine*, serio jam laudo studium tuum, qui totus in *Cicerone* verseris. Quod idem si feciſſem, fortasse meliorem gratiam retulissent ingenia candidiora, quam nunc referunt quidam, quibus benefacere periculosissimum est. Brevi me reddam vestro contubernio; interim salutabis meis verbis mitissimum *Severum*, congerronem tuum, & insignem heroa *Aloysium Marlianum Tudensem* Episcopum. Bene vale. *Lovanio* 13. Decembr. Anno 1520.

## EPISTOLA DL.

*Francisco Craneveldio, Urbis Brugensis à consiliis, Erasmus Roterod.* S. D.

NIMIRUM hoc est, quod vulgo dici solet, unica filiola mihi duos conciliavi generos. Agis mihi gratias, cujus opera tibi contigerit *Morus* tam candidus amicus. At ille mihi vicissim gratias agit, per quem contigerit nosse *Craneveldium*. Sciebam illico, quae morum & ingeniorum est similitudo, nascituram



Digitized by Google

An. 1520. inter vos amicitiam, si modo uterque alteri innotuisset. Talium amicorum, ut est cum primis preciosa, ita rarissima est possessio, præsertim hisce temporibus, quo magis est propaganda, atque etiam tuenda. Commigravit isthuc *Petrus* cognomento Amicus, juvenis moribus ingenioque longe candidissimo. Complures annos egit cum *Ægidio Buslidio*, cujus liberos instituit, cui non aliter charus fuit, ac filius, ob fidei vitæque sinceritatem. Is nunc venatur fortunam aliquanto benigniorem, ac mea sententia dignus est ampliſſima. Est utriusque linguæ pulchre peritus, ad hæc in Juris studio nec paucis annis, nec infeliciter versatus. Postremo notarius est haud malæ fidei. Nihil addubito, quin ipsius dotes sint hominem abunde commendaturæ. Sed tamen existimat se bonis omnibus commendabiliorem etiam fore, si vestro gregi adscribatur amicus. Equidem non recuso meum nomen rursus in tuo scribi diario, si quid officii collocaveris in hominem mihi chariſſimum: sed tamen arbitror fore, ut quemadmodum antehac, ita nunc quoque geminam ineam gratiam. Amici veteres hic non desinunt esse sui similes, conspirant, mussant, oblatrant, minitantur: mihi imputant, quod *Lutheri* negotium non tam atrociter succedit quam vellent. *Carmelita Egmondanus* in sacris concionibus, in prælectionibus publicis, subinde me lapidat, atque interim ridetur etiam à suis *Carmelitis*: cum me citante comparuisset pridem apud Rectorem hujus Academiæ, tantum conviciorum mendaciſſimorum congessit in os meum, ut paratus fuerit me sacrilegum, aut parricidam, aut peculatorem, aut quidvis aliud facere, si illi venisset in buccam. Atque ita sibi vir fortis videbatur: Rectori, ac mihi, id quod erat, furiosus videbatur. O prodigiosam linguæ petulantiam in Theologo, in Monacho, in sene! Ad primam hominis petulantiam cœperat mihi bilis moveri, sed mox magis libuit hominem ridere, quam refellere. Tandem huc evasit longa rixa, si vellem scriptis testari *Lovanii* probos & sinceros esse Theologos, si vellem *Lutherum* meo stylo confodere, tum nos fore fratres, non alia lege fore concordiam. Respondi, ut ipsi se potius præstarent, quales vellent haberi. De *Luthero* respondi, mihi non esse in animo nunc admisceri causæ tam odiosæ, cui me nunquam admiscuissem: nam quod mihi non placebat illum impeti clamoribus apud populum, sed potius libris editis esse refellendum, hoc consilium adversus *Lutherum* pro Theologis facere: sic enim totus poterat aboleri, si prius exemptus fuisset ex animis hominum, cum nunc libri tantum eximantur è bibliothecis, ipse maneat infixus animis. Plurimum habere ponderis Pontificum Bullas, sed apud eruditos viros longe plus valere libellum bonis argumentis, ac Scripturæ divinæ testimoniis, non cogentem, sed docentem: generosa ingenia facile duci ratione, non perinde cogi imperio. Nec enim hoc tantum esse spectandum quid mereatur *Lutherus*, sed qua ratione potissimum liceat huic mederi malo. Deinde non videri æquum, ut ego me ultro negotio admiscerem, cujus initium à me non esset natum: magis autem convenire, ut ipsi, qui fabulam hanc agere cœpissent, peragerent, ipsi telam, quam essent orsi, absolverent, ipsi mortarium alliatum, quod intrivissent, exederent. Alioqui cur ego potius in *Lutherum* scribam, quam quivis alius? Quod si insanum sit omnes Theologos in unum scribere, & à paucis id præstari possit, maxime congruere, ut illi in eum scriberent, qui in illum disputassent, qui in concionibus illum proscidissent, qui suo præjudicio prius illum condemnassent, quam summus ipse Pontifex. Nam si quid stylo valerem, nec solum valere me, nec hanc rem elegantia geri, sed eruditione, quam ipsi sibi potissimum vendicarent. Ad hæc crudele videri posse, me stylo confodere hominem, jam prostratum, fusum, atque etiam exustum. Præterea ne tutum quidem esse, irritare in caput meum hominem, nec edentulum, nec mutilum, & qui plane, quod libri testantur, fœnum habeat in cornu: neque mihi consultum esse, tot Principum *Germanorum*, tot eruditorum hominum odia in me sine causa concitare. Quin etiam temerarium videri, si mihi provinciam sumerem, quam nemo cum auctoritate delegasset, præsertim cum videam tot Monachorum ordines, tot scholas malle spectare fabulam hanc, quam agere: fortasis ob id, quod addubitent, cujusmodi futurus sit exitus. Nec enim abest à periculo, ne catastrophe futura sit tumultuosa, ni res moderatioribus consiliis componatur: sed quicunque futurus sit exitus, precor ut cedat in gloriam *Christi*. Fortassis aliqui me dixerint avidum gloriæ, qui bello confecto accurrissem, rerum ab aliis gestarum laudem mihi vendicaturus. Postremo me non esse usque adeo mihi ignotum, ut tenuis Theologus, vel magis Grammaticus, ut ipsi solent dicere, tam arduam provinciam mihi sumerem, quæ & summum Theologum, & auctoritate præditum postularet. Neque enim libet suspicari, hoc agere quosdam animo non sincero, ut posteaquam scriptis in *Lutherum* libris *Germanorum* animos in me provocassem, hoc odio protinus in meum exitium abuterentur. Addebam hoc laboris mihi frustra sumi: quid enim momenti sit habiturum meum judicium apud eos, quos duarum Academiarum sententia, quos summi Pontificis diploma non permoveret? Horum si nihil esset, tamen refelli non posse, quod non semel atque iterum à capite ad calcem usque perlegeris, *Lutherum* πολυχεύφον esse. Porro mihi vix ocium esse meis ipsius libris recognoscendis. Suos potius ederent libellos, quos jam paratos haberent *Latomus* & *Turenholtus*, utrique docti, alter etiam non prorsus infacundus. Tandem *Egmondanus* hoc erat futurus contentus, ut si nollem pugnare cum *Luthero*, saltem testarer illum esse victum à *Lovaniensibus*. Respondi, non deesse qui hoc prædicarent: mihi nondum satis liquere eum esse victum, priusquam prodierint illorum argumenta: neque enim speciosam esse victoriam, aut magnopere prædicabilem, præsertim Theologis, bullis & favillis vincere. Sic ab eo colloquio tantum non consputus discessi. Nunc nescio quomodo rursus irritati, videntur in hoc conspirasse, ut me concionibus suis conficiant. Cum essem *Caletiæ* in Regum congressu, *Dominicanus* quidam juvenis, sibi placens & confidens, *Phormionem* esse diceres, hebdomadas aliquot in me debacchatus est *Lovanii*, non aliter quam è plaustris lapidans me conviciis. *Moriam* interpretabatur populo, juxta sensum Cacologicon. Tandem me dissimulante indictum est homini silentium, sed posteaquam quicquid libuit effutiverat. Nuper rursus cœpit etiam atrocius, irritatus libello *Antibarbarorum*, quem non intelligit: rursus, iterum atque iterum tacere jussus nondum sibi temperat. Tandem nudiustertius alter quidam *Dominicanus*, reversus, ut ferunt, è *Gallia*, prodiit in concionem, & nihil conviciorum non congessit nominatim in *Erasmum*, tam petulanter, ut omnibus etiam laicis displiceret. Et, ô novam Theologorum lenitatem! hæc ferunt æquis animis, qui vocem unicam matæologi, oblique tortam in *Carmelitam Egmondanum*, magnis tragœdiis exagitarunt. Nemo non intelligit hæc fieri Theologis quibusdam partim conniventibus, partim etiam instigantibus. O telum Theologis dignum! Coram non expostulant, à tergo mordent, conspirant clanculum, per tales scurras suam agunt fabulam. *Nicolaus Egmondanus* cum publice auspicaretur Epistolas *Pauli*, admiscuit bellam facetiam, *Paulum* è sæviſſimo persecutore factum esse mansuetissimum Euangelii præconem. Ita precandum, inquit, ut *Lutherus* & *Erasmus* ab erroribus suis convertantur; quasi mihi plus esset negotii cum *Luthero*, quam sit ipsi *Egmondano*. Visum est hoc illis bellum sophisma, sed inter pocula natum, si *Lutherum* & *Erasmum* eodem jugo copulassent, perinde quasi taurum jungas damæ. Miraris fortasse jamdudum, cur tehisce neniis onerem. Sic lubitum est, cum amico miscere

Digitized by Google

Au. 1520. scere fabulas, & quicquid est nugarum in tuum sinum effundere. Sed admiror cur Ordo, cui præ cæteris faveo, ac verius fortasse quam ipsi favent sibi, potissimum hujusmodi tragœdiis delectetur: quasi tot excitatis tumultibus, primum de conceptione deiparæ Virginis, deinde *Florentia* per *Hieronymum Savonarolam*, mox *Berna* per alios longe sceleratissimos, rursum in *Joannem Capnionem* per *Jacobum Hogestratum*, & ὦθις αὖ in Comitem *Novæ aquilæ*, virum toti *Germaniæ* charissimum, non satis invidiæ sibi conflarint, nisi denuo tam seditiosis in me clamoribus magis etiam irritent in se odia bonorum omnium: nam probis displicet tanta petulantia, etiam iis, quibus fortasse non placet *Erasmus*. Ac me fingunt hostem, à quo nunquam sunt læsi, imo pro benefactis malam referunt gratiam. Quum sæviret in illos *Capnion*, unis atque alteris literis illum admonui ne læderet Ordinem, sed in eum duntaxat sæviret, à quo fuerat læsus. Rursum cum optimo jure offensus *Hermannus Novæ aquilæ* Comes excluderet omnes *Dominicanos* à colligendis caseis, diligenter egi cum illo per literas, ut sineret illos: atque ille, ut dignum est vere generoso excelsoque pectore, neglexit contumeliam, ac remisit vindictam, atque hanc gratiam nunc referunt mihi. Totum Ordinem existimant esse læsum, si quid dicatur in Monachos improbos, perinde quasi nulli sint improbi; cum illis potius debuerint indignari, qui suis moribus dedecorant Ordinem: imo si quis describat formam boni Monachi, se notari putant: quod si jure faciunt, merito succensebunt *Chrysostomo*, qui homilia quinquagesima & aliquot sequentibus, sic depingit ideam vitæ monasticæ, ut nemini non multa succurrant, qui cum nostri temporis Monachis habuerit commercium: *Fora*, inquit, *fugientes, & civitates, & medios tumultus, in montibus vitam elegerunt, cum præsenti commune nihil habentem, nihil sustinentem humanum, non secularem tristitiam, non dolorem, non curam, non pericula, non insidias, non invidiam, non zelotypiam, non absurdos amores, non aliud quicquam hujusmodi*: deinde quum de vilitate victus ac vestitus, de laboris industria, de hospitalitate, de sacro studio, multa dixisset, mensæ quoque sermones depingit hunc in modum: *Et si vis*, inquit, *illorum discere mensam, accede propius, & eos experieris, talia eructantes: Omnia mitia & jucunda, & spiritali odoris suavitate plena, nullum turpe verbum illa possunt ora emittere, nihil scurrile, nihil asperum, sed omnia cœlis digna.* Mox ubi virulentas prophanorum obtrectationes commemorasset *Chrysostomus*, subjecit: *Horum autem ora rivis comparanda sunt, melle manantibus & pura diffundentibus flumina.* Rursus homilia proxima: *Migremus igitur ad illos, inde sciemus mensam apponi bonis innumerabilibus suavissimam, nunquam deficientem, à sollicitudine liberam, invidiæ, livoris, & omnis pestis immunem, & bona spe refertam, & multa statuentem trophæa: non est illic tumultus, non morbus, non ira, omnia tranquillitas, omnia pax.* Hæc illis sunt eradenda, nisi malunt sui esse dissimiles, at non hæc solum; verum omnia, quæ *Hieronymus*, quæ *Bernardus* de vera religione prodidere scriptis. *Expedit*, inquiunt, *ut vulgus de Monachis optime sentiat:* id verum est fortassis, si modo probi sint: sed magis expedit ut tales sint, quales haberi volunt. Alioqui magna pernicies est, si sub prætextu religionis imponant orbi. Expedit ut de pastoribus suis bene sentiat populus, ut de Episcopis, de magistratibus: at in hos isti, quoties libuit, licentissime debacchantur. Verum de his jam nimis multa. Si me audies, quam minimum te istiusmodi tragœdiis admiscebis. Bene vale, vir optime. *Lovanio* 18. Decembris, Anno 1520.

## EPISTOLA DLI.

*Erasmus Rot. Thomæ Bedello* S. D.

DE Præsulis optimi in me studio, ut rem mihi longe gratissimam, ita minime novam nuncias: sed quod toties objurgas me, qui nihil ab illo petam, facis inclementer, mi *Bedelle*. Imo jam pridem oro, ut ingens aliquod sacerdotium conjiciat in caput meum. Non dubito quin ille sit huic corpusculo superstes futurus, sed tamen in rebus humanis certi nihil est. Verum, ne nihil impudenter faciam, in præsentia cuperem mihi rursus numerari anni venturi pensionem, aut certe syngrapham mitti, per quam hic, aut apud *Italos* recipiam. Adorno enim profectionem in proximam Quadragesimam, sed æstivaturus *Basileæ*, fortassis illinc repetiturus *Italiam*, nisi quid exstiterit in hoc Principum conventu, quod me remoretur. *Paulus* non nisi semel lapidatus fuit, hic ego quotidie lapidor *Dominicanorum* & *Carmelitarum* conviciis, idque & nominatim, & in publicis concionibus. Sed nihil aliud efficiunt, nisi ut populus etiam intelligat, illos agitari malis furiis. Archiepiscopo, unico *Mæcenati* meo, multam ex me salutem dicito, post hunc doctori *Wellæo*, & humanissimo œconomo. Bene vale, mi *Pylades*. *Lovanio* 31. Decembris, Anno 1520.

## EPISTOLA DLII.

*Erasmus Rot. Andreæ Cnophæ, Sacerdoti optimo*, S. D.

EX tribus epistolis, quas ais te mihi scripsisse, duas duntaxat accepi. Primum nemo dabatur, per quem responderem. Tandem *Coloniæ* offerebat se nescio quis: is cum semel atque iterum me frustra convenisset, non reversus est, desperans opinor: nec tamen id accidit mea culpa, sed nec ocii dabatur tantum, nec solitudinis. Atque ut ingenue dicam, quoniam nihil videbam in tuis literis, quod magnopere flagitaret responsum, non eram rescripturus, nisi tu tot obtestationibus, tot obsecrationibus mecum ageres. Mentem istam tam piam, tamque avidum *Christianæ* doctrinæ studium, vehementer exosculor: nam utrumque testatur epistola tua. Quæ quidem res hoc plus laudis meretur in te, quod hæc facis inter eos, qui, ut scribis, magis agunt negotium ventris quam mentis, ad hæc vicinus *Rutenis*, quos intonsos & impexos appellas, ob morum, opinor, cultusque barbariem: ut enim recte dictum est, *eum egregie probum esse oportet, qui Athenis probus esset:* ita qui vicinus hæreticis, non deflectit à fide Catholica, qui permixtus barbaris, gulæ ventrisque mancipiis, totus vivit honestis studiis, nec ullo malorum contagio corrumpitur, is insigniter bonus sit oportet. Porro si ex me quæras consilium, nihil audies, nisi ut quod facis, strenue pergas. Nam ipsissimam viam mihi videris ingressus, qua perveniatur ad veram felicitatem: neque enim dubito, quin huc quoque pro virili contendas, ut quos possis ad tuos mores adducas. Atque adeo demiror, cum multi sint ubique pastores, neminem exoriri, qui clementissimi pastoris exemplum imitetur; quem non piguit ob unam ovem erraticam, tantum malorum perpeti. Decimas qui petant, video permultos, qui sitiant animarum salutem, prope nullos. Hic Monachorum plena sunt omnia, ubi nihil est discriminis, & messis ampla. Quin *Rutenos* magis adeunt, eosque sua doctrina, suaque sanctimonia, revocant ad caulas Ecclesiæ? Hic fulciunt Ecclesiam, cui magis oneri sunt, quam usui. At ubi res poscit ingenue germaneque *Christianum*, qui pro lucro *Christi* subeat capitis periculum, ibi nusquam apparent: ita dum suis quisque commodis studemus, negligitur populus *Christi*. Ac, proh dolor! nostri mores partim in causa sunt, quo minus multi se conferant ad factionem nostram. Legunt Euangelicam & Apostolicam doctrinam, & vident ab hac vitam nostram longe lateque discrepare; non jam loquor de vulgo, quod tale fere est, quales sunt ii qui præsunt, sed de proceribus Ecclesiæ, de sacerdotibus ac Monachis. Bona pars servimus quæstui, aut ventri, aut gloriæ, aut tyrannidi. Fidei nomen prætextus tantum est. Hoc illos alienat, quos oportebat mansuetudine, tolerantia, & officiis allicere: sed ta-

Digitized by Google

An. 1520. tamen bona quædam ſpes habet animum meum, poſtea quam video & iſthic eſſe, qui ſic flagrent amore doctrinæ Euangelicæ. *Paraphraſes* abſolvimus in omnes Epiſtolas, præter eam, quæ fertur ad *Hebreos*. Addidimus *Paraphraſim* in Epiſtolas *Petri* duas, *Judæ* unam, & *Jacobi* unam. Brevi daturi quod ſupereſt Epiſtolarum Apoſtolicarum: ſic enim viſum eſt amicis eruditis. Non diſplicuit carmen tuum, quo mihi bene precaris: at ego tibi viciſſim abſque carmine, ſed ſinceriſſimo pectore precor immortalitatem. Bene vale, vir optime, meque tuis precibus *Chriſto* commenda. *Lovanio* 31. Decembris, Anno 1520.

## EPISTOLA DLIII.

### Thomas Morus Eraſmo ſuo *S. D.*

TAMETSI *mihi nunquam fuit obſcurum*, Eraſme *omnium dulciſſime, quanto intervallo judicium tuum antecellat meum: nunquam tamen illuſtrius inclaruit, quam in hoc conſilio, quo tibi* Leoque *ſuaſimus; ut libellus ejus perpetuo premeretur: te cenſente contra, ut tum potius edere ſineretur, dum exſpectabatur aſſidue, ut aliquando poſſet ea finiri fabula, quam ſopita fama pauliſper, poſt exiret tamen, nova ſuſcitata tragœdia. Itaque perpulimus verius, quam perſuaſimus, ut in ea pacta concederes, quæ quum tu te neges infregiſſe,* Leus *ſancte ſeſe ſervaſſe dejeret, interim tamen perpetuo fere rumpebantur: per utrum vero, quando res me tam procul agente gerebatur, altero in alterum congerente regerenteque viciſſim omnia, certo dijudicare non poſſum: dolere tantum cogor, illud conſilium tantum apud utrumque valuiſſe, ut pax iniretur, quod valiturum non erat ut ſervaretur. Maluiſſem enim tum libellum editum, quum minus irritatis animis poterat edi mitius, quam ut nunc demum adauctis odiis emitteretur acerbior. Prodiit enim, ſed amarior aliquanto quam vel ſperaſſem, vel in rem fuiſſet ſtudioſorum, in quibus deſideratur ea modeſtia, quam vel idiotas invicem non prabere pudeſceret. At tibi certe, mi* Eraſme, *convenit, ſi cauſas, quas allegat, habuit, non mirari, ſi amarulentius affectum ſuum tam inſigniter offenſus effuderit: ſin eluſus eſt aliqua figura veri, ſic quoque convenit ignoſcere. Neque enim nos quicquam ſegnius credita movent quam cognita. Non es vel admonendus, opinor, vel hortandus, ut exhibeatur abs te vere* Chriſtiana *modeſtia, cujus labor in tota re uni deſudat* Chriſto, *qui tibi ſolus ob oculos debet obverſari: à quo ſolidiorem tanto referes gratiam, quanto magis hic referre mundus, neque ingratus curat, neque gratus poteſt. In cujus immenſa commoda, quum tot incommoda perpeſſus ſis, quum tot laboribus valetudinem detriveris, ut bona promoveres ſtudia, tamen apud invidos, eoſque tibi propemodum uni debentes, quicquid habent literarum, ſi quid habent bonarum, mala pro bonis referas, eo ſimilior es* Chriſto, *quem non aliter poſſis imitari fidelius, quam ſi maledicta retalies benedictis, ſicut incitaſti benefactis. Vale,* Eraſme, *animo meo chariſſime.* Londino, *Anno* 1520.

## EPISTOLA DLIV.

### *Eraſmus Rot. Thomæ Moro* S. D.

QVAE tibi narrata ſunt de concertatiuncula, quæ mihi fuit apud hujus Academiæ Rectorem, cum *Nicolao Egmondano*, nec omnino vera ſunt, neque tamen nihil habent veri: ſic enim ſolet rumor, & augere quod geſtum eſt, & variare fabulas: neque vero mihi tam inimicus eſt, ut patiar illum mendaciis traduci. Rem igitur ut habet accipe. Quandoquidem video vobis iſthic tantum eſſe ocii, ut quid hic ineptiamus vacet cognoſcere. Ubi literis expoſtulaſſem apud hujus Academiæ Rectorem, quod *Egmondanus* in concione nos perſtrinxiſſet, reſcripſit ille: Si placeret ipſum audire coram ſua verba ſonantem, fortaſſe rem poſſe componi. Reſpondi, me nihil detrectare, tametſi non eſſem neſcius, ab illo μηδὲν ὑγιὲς proditurum. Convenimus, conſedit Rector, huic ego dexter aſſedi, ſiniſter ille. Nec erat inanis ordo, noverat *Egmondani* mores, ac de me ſibi falſo perſuaſerat eum eſſe, qui poſſem irritari: proinde medius conſedit, quo pugnam dirimeret, ſi forte λογομαχία ad ungues ac pugnos efferveſceret. Rem igitur paucis exponit Rector. Ibi compoſito ad miram, ſed ridiculam gravitatem vultu, infit *Egmondanus*. Ego nulli feci injuriam in ſacris concionibus, ſi *Eraſmus* ſe putat læſum, proferat, ſum illi reſponſurus. Rogabam, an putaret ullam atrociorem injuriam, quam hominem immerentem in publica concione traducere mendaciis: ibi continuo commotus homo, & relicta quam ceperat perſona, magis etiam purpuraſcens, (nam rubebat & antea, erat enim tempus pomeridianum.) Et cur, inquit, tu nos traducis tuis ſacris libris? In libris, inquam, meis nuſquam eſt nomen tuum. Nec in concionibus, inquit, meis auditum eſt nomen tuum. Negavi libros meos eſſe ſacros, in quibus aliquando narrem etiam ſomnia mea, nihilque non nuger, non idem licere in ſacris concionibus. Præterea longe minus, inquam, ſcripſi de te quam res habet. Tu de me publice mentitus es, dicens faviſſe *Luthero*, cui nunquam favi in eum ſenſum, in quem tua dicta interpretatur populus, & ipſe ſentis. Ibi jam non commotus, ſed furenti ſimilis: Imo, inquit, tu es auctor horum omnium, tu es verſipellis ac veterator, & nihil non intorques cauda quadam. Atque his ſimilia multa evomuit verius quam dixit, quæ illi tum ſuggerebat ſplendida bilis. Senſi & mihi concitari ſtomachum, jamque vox quædam eruperat, ſermonis non ſatis temperati procœmium, non quidem *racha*, ſed aliud quiddam, quod pejus oleat quam ſonat. Sed repreſſi me illico, ſatius ducens, & meæ (nam parum valebam) & Rectoris parcere valetudini, cui & ipſi cum medicis res erat, poſtremo ſtultum & indecorum ratus adverſus furentem furere: itaque ſubridens verti me ad Rectorem: Poſſem, inquam, teſtari de inſigni contumelia, poſſem regerere convicia: appellat me verſipellem, liceret ipſum viciſſim appellare vulpem: appellat me duplicem, poſſem ipſum appellare quadruplicem: ait me cauda contorquere omnia, poſſem dicere illum lingua ſua inficere omnia: ſed hæc nec viris digna ſunt, ac vix etiam mulieribus. Agamus argumentis, finge me. Hic ille protinus interpellans magno clamore nautico: Non fingo, inquit, nolo fingere, hoc veſtrum eſt, vos poetæ fingitis, ac mentimini omnia. Jam magis ridere libebat, quam indignari. Si fingere non vis, inquam, da igitur. Nolo, inquit, dare. Fac, inquam, ita eſſe. Non faciam, inquit. At pone ita eſſe, inquam. Non ponam, inquit. Sit igitur ita, inquam. At non eſt, inquit. Quid igitur, inquam, vis me dicere: Dic, inquit, ita eſt. Vix Rector impetravit, ut ſineret me loqui. Ut verum ſit, inquam, me in libris meis quædam ſcripſiſſe ſecus quam oportet, non tamen hoc erat tuum, ad animi tui vindictam abuti ſacri loci, ſacræ concionis auctoritate, & populi ſimplicis credulitate. Poteras viciſſim in me ſcribere, poteras me in jus vocare. Nunc non tam mihi facis injuriam, quam toti huic Academiæ, quam toti populo, quam ſacræ concioni, quæ longe aliis fabulis dicata eſt. Hic quum deeſſet homini quod reſponderet, alio ut ſolet deflexit. *Ia*, inquit, optares tibi ſimilem auctoritatem. Quam, inquam, concionandi? annuit. Atqui, inquam, & olim ſum concionatus, & arbitror me poſſe meliora dicere, quam audio te aliquando proferentem. Quin igitur, inquit, facis? Quia puto me, inquam, majus operæ precium facere ſcribendis libris, tametſi tuam induſtriam non improbarem, ſi modo doceres ea quæ faciunt ad bonos mores. Ibi venit homini in mentem, quod ſcripſiſſem in literis ad Rectorem (legerat enim) hæc mihi immerenti, imo bene merenti, indigne fieri. Ubi, inquit, tu bene mereris? Fatentur, inquam, hoc plurimi, me non male meritum de bonis literis. *Ia*, inquit, ſic vos eas appellatis, ſunt malæ literæ. Et in ſa-

Digitized by Google

An. 1520. sacris, inquam, Literis multa restitui. Imo, inquit, multa falsasti. Cur igitur, inquam, approbat *Romanus* Pontifex suo diplomate? *Ia*, diplomate, inquit: quis vidit tuum diploma? subindicans à me confictum esse. An postulas, inquam, ut diploma per singulos circumferam, aut in foro exhibeam? Exhibui *Atensi*, vidit *Dorpius*. *Ia*, *Dorpius*, inquit, additurus & in illum aliquid convicii, ni Rector illum suo vultu compescuisset. Videbis & tu si voles, inquam. Nolo, inquit, videre tua. Cur igitur damnas, inquam? Cur in *Luthero* damnando tantum apud te valet Pontificis auctoritas, in meis probandis pluma levior est? Hoc sermone omisso, cœpit commemorare, jam velut affectum moturus arte Rhetorica, quantis honoribus affeciissent me Theologi *Lovanienses*, priusquam in eos scripsissem. Quid non fecimus, inquit, tibi? Cæterum de virulentis obtrectationibus, quibus me laniarat *Egmondanus*, etiam priusquam *Lovanium* commigrarem, nulla mentio. Respondi non esse mei moris extenuare cujusquam in me beneficium, cæterum me hactenus Theologorum beneficio non admodum usum fuisse. Ibi nescio quo pacto factus mitior. Verum, inquit, quia non potuimus. Ergo, inquam, ne imputes, quod non præstitistis. Nam quantum potueritis male faciendo sensi, officii nihil expertus sum, nisi quod me vocastis ad actus, quos vocatis, & convivia quædam solennia, à quibus nemo magis abhorret quam ego: tantum abest, ut existimem me hoc nomine multum debere vobis. Vos me ultro invitastis ad amicitiam, ego ut nunquam ambii, ita nunquam dedi ansam dirimendæ. Ex hoc sermone venit homini in mentem, de sarta inter nos amicitia, uno ipso nondum satis placato, cum nemo stolidius læsisset, quam ille. Putant hoc esse religionis *Colophonem*, ut illis supplices sint, etiam qui non ferendis injuriis sint affecti: tantum abest ut quenquam ipsi reconcilient, aut juxta doctrinam Euangelicam benefaciant ei qui læserit. Bene mones, inquit, jactas inter nos sartam fuisse concordiam; Quid? an non fuit, inquam? Nonne compotavimus splendide in Collegio *Falconis*? (Constiterat hoc prandium ejus domus moderatori non mediocri pecunia. Et quoniam erat dies *Mercurii*, tantum piscium erat paratum uni *Egmondano*, quantum satis esset quatuor athletis) nonne proposita pacis conditio, ut utrinque deleret offensas omnes amnestia? Negavit ille fortiter, quod tot testibus actum erat. Rector interpellans ita moderatus est litem, ut fateretur inter omnes *Christianos* esse aliquam concordiam, cæterum eam pacem non fuisse numeris omnibus absolutam. Ego arridens rogabam, quota compotatione pax Theologica absolveretur. Me simplicem arbitrari, vel sine compotatione confici pacem inter bonos. Hinc rursus aliud illi venit in mentem. Recte admones, inquit, tu nos habes ludibrio, & traducis tanquam ebrios. Expostulante me, ubi vocassem eum ebrium. Scribis, inquit, me fuisse uvidum à prandio largiore, quid hoc aliud est, quam esse ebriosum? Hoc, inquam, neque te nominato scripsi, & narro ab aliis dictum: nam tui *Carmelitæ* hoc lemmate te excusabant, ne quis gravius ferret, quod dixeras uvidus à prandio largiore. *Ia*, tui, inquit, indignans opinor, quod *tui* dixissem, non *vestri*. Quod si maxime, inquam, edidissem nomen, quid erat flagitii, si quod tu publice ausus es dicere, ego simili libertate retulissem? nunc honoris tui gratia supprimo nomen tuum, & rem atrocem civiliter narro. Dixeras *Fabrum* ac me, qui nunc pugnaremus inter nos, olim pugnaturos in profundo tartaro. *Ia*, inquit, hoc ab aliis audisti. Verum, inquam, at non ab uno, sed audes tu negare dictum? Obticuit, qua quidem in re primum sum admiratus novum hominis pudorem. Mox in alium campum exspatiatus, negavit se unquam facturum finem vociferandi in *Lutherum*, donec illum confecisset. Respondi, per me licere illi vociferari usque ad ilium diruptionem, modo ne in me blateraret: neque me queri, quod in *Lutherum* clamasset, sed quod in me: quod ipsum, si illi usque adeo cordi esset, pergeret, nihil tamen lucri facturus, nisi ut esset bonis omnibus ludibrio, quandoquidem in ea concione vidissem passim omnes ridentes. Hic ille, *Ia*, inquit, illi tui erant. Quam mei sint, inquam, nescio, plerosque ne de facie quidem noveram. Inter cætera crimina objecit & hoc, quod allegarem epistolas illustrium virorum, qui mihi nonnihil tribuerent; significans eas à me confingi, nec ullos esse qui mea probarent, cum ego ferme totum hoc epistolarum genus premam: simulque indicans nihil oportere probatum haberi, quod ipsius calculo non esset commendatum. Hinc conjicere licet simul & modestiam hominis, qui sibi tam parum tribuat, & simplicem pureque *Christianum* animum, qui nihil mali non suspicetur de proximo. Cum inter cætera dixissem, non debere videri mirum, sicubi querar nonnihil de Theologis in libris meis, cum *Joannes Standitius* Minorita, Theologus, Episcopus à sancto *Asino*, apud Regem ac Reginam *Angliæ*, multis proceribus & eruditis adstantibus impudentissime me deluerit tribus nominibus, primum, quod tollerem resurrectionem: deinde, quod nihili facerem sacramentum matrimonii: præterea, quod male sentirem de Eucharistia: cum in omnibus libris meis, nihil magis asseram quam resurrectionem, ac matrimonium, edita declamatione sic prædicarim, ut Theologi putarint errorem esse hæreticum, quod matrimonio plus satis tribuerim: postremo, cum de Eucharistia nusquam neque scripserim, neque locutus sim, nisi sicut decet, id est, summa cum reverentia. *Ia*, inquit, hæc omnia fortasse sunt vera. O vocem impotentis animi, sibique nihil non indulgentis! cur hæc potius in me vera essent, quam si quis dicat *Egmondanum* compilasse sacrarum ædium gazophylacium? quam incantasse morituros, uti sibi traderent hæreditatem, frustratis hæredibus? quam ad quæstum prodidisse, quæ audivit in arcanis confessionibus? Hæc fortasse probabilius in illum competerent, quam quæ volebat ille videri non abhorrentia à veris in me. Huic divo committant parentes liberos suos ut imbibant veræ religionis semina. Quid tibi nunc referam singula? quicquid quocunque casu dicebatur, rapiebatur in occasionem convicii, non aliter quam solent pueri rixantes, ac mulierculæ procaces, quicquid dixeram regerebat in diversum. Objiciebat epistolam ad *Lutherum* scriptam. Illic, inquam, moneo quid debuerit vitare. Imo, inquit, doces eum scribere. Etiam hoc videbatur male habiturum hominem, si *Lutherus* aliquanto melius scripsisset: adeo illum perire cupiebat, non corrigi. Sed illud nullo modo concoquebat, quod adjecissem, *non admoneo quid facias, sed ut quod facis perpetuo facias*. Hic cum excusarem civilitatem Rhetoricam, qua negamus nos admonere, cum maxime admonemus, rursus incanduit. Pulchre, inquit, dixti, hoc vere Rhetorum est, omnia fucare, fingere, mentiri. Arridens fassus sum aliquando mentiri Rhetores, sed interim mentiri nonnunquam & Magistros nostros. Rursum cum dicerem me consuluisse dignitati Theologorum, respondit: Nobis hanc curam relinque, nos prospiciemus. Cum adderem exurendis *Lutheri* libris, eum e bibliothecis eximi posse, ex animis non item. *Ia*, inquit, ex animis: ibi eum tu posuisti. Cum nihil inter nos conveniret, adeo ut si dicerem literas bonas, ille continuo vocaret malas: si librum castigatum, ille falsatum: si me dixissem alienum à factione, ille protinus caput factionis appellaret, negaturus & intra oleam esse duri quicquam, aut extra juglandem esse duri quicquam, si quid tale affirmassem, Rector intersecans rixam jam nimis longam, negavit hæc esse digna Theologis: se lubentius auditurum, si quid faceret ad concordiam sarciendam. Age, inquam, quando negas eam concordiam unica compotatione potuisse coire, quid superest ad consummandam? Hortante Rectore dixit: ut sarcias famam nostram abs te læsam. Ubi, inquam? in epistolis? annuit. Illis, inquam, jam evulgatis mihi non est in manu quod petis, quanquam illic nullius famam læsi. Ergo palinodiam, inquit, cane. Quam? Scribe *Lovanii* sinceros & probos esse Theologos. Id, in-

An. 1520. quam, haud unquam negavi, sed quos ego taxavi, si mihi præbebunt probam materiam, magnifice de illis scribam. Hic irritatus: Et tu, inquit, si nobis præbueris bene loquendi materiam, bene de te loquemur. Tu stylum habes, nos linguam habemus. Taxas, inquit, nos quod tibi oblatremus à tergo, audeo tibi in os dicere. Nec mirum, inquam, tu quibus es moribus, auderes etiam conspuere os boni viri. Negavit se adhuc esse tam contumacem. Hoc sermone interrupto Rector admonuit, ut de *Luthero*, quod erat caput, ageretur. Age, inquit, scripsisti pro *Luthero*, nunc scribe adversus illum. Hic inficiatus me scripsisse pro illo, sed pro Theologis potius adversus illum, cum excusassem multa, ocium, imperitiam, metum, inter alia prætexui suspicionem crudelitatis, si sævirem stylo meo in hominem prostratum ac victum. Imo hoc ipsum, inquit, scribe *Lutherum* à nobis victum esse. Respondi non deesse qui hoc vociferarentur, vel me tacente. Prætereà magis fore decorum, si ipsi suam celebrarent victoriam, qui peperissent. Postremo mihi non constare, quod eum vicissent, cum libri illorum nondum prodissent in lucem. Sub hæc desperans, versus ad Rectorem ait, nonne prædixi nos nihil acturos? Quamdiu, inquit, detrectat scribere adversus *Lutherum*, tam diu habebimus eum pro *Lutherano*. At isthoc, inquam, nomine tu mihi *Lutheranus* eris, qui nihil scribas adversus illum, neque tu solus tantum, sed innumeri tecum. Atque ita non dicto, sed significato valè, Rectori non mihi, discessit: quemadmodum qui in gladiatoria schola vulnus præter certaminis leges acceperunt, cæteris quidem dant dextram, ei à quo læsi sunt non dant. Habes fere summam illius præclari colloquii, quod illi tamen visum est admodum blandum, cum hoc ageretur, ut me pelliceret eloquentia sua ad insectandum stylo meo *Lutherum*. Neque passus est ille sibi perire hujus conflictationis gloriam. Jactitavit apud compotores suos, quam fortiter obstitisset in os *Erasmo*. Rector eadem suis denarrans, non sine risu, negavit se unquam crediturum fuisse, mihi tantum esse temperantiæ. Quanquam non hinc mihi laudem hanc arrogo, qui prorsus insanus fuissem, si cum illo contendissem. Et tamen est unus aut alter hoc sceleratior. Nam hic ut molestus est & pertinax, ita minus habet fuci, semper sui similis. Talem ajunt fuisse puerum, talem magistellum, talem baccalaureum, talem Theologiæ Professorem, qualis nunc est *Carmelita*. Ne *Vulcanus* quidem hunc recudat, neque refingat *Mercurius*. Sibi tamen videtur præcipua basis *Christianæ* religionis, & Ordinis *Carmelitici* decus. Tam jucundus est huic Academiæ, quam sunt fici in oculis. Sed vomicam hanc nemo potest excutere. Bene vale, mi *More*. *Lovanio*, Anno 1520.

## EPISTOLA DLV.

Thomas Morus Erasmo, viro optimo atque doctissimo, *S. D.*

ANTIMORVS, *mi* Erasme, Brixii *jam dim* Londini *fuerat*, *prinsquam tuæ ad me litera pervenirent. Mirabar aliquantulum, quam rem tam valde velles, eâr de ea tam sero scribéres: nisi aut* Antimorus *forte serius aliquanto pervenit isthuc: aut ideo fuisti segnior, quod donec accepisses me libellum parare contra, putasti fore, ut ejus librum, utpote auctori potius quam mihi noxium, neque plane dignum cui responderetur, mea sponte contemnerem: id quod ego profecto, mi* Erasme, *fecissem, nisi amici quidam & doctissimi simul & prudentissimi suasissent aliter, quibus* Brixius *etsi magis irrisus est quam invisus, tamen haudquaquam ita charus erat, quam est, ut video, tibi. Nam ego jam ferme biennium, quum audivissem eum moliri talia, atque in animo haberem ad eum ipse scribere, idque quam potuissem amantissime: simulque ea consulere, qua magis aliquanto in rem ipsius fecisse fuerat, quam qua nunc intemperanter facit: intellexi interea nuncis è* Lutetia *certissimis, adeo hominem in abruptum ferri suis affectibus, ut nullis amicorum suasibus potuerit cohiberi, non* Beraldi, *non* Lascaris, *non* Budæi (*vides qualium virorum*) *consiliis retrahi. Non* Deloini *demum viri tanti, non reverendissimi Cardinalis, qui nuper illic obiit, auctoritate commoveri. Sic intabescebat ulciscendi libidine, & tanquam* Narcissus *amore quodam suarum ipse versum deperibat misere, quos tamen quotidie novos velut è cunis exceptam sobolem in mensam nunc* Deloini, *nunc Cardinalis circumferebat exosculans: nec semper inde lætus referebat domum, quum à viris doctis & gravibus audiret interdum talia, qualia, si sapuisset, ipse dixisset sibi. Quorum mihi multa cum alii scripserunt illinc, tum* Joannes *quidam natione* Græcus, *homo* Latina *lingua juxta doctus ac sua, probis moribus, & indubitatæ fidei plurima retulit coram: quibus quum sentirem* Brixium *impotentius abripi, quam ut attrectari pateretur, mutavi consilium, atque à scribendi voluntate destiti. Simul cogitabam, etsi hactenus indulgeret animo, ne penitus vellet tacere: tamen quoniam in eam rem tam multum studii, tam multum impendebat temporis, in quo non erat absimile veri, primum illum animi calorem, ac velut impetum quendam, qui subitis rebus imponit, spacio & mora defervere, jocis eum lusurum ac salibus; à jurgiis vero, conviciis & calumniis omnino temperaturum sibi, ne merito judicaretur importune maledicus, si acerbius in pace læderet, quam læsus esset in bello: tum quoniam ante annos septem* Chordigeram *ejus legeram, quæ tametsi multis & inventionis œconomiæ, & sermonis viciis abundabat, præ se ferebat tamen specimen ejus ingenii, quod annis posset (quos nunc accessisse videbam) aliquando maturescere: sperabam eum doctum aliquid atque exeussum edeturum, quod me quoque, in quem edebatur, oblectaret, quem jocus aliquanto liberior non admodum solet offendere. At ubi prodiit præclarus iste* Brixii *partus* Antimorus, Morycho *plane moroteros, veneno quovis virulentior, & indoctior ipsa* Chordigera, *nihil aliud quam, ut par erat, irrisi, illud interea mecum* ὀστοντοθορίζων, χρυσὸν ζητῶν εὗρον ὄνθρακας. *Et hercle quemadmodum Ætnæ carbones exusserunt* Empedoclem, *ita carbones isti, similem captantem gloriam, ustularunt* Brixium, *ac reddiderunt carbone quovis atriorem: eoque nec omnino quicquam respondere statueram. Verum, aliis aliter visum est, quorum ego judiciis in meis rebus magis fidebam quam meo: hi quanquam fatentur neminem esse literatum usquam, cui non factura sint nauseam, tam insulsa, tam virulenta delíria: calumnias ejus censebant, etsi perabsurdas atque ineptas, ad hæc nec obscuras, si quis attendat satis proram puppimque negotii, non fore tamen satis liquidas multis, qui fortasse legerent ejus* Antimorum, *quum neque* Chordigeræ, *neque meorum epigrammatum facultas futura sit. Suaserunt igitur, ut hæc omnia in unum librum cogerem & lectoris pariter subjicerem oculis. Tum ut meo scripto negotium nonnihil illustrarem, sic ut legenti nihil requiratur amplius, nisi judicium suum. Vides,* Erasme *charissime, quid nos ad rescribendum compulit. Quamobrem non necesse habeo tuis respondere rationibus: quando nisi alio me perpulissent alii, fuerim ipse tibi semper ὁμόψηφος. At quod tibi video persuasisse* Brixium, *negligentia tantum tabellarii tui contigisse, quo minus effeceris, ut ille perpetuo presserit* Antimorum *suum, vehementer, mi* Erasme, *demiror, id sic acceptum tanquam probatum tibi. Quid ni credam, inquis, quando* Beraldum *atque* Budæum *utrumque tam spectatæ fidei testes producit in judicium. Producit, Erasme, non nego fidei tuæ viros duos, ut utrinslibet fides in quantavis re facere fidem possit. Quid obstat, inquis, ergo quin quod ait* Brixius *vicerit? Hoc unum, mi* Erasme, *quod quum duos testes producat, utrumque præducit auritum, oculatum vero neutrum, quum plus in judiciis valeat oculatus testis unus, quam auriti decem. Quid enim aliud possunt testari* Beraldus *ac* Budæus, *quam sese ex ipso audivisse* Brixio, Antimorum *illo aut illo die fuisse sub prælo? Hoc enim significat* Brixius, *quum se dicit illis editionem* Antimori *indicasse aliquot ante diebus, quam tuam legisset epistolam. Ergo in* Beraldo *credes &* Budæo, *sed cui interim credent illi?*

Digitized by Google

An. 1520. *li? an non ipsi* Brixio? *Vides ne nunc*, Eraſme, *ſpecioſum iſtud teſtimonium, quem ne ego heri vidi ad vos adferri veſperi, ut exiret denique in ſuffarcinatam Cantharam? Ut illud omittam interim, quod nullos unquam teſtes poteſt producere, non ante ſibi lectam epiſtolam tuam, quam vidiſſet excuſam, quum potuerit acceptam diſſimulare, ut iſta cauſa poſt apud te liceret uti integra. Praterea quum* Antimorus *ejus conſtet quaternionibus non plus octo, qui totidem diebus ſolent excudi, nec dimidium ex* Brixii *verbis colligitur peractum eſſe quum tuas literas legeret, in anguſtum ſane compingit illos aliquot dies, quibus ait ſe* Beraldo & Budæo *indicaſſe editionem. At cur, inquis, fingeret iſtud* Brixius? *Adeo tibi mirum videtur, ſi vel animi cauſa fingat homo poeticus? Quanquam ſuberat etiam cauſa, cur fingeret: nam quum uterque frequenter admonuiſſet, ne tam ineptum libellum, ac muliebriter jurgioſum ederet, volebat fortaſſis experiri, an eodem animo acceptari forent quum feciſſet, quo tam ſæpe conſuluiſſent ne faceret. Accidit enim nonnunquam, ut quod ne fiat obſiſtimus acriter, dum res eſt integra: id ubi in eum locum venit, ut non poſſit corrigi, patiamur, & vitium, quoad licet, verbis integamus. At ego, mi* Eraſme, *quo vere videre poſſis, quanto verius* Morus *tibi paratus ſit obtemperare quam* Brixius, *quanquam quum tua ad me venirent litera, liber non quidem ſub prælo eſſet, ſed totus eſſet excuſus: atque id docere poſſim non duobus auritis teſtibus, qui ex me audierint, ſed oculatis pluſquam decem, qui ſuis viderint oculis: imo teſtibus, opinor, oculis ipſius tuis, utpote ad quem librum ante hanc epiſtolam perveniſſe non dubitem: quanquam ad ejus editionem tot amicorum conſiliis urgerer, tamen ubi tuas literas accepiſſem, cujus unius apud me ſententia omnibus omnium calculis præponderat, non ſum imitatus* Brixium: *cui quum ſit, ut ſcribit, crumena ſemper ære gravis, tamen tanti fecit monitionem tuam, cujus, ut ait, nutus obſervat, ut non ſuſtinuerit tantillum ſumptus impendere, quo libellos illos univerſos coemeret, atque in ignem ſemel conjiceret: ut tantas ejus ineptias nomen illud* Brixii, *cujus illuſtrandi deſiderio nimis quam miſere ſitit, infamaturas omnium ſubduceret oculis. Ego vero, mi* Eraſme, *præter eos duos, quorum alterum jam ad te miſeram, alterum ad* Petrum Ægidium, *atque alios quinque, quos vendiderat typographus, (nam quum primum proſtarent ac cœpiſſent avide flagitari, tua commodum intervenit epiſtola) coemi univerſos, eoſque clauſos adſervo, ut priuſquam aliud innoveturex me, poſſimus, imo poſſis potius ipſe tecum ſtatuere, quid à me velis fieri. Quamobrem tu te nunc, mi* Eraſme, *etiam atque etiam diſpice in ejus amici cauſa quid ſtatuas, qui quicquid ſtatues obtemperare conſtituit. Nam quod ſuades, ut quicquid in* Brixium *ſcripſeram omittatur, quum epigrammata mea denuo contineat excudi, atque ut* Antimorus Brixii *viciſſim non propagetur amplius: ego, mi* Eraſme, *quod ad* Brixium *pertinet, multis mihi videor conjecturis colligere, magis tenerum ejus in ſuos verſus animum, quam ut abduci patiatur ab eo ſtudio ſe, quo chariſſimæ fœturæ ſuæ, quoad ejus fieri poteſt, procuret æternitatem. Mea vero epigrammata nunquam admodum animo placuerunt meo, id quod & ipſe mihi,* Eraſme, *conſcius es: cui & quibuſdam aliis niſi liber ille arriſiſſet amplius, quam adblanditus eſt mihi, nuſquam fortaſſis exſtaret hodie. Nunc vide ut rerum vices inverſæ ſunt. Si conditione cautum eſſet inter nos, ut ex epigrammatis meis tibi liceret, quæcunque velles tranſigere, modo ne jus in pauca quapiam ſit, qua mihi liceret excipere, jam quos in verſus ſolos tu ex pacto ferrum ſtringeres, eos ego ſolos exceptione defenderem. Adeo mihi cœperunt adblandiri, poſtquam eos video multis commendari virulenta atque inepta verſificatione* Brixii. *Nec tamen iſtud dico quo minus tibi quidvis liceat in mea, cui quidvis etiam licet in me. Jam quod ais eum eſſe* Brixium, *quem ſi pernoſſem intimius, eum ſentirem talem, quo nemo ſit amore meo dignior: equidem, mi* Eraſme, *non me pro tanto viro gero, ut tam tenui quenquam conditione videam, quem indignum cenſeam amore meo, modo ne ſit improbus, qui non amari debeat à quoquam: eoque* Brixium *facile aſſentior non indignum eſſe, qui majorum ſit amore virorum dignus quam ipſe ſum. Nam omnino videtur aliquanto plus habere, non dico ſuperbiæ, ſed plane generoſi cujuſdam ſpiritus & magnificentiæ, quam ut ad puſillam hanc atque humilem indolem meam poſſit uſquequaque congruere, niſi in amicitia tam male copulari vellem, quam male inæquales veniunt ad aratra juvenci. Nec tamen eam, mi* Eraſme, *te conſulente recuſem, qui me vel ad parendum præſtantioribus facile poſſum componere. Certe quod ad eruditionem ejus attinet, ſtudioſum eſſe credo, & non omnino ſtupidum, tum quem aliquando alium reddet uſus. Cæterum, in his, quæ edidit hactenus, ut vere dicam, id quod etiam docere poſſum, neque ſolœciſmis caret, neque numeris ſatisfecit, & ingenio frequenter magis labitur, quam ut puero concedi poſſit. Et tamen qualis eſt, non tanti memet facio, ut me illi poſſe cenſeam eruditione conferri, quum tu, mi* Eraſme, *vel amore cæcutiens, vel (quod verius certe puto) quadam erga me civilitate præferas. Et ut ingenue dicam, adeo illum non odi, ut poſtquam animo nunc defecatiore ſum factus, adamem etiam literarum gratia. Verum, in cauſa quid fieri velis expende diligentius priuſquam imperes. Nam plane ſi non reſpondero, putabor multis hujus ineptiſſimæ rixæ præbuiſſe cauſam, & nihil quicquam provocatus, tamen probris, diris & exſecrationibus inſectatus illum: quod non minus fuiſſet inhumanum, quam nunc falſum eſſe docui, ſi ita librum patieris exire: in quo, quod ſecundo loco mones, ut ſi omnino decretum ſit emittere, curandum mihi ſit, ut (quod hactenus me præſtitiſſe dicis) eruditione tantum videar & cauſa* Brixium *non etiam conviciis vincere. Ego, mi* Eraſme, *ut eruditione contentus ſim ſi* Brixio *compar ſim, ita cauſa non dubito quin longe ſim ſuperior, quantumvis ſuam* Brixius *aſſerat bonam, facilem, vincibilem, quod principium ex arte ſolet adhiberi ad defendendam noxiam. Conviciis profecto facile me vinci patiar, quo armorum genere nunquam pugnare ſtatui. Et tamen fieri poteſt, ut quod mihi mea facit injuria nihil acerbum videri, idem alius, cui non idem rei ſenſus eſt, judicet eſſe mordaculum. Quod ſi fors acciderit uſpiam, non adeo reverebor æquitatem lectorum, quin & in me quoque, mi* Eraſme, *quantumcunque gravem perſonam tuus nobis imponat amor, qui magna de me fingit omnia, tamen dum adhuc inter mortales verſor, nondum plane relatus in divos, ut in re ridicula rideamus, non verebor, inquam, quin aliud & in me condonaturus ſit humanus lector humanis, quos hominum nemo prorſus excuſſit, affectibus. Vale, mi* Eraſme *chariſſime.*

*Quum* Caletium *venerimus, quo Rex propediem adornabit iter, ſpero fore ut coram his de rebus commentemur plenius. Nam omnino in hoc Regum conventu te exſpecto, atque ita* Brixium: *nam & Regina* Gallorum *aderit, cui cum ſit à ſecretis* Brixius, *non poterit, opinor, abeſſe. Ita quod ad me attinet, facile rem compones ex ſententia tua; nam etſi nulla de cauſa ſic egit in me, ut plane declaraverit nihil ad meam perniciem præter vires defuiſſe ſibi: tamen quando tu, mi* Eraſme, *plus es mihi quam dimidium mei, plus apud me valebit in* Brixio, *quod ſit amicus tuus, quam quod inimicus meus. Iterum vale.* Londino, *Anno* 1520.

## EPISTOLA DLVI.

*Eraſmus Rot. Thomæ Moro, Sereniſſimi Regis Anglorum à theſauris,* S. D.

MAJOREM in modum probo laudoque mentem iſtam tuam, *More* clariſſime, qui nulla re magis gaudeas diteſcere quam fidis ac ſinceris amicis, nec alibi præcipuam hujus vitæ delectationem ponendam eſſe ducas. Aliis cautio ſumma eſt, ne gemmis adulterinis deludantur; tu talium opum contemptor, abunde locuples tibi videris, ſi tuis poſſeſſionibus acceſſerit amicus neutiquam fucatus. Nec ulli ſuavior eſt alea, latrunculi, venatio, muſica, quam tibi cum a-



Digitized by Google

An. 1520. mico docto ingenuoque libera confabulatio. Hoc opum genere cum vehementer abundes, tamen quoniam sciebam homini avaro nihil esse satis, & mihi tibique jam sæpe successit feliciter, unum etiam tibi traditurus sum in manum, quem tu totum totus, totoque pectore potes amare. Is est *Conradus Goclenius*, gente *Westphalus*. Qui populus ut vulgo rudior habetur, ita multos nobis dedit summis ingeniis minimeque vulgari doctrina præditos. Non aliud genus mortalium, laboris patientius, fide morumque sinceritate, simplici prudentia, & prudenti simplicitate potissimum commendantur. Scis nuper institutum *Lovanii* trilingue Collegium: in eo publice *Latinas* literas, maxima cum laude, summo totius Academiæ fructu profitetur, ea morum integritate, comitateque, ut literas, quas docet, etiam apud illos reddat gratiosas, qui prius aversabantur. Ingenium argutum, quod feliciter sui specimen præbuit, etiam in his disciplinis, quas solenniter tradunt in scholis publicis. Sales habet, sed prorsus *Atticos*, ac lepidis fabellis, vel tecum certare queat. In carmine peculiarem quandam habet gratiam, nusquam non dilucidus, nusquam non dulcis & amœnus. Nec est ullum argumentum tam inamabile, quod illo tractante non miteſcat. In prosa oratione, sic est sui similis, imo sic est sui dissimilis, ut illius soluta legens, putes eum prorsus alienum esse à carmine. Ad amicitiam plane factus videtur. Quam si semel cum eo coieris, non est quod metuas, ne quis casus eam dirimat. Hoc usu venit in his, qui vel natura perfidi sunt, vel impotentibus affectibus. Siquidem istiusmodi solent, ad enatam occasionem descisscere, & amicitiæ legibus neglectis, animo suo morem gerere. Hic neque gloriæ est appetens, neque injuriæ admodum vindex, neque voluptatis ullius immodice avidus. Invidere quid sit, ne per somnium quidem unquam intellexit, tantus est ingenii candor. Quod ad vitæ consuetudinem attinet, nihil eo facilius, nec magis alienum ab omni morositate. Cæterum à lucro nihil hoc aversius, tametsi fortuna adhuc tenuis est, nec aliud suppeditans quam victum mundum, & supellectilem literariam. Quod si nostri Principes, prophani pariter atque ecclesiastici didicissent egregiis ingeniis habere suum honorem, quemadmodum apud *Italos* habetur, *Goclenius* noster totus aureus esset. Sed tamen expergiscuntur. Jam enim fere nullus est magnatum, qui non curet suos liberos bonis literis diligenter instituendos, licet inter aulicos Proceres nemo literas calleat, præter unum *Georgium Haloinum*, cui cultæ hactenus præter invidiam nihil fructus attulerunt: quanquam, ni fallor, brevi plurimum dignitatis sunt allaturæ. Jam spero futurum, ut simul atque *Goclenium* propius cognoris, ab utroque mihi gratiæ agantur, quod nuper accidit in *Francisco Craneveldio*, qui unum sic te totum possidet, ut illi propemodum invideam. Bene vale. *Anderlaco*, Anno 1520.

## EPISTOLA DLVII.

*Erasmus Rot. D. Godschalco Rosemundo, Lovaniensis Academiæ Rectori*, S. D.

MAGNIFICE Rector, non dubito quin tu scias id, quod nemo nescit, quam seditiose debacchatus sit in nomen meum alter quidam *Dominicanus*, priori illi rabulæ succenturiatus, à nullo convicio temperans, atque interim manifeste mentiens. Quid enim istos pudet? Ubi usque ad suam satietatem, & omnium nauseam deblaterasset, tandem scurra facetus jussit orarent Deum pro me, ut aliquando converterer ad meliorem mentem: hæc nisi fierent vel instigantibus, vel conniventibus Theologis quibusdam, non auderent tam scurrili uti petulantia in Academia tam celebri, idque in sacris concionibus, atque etiam sine fine. Nihil admiror hæc audere *Dominicanos*, illud admiror, hæc probari Ordini Theologico. Ille non poterat ferre unam vocem matæologi, tortam oblique in *Egmondanum*: & hæc seditiosa, hæc plus quam scurrilia patiuntur æquis animis, ac, ni fallor, incitant. Hæc scilicet placuit illis ratio conficiendi *Erasmum*. Quod si ego pariter cum illis insanirem, nonne tumultus egregius nascereţur? Hic animus sibi bene conscius, & graviora potest perpeti, sed interim quale est hoc exemplum petulantiæ? & quem exitum habiturum? & quam speciosus hic est ludus sub *Christi* natalem? Non tam sum insanus, ut velim cum *Dominicanorum* populo depugnare: illos, quales quales sunt, Deo judicandos relinquo. Ego nec Monachorum sum hostis, nec Theologorum: nisi forte *Christianorum* omnium hostis est, qui in illorum moribus aliqua non probat. Si quid habet adversum me Theologica Facultas, expostulet mecum, proponat quid velit. Sum paratus reddere rationem studiorum meorum omnibus sobriis; nam cum *Egmondano* colloqui, non est colloqui: vere dixit *Mimus* ille, *Cum absente loquitur, cum ebrio qui litigat, sed multo magis, qui cum furioso litigat.* Tumultus hic scurrilis displicet etiam laicis, quo minus addubito, quin displiceat etiam tibi viro optimo: sed tua lenitas, in me, imo in hanc totam Academiam, crudelitas est. Ejus officium erat, vel me tacente, toti monasterio, imo concionatoribus omnibus à tali petulantia silentium indicere. Alter vetitus erat sub pœnis gravissimis. Quis unquam exegit vel minimum? Hæc quid sibi velint, intelligunt & pueri. Posthac non ero tuæ magnificentiæ molestus, spero te functurum officio tuo: sin minus, mihi est animus, qui ista flocci non faciat. Quod si quis tumultus exstiterit, imputabitur iis, qui vel dissimulaverunt, vel faverunt exordiis. Tu certe dissimulare non potes. Bene vale, magnifice Rector, & si quid me facere voles, impera, experieris obsequentissimum. *Lovanio*, Anno 1520.

## EPISTOLA DLVIII.

*Erasmus Roterodamus Godofredo Rhodo Stegrio* S. D.

VT serius ad tua scripta responderim, *Rhode* charissime, turba me literis atque etiam libellis interpellantium fecit, ne quam inhumanitatis, aut fastidii suspicionem de me concipias. Ingeris mihi meos labores, qui utinam aut tam utiles essent orbi, aut tam felices auctori, quam sunt numerosi. Sed quam mihi displicui in tuo speculo, tam tuum mihi placuit ingenium. Neque enim illic te minus vidi, quam meipsum, ac libentius tuam faciem contemplatus sum, quam meam. Placuit ingenium sanum ac felix, sobrium, nihil habens ineptiæ, placuit candor ac modestia, placuit phrasis nec affectatione molesta, nec inanibus verbis redundans. Jam illud etiam vehementer sum admiratus, te in carmine, quo vix aliud legibus adstrictius, tam commode quod sentis eloqui, præsertim cum argumentum tractes & jejunum & inamœnum. Et haud scio an hoc consilio sumpseris sterilem & infelicem materiam, quo major esset ingenii tui gloria, qui potueris elephantum è musca facere: nam illud mihi displicuit, quod immeritis & immodicis laudibus, nihil aliud quam oneras *Erasmum*. Quanquam hoc jam adeo solenne est generi poetico, ut ceu jure præscriptionis id recte facere videantur. Quod nisi fortuna tam iniqua essem, ut nemo possit à me ullum sperare officium, fortassis exsisterent qui sua suspicione non minus te gravarent, quam me: te qui me laudibus captasses, me qui laudibus hujusmodi delectarer. Quo magis miseret me tui, qui tantum laboris absque fructu susceperis, quandoquidem ne illud quidem gratiæ rediturum est à me, quod invicem sibi præstant ac referunt jumenta, mutuum scabentia. Ne tamen nihil omnino rependam officii pro tam candido animi tui in me studio, consulo, ut posthac bonas horas in melioribus libris colloces, nec unquam in manus sumere velis *Erasmi* nænias, nisi quum nihil est bonorum volumimum: ad hæc si quando voles exercere stylum & exercere venam ingenii tui, de-

Digitized by Google

An. 1520. deligas argumentum felicius. Vale, mi *Rhode*, tam habiturus *Erasmum* faventem, quam tu de bonis literis bene mereberis. *Lovanio*, Anno 1520.

## EPISTOLA DLIX.

*Erasmus Rot. Richardo Pacæo* S. D.

SERO mihi redditum est tuum epistolium, jam te conscendente equos. Cupiebam tecum colloqui, & fortassis adhuc dabitur. Ex animo gratulor tibi nova dignitate aucto, cujus meritis numquam par fortuna responderit. Si non dabitur colloqui, commendo tibi negotium non tam meum quam literarum. Quod enim molitur *Leus ὁ ναυάρχης*, non ad me proprie pertinet, fortassis ad vestram *Britanniam* pertinet, cujus nonnihil refert, opinor, ut laudum suarum præconem habeat honestum. Scio perpusillum esse laudis, quod illi ex meis lucubrationibus accessit, tamen hoc ipsum illi *Leus* invidere videtur. Theologi novum μηχάνημα commenti sunt adversus Collegium trilingue. Id cujusmodi sit ex *Mori* literis cognosces. Bene vale, patrone singularis. *Antuerpiæ*, Anno 1520.

## EPISTOLA DLX.

*Erasmus Roterod. Leontio suo* S. D.

BONI consulam audaciam tuam, qui ignotus ad ignotum scripseris, si tu vicissim boni consulueris, quod occupatissimus tam parce respondeam, ut prope nihil respondeam. Quod Musarum cultor es, magnopere laudo: quod assidue depugnas cum amusis, non probo. Negligendi sunt, qui vinci non possunt: & ita sunt hæc studia commendanda, ne tamen odiose damnentur, quibus alii magis capiuntur. Certe non expedit irritare crabrones. Cæterum, quæ nos scripsimus, non in hoc scripsimus, ut invehantur templis, sed ut domi legantur. Atque isto tuo studio immodico, nihil aliud mihi quam invidiam paris. Ego nihil honoris istiusmodi promereor, alioqui ne promeritis quidem aperiuntur templa, nisi à rogo, ut ajunt. Ac mea quidem sententia, plus efficies, si quod operæ sumis in rixando cum adversariis, fortasse deploratis, id insumas erudiendæ pubi, aut juvenibus spei melioris. Felicius irrepent bonæ literæ, quam irrumpent: ac facilius coalescent, si civiliter semet insinuent ut hospites, quam si irruant ut hostes. Nos quod possumus, gratis ac libenter impartimus: si quis adferet meliora, non gravate cedimus. Porro cum clamosis rabulis certamen non nisi coacti suscipimus, imo ne coacti quidem. Porro vita nostra nihil habet memorabile, nisi quod opinor fortunam nulli constantius infensam fuisse. Proinde tu, si me audies, aliud argumentum tibi quæres, imo quodvis aliud citius tibi sumes quam hoc. Bene vale. *Bruxellis*, Anno 1520.

## EPISTOLA DLXI.

Bilibaldus Erasmo

*S. *Recte fecit necessarius ille meus, quod te* Antuerpiæ *convenit, & meo nomine salutavit. Probe enim novit, quanta te benevolentia prosequar. Poterimus & ejus opera in mittendis litteris uti, quæ nescio quo fato aut tardissime consignantur, aut penitus intercidunt. Diu enim nullas à te accepi, quamvis aliquoties scripserim: & nisi ex Epistolarum tuarum farragine, te meis respondisse, deprehendissem, ne nunc quidem id scirem. Quam vero fideliter & mea tibi reddita fuerint, plane* Alamiri *nostri diligentia ostendit. Caterum, invectivam* Angli[2] *illius, nec non responsionem tuam legi. Scire cupis, quid sentiam? Vellem ut omnino tacuisses, aut ita homini, ut dignus erat, respondisses. Sed periculum erat, ne silendo objecta agnoscere. Quasi optimus ac doctissimus quisque non confestim intelligeret, cuncta hæc meras sycophantias, & impudentissima esse mendacia. De improbis vero & imeruditis nulla cura habenda erat. Utinam igitur, cum tibi haud silendum censebas, ementita & ficta modestia immodestissime respondisses, ac juncta Rhetorices spicula contra tam fœda ac teterrima distrinxisses convicia. Sed voluisti tui memor esse, nec malum pro malo reddere. Sanum equidem consilium, & à nemine bono non laudandum. Verum, si ita facere perges, quid tibi ab æmulis exspectandum sit, cogita, cum impudentissimo cuique impune maledicere & capiti tuo illudere licebit. Te igitur hortor, ac ob amicitiam nostram obtestor, ne dehinc unumquemque Nebulonem responsione tua dignum censeas: aut si omnino respondendum videatur, non per te, sed coquum aliquem aut stabularium id fiat. Major tu es (etiamsi illi molestissime laudes tuas ferant) quam ut cum talibus in eam palæstram descendas, ex qua etiam victor, nihil nisi ignominiam referre possis. Etenim ni ita feceris, Sycophantarum turba tandem obruaris necesse erit. Tot enim ac tales sunt Ἀλάστορες illi, ut nec unquam quiescere valeant, sed semper contra optimum quemque ac veritatem ipsam debacchentur. Quapropter longe præstat, ab illis vituperari quam laudari, ac male quam bene audire, qui ad tacendum sunt impotes, ad loquendum vero penitus inepti. Quid mirum igitur, si tandem hominem juxta cordis sui desiderium invenerunt, qui perditam eorum improbitatem ac detestandam dicacitatem teterrima nugarum colluvione ac nefando verborum lenocinio fucaret? Quis enim tam insulsus esset ac hebes, qui non cerneret, venerandos Magistros nostros calceum hunc consuisse; probum vero illum virum induisse? Unde non immerito majori excandescis indignatione, cum egregios illos Magistros aliquantisper durius tractas, quam cum Scripturam sanctam (ut illi volunt) pervertis. Et hoc facit charitas illa non ficta, quæ sub religionis & modestiæ pretextu etiam lenonibus turpiora audet. Et tu obiter miraris invenire, qui insanienti Euge illud accinant; cum ego majori admiratione ducerer, si non multos sui similes, ac ejusdem farinæ reperiret. Nam, per immortalem Deum! cui boni Nebulones isti unquam pepercerunt? Atque ut vetustiora pretereamus, quis ignorat quam perversis technis & sceleratis machinationibus optimo & doctissimo* Capnioni *illuserint? ut interim sileam probra & convicia, qua in Generosum* Novæ Aquilæ Comitem, Huttenum, *me, & omnes* Capnionis *amicos eructaverint. Quinimo invidia exagitati nec à sui Ordinis abstinent hominibus. Nam præter cetera quid intentatum reliquere, ut divam* Mariam Magdalenam *assertori suo* Fabro *eriperent, ac cum turpissimis scortis in olidum lupanar detruderent? cum tamen potius deceret in re tam dubia eam sequi opinionem, quæ ad pietatem accederet propius. Quæ vero contra* Lutherum *ausi sunt, forsitan tacere præstat, ne nos quoque sub amicitiæ illius pretextu in jus rapiant, ac de crimine hæresis causam dicere cogant: id enim jam pridem machinati sunt. Verum, hoc nemo ignorat, eo temeritatis illos progressos esse, ut & Pontifici summo, ad quem præcipue hujusce rei cognitio spectat, causam, quam tamen eum in manibus habere sciebant, extorserint, & priusquam ille sententiam tulerit, auctorem de hæresi condemnaverint. Caterum, per immortalem Deum! quid aliud tot sycophantiis, probris & conviciis effecere, quam quod semetipsos traduxere, & Deo pariter ac hominibus reddidere odiosos. Eo siquidem illorum culpâ res deducta est, ut non solum vulgo præclarum Theologiæ vocabulum ludibrio habeatur, sed & Theologi ipsi (de personatis loquor) quibusvis scurris & nebulonibus improbiores censeantur, ac is optimus esse videatur, de quo ipsi pessime sentiant. Macte igitur virtute, qui dignus visus es, in quem impurissimi hallucinatores spurcissima sua effutirent maledicta. Haud enim majori laude affici poteras, quam dum tam sceleste vituperaris, nec unquam bonis & eruditis placeres, nisi tam indoctis & pessimis his displiceres hypocritis: qui & optimum* Capnionem *longe magis virulentis ornarunt conviciis, quam si eum vel ad cœlum usque contumeliosissimis suis extulissent laudibus. Ne igitur,*

1 Hæc epistola ejusdem est argumenti cum DIV. paucis tantum hinc inde mutatis.

2 Edvardi Lei.

An. 1520. Eraſme *optime, moveariſ, ſi invidi & vere miſeri homines ſeipſos torqueant, & ſuo fungantur officio, quodque ſemper facere conſueverunt, aſſidue faciant. Nam talia veræ virtutis tibi jacta ſunt fundamenta, ut illa nec Livor ipſe evertere queat: Talem probitatis & eruditionis conſecutus es exiſtimationem, ut eam nec omne ævum abolere valeat: Tales denique ac tantos tibi undique peperiſti amicos, ut etiam tacentem te defendere, & à ſceleratorum rabularum injuriis & contumeliis vindicare poſſint & audeant. Quemadmodum nuper à me factum memini. Cum enim in multorum doctiſſimorum conventu tui mentio incidiſſet, ac plerique te tuaque ſummis extuliſſent laudibus, ſanctiſſimus quidam, qui tunc aderat, Theologus ex Mendicorum & eo Ordine, qui vulgo perdocti habentur, ſibi ipſis vero nihil videntur ignorare, admodum moleſte has laudes ferebat, ac quaſſato capite, neſcio quid ſecum ſubmurmurabat. Tum ego, nunquid eſſet, quod in te minus probaret, quæſivi. At ille, vultu ad ſeveritatem compoſito, multa eſſe reſpondit, quæ quis merito reprehenderet: inter cætera vero peſſimo & haud ferendo flagitio te eſſe obnoxium. Cumque ego vehementius inſtarem, ut tam horrendum ſcelus elicerem, ille vero pertinaciter negaſſet, forſitan ut detractoris culpam evitaret, tandem importunitate mea ſubactus, Tametſi tacere, inquit, ac tam immane facinus occultare inſtitueram, cum tamen ita me urges, haud ultra ſilere, ſed veritatem dicere compellor:* Eraſmus *libenter comedit gallinas: idque non aliorum relatu didici, ſed cum hominem* Baſilcæ *cognoviſſem, gemino hoc obtutu conſpexi. Tum ego, ſuffuratus ne, an coemptas? At ille, emptas ait. Longe igitur, inquam, deterior eſt vulpecula illa ſceleſtiſſima, quæ mihi quotidie ex villa gallinas rapit, nec unquam pretium perſolvit. Sed ad hoc reſponde, obſecro, Num inter peccata cenſetur, gallinis veſci? Et ille: Maxime, cum à devotis ſit hominibus, idque aſſidue. Forſitan diebus prohibitis, intuli. Imo & conceſſis, reſpondit. Sacrum enim virum ab tanta epularum lautitia abſtinere decet. Atqui, bone Pater, ni fallor, inquam, nec farre nec hordeo talem ſaginaſti aqualiculum, (nam obeſior erat) & gallinæ, quibus ventrem farſiſti, ſi pipare poſſent, etiam tympanorum & tubarum ſtrepitum multitudine ſua exſuperarent. Riſere qui aderant, quod tam ſtrenue ὀρνιθοφαγίαν defendiſſem. Sed tu me forſitan nugas agere exiſtimas. Ego vero tibi etiam per ſanctam Hypocriſin, me vera ſcribere, jurare ſum paratus. Cæterum, ne cuncta tua laudare, aut nimium tibi tribuere videar, habeo etiam, quæ non injuſte reprehendam, nempe quod tali viro impedimento fueris, quo minus litteras* Græcas *&* Hebræas *tantum non ſomniando, aut paſtoris illius inſtar bibendo hauſerit, ac Magiſtris noſtris operam navando, tametſi conviciando longe melius peſſimas horas collocaverit.*

*Quod vero in ſuperiorem Germaniam te venturum polliceris, laudo. Prætèrquam enim quod minus ibi à Theologicis infeſtaberis veſpis, non ſine ingenti animi tui oblectatione conſpicies, quales quantoſque tibi undique conciliaveris amicos. Invitarem te, ut ad nos accederes, niſi peſtis hic gliſcere inciperet, quam tamen brevi deſeviturum ſpero, ita ut cum Sereniſſimo Rege noſtro, quem indies exſpectamus, ſecure ad nos venire poſſis. Nam ex veteri Cæſarum inſtituto primus novi Regis conventus* Norimbergæ *celebrari ſolet. Oſtendi* Alamiræ *noſtro cubicula, quibus te excipiam, luculenta: ipſe Regia dicebat. Quin & hoc polliceor, non ſolum gallinas me tibi abunde appoſiturum, ſed & illarum ſobolem, filios ac filias, nec non gallos gallinaceos, & de omni genere muſico cuncta, quæ manducari ſolent, volatilia cœli. Tu interim bene vale,* Eraſme *optime, ac iterum memineris, te fœlicem invidorum contumeliis eſſe, qui nunquam laudes tuas tam moleſte ferrent, niſi certo certius cognoſcerent, te eruditione ac probitate immortalitatem, & quidem viventem, induiſſe.* Gulielmus Neſenus *tibi* Læti *ſcripta miſit. Iterum vale.* Norimb. *Anno* 1520.

## EPISTOLA DLXII.

*Eraſmus Roterod. Obtrectatori ſuo pertinaciſſimo* S. D.

An. 1520. EST illud quidem omnium, qui *Chriſto* nomen dederunt in baptiſmo, pro ſua virili referre Principem ac doctorem ſuum, qui maledicentibus non viciſſim maledixit, ſed pro probris amarulentis, ſalutarem doctrinam rependit, præcipue tamen eorum, qui doctrinam ac vitam Theologicam profitentur. Cæterum, ab hac forma immane quantum abſunt, mi *Bucenta*, qui pro benefactis rependunt maleficium, qui fratrem etiam bene merentem, lethali linguæ veneno ſine fine confodiunt. Poſteaquam *Lovanium* commigraras, non deſtitiſti paſſim in *Eraſmi* famam debacchari, nulla unquam quamlibet levi injuria laceſſitus. Ac mihi quidem primum non libuit credere. Res enim videbatur indigna, non dicam ſacerdote, non dicam Euangelico præcone, non dicam Theologo, non dicam Monacho, ſed omnino viro. Siquidem mulierum eſt, ſed procacium ac ſtultarum, linguæ telo ulciſci affectus ſuos. Mox ubi tam multa hinc atque hinc referrentur, quid alibi dixiſſes in conviviis, quid alibi in monaſteriis, quid alibi in plauſtris aut navibus, ita quidem credidi vera, quæ narrabantur, ut tamen totum hoc quicquid eſſet rei negligendum eſſe ducerem. Et tu interim mihi blandus occurrebas, amice compellabas, videlicet exiſtimans ad me non pervenire, quod tu nuſquam non ſpargeres. Tandem cum me à ſolenni prandio, quod celebratum eſt apud *Auguſtinenſes*, vultu perquam amico rogares, quid tibi mandarem abituro in *Hollandiam*, mandavi tibi fraternam charitatem, hactenus non ſatis abs te curatam, videlicet civiliter ac blande ſubmonens, ut aliquando deſineres iſta linguæ petulantia teipſum traducere magis quam me, & ſimplicium animos malis venenis inficere, quæ poſt reſorbere non poſſis. Nam ſcorpius admotus vulneri, retrahit ad ſe venenum, quod infixit caudæ ſpiculo. Nec alioqui periclitatur, niſi qui ictus eſt. Hic quem ſemel venefica lingua percuſſeris, mederi non potes: & late ſerpit malum, ſemper plures arripiente contagio. Poſteaquam bene monitus deteriora ſequutus es, impetravit à me *Chriſtiana* charitas, ut adirem cubiculum tuum, idque tu fatebaris, inſolens. Admonui privatim, ac libere quidem, ſed tamen amanter, ut linguam iſtam in uſus meliores flecteres. Ex eo colloquio ſcis quam multis argumentis deprehenderim craſſiſſimam planeque pudendam inſcitiam tuam, cum tamen totus eſſes occupatus in annotandis periculoſis erroribus meis, etiam uſque ad hæreſeos crimen, interea nec intelligens ea quæ ſcripſeram. Videlicet huc deſperationis ventum erat, ut periclitanti religioni *Chriſtiana Bucentes* cogeretur admovere manus. Siquidem cum ipſe *Thomam* excuſans, imo laudans ſcripſiſſem illum indignum qui in ea ſecula incideret, nimirum ſentiens illius ingenium dignum fuiſſe ſeculo feliciore: tu Deûm atque hominum fidem paſſim implorabas, quod tantum Eccleſiæ doctorem, eumque relatum in album divorum, cum primis autem *Dominicalis* inſtituti, appellaſſem virum indignum. Cum alicubi ſtudens exaggerare morbum obtrectationis, adduxiſſem exemplum libelli famoſi, ceu mali capitalis, ut ex collatione demonſtrarem, quantum eſſet ſceleris, ſic conjuratis linguis, famam immerentis inceſſere: tu putabas à me probari libellum famoſum, quaſi vero probet homicidium, qui deterrens ab adulterio, doceat hoc juxta circumſtantiam aliquam eſſe gravius homicidio. Cum adductis aliquot ex *Auguſtino Chryſoſtomo*que locis, quibus videntur Virgini Matri tribuere affectum humanum, affinem alicui peccato, ſubjeciſſem, *Et nos facimus eam prorſus immunem ab omni peccato, nimirum ſentiens nos non recte illam liberare à peccato originis, ſi illi vere tribuunt peccatum ab ipſa commiſſum*, tu interpretabaris me definire, quod Virgo Mater fuiſſet immunis à contagio primorum parentum,

An. 1520. tum, quod si definissem, nihil erat periculi. Est enim ea opinio, ut favorabilior: ita mihi sane probabilior. At interim non intelligebas homo acutus, me in diversum potius ratiocinari. Hic facile satisfactionem accipiebas, daturus veniam etiamsi dissensissem à judicio Ecclesiæ, modo *Thomæ* sententiæ subscripsissem. Cum ego citassem è *Thomæ* commentariis, quod opinionem eorum, qui negabant sub Eucharistia esse verum *Christi* corpus, appellaret hæresim, cæterum eorum sententiam, qui negarent *Christum* his verbis consecrasse, *Hoc est corpus meum*, refelleret quidem, cæterum errorem vocaret, non hæresim. Moxque adjicerem mihi videri tutius in totum, si proceres Ecclesiæ de hisce rebus, quæ nec certis testimoniis Scripturarum, nec argumentis solidis doceri possent, non ita definirent, ut opinionem suam vellent haberi pro oraculis: tu judicabas illic esse ingens periculum, videlicet lapsus inscitia sermonis *Latini*, has voces *in totum* interpretans in utraque parte quæ præcesserat, cum *Latinis in totum* sonet *in genere*, hoc est non solum in hac materia, verum etiam in aliis similibus, nimirum secundæ parti, de qua tunc agebatur, quæ nec argumentis, nec testimoniis certis doceri potest. Et adjeceras in margine tua manu, *vide quam pernicioſe hic ſcribit de re, de qua toties pronunciavit Eccleſia*, videlicet indicans me negare, verum esse corpus. Ac mihi quidem expostulanti, quod tu tam calumnioſe scriberes in locum lectum quidem, at non intellectum, perquam falsè scilicet respondebas, tibi jus esse scribere in tuo libro quæ velles. Quasi vero non sit idem jus aliis in chartulis suis scribere, quæ lubeat, aut quasi qui deferuntur ob libellum famosum, ideo vocentur in jus, quod in alienis chartis scripserint. Et tamen hoc festivum apophthegma adeo tibi arridebat, ut in proximo colloquio idem iterum repetieris, juxta illud vulgatum, δὶς ἡ τρὶς τὰ καλά. Atque hæc tam insigniter stulta brevi colloquio deprehendi, te ultro proponente, ceu bella quæpiam, & quæ refelli non possent. Nec dubito quin multo stultiora fueris propositurus, nisi te maluissem amice corrigere, quam callide expiscari. Atqui quæ hactenus feceras erant ejusmodi, ut vel arctissimam amicitiam possent dirimere: ego tamen nulla necessitudine tibi junctus, nisi qua *Christianus* jungitur *Christiano*, pro tanta malevolentia reposui officium, sperans fore, ut aliquando resipisceres. Admonui serio, tanquam frater fratrem, ut hoc operæ, quod sumeres in reprehendendis alienis libris, quos non intelligeres, impenderes discendæ grammaticæ, discendis bonis literis, quarum inscitia, tam fœde passim labereris, nec ea cerneres, quæ cernunt & pueri. Admonui, si quid offenderet, me coram vel objurgares, non autem traduceres apud alios immerentem. Et videbaris non adspernari monitionem amicam verius, quam blandam. Haud multo post prodiit Bulla, ut ferebatur, adversus *Lutherum*. Ea de re cum nulli mortalium verba fecissem, tu subito reversus ad ingenium, cœpisti vociferari, me diplomati Pontificio obsistere, opinor instigatus à quodam, cujus utinam non tam niger esset animus, quam est candidum pallium. Jam vel *Paulo* auctore debebam ingenium tuum habere pro deplorato, qui semel atque iterum frustra monuissem, sed quoniam juxta *Paulum* eundem, *Charitas omnia sperat*, rursus adii te, solus expostulavi cum solo, paulo quidem liberius, sic enim res poscebat, sed tamen amanter. Hic tu inficiatus, quod sciebam esse verissimum, causabaris aliud, videlicet à me scriptas ad Cardinalem *Moguntinensem* literas, quibus perstrinxissem Ordinem vestrum. Nec puduit te fateri, literas eas tibi non fuisse lectas, ob quas tantopere stomacharere, nihilo verecundior illo sodali tuo *Nicolao Egmondano Carmelita*, qui cum digna atque indigna vociferatus esset in Novum Testamentum à me recognitum, ubi *Lovanium* commigrassem, & hominem à prandio subinde rogarem, ut coram indicaret quæ offenderent in Opere meo, respondit homo simplex, sibi nunquam Opus lectum fuisse. Obticui, suspicans illum non esse tam ignarum Dialectices, quin intelligeret, quid ex talibus præmissis colligerem. Odiosissime clamaverat venturum Antichristum, nec legerat unquam quod damnabat. Sed de epistola mox; interim ordinem rei gestæ persequar. Ac tum quidem ubi te commonefeciſſem officii tui, discessi, nec admodum sperans te fore meliorem, nec tamen omnino desperans. Paucis post diebus *Joannes Faber*, Ordinis tui sodalis, cui utinam tam similis esses eruditione, moribus, prudentiaque, quam es similis cuculla & pallio, retulit mihi, quemadmodum te super hac re admonuisset, vel objurgasset potius: nam illi forte rem ut habebat expoſueram. Respondisti, si verum ille narrabat, te posthac *Erasmo* fore certissimum amicum, si noxiam hanc remitterem. Cumque subjecisset ille, se nolle mihi referre pro certis incomperta, dextra data confirmabas fore, quod pollicereris. Hæc cum mihi persuasisset esse verissima, cœpit obsecrare per *Christianam* charitatem, sinerem exorari me, tecumque redirem in gratiam. Ego vero semper ad concordiam facillimus, respondi me non solum velle condonare quicquid esset admissum, verum etiam oblivisci. Hæc si vera non sunt, certe à me ne syllaba quidem afficta est, ita narravit vir natu grandis, sacerdos, Theologus, & in suo genere pulchre doctus, à concionibus Cæsaris, Prior monasterii *Augustani*. Scribat ipse me inter vanissimos, si verbum hic mentior. Cum à me nihil esset ortum novi, tamen tu protinus relapsus es ad ingenium tuum, importune, opportune, nusquam non exercens linguæ virulentiam in eum, qui & monuerat tam amice, & ignoverat tam clementer. Cum *Dordraci* nescio quid tumultus accidisset tibi post concionem, & curriculo te *Lovanium* recepisses, nondum satis promptus pro fide capitis subire periculum, clamitabas, ut ajebant, hoc quoque mihi meisque literis imputandum, cum mihi *Dordraci* nemo mortalium sit notus, imo cum de *Luthero* nulli tum scripsissem apud *Hollandos*, neque bene, neque male. Nec his contenta animi tui virulentia, ante paucos dies natali sancti *Thomæ Aquinatis*, subornatus est juvenis Ordinis tui, qui bello commento meam infamiam cum *Thomæ* gloria misceret. Edidicerat adolescens, centonem verius, quam orationem, quam non intellectam, velut psittacus recitaret. Quam enim intellexerit, vel hinc promptum est colligere, quod cum referret ex *Horatio*, *Feriuntque summos fulmina montes*, quanta potuit voce pronunciavit, *Feruntque summos f. m.* Rursum pro *illi antistites* recitavit *illi antistes*, nimirum, ut *Prænestinis* est ciconia conia, & rustico illi *Plautino*, rabo est arrabo. Ac ne cæteros lateret, quis esset auctor tam bellæ fabulæ, tu proximus adstabas suggesto, suggerens, *feriunt*, & *antistites* esse dicendum. O mirum & auspicatum sancti *Thomæ* Encomium; illi tributa est eloquentia, nobis adempta. Quis non videat hoc è media esse Rhetorica? Sic *Plutarchus Græcos* Duces cum *Romanis* comparat, sic formica camelo comparari solet. Quid autem impudentius, quam juvenem ἀναλφάβητον pronunciare, quid ego vel sapiam in Theologia, vel valeam eloquentia? *Bucentes* est insignis Theologus, fidei propugnator, & *Erasmus* nihil sapit in re Theologica. Quantus impostor est *Erasmus?* Scribit *Paraphrases* in Epistolas Apostolicas, scribit Annotationes in Novum Testamentum. Respondit Theologis aliquot, tamen ignarus omnis Theologiæ. Ego mihi, ut non vendico eloquentiam, ita minimum sumo in Theologia. Sed non adeo me pœnitet eruditionis meæ, mi *Bucenta*, ut velim cum tua permutare, qui quantum in hoc ipso genere quod profiteris valeres, satis ipse declarasti, cum in scholis audiremus te tua pleraque de scheda pronunciantem, atque id etiam ægre, quædam non admodum feliciter respondentem. Sic tu *Thomæ* discipulus celebras illius festum diem, quemadmodum olim *Lindii* sacra faciebant *Herculi*, aut *Græci Baccho*, quæ non videbantur rite peragi, nisi

Digitized by Google

An. 1520. si conviciis agerentur. Et postea miraris, quod cordati viri, quod opulentæ matronæ non mittant liberos suos in vestram hierarchiam, ubi rudibus annis tales discant artes, te præceptore, priusque discant maledicere proximo, quam possint dicere. Quod si *Thomas* tam sanctus est, quam vos eum vultis videri, non dubium, quin oderit obtrectationem, & Deo, & piis omnibus invisam: quod si putatis illum hujusmodi panegyricis delectari, in quibus sic ipse laudatur, ut laceretur fama fratris, pessime nimirum de illo sentitis. Hoc exemplum tam irreligiosum, cum auditores reliqui, pedum suppulsione, sibi testarentur displicere, tamen neque te, neque tuos discipulos Euangelicæ religionis professores puduit, sed velut in re bene gesta, sibi vicissim arridebant, etiam antequam illa præclara, atque meditata proloqueretur vester psitacus, videlicet ne quis nesciret hoc communi consilio geri. Succenses mihi, quod alicubi dissentiam à *Thoma*, cur non magis succenses, quod alicubi dissentiam ab *Hieronymo*, ab *Ambrosio*, ab *Augustino*? Quod si læsus est *Thomas*, quod diversum ab illo sentiam, quin me refellendo potius, illius honorem vindicas? Id quoniam non facis, satis fateris te non posse. Et qua fronte clamitas illum nihil scire Theologiæ, qui locis aliquot plus sapit, quam ipse *Thomas*, vestra sententia sic omnium primus, ut nemo non longo sequatur intervallo? Hic igitur cum nolueris latere, te esse choragum hujus fabulæ, nemini dubium esse potest, cujus instinctu sic debacchati sint in publicis concionibus cæteri tui sodales, *Moriæ*, & *Antibarbarorum* interpretes, suæ stultitiæ præcones, dum meam cupiunt traducere. Sed jam ad epistolam Card. scriptam redeo, quæ te sic irritavit, cum antea non blaterares in me, nisi in conviviis, navibus, & vehiculis, nunc veluti lymphatus nusquam non agas tuam personam, subornatis etiam aliis quasi ad maledicendum tu non sis multis par. Primum, quid agitur in tota illa epistola, nisi ut *Lutherus* corrigatur potius, quam exstinguatur, ut refellatur potius, quam ut conjurationibus opprimatur, ut mundus doceatur magis, quam ut cogatur tantum? Atque id erat è dignitate ordinis Theologici, è dignitate *Romani* Pontificis, è tranquillitate populi *Christiani*. Nondum id temporis *Romanus* Pontifex interposuerat auctoritatem suam. Et sciebam quid agerent quidam, qui nihil affectant, nisi tyrannidem. Itaque literis obsignatis Principem amicum, optimeque de me meritum admonui, ne quis illius auctoritate posset abuti. Qui eam epistolam evulgarunt, an inimico animo fecerint nescio, certe rem inimicam fecerunt. Tale consilium non veritus fuissem ipsi *Leoni* Pont. Max. dare, si data fuisset occasio, nec dubito, quin fuisset illi placiturum. Certe res ipsa docet, non fuisse stultum aut inutile, ac vereor, ne posthac magis ac magis id experiamur. Verum, hoc te quidem leviter movebat. Illud tibi visum est intolerabile, quod Ordinem vestrum attigerim, quod *Bernæ* meminerim. Nec enim potui non ridere cum diceres, Ordinem vestrum tot annos constitisse, quasi ego sim illum subversurus. Per me quidem stabit Ordo tuus, atque etiam florebit usque ad finem mundi. An ideo totus Ordo læsus est, quod scripserim esse aliquos, qui affectarent tyrannidem? Tot estis millia monasteriorum, hominum innumeræ myriades, & omnes vocabuntur ad arma, si quis per occasionem queratur, de uno alterove ejus sodalitatis? Si quis compertum habens sacerdotem effutisse, quod dictum sit in arcana confessione, sodalem admoneat, ne se temere cuivis credat, quod reperiantur, qui parum tenaces sint silentii, num universi clamabunt sese læsos? Et tamen hoc, quod à me scriptum est, adeo secretum non est, ut vulgo passim hoc & sciant & querantur homines. Porro quod *Savonarola*, & *Bernensis* facinoris memini, non factum est in odium Ordinis, quod illic etiam testor, nec odiose, neque multis verbis, sed ita res, quam tum agebam, postulabat. Quid autem accidisset etiamsi data occasio-

A

B

C

D

E

F

ne meminissem? An mundus ignoraturus erat, si solus ipse siluissem? Secus est si nullum Ordinem licet attingere. At vos ipsi Principes, Magistratus, Episcopos, Abbates, palam ac libere incessitis, nonnunquam etiam seditiose, neque putatis æquum, ut quisquam vos ea de causa in jus trahat, quod intactis personis rem insectemini. In nullos libentius invehimini, quam in pastores Dominici gregis custodes. Pauci dies sunt, quod *Antuerpiæ* Monachus quidam, parcetur Ordini, monitus à magistratibus, ut doceret Euangelium, à seditiosis clamoribus abstineret, in publica concione dixit: *Jubent*, inquit, *prædicem Euangelium, at isthuc audire licebit à parochis vestris, etiamsi pridie dormierint cum magno scorto.* Hoc non minus obscœne dictum quam seditiose, sibi ignoscunt, nec putant injuriam Ordini factam, quem haud dubie *Christus* instituit. Et tu meditaris actionem læsæ majestatis, si quis per occasionem attingat *Dominicanum*, aut *Carmelitam*? Si cuiquam titulo parcendum erat, *Christiani* titulo parcendum erat, neque levis est causa, ne detur ansa impiis exprobrandi nobis vicia nostra: Et tamen historiæ *Christianorum* in literas mittunt *Christianorum* dedecora, ne à nominibus quidem abstinentes. Cur virginum ordo non discerpit libros *Hieronymi*, qui sic depingat virginum vicia? Cur Episcopi non discerpunt libros *Cypriani*, qui tam atrociter invectus est in suorum temporum Episcopos, turpem quæstum, usque ad usuras exprobrans? An ut olim religiosum erat vel nominare deos quosdam, ita non licebit loqui de *Dominicanis*, aut *Carmelitis*, nisi cum honoris præfatione? Dicebat ille tuus discipulus, etiamsi vera essent, tamen essent ob honorem Ordinis tacenda; cur ergo quidam, qui tantum honoris haberi volunt Ordini suo, in alios nominatim etiam, ac palam mentiuntur? Id esse verissimum plurimis exemplis docere possim. Ego tot modis lacessitus, nullius *Dominicani*, aut *Carmelitæ* nomen scriptis meis perstrinxi: *Prædicatorio* Ordini præ cæteris etiam faveo, vel ob hoc, quod minus oneratus est ceremoniis. Ne tibi quidem ipsi concessurus sum, ut quanquam in *Thomæ* verba juraris, veris *Dominicanis* impensius faveas, quam ego. Nec sum tam iniquus, ut quod ab his aut illis committitur imputem Ordini. Et adeo non imputo, ut frequenter & illis parcam, à quibus sum odiosissime provocatus, ne quid lædam Ordinem immerentem, persuasum habens, quæ faciunt isti, optimo cuique ejus Ordinis improbari. Et tamen id faciunt multi, tamque impune, ut homini suspicioso videri possint Procerum jussu facere quod faciunt. Et post hæc me fingis hostem Ordinis, qui verius illi faveo, quam tu, cum tuis sodalibus? An protinus vindicaveris honorem Ordini tuo, si me dehonestaris, aut illum candidum feceris, si me feceris nigrum? Si vere studes Ordinem tuum commendare bonis omnibus, fac ut easdem dotes renovet, quibus olim & natus est, & propagatus, & commendatus orbi: Vitæ integritatem, sanctimoniam non fucatam, contemptum mundi, doctrinam Euangelicam, mansuetudinem *Christianam*. Hæc sectantibus, favebunt, applaudent, bene ominabuntur omnes. Nunc quæ dedecora subinde nova vulgo narrantur de vobis? Quas passim audimus querelas? quæ flagitia? Quæ utinam, aut essent ficta, aut certe crarent fide. Porro quam non studeam Ordinis ullius infamiæ, vel hinc potes intelligere. Atroces iras in vos conceperat eximius ille Princeps *Hermanus* Comes *à Nova Aquila*, quod præter meritum attactus esset literis *Jacobi Hochstrati*. Quod si vir ille perstitisset in eo quo cœperat animo, res videbatur haud mediocri cum periculo Ordinis vestri conjuncta. Ego literis non indiligenter scriptis, persuadere conatus sum amico, ut eam contentionem remitteret. At ille quidem pro sua vere generosa mansuetudine remisit. *Hermanus Buschius*, vir doctus juxta ac facundus, indicarat mihi, sibi esse in manibus Opus, quod ex ipso titulo conjectabam fore non parum mordax in Ordinem vestrum. Egi diligenter cum homine,

Digitized by Google

An. 1520. mine, ut verteret consilium, & exiit Opus, sed retextum, ac multo moderatius, mutato etiam titulo. Est alter quidam ea facundia, eaque doctrina præditus, ut plane victurum augurarer, quicquid scripturus esset. Is aggressus erat *Prædicatorum* & *Carmelitarum* insignia dedecora in literas mittere. Non conquievi donec hominem abducerem à sententia, partim iniquum esse ducens, horum aut illorum commissa in Ordinis infamiam vertere, partim inutile judicans, si mundus talibus fabulis inficeretur. Sunt enim quædam flagitia, que tutum non sit commemorasse, quod genus sunt prodigiosæ libidinum formæ, incantamenta, veneficia, sortilegia, aliaque id genus; quæ vestri nonnunquam è secretis confessionibus discunt, quidam etiam imitantur. Vides, mi *Bucenta*, quam geram hostilem animum in Ordinem tuum? At fortasse causaberis hæc esse conficta, imo supersunt qui me refellant. Et posteritas intelliget me minus vero dicere, proditis epistolis, quas nunc celant amici. Sed quereris unum atque alterum resiliisse ab instituto vestro ob lectionem librorum meorum, eosque bene nummatos. An isthuc verum sit, nescio. Fortassis illi propius contemplati vitam quorundam, vertere sententiam, animadvertentes mores non per omnia respondere cultui, quod nuper summatibus atque optimis viris accidisse notius est quam ut sit referendum. Illud fateor, admoneo locis aliquot, minimam religionis partem esse in cibis, cultu, aut similibus ceremoniis, summam esse in purgatis affectibus, & officiis charitatis. Sanctissimum esse votum, quod *Christo* vovimus in baptismo, hoc esse maxime præstandum, quod exigitur ab omnibus. Hoc qui præstet, non esse magnopere, cur aliam desideret professionem. Admonui juvenes ne se temere conjiciant in hujusmodi vitæ labyrinthum, priusquam, & sibi noti sint, & intelligant, quibus in rebus sita sit vera religio. Damnavi eos, qui circumeant mare & aridam, ut quos possint irretiant, vel ob quæstum, vel ob ambitionem, vel aliam aliquam ob causam his etiam sceleratiorem. Quod si quis hujusmodi monitis factus circumspectior abstinuit ad tempus, ut ingenue fateor, nihil me pœnitet. Si quem mea scripta reddidissent alieniorem à *Christo*, dolerem (ut vere fateor) inconsolabiliter, ac meos ipse libros odissem. Cæterum si quis abstinuit instituto, cujus susceptí mox pœnituisset, non est quod doleam: atque hæc vestrum erat inculcare, quæ nos admonuimus. Nam si probi estis, mavultis, opinor, pauciores, modo vere pios, quam multos qualescunque, nihil enim dicam aliud in præsentia. Malo decem bene abstinuisse ob monita mea, quam unum male irretitum fuisse opera mea. Quod si hæc occinerentur omnibus, fortasse pauciores exstarent, qui suis moribus dehonestarent professionem suam, nec audiremus passim tam multos frustra deplorantes, se capistro præbuisse caput. Fortasse, ne tu quidem istius Ordinis esses, sed pro libris tractares stivam, aut aliud quippiam aptius ingenio corporique tuo. Quod si cupitis quam plurimos in gregem vestrum allicere, date operam, ut incessus, ut oculi, ut sermo, ut mores, ut facta veræ religionis indicia præ se ferant. Audiamus passim exempla, quomodo in mediis deliciis sobrie vos gesseritis, quomodo voluptatem obviam fortiter spreveritis, quomodo lucro posthabueritis pietatem, quomodo vestræ gloriæ prætuleritis gloriam *Christi*, quomodo *Christiana* lenitate pertuleritis injuriam, quomodo male merentem officiis obrueritis, quomodo pro veritate tuenda divitum ac Principum simultati vos exposueritis. Date operam, ut quisquis miscuerit vobiscum sermonem, melior discedat à colloquio, quisquis vobiscum egerit convivium, sobrietatis exemplum auferat, quisquis vobiscum aliquid humanorum negotiorum tractaverit, sentiat vos meliores populo, minus avidos, minus morosos, minus fucatos, minus perfidos. Denique ubique agnoscant Euangelicam illam simplicitatem, in factis pariter ac dictis vestris. Nunc non libet referre, quam his diversa de vobis vulgo commemorentur. Atque hæc celari poterant, nisi quidam seipsos proderent in publicis concionibus. An putatis populo non esse sensum communem? An universos è tuo tuique similium æstimas ingenio? Sapit & vulgus ingenio, sapit experientia rerum, sapit congressu doctorum hominum, sapit lectione voluminum. Quid putatis illi venire in mentem, ubi conspicit Theologum insignem sacra veste, in loco sacro, è suggesto Ecclesiastico, unde exspectatur Euangelica doctrina, impotenti odio, virulenta lingua debacchari in famam proximi, oculis ardentibus, labiis spumantibus, voce immani, toto denique corporis habitu livorem & odium præ se ferente? Si vera essent omnia quæ dicerent, tamen populus non est adeo stupidus, quin intelligat ea non suo loco dici, intelligit ex animo proficisci neutiquam pio, quæ tam inimice dicuntur. Itaque fit, ut etiamsi quid recte doceant, minus illis habeatur fidei. Quis enim credat ei, quem videat non esse sui juris, sed servum & addictum esse affectibus? Quid autem cum, quod non raro fit, audiunt etiam manifesta mendacia? nam huc usque rapit quosdam animi cæcitas. Utinam audiretis, quæ passim inter se murmurent mulieres ac viri, talibus concionatoribus non paulo prudentiores: Quid, inquiunt, an hac de causa venimus in templum, ut ocioſi audiamus, quid hic aut ille stomachetur in alterum? Nos domi relictis negotiis huc accedimus, ut audiamus *Christum* nobis loquentem è pectore sacerdotis, ut domum redeamus meliores, ut aliquid sacræ doctrinæ, aliquid bonæ consolationis domum reportemus, & in templo discimus lacerare famam proximi, ac domum referimus odii, livoris, & obtrectationis materiam. In conviviis, apud focum renovatur contentio, aliis in aliam partem discedentibus. Quid opus erat hæc à templis peti, quæ nobis plus satis domi nascuntur? cur nobis subinde narrant, esse qui corrigant *Magnificat*, qui corrigant *Precationem Dominicam*, qui corrigant *Euangelium sancti Joannis*? Si quid in his male habet, quin ipsi inter se corrigunt potius, quam nos ad lapides provocant, & inter concordes seditionem concitant? Nos istos alimus, ut animos nostros confirment in fide, & per hos vocamur in dubium? Alimus eos ut ex illis dediscamus nostra vicia, & discamus Euangelicam doctrinam, & ab his discimus, quod est omnium pessimum, linguæ virulentam obtrectationem. Si tales sunt isti, non committam illis liberos meos, nec illis credam arcana pectoris mei: nec enim silentium præstant bona fide, nec recte consulunt, qui non ducuntur judicio, sed feruntur cæcis affectibus. Hæc audimus, mi *Bucenta*, quotidie etiam à nautis, ab aurigis, à mulierculis. Nec est quisquam vir bonus, cordatusque, quin intelligat horum querelam esse justissimam. Ita res in diversum exit, ut dum alienam famam incessitis, vestræ noceatis. Quid enim aliud lucrifacitis istiusmodi blaterationibus, quam odium optimi cujusque? Quot amicos, haud adspernandos, vobis ademit ista petulantia? plures ademptura ni resipiscitis. Circumspice mihi, & vide, num quisquam vir doctus, aut integer faveat istiusmodi petulantiæ. Habet hoc obtrectatio, ut etiamsi fidem faciat, tamen auditor pejus sentiat de eo, qui narravit. Quemadmodum proditorem odit Princeps, etiamsi dignum fraude putat eum, qui proditus est. Sed hujusmodi senatusconsulta vobis nascuntur inter pocula, & putatis orbi placiturum, quod duobus aut tribus compotoribus placuit. Pessime sentitis de genere humano, si creditis hæc probatum iri omnibus. Nondum adeo mundus obsurduit ad omnem naturæ sensum, nondum sic exsuit omnem affectum Euangelicæ pietatis. Si sincere, si libere doceretis Euangelicam veritatem, & ex officio consequeretur odium, pertineret ad vos illa *Christi* consolatio: *Beati, cum vos oderint homines.*



Digitized by Google

An. 1520. Nunc optimus quisque à vobis redditur alienissimus, ob vicioſum exemplum. Hæc tibi venirent in mentem, *Bucenta*, niſi malles odium in conſilium adhibere, quam rationem. Cum obambulas per monaſteria, etiam *Cartuſienſium*, & humaniter acceptus, jam debebas, id quod illi exſpectant, aliquid viciſſim depromere è ſacris ſtudiis quæ profiteris, ex arcanis illis contemplationibus, quibus illi putant Theologos identidem cum Deo colloqui, quod ipſos inflammet ad amorem vitæ cœleſtis, quod impleat eos conſolatione ſpirituali, quod ſemen aliquod ac ſcintillam Euangelicæ charitatis infigat; tu ſacerdos *Dominicanus*, Theologus, denarras hiſtoriam *Eraſmi*, vera falſis permiſcens, ac indecore blaterans, quicquid in fortunam, quicquid in vitam, quicquid in doctrinam, vel fingi, vel dici poſſit. Nec te cohibet ab obtrectando, etiam cum vides hæc triſtibus vultibus à cunctis accipi, imo cum audis omnes reclamantes. Quid autem credis pios illos patres de te ſuſpicari, cum hæc audiunt, quid inter ſe queri? Fortuna mea talis eſt, ut ipſe jure poſſim, & ſoleam multa de ea queri. Verum, nulli in manu eſt, ſibi fortunam fingere. Et arbitror plus eſſe laudis, invita fortuna eluctari ad virtutem, & blandientem etiam rejicere, quam ſi mihi dormienti contigiſſet ampliſſima. Nec deerat occaſio, nec ignorabam viam, qua pararetur fortuna lautior, ſi mihi placuiſſet tanti emere, quanti video à multis emi. Neque vitam meam omnibus libero viciis, præſertim actam juveni. Doctrinæ minimum mihi tribuo, etiamſi neque te, neque tui ſimiles patiar doctrinæ meæ cenſores. Tu putas atrox convicium, ſi me Rhetorem, aut Poetam dixeris. Ego neutrum agnoſco titulum, ſed qui intelligunt, quantum eruditionis reconditæ, quantum ingenii, quantum eloquentiæ ſit Poetis ac Rhetoribus, hi tales voces porcorum eſſe putant, non hominum. Contemnite quantum voletis Poetriam, adeo vobis ignotam, ut ne nominare quidem recte poſſitis, ex eodem ligno citius duos fingeres *Thomiſtas* præclaros, quam unum tolerabilem Poetam, aut Rhetorem. Verum, hoc eſt ejuſmodi, ut iis fruſtra dicatur, qui Muſas omnes habent iratas. Atqui ſi has horas, quas ſumis fratri tuo traducendo, collocares in evolvendis bonis Auctoribus, aut certe in evolvendis *Ambroſii*, *Hieronymi*, *Auguſtinique* voluminibus, multo minus tibi placeret tua doctrina, & minus diſpliceret aliena. Poſſem & ego inquirere in fortunam tuam, in vitam ac doctrinam tuam, olfacere ſicubi convomuiſſes menſam, ſicubi conſtupraſſes Veſtalem, ſi quod aliud facinus olim juvenis deſignaſſes, aut etiam nunc deſignares: ſed abſit, ut in tantum degenerem à doctrina *Chriſti*: abſit, ut ſic exſuam omnem *Chriſtianum* pudorem, & id faciam, quod nec Ethnici faciunt, ingenii paulo ſanioris. Quidam nimis impudenter impingunt mihi calamum mordaciorem. At qui ſapiunt, quique vere judicant, fatentur neminem multis ſeculis odioſius impetitum, quam *Eraſmum*, nec ullius tamen ſtylum magis incruentum fuiſſe, nec alium civilius taxare vicia mortalium, nec magis peperciſſe nominibus ac perſonis, etiamſi nec nomini meo, nec perſonæ parcitum eſt à multis. Quod ſi ideo nos impetis, quod offenderim Ordinem veſtrum, primum fateris te vindictæ libidine rapi, non duci ratione, cum tuæ profeſſionis ſit, etiam pro maleficio beneficium reponere. Præterea vindictæ genus tibi deligis, omnium damnatiſſimum, ac viris etiam indignum. Dux ille Ethnicus ferula caſtigavit, qui hoſti malediceret, quum ad pugnandum eſſet conductus. Et tibi non aliud telum eſt, quam maledica lingua, qua valent improbæ mulieres. Ad ſcribendos libros ſalutiferos, mancus es: ad prædicandam *Chriſti* philoſophiam, elinguis es: ad obtrectandum *Eraſmo*, diſertus es & copioſus. Atque interim *Saulum* imitaris, ſed impium adhuc, ſubſervis & animos addis aliis, qui *Eraſmum* in concionibus lapident. Atque hoc eſt res turpior, quod ad ulciſcendos privatos affectus abutimini religione, & auctoritate ſermonis Euangelici, ac mavultis cœlum terramque miſceri igni, quam non obſequi veſtris ſtudiis. Sed hoc tantum impietatis eſt, illud etiam imprudentiæ, quod dum mihi vultis vulnuſculum infligere, ipſi veſtræ famæ longe gravius vulnus infligitis. Scio quoſdam melius cœpiſſe ſentire de me, poſteaquam viderent me tibi tuiſque ſodalibus tantopere diſplicere. De vobis certe nemo non ſentit pejus, utcunque de me ſentit. Cum nuper adires illum vere Theologum, qui ſic in ſcholaſtico genere valet, ut *Lutetiæ* non alia quam doctrinæ commendatione primum meruerit locum, tamen bonarum literarum ac linguarum præſidiis inſuper eſt inſtructus, ut tui diſſimillimum officii gratia ſalutares, tam impotens erat animi tui odium, ut vix dicta ſalute, ſtatim erumperes in furioſa in me convicia. Quodnam ob meritum meum? quod is pro ſua humanitate pridie apud me cœnaſſet, cum nec in cœna, nec in colloquio, quod mihi cum illo ſatis diutinum fuit, ulla fuiſſet tui mentio. Sic homo civilis primam illam ſalutationem peſſimo maledicentiæ omine reddidiſti inauſpicatam. Nec veniebat in mentem, quam malam inires gratiam apud duos peritiſſimos earum literarum, quibus ego ſemper ut favi, ita nonnihil etiam profui. Nec hoc odio tuo ſat erat, totum convivium inſulſiſſimis conviciis condiebas, uſque ad omnium etiam tuorum faſtidium: nam & hi queſti ſunt linguam iſtam tuam procacem, & effrenem, nullo remedio poſſe compeſci. Vis audire quantum tua promoveris petulantia? Sic alienaſti doctos illos abs te, ut negaverint ſe unquam credituros fuiſſe, te tam impotenter eſſe maledicum ac virulentum, ni tu re ipſa feciſſes fidem. Rogabam an ne mihi quidem. Nullus, inquiebant, mortalium hoc nobis perſuaſurus erat, niſi res ipſa perſuaſiſſet. Ac tibi nihil aliud precabantur, quam mentem ſaniorem. Similis erat exitus *Antuerpiæ*, cum in celebri convivio bonus ille *Dominicanus*, à melle cognomen habens, cum nihil eructet, præter merum fel, negaret eſſe ſceleratiorem hæreticum in his regionibus, quam eſſet *Eraſmus*, quibus auribus putas eam vocem acceptam? Quis non deteſtatus eſt hominis inſaniam, præſertim ex his, qui libros meos legerant? Quis autem non deteſtatur, & tuam illam vocem, *Peſtilens ille Lutherus, & peſtilentior Eraſmus; nam ex hujus uberibus ſuxit, quicquid habet ille veneni?* Qui libros utriuſque legerunt, quid aliud cogitant, quam te hominem eſſe omnium, qui vivunt, impudentiſſime vanum, petulantiſſime maledicum, furioſiſſime impotentem? Imo qui te non norunt, & audierunt in navi aut curru diſputantem de fide catholica, rogant, quis ſit ille *Dominicalis*, facie nitenti, riſu *Sardonico*, validis lateribus, ſed inepta lingua, qui tam diſertus ſit ad maledicendum *Eraſmo?* Quid hic reſponderi ſoleat utinam audires aliquando, videreſque te tuis pictum coloribus. Ego tibi ſum hoſtis Ordinis tui, qui admoneo quibus rebus Ordinis dignitati oporteat conſulere; tu, qui tua lingua tuiſque moribus dehoneſtas Ordinem tuum, idque paſſim nullo delectu, neque temporis, neque loci, neque perſonarum, columen es Ordinis. Ego nulli omnino ſum infenſus Ordini, neque *Franciſcano*, neque *Carmelitico*, neque *Dominicali*, neque *Nautico*, neque *Aurigario*, ſciens in unoquoque probos inveniri. Ut in quocunque pallio, quocunque titulo placet pietas, ac morum integritas, ita nuſquam non diſplicet omnibus bonis improbitas. Quod ſi maxime eſſem hoſtis Ordinis tui, nullum gravius malum optarem illi, quam aliquot tui ſimiles. Quæſo tuæ vocis arbitrio erimus *Chriſtiani*, qui nunquam ex animo cogitaſti, quid ſit eſſe vere *Chriſtianum?* Undique proditis inſcitiam veſtram, undique mores multum abludentes à profeſſione, undique pectoris purulentiam, & nobis acceptum fertis, ſi pejus de vobis ſentit mundus? Videmus paſſim tuos ſodales ab idiotis, atque etiam à mulierculis refelli, magno-

An. 1520.

An. 1520. magnoque dedecore, sic obturari os, ut non habeant, quod respondeant. Et quoniam vos debacchamini in vitam aliorum, viciſſim & illi paſſim veſtrorum Bacchanalium myſteria proferunt, materia nimium felici. Cum *Antuerpiæ* ſeditioſis clamoribus civitatem, ex omni nationum genere conflatam, ad ſeditionem concitaretis, iterum atque iterum vetante magiſtratu, quantum favoris *Luthero*, quantum odii vobis conciliaſtis? A me nullus amicus veſtra opera factus eſt alienior, quoſdam etiam novos veteribus addidit veſtra in me maledicentia. At à vobis quantus numerus bonorum & eruditorum eſt alienatus? Quot homines pœnituit ſuæ in vos liberalitatis? Quanto pluris habitus fuiſſet *Jacobus Hochſtratus*, ſi aut non ſcripſiſſet in quenquam, aut non ſcripſiſſet tam amarulente? Quæſo, quid lucrifecit *Nicolaus Egmondanus*, tam impotenter, imo tam ſtolide toties in me deblaterans? Quam vero decorum erat illud ſacerdoti, Theologo, *Carmelitæ*, denique ſeni, tam odioſe deblaterare in Opus, quod fatebatur ſibi nunquam eſſe lectum, fortaſſe nec intellecturus, ſi legat? Quis autem puerorum non riſit hominem, cum frequenter in concionibus ſtultiſſime debaccharetur in Poetriam, (ſic enim ille vocavit) in Rhetoricen, in linguas à laudatiſſimis viris tantopere & laudatas, & expetitas? Quam hoc dignum illius candido pallio, quod cum cæteri Theologi ad concordiam invitarent, ille ſolus diſſidium maluit? Rogatus quid illum offenderet, reſpondit, quod ſcripſiſſem Novum Teſtamentum. Rurſum interrogatus, quid tum poſtea? ergo, inquit, omnia noſtra nihil ſunt. Bellum enthymema, periit videlicet univerſa Theologia, ſi incolumi Tranſlatione Vulgata, quædam facta ſunt, vel emendatiora, vel dilucidiora. Et is jactat quod talibus enthymematis ipſius non digner reſpondere, cum ipſe non dignetur apologiam legere, qua diluo quicquid hujus generis objici poſſit. Scilicet non ſatis erat omnibus ſcripſiſſe, niſi cum ſingulis cauſificatoribus, imo cum fungis & caudicibus totos dies ocioſus diſputem. Quod erat ſpecimen religionis, cum in Theologica & ordinaria profeſſione publice diceret, me cum *Fabro* pugnare, & olim pugnaturos in profundo tartari? Non puduit ejuſmodi virus effundere in *Fabrum*, hominem ſenem, eruditum, ac perpetua vitæ ſanctimonia cunctis venerabilem, & tamen non intelligebat, qua de re mihi cum *Fabro* eſſet controverſia: id enim ipſe ſuo ſermone prodebat. Quis fuit illi tam favens in eo auditorio, cui non diſplicuerit vox tam impotens? Quis illi judicabat eſſe ſanum caput? Qui erant amiciſſimi, ſic excuſabant, quod à convivio dixiſſet. Sic fortaſſe leno poterat excuſari, non Theologus. Cum omnibus bonis diſpliceret homo, ſibi tamen diſplicere non potuit. Jam vero ut exhiberet ſuis camelum, quod ajunt, ſaltantem, addebat auſpicaturus Epiſtolas *Pauli: Paulum olim perſecutum Eccleſiam Dei, ſed è lupo factum ovem. Idem*, inquit, *orandum ut eveniat in Luthero & Eraſmo.* O lepores Atticos! ô cavillos qui non multum abſint à caulis! Cum paſſim rideretur, cum exſibilaretur, tamen nulla fere lectione non aliquo ſcommate perſtrinxit caput meum, idque fecit etiam in concionibus. Cum evulgaret Bullam editam adverſus *Lutherum*, meque forte fortuna conſpexiſſet in concione, ſubito relicto argumento quod inſtituerat, plura dixit in *Eraſmum*, quam in ipſum *Lutherum*, nec erat finis, nec modus, ſubinde repetebat intermiſſum ſermonem; cumque paſſim inter ſe nutarent ac riderent auditores, tamen ille toto vultu teſtificans impotens odium animi, maledicum ſermonem abrupit verius, quam finivit. Ea de re cum expoſtularem apud Academiæ Rectorem *Godſchalcum*, ejuſmodi conviciis, imo mendaciis debacchatus eſt in faciem meam, ut ea vix *Balatro* diceret *Nomentano*, quæ ſenex ſeni, ſacerdos ſacerdoti, Theologus Theologo, idque apud Academiæ moderatorem. Ajebat me verſipellem, duplicem, au-

A

B

C

D

E

F

ctorem omnis tumultus *Lutherani*, nihil non fingere, me infixiſſe *Lutherum* animis hominum, me falſaſſe multis locis Novum Teſtamentum, ſignificabat me fictis uti diplomatis, finxiſſe epiſtolas eruditorum virorum ad me honorifice ſcriptas, cum pleraſque ſupprimam pudore. Quid non? More procacium muliercularum nullum verbum non rapiebat in occaſionem convicii. Forte dixeram, *finge ita eſſe*, pro eo quod erat, *pone ita eſſe*. Ibi commotus homo: Nolo, inquit, fingere, hoc veſtrum eſt, vos fingitis, ac mentimini omnia. Memineram per occaſionem Rhetoricæ civilitatis, qua nonnunquam negamus nos monere eum, quem tamen monemus, ibi ceu telum nactus: Verum, inquit, ſic Rhetores omnia mentiuntur, fingunt ac diſſimulant. Nihil dici poterat, quod ille non verteret in occaſionem convicii. Tandem ubi ſatis eſſet debacchatus, ſuæque naturæ obſecutus, ubi uſque ad ſatietatem faciem meam maledictis conſpuiſſet, tandem urgente Rectore, propoſuit conditiones pacis duas, alteram ut canerem palinodiam eorum, quæ ſcripſiſſem in Theologos *Lovanienſes*, ac *Steſichorum* imitatus ſcriberem, *Lovanii* ſinceres (nam hoc verbi tum illi placuit) ac probos eſſe Theologos. Quaſi ſi id ſcripſiſſem, ipſe protinus alius haberetur, quam ſemper fuit: Alteram, uti ſcriberem adverſus *Lutherum*. Hæc ſi reciperem, ac præſtarem, tum nos fore fratres: ſin recuſarem, ſe perpetuo habiturum me pro *Lutherano*, quaſi non ipſe eadem ratione cenſendus eſſet *Lutheranus*, qui nihil adverſus illum ſcripſerit. Hujus diſcipulus prior *Antuerpienſis* pileo violaceo doctor, excuſans ſeſe apud magiſtratus, quod ſeditioſe clamaſſet in *Lutherum*, negavit ſe legiſſe *Lutheri* libros, ſed admonitum literis *Nicolai Egmondani* dixiſſe, quæ dixiſſet. Eodem tempore proceres monaſterii *Dominicalis* ſic indecore geſſerunt ſeſe, ut omnium bonorum animos ab ſe alienarent. Quorum de numero quidam laicis aliquot audientibus, Utinam, inquit, mihi liceret dentibus meis demordere gulam *Lutheri*, nihil vererer ore adhuc cruento accedere ad corpus *Chriſti*. Quis bonorum eſt tam iratus *Luthero*, ut non oderit ſacerdotem hæc evomentem? *Standicii* fabulam tibi coram narravi, qui tam ſtolide geſſit ſe apud cordatiſſimum *Angliæ* Regem, ac prudentiſſimam fœminam Reginam, ut ipſum etiam Principem puduerit ſic delirari apud ſe. Sed quid ego metior arenam? Quotidie paſſim hujuſmodi permulta deſignantur à quibuſdam Ordinis veſtri ſodalibus, tam ſtulta, tam impudentia, ut niſi publice multorum oculis & auribus ingererent ipſi, nemo ſit narranti creditурus. Cum his factis ſibi pii videntur, & frequenter adeunt ſacram *Chriſti* menſam, ac poſtea mirantur homines ab ſeſe alienari, perinde quaſi mundus nihil haberet præter belluas. Ac prorſus ita ſe gerunt, quaſi malint eſſe formidabiles improbitate, quam modeſtia ac pietate commendati; nec ſatis animadvertunt, quam malus ſit diuturnitatis cuſtos metus. Sed ut aliquando claudam prolixam epiſtolam, quanquam tot modis abs te ſum affectus contumelia, mi *Bucera*, tamen experitus Domini lenitatem in me peccantem, illum pro viribus imitabor. Teque etiam atque etiam admoneo, hortorque, ut omiſſo maledicendi ſtudio, diſcas benedicere, parces tibi, parces Ordini tuo, magiſque ſpectes quid docet doctrina *Chriſti*, quam quid præſcribat *Egmondanus* compotor, quid probaturi ſint cordati graveſque viri, potius quam quid inter pocula unus aut alter applauſor ejuſdem farinæ comprobet. Quanquam iſtam effrenatam linguæ petulantiam deteſtantur & tui gregis ſodales, mihi quidem parum bene volentes, ſed qui hoc intelligunt ad ſui Ordinis dedecus atque incommodum pertinere. Ego non tam iraſcor tibi, quam miſereor: atque hoc magis miſereor, ſi tibi nondum es miſerabilis. Bona pars ſalutis eſt, morbum ſuum agnoſcere. Si natura tibi negavit ingenium, ut evadas egregie doctus: ſi linguam, ut ſis probus con-



Digitized by Google

Am. 1520. concionator: si stylum, ut libris editis queas orbi prodesse, certe conandum ut vir bonus sis. Ac vir bonus esse cœpit, qui malus esse desiit. Malus est, qui proximo maledicit. Bis malus est, qui de bene merente dicit male. Si prodesse non potes ob inopiam ingenii, linguæ, doctrinæ, consilii, judicii, saltem da operam, ne quem lædas. Fortassis aliqua venia debetur iis, qui cum multis modis profuerint, alicubi dederunt malum. At deploratæ cujusdam malitiæ est, cum nulla ex parte sis utilis, totum conatum tuum vertere in perniciem aliorum. *Lutherus* ille tuo præconio pestilens, tamen tibi quoque non mediocrem attulit utilitatem, coactus es illius libros legere, è quibus non pauca didicisti, coactus es & veterum auctorum aliquid attingere. Per hunc mundus cognovit *Silenos* istos inversos, qui videbantur esse pietatis columina, qui videbantur nihil nescire, cum ab utroque longissime abessent. Atque ut joco vera loquar, multis conciliavit fortunam lautiorem, speras & ipse fortasse mitellam aliquam, vociferationis tuæ præmium. Debes nonnihil & pestilentiori *Erasmo*, dum hujus libros studio carpendi volvis, correxisti nonnihil infantiam tuam, neque pauca didicisti, quæ te fugiebant, quamlibet magistrum nostrum. Hæc admonitio quoniam ab animo fraterno proficiscitur, mihi certe profuerit apud *Jesum Christum*; tuum erit dare operam, ut tibi quoque sit utilis, erit autem si bene monenti parueris. Bene vale. Anno 1520.

## EPISTOLA DLXIII.

*Erasmus N. Viro Præpotenti* S. D.

An. 1521. VIR clarissime, celsitudinis tuæ literæ nos offenderunt occupatissimos literariis laboribus, & redditæ sunt per hominem prorsus ignotum, cujus nullam faciebat mentionem epistola. Et tamen viaticum erat illi à me sarciendum, quod se prædicaret à prædonibus alicubi spoliatum. Has ob causas nunc brevius rescribo, brevi per *Fucaros* scripturus copiosius, si quid dabitur ocii, aut si id te velle sensero. Librum jam ante sex menses acceperam per duos *Bohemos*, tametsi nondum vacavit perlegere, ac de dissidio mihi sat diligenter scripserat *Joannes Slechta**. Quæ sane res non mediocriter excruciavit animum meum, qui semper faverim cum omni paci concordiæque inter mortales omnes, si fieri possit, tum maxime inter *Christianos*. Quum enim Deus, juxta Prophetæ testimonium, regnare gaudeat in latitudine populi, cumque videamus *Christiana* religionis pomœria usqueadeo contracta in arctum, quis non discrucietur animo, hoc ipsum, quod superest, tot opinionum morbis, tot morum corruptelis esse viciatum, tot sectis divisum atque distractum? Egi super hac re nonnihil cum Cardinale *Campegio*, viro nec indocto, nec inhumano, cum apud nos esset, ac post cum Nuncio quodam Pontificio. Uterque sat benigne respondit, bonam spem ostendens sarciendæ concordiæ. Mihi majorem etiam spem facit hujus *Leonis* nostri clemens ac pacis cupidissimum ingenium, si modo suo mallet uti ingenio, quam quorundam affectibus obsecundare, qui nec illius dignitati mea sententia consulunt, & publicam orbis utilitatem suis privatis commodis posthabent. Porro quod à me ceu regulam quandam petis, cui scribis plus auctoritatis fore apud tuos, quam si *Romanus* Pontifex obvibret sua fulmina: me jamdudum abhorrentem à negotio, cui nec auctoritate par sim, nec eruditione, magis etiam deterret. Et haud scio, an ullo queas argumento me magis alienare ab eo ad quod conaris invitare. Quis enim ego sum, ut de aliena fide pronunciem, aut decernam aliquid, præter id quod decrevit ac sequitur Ecclesia Catholica? Quod si mihi constaret perperam aliquid decretum esse ab Ecclesia *Romana*, fortasse rogarem, aut reverenter admonerem, si daretur occasio, absit autem, ut mihi quicquam decernendi fiduciam arrogem. Ego studiis meis nihil aliud conatus sum, quam ut bonis literas pene sepultas apud nostrates excitarem, deinde ut mundum plus satis tribuentem *Judaicis* ceremoniis, ad veræ & Euangelicæ pietatis studium expergefacerem. Postremo, ut studia Theologiæ scholastica, nimium prolapsa ad inanium quæstiuncularum argutias, ad divinæ Scripturæ fontes revocarem. Nihil unquam asseveravi, semperque fugi dogmatistæ personam, præsertim in iis, quæ jam essent inter articulos nostræ religionis recepta. Tametsi fateor quædam esse definita per Theologos quosdam, quæ, mea quidem sententia, poterant absque jactura pietatis Euangelicæ relinqui in medio. Quod igitur præscribam, vir optime, non habeo, quod optem, habeo. Optarim enim primum istam omnem regionem sibi conjungi *Christiana* concordia, deinde cum cæteris omnibus citra controversiam habere pacem ac societatem perfectam. Ac jam quidem, si non maxima, certe optima regni pars agnoscit publicam Ecclesiæ concordiam. Ad hæc, prodigiosam *Nicolaitarum* factionem, etiam vulgus isthic, ut audio, exsecratur. Supereſt sola *Pygardorum* factio reconcilianda. Ejus rei conficiendæ bonam video spem, si per vos, Pontificem, ac Principes aliquot, ad eruditos aliquot spectatæque integritatis viros, negotium hoc deferatur, exclusis ab hoc albo istis, qui nulli negotio sese non admiscent, cum longe aliud profiteantur; non quod illos oderim, si modo præstarent quod profitentur: sed ex his videmus passim exsistere, qui sic clamoribus, tumultibus & adulationibus agunt, ut ipsis videtur, Pontificis negotium, ut, mea quidem sententia, nemo magis officiat Pontificis dignitati. Sic enim vociferantur, ut idiotis etiam putentur insanire. Nec ulli magis affectibus populi commendarunt *Lutherum*, quam qui odiosissime vociferati sunt in *Lutherum*. Hi timent nescio quid, & ob id omnem movent lapidem, quo regnum suum stabiliant. Hos igitur ab hoc arbitrio velim omnino semoveri. Quod si res ageretur mansuetis ac moderatis rationibus, sperarim fore, ut & *Leo* Pontifex auferret laudem clementiæ pastoralis, & isti laudem vel fructum potius obedientiæ *Christianæ*. Nec enim ullo modo probandi sunt, qui *Romanum* Pontificem, vel exacerbant conviciis, vel oblatrationibus traducunt. Etenim si *Petrus* merito objurgat eos, qui glorias, hoc est, viros publica potestate præditos adspernantur, etiamsi sint Ethnici, quanto minus impetendus est, cui primam auctoritatem deferunt omnes ferme Ecclesiæ? Neque enim jam disputo, unde illi delata sit hæc auctoritas, certe quemadmodum olim multis presbyteris adhuc æqualibus unus eligebatur Episcopus, ne schisma nasceretur, ita nunc ex omnibus Episcopis expedit deligi unum Pontificem, non solum ad excludenda dissidia, verum etiam ad temperandam tyrannidem aliorum Episcoporum, si quis forte suos opprimeret, ac Principum prophanorum. Neque vero nescio, quæ vulgo querelæ jactentur de Sede *Romana*; sed quemadmodum inconsultum est statim credere, quod spargitur rumore populari; ita videtur iniquum quicquid *Romæ* geritur, imputare *Romano* Pontifici. Multa geruntur illo inscio, nec enim unus potest omnia cognoscere, multa illo invito & reluctante. Atque ut nunc sunt res humanæ, si *Petrus* ipse *Romæ* præsideret, cogeretur, opinor, ad quædam connivere, quæ nequaquam probaret in animo suo. Sed hæc utcunque habent, longe plus ageretur moderatis precibus, aut rationibus, aut blandis querelis; quam obtrectationibus, aut scriptis amarulentis. Quod si hoc merentur nostra commissa, ut mundus magno tumultu castigetur, & si necesse est ut veniant scandala, certe ego curabo, ne per me veniant. Me nullus habebit, neque magistrum erroris, neque ducem tumultus. Quod libri *Lutheri* apud vos habentur in manibus, uti scribis, non admodum doleo, si modo sic legantur ab istis, quemadmodum à me legi solent. Si quid inest boni, decerpo: si quid mali, transilio. Nec in præsentia dicam, quid de hoc viro sentiam. Tantum illud dicam, maximam

* Vide Epistolam CCCCLXIII.

Digitized by Google

ximam hujus tragœdiæ partem, natam esse ex immoderata cupiditate quorundam Theologorum, maxime *Dominicanorum* & *Carmelitarum*, de quibus in præsentia me piget plura scribere. Unum illud dicam, si *Leo* sciret, quæ nos videmus & audimus, aut prorsus me fallit mea de illo opinio, aut haberet illis pro sua sedulitate non optimam gratiam. Cum *Luthero* mihi nihil intercedit, præter *Christianam* amicitiam. Quod uti verissimum est, ita sæpenumero sum testatus. Ego nec auctor illi sum, nec patronus, nec actor, nec judex. Nec eadem scripsimus, opinor, nec eodem modo. De spiritu illius nolo, nec meum est ferre sententiam. Nec illius admodum multa legi, videlicet meis studiis abunde distentus. Nihil illius unquam nec impugnavi, nec defendi, tantum alicubi in illo desideravi plusculum mansuetudinis Euangelicæ; nec tamen probavi sævitiam ac tumultum istorum, qui libris illius nondum lectis stultissime vociferabantur apud populum, *asinum*, *gruem*, *stipitem*, *hæreticum*, *Antichristum*, *pestem orbis* identidem illum appellantes, cum interim nec docerent hominem meliora, nec refellerent: nec aliud effecerunt suo tumultu, quam ut plures emerent, ac libentius legerent *Lutheri* libros. Nunc Bulla* prodita, quæ nec ipsa potuit animos populi à *Luthero* alienare, quanquam supra modum terribilis est, conjurati quidam, fœdere icto inter pocula, semper illius nomen cum meo conjungunt in concionibus publicis, quo videlicet me degravent invidia communi: quem ob id hostem judicant, quod alicubi scripserim eos non recte facere, qui sic argutiis *Scoticis* incumbunt, ut non attingant fontes divinæ sapientiæ; quod aliquoties à *Thoma* dissentiam in Annotationibus meis; quod admonuerim adolescentes non esse pelliciendos ad vincula vitæ monasticæ, priusquam & sibi noti sint, & intelligant quid sit religio; quod admonuerim veram pietatem non esse sitam in ceremoniis, sed in affectibus animi; quod defendam bonas literas, quibus illi jam olim indixere bellum. Cum rogantur à concione, quid offenderint in libris meis hæreticum, respondent se non legisse, sed tamen periculum esse propter obscuram *Latinitatem*. Hæc respondent iidem & Theologi & Monachi, & scurræ, & nonnunquam Episcopi. Per hujusmodi rabulas defenditur majestas Pontificia, fulcitur Ecclesia. Sed populus passim incipit sapere, & ni melioribus rationibus rem agant, non video quid sint effecturi. Quod hortaris, ut *Luthero* me jungam, id facile fiet, si illum videro in parte Catholicæ Ecclesiæ. Non quod pronunciem illum ab hac alienum, neque enim meum est damnare quenquam. Domino suo stat ille aut cadit. Quod si res deveniet ad extremum tumultum, ut utroque nutet Ecclesiæ status, ego me interim in solida illa Petra figam, donec rebus pacatis liquebit ubi sit Ecclesia, atque illic erit *Erasmus*, ubicunque erit Euangelica pax. Hæc habui, vir eximie, quæ mihi in præsentia venerunt in mentem, ne qui tuas reddidit, omnino vacuus abiret. Epistola tua nec diem habuit nec annum adscriptum. Bene vale. *Lovanio* 28. Januarii, Anno 1521.

* Quæ data *Romæ* apud D. *Petrum* XVII. Kal. Julii, An. 1520.

## EPISTOLA DLXIV.

*Erasmus Roterodamus M. Conrado Goclenio* S. P.

AMO profecto *Melchiorem*, & precor illi Musas omnes propitias, ὄντως βαλέτω. Sic innotescet bonis, ac fortunam sibi parabit. Nec est quod cogitet de suffugio, sed de progressu. Tantum caveat, ne det ansam improbis. Cum *Lodovico* civiliter exerce amicitiam. *Nesseno* si quid scribis, caute scribe. Ille sane mihi fuit amicus infelicissimus. Nihil continet; nec dispicit, quid, quando dicendum. Nec prodest bonis literis, nec causæ *Lutheranæ*, nec suis discipulis. Is demum sapit, qui novit hoc seculo sapere. Vix etiam fidas tibi ipsi. Spero me isthic adfuturum in Quadragesima, nisi hi tumultus obstabunt, qui videntur imminere. *Verdunii* epistola mire delectavit, si tamen ille tantum potest. Additurus eram Operi nostro, sed erat cur non fecerim. Miror quod *Hilario* dederis aureum, nam erat illi satis viatici ex me, & ex *Petro Ægidio*, de meo. Scripsissem plura, sed hic parum videbatur notus, per quem scribo. *Campensi* gratulor. Decebat ut ego senex jam particeps essem vestrarum felicitatum, sed video meos labores plane fuisse *Herculeos*. Bene vale. *Basilea* 6. Febr. Anno 1521. An. 1521.

## EPISTOLA DLXV.

*Erasmus Rot. Guilielmo Budæo* S. D.

EN, *Budæe* charissime, quasi parum esset malorum, ita præcipuum è *Guilielmorum* numero fatorum ademit invidia. Periit enim, ut scis, *Guilielmus Crojus* Archiepiscopus *Toletanus*, & periit veluti flosculus tener in ipso exortu succisus, simulque nos docuit, nihil esse satis firmi præsidii in rebus fortunæ arbitrio subjectis, qua de re librum abs te conscriptum ex hoc, qui has reddit, cognovi. Quid optari poterat à fortuna, quod illi non affatim fuerat ultro largita? Generis antiquissima stemmata, tum patruus, sic apud *Carolum* nostrum gratiosus, ut penes unum propemodum videatur esse imperii summa: ætas virens, nondum enim egressus erat annum vigesimum tertium: corpus vegetum ac firmum: tam multiplex dignitas, ut in illo vix eluceret majestas galeri Cardinalitii: morum mira facilitas, candorque: toto pectore favebat bonis studiis, nec oderat *Erasmum*. Certe *Vives* noster *Mecœnatem* amisit, qualem posthac haud facile nanciscetur. Is mihi legit proximas tuas ad se literas. Si mihi *Brixius* æque ac *Morus* esset ignotus, tamen dolerem studiorum rem tam parum bene succedere. Nunc quum uterque sit amicus, quum utriusque faveam ingenio, non potero sine summo dolore spectare concertationem istam, quæ vereor ne nimium excandescat: nam epistola *Mori*, quam opinor te vidisse priusquam eam mihi *Morus* ostendit *Caletii* jam typis excusam, talis est, ut ego, qui nonnullis videar mordax, ad hanc collatus, prorsum edentulus sim: & tamen mihi propemodum pollicitus est se pressurum, si *Brixius* conquiesceret. Amabam & festivum *Hutteni* ingenium: id *Lutherana* tempestas Musis eripuit. Qui hasce reddit literas, *Guilielmorum* unus est, qui candide favent *Erasmo*, qui quum ex me didicisset cujusmodi vir esses, ambire cœpit, ut tibi innotescerem. Ac profecto dignus est, mea sententia, quem tua digneris amicitia: festivum ingenium est, mores nivei, summa in rebus gerendis dexteritas, literarum, ut est amantissimus, ita nequaquam rudis. Postremo, non nomine tantum tui similis est. Cura, mi *Budæe*, ut quam rectissime valeas, nam hoc cœlo tam putri, in his studiorum laboribus, imo in his tædiis & rabularum obstrepentium & piscolentorum dierum vix satis tuemur valetudinem. *Lovanii* 16. Febr. Anno 1521.

## EPISTOLA DLXVI.

*Erasmus Nicolao Beraldo* S. D.

QUANTUM apparet ex *Budæi* nostri ad *Vivem* literis, fieri non potest, quin *Morus* ac *Brixius* pergant inter se conflictari. Amo utriusque ingenium, malim aliud par spectare commissum; sed quod nobis in manu non est, fatorum arbitrio permittamus. Tuis literis provocatus, scripseram *Huveo* Decano, & ille sic obticescit, quasi sit offensus officio meo. Quod si est, fac mihi hominem reconcilies, cui me volebas conciliare. Tanta hic est rabies quorundam Monachorum adversus bonas literas, ut jam tædia sint verius quam studia. Ego *Dominicanorum* conviciis lapidor quotidie, in publicis etiam concionibus, quæ si paterer pro negotio fidei, non cessarim vel ipsi protomartyri *Stephano*. Semel ille lapidatus, finem invenit malis; & saxis ille duntaxat impetitus est, ego nec uno in

An. 1521. loco, nec ſemel lapidor mendaciis & conviciis lethali veneno tinctis: atque hæc dum agunt, ipſi ſemet produnt ac traducunt populo. Ac tales ſe præſtant, quales ſi ego deſcripſiſſem, vix quiſquam fuerat habiturus fidem, nunc ipſi fidem faciunt. Et tamen tanta eſt cæcitas, ut vel ſuo malo lædere cupiant. *Lutherus* maxima invidia gravat & nos & bona ſtudia. Nemo neſciebat Eccleſiam fuiſſe gravatam & tyrannide, & ceremoniis, & decretis humanis ad quæſtum repertis. Jamque multi remedium, vel optabant, vel meditabantur, ſed ſæpe parum dextrè tentata remèdia vergunt in pejus, fitque ut dum non ſuccedit jugum excutere volentibus, in acerbiorem ſervitutem retrahantur. Utinam vir ille, aut prorſus abſtinuiſſet, aut rem moderatius ſimul & circumſpectius tentaſſet. De *Luthero* nihil laboro, ſed *Chriſti* gloriæ faveo: nam quoſdam ſic accinctos video, ut ſi his ſuccedat res, nihil ſuperſit, niſi ut Euangelicæ doctrinæ ſcribatur epicedion. Bene vale, *Beralde* doctiſſime. Saluta patronos communes *Ruſcum* & *Deloinum*, nam *Budæo* ſcripſi. *Hermanno Friſio* ſummæ ſpei juveni multam ex me ſalutem dicito. *Lovanio* 16. Febr. Anno 1521.

## EPISTOLA DLXVII.

*Eraſmus Roterodamus Laurentio Bartholino Abbati* S. D.

NON ſemel ipſe mihi diſplicui, *Bartholine* optime, quod iſtam indolem tuam, virtuti ac bonis literis natam, non fuerim majore cum humanitate complexus, cum apud nos eſſes una cum *Longolio*. Sed ad hujuſmodi officia præſtanda magis deeſt nobis ocium quam animus. Quis autem non adamet iſtud ingenium tuum tam avidum eruditionis, ut *Italus* homo per tot barbaras regiones peregrinari volueris, non tam *Ulyſſea* cujuſdam prudentiæ comparandæ gratia, qui mores hominum novit & urbes, quam ut cum viris doctrinæ opinione celebratis congredereris. Inter quos neſcio quis tibi perſuaſerat eſſe numeratum *Eraſmum*. Quanquam autem hac parte plane ſciam te fruſtratum exſpectatione tua, tamen illud, opinor, profeciſti, ne poſthac tam facile credas, vel laudatoribus iſtis, vel obtrectatoribus. Sed interim exoſculor *Italiæ* candorem, quæ favet exterorum ingeniis, cum ipſi nobis invideamus. In digreſſu petieras à nobis, ut disjuncti mutuis epiſtolis colloqueremur. Prior itaque laceſſo, tametſi in præſentia, nec admodum vacabat ſcribere, nec erat argumentum aliquod ſerium. Fac recte valeas, & quid agas ut ſciam. *Lovanio* 1. Martii, Anno 1521.

## EPISTOLA DLXVIII.

Mercurinus Cattinarius, Caroli Cæſaris Cancellarius, Eraſmo Rot. *S. D.*

PRAESTANTISSIME *vir, Heri reddita mihi ſunt litera tua, quibus vereri te oſtendis, ne aliquæ obtrectatorum ſubortæ ſint adverſus te calumniæ, teque, quantum potes, excuſas, purgaſque. Inprimis facere non poſſum, quin pro ea, quam de me habes, opinione ac fiducia plurimas tibi gratias agam. Credo enim potuiſſe te ſemper facile colligere, qui meus eſſet in te animus, & ſane talis, quo promptiorem amicus quiſquam ab altero ſperare non auderet. Certe quantum in me fuit, non ſolum tuas excuſationes libens accipio, verùm etiam id effecere, ut quum antea aliter de te, atque ſcribis, cogitare non poſſem, nunc vero illud ipſum videar intueri. Nihil enim unquam fuit, quare te unicum bonarum literarum in* Germania *lumen, ac qui labores omnes tuos, vitamque ipſam, ad ornandam illuſtrandamque orthodoxam fidem contuliſti, in hiſque dies & noctes deſudas, credere deberem latum unguem à ſacroſanctis ejus inſtitutis diſcedere, aut ullo modo aliter ſentire: bonoſque omnes dicere poſſum cognoviſſe me ejus eſſe ſententiæ. Quod ſi forte quid te in ſuſpicionem vocaverat, quod tamen non*

*uſque adeo mihi compertum eſt, eſſe potuit ſtylus quorundam librorum, qui ad tuum maxime declinare videbatur, qui tamen & incerto auctore editi erant, &, ut brevibus dicam, haretici nihil in ſe continentes. Quare eo animo eſſe debes, ut omnino tibi perſuadeas, te apud bonos non ſolum alienum ab omni ſuſpicione, ſed daturos nos etiam obnixe operam, ut ſi quid quorundam inhæſiſſet animis, in dies liberior evadas: tibique me ſemper eum futurum, qui & te ipſum, & labores tuos quanti faciat, malit te re ipſa, quam verbis experiri. Vale.* Wormacia 5. *Aprilis, Anno* 1521. An. 1521.

## EPISTOLA DLXIX.

Aloiſius Marlianus, Epiſcopus Tudenſis, Eraſmo Rot. S. D.

QUANTI *aut ego te fecerim, aut ab aliis fieri voluerim, abunde & tu noſti, & hi qui mihi aliqua cum neceſſitudine, tum conſuetudine conjuncti ſunt: namque tantum amicitiæ tribui noſtræ, quæ à tua ſingulari virtute, ſummoque meo in te ſtudio proficiſcebatur, ut in te agendo & ornando nullum unquam officium prætermiſerim, cum conjunctam tecum me omnem cauſam & fortunam habere putarem. Quapropter cum in* Hiſpania *eſſemus, curavi ut ad te* Barbirius *utriuſque noſtrum amantiſſimus ſcriberet, ne emeritus, & extra omnem aleam poſitus quotidie in theatrum depugnaturus deſcenderes, neve toties fortunam tuam experireris, cum ſatis tibi gloriæ & famæ tuæ conſuluiſſes, quod te facturum literis tuis recepiſti: agre enim ferebam cum iis te quandoque congredi, quibus à te vinci pulchrum eſſet, quodque te populorum & imperitorum fluctibus objiceres. Cum vero ex* Hiſpania *rediiſſemus, & te* Bruxellæ *conveniſſem, oravi ne quid tibi commune cum* Luthero *eſſet. Fuere enim eo tempore qui te plane alieno animo à* Luthero *non fuiſſe (inepti ſane homines) ſuſpicarentur. Tu autem quod rogabam, ita pollicitus es te facturum, ut ego aliis id fore de te non minus, quam de me pollicerer. Invaluit poſtea in dies etiam atque etiam magis fatalis iſta* Lutheriana *calamitas, quæ multorum animis ita inſedit, ut non plures ſuperſint qui inſici poſſe videantur: unde deplorandam tempeſtatis noſtræ conditionem puto, in qua longe majora mala quam remedia videamus. Nam nec mala perpeti, nec remedia ferre poſſumus, cum hi nunc homines reperiantur, qui fabulis & delirramentis potius capiantur, quam veris rationibus detineantur. Ab* Aleandro *vero noſtro, homine ut reor tibi cum communibus ſtudiis, tum mutuis officiis conjunctiſſimo, & veteri amico, ea de te tantum audivi, quæ de ſeipſo dici vellet. Modeſtus eſt profecto, quod admiror in tanta linguarum multiplicitate, & bonarum artium varietate, humanus & ſuaviſſimis vir moribus: eſt præterea ea animi moderatione, ni fallor, ut non deteriora in alios dicat, quam de ſe vellet audire. Quod vero* Lutherum *&* Germanos *pleroſque à ſcribendo quantum in te fuit deterrueris, rem te dignam feciſti, dum tantum prodeſſe te Reipublicæ & religioni velle oſtendiſti quantum poſſes. Aliorum autem non magis acta probo quam tu probes, cum furere illum eorum remedia coegerint. Aggrediendus profecto alia via erat. Ego ne me nihil feciſſe putes in* Lutherum *orationes duas ſcripſi, quarum una mitior, altera poſt libros illos ab eo noviſſime editos acrior fuit, non tamen ut hominem damnatum, ſed damnatam cauſam vellem, ſalvamque Rempublicam & religionem illo ſalvo cuperem. Eas ad te mitterem niſi nos ad redeundum parati eſſemus, cum redierimus coram de multis agemus, quæ nunc nec licet nec libet ſcribere. Interea rem & dignitatem ita tuebor tuam, ut nec meam ego, nec tu, ſi hoc loco eſſes, tuam tueri magis velles. Si autem à te fieri quicquam poteſt, vel ad compeſcendos hos motus, vel ad ſedandam hanc ſeditionem, quantum vel gratia vel auctoritate vales, contende. Eam enim immortalitatem, quam tu queris, & tua tibi ſcripta pollicentur, addita hac pietate facillime conſequeris.* Auguſtinum Scar-

Digitized by Google

An. 1521. Scarpinellum, & Severum *tuis verbis salutavimus, hi literas, quas ad eos te dedisse scribis, mirantur, & aegre ferunt sibi non fuisse redditas, cum eas maxime optarent. Habuisti tamen eos tui nominis acerrimos defensores. Vale.* Wormacia 7. *Aprilis, Anno* 1521.

## EPISTOLA DLXX.

*Erasmus Roterodamus Aloisio Marliano, Episcopo Tudensi*, S. D.

INGRATISSIMVS sim mortalium, quotquot ubivis sunt, omnium, Praesul ornatissime, ni tuum in me animum, ni tuum erga me studium agnoscerem. Porro laevae mentis sim, si tuis consiliis graver obtemperare, cum non alius sit cujus consiliis, vel libentius, vel felicius obtemperet Caesar ipse. Temporum horum calamitatem non possum non imputare fatis, nec video remedium, ni Deus aliquis ἀπὸ μηχανῆς exoriatur, qui tragoediae finem imponat. De *Aleandri* in me animo, & à pluribus, & à gravioribus mihi nunciatum est, quam ut potuerim omnino diffidere, & tamen reclamat hominis eruditio, reclamat vetus nostra familiaritas, nec alioqui facile recipio in animum, quod gratiarum solvat nodum. Gaudeo te mecum non probare istos, qui tam stolidis rationibus impugnant *Lutherum*, ut & causae noceant suae, & se traducant: & Pontificis dignitati pessime consulant, & multos laedant innoxios, & quod est omnium gravissimum, multitudinem ad seditionem provocent. Tum vero magis subscriberes meae sententiae, si spectares oculis, si haurires auribus, quae isti stultissime quotidie designant. Orationes tuas cupidissime legam, de quibus jam *Cuthberti Tonstalli* praejudicium habeo. Nec dubito quin in ea praestiteris, quod in aliis tuis lucubrationibus soles, nimirum eruditionem eximiam pari cum prudentia conjunctam. Ex amicorum literis intelligo, eum, qui me suis literis admonuerat suspicionis isthic obortae, plus satis de me sollicitum fuisse. Scribunt enim nihil fuisse sinistrae suspicionis, nisi de oratione quadam, cui in frontispicio praefixus est titulus, *Didymi Faventini*. Styli nitorem, ac sales obiter inspersos in causa fuisse, ut quidam eam mihi assererent, sed levi duntaxat suspicione. Ea post ad me missa est. Ilico risi suspicionem hominum, cum eadem in calce prodat & cognomen verum Auctoris, sed *Grece*. Quod etiamsi non fuisset adscriptum, tamen me nequaquam fefellisset Auctor. Quidam submonuit, consilium quoddam exisse *Coloniae* cujusdam, qui putarit rem sic esse componendam, ut & Pontifex auferret laudem clementiae, & *Lutherus* obedientiae. Nec defuisse, qui suspicarentur, hoc à me profectum. Erat quidem istud exhibitum nobis, cum ageret Caesar *Coloniae*, sed manu descriptum, nec adhuc editis libris, qui plurimorum animos à *Luthero* alienarunt, ferebatur autem esse cujusdam ex Ordine *Dominicalium*. Et ut ingenue dicam, mihi tum non displicuit. Quod si Principibus magis placet severitate rem conficere, precor ut hoc felicius sit, quod illis magis arridet: felicius, inquam, rei *Christianae*, non hominum quorundam rationibus, quibus ea cordi sunt, quae sunt hujus mundi. Vale, patrone incomparabilis. *Antuerpiae* 15. Aprilis, Anno 1521.

## EPISTOLA DLXXI.

*Erasmus Roterodamus Guilhelmo, Pastori civitatis Gruningensis*, S. D.

DE juvene revocato, non est quod mihi gratias agas, vir egregie, ob hoc nihil promereor laudis, sed impius eram futurus, & *Christianae* charitatis immemor, si, cum per occasionem liceret, puero non consuluissem. Poculum inauratum, tuo nomine reddidit vir longe candidissimi pectoris *Gosuvinus*, nec potuit non esse gratissimum munus, quod ab optimo viro profectum, per optimum redderetur, nisi quod unum illud vereor, ne ille mei studio tibi vellicarit aurem, ut id faceres, cum mihi ne in somnis quidem unquam tale quicquam in mentem venerit. Ex ejusdem literis, simul & oratione cognovi, quanto studio isthic omnia obeas munia, quibus olim fungebantur illi non titulo tantum Episcopi. Praeluces omnibus integritate vitae, pascis assidue gregem tuum Euangelica doctrina, ac tales adscisis tibi sacerdotes, qui morum innocentia, qui sacra eruditione, & ornent Ecclesiam tuam, & apud populum tuas vices gerere possint, sic ut nihil opus sit hoc novo genere Praedicatorum, quos *Christus* non instituit, sed pastorum oscitantia invexit in mundum. Qui si ubique tui similes fuissent, non jam orbis teneret lupum auribus, quem neque ferre potest, nec quomodo excutiat videt. Non te populus compotorem habet, sed doctorem, sed consolatorem, sed hortatorem, sed admonitorem, sed consultorem fidissimum & amantissimum experitur. Atque adeo non deglubis gregem tuum, ut de tuo etiam largiter opituleris egestate pressis; nec tibi congeris opes, sed ingenti studio properas ad brabium illud immortalitatis, quod bona fide tibi redditurus est summus ille pastor, princeps pastorum omnium, qui gratis animam impendit ovibus suis. Quantumvis multas opes congesserit homo in hac vita, tamen non potest non pauperrimus hinc exire, cui nihil omnino rerum congestarum licet efferre. Ille demum dives exit, qui talibus rationibus abunde communitus exit. Rationes sunt interim, sed bonae fidei est, qui cum nobis res est. Nec periculum est, si rationes in immensum accrescant, dives est in omnes, à quo praemium exspectamus. Mihi & illud arguit tuam pietatem, quod in sacrario bibliothecam adornas, iis potissimum Auctoribus refertam, quorum scripta spirant Euangelicam charitatem. Quales sunt *Origenes*, *Chrysostomus*, *Cyprianus*, *Ambrosius*, *Augustinus*, *Hieronymus*: ex horum lectione sentimus nobis inflammari pectus ad amorem rerum coelestium, ad contemptum eorum, quorum caeca cupiditate susque deque miscentur res mortalium; cum ab istorum, quos scholae solennes nobis dederunt, lectione surgamus frigidi, nonnunquam & fide minus solida, quam attuleramus. Jam mensam tuam non solum commendat frugalitas, sed condiunt etiam è sacris Libris petitae fabulae, quae pascant animos talium epularum famelicos. Proferunt in medium suum quisque flosculum, è pratis divinorum Voluminum decerptum; alius eructat aliquid mellei succi, quem apiculae in morem, per omnes arcanae Scripturae flosculos obvolitans, exsuxit. Nec sinis tuam mensam contaminari virulentis fabulis, quae livorem & odium sapiunt. Quam vero graviter impostuisti nuper silentium duobus, qui se jactant sacros Euangelii praecones, cum multa non minus impudenter, quam amarulente coepissent evomere in *Erasmum*: ut pestilentem sermonem interrumperes, rogabas, num legissent libros meos, fassi sunt se nunquam legisse. Mox subjiciebas te demirari, qua fronte sic deblaterarent in hominis doctrinam, cujus libros non legissent. Ubi vero nec hac admonitione coerceretur illorum stoliditas, jam vino quoque facta petulantior, negabas tibi placere convivas, qui talibus fabulis mensam tuam conspurcarent; aut sermonem mutarent, aut mensam. Et isti sunt, qui seditiose vociferantur apud populum in pastores, ut ipsi vocant, seculares, à quibus magis oportebat ipsos sobrietatis ac moderationis exemplum petere. Faxit *Christus* Optimus Maximus, ut tui similes exsistant ubique plurimi, quo vel mundus extraordinarium hoc ac vagum doctorum genus fastidiat, vel ipsi cogantur sese ad veraе pietatis studium ab ocioso luxu, & luxurioso ocio recipere. Bene vale. *Lovanio* 30. Aprilis, Anno 1521.

EPI-

Digitized by Google

## EPISTOLA DLXXII.

*Eraſmus Roterodamus Jodoco Jona* S. D.

An. 1521. HIC jam diu rumor eſt conſtans, *Jona* chariſſime, te *Wormaciæ Martino Luthero* continenter adfuiſſe: nec dubito quin tua pietas hoc egerit, quod ego fueram acturus, ſi contigiſſet adeſſe, ut hæc tragœdia moderatis rationibus ſic ſopiretur, ne poſthac poſſet majore cum orbis malo rurſus erumpere. Quod equidem demiror non eſſe factum, quum ea res vehementer cordi fuerit optimis viris, qui, ſicuti dignum eſt animis vere *Chriſtianis*, cupiebant eſſe conſultum Eccleſiæ tranquillitati, quæ niſi concordia ſibi jungatur, Eccleſiæ vocabulum amiſit. Quid enim eſt aliud noſtra religio, quam pax in Spiritu ſancto? Porro *Chriſti* Eccleſiam, quoniam adhuc piſces bonos & malos eodem reti complectitur, & zizania mixta tritico ferre cogitur, & olim magnis viciis laboraſſe, teſtantur veteres orthodoxi, ſubinde deplorantes corruptiſſimos mores eorum ordinum, unde conveniebat ingenuæ pietatis exempla proficiſci. Tum quam Eccleſia *Romana* & olim degenerarit ab Euangelicæ puritatis ſtudio, vel *Hieronymus* ſatis arguit, qui eam ex Apocalypſi *Babylonem* appellat, vel divus *Bernardus* in libris, quibus titulum fecit *De conſideratione*. Quanquam non defuerunt, & ex recentioribus celebrati nominis Auctores, qui publicam inſtaurationem Eccleſiaſticæ diſciplinæ flagitarent. Verum, haud ſcio an unquam Eccleſiæ Proceres tanto ſtudio, tamque palam inhiaverint hujus mundi commodis, quæ *Chriſtus* docuit oportere contemni, quam hodie videmus. Nec minus erant collapſa ſacræ Scripturæ ſtudia, quam mores. Divinæ Literæ ſervire cogebantur humanis cupiditatibus, populi credulitas in quæſtum paucorum vertebatur. Ad hæc ingemiſcebant piæ mentes, quibus nihil eſt antiquius *Chriſti* gloria. Eaque res effecit, ut initio, tantum undique favoris habuerit *Lutherus*, quantum non arbitror ſeculis jam aliquot ulli mortalium contigiſſe. Siquidem ut facile credimus quod vehementer optamus, exiſtimabant exortum hominem, qui purus ab omnibus hujus mundi affectibus, tantis malis remedium aliquod adferre poſſet. Nec ego prorſus deſperabam, niſi quod ſtatim ad primum guſtum opuſculorum, quæ *Lutheri* nomine prodire cœperant, plane verebar ne res exiret in tumultum, ac publicum orbis diſſidium. Itaque monui per literas, tum *Lutherum* ipſum, tum amicos illius, quorum auctoritatem arbitrabar apud illum valituram; qui quid illi dederint conſilii neſcio, certe ſic tractata res eſt, ut periculum ſit, ne male tentatis remediis, malum nobis conduplicetur. Ac vehementer demiror, mi *Jona*, quis Deus agitaverit pectus *Lutheri*, dum tanta calami licentia, in *Romanum* Pontificem, in ſcholas omnes, in philoſophiam, in Ordines Mendicantium inveheretur. Quod ſi vera fuiſſent omnia, id quod ajunt longe ſecus habere, qui ſcriptorum illius cenſuram agunt, provocatis tam multis, quis alius exitus exſpectari poterat, quam hic quem videmus? *Lutheri* libros hactenus non vacavit legere, ſed ex his quæ deguſtavi, quæque recitantibus aliis, nonnunquam obiter hauſi, quanquam de veritate ſententiarum, quas adferebat, fortaſſe non erat meæ mediocritatis pronunciare, certe modus & ratio negotii aggrediendi, mihi neutiquam probabatur. Quum enim per ſe res ſit amara pleriſque veritas, quum per ſe ſeditioſa res ſit, longo uſu recepta convellere, conſultius erat rem, ſuapte natura acerbam, tractandi civilitate lenire, quam odium odiis addere. Quorſum igitur attinebat paradoxis agere, atque ita proponere quædam, ut prima ſpecie magis etiam offenderent, quam propius ac fixius inſpecta? Nam quædam etiam obſcuritate velut affectata moleſta ſunt. Quorſum attinebat tam atrocibus conviciis ſævire in eos: quos ſi ſanare cupiebat, imprudentiæ; ſin totius orbis malo provocare, impietati tribuendum erat? Porro quum prudentis œconomi ſit diſpenſare veritatem, hoc eſt, promere, cum res poſtulat, & promere quod ſatis eſt, & cuique promere quod ſit accommodum, ille tot libellis præcipitatis, ſimul effudit omnia, nihil non evulgans ac cerdonibus etiam communia faciens, quæ ſolent inter eruditos ceu μυστικὰ καὶ ἀπόῤῥητα tractari: ac frequenter impetu quodam immoderato, mea quidem ſententia, fertur ultra juſtum. Quod genus eſt, quum ſatis eſſet admonuiſſe Theologos, plus ſatis illos admiſcere philoſophiæ Peripateticæ, vel Sophiſticæ magis, ille totam *Ariſtotelis* philoſophiam animi mortem appellat. Habet Euangelicus ille *Chriſti* ſpiritus prudentiam ſuam, habet civilitatem ac manſuetudinem ſuam. Sic ipſe *Chriſtus Judæorum* affectibus ſemet attemperavit. Aliud loquitur turbis craſſioribus, aliud diſcipulis, quos & ipſos diu tolerans, paulatim adducit ad intelligentiam philoſophiæ cœleſtis. Hoc conſilio jubet ſuis, ut primum pœnitentiam prædicent, & imminens regnum Dei, de *Chriſto* taceant: Sic *Petrus* in *Actis Apoſtolorum*, non contumelioſa, ſed miti & amanti concione, tantam multitudinem primitias addit Eccleſiæ. Non vociferatur in eos, qui *Chriſtum* occiderant, non verbis atrocibus exaggerat illorum impiam inſaniam, quum probabile ſit in eo numero fuiſſe, qui *Chriſtum* ad mortem impuliſſent. Sed velut illos ſublevans, ait, hoc conſilio divino ſic eſſe peractum: mox etiam ſceleris impietatem in ipſum ſeculum rejicit, *Salvamini*, inquit, *à generatione iſta prava*. Non regerit in illos convicium, à quibus dicti ſunt eſſe muſto madidi, ſed moderatis rationibus excuſat, novi ſpiritus energiam eſſe, non vini; profert *Joelis* teſtimonium, quod ſciebat apud illos plurimum habiturum ponderis. Ac nondum *Chriſtum* pronunciat Deum & hominem, hoc myſterium ſuo ſervabat tempori. Interim virum juſtum appellat, Dominum ac Meſſiam pronunciat, idque ex auctoritate Dei, quem religioſe colebant & illi, ut ex Patre cognito, Filio conciliaret favorem. Ad hæc quum oſtenderet de *Chriſto* non de *David* dictum, quod illi de *David* interpretantur, ſermonem offenſurum præmitigans, *Viri*, inquit, *fratres*, *liceat audenter dicere ad vos de patriarcha David*. Sic *Paulus omnia fit omnibus*, *ut omnes* Chriſto *lucrifaciat*, ſuos inſtituens, ut cum omni manſuetudine doceant, non alienantes quenquam morum & orationis aſperitate, ſed manſuetudine vincentes etiam moroſos, & aſperos. Quanta civilitate *Chriſtum* prædicat *Athenienſibus*, illorum vicia in ſeculum ipſum rejiciens: *Et tempora quidem*, inquit, *hujus ignorantia deſpiciens Deus*. Ipſos honeſto gratoque prologo, *Viros Athenienſes* appellat. Nec ſævis verbis exagitat impium cultum dæmoniorum, ſed oratione civili, ſuperſtitionis illos inſimulat, qui plus colerent quam oporteret. Titulum aræ forte conſpectum torquet in argumentum fidei, demutatis etiam & amputatis verbis aliquot: nec adhuc *Chriſtum* aliud appellat, quam virum, per quem Deus ſtatuiſſet conferre ſalutem univerſo mortalium generi: nec apud hos profert Prophetarum teſtimonia minimum habitura ponderis, ſed *Arati* teſtimonio cum illis agit. Quanta cum urbanitate cauſam ſuam apud *Feſtum* agit, & *Agrippam*. Sic *Auguſtinus* refellit furioſos *Donatiſtas* & pluſquam inſanos *Manichæos*, ut & citra rei meritum ſæviat, & charitatis dulcedinem ubique admiſceat, ſalutem illorum ſitiens, non exitium. Hæc docendi manſuetudo, hæc diſpenſandi ſermonis divini prudentia cepit orbem, & quod nulla unquam arma, nulla philoſophiæ ſubtilitas, nulla rhetorum eloquentia, nulla vis aut ars potuit humana, ſub *Chriſti* jugum miſit. Quo magis nos oportet, ſi prodeſſe cupimus, ab omnibus conviciis temperare, præſertim ſi adverſus quos agimus, publica præmineant auctoritate. *Paulus* honorem deferri vult magiſtratibus, etiam Ethnicis: & veluti παλινῳδῶν, quod *Moſaico* palamque ſcelerato Pontifici maledixiſſet. Vult ſervos *Chriſto* initiatos religio-

An. 1521. ligiosius etiam obsequi dominis Ethnicis quam antea fecerant: vult uxores à professione *Christi*, magis etiam esse morigeras maritis impiis, non ob aliud, nisi ut commoditate morum pellicerent omnes ad amorem Euangelicæ doctrinæ. Cui pia mens est, utique nihil aliud quam prodesse studet, aut tacens, si nulla spes sit profectus, aut ita premens ac dispensans veritatem, ne pro remedio, morbi vim exasperet. *Brutus* indignatur *Ciceroni*, qui suis concionibus & scriptis irritaret eos, quos irritatos non posset opprimere. *Platoni* non displicet fucus, ac dissimulatio in Philosopho, rei publicæ moderatore, modo technis in populi bonum abutatur. A *Christiano*, fateor, decet omnem abesse fucum: sed tamen incidit aliquando tempus, quum recte tacetur veritas; & ubique magni refert quo tempore, apud quos, & quibus modis ea promatur. Medici fideles non statim ad extrema remedia decurrunt, prius ægrotum corpus levioribus pharmacis præparant: atque ita dosin temperant, ut sanent, non obruant. Nec istos audio, qui ajunt, graviorem esse morbum hujus seculi, quam ut levibus remediis sanari queat. Præstat malum, juxta *Græcum* proverbium, sinere ut est, quam non dextris remediis exagitari. Neque vero nego, nonnunquam Deum, bellis, pestilentiis, afflictionibus emendare suum gregem; non est tamen piorum inferre bellum, aut afflictionem impiam, si Deus aliquando malum alienorum vertit in bonum suorum. Crux *Christi* salutem attulit mundo, & tamen exsecramur eos, qui illum ad crucem adegerunt. Mors Martyrum illustravit pariter & confirmavit Ecclesiam Dei, tamen damnata est eorum impietas, per quos hoc bonum nobis contigit. Multi minus essent mali, si divitiis essent spoliati. Non tamen est probi viri, quenquam spoliare suis, quo illum reddat meliorem. Porro quum omnis novitas pariat tumultum, etiamsi quis vocet ad meliora, si quid dissidebat à receptis, erat ea specie proponendum, ut quam minimum dissidere videretur. At ajunt, *Lutherum* aliquoties, quum eadem doceat, quæ cæteri, tamen verbis ipsis id videri conari, ut diversissima videatur adferre. Jam ut sunt hominum mores ad pejora proclives, sic erat medendum horum vitiis, ut aliis non præberetur ansa licentius peccandi. *Paulus* sic prædicat libertatem Euangelicam adversus pernicioſam Legis servitutem, ut addat, *tantum ne libertatem occasionem detis carni*. Sic dehortatur à frigidis operibus Legis, ut incessanter adhortetur ad opera charitatis. Fortassis erant, qui simplici studio favebant, ad meliora vocandis ordinibus ac Proceribus Ecclesiæ. Sed haud scio an sint qui per hanc occasionem inhient opibus Ecclesiasticorum. Qua re nihil arbitror sceleratius, ac publicæ tranquillitati pernicioſius. Etenim si ideo fas arbitrantur invadere facultates sacerdotum, quod quidam suis ad luxum, aut alioqui ad res parum honestas abutuntur, nec civibus, nec magnatibus aliquot erit satis firma rerum suarum possessio. Belle vero consultum rebus humanis, si impie tollatur à sacerdotibus, quo pejus abutantur homines militares, qui sic sua profundunt, nonnunquam & aliena, ut nulli mortalium sint usui. Ne ipsos quidem audio, mi *Jona*, qui dicunt *Lutherum* adversariorum intolerabili procacitate provocatum, non potuisse tenere *Christianam* modestiam. Quomodocunque sese gerebant alii, qui talem susceperat personam, debebat omnibus neglectis sibi constare. Denique erat ante prospiciendus exitus, quam sese in puteum hunc demitteret, ne contingeret, quod in Apologis accidit *Capro*. Etiam in piis rebus, stultum est aggredi, quod non possis absolvere; præsertim, si conatus parum felix, pro captatis commodis summa adfert incommoda. Videmus rem in eum deductam locum, ut ego sane nullum videam bonum exitum, nisi *Christus* arte sua temeritatem quorundam vertat in bonum publicum. Excusant illum quidam quod alieno impulsu coactus, primum scripserit atrocius, deinde non commiserit sese clementissimi *Leonis* judicio, & *Caroli* Cæsaris longe optimi mansuetissimique Principis fidei. At cur illi magis libuit istis auscultare, quam aliis amicis, nec indoctis, nec rerum imperitis, ad diversa vocantibus? Jam plerique illi, qui favebant, cujusmodi quæso præsidiis illum tueri conabantur, ridiculis libellis ac minis inanibus. Quasi vero istiusmodi nugæ, aut terreant adversarios, aut delectent bonos viros, ad quorum judicium negotium omne fuerat attemperandum, si modo voluissent suæ fabulæ felicem esse catastrophen. Nunc quantum malorum agmen hæc temeritas dedit, bonarum literarum studia, ac multos bonos viros non mediocri degravat invidia, qui initio parum erant iniqui *Luthero*, vel quod sperarent rem secus ab illo tractandam, vel ob hostes forte communes. Accidit enim nescio quo casu, ut qui initio negotium facessebant *Luthero*, hostes essent bonarum literarum, & ob id harum cultores minus iniqui erant *Luthero*, ne adjutis adversariorum partibus, hostium vires adversum sese confirmarent. Tametsi utcunque res habet, priorem oportuit esse curam religionis, quam studiorum. Atque hic, mi *Jona*, coactus sum aliquoties desiderare specimen Euangelici pectoris, quum viderem *Lutherum*, sed magis hujus fautores, hoc arte quadam affectare, ut alios involverent odioso ac periculoso negotio. Quid enim attinebat *Capnionem*, satis hactenus oneratum, graviore onerare invidia? Quid opus erat mei nominis toties invidiosam facere mentionem, quum res id nequaquam flagitaret? Admonueram *Lutherum* privatis & obsignatis literis, mox *Lipsiæ* sunt excusæ. Admonueram Card. *Moguntinum* obsignatis literis, ne temere *Lutherum*, cujus adhuc causa plerisque bonis erat plausibilis, quorundam libidini dederet. Evulgatæ sunt formis, antequam redditæ. *Bilibaldus* suis ad me literis queritur, epistolas quasdam circumferri excusas, quas nemo unquam illi reddidit. In his hortatur eum, ut persistat in eo quod cœperat, quo scilicet volentem nolentem pertrahant in hujus factionis consortium. E meis libris, quos scripsi, priusquam somniarem exoriturum *Lutherum*, odiosa quædam decerpserunt, & in *Germanicam* versa linguam publicarunt, quæ viderentur affinia quibusdam *Lutheri* dogmatis. Et amici videri volunt, qui hæc faciunt, quum capitalis inimicus nihil possit hostilius. Non erat tantundem ad lædendum ingenii; iis qui mihi pessime volebant. Hoc telum illi porrexerunt inimicis meis, ut jam in publicis concionibus prædicent, quæ mihi congruant cum *Luthero*. Quasi vero veritati non sit utrinque affinis falsitas, si prætergrediare lineam. Ego fortasse alicubi moneo, non esse temere suscipienda vota, nec probo istos, qui domi relicta uxore, & liberis, quorum & vitæ & pudicitiæ consultum oportuit, currunt ad divum *Jacobum*, aut *Hierosolymam*, ubi nihil erat illis negotii. Moneo, juvenes non esse pelliciendos ad vincula religionis, priusquam sibi noti sint, & norint quid sit religio. *Lutherus*, ut ajunt, in totum damnat omnia vota. Alicubi queror, onus confessionis, quorundam laqueis aggravatum. *Lutherus*, ut ajunt, docet rejiciendam omnem confessionem, ut pernicioſam. Alicubi docui, primum optimos auctores legendos, addens, ex *Dionysii* libris non tantundem fructus percipi, quantum tituli videantur polliceri. *Lutherus* hominem ineptum vocat, ut accipio, & omnino lectu indignum. Bella vero congruentia, si quod ego per occasionem vere dixi ac moderate, alius depravet, ultra septa transiliens. Iniquissimis autem legibus mecum agetur, si præstare cogar, ne quis in posterum etiam scriptis meis abutatur; quæ felicitas ne *Paulo* quidem Apostolo contigit, si hujus Collegæ *Petro* credimus. Quanquam, ut ingenue dicam, si præscissem hujusmodi seculum exoriturum, aut non scripsissem quædam, quæ scripsi, aut aliter scripsissem. Sic enim prodesse cupimus omnibus, ut, si fieri possit, neminem lædamus. Sparguntur libelli conjuratorum, in quibus pingitur & *Erasmus*. Mihi vero nullum nomen invisius, quam conjurationis, aut schismatis, aut factionis.



Digitized by Google

An. 1521. Tota hæc, qualis qualis est, fabula me dehortante cœpta est, certe modum constanter improbante. Meæ literæ nulli factioni servierunt unquam, quam *Christi*, qui communis est omnium. Quid hoc ingenio, quid his literis valeam, nescio, certe conatus sum & cupio prodesse non modo *Germanis*, sed *Gallis*, *Hispanis*, *Britannis*, *Bohemis*, *Rutenis*, atque adeo *Turcis* quoque, ac *Saracenis*, si queam. Tantum abest, ut factioni tam periculosæ me voluerim unquam admiscere. Atque interim prudentiam etiam desidero in his, qui hujusmodi technis quenquam allici posse credunt in castra sua. Si quem cordatum virum alienare vellent, qua ratione id potius facerent? Satis autem declarant συκίνην esse, quod ajunt, Φιλυρείαν, quum in re tam periculosa, talibus fidunt præsidiis. Ac misere vereor, ne res hæc apud reliquas nationes ingens dedecus adferat nostræ *Germaniæ*, quemadmodum vulgus hominum solet, paucorum stultitiam, universæ nationi imputare. Tot igitur atrocibus libellis, tot fumis, tot formidabilibus minis, & ampullis, quæso, quid aliud actum est, nisi ut quod ante disputabatur in scholis, velut opinio probabilis, posthac sit articulus fidei, & jam vel Euangelium parum tutum sit docere, dum exulceratis omnibus nihil non rapitur ad calumniam? Poterat *Lutherus* magno cum fructu *Christiani* gregis tradere Philosophiam Euangelicam, poterat edendis libris prodesse mundo, si ab his temperasset, quæ non poterant non exire in tumultum. Meis quoque lucubrationibus bonam captati fructus partem detraxit. Ne disputationes quidem in scholis liberæ sunt, quæ solent esse liberrimæ. Si fas esset odisse quenquam ob privatas offensas, neminem magis læserunt *Lutherani*, quam me. Et tamen optarim illo salvo, hoc longe perniciosissimum dissidium componi, & iis rationibus componi, ne post graviore cum periculo erumpat, quemadmodum solent male curata ulcera. Dices mihi, charissime *Jona*, quorsum mihi texis istam jam seram querelam? Primum ob hoc, ut quanquam res longius progressa est, quam oportuit, tamen etiamnum advigiletur, si quo modo tantus tumultus sopiri queat. Habemus Pontificem suapte natura clementissimum, habemus Cæsarem miti placabilique præditum ingenio. Id si fieri non potest, nolim ut tu te huic negotio admisceas. Amavi semper in te præclaras *Christi* dotes, quo magis cupio te servari negotio Euangelico. Quo magis amabam *Huttenici* venam ingenii, hoc magis doleo nobis ereptum per hos tumultus. Quis autem non excrucietur animo, si *Philippus Melanchthon*, juvenis tot eximiis dotibus instructus, per hanc tempestatem publicis eruditorum votis adimeretur? Quod si quædam offendunt in his, quorum arbitrio res humanæ temperantur, censeo suo Domino relinquendos. Si æqua præscribunt, par est parere: Sin iniqua, sanctum est tolerare, ne quid deterius accidat. Si seculum hoc, totum *Christum* non fert, est tamen aliquid eum quatenus licet prædicare. Hæc, quæ tecum nunc ago, mi *Jona*, velim agas cum *Philippo*, aut si qui sint alii *Philippo* similes. Ante omnia censeo vitandum esse dissidium, nulli bono non perniciosum. Et ita sancta quadam vafritie tempori serviendum, ne tamen prodatur thesaurus Euangelicæ veritatis, unde corrupti mores publici possent restitui. Fortasse rogabit aliquis, num alio sim animo in *Lutherum* quam fuerim olim. Imo eodem sum animo, semper optavi, ut mutatis quibusdam, quæ mihi displicebant, pure tractaret Euangelicam Philosophiam, à qua nostri seculi mores heu nimium degenerarunt. Semper correctum malui, quam oppressum. Optabam illum sic tractare *Christi* negotium, ut Ecclesiæ Proceribus, aut probaretur, aut certe non reprobaretur. Sic amari cupiebam *Lutherum*, ut palam ac tuto posset amari. Nec alio sum animo in meos rabulas, quam in illum, si tam pie prædicarint *Christum*, quam impie sunt in me debacchati, obliviscar quæ patrarunt in me, & exosculabor studium in *Christum*. Non odero blatrones, si cœperint esse *Christi* præcones. Bene vale. *Lovanio* 10. Maji, Anno 1521.

## EPISTOLA DLXXIII.

*Absolutissimo Theologo, Lodovico Bero, Basilea apud collegium divi Petri præposito, patrono & amico incomparabili, Erasmus Rot.* S. D.

ERUDITISSIME vir, belle nobis consuluit *Lutherus*, qui furiosis quibusdam bonarum literarum osoribus optatissimum telum porrexit, quo sæviant in capita bonorum virorum, qui simplici animo favebant Euangelicæ doctrinæ, & in optimas literas. Aut ego plane fallor, aut ille fabulam optimam non optime agit hactenus. Egregius vindex Euangelicæ libertatis, quam ita tentavit, ut verear ne pro simplici jugo, geminum sit nobis ferendum, ac nobis usu veniat, quod solet iis, quibus dum parum dextre conantur effringere carcerem, duplicantur compedes, quique pharmaco parum commode adhibito morbum exasperant. Atque ipse quidem fortassis in tuto est, at tanto atrocius hæ fanaticæ belluæ ac devoti hostes melioris eruditionis sæviunt hic in optimum quemque. Putant enim ad *Lutheri* factionem pertinere, quicunque faverit Euangelicæ Philosophiæ, aut politiori literaturæ. Me in omnibus concionibus, in conviviis, in colloquiis sic lapidant conviciis, ut nec ipsi *Stephano* cessurus videar. Ille semel obrutus finem malorum invenit. Ego sine fine lapidor à tot examinibus rabularum, interim tamen bene merens de ipsis. Res acerbitate *Lutheranorum*, & stoliditate quorundam, qui sedulo magis quam prudenter, huic malo mederi conantur, in eum locum deducta est, ut ego sane nullum videam exitum, nisi res humanæ magno tumultu misceantur. Quis cacodæmon hoc pessimum semen miscuit rebus mortalium? Adnixus sum cum essem *Colonia*, ut *Lutherus* auferret laudem obedientiæ, Pontifex clementiæ. Et placebat Regibus quibusdam consilium. Et ecce Incendium Decretalium, Captivitas *Babylonica*, assertiones illæ nimium fortes reddiderunt malum, ut videtur, immedicabile. Sic mihi videtur agere *Lutherus*, quasi servari nolit. Rursus adeo stolide quidam gerunt rem apud populum, quasi cum *Luthero* colludant, & in causa Pontificis prævaricentur. Quod unum superest, mi *Bere*, precor ut *Christus* Opt. Max. omnia vertat in bonum; solus enim ille potest. Jampridem isthuc ituriebam, sed erant & sunt quæ me adhuc remorantur. Spero me adfuturum autumno proximo. Interim *Christus* servet te cum tuis omnibus incolumem. *Lovanio* 14. Maji, Anno 1521.

## EPISTOLA DLXXIV.

*Guilielmo Waramo, Archiepiscopo Cantuariensi, totius Angliæ Primati, Erasmus* S. D.

DE animo in me tuo diligenter mihi scripsit *Zacharias Frisius*, quondam famulus ac discipulus meus, nunc cliens tuæ celsitudinis, juvenis probus, ac fidus, planeque dignus, quem tua benignitas ad majora provehat. Ab *Italo* tandem extorsimus pecuniam, nec sine negotio, nec sine dispendio. Noluit aurum dare, sed stuferos, eosque vix dedit, ac pleroscque monetæ improbatæ. Summam decimavit, pro centum florenis nostratibus dedit nonaginta, pro quinquaginta quadraginta quinque. Sic mihi deciduntur quindecim floreni. Non est negotiator, sed conciliator, quo genere hominum non aliud sceleratius. Ipse nunc laborat scabie *Gallica*, sub malo medico non sine vitæ periculo. Vicarius illius eodem tenetur morbo, tum animi, tum corporis. Cum mala scabie mihi res fuit: sed tamen per amicos avulsi pecuniæ partem. Tuæ prudentiæ fuerit posthac dispicere quibus committat pecuniam, nam hæc fuit pessime collocata. Primus ille æstus nos validissima febri affecit, sed semel duntaxat. Nec adhuc vacavit ægrotare aut medicis uti, ita distringor ne-

Digitized by Google

An. 1521. neceſſariis laboribus. Aula Cæſarea ſolvit primam pen- A
ſionem pro ſex menſibus exactis, hoc lætum eſt auſpicium. Siquidem ingens favoris argumentum eſt, cum hæc dat aliquid præter verba. Nec deſunt qui faveant in aula, ſed præſtat agere quod ago. Et valetudo fit in dies imbecillior, etiamſi animo nihil decedit. Ingentes turbas excitavit *Lutherus*, nec video finem, niſi *Chriſtus* noſtram temeritatem ita vertat, quemadmodum noctua ſolet *Athenienſium* ſtulta conſilia bene fortunare. Vellem *Lutherus* aut tacuiſſet quædam, aut aliter ſcripſiſſet. Nunc vereor ne ſic vitemus hanc *Scyllam*, ut incidamus in *Charybdim* multo perniciоſiorem. Si iſtis, qui ventris ac tyrannidis ſuæ cauſa nihil non audent, res ſuccedit, nihil ſupereſt, B
niſi ut ſcribam epitaphium *Chriſto* nunquam revicturo. Actum eſt de ſcintilla charitatis Euangelicæ, actum eſt de ſtellula lucis Euangelicæ, actum de vena cœleſtis doctrinæ. Adeo turpiter iſti adulantur Principibus & iis unde ſpes eſt commodi, cum ſumma injuria *Chriſtianæ* veritatis. Ego ſic rem omnem tempero, ut neque deſim omnino bonis literis & gloriæ *Chriſti*, neque me ſeditionibus admiſceam. Affulget aliquid bonæ ſpei ab æquitate *Leonis* noſtri, fore ut ille *Chriſti* gloriam habeat ſua potiorem, vel potius, ut intelligat ſe tum demum fore Pontificem glorioſum, ſi nihil non conferat ad illius unius gloriam. Quod tam ſolicite metuis ne quid mihi deſit, agnoſco paternum C
quendam tuum in me affectum. Sed non facile premitur egeſtate, qui didicit parvo contentus eſſe. Quanquam nunc ſatrapes quiſpiam mihi videor, alens duos equos curatiores quam ſit ipſe dominus, & duos famulos domino ſuo elegantiores. De ſacerdotio quod pollicetur tua benignitas, vereor ne per harpyias non liceat. Tot enim adſunt iſthic vultures, qui multis menſibus præſentiant cadaver futurum. Optarim occaſionem dari, qua liceat adhuc ſemel frui conſpectu colloquioque tuæ celſitudinis, & fortaſſe dabitur aliquando. Vitam longiorem nec deprecor, ſi donet *Chriſtus*, nec anxie deſidero. Tantum ætatis optarem accedere, ut & animum in te gratum poſteritati queam teſtatum facere, & mortalium animos ad ſinceram *Chriſti* philoſophiam magis etiam excitare. Hoc animo puto me majorem gratiam initurum apud *Jeſum* Principem noſtrum, quam ſi ter divi *Petri* limina nudis pedibus perreptarem. Bene valeat tua ſublimitas, cui cupio commendatiſſimus eſſe. *Antuerpiæ* 24. Maji, Anno 1521.

## EPISTOLA DLXXV.

*Eraſmus Rot. D. Conrado Goclenio* S.

VELIM te meminiſſe de domo conducenda, quæ mihi ſit commoda, & hortum habeat. Potes hac de re communicare cum *Dorpio*. Nam etiamſi petam *Germaniam* hoc autumno, ob nomen, tamen cuperem iſtic habere nidum paratum. Mitto librum, quem petit *Rutgerus*. Reddes epiſtolas *Helvetio*. Bene vale. 8. Junii, Anno 1521.

Accipe ab hoc *Snaphano* camiſiam imperfectam, quam mihi miſit uxor *Frobenii*. Videtur enim hic illam ſibi qualificaſſe.

## EPISTOLA DLXXVI.

*Eraſmus Rot. M. Conrado Goclenio* S.

HIC *Thomas Grevii* mihi numeratur inter amicos *Pyladeos*; ſi continget illum ſedere *Lovanii*, dignaberis illi dare fidele conſilium de recte collocando puero. Fortaſſe non erit locus in Collegio. Magis, opinor, expediet, ſi commendetur alicui probo, qui duos aut tres bonos juvenes privatim inſtituit. Bene vale. Anno 1521.

## EPISTOLA DLXXVII.

*Eraſmus Rot. Richardo Pacæo* S. D.

EX officina *Frobeniana* ſcribunt eruditi quidam *Polydori* Proverbia majuſculis formulis excudi, charta An. 1521.
tam inſigni, ut non aliud Opus dignatus ſit *Frobenius* majore vel honore vel cura. Addet Opus de rerum inventoribus, ſimili dignitate; idque facit hortatu, imo impulſu meo. Nam ille plane remiſerat Opus *Antuerpiam* per *Hieronymum* filium, nec ullis rationibus adduci potuit, ut aggrederetur. Exibit utrunque proximo mercatu *Francfordienſi* bonis avibus. Eat nunc *Polydorus*, & credat ſuſurronibus, qui jactitant me invidere illius gloriæ. Intelligo *Morum* è Conſiliario Regis factum eſſe Theſaurarium, quod munus cum honorificum eſt, tum ſalarii non pœnitendi. Ut video, tam feliciter illi ſuccedit aula, ut me illius miſereat. Sed me recreat, quod iterum ſui videndi ſpem aliquam facit in menſem Auguſtum. Verum, illud, mi *Pacæe*, me male cruciat, quod de commentariis *Romæ* relictis nihil audio. Quæſo ne quid te ſumptus moveat, quo minus huc referantur: non fiet tuo diſpendio, reddetur impendium, vel ad aſſem. Si redeat modo ſecundus liber *Antibarbarorum*, cæterorum jacturam facile patiar. Bene vale. Ex rure *Anderlaco* 11. Junii, Anno 1521.

## EPISTOLA DLXXVIII.

*Eraſmus Rot. Ludovico Epiſc. Tornacenſi* S. D.

NAE mihi magnopere felix fuit, reverende Præſul, illa mea ad *Petrum* amicum epiſtola, quæ quidem effecit, quod ego vix auſurus eram concipere votis, ut tua celſitudo literis humaniſſime ſcriptis ſuum erga me ſtudium teſtaretur, & ſingularem illam naturæ tuæ bonitatem, veræque pietatis ſtudium jam multorum prædicatione mihi non incognitum, ceu viva quadam imagine repræſentaret. Suffraganeo tuo facile ignoſcerem, D
quod alieno impulſu talia dixiſſet in famam meam apud populum, ſi vel levis eſſet injuria, vel eam gereret perſonam, cui venia deberetur. Nunc quid atrocius, quam in populari, imo in ſacra concione manifeſtis conviciis, atque adeo mendaciis, inceſſere famam hominis immerentis, imo benemerentis, & quo nihil apud *Chriſtianos* deteſtabilius hæreſeos crimen impingere? Atque hæc facit Monachus, ſenex, Theologus, & Epiſcopus: denique tuas, hoc eſt, laudatiſſimi Præſulis, vices gerens. Quis autem eſt ſcurra tam perfrictæ frontis, qui reſponſurus ſit impudentius, quam ille reſpondit rogatus quid offendiſſet in libris meis hæreticum? Non legi, inquit, libros *Eraſmi*, Paraphraſes habebam in animo legere, ſed viſa eſt *Latinitas* tam profunda, ut metus ſit, ne E
in hæreſim aliquam poſſet prolabi. Ita ſe purgabat magnificus ille Theologus apud hominem egregie cordatum, neque vulgariter eruditum. Cæterum quod auctoritas tua literis admonuit hominem, ne poſthac ita petulanter debacchetur in nomina eorum, qui bene merentur de ſacris ſtudiis, functus es tu quidem officio boni Præſulis, ſed aliis magis iſta ratione conſultum eſt, quam mihi. Utinam Scorpius iſte venenum, quod infixit auditorum ſimplicium animis, ad ſe poſſet retrahere. Ex amicorum literis didici, Monachum quendam apud *Chriſtianiſſimum Galliarum* Regem in concione magis etiam inſaniſſe: qui dixerit jam adventurum Antichriſtum, cum exſtiterint quatuor præcurſores, Mi- F
norita neſcio quis in *Italia*, *Lutherus* in *Germania*, *Jacobus Faber* in *Gallia*, *Eraſmus* in *Brabantia*. Hæc qui audent, nonne ſummos Principes, aut pro ſtupidis habent, qui nihil intelligant, & credant omnia: aut pro peſſimis, qui virulentis mendaciis oblectentur: aut plane contemnunt? Sed tamen ad iſta, quoniam pene quotidiana ſunt, par eſt me jam pridem occalluiſſe: præſertim cum videam illos inſanis tumultibus nihil aliud efficere, quam ut ſtoliditatem ſuam cum pari inſcitia



Digitized by Google

An. 1521. malitiaque conjunctam, prodant orbi. Equidem an utilitatis aliquid attulerim sacris studiis nescio, certe conatus sum enixissime: ut si videor indignus gloria, saltem his contumeliis dignus videri non possim. Argumentum Operis, quod mihi suppeditat tua pietas, etiamsi maxime probaretur, tamen in præsentia non vacabat aggredi, in adornanda tertia Novi Testamenti editione, & recognoscendis divi *Augustini* libris, occupatissimo. Sed de hoc post consultabitur, cum se dabit ocium. Interim demiror, tuam amplitudinem hoc è nostris lacunis petere, cum domi habeas uberrimum optimarum rerum fontem, *Jodocum Clitoveum*. Quod offers omne studium & officium tuum, nihil in præsentia peto, nisi ut pergas favere melioribus literis ac sacris studiis, & *Erasmum* inter tuos adscribas. Habebis clientulum & amantem, & minime onerosum. Bene vale. Ex rure *Anderlaco* 17. Junii, Anno 1521.

## EPISTOLA DLXXIX.

Paulus Bombasius Erasmo Roterodamo *S. D.*

QUOD *tam negligenter & raro ad te scribo, mi* Erasme, *noli aliam causam putare quam assiduam & confusam quandam negotiorum congeriem, à pristino illo studio nostro penitus abhorrentium, quæ perplures jam annos ita me distraxerunt, ut pene ab omni doctrina & humanitate abstraxerint, & ad nescio quam ἀμουσίαν adegerint. Cui ut non solum contra genium meum servire, sed etiam placere modis omnibus studeam, δυσωπία τις me cogit, ne scilicet in tanta bene gerendæ rei occasione, mihi ipsi defuisse curiosum vulgus judicet, meque levitatis arguat, ætate interim (ut vides) labente, nec facultatibus adeo crescentibus, ut earum non pœniteat, ipsisque bonarum literarum jactura compensari possit. Quanquam non ita mecum maligne agitur, ut ad professoriam linguam redeundum fore timeam. Nam reditus annuos ad cccc. ducatos nullis sacris addictos, nec fortuna, sed industria meæ acceptos ferendos auxi, quos nunquam ex literario illo ocio sperare ac ne somniare quidem mihi licuisset. Quibus si tecum aliquando liberè frui possem,* Crœsi *Thesauris non inviderem, justaque mihi daretur ab ineptis istis ac parum liberalibus curis missio. Quare ut* Hercules *ad liberandum* Thesea, *ita & tu ad* Bombasium *vinculis redimendum, non ad inferos ut ille, sed ad liberiorem hanc & magis claram cæteris lucem te conferas rogo & obsecro; si modo eum me esse censes, quem in studiis socium habere non te pœniteat, vel certe studiorum tuorum admiratorem. Complures magnos viros hic esse scito, qui tua fama impendio favent, tibique adversus quoscunque patrocinantur.* Leonem *decimum maxime propitium habes, cui quoties tua ad quoscunque litera ostenduntur, eas avidissime legit & candidissime laudat: novissimas ad me tuas postquam sibi per Cardinalem patronum meum delatas legisset, diebus aliquot post repetiit, ac* Sadoleto *& aliis doctis legendas dedit. In quibus hoc unum, meo utique judicio, peccare visus fuisti, quod nimis multa de* N. *cum tua eo jam pervenerit fama, ut quoscunque de te sermones plus invidiæ quam judicii præ se ferentes floccifacere possis, præsertim* Leone *Pontifice bene adeo de te sentiente, ut* Hispanum *nescio quem in scripta tua procaciter invectum, sicut audio, monuerit ne quid in posterum edere velit, quod nomen tuum proscindat; & si veritati adesse libeat, id eo temperamento faciat, ut nihil odio aut livori dedisse videatur. Quem cum tu in ejus causa tam justa & pia silens, adeo benignum habeas, quid futurum putares si pro eo vel potius veritate ipsa, quam* Lutherani *isti novis rebus studentes ac hæreses, jampridem explosas & exstinctas, importune excitantes, impii modis convellere ac penitus demoliri nituntur, arma sumeres, & strenue ut nosti decertares? Quod plerique de te exspectabant, & monstra ista uni tibi, quasi fato quodam, ut magnus & immortalis fieres, destinata fuis-*

*se loquebantur. Contra quæ ego te hortarer, si putarem me quicquam in hac præsertim causa tibi notissima, scire, quod te lateat. Hoc unum certe scio, reliquos omnes labores, quos hactenus vigilando & scribendo sumpsisti, omnino steriles fuisse, præ quam hic unus esset. Nec ignoro quid potissimum ab hac tuum deterreat animum, non dico plurimorum offensiones, quas non sine periculo subire necesse esset, sed quorundam stultorum immodicam petulantiam, qui quasi de industria prævaricantes dum optimam per se causam juvare satagunt, ei vel maxime obsunt, & optimos quosque ab ea tutanda summovent, sibi caute prospicientes, ne cum eis pariter insanire videantur. Quorum ineptos furores non tanti ego faciendos putarem, ut quæ mea partes essent oblitus viderer. Quod scribis expedisse hanc rem per alios viros, & aliis rationibus agi, plures jam tecum sentiunt, & ego semper in hac sententia fui. Sed actum ne agatur, potius quam remedia excogitentur aliqua. Postquam te* Basileam *venisse audio, à negotiis meis impetrare conabor, ut per ea crebrioribus te literis meis appellare, atque adeo interpellare mihi liceat. Hactenus dum* Lovanii *fuisti, cogitans quantum spacii interesset, vix animum inducere potui, ut aliquid ad te scriberem. Nunc operam dabo ut nugarum mearum te nunquam pœniteat, quas vel occupatissimus ad saturitatem usque tibi suggeram. Epistolam* Joannis *primam vetustissimis characteribus scriptam in* Vaticana *bibliotheca tandem reperi, cujus versus capituli quarti hi sunt:* Ἀγαπητοί, μὴ παντὶ πνεύματι πιστεύετε, ἀλλὰ δοκιμάζετε τὰ πνεύματα εἰ ἐκ τοῦ θεοῦ ἐστιν, ὅτι πολλοὶ ψευδοπροφῆται ἐξεληλύθασιν εἰς τὸν κόσμον· ἐν τούτῳ γινώσκετε τὸ πνεῦμα τοῦ θεοῦ. Πᾶν πνεῦμα, ὃ ὁμολογεῖ Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθέναι, ἐκ τοῦ θεοῦ ἐστι· καὶ πᾶν πνεῦμα, ὃ μὴ ὁμολογεῖ τὸν Ἰησοῦν, ἐκ τοῦ θεοῦ οὐκ ἔστιν. καὶ τοῦτο ἐστὶ τὸ τοῦ ἀντιχρίστου. ἀκηκόατε ὅτι ἔρχεται, καὶ νῦν ἐν τῷ κόσμῳ ἐστὶν ἤδη. *Item ex quinto:* Ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες, τὸ πνεῦμα, καὶ τὸ ὕδωρ, καὶ τὸ αἷμα, καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσιν. εἰ τὴν μαρτυρίαν τῶν ἀνθρώπων λαμβάνομεν, ἡ μαρτυρία τοῦ θεοῦ μείζων ἐστίν. ὅτι αὕτη ἐστὶν ἡ μαρτυρία τοῦ θεοῦ, ὅτι μεμαρτύρηκε περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ. ὁ πιστεύων εἰς τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, ἔχει τὴν μαρτυρίαν ἐν αὐτῷ. ὁ μὴ πιστεύων τῷ θεῷ ψεύστην πεποίηκεν αὐτόν, ὅτι οὐ πεπίστευκεν εἰς τὴν μαρτυρίαν, ἣν μεμαρτύρηκεν ὁ θεὸς περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ. καὶ αὕτη ἐστὶν ἡ μαρτυρία ὅτι ζωὴν αἰώνιον. καὶ ταῦτα λοιπά. *Hæc in quibus ab impressis codicibus dissideant, non est quod à me docearis. Si quid erit in quo judicium meum exquiras, non tam in his quam in plerisque aliis, super quibus doctorum altercatio est, nihil tecum dissimulanter vel mussitabunde agam, sed, ut me nosti, parrhesiastes ero. Vale, & me cohorti doctorum commendatum redde. Ex urbe* Roma 18. *Junii, Anno* 1521.

## EPISTOLA DLXXX.

*Erasmus Roterodamus Livino, Abbati Monasterii S. Bavonis Gandavi,* S. D.

QUÆ præter meritum obtingunt, hoc plus solent habere precii; & quæ præter exspectationem obveniunt, solent esse gratiora. Nonnunquam & auctor magnificus precium addit suo muneri. Nihil autem tam per se vile est, quod non eximie charum reddatur, si proveniat ab animo amico. Quot igitur nominibus mihi putas gratum fuisse munus tuum, Præsul egregie, quod per insignem virum *Cornelium*, Advocatum à fisco, misisti, adeo non exspectanti, ut si de cœlo delapsum fuisset, non potuisset magis inexspectatum accidere. Nam quod ultro mittitur, quod immerenti, quod nec per somnium exspectanti, non potest non ab amicissimo pectore proficisci. Et munus per se gratissimum verbis etiam commendas. Negas esse munus, sed animi symbolum. Ais non ditandi causa missum, sed salutandi gratia. Amplector igitur istum animum tuum, & agnosco quid debeam. Ut pariter te redamem, tamen hoc calculo vinces, quod me prior ad amicitiam provocaris. Nam in ea consuetudine, quæ mihi tecum fuit *Gandavi*, ac

*Der-*

Digitized by Google

An. 1521. *Dernemondæ*, tam me geſſi inciviliter, ut non ſemel veritus ſim, ne prorſus animum tuum à nobis alienaſſem. At qui ſic provocatus amare poteſt, dignum arbitror, qui toto pectore redametur. Sed *Marcus Laurinus*, Decanus apud collegium Sancti *Donatiani*, pollicitus eſt mihi vetuſtiſſimum codicem manu deſcriptum è veſtra Bibliotheca, qui contineret commentarios divi *Hieronymi* in Pſalmos. Qui ſi commode ad nos mitti non poteſt, ſaltem optarem ex eo deſcribi unam aut alteram paginam, quo mihi collatione liceat experiri, num hi commentarii, quos habemus excuſos typis, adulterini, aut mutili ſint, nec ne. Quod ſi ne id quidem commodum eſt, arbitror, me ad Calendas Auguſtas *Brugas* repetiturum. Tum igitur vel obiter ſalutabo tuam amplitudinem. Bene vale, Pater omnibus modis obſervande in *Chriſto Jeſu*. Ex *Anderlaco* 21. Junii, Anno 1521.

## EPISTOLA DLXXXI.

*Eraſmus Rot. Carolo Harſt* S. D.

BIS igitur tibi debeo, mi *Carole*, & quod nos voluerís inviſere, & quod abſtinueris, ne ſtudia mea interpellares. Quod mihi rus hoc gratularis, certe nihil jam multis menſibus à me factum eſt, quod ceſſerit felicius. Perieram, ni urbium nidorem reliquiſſem. Jam mihi cum medicis res eſſe cœperat, conſulti diverſi, diverſa præſcripſerant remedia. Ea quo minus ſumpſerim, nihil obſtitit, niſi quod non vacabat ægrotare, ſubinde novis negotiis alio vocantibus. Quanquam huc quoque penetrant οἱ πλαχοτύφλινοι. Quid enim iſtis eſt inacceſſum? Et è propinquo quotidie audimus inſulſas fabulas. De *Carino* quod mones, jamdudum à me curatum eſt. *Neſeno* miſi; cui tradideram, ait ſe reddidiſſe *Capitoni* noſtro. Tu fac modis omnibus compiles *Conradum Goclenium*, omni genere literarum opulentum, ac veluti gnavus & avidus negotiator, honeſtiſſimis mercibus in patriam tuam onuſtus redeas. Sed in primis ſtylum acue, quo poſſis aliquando rabulas iſtos, qui tam ſtolide reclamant optimis ſtudiis, ſuis depingere coloribus. Bene vale. Ex rure *Anderlaco* 22. Junii, Anno 1521.

## EPISTOLA DLXXXII.

*Eraſmus Roterod. Petro Barbirio* S. D.

TANDEM nactus ſum librum, quem in me ſcripſit *Jacobus Lopis Stunica*, ut non paulo doctior, ita minus virulentus, ſi ad *Lei* calumnias conferatur; cujus ego laudibus adeo nihil detraham, ut velim etiam conduplicatum, quod ſibi liberaliſſime tribuit, quanquam in me tam malignus, ut nihil non adimat, ingenium, memoriam, judicium, eruditionem, lectionem ſacrorum Voluminum, peritiam linguarum, denique & Grammatices, horum omnium beatiſſimum quoddam cornu ſibi ſuaviſſime vendicans. Certe pulchre penſavit quorundam immodicum favorem, qui me laudibus ſic vehunt, ut ex muſca faciant elephantem. Hic è pygmæo facit culicem. Quod ſibi tam impenſe favet, nec miror, nec invideo. Cæterum demiror, quæ res ſic exacerbarit hominis animum in me, à quo ne verbo quidem unquam fuerit læſus: neque enim mihi perſuadere poſſum, tantum odium concipere bene natos animos, (quando, ut audio, gentis claritudinem cum eruditione conjunxit) niſi adſit improbus aliquis inſtigator. Nunc audio felicis memoriæ Cardinalem *Toletanum*, cui noſter, heu jam iterum ſucceſſit *Croja*, illi fuiſſe auctorem, ut prius Opus ad me mitteret quam evulgaret; quod ſi reſponſione ſatisfacerem, magis è re ipſius eſſe premi librum quam edi. Sin aut non reſponderem, aut proterve & indocte reſponderem, publicaret ſuos labores bonis avibus. At ille ſtatim à morte Cardinalis typographis tradidit Opus, cum illum id temporis latere non poſſet, alteram editionem Novi Teſtamenti, aut exiſſe jam, aut mox exituram. Hæc utcunque habent, mihi certe voluptati eſt, etiam apud *Hiſpanos* effloreſcere linguas ac bonas literas: ac de *Stunicæ* ingenio mihi ſatis ampliter promitto, ſed vereor ne apud cordatos & eruditos ex hoc labore, quo famam auſpicari voluit, non tam opimam gloriam retulerit, quam ipſe ſibi pollicerí videtur. Siquidem ut maxime perſuadeat ſe linguis, & literis omnibus, longaque ac diligentiſſima Veterum evolutione, ſi quiſquam alius, inſtructum, optime noſſe quid deferendum ſit interpreti: cum aliquando labatur in rebus manifeſtiſſimis, ut perſuadeat me heri ac nudius tertius cœpiſſe legere ſacros Interpretes, in *Hieronymo* nihil intelligere, qui ante annos viginti ſcripſerim *Enchiridion*, qui in hoc Opere, ut ipſe vere ſcribit, tumultuario tantum adferam teſtimoniorum, nullis interim indicibus adjutus, quibus ille felicior me fuit: quis crediturus eſt illi, quod hoc Opus ſuſceperit, non ullo maledicentiæ ſtudio, ſed animo prorſus ab omni contentione alieno, cum toto Opere ab initio uſque ad finem nihil aliud quam me derideat ex alto, carpat, laceret: lapſus etiam alienos, mihi odioſiſſime impingens, puta typographorum, & *Oecolampadii*, nonnunquam atroces tragœdias excitans ex his, quæ ſunt ſimpliciſſime dicta: quale eſt, quod ſcripſeram *Neapolim* nunc ab *Hiſpanis* occupari, & Σπανίαν apud *Paulum*, pro *Hiſpania* ſcribi. Subinde magni convicii loco me *Batavum* appellans; quaſi mihi vicio verti debeat, etiamſi apud *Sogdianos* natus eſſem; aut *Hollandiæ* regio ſit ulli regioni contemnenda, ſive cultum ſpectes, ſive celebritatem urbium, ſive rerum affluentiam, ſive laudem ingeniorum: quæ tam felicia paſſim apud illos oriuntur, ut ad illos collatus ego vere talis videri poſſim qualem me facit *Stunica*. Nec ſatis erat, ſic temperaſſe Operis præfationem, ut totidem fere ſint in me convicia, quot ſunt verba: ſingulis fere annotationibus addit præfationes novas, & coronides, quibus me laniet. Ac rurſum, quaſi hoc quoque parum eſſet, addidit indices marginales aculeatiores ipſo contextu. Adeo nihil erat ſatis illius animo modeſto, & ab omni contentione prorſus alieno. Jam haud ſcio num ſatis prudentis hominis videbitur, quod hunc interpretem affirmet ſcite & eleganter vertiſſe Novum Teſtamentum. Certe non videtur præſtare patrocinium, quo pollicetur ſe defenſurum ab omni calumnia ſuum interpretem, cum ad tot ſoloeciſmos à me notatos nihil reſpondeat. Adeo ſilentio ſuo damnat, quem ita magnifice tuendum ſuſcepit: etiamſi ipſe non hoc agebam, ut impeterem interpretem, unde quid mihi fructus erat futurum? ſed obiter annoto, ſi quid videtur profuturum lectori ſtudioſo. Quantum offecerit famæ meæ *Stunicæ*, neſcio, certe vellem ſuæ rectius conſuluiſſet: nam ego facile boni conſulo, quicquid cedit in commodum ſtudiorum. Et acuit quidem ingenia contentio moderata, ſed hanc virulentiam, qua nunc, neſcio quo fato, fervent omnia, vellem abeſſe quum ab omnibus honeſtis ſtudiis, tum præcipue à ſacris. Tu, mi *Barbiri*, exſpectatione tui nimium diu nos torques, nova ſubinde ſpe lactans animos noſtros. Meum abitum remoratæ quidem ſunt aliquot aliæ cauſæ, ſed harum præcipua fuit, tui videndi deſiderium. Quod ſi te mutuum habet noſtri deſiderium, properes oportet. Sic enim hic quotidie lapidor rabularum conviciis, ut periculum ſit ne conficiar tot ſaxis in unum caput involantibus. *Lutheri* tragœdia peracta eſt apud nos, atque utinam nunquam prodiſſet in Theatrum: tantum hoc verentur quidam, ne cupide vitata *Scylla*, deferamur in *Charybdim*, & hac victoria quidam crudelius abutantur, quam expediat rei *Chriſtianæ*. Bene vale, patrone incomparabilis. Ex *Anderlaco*, ubi nunc, ex urbano factus ruſticus, fat ſuaviter ago, 26. Junii, Anno 1521.



Digitized by Google

## *EPISTOLA DLXXXIII.

*Eraſmus Richardo Pæco ſalutem.*

An. 1521. VTINAM huic fabulæ, quam nobis parum auſpicato exorſus eſt *Lutherus*, Deus aliquis ἀπὸ μηχανῆς felicem imponat finem. Dedit ipſe telum hoſtibus ſuis, quo confoderetur; atque ita rem geſſit quaſi ſervari nollet, frequenter & meis literis, & amicorum vocibus admonitus, ut ſtyli mucronem temperaret. Tanta eſt enim in eo acerbitas, ut etiamſi omnia eſſent veriſſima, quæ ſcripſit, tamen res non potuerit habere felicem exitum. At vereor ne *Jacobitæ* & Theologi quidam [1] parum moderate ſint uſuri victoria ſua: præſertim *Lovanienſes*, quos habet privatum quoddam in me odium, & nacti ſunt ad eam rem organum longe accommodatiſſimum, *Hieronymum Aleandrum*. Is ſatis inſanit ſuapte natura, etiamſi nullus inſtiget; nunc habet inſtigatores, qui poſſint etiam moderatiſſimum ingenium ad inſaniam adigere. Provolant undique libelli virulentiſſimi, [2] hos omnes mihi tribuit *Aleander*, cum ego multos neſcirem natos, priuſquam ex illo cognoſcerem. Agnovit *Lutherus* ſuos Libros apud Cæſarem, & tamen ex his mihi [3] tribuitur *Captivitas Babylonica*. O me [4] fœcundum, qui tot libellis ſcribendis ſufficerem, cum interim difficillimo labore [5] reconcinnem Novum Teſtamentum, caſtigem *Auguſtini* libros, præter alias ſtudii portiones. Diſpeream ſi in omnibus *Lutheri* Libris eſt unica ſyllaba mea, aut ſi ullus [6] modicus liber me auctore prodiit. Imo deterreo ſedulo. Nunc hoc agunt, ut doceant *Lutherum* quædam hauſiſſe ex Libris meis, quaſi non plura hauſerit ex Epiſtolis *Paulinis*. Nunc demum ſentio hoc conſilium fuiſſe *Germanorum*, ut me volentem nolentem pertraherent in *Lutheri* negotium. Inconſultum mehercule conſilium: qua re me potius abalienaſſent. Aut quid ego potuiſſem opitulari *Luthero*, ſi me periculi comitem feciſſem, niſi ut pro uno perirent duo? Quo ſpiritu ille ſcripſerit non queo ſatis demirari, certe bonarum Literarum cultores ingenti gravavit invidia. Multa quidem præclare & docuit, & monuit. Atque utinam ſua bona malis intolerabilibus non vitiaſſet. Quod ſi omnia pie ſcripſiſſet, non tamen erat animus ob veritatem capite periclitari. Non omnes ad martyrium ſatis habent roboris; vereor autem, ne ſi quid inciderit tumultus, *Petrum* ſim imitaturus. [7] Pontificis ac Cæſaris bene decernentis ſequor quod pium eſt; male [8] ſtatuentis fero quod tutum eſt. Id opinor etiam bonis viris licere, ſi nulla ſit ſpes profectus. Ac rurſus Libellum *de Julio* mihi impingunt; adeo nihil relinquunt intentatum, quo lædant non tam me quam bona ſtudia, quæ nollent [9] iſti ſic efflorescere. Sed de me viderit *Chriſtus*, cui ſemper meæ ſervierunt literulæ. Poſteaquam *Lutherus* abiit in favillas †, undique ſibi laudem vindicant Prædicatores ac Theologi quidam non admodum ſinceri. Videndum eſt cordatis Principibus, ne jus laxetur iſtis ſæviendi in innoxios & de Religione *Chriſtiana* bene merentes; neve ita feramur odio in ea, quæ male ſcripſit *Lutherus*, ut è bene dictis fructum amittamus. Cetera [10] cognoſces è *Mori* literis. R. D. Cardinali, Patrono ac Domino meo incomparabili, me facies, quam potes, commendatiſſimum. Bene vale, *Pacæ* Clariſſime. *Bruxellis* 5. Julii, Anno 1521. *Eraſmus* tuus.

* Hanc epiſtolam (ab eruditiſſ. J. G. Meelio in Appendice ad Hotomanorum Epiſt. editam) ex chirographo Clariſſimi Kortholt, quod pro ſua humanitate nobis tranſmiſit, aliquanto emendatiorem hic exhibemus; ut ex ſequentibus patet. 1. In Appendice cit. p. 427. ſic legitur, *parum moderati, ſint.* 2. Ibid. *quos.* 3. Ibid. p. 428. *tribunt Captivitatem Babylonicam*, ut referatur ad Aleandrum. 4. Ibid. *facundum*, minus recte. 5. Ibid. *reconcinnarem.* 6. Ibid. *maledicus.* 7. Ibid. *Pontifices ac Cæſares bene decernentes ſequor, quod pium eſt.* 8. Ibid. *ſtatuentes.* 9. Ibid. *illi.* 10 Ibid. *cognoſces*, perperam.

† Ejus libri ex mandato Caroli V. Wormaciæ fuerant combuſti.

## EPISTOLA DLXXXIV.

*Eraſmus Roterod. Danieli Taiſpillo, Epiſcopo Gebeldenſi, Epiſcopi Morinenſis à ſuffragiis*, S. D.

REVERENDE Pater, mox ut *Bruxellæ* mihi redditæ ſunt tuæ literæ, accerſivi ad colloquium *Ægidium Buſlidium*, virum adeo propenſe faventem bonis literis, ut ſuis etiam damnis faveat. Exoſculatus eſt animum tuum, qui cum honeſtis ſtudiis, tum *Buſlidiani* nominis gloriæ tam ex animo conſultum velles. Legit autem & tuas ad me, & *Agathii* ad te literas. Placuit ingenium, & cupit hominem accerſi, præſertim cum morum etiam integritate commendetur, idque abs te viro bonis omnibus commendatiſſimo. Proinde de ſtatu negotii, non placet ſecus quicquam illi ſcribi, quam res habet. Academia *Lovanienſis* frequentia nulli cedit hodie, præterquam *Pariſiana*. Numerus eſt plus minus tria millia, & affluunt quotidie plures. Collegium domi pauciſſimos alit, præſidem unum, cui rei familiaris cura delegata, profeſſores tres, & duodecim, opinor, adoleſcentes, atque hos gratuito. Extra hos paucos capit domus, qui ſuo ſumptu vivunt apud præfectum ac profeſſores. Auditorium eſt, ut in hac Academia, ſatis frequens, aliquoties non pauciores habens trecentis. Placebit illi cœlum hoc noſtrum, nec diſplicebit gentis humanitas. Collegii locus & honeſtus eſt, nec inelegantis ſtructuræ. Salarium pro modo redituum ſatis amplum, pro rationibus profeſſorum, ut ingenue dicam, nimis anguſtum eſt, ſed pro reſpectu perſonæ aut induſtriæ, poſſit exſecutorum arbitrio augeri nonnihil. Et licebit illi extra ordinem profiteri, ſeu *Græce* malit, ſeu *Hebraice*. Erit illi res cum viris probiſſimis optimæque fidei. Et bona ſpes eſt fore, ut brevi ex Principum liberalitate creſcant Collegii proventus, præſertim ſi tu tuique ſimiles ſuum favorem adjunxerint. Pium eſt opus, magnoque olim ornamento futurum, & huic Academiæ, & *Carolo* Principi. Prima laus debetur clariſſimo viro *Hieronymo Buſlidio*, qui totum, quod habebat, huic negotio dedicavit, fraudatis etiam fratribus. Nec fraudabuntur tamen ſua laude, qui pulcherrimum hoc inſtitutum copiis auxiliaribus adjuverint. Non enim poterit latere poſteritatem, quod trilingui facundia celebrabitur, nec minima famæ portio redibit ad illos, qui primi profeſſionem hanc, olim futuram longe clariſſimam, fuerunt auſpicati. Quod ſi quem non movet humana gloria, certe pium eſt ambire laudem apud *Chriſtum*. Advolet igitur te auctore ἀγαθῇ τύχῃ tuus *Agathius*. De *Luthero* inſidiis intercepto atque exſtincto vanus rumor huc quoque pervenerat. Omnibus modis tentatum eſt *Wormaciæ*, partim minis, partim blanditiis, ut ſuos libellos, quos agnovit omnes, Cæſareæ ſubmitteret majeſtati: id ubi non quitum eſt impetrari, per caduceatorem Cæſaris publica fide *Witenbergam* reductus eſt, dato ad hoc viginti dierum ſpacio. Mox ex mandato Cæſaris, qui vehementer infenſus eſt *Luthero*, ſive inſtigantibus aliis, ſive ſedulo quodam ac propenſo fidei *Chriſtianæ* ſtudio, libri *Wormaciæ* combuſti ſunt. Excuſum eſt & *Lovanii* terribile edictum in ultionem eorum, qui non paruerint Cæſareæ voluntati. Bene vale. Ex *Anderlaco* 5. Julii, Anno 1521.

An. 1522.

## EPISTOLA DLXXXV.

Joannes Lodovicus Vives clariſſimo viro D. Deſiderio Eraſmo Roterod. præceptori ſuo colendiſſ. *S. D.*

NVNC *primum renunciat mihi* Laurentius *Decanus*, Stephanum *comitem iturum iſthuc: ſi quid vellem mandare, diſceſſurum eum hinc cras ſub ſolis ortum; itaque accipies à me, quæ in mentem nunc veniunt. Nam habebam in animo literas tibi ſcribere longi ſubſellii, ut ait ille, ſi tabellarium inveniſſem, à quo eſſem ſubmonitus*

Digitized by Google

An. 1521. *nitus tempestivus.* Lovanio *pridie quam illinc abirem, dedi regenti* Lilii *literas ad te, μετὰ παροιμιῶν τινῶν· credo esse redditas. Et significabam tibi, me iturum postridie* Antuerpiam, *ubi inveni* Joannem *tuum in conventu mercatorum; quem paulo post requisivi, ut ad te scriberem: jam nusquam erat, miratusque sum nihil eum attulisse mihi abs te. Cumque* Antuerpiæ *non convalescerem, veni* Brugas, *ratus me non mansurum hic supra hebdomadas duas: jam sextam hic ago; usque adeo infixus herebat hic morbus: maxima tamen pars abiit; & quod restat, non me magnopere terret; sed cum hic hactenus desedi, maneho hic Regem, & Morum, ut videam qua pacto sit mihi vivendum posthac. Pecunia Regiana me hic usque alui, & alo.* Moro *scripsi me prolixe colloquuturum cum eo, cum venerit; suspicari potest quid velim, sed non aperte quicquam, quum nollem te inconsulto; tametsi consilium tuum propemodum novi, ut parem ocium ad vitam studiosam, undecunque queam; quod, cum alia præstitero omnia, non est in manu mea præstare: quod si in eo solo sita est fortuna, non est* suæ quisque fortunæ faber, *ut dicebat* Appius. *Habes quæ hactenus egerim, quæque sim brevi acturus; scio quæ subeat animum tuum cogitatio. De* Augustino *quid? sex libros habeo paratos, hoc est, recognitos; nam alii permulti sunt scripti; quos sex possem mittere, si, qui exscriberet, haberem. Cæterum, si non mittantur hoc Augusto, mittentur antehyemem, ut spero. Scit Deus quantum ea res me angat; sed vis me θεομαχεῖν; malui differre* Augustinum, *quam vel immori labori, vel evadere inutilem aliis laboribus oppressum morbis, & sine ullo instrumento vitæ. Hec enim recuperare difficile possem semel amissa; illum dilatum facile erit in manus sumere, cum volam. Rogo te etiam atque etiam, ut si non vel tempori, vel sorti, vel fato imputandam hanc culpam censes, mihi saltem hanc facias hujus errati gratiam, siquidem per me erratum: πέμπω σοὶ τὴν παροιμίας ἅλας, quæ inter legendum occurrerunt: fac ut per hunc eundem, qui has ad te pertulit, rescribas nobis, si modo vacat: & si scripto aut non potes, aut non vis, verbo certe effice, ut de tua valetudine statuque rerum tua* * *mortalium tum intelligam, quas ego non minus charas habeo, cureque, quam meas. Vale, præceptor omnium charissime.* Brugis 10. *Julii, Anno* 1521.

## EPISTOLA DLXXXVI.

*Erasmus Rot. Guilielmo Taleo suo* S. D.

QVANDO desines queri, me tuum nomen è *Guilielmorum* catalogo submovisse? Quantumvis abest à catalogo *Talem*, certe ab animo nunquam abfuit. Monumentum amoris in me tui, quoquo me confero, mecum circumfero. Et utinam aliquando contingat ad veterem illam redire vitæ consuetudinem, & quam *Ferrariæ* primum sumus auspicati, mox apud *Britannos* renovavimus, feliciter consummemus. Utinam casus aliquis, tuo quidem bono, in hanc nostram *Brabantiam* te propellat. Est *Lovanii* cœlum, quod vel *Italico* quondam adamato præferas: non amœnum modo, verum etiam salubre. Nusquam studetur quietius. Nec alibi felicior ingeniorum proventus. Nusquam professorum major aut paratior copia. Hæc commoda si te huc non pelliciunt, certe tanti est pestem *Britannicam* effugere, quæ, ut audio, isthic parcit nemini. Bene vale. *Brugis* 13. Augusti, Anno 1521.

## EPISTOLA DLXXXVII.

*Erasmus Roterod. Petro Barbirio* S. D.

AMANTISSIME tu quidem, mi *Barbiri*, subinde me provocas ad amicitiam cum Theologis *Lovanienſibus* adglutinandam, sed plane currentem, quod ajunt, incitas. Nemo me vivit amicitiæ vel cupientior vel tenacior, sed nescio quis malus genius in causa sit, ut cum his aut non coeat, aut coeat infirma. Ego meapte natura simplici sum animo, & amicos diligo magis quam colo. Cujus rei tu potes optimus esse testis, qui videris quam indiligenter coluerim eximium illum virum *Joannem Sylvagium*, Cæsaris Cancellarium, tibi mecum communem *Mecenatem*. Nec aliter colui *Archiepiscopum Cantuariensem*, *Montjoium*, & Cardinales, quos habebam *Romæ* faventissimos. Et tamen, si detur occasio, quæ requirat officium meum, nihil amicorum gratia sim recusaturus. Sed sunt in hoc numero, quos longe difficilius sit coluisse, quam Monarcham aliquem præpotentem: atque ii sunt ea vitæ professione, quam summa decebat morum facilitas, comitas, atque etiam candor, si mores pallio responderent. Cum *Joanne Atensi*, cumque cæteris mihi facile conveniisset, si placari potuisset unus aut alter *Carmelitici Dominicalisque* sodalitii Theologus. Hi ad quamvis levem suspicionem, aut quodvis dictum alicunde seu vere, seu falso delatum instaurant Tragœdiam. Et ut ingenue, quod verum est, fatear, sum natura propensior ad jocos quam fortasse deceat, & linguæ liberioris, quam nonnunquam expediat. Metior enim aliorum animos ex meo. Nec toties falsus possum ab ingenio meo recedere. Quæso, quid habebat editio Novi Testamenti, cur in hoc quidam sic atrociter vociferarentur, ac *Martinum Dorpium* in me subornarent, qui stylo lacesseret *Erasmum*? Commigravi, ut scis, *Lovanium*. Sic enim tum visum est Cæsari. Ego ut omnibus esse cupiebam amicus, ita nullius ambiebam amicitiam. *Atensis* opera provocatus sum à Theologis ad amicitiam. Eam simpliciter amplexus sum, oblitus omnium quæ prius in me facta dictave fuerant. Ita rebus aliquandiu satis tranquillis, ortum est trilingue Collegium. Ea res male habebat quosdam, præsertim *Nicolaum Carmelitam*. Et omnino mea sententia subversuri fuerant rem tanto ornamento futuram ditioni Principis, tanto usui publicis studiis, ni conatus illorum cohibuisset *Adrianus* Card. *Dertusensis*. Sic enim accipio. Huic ego negotio certe palam ac libere favi, nec ob aliud favi nisi quod favere publicæ studiorum utilitati. Alioqui nihil isthic mihi metebatur, etiamsi seviissem aliquid. Quoniam autem intellexeram illos potissimum offensos Novo Testamento, multis mensibus in eo sudabam emendando. Tum quoniam videbam *Joannem Atensem*, sic omnes præcellere judicio doctrinaque, quemadmodum præminebat auctoritate, ut ex hoc uno cæteri possent æstimari, cum hoc egi, teste *Nicolao Montensi*, apud quem tum egeramus prandium, ut in eo negotio mea sua cura fideque adjutaret: professus me quidem hoc sedulo agere, ut Opus exiret tale, ut nullus eruditus ac pius merito possit offendi, studium quidem & affectum esse pium, cæterum vires impares esse tanto negotio. Proinde illum me sibi devincturum summo beneficio, si moneret, quæ judicaret esse corrigenda. Id cum multis verbis agerem, respondit ille, sibi jam emptum esse codicem, sed nondum esse perlectum, perlecturum tamen, nec secus acturum mecum, quam cum proprio fratre: nam hisce verbis tum usus est. Eaque verba semel atque iterum repetiit. Ac primo colloquio, quod mihi fuit cum *Nicolao Egmundano*, rogavi hominem, libere moneret si quid offenderet in eo Opere, initurum apud me summam gratiam. Nihil aliud ille respondit, quam sibi librum nunquam esse lectum. Idem aliquoties egi cum *Latomo*, frequentius etiam cum *Dorpio*. Tandem appetebat tempus ut ob secundam Editionem peterem *Basileam*. Paulo ante *Atensis* ad cœnam vocat. Aderat *Egmundanus* & *Ludovicus Vives*. A cœna indico *Atensi* me intra paucos dies abiturum *Basileam*. Rogo, obsecro, obtestor, ut amanter admoneat si quid judicaret esse mutandum: præsertim si quid officere posset bonis moribus aut fidei Catholicæ. Ille respondit, sibi totum Opus esse lectum, ac videri pium juxta atque eruditum. Hic ego, malim, inquam, admoneri quam laudari. Admonitio proderit, laus ista nihil profuerit. Nunc integrum est corrigere, posthac non licebit idem. Ad hæc cum ille repe-

* Ita legitur in Edit. Londinensi; forsan *tuarum*.

Digitized by Google

An. 1521. repetiſſet laudes ante tributas: Si iſthæc, inquam, ex animo dicis, cur tam atrocibus clamoribus quidam inſectati ſunt hoc Opus primum editum? Tum ille, priuſquam, inquit, legiſſem Opus, multa erant ad me delata: ſed eo perlecto comperi rem ſecus habere. Quæ ſcripſiſti mihi magnopere placent, quæ ſcripturus ſis neſcio. Ad hæc reſpondi, me non dubitare, quin ſi primam Editionem probaret, hanc eſſet multo magis probaturus. Hortatus eſt denique me, ut meis ſanctis laboribus (ſic enim loquebatur) pergerem provehere religionem Chriſtianam. Hac oratione tanti viri fretus, abii *Baſileam*. Abſolvo partem Operis, in qua plus erat periculi, nimirum Annotationes. Redeo. Accurrit *Atenſis*, accurrit *Dorpius*, cum tamen Chirurgi judicaſſent me laborare peſte. Hæc erant argumenta conſtantis adhuc amicitiæ. Trado *Dorpio* partem voluminis excuſam, hac lege, ut ſi quid offenderet, indicaret. Adhuc enim integrum eſſe mutare, licet cum jactura pecuniæ; donec Opus intra typographi parietes premeretur. Mox manavit ad me rumor de *Leo*, qui trecenta loca taxaſſet in Novo Teſtamento, horrenda, periculoſa. Evoco hominem ad colloquium, offero præter cæteras hanc conditionem, ut ſi quid haberet quod eſſet cum morum aut fidei periculo conjunctum, communicaret, me correcturum, nondum enim exiſſe librum in manus hominum, idque cum honorifica mentione nominis *Leici* qui monuiſſet. Recuſavit ille. Res acta eſt cum *Atenſi*. Is tergiverſatus eſt, ſuſpicans, opinor, rem in Tragœdiam exituram. *Leo* reſpondimus; ſucceſſit *Latomi* libellus, haud ſcio quo conſilio editus, ſtrophis obliquis me petens. Reſpondi civiliter, atque etiam, ut quidam interpretati ſunt, abjecte. Scis quam non quiverim perpelli, ut cum *Dorpio* deſcenderem in certamen, cujus ingenium unice diligebam. Neque multo ſecus affectus eram erga *Latomum*, qui tum nec à Gratiis, nec à Muſis videbatur alienus. Sed neſcio quis malus genius non paſſus eſt amicitiam noſtram coaleſcere. Interim in conciombus ſubinde perſtringebar apud promiſcuam multitudinem. Tandem *Atenſis* in frequentiſſima ſchola talibus conviciis lapidavit me, ut plane ſpes eſſet *Eraſmum* aut dolore moriturum, aut aliquo ſeſe abditurum. Itum eſt ad magnates, ut hos in odium mei pertraherent. Emiſſi ſunt qui paſſim in me deblaterarent. Tantis odiis res acta eſt, ut quemlibet, etiam leniſſimi ingenii, in rabiem poſſet agere. Tandem malis avibus prodierunt aliquot libelli *Lutheri*. Hic totus eſt renovatus tumultus. Convenit inter illos ſuſpicio, hos libros mea opera ſcriptos, ob unam aut alteram præfationem paulo Latiniorem. Datum eſt negocium Baccalaureis, ut colligerent errores meos. Ac mox errorum plena erant omnia, totos modios errorum ſubito collegerunt. Nec ullius interim admoneor ego. In Collegiorum conviviis nullus erat ſermo niſi de erroribus *Eraſmi*. Dum finis nullus eſſet, extundo ab *Atenſi*, ut ipſe cum uno aut altero docto, notet aliquot locos, quibus offenderentur. Notavit perpaucos *Atenſis*, ſed haud magni momenti: notavit aliquot *Dorpius* minoris etiam momenti. *Atenſis* teſtatus ſe nihil addubitare, quin optime ſentirem, tantum petiit ut explicarem, propter infirmos. Explicui, & libellum illi *Dorpioque* tradidi. Probavit *Atenſis* omnia. Tantum addi cupiebat, *Confeſſionem hanc, ut nunc exercetur, à Chriſto fuiſſe inſtitutam*. Ejus dogmatis, quoniam mihi non conſtabat, auctor eſſe nolui. Deinde cum *Atenſis* recuſaret auctor fieri ejus negotii, & jam murmur conquieviſſet, viſum eſt & ipſi ut res ſilentio tranſmitteretur. Rurſus quum incrudeſcente in dies Tragœdia *Lutherana*, jam palam eſſet illos aliquid magni mali moliri in me, expoſtulavi cum aliquot primoribus, quid eſſet monſtri quod alerent. Solus *Egmundanus*, ut eſt liberior, nam hoc certe habet boni, faſſus eſt in cauſa fuiſſe ſuſpicionem de libris *Lutheri*. Ego demirans, tales viros, tali fundamento ſuperſtruere tam odioſam tragœdiam, doceo id quod erat res, illic ne ſyllabam quidem eſſe meam, aut me conſcio ſeu volente ſcriptam. Interea provolarunt undique nugaciſſimi libelli, quibus mire ſibi plaudunt *Germani*. Nihil prodibat quod non mihi tribuerent. Tandem *Atenſis*, opinor, intellecto ſuſpicionis errore, per eum, qui tum erat Gymnaſiarcha, perque hoſpitem meum *Joannem Nevium Hontiſcotanum*, agit de ſarcienda concordia. Præbui me facillimum: tametſi tot modis læſus, quum ne muſcam quidem ipſe læſerim. Coiit fœdus in Collegio *Falconis*, hac lege, ut omnium præteritorum eſſet oblivio. Illi ſarcirent pro ſua virili famam meam, quam tot modis læſiſſent, ego cohiberem calamos amicorum eruditorum, quod quidem eſſet in me. Et ecce paulo poſt prodiit farrago quædam epiſtolarum, quas è faſciculis aliquot electas ediderant *Baſilea* quidam amici *Germani*, quorum & fidei ſæpenumero magno meo malo credidi, & ſtudiis avidis verius quam prudentibus nimium ſum obſequutus. In his inerant verſus aliquot quibus offendebantur, præſertim *Carmelita*. Et ecce ſubito nova tempeſtas atrocior priore. Atqui volumen illud epiſtolarum ſex ferme menſes excuſum fuerat, antequam de ſarcienda concordia cœpiſſet agi. Vides, optime *Barbiri*, me nequaquam ſpreviſſe judicium Theologorum *Lovanienſium*. Tametſi non erat, cur illos potius quam alios Operis mei cenſores facerem. Vides per me non ſtetiſſe quo minus inter nos conſtiterit amicitia Chriſtiana. Deinde quum *Lutherana* Tragœdia ſemper in pejus gliſceret, mire quidam conati ſunt me illi admiſcere. Ego vulgato etiam ſcripto ante biennium teſtatus ſum nihil omnino rei mihi eſſe cum *Luthero*, nullam agnoſcere factionem, niſi Chriſtianam, ſi tamen ea dicenda eſt factio. Atque interim mira rabie lapidabar in publicis concionibus, in publicis profeſſionibus, à *Carmelita Dominicalibuſque* quibuſdam, nonnunquam etiam nominatim. Hæc perpeti judicavi potius, quam cum tanto examine colluctari. Porro quod ſcribis iſtic ſuſpicionem exſtinctam, me favere *Luthero*, non miror, ſed miror unquam ortam fuiſſe. Utinam tam immunis eſſem ab omnibus vitiis quam ſum ab hoc alienus negotio: non dubitarem vel citra confeſſionem emori. Initio dici non poteſt quam multi qualeſque viri *Luthero* faverint. Ego è pauculis pagellis deguſtatis, viſus ſum mihi ſubodorari rem exituram in tumultum. Et mihi ſane adeo eſt inviſa diſcordia, ut veritas etiam diſpliceat ſeditioſa. Primus omnium admonui hominem literis, ut rem Euangelicam, Euangelica conſuetudine moderationeque tractaret. Et adeo illi non addidi animos, ut crebris epiſtolis & *Lutherum* ipſum & amicos *Lutheri* deterruerim, ne pergerent qua cœperant via. Atque hac in re tam fui diligens, ut quorundam literis admonitus ſim, ſi mihi non placeret *Lutheri* negotium, certe diſſimularem, ne tot nobilium atque eruditorum animos ac ſtylum in me concitarem. Si *Lutherus* Euangelico ſpiritu ſcripſit, quod adhuc affirmant plurimi, meus tamen metus non fuit impius, qui timuerim publicæ concordiæ: Sin ſecus, primus omnium obſtiti pro viribus, ne libri illius evulgarentur. Si tibi narrem, à quibus, & quibus modis ſolicitatus ſim, ut adjungerer negotio *Lutherano*, quibus technis quidam conati ſint me pellicere, quibus odiis quidam huc me conati ſint propellere, tum demum intelligeres quam mihi diſpliceant diſſidia. Videbam me jacturam facturum amicorum, quos & plurimos & non vulgariter eruditos habebam in *Germania*. Non ignorabam quam pertinacibus odiis me inſectarentur quidam apud nos, odio bonarum literarum. Perſpiciebam eſſe tutius in alteram factionem ſecedere. At mihi ſtat, ſemperque ſtabit ſententia, vel membratim diſcerpi potius, quam fovere diſcordiam; præſertim in negotio fidei. Occinunt multi, qui *Luthero* favent, illud Euangelicum, *Non veni mittere pacem, ſed gladium*. Equidem ut mihi videre videor eſſe quædam in Eccleſia recepta, quæ magno Chriſtianæ religionis bono mutarentur, ita nihil placet quod hujuſmodi

Digitized by Google

An. 1521. modi tumultu geritur. Si communicato inter ipsos consilio docti libellis obsignatis utriusque ditionis proceres admonuissent, quæ judicassent ad Euangelicæ doctrinæ sinceritatem attinere, fortassis & ipse fuissem unus, qui sedulo quod potuissem consuluissem. Nunc quid furiosius quam rem tantam maledicis libellis & clamoribus agi? Quo quidem in negotio primum utrinque peccatum est, mea sententia, nimium calidis consiliis hinc atque hinc res gesta est. Nuper exiit liber *Thomæ* Card. *Cajetani*, in totum abstinens à personis, à conviciis omnibus temperans, nudis argumentis & Auctorum testimoniis rem agens, non minore cura quam ingenio. Hujusmodi volebam vel sexcentos scribi adversus *Lutherum*: qui rem illustrant, non excitant tumultum. Nullus enim est qui non cupiat doceri. Quod si diversa pars parum meminit modestiæ, nostrum tamen erat meminisse. Imo hoc erat non modestiæ, sed prudentiæ, cavere quod nostram causam læderet, adversariorum adjuvaret. Id si fuisset initio factum, aut ego fallor, aut res non processisset huc tumultus. Nec aliud imputare possunt *Erasmo*, nisi quod primum improbavit seditiosis clamoribus impeti *Lutherum*, præsertim apud populum: sed ita tamen improbabam, ut illis esset liberum quantum vellent vociferari. Cum eruditis aliquot, qui nunc feruntur non omnino alieni à *Luthero*, jam mihi intercesserat studiorum nomine contracta necessitudo, priusquam orbis audisset *Lutheri* nomen. Porro, quod dicitur quædam hausisse è libris meis, mihi in manu non erat præstare, ne quis scriptis meis in posterum abuteretur, quando hoc nec Euangelistæ, nec Apostoli præstare potuerunt. Scripsi eo seculo quæ tum videbantur ad bonos mores conducere: fortassis quædam scripturus circumspectius, si præsciissem exoriturum hoc seculum plusquam tragicum. Loci communes, quibus fere declamabam, faciunt adversus eos, qui, neglectis fontibus sacrorum Voluminum, nimium inhærent quæstiunculis sophisticis verius quam Theologicis: qui neglectis iis, quæ sunt veræ pietatis, plus æquo siderent ceremoniis, & plus haberent *Judaismi* quam *Christianismi*: qui præposteto judicio ea plurimi facerent, quæ minimum habent momenti, minimi, quæ plurimum. Frequenter calamo belligerabar adversus bella, quibus multis jam seculis subinde mundus colliditur, non minore pernicie morum quam dedecore *Christiani* nominis. Et hactenus nemo compertus est, qui ex meis libris factus sit pilo deterior. Multi gratias agunt, quod ad gustum veræ pietatis expergisci cœperint. Seditionem & obscœnitatem in scriptis semper diligentissime cavi. Ab asseveratione tempero, monitor esse malens quam dogmatistes. In his articulis, qui damnantur in *Lutheri* libris, nihil video quod illi mecum conveniat, nisi forte quod à me moderate suoque loco dictum est, ille dicit immodice. Quod genus est; si ego fortassis alicubi scripsi, minus fructus ex *Dionysio* colligi, quam ex *Origene* aut *Chrysostomo*, ille scribit *Dionysium* Auctorem esse ineptum ac pestilentem. Si hoc est congruere, congruet vinum aceto. Sed dices, Hactenus non scripsisti quicquam adversus *Lutherum*. Id quo minus fecerim, duo præcipue fuerunt in causa, ocii penuria, & imperitiæ propriæ conscientia. Distorquebar meis studiis, adeo ut sæpenumero valetudo laboribus immodicis periclitaretur. Et videbam longe aliud esse hortari ad studium bonarum literarum, invitare ad bonos mores, annotare aliquid in lectione sacrorum Voluminum: aliud rem fidei in orbis totius theatro tractare. Videbam utrinque partes sic accensas studiis, ut alteri, nisi magnis vociferationibus, satisfieri non posset: alteram sic instructam & copiis & dentatis libellis, ut malim *Elvetiorum* lanceis objici, quam horum stylis confodi. Habent enim multos, quorum literæ videantur apud posteros victuræ. Et tamen fateor in causa fidei vitam etiam negligendam, si modo facultas respondisset animo. Certe non concedo *Latomo*, ut illi magis displicuerit hoc orbis dissidium quam mihi: præ- A B C D E F sertim cum hoc fermento vitiata sit ubique fere dulcedo studiorum. Ut insanum sit omnia probare quæ scripsit aut scripturus sit *Lutherus*, ita non placet, Auctoris odio damnare quæ vera sunt, ea depravare quæ recta sunt. Si scribit adversus *Lutherum*, qui subinde vocat illum asinum, stipitem, bestiam, cacodæmonem, Antichristum, nihil erat facilius, quam in illum scribere. Ego ex omnibus illius lucubrationibus vix duodecim legi pagellas. Neque enim vacat, & si vacaret, malim hoc ocii in vetustis Auctoribus collocare. Et tamen vix quenquam adhuc reperi, qui se dicat pœnitere legisse libros illius, etiamsi multa displiceant. Quid multis? Tale negotium est, ut difficillimum sit ita satisfacere hominibus, ut nusquam prodas Euangelicam veritatem. Res non solum absolutam eruditionem, verum etiam singularem prudentiam, desiderat; non sine auctoritate. Et video non defuturos qui provinciam hanc & possint & velint suscipere, Episcopos, Cardinales, Reges denique. Quicquid incendio, quicquid diplomatis Principum effici potest, abunde confectum est. Sed hæc utinam perinde mutarent animos hominum, ut coercent linguas. Si pium est nocere causæ *Lutheri*, fortassis magis illi nocui, quam quisquam eorum qui odiosissime reclamarunt, quique hominem conviciosissimis libellis prosciderunt. Primum, violentum illum ac seditiosum scribendi modum, constanter, & ab ipso statim initio, palam & apud amicos & apud inimicos *Lutheri* improbavi. Non destiti & sermonibus & scriptis epistolis dehortari plurimos, ut ab ea factione sese abstinerent. Nullis studiis adduci potui, ut vel paululum ipse memet admiscerem. Hæc, opinor, plus fregerunt vires ejus factionis quam quorundam tumultus. Hæc adeo non ignorat *Germania*, ut toto hoc anno nullus eorum, qui *Luthero* favere creduntur, verbum ad me scripserit, nemo inviserit, nemo salvere jusserit, cum antehac officiis hujusmodi propemodum occiderint. Quin, ut ex amicorum literis accipio, *Lutherani* in suis professionibus subinde me perstringunt, clamitant *Pelagianum*. Erat quod mihi succenserent, si unquam in castris illorum fuissem, si hujus negotii hortator fuissem. Nunc præter causam succensent, cum semper ab hac tumultuosa scriptione ad Euangelicam modestiam provocarim. Nec audio magnos alioqui viros, qui dicunt morbum fuisse graviorem, quam ut levi pharmaco sanari possit. Turbandum fuisse corpus efficaci remedio, quo mox succederet sanitas. Hoc si verum est, ego per alios fieri malim quam per me. Si commerentur hoc corrupti mortalium mores, non deerit Deo *Nabuchodonosor*, per quem flagellet populum suum. Ut tale nihil video factum ab Apostolicis viris, ita mihi non placet quicquam per tumultum geri. *Christus* ejecit vendentes & ementes è Templo, sed suis idem nunquam mandavit: quibus docendi munus delegavit, non pugnandi. In summa, mihi ut semper placet concordia, ita hic quoque malim pacem aliquantulum iniquam, quam bellum æquissimum. Atque utinam sedatis animis utrinque incumbatur in hoc, ut in Euangelica veritate consentiamus, priusquam ad propagandam religionem properemus. Verum ea res non vulgo proditis libellis, sed obsignatis secretisque consiliis esset agenda. Exquirendum, unde hic affectus tam late occuparit animos hominum. Fortasse sic facilius tolleretur hoc malum, si fontes unde scatet tollerentur. Verum, hoc à Monarchis proficiscatur oportet. Ego perfectis his, quæ proximis nundinis exibunt, aggrediar aliquid, non tam adversus *Lutherum*, in quem abunde detonatum est conviciis, si quid his rebus proficeretur, sed magis ad compescendum hoc dissidium. Jam scio dices, *Sic itur ad bellum*. Utinam, mi *Barbiri*, vere posset hoc in me dici. Sed vereor ne propemodum ante tempus adhuc venerim. Adeo sese condensant, nec loco cedunt conjuratæ phalanges. Næ ego præclarum interim operæ precium fero qui utrinque lapidor? Apud nostros falsissimo titulo traducor *Lutheranus*, apud *Germanos* male



Digitized by Google

An. 1521. audio, ut *Lutheranæ* factionis adversarius. Sed utinam vel vitæ, non modo famæ jactura queam hanc perniciosissimam tempestatem vertere in tranquillitatem. Ego nullum exitum video, nisi *Christus* ipse velut ἀπὸ μηχανῆς, felicem catastrophen imponat infelici fabulæ. Atque interim cum propemodum obsurduerim ad *Lutherani* vocabulum, nondum satis intelligo quid sit esse *Lutheranum*. Si *Lutheranus* est, quisquis *Lutheri* libros legit, legit & *Latomus*. Sin *Lutheranus* non est qui legit ut refellat, aut damnet, quî *Lutheranus* erit qui hoc animo legit, ut si quid insit, quod faciat ad bonam mentem, excerpat, si quid erroris, detestetur ac rejiciat? Sin *Lutheranus* est, qui omnia illius & scripta, & scribenda, citra exceptionem tuetur ac probat, talis adhuc nemo mihi compertus est, nec arbitror quenquam esse tam insani cerebri. Ego sane nec *Hieronymo*, nec *Augustino* sic addictus esse vellem, vix etiam ipsi *Paulo*, ut aliquid dicam ὑπερβολικῶς. Cæterum ego, qui nec lego libros illius, nec defendo quicquam, quo pacto fingor *Lutheranus*? Si orthodoxus est, quisquis maledicit *Luthero*, gratulandum est populo Christiano. Sed vereor, optime *Barbiri*, ne complures sint, qui magnis conviciis insectantur in *Lutheranis* levia quædam: quod genus sit, *Quicquid agit justus, peccatum esse:* cum ipsi non credant, id quod est totius fidei nostræ basis, videlicet animum superesse à morte corporis. Sed tamen video duas rationes, quibus *Lutheranus* videri queam. Primum, si *Lutheranus* est è cujus libris hausit occasionem erroris, si tamen aliquid hausit ex meis. Sed hac ratione *Lutheranus* erit *Paulus*, è cujus scriptis plura hausit quam ex meis. Unde enim hæretici veteres hauserunt errorum suorum semina, nisi è sacris Libris? Et tamen nullus hoc imputat horum auctoribus. Ad hæc, si *Lutheranus* est, qui quocunque modo favet *Luthero*, & favet haud dubie, qui hortatur ad meliora, qui correctum cupit: hoc nomine plane *Lutheranus* fui quondam, & sum adhuc, & esse puto quotquot sunt vere Christiani. Quis enim non malit fratrem suum emendatum quam extinctum? Sed ut sit tandem harum næniarum finis, Quando tu desines nos torquere desiderio tui: Quando reddes nobis tuum conspectum? Utinam te videam in tua *Paria* mitratum. Dispeream, nisi malim illic agere inter gentes ignotissimas, quam hic inter rabiosas obtrectationes. Qui morbus olim Monachorum latebris familiaris, nunc in ipsas Regum aulas penetravit. Nulla est compotatio, in qua non acribus studiis decertetur de *Luthero*. Mox ad *Erasmum* rixa deflectit. Deum immortalem! quid ibi non dicitur ab iis, qui tantum sapiunt in hoc negotio, quantum de pictura Camelus? Et nulli clamant fortius. Hoc mali debeo *Germanicis* amicis. Equidem ex animo faveo *Germaniæ*. Dici non potest quam in dies efflorescat ingeniis felicissimis: in me propensioribus studiis, quam vel promerebar, vel postulabam. Sed optarem quorundam amicitias, mihi aliquanto fuisse auspicatiores quam fuerunt. *Britannia* vulgo male audit, quoties de fide agitur. At illic tales amicos, tam fidos, tam constantes, tam prudenter faventes reperi, ut meliores ne optare quidem potuissem. Bene vale, & cura ut quam primum ad nos venias *Hispaniensibus* ducatis onustus: nam hic mira auri fitis. Quandoquidem video glebas illas aureas, quas nobis polliceri soles in *Paria*, simillimas montibus aureis *Persarum*. *Brugis* 13. Augusti, Anno 1521.

## EPISTOLA DLXXXVIII.

*Erasmus Roterod. Hieronymo Frobenio* S. D.

MIHI gratias agis, mi *Hieronyme*, quod ex literis meis propensior in te factus sit patris animus. Sed in te situm est, ut sit propensissimus. Id fiet, si te vere filium esse declares, & ex animo rem patris adjuves. Non mirum, si quando cessant operæ mercenariæ. At tu dum patrem adjuvas, tuum ipsius agis negotium. Nunc ætas est laborum omnium patiens; ea est rebus honestis exercenda. Quod datur vacui temporis, hoc impende honestis studiis, & evolvendis bonis Auctoribus. Fuge consortia nepotum & ociosorum, abduc te à juvenilibus voluptatibus, & veris dotibus temet instrue. Quod si facias, non deerit tibi neque gloria, neque pecunia: sin secus, & ego te frustra commendavero patri, & ipse tibi parum bene consulueris. Sed absit ut hoc eveniat. Confido, mi *Hieronyme*, te talem futurum, qualem optamus utrique. Bene vale, & saluta *Erasmiolum* puerum, ut audio, spei optimæ. *Brugis* 14. Augusti, Anno 1521. An. 1521.

## EPISTOLA DLXXXIX.

*Erasmus Roterodamus Richardo Pacæo* S. D.

DE nostris commentariis nihil audio, mi *Pacæe*, quæ res gravius excruciat animum meum, quam quum in litore *Dovarienſi* semel periret universa res pecuniaria. Cui debeam hanc imputare jacturam nescio, certe tuo animo nec libet imputare, nec possum. Librum, quem Regia majestas conscripsit adversus *Lutherum*, vidi tantum in manibus *Marini* Nuncii Apostolici. Vehementer aveo legere. Nec enim dubito quin dignus sit illo longe felicissimo ingenio, quod mire valet, ubicunque sese intenderit. Olim prodigiosæ pietatis habebatur, & Divorum dignum Catalogo, si Princeps copiis & armis depulisset hostes à cervicibus *Christianorum*. At *Henricus* octavus ingenio, calamoque, propugnat pro *Christi* sponsa, satis declarans, quid præstaturus sit, si res arma flagitarit. At interim quod nunc præstat, ut mea sententia multo difficilius est, ita laudem solidiorem magisque propriam illi pariet. Nam bellicæ rei laudem fortuna partitur in multos, sæpenumero multo maximam partem sibi vendicans, hic quoniam res omnis animi præsidiis geritur, quicquid laudis est, uni proprie debetur *Henrico*. Quotquot colimus aut amamus bonas literas, ingratissimi simus, ni tale ingenium veneremur atque exosculemur, quod miris modis ornat commendatque studia nostra. Porro confido fore, ut hoc pulcherrimum planeque rarissimum exemplar multos Principes provocet ad æmulationem. An non pudebit posthac sacerdotes, Monachos, Episcopos, nihil scire rei Theologicæ, quum viderint Regem tantum, juvenem, tot negociis distractum, eo progressum in cognitione sacrarum Literarum, ut libris editis periclitanti *Christianæ* religioni patrocinetur? Nec addubito quin id aliquanto felicius illi successerit, quam nonnullis qui antehac in eodem stadio vires suas periclitati sunt. Sed hac de re certiora scribam, ubi librum devoraro, cujus legendi me mira quædam tenet aviditas. Nam Cardinalis *Eboracensis* pollicitus est, se facturum mihi copiam. Vehementer erat molestum, quod tu abesses ab hoc comitatu. Id tulissem moderatius, si vel epistola nos invisisses. Memento, mi *Pacæe*, in cujus locum succesferis, & quid nobis promiseris. Exspecto enim ut efficias, ne *Coletum* magnopere desiderem. Tu majus etiam quiddam es pollicitus. Abunde satisfeceris & meis votis, & tuis promissis, si per te licebit recipere nugas, quas apud te deposuimus *Ferrariæ*. Bene vale, vir ornatissime. *Brugis* 23. Augusti, Anno 1521. An. 1521.

*Marcus Laurinus*, Decanus apud sanctum *Donatianum* hospes meus, tui amantissimus, rogavit ut suis verbis tibi multam salutem adscriberem.

## EPISTOLA DXC.

*Erasmus Roterodamus Gulihelmo Waramo, Archiepiscopo Cantuarienſi*, S. D.

VBI cognovissem Card. *Eboracensem Brugis* cum *Cæsare* congressurum, eo me contuli, quo complures amicos illic & viderem & complecterer: quibus mihi nihil in vita, neque charius, neque dulcius. Bona quædam spes habebat animum meum, adfuturum & Episcopum *Roffensem*, sed ea fefellit. Librum, quem Rex

Au. 1521. *Angliæ* scripsit adversus *Lutherum*, vidi tantum, nondum accepi, tametsi jam sæpe promisit Card. *Eboracensis*. Id suspicor ejus negligentia factum, cui datum erat hoc negotium. Quis non exosculetur ejusmodi Principis animum, qui sic & ornet nostra studia, & religionem defendat? Olim summa pietas erat, si Reges armis tutati fuissent tranquillitatem *Christianam*. Hic ingenio calamoque propugnat, satis declarans, quid præstaturus sit, si res arma postulaverint. Confido fore, ut hoc pulcherrimum exemplum, & cæteri Principes studeant æmulari. Ac tandem, opinor, pudebit sacerdotes ac Monachos nihil scire sacrarum Literarum, posteaquam viderint tantum Principem in his studiis eo progressum esse, ut libris etiam editis Catholicæ religioni patrocinetur. Ex Procerum præcipue *Montjoii* narratione, certo persuasum habeo, librum ipsius *Marte*, quod ajunt, confectum esse. Nec dubito quin illo felicissimo ingenio sit dignissimus, quod mire valet, quocunque sese intenderit. Qua de re plura scribam, ubi volumen perlegero. Video tempestatem esse multo periculosissimam, in qua mihi sentio cursum sic esse moderandum, ut nec *Christi* negotium deseram, hominibus adulando, nec me frustra in discrimen aliquod conjiciam. *Lutherus* veluti malum Eridis misit in mundum, cujus nullam omnino partem non turbatam video. Nemo non fatetur vehementi quadam medicina fuisse opus Ecclesiæ nimium collapsis moribus, sed video propemodum usu venire, ut pharmacum, parum dextre adhibitum, morbi vim exacerbarit, verius quam expulerit. Atque utinam verum esset, quod invictus *Danorum* Rex *Christiernus* mihi simile quiddam dicenti respondit, ludens opinor, levibus pharmacis nihil agi, sed illud esse remediorum efficacium, ut primum corpus omne concutiant. Ego certe nullum exitum video bonum, nisi *Christus* ipse nostram temeritatem bene vertat, quemadmodum ferunt *Minervam Athenienſium* Εὐσεβείαν bene fortunare solitam. Mihi, cui semper placuit tranquillitas, non potest hic orbis tumultus non esse molestissimus. Accedit his, quod *Lutheri* negotium, tametsi longe semotum à bonis literis, tamen non mediocri invidia gravat nostra studia. Id casu quodam sic accidit, quod antequam *Lutherus* exoriretur, jamdudum acerrimum bellum esset cum hoc hominum genere, qui nunc potissimum oppugnant *Lutherum*. Hi sunt Monachi quidam ac Theologi jejunæ illi ac perturbatæ doctrinæ nimium tribuentes. Ac nunc quidem certatim omnes impetunt *Lutherum*, velut olim *Hectorem* jacentem *Graci*. Sed hæc *Scylla* nobis ita vitanda est, ut ne deferamur in *Charybdim*. Urgent quidam, ut nonnihil scribam in *Lutherum*. Ubi me extricaro ab his, in quibus nunc mire distringor, id autem fiet brevi, accingar ad legendos omnes *Lutheri* libros, & eorum qui scripserunt adversus hunc. Neque enim temere res est tentanda. Hoc facto, conabor efficere, ut nec Pontificis *Romani* dignitati, nec *Christiana* religionis tranquillitati videar defuisse pro mea quidem virili. Nos hic magnis studiis apparamus bellum in *Gallos*. Pontifex totus in veteres amicos irritatus nobis sese adjunxit. Et interim *Turca Hungariam* populatur armis. Precor, ut *Christus* Opt. Max. servet amplitudinem tuam nobis incolumem. Reliqua cognosces ex *Thoma Halseio*, Episcopo *Elphinensi*, quem semper expertus sum ex animo mihi faventem. *Brugis* 23. Augusti, Anno 1521.

## EPISTOLA DXCI.

*Erasmus Roterod. Thomæ Linacro* S. D.

NON sine magno animi dolore audio ex amicis, valetudinem tibi factam incommodiorem: homini mehercle digno cum primis, quem nec senectus attingat unquam, nec morbus ullus. Sed quando hac lege nascimur omnes, nec sunt ullo pacto exorabiles *Parcæ*, enitendum est, ut qua licet etiam à fatis ipsi nobis simus superstites. Porro ut æquioribus animis cedunt è rebus humanis parentes, qui viderint liberos suos ad aliquem vitæ statum evectos: ita nonnihil est editis vigiliis nostris, interim ceu prægustare, quid posteritas de nobis sit judicatura. At tu, si mihi permittis, ut libere tecum agam, sine fine premis tuas omnium eruditissimas lucubrationes, ut periculum sit, ne procauto modestoque crudelis habearis, qui studia hujus seculi tam lenta torqueas exspectatione tuorum laborum, ac tam diu fraudes desideratissimo fructu tuorum voluminum. Fortasse terret te nostrum exemplum, sed etiam atque etiam vide, dum studiosius vitas nostram culpam, in diversum deflectas. De me quicquid tibi audes polliceri, scito semper fore promptissimum. Bene vale, vir optime, idemque doctissime. *Brugis* 24. Augusti, Anno 1521. Au. 1521.

## EPISTOLA DXCII.

*Erasmus Roterodamus Joanni Schudelino, Literatori Memingiensi*, S. D.

GABRIEL *Stendelinus*, homo mihi multis nominibus charus, facile effecit, ut boni consulerem quod ignotus me tuis literis interpellaris. Plus ille potuit apud *Erasmum*, nimirum ut, occupatissimus licet, si non rescriberet, certe resalutaret eum, à quo sic esset ad amicitiam provocatus. Quod istic, ut ais, tantum tribuitur meis lucubrationibus, si vera prædicas, gaudeo meas vigilias bonis aliquot addere calcar ad studium vitæ melioris, posteaquam adeo multos ad odium mei provocarunt. Tu fac, mi *Joannes*, ut gnaviter incumbas in provinciam, quam hactenus magna cum laude diceris obire. Neque perinde studio tibi sit digladiari cum veteris inscitiæ *Hyperaspistis*, atque ut rudi docilique ætati melioris eruditionis ingenuæque pietatis seminarium infundas. Si Principes non admittunt sana consilia, si Ecclesiæ Proceres auctoramenta mundi præferunt *Christi* præmiis, si Theologi Monachique jam diu nimis adamatam Synagogam non possunt relinquere, si populus à consuetis non potest avelli, supereſt tamen hæc una via, quæ spem bonam faciat fore, ut mundus aliquando sese referat ad frugem meliorem, si vinum novum in utres novos indatur. Emerget olim hæc seges, ac vel citra certamen opprimet hos non minus indoctos, quam indociles. Recte instituendis pueris, & in lucem edendis Veterum scriptis, paulatim evanesceret istorum irreligiosa religio, & illiteratæ literæ. Hac igitur grassare, ac bene vale. *Anderlaci* 4. Septembris, Anno 1521.

## EPISTOLA DXCIII.

*Erasmus Rot. Petro Barbirio* S. D.

AVRVLA quædam bonæ spei nobis hic affulsit, fore, ut aliquando te ad nos recipias: quæ utinam nos non fallat. De pensione utinam tam feliciter peragas negotium, quam agis lente. *Joannes Canius* sui similis esse perseverat. Ille noster, cui utinam non esset tam niger animus, quam est candidum pallium, seipsum quotidie superat. Jamque homo tam furit palam, ut nulli sit tolerandus. Ut enim omittam alia permulta, nuper in professione publica, quum ventum esset ad eum locum, *Omnes quidem dormiemus, sed non omnes immutabimur*; hic, inquit, *Erasmus* adfert hæresim, ponit enim contradictoriam ejus quod servat Ecclesia. Primum, ut demus, id quod est secus, hæreticam esse lectionem, quam habent omnes libri *Graci*, hic adeo consentientes, ut nusquam magis: non ego adfero hæresim, qui verto tantum, nihilo profecto magis quam adferebat *Hieronymus*, quum verteret libros περὶ ἀρχῶν *Origenis*. Nunc cum in Annotationibus doceam & olim duplicem fuisse lectionem, quod declarat & *Hieronymus*, & is cujus exstant commentarioli in omnes Epistolas *Pauli*, cum *Thomas* utranque lectionem recensens scribat in ea lectione, quam *Graci* sequuntur, non esse sensum hæreticum, non puduit



Digitized by Google

An. 1521. senem illum, Theologum & *Carmelitam*, tam rabiosam vocem emittere in ordinaria lectione & Theologica, perinde quasi stipitibus loqueretur, non hominibus. Non dignatur legere quod scripsimus, & tamen non pudet pronunciare de re incognita. Tantum audierat fortassis inter pocula, quid ego vertissem. Et hic se credit videri dialecticum, quod meminerit contradictoriæ. Atqui dispicere debebat, non quid verba prima fronte sonarent, sed quomodo essent accipienda, & ad quas personas accommodanda. Postremo ut anceps sit lectio, non periclitatur tamen Ecclesia, etiamsi quid ignoret de modo resurrectionis: velut an omnes sint morituri, cum de temporis modo noluerit nos scire *Christus*. Qualis est in lectione, talis est in scholis, adeo ut multos alienet à studio sacræ Theologiæ suis morosis moribus. Utinam rediret Card. *Dertusensis*, & hujus impotentiæ modum imponeret. *Stunica* respondimus, liber nunc excuditur *Lovanii*. Scriptio illius etiam *Aleandro* displicuit, cum in initio nonnihil arrisisset. Nos ejus operæ, ne dolo dicam, pœnitet. Novum Testamentum à me non credendis laboribus castigatum & auctum tertio excuditur *Basileæ*. Sed quando finis harum Tragœdiarum? Ut nihil aliud, certe interim perit illa serenitas *Christiana* mentis: & vulgus studiosorum alienatur à sacris Literis. Tu cura ut recte valeas, alioqui te mortuum, quod Deus avertat, injuriæ reum peragam: quando non nisi magno meo damno mori potes. Ex *Anderlaco* 23. Septembris, An. 1521.

## EPISTOLA DXCIV.

*Erasmus Roterodamus eruditissimo Paulo Bombasio* S. D.

QUID ego audio, *Bombasi*? *Leo* Pont. Max. maximus ille *Leo*, legit eas literas, quas ad te sic negligim ac familiariter scripseram? Quid illi venit in mentem, ut talibus nugis mentem & oculos admoveat? Nec legit modo, verum etiam repetitas viris eruditis ostendit? Nec istas tantum legit, quas tibi scripseram, verum etiam quas aliis amiculis? Ego vero in talium amicorum sinum omnia libere secureque fodeo deponere, quicquid fuerit vel curarum vel nugarum. Occidi si vera prædicas, præsertim quum ipse nesciam, quid in hujusmodi literis garrierim. Quod tibi visus sum in eis plus satis verborum fecisse de *N.* non putabam mihi dispiciendum quid tali scriberem amico. Certe in literis, quas ipsi Pontifici scripseram, ne verbo quidem illius facta est mentio. Alioqui si rem, ut habet, nosses, diceres me satis parce de illo questum esse. Sed tamen hic quicquid est mali, κακογλώσοις quibusdam imputo, qui miris technis studuerant utriusque animum ab altero alienare. Nec me fefellit conatus sceleratissimus, sed sero sensimus utrique. Quod tantas opes tibi pararis *Romæ*, easque liberas, nec sacris obnoxias, nec alii cuiquam quam tuæ industriæ acceptas ferendas, tametsi tua virtus longe majora promerebatur, tamen ut nunc sunt tempora, gratulor tibi felicitatem istam, qui gravissimum illud onus paupertatem excusseris. Nunc video te circumspectare vitæ genus liberum ac tranquillum, ad quod te velut in portum aliquem tutum & quietum recipias. Atqui nonnihil vereor ne tibi veniat usu, quod de Mustela narrat *Horatius*, cui non licuit exire pastam, cum macra repsisset in cameram frumentariam, & tamen admitendum censeo. Sed ubi potius id speres, quam *Romæ*? Nam *Bononiam* omnibus modis tibi fugiendam censeo, vel ob *Spartum* arrosuros. Quanquam scis *Scipioni Carteromacho* nostro, ne *Romæ* quidem contigisse libertatem, quam vir ille sic adamabat, ut nemo magis. Nos quanquam infra censum tuum sumus, tamen desimus de *Mercurio* queri. Est unde suppetat mundus victus. Est unde nonnunquam & aureolus decidi possit egenti amico. Tantum abest, ut cuiquam cogar esse gravis. Honores non ambio, præsertim tanti venales. Si gratis, aut certe non magno impendio contigissent, & si contigissent in tempore, non censuerim omnino rejicientios, vel ob hoc ipsum, quod ut nihil aliud, certe illud præstant, ne quorumlibet improborum contemptui simus obnoxii. Qua quidem in re, sicut in cæteris omnibus, plus vidit *Morus* quam ego: nam is Eques auratus Regi optimo & à consiliis est, & à thesauris; quorum utrumque & liberum est satis & honorificum imprimis, ut jam & bonis factus sit amabilior, & improbis formidabilior. Nam ea sunt tempora, ut ne tam insignis quidem naturæ bonitas, tam inaudita morum suavitas, possit omnem effugere invidiam. Epistolam, quam *Basileam* miseras, recepi. *Cornelium*, quem tibi & *Aleandro*, ni fallor, commendaram, *Alexandria* à *Gallorum* præsidiis spoliatus est, & literis, & pecuniis, & vestibus. Mox nudus conjectus in carcerem. Tandem data optio, utrum vellet abire nudus an pendere. Sic ille lineo duntaxat indusio tectus *Basileam* pervenit. Illic dies aliquot refocillatus, tectus est veste *Germanica*, additus aureolus ad viaticum. Hoc ornatu ad nos venit, rursus instruendus viatico. Ajebat te simul & Cardinalem *Campegium* scripsisse. Si quid erat seriæ rei, non gravaberis eadem de re denuo scribere. *Hispanus* ille, de quo scribis, *Jacobus Stunica* est, qui in primam Novi Testamenti editionem glorioisissimo libello debacchatus est. Prima facie miris tumis sese ostentat. Ubi propius contemplatus sis, nebulas meras esse dixeris. Ei respondimus apologia *Laconica*. Cujus operæ sane nos jam pœnitet. Nam Opus est ejus generis, ut & *Aleandro* displiceat, nec meæ famæ fuerit offecturum duntaxat apud æquos & eruditos. Et tamen respondimus non solum breviter, sed etiam civiliter: non quod ille mereretur, sed quod nos hactenus defensam moderationis laudem noluerimus amittere. Neque nescio, neque non memini, mi *Bombasi*, quantum debeam *Leonis* in me animo, jam argumentis compluribus mihi comperto. Nec in hujus causa tam silui quam tu credis. Primum, admisus sum, ne oriretur hic tumultus: mox, ut ortus consopiretur: postremo, ut jam late vagatum incendium, quam minimo publicæ tranquillitatis incommodo compesceretur. Id enim existimabam maxime referre & ad *Romani* Pontificis dignitatem, & ad hanc Tragœdiam ita finiendam, ut non iterum erumperet semel coercitum malum. Ubi nec hoc satis succederet quorundam opera, sibi potius privatim, quam publico bono consulentium, multos partim literis meis, partim oratione revocavi, ne se huic fabulæ admiscerent. Cæterum, quo minus hactenus libris editis cum *Luthero* pugnarim, plurimæ sunt causæ, quas hic non est necesse percensere: sed illa præcipua fuit, quod mihi prorsus defuit ocium legendi, quæ scripsit *Lutherus*. Adeo meis recognoscendis sum intentus. Et vides quam ille sit πολυγεώφω. Nec solus est, centum habet manus. Nec erat satis illius libros semel evolvere, iterum atque iterum erant revolvendi. Ne id quidem satis. Multi passim adversus illum edunt volumina, quorum nihil non inspiciendum mihi, si cupiam suscepto negotio satisfacere. Ut ne commemorem interim, dum ad hæc vocor, non satis habere loci proverbium illud, Ἐς ἅμιον ἐς πεδίον. Res est periculi plena, & in alio studiorum campo magis sum exercitatus. Ad hæc jam par erat mihi tot libris editis defuncto dari missionem, quo liceret per ocium posthac studiis frui. Flagitabat hoc ætas ingravescens, promerebantur hactenus juvandis publicis studiis exhausti labores. Hoc negotium tale est, ut ei, si semel ingrediar, sit per omnem usque vitam serviendum. O mi *Bombasi*, proclive dictu est, *Scribe adversus Lutherum*. Sed ad hoc pluribus rebus est opus, quam ad plaustrum fabricandum, ut inquit *Hesiodus*. Video quam varia, quam morosa sint hominum judicia, præsertim hoc seculo, quo vix aliud χαλεπώτερον. In multis articulis Cisalpinæ scholæ dissentiunt à Transalpinis. Atque adeo ejusdem scholæ Theologi aliud sentiunt in diatribis publicis ac libris, aliud in veris colloquiis. Ad hæc perdiffici-



Digitized by Google

An. 1521. cile est sic temperare stylum, ut ita tuearis hominum dignitatem, ut non alicubi lædas gloriam *Christi:* ita placeas Principibus ἀνθρώποις, ut non alicubi displiceas Principi *Christo*. Quod si malum hoc libellis obrui potest, in dies emergunt librorum examina, ut *Erasmo* nihil sit opus. Si clamoribus, non desunt *Stentores*. Incendiorum ubique fuit affatim. In edictis nihil terriculamentorum est omissum. At vereor ne his rationibus malum ad tempus prematur potius, quam exstinguatur, mox erupturum majore cum periculo. Quod ego sane abominor, & vehementer opto ne fiat. Nulla regio magis ex animo favet Pontificiæ dignitati, quam hæc nostra. Sed huic vehementer offecit invisum quorundam patrocinium. Nisi sic insaniissent illi, res huc progressa non fuisset. Imo si nunc quoque tacerent tres modo menses, totus cum suis libellis frigeret *Lutherus*, ac ne tantulum quidem ob illum mutaretur in rebus humanis. Sum totus in recognoscendo Novo Testamento, aliisque nonnullis meis lucubrationibus, ursorum exemplo paulatim lambendo formans rudes ingenii mei fœtus. Sed brevi spero, continget ocii plusculum. Egi diligenter cum *Hieronymo Aleandro*, daret mihi facultatem legendi quæ scripsit *Lutherus*. Nam hodie Sycophantarum & Corycæorum plena sunt omnia. Pernegavit se id posse, nisi nominatim impetraret à summo Pontifice. Primum igitur hoc mihi velim impetres *Brevi* quopiam. Nolim enim dari ansam τοῖς πονηροῖς, ὑδενὸς ἄλλου δεομένοις. Publicæ tranquillitati sic semper ex animo favi, ut perpauci magis. Euangelicæ veritati confirmandæ, vel animam libens impendero. Nec ignoro quantum privatim etiam debeam inauditæ Pontificis in me benignitati. Quod si mihi continget adhuc tres aut quatuor annos vivere, aut immoriar conatibus, aut efficiam ut ille dicat me fuisse hominem non omnino ingratum. Meretur hoc illius eximia bonitas, ut omnium eruditorum literis celebretur. Id alii credo facient felicius, nemo certe quam ego studiosius. Et si natura negabit eloquentiam, pectus & ardor animi suppeditabit. Sunt qui pulchre putent consultum illius rebus, si illum reddiderint quam maxime formidabilem, ego magis adnitar ut orbis *Leonem* amet potius quam metuat. Verum huic officio nisi me servet ipse, non video quî possim esse incolumis; adeo devotis animis in nos conspirant κατάγραι quidam. Blaterant nominatim in me, in publicis lectionibus sacrisque concionibus, traducunt apud populum, deferunt apud Principes. Subornant qui libellis famosis editis proscindant nomen meum, imo ficas & venena minitantur. Neque cuiquam obscurum est quid ausint isti. Non dubitem omnes diras imprecari capiti meo, si quisquam est *Lutheri* tam exiguus libellus, quem totum perlegerim: si in omnibus quæ illi tribuuntur, aut in illius patrocinium circumferuntur, ulla syllaba mea est, aut me volente scripta. Si ullum unquam illius dogma conatus sum defendere. Et quorundam tanta est perversitas, ut ea quoque mihi tribuant, quæ *Lutherus* in conventu Cæsaris agnovit pro suis. Nuper in frequenti convivio, quidam rogavit me, quod esset initium Captivitatis *Babylonicæ*. Ad id respondere mihi sane perquam difficile fuit. De nulla re minus cogitaram. Post roganti cur id quæreret, fassus est quosdam fuisse suspicatos, hoc Opus esse meum, quod initium esset, *Velim nolim*, non admodum abhorrens ab exordio Panegyrici mei, quo *Philippo* ex *Hispaniis* reverso gratulor, qui sic incipit, *Velis nolis*. Bella conjectura. *Aleander* indicavit mihi tribui duos libellos, quorum alteri titulus est *Eubulus*, alteri *Lamentationes Petri*. Emoriar si unquam mihi fuerat auditus titulus, antequam ille protulisset. Priorem necdum quivi nancisci. In altero sic tractor, ut si sciam auctorem, sim illi gratiam non optimam habiturus. Et tamen in hujusmodi libellis vituperari malo quam prædicari. Conantur hoc quidam persuadere, *Lutheranam* pestem ex hisce regionibus esse natam, quo scio nihil esse falsius. Jam quidam male feriati decerpserunt è libris meis, unde *Lutherus* videatur hausisse suorum errorum occasionem. Quin potius ea colligunt ex Euangeliis & Epistolis Apostolorum, ex *Augustino*, *Bernardo*, atque adeo ex ipso *Thoma?* Unde veteres hæretici plerique collegerunt occasionem erroris, nonne è sacris Voluminibus perperam intellectis? Non verebor universam provocare *Germaniam*, & si qui sunt alibi qui *Luthero* favent, si docere possint, *Lutherum* uno verbo per nos fuisse adjutum in omnibus libris, quos hactenus edidit, imo si proferant epistolas, quas his de rebus scripsi etiam tum, quum adhuc spes esset *Lutheri* ingenium & calamum servituram gloriæ *Christi*. Hæ declarabunt me modis omnibus obnixum fuisse ne nasceretur hæc Tragœdia. Tametsi mihi non probabatur omnino quod instituerant adversarii, & multa videbam recipi, quæ præstabat mutari. Amicitiam, quæ mihi cum *Aleandro* jam non nova fuerat, linguæ venenatæ pene diremerant: nam ad has artes ingenium ac mentem habent. Nunc re deprehensa, mutavit animum *Aleander*, sed voces missas magis optat quam potest revocare: proinde, doctissime *Bombasi*, si *Leo* decimus non desit innocentiæ meæ adversus hos Sycophantas impudentissimos, ego pro virili non deero neque sinceritati religionis *Christianæ*, neque ipsius dignitati. Adhuc anceps animi sum an *Basileam* sim aditurus. Jam annos totos illuc eo, sed semper exoritur, quod hic me remoretur. Nunc plane decreveram iter capessere, ut *Basileæ* peractis quæ vellem, *Romam* totus commigrarem, illic quod reliquum est ævi, inter eruditissimos homines, inter locupletissimas bibliothecas transacturus. Jamque iter ingredi cœperam; nam hæc rusticatio æstiva me reddidit aliquanto firmiorem, sed bellum atrox, undique glisens in dies, deterruit. Et tamen adhuc gestit animus, & fortassis audebo jacere aleam, præsertim huc vocante *Aleandro*, cujus consilio in rebus gerendis, non minus tribuo, quam judicio in literis. Interim fruere tuis opibus, ac me sodalem exspecta, si modo tumultus hic Principum conquiescant. Card. *Campegio*, & tuo patrono Card. Sanct. quatuor me diligenter commendabis. Bene vale, patronorum fidissime, & amicorum integerrime. Saluta mihi *Franciscum Chiregatum*. Ex rure *Anderlaco* 23. Septembris, Anno 1521.

## EPISTOLA DXCV.

*Erasmus Roterod. Bernardo Buchoni, Frisio, Decano in Haga Comitis*, S. D.

VIR optime, quum *Lovanii* diu languissem, ac valetudinis recreandæ gratia rus migraturus, sarcinas chartaceas componerem, nihil erat schedarum quod non excusserim, nec tamen occurrit libellus mihi creditus, quem tamen scio me studio sepositse, ut esset in tuto. Nec dubito quin sit, sed in promptu non esse doleo. Quod quidem non raro nobis solet accidere, ut ea maxime pereant, quæ diligentissime cavimus ne perirent. Brevi opinor rursus è rustico fiam urbanus, ac rursus excutiam opes meas. Certè dolerem tibi perire quod amas, quum mihi nulli sit usui futurum. Quod *Frisiorum* natio bonas literas amplectitur, sane novum non est, ut quæ nobis jampridem *Rodolphum Agricolam*, *Langium*, & *Canterios* dederit. Quod homines, opibus ac stemmatis clari, non existimant liberos suos dignos successione rerum ac nominis, ni studiis honestis excoluerint animum, ut novum est, ita vehementer gratulandum est horum temporum felicitati. *Lovanii* cœlum est perquam amœnum, nec usquam studetur quietius. Juventus nusquam magis ardet in bonas literas. Et succedit res multis mira felicitate, frustra reluctantibus veteris insciitiæ mystis. Meum consilium utinam tibi tam felix esse possit, quam ego sedulo cupiam dare. Tantum



Digitized by Google

An. 1521. indicabo nomina, tuus erit delectus. Agit nunc *Lovanii* *Jacobus Ceratinus*, vir utriusque literaturæ pulchre doctus, moribus probis & integris, quod scio te non minus spectare, quam eruditionem. Eum pestis ac bellum, duo maxima vitæ humanæ mala, *Tornaco* expulerunt: nam illic in Collegio linguarum, quod instituit cœpit, profitebatur. Est *Hermannus Westphalus*. Is agit in Collegio *Lilienſi*. Juvenis probus quidem, & undiquaque doctus, sed præcipue indefatigabili diligentia in formanda, curanda, erudienda adolescentia. Est in eodem Collegio *Adrianus Sueſionius*, præter exactam utriusque literaturæ peritiam, & Philosophiæ gnarus, & Juris Cæsarei non ignarus, moribus mire candidis. Est *Rutgerus Reſcius*, *Græca* linguæ professor in Collegio novo, quod instituit *Hieronymus Buſlidius*, qui doctrinam non vulgarem incredibili quadam modestia, planeque pudore quodam virgineo condecorat. Est *Conradus Goclenius*, vir acri judicio, doctrina minime triviali, industria indefatigabili, animo excelso, moribus mira comitate ac jucunditate conditis, fide certissima, rerum etiam communium prudentia valens, quæ fere solet in studiorum cultoribus desiderari. Est *Adrianus Barlandus*, vir nullo fuco, sincerus & amicus, prompta quadam ac pura *Latini* sermonis facilitate; & in hoc genere complures jam annos exercitatus. Est *Melchior Trevir* in Collegio *Caſtrenſi*, moribus inculpatissimis, in Philosophia pene detritus, Theologiæ vetus jam cultor. Sed his dotibus adjunxit utriusque literaturæ non vulgarem peritiam. Est *Lodovicus Vives*, vir undequaque doctissimus. Sed is, opinor, abhorret ab istiusmodi provincia. Sunt autem non ii solum, sed & alii permulti, cæterum mihi non perinde cogniti. Horum, quos recensui, nomine non dubitem fidejubere. Ex his quemcunque delegeris, non male collocaveris amici tui pueros. Eximium *Nicolaum Everardum*, *Hollandiæ* Præsidem, vicissim meis verbis salutabis, quem virum utinam fata nobis quam diutissime servent, Reipublicæ natum, si quis est alius. Scribam illi propediem: nam in præsentia duos onerabam epistolis, alterum qui in *Hiſpaniam*, alterum qui *Romam* transcurrat. Bene vale, vir honorande in Domino. Ex *Anderlaco* 24. Septembris, Anno 1521.

## EPISTOLA DXCVI.

Fabritius Capito Erasmo Rot. undecunque doctissimo, Christianissimoque, *S. P.*

SCRIPSI *nuper satis prolixe, & fortassis varie, de industria. Nam ea nobis cautione opus est inter tot insidias. Exemplum istud tuum est, qui ad me omnia prudenter & circummunite. Quod consilium tuum amplector, ingenium istud referre nequeo. Sum etiam ferme viribus parum integris, & mira occupatione exhaustus, nam aulicus sum.* Lutherani *omnia furiosius, insolentius, arrogantius; mordicus quemlibet arripiunt; cuique in faciem barbara cum impudentia convicianturs; prater se omnia ingenia publice contemnunt. Quibus intercessi pridem, oravi ne impetu in illum modum vehérentur, ne contumelioſe suam causam tuerentur, & imprimis sum obtestatus, abstinerent captare minutias ex auctoribus reprehendendas: nam vehementer æqua hominum judicia ab illis tantum supercilium abalienat. Spero fore, ut honestius deinceps tui mentionem habeant: non est professio, qua te non perstringunt apud suos, & in publicum suæ factionis principem statuunt præpostera ratione. Libere fateor, mihi stomachum concitarunt, gloriæ nominis tui studiosissimo. Modestius tecum, ut dixi, subinde agent, quantum video.* Caroli *Regis sententia olim longe alia erit.* Glapionis *apophthegma comprobo.* Christus *finem indubie faciet his malis. Nam Euangelium dicendum & legendum nemo prohibere poterit; comburendis libris nihil efficitur, nec aliud non pauci exoptant, quam ut se propter veritatem Proceres Ecclesiæ perditos eant, tum ajunt causam suam firmatam: interim vero videri ambiguam, tanquam sine sanguinis testificatione Libelli famosi ex animo displicent: excitabunt semel orbem ad occurrendum, quod nolim cito fieri, ne perperam fiat. De* Caroloſtadio *scimus mutatam sententiam Regis. Ducunt apud nos uxores presbyteri annuentibus Principibus, aut certe dissimulantibus. Meus ille à* Wormatia *reversus recepit sacra legenda. Nuper dixit se intelligere, fidem non vocari in discrimen, sed nummis & potentia deperiturum quippiam; magnificeque se promittit rebus communibus adfore. Atque unus est & Princeps. Multi vero nihil earum rerum intelligunt, quo fit ut atrocius sæviant. Non est dies, quo non instet ..... de te sibi conciliando. Nam subodorat vim latentis veritatis, quam tu primus in lucem eruisti. Scribe semel atque iterum, quid ei faciendum, nam videtur ..... librum ceu aliud affectat modo, tanquam certissimum mali remedium. Intellexit constitutiones pleraſque nimium impudentes, & mutandas curaret, quantum in eo situm esset, modo sic ..... tametsi Princeps est, & insolentissimis adulatoribus obnoxius: præterea educatus, ut solent. Jussit ut excusarem neglectum tui, quod pudori & reverentia tribuit, non insincero animo. Mire timet famosos libellos, quibus tam confirmatur in factionem monachalem, quocirca omnes diligentissime moneo, ei ut parcant. Quod si me ames, obsecro significes, quid me velis conari, dum sic habeam obsequentem Principem, à quo discedam quantocius aperuerit suum erga bona studia iniquiorem animum. Contendam & ipse pro virili in publicum profuisse. Vale,* & Alexandrum *ne lacessas. Devoranda nobis multa videntur. Fata viam invenient. Vale.* 14. *Octobris, Anno* 1521.

## EPISTOLA DXCVII.

*Erasmus Roterod. Staniſlao, Epiſcopo Olmucenſi,* S. D.

MIRO quodam affectu prosequebar germanum tuum *Turzonem* Episcopum *Vratislavienſem*, illius literis amantissimis ad amicitiam provocatus, quum neuter alterum in vita vidisset, imo quum ille nostram imaginem conspexisset in meis lucubrationibus, ac vicissim mihi sui pectoris ideam in unis atque alteris literis expressisset. Quo mihi fuit acerbior ejus viri mors, non tantum ob id, quod ipse tantum patronum & amicum amisissem, etiamsi nullam ego jacturam in rebus humanis graviorem esse judico, quam amici probi, verum multo magis, quod tantum ornamentum Ecclesiæ mors præmatura terris eripuisset. Ut olim πολλοὶ μὲν ναρθηκοφόροι, παῦροι δέτε Βάκχοι, ita hisce temporibus non omnes Episcopi sunt, qui mitras gerunt. Atqui hinc certissima spes est fore, ut floreat *Christi* regnum, quod quotidianis votis ut adveniat optamus omnes, si viri tui similes, non solum majorum imaginibus, verum etiam *Christi* dotibus insignes, admoti gubernaculis Ecclesiæ, quicquid habent vel fortunæ, vel dignitatis, vel ingenii, id omne conferant in commoda gregis concrediti, & in lucrum ejus, cui reddituri sunt omnes rationem. Hunc mœrorem mihi si non ademit, certe leniit tuæ celsitudinis epistola, quæ declarat te velut alterum *Turzonem* doctrinæ morumque similitudine vere germanum, fratri demortuo in *Erasmi* amandi vices successisse. Lætor utcunque sartura damni; sed utinam contigisset eam possessionem longe preciosissimam conduplicari, ut nec tu fratrem optimum desiderares, & ego pro uno patrono duobus fruerer. Primus illius obitum obnunciavit *Bruxellæ Hieroſlaus Laſcanus Polonorum* Legatus: ægre credebam, licet affirmanti. Mox *Zanderus* præpositus *Vratislavienſis* mihi reddidit animum, confirmans se ex amicorum literis certo scire *Turzonem* convaluisse. Sed idem paulo post diversis acceptis literis, ex falso gaudio me in verum ac certum luctum conjecit. Sed hæc est non ignota jam fatorum invidia, quæ pulcherrima quæque tantum ostendunt terris, deterioribus ad tædium usque relictis. Quod operam suam mihi tam propense offert tua benignitas, magis convenit,

An. 1521.

Digitized by Google

Digitized by Google

KONINKLIJKE
BIBLIOTHEEK

Digitized by Google

An. 1521. nit, ut meam tibi offeram, tantulus cliens patrono tanto. Favorem ac ſtudium amplector: quo mihi nunc ſic opus eſt, ut nunquam alias æque, adverſum quoſdam odioſe conjuratos in bonas literas, & repullulare geſtientem veterem illam ac germanam Theologiam. Quorum tanta eſt improbitas, ut me nonnunquam mearum vigiliarum propemodum pœniteat. *Velium*, mihi multis modis optatiſſimum, nondum videre licuit. Is epiſtolam reliquit apud amicos, munuſculum, quod animi in me tui pignus eſſe voluiſti, ipſe traditurus, quum dabitur congredi. Pro ſacris tuis manibus, epiſtolam ſæpius exoſculatus ſum, tua manu, ut teſtaris, deſcriptam. *Chriſtus* Opt. Max. celſitudinem tuam nobis ſervet incolumem. *Baſilea* .... Novembris, Anno 1521.

## EPISTOLA DXCVIII.

*Eraſmus Staniſlao, Epiſcopo Olomucenſi*, S. D.

VIX ſuperiores literas ad te meas obſignaram, *Velius* ad acceptum adventus noſtri rumorem, *Baſileam* revolat, (nam forte *Friburgum* jam commigrarat) munuſculum tuæ celſitudinis exhibet, atque adeo ſic modis omnibus commendat, ut mihi non minus fuerit gratum, quam ſi longe majoris fuiſſet precii. Ipſe *Velius* mihi factus eſt longe charior quam ante fuerat, ex deguſtatis ingenii monumentis, ob incredibilem morum comitatem, quum hoc fere genus hominum ſoleat alienius eſſe à ſenſu communi. Viſus eſt & multo felicior, quam exiſtimaram. Primum ipſe cultus magnificus, ac nitidus, fortunam arguit ſatis lautam. Deinde corporis ſpecies declarat, rara numinis indulgentia, ingenio feliciſſimo domicilium æque felix contigiſſe. Non abs re ille tuam amplitudinem ſic veneratur ac prædicat. Veneratur autem non ſecus ac numen aliquod, prædicat effuſiſſime. Porro quod tu talem virum tam arcte complecteris, tam largiter foves, non minus eſt laudandum judicium tuum, quam benignitas. Proinde non poſſum non utrunque alteri gratulari, tibi talem alumnum ac virtutum tuarum præconem, illi tam egregium *Mecœnatem*. Rurſum valeat tua ſublimitas, cui me modis omnibus commendo. *Baſilea* 22. Novembris, Anno 1521.

## EPISTOLA DXCIX.

*Bilibaldo ſuo Eraſmus* S. D.

ORNATISSIME vir, poſtremæ literæ tuæ mihi redditæ ſunt, confabulanti *Aleandro*. Nam cum forte agebamus *Lovanii* in eodem diverſorio, is mihi ſæpius de te verba fecit, & ita fecit, ut tibi videretur favere. Nam oſtendit diploma, quo liberarer ab iſta moleſtia. Iſta querela, mi *Bilibalde*, tibi cum multis eſt communis. In me non ſimplex exitium moliuntur. Equidem demiror, quis Deus *Lutheri* animum moderatus ſit, ut tot amicis à provocando Pontifice deterrentibus ſemper acerbiora ſcripſerit. Magis autem demiror malitioſum quorundam ſtudium, qui volentes nolentes conati ſunt aliquot in ſuam ſententiam pertrahere: quaſi cuperent perire cum multis. Quid enim aliud quæſiere talibus libellis, quam exitium? Qui ſic ſcribunt, qui ſic minantur, debebant habere paratas copias, ſi voluiſſent eſſe incolumes. Vide vero quantum promoverint. Bonas literas depravarunt invidia, & optimus quiſque, qui maxime favet Euangelicæ veritati, affinis eſt ſuſpicioni periculoſæ. Ingens orbis diſſidium excitatum eſt inter omnes, fortaſſe duraturum in multos annos, & ſemper in pejus progreſſurum. Pro ſiniſtre tentata libertate duplicatur ſervitus: adeo ut ne vera quidem liceat tueri. Porrectum eſt telum ſceleratiſſimis quibuſdam, quo ſe ulciſcantur adverſus optimum quemque. Inuſta eſt non levis nota *Germaniæ*, ut ſolet paucorum temeritas univerſitati imputari. Deſiderabant in nobis prudentiam & conſilium, & qui vel armis ſolemus eſſe formidabiles, contemnimur & à contemptiſſimis, ut qui nec mentem habeamus, nec arma. Nobiles aliquot hic minitantur ſacerdotum opibus, quaſi huc ſpectet finis *Lutheranæ* fabulæ, & ita Collegia omnia conciliant adverſæ parti. In me nihil adhuc tentatum eſt palam, niſi quod *Lovanii* potiſſimum prædicatores quidam me mendaciſſimis concionibus infamant apud populum: apud Principes variis titulis deferunt. Quidam cogunt ut ſcribam adverſus *Lutherum*, cui non eſt otium illum, ut vel legam illius libellos. Nihil ego video melius quam in hac re muſſare. Tibi ſuaſerim, ut pro tua cauſa ſcribas ipſi *Leoni*. Eſt ingenio mitiſſimo, & favet viris eruditis. Apud *Aleandrum* ea de re loquutus ſum, quæ ſint in rem tuam, quæque puto eſſe vera. Bene vale. *Baſilea* 29. Novembris, Anno 1521. Raptim.

In quibuſdam *Germanis*, quibus toto pectore fidebam, minimum reperi fidei.

## EPISTOLA DC.

*Eraſmus Roterod. Andreæ Alciato* S. D.

ERUDITISSIME vir, *Bonifacius Amerbachius*, candidus ac bene vocalis præco laudum tuarum, non tantum ſua prædicatione, quam nunquam de te non honorificentiſſimam facit, verum etiam oſtenſis lucubrationibus tuis, quas habet in deliciis, effecit, ut vehementer ſuſpicere cœperim eruditionem tuam pro modo ætatis pene incredibilem, & mores niveos, omnibuſque Gratiis refertos. *Pyrrhi* noſtri mors mihi fuit acerba. Amabam hominis ingenium ſic ut vix ullius æque: nam mihi cognitus eſt à puero. Et illius gratia magis avebam adire *Mediolanum*, ni ſtolidus *Mavors* tumultu veſano miſceret omnia. Scripſerat enim mihi, ſe neſcio quid habere mearum nugarum, quas ipſe non meminiſſem me ſcripſiſſe. Eas ego certe cupiebam auferre, non ob aliud, niſi ut abolerem. Nam *Germani* quidam ſtultiſſimo conſilio nunc nihil non evulgant, quantumvis lædant hominis famam. Quod ſollicite mones de declamatione tua in literis ad *Bonifacium*, ipſe caveram diligenter, adeo ut nec legendam cuiquam dederim excepto uno amiculo, ſed ſpectatiſſimæ fidei. Quare hac de re in utramvis aurem dormias licebit. Bene vale. *Baſilea* 14. Decemb. Anno 1521.

## EPISTOLA DCI.

*Eraſmus Rot. Matthæo Cardinali Sedunenſi* S. D.

SUMUS utrique in negotio toti. Et utinam proſpere ſuccedat quod agitur. Imo utinam in *Chriſti* gloriam æque cedat quod agimus omnes. *Paraphraſim in Matthæum*, quam te auctore ſuſcepimus, videbis excuſam nundinis proximis, ſi modo *Chriſtus* vitam ſuppeditabit. Adſumus & Novo Teſtamento tertio jam renaſcenti. Video ſeculum hoc eſſe malum & periculoſum. Quid alii moliantur neſcio, certe ego cupiam, ſi liceat, omnibus ſatisfacere. In *Lutherano* negotio fortaſſe plus præſtiti, quam quidam, qui ſe jactant mira præſtitiſſe. Apud nos quædam linguæ, magnæ quidem, ſed nimium faciles, ſparſerunt me *Coryphæum* eſſe *Lutheranæ* factionis; verum ipſa *Germania* multo aliter ſentit, non ſine meo periculo. Ego licet homunculus miſellus & peccator, tamen faveo gloriæ *Chriſti*, & ob hunc iis qui ejus gloriam promovent. Nec opes ambio, nec honores, voluptates multo minus, quas ſcio etiamſi diligerem, mihi brevi relinquendas. Atque utinam per iſtas negotiorum procellas liceat tibi nihil aliud agere, quam quod ſolum erat agendum. Et tamen quantum licet ſcio te favere *Chriſto*, proinde favebis & *Eraſmo*. De Pontifice *Leone* cœpit hic rumor ſpargi, quem plane velim eſſe vanum. *Germania* nos excepit, ut ſolet; nidor hypocauſtorum me propemodum exanimavit. Sanctitatem tuam incolumem ac florentem diu ſervet Dominus *Jeſus*. *Baſilea* 14. Decembris, Anno 1521.

EPI-

Digitized by Google

## EPISTOLA DCII.

*Eraſmus Rot. Polydoro Vergilio* S. D.

An. 1521. OTE hominem inclementem, cui parum eſt viſum quod, [illegible]*uardus Leus* me Novi Teſtamenti recogniti gloria ſpoliaſſet, niſi tu bonam laudis partem ex *Adagiorum* Opere debitæ pergeres adimere. Nam id multis verbis agere videris in præfatione, qua librum ſemi-Paganum ac ſemi-Chriſtianum lectori commendas; cujus ego ſucceſſibus adeo non invideo, ut cum *Joannes Frobenius* ab excudendo vehementer abhorreret, ego compulerim verius quam impulerim, ut Opus quam nitidiſſimis formulis chartiſque daret in lucem. In tantum enim abeſt, mi *Polydore*, ut tuo nomini, tuiſque ſtudiis invideam, ut ob veterem inter nos actam vitæ conſuetudinem, & adamatam ingenii tui feſtivitatem, vix alii faveam æque. Sed inclementius eſt etiam, quod hujus argumenti, primum apud *Latinos* tractati, laudem ſic tibi vendicas, ut mihi coneris cenodoxias ſimul & livoris ſuſpicionem impingere: cum vix alius ſit, qui vel candidius, vel impenſius faveat bonarum literarum cultoribus, à quibus etiam obſcurari voluptati eſt. Adeo non hoc molior, ut cujuſquam officiam nomini. Porro tu mihi ſic charus es, ut haud dubitaturus ſim vel de meo largiri plus gloriæ, quam tu quereris me mihi præter jus vendicare. Cæterum, quod in prima editione, nulla ſit facta *Polydori* mentio, mirum eſſe non debet, cum id temporis nullus adhuc mihi notus eſſet *Polydorus*, præter eum quem in Tragœdiis *Polymneſtor* obtruncat, & auro vi potitur. Atqui hic me putas ἀκκίζειν, negans eſſe veriſimile, quod ajo, cum præfatio *Matthiæ Schurerii* teſtetur, antequam meum *Adagiorum* libellum excuderet, ſe tuum formulis expreſſiſſe. Quid ſcripſerit *Schurerius* neſcio, illud negari non poteſt, libellum *Adagiorum* meum decem annis excuſum fuiſſe *Lutetiæ*, per *Joannem Philippum*, priuſquam *Schurerii* nomen audiſſem. Quanquam quid hoc ad rem pertinet? Etenim cum ille nec tuum libellum primus excuderit, nec meum; nimirum hæc ratio non magis arguit, uter noſtrum alterum præceſſerit, quam juxta proverbium, in albo lapide amuſſis alba. Et tamen cum inter prandendum olim incidiſſet inter nos hac de re cavillatio, demonſtravi, unde poſſes elenchum petere, videlicet inde, unde ipſe me comperiſſem antevertiſſe duntaxat editione. Cum adhuc uterque alteri eſſemus ignoti, jam annis aliquot meus ille, qualis qualis eſt, libellus terebatur ſtudioſæ juventutis manibus, cum me peſtilentia non ſolum *Lutetiæ*, verum etiam *Coloniæ* conſtanter ſæviens, compulit *Lovanium* profugere. A quo quidem loco, tametſi perquam amœno, cur animus meus ceu fatali quodam præſagio ſemper abhorruerit, nunc demum intelligo. Hic *Lucas* quidam *Sauromata*, Theologus, mihi, dum illic agerem, ſatis familiaris congerro, non aliam opinor ob cauſam iniquior noſtris ſtudiis, niſi quod ipſe multis annis parum feliciter laceſſiſſet Muſas iratas, rumorem late ſparſerat, inter combibones ſuos, me corniculæ exemplo conveſtire me plumis alienis, jam olim *Polydorum* quendam eleganter hoc argumentum tractaſſe, me nihil aliud eſſe quam plagiarium, ac ſimium illius. Hæc cum accepiſſem, & quid eſſet rei prorſus ignorarem, dedi negotium juvenibus aliquot, qui librum perquirerent *Vergilii Polydori*. Cum nuſquam proſtaret, nondum enim, opinor, deportatus erat ex *Italia*, tandem mihi caſu repertus eſt in Bibliotheca clariſſimi viri *Hieronymi Buſlidii*; nam is, ut erat omnium librorum emaciſſimus, ex *Italia* ſecum detulerat. Gaviſus inopinata præda, confero diem & annum, quem ex more ſolent annotare typographi: nam meus abſente me excuſus eſt *Lutetiæ*. Eum comperio exiſſe ex officina *Joannis Philippi* Anno M. D. die Junii 15. quemadmodum teſtatur epiſtola *Fauſti*, quam typographus ab illo extorſerat ad Operis commendationem, quam tamen ante librum abſolutum ſcriptam oportuit, tuum exiſſe in *Italia* tribus menſibus ſerius. Quod ſi quis proferat editionem antiquiorem ea, quam nobis dedit *Joannes Philippus*, id quod ſcio neminem facturum, non erit tamen cauſa cur me quiſquam inſimulet furti aut plagii: nam fieri potuit, id quod plane crediderim accidiſſe, ut cum eadem res eodem ferme tempore utrique veniret in mentem, neque tu de *Eraſmo*, neque ego de *Polydoro* ſomniarim. Itaque ſi quid eſt laudis ex invento argumento, uterque ſibi poſſit vindicare, citra alterius injuriam. Hæc quum à me joco dicta ſint in convivio, (nam te plane credebam jocari) tuum erat ſerio conferre primam editionem tui libelli, cum prima mei, priuſquam hac præfatione inſimularet amicum & ſimplicem, & tuo nomini faventem, livoris ſimul & plagii. Sed age, finge tuam editionem antevertiſſe, finge me non latuiſſe, finge me tam avidum gloriæ, ut amicum non verear compilare, quæſo quid laudis erat argumentum inveniſſe? Neque enim nos gignimus proverbia, ſed recenſemus. Artis Medicæ, Aſtrologiæ repertoribus multum gloriæ tribuitur, quantulum autem laudis debetur ei, qui è publicis pratis pauculos floſculos, nulli non obvios, decerpſerit, & in calathum conjecerit? In tractando fortaſſe nonnihil eſt laudis, in colligendo perpuſillum eſt gloriæ. Quod ſi qua eſt, ea *Græcis* debetur, qui multis ante nos ſeculis paroemiologias nobis reliquerunt. Præterea cum tua ex Auctoribus vulgatiſſimis collegiſſes, cur tu mihi potius citandus eras, quam illi è quorum fontibus hauſerant, quos tu potiſſimum ſequeris. *Beroaldum* nuſquam cito, *Politianum* cito, quod is quoſdam Auctores legiſſet, mihi nondum lectos. Jam accipe & aliud argumentum, ſi tua legiſſem, tantus plagiarius nullum tuorum prætermiſiſſem. Nunc in tuis erant quædam non adſpernanda, quæ in meis non erant. Jam vero quod ſcribis me præter multitudinem nihil addidiſſe, non ſatis intelligo, quid ſibi velit: in prima editione enumerabantur adagia ferme octingenta, cum tu citra ducenta conſiſteres: nec unquam auxi minuta illa collectanea, niſi ſemel, anno M. D. VI. cum *Lutetiæ* adornarem iter in *Italiam*. Nam ad preces amici *Badii*, parantis rurſus edere, adjeci proverbiola plus minus viginti, idque ex acervo multorum, quem paraveram in *Venetam* editionem. Ac tua rurſus eodem anno ſunt excuſa *Mediolani* per *Joannem Anglum*. Porro in editione *Aldina*, cum *Chiliadas* aliquot adferam, non video cur debeat contemni multitudo, præſertim in eo argumento, quod potiſſimum conſtat induſtria colligendi, præſertim cum pleraque contraxerim, aut è *Græcorum* fontibus, aut è Scriptoribus, non tam vulgo protritis, quam eſt *Perottus*, aut *Beroaldus*? Cæterum an in tractando, nihilo te ſim ſuperior, alii judicent. Ego cupiam ſic efflorescere literas, ut me à tergo relinquant omnes, non modo *Polydorus*. Verum, hæc cum manifeſtiora ſint, quam ut negari queant, ubinam eſt iſta veritas, quam in præfatione ſcribis procul eminere? quaque fretus boni conſulis, quod ego callidus diſſimulator conatus ſim in gloriæ tuæ poſſeſſionem irrepere? Sic te amo, mi *Polydore*, ſic tuæ gloriæ faveo, ut non graver vel dimidium totius laudis tibi largiri, ſiquidem hoc tibi foret uſque adeo cordi, niſi ſic tibi vindicares, ut nec tu mihi ſis gratiam habiturus, & ego non candidus in amicum, ſed alienæ gloriæ furunculus viderer poſteritati, ſi tamen hæc leget poſteritas. Utinam omnes eruditorum centuriæ ſic faverent Operi tuo, quemadmodum nos favemus. Mihi certe multa arriſerunt, præſertim in Opere *De rerum Inventoribus*. Vel hinc colligas licet, quam non fuerimus iniqui tuo libro. *Frobenium*, ut dictum eſt, abhorrentem ab editione perpuli. Præfationem tuam, qua me ſuggillas, ad me miſerant, velut exſecrandam: remiſi, juſſique, ut bona fide, ſicut abs te fuerat deſcripta, excuderetur: deleverant mentionem *Lei*, quam tu de illo ſane quam honorificam fa-

An. 1521.

Digitized by Google

An. 1521. facis: jussi ut reponerent. Utrum hæc sunt faventis, an non? Non eget tua prudentia meo consilio. Tamen illud tibi suaserim, mi *Polydore*, ut posthac in edendis lucubrationibus tuis *Thomam Morum*, *Cuthertum Tonstallum*, *Thomam Linacrum*, *Guilielmum Latamerum*, homines vere doctos & amicos adhibeas in consilium. Bene vale, doctissime *Polydore*, ac rem literariam strenue adjuva. *Lovanio* 23. Decembris, Anno 1521.

## EPISTOLA DCIII.

*Erasmus Roterod. Theologis Lovanienſibus* S. D.

REVERENDI Patres, ac domini plurimum observandi, quoties considero & ordinis Theologici gravitatem, & meam innocentiam, vel merita potius in sacrarum Literarum cultores, si libet glorioſius aliquid dicere, non libet credere quæ ad me deferuntur. Et tamen deferuntur à tam multis, tamque gravibus viris, ut non possit omnino videri vanum, quod tot ac talium auctorum consensu probatur. Referebat hoc omnium, ut istarum Tragœdiarum, quæ jam annis aliquot inter nos aguntur, magno vestro meoque incommodo, tandem finis aliquis esset. Quid ego promeritus sim vigiliis meis, posteritas æquior judicabit: quid *Lovanii* sim passus à quorundam petulantissimis linguis nulli potest obscurum esse. Nunc audio rursus instaurari Tragœdiam, per quosdam, ducibus & auctoribus *Vincentio* & *Latomo*, quorum alterum male habet epistola ad Cardinalem *Moguntinensem*, in qua videor illi perstringere Ordinem *Dominicalium*: alterum offendit consilium quoddam nullo auctore vulgatum, de componenda Tragœdia *Lutherana*, quod à me profectum esse quidam male suspicaces dictitant. Primum epistola tum scripta, cum nondum, neque vestra condemnatio prodisset, neque Pontificis censura, nihil aliud agit in summa, quam ut *Lutherus* corrigatur potius, quam ut magno orbis tumultu perdatur. Eam epistolam obsignatam miseram ad quendam Cardinalis consiliarium, illi jus faciens redderet si videretur expedire, sin minus, exureret. Is & sero reddidit, & priusquam redderet, excudendam curavit, mutatis etiam verbis aliquot, ut audio. Cum enim ego scripsissem de *Luthero*, ille mutavit de *Luthero* nostro. Quod res tumultuosis clamoribus statim ageretur apud promiscuam multitudinem, neque tum probabam, neque nunc probo. Et hoc plus habet ponderis apud omnes *Parisiensium* censura, quod sero prodierit. Nullum ordinem, nec læsi unquam, nec odi. Malos odi, quacunque veste teganţur. Ut autem ordo sit honestissimus apud omnes, id in ipsis situm est, non in me. Quod si istis cordi est magni fieri apud omnes, eas dotes sibi parent, quæ famam honestam, quæ auctoritatem ac favorem conciliant. Sin intelligunt se minoris fieri quam vellent: ea mutent, unde detrimentum opinionis nasci senserint. Hactenus de epistola. Consilium illud non est à me profectum, sed à *Dominicano* quodam Theologo, non vulgariter erudito. Id cuidam Principi fuit exhibitum, ut expenderetur an placeret, & exhibitum fuit ante vulgatam Captivitatem *Babylonicam*, cum res esset adhuc sanabilior. Id quoque nescio quo casu vulgatum est à *Germanis*, qui haud scio quo consilio nihil non habent palam. Ac mihi quidem tum exhibuit *Dominicanus* ille, qui non negabit esse suum, nec mihi displicuit omnino ut ingenue dicam. Non enim hoc agebat, ut rescinderetur sententia Pontificis, aut vestra, sed ut hominum persuasioni satisfieret, qui clamitabant, & adhuc clamitant, *Lutherum* auctoritate opprimi. Nec læderetur auctoritas Pontificis, si volens aliquid remitteret de sua severitate, ob publicam tranquillitatem. Atque id consilium placuit etiam Regibus, nisi Captivitas, aliique huic similes libelli complurium animos alienassent. In consultationibus liberum est unicuique dicere suam sententiam, opinor. Et pium est tranquillitati publicæ consulere, modo id fiat incolumi Pontificis dignitate. Quod si fas non est, qua fronte, cum *Lutherus* esset *Wormaciæ*, magnis studiis hoc ipsum agebatur per viros laudatissimos, idque cum laude? Ita si meum esset hoc consilium, ut non est, tamen non video cur mihi sit excitanda Tragœdia. Nunc habet auctorem suum, quem non pudebit fateri. Meministis quantum tragœdiarum mihi concitatum sit ex falsissima suspicione, cum primum prodissent Opera *Lutheri* ob præfatiunculam paulo politiorem, cum & verissimum sit & à me crebro testatum, in omnibus illius libris nullam esse syllabam me conscio aut volente scriptam. Imo semper hunc exitum timui, & idcirco modis omnibus conatus sum hominem ab hoc scribendi genere deterrere. Nunc cavendum est prudentiæ vestræ, ne denuo ex suspicione simili lædatis proximum. Homicidii genus est, famam hominis impetere. Quo magis demiror quid sibi proponat *Vincentius*, qui nusquam de me cessat maledicentissime loqui, opportune, importune, lacerare nomen *Erasmi*, lapidare me conviciis. Quod si ego talis essem, qualem ille falso prædicat, tamen tanta linguæ procacitas indecora sit & sacerdoti, & Monacho, & Theologo, pestilens etiam vestræ Academiæ, ne hujus exemplo consuescant & in innoxios sic debacchari. Nec alia re pejus consulere potest Ordini suo. Nam virulentam & impotentem maledicentiam improbant & ii, qui mihi male volunt. Porro eos qui sunt alieni, non alienat à me, qui mihi bene volunt, hos offendit. Sunt autem ubique non pauci qui nobis bene cupiunt, haudquaquam exambitis favoribus, sed utilitate studiorum nobis devincti. Quod si ego velim meo calamo tam insolenter uti, quam ille sua lingua, nonne res in manifestam rabiem exiret? Nonne scandalo essemus & *Christianis*, & *Christiani* nominis hostibus? Sed ille me contemnit, quasi non pluribus nominibus illum vicissim possem contemnere, si contemnere nos invicem esset *Christiani* pectoris. Aut quasi meum sit, digladiari cum talibus, qualis ille est, si res agatur ingenii præsidiis. Quod si certandum sit linguæ virulentia, impudentia, procacitate, facile reperietur mulier aliqua, quæ cum tali hominum genere congrediatur. Sed ut mittamus *Vincentium*, à quo, qualis qualis est, vinci me non patiar, si bonis rebus mecum certet; hoc est, si quid adferat, quod magis conducat ad *Christi* gloriam veramque pietatem: à *Latomo* invitus dissideo, vel ob eruditionem non prorsus adspernandam, vel ob qualecunque commercium cum Musis amœnioribus; & invitus credo, quod tamen à multis audio, præsertim cum à me nunquam sit læsus. Illud nobis vel sero cavendum est, ne mordentes invicem, consumamur alteri ab alteris. Seditiosa nunquam mihi placuerunt. Neque *Reuchlini*, neque *Lutheri* factioni me unquam admiscui, *Christi* gloriæ pro mea virili semper favi. Vestræ Academiæ nihil attuli, neque dedecoris, neque incommodi. *Lutheranis* libellis obstiti plusquam quisquam mortalium: non quod nesciam illum pleraque bene monere, sed quod intelligam satius esse bene tacere quam sinistre tentare remedia. In omnibus, quæ illi sive vere, sive falso inscribuntur, non est ullus apex meus. Libellos maledicos, qui undique provolant, utinam prohibere possem vel mea causa. Nam omnes me gravant invidia, quidam etiam infamant, ac magis lædunt qui laudant, quam qui maledicunt. Illud certissimum est in his omnibus nihil esse meum. Et de quorundam auctoribus est mihi nonnulla suspicio, de pleriſque, nec suspicari possum unde prodierint. Sollicitatus sum à multis etiam magnatibus, ut prodirem in partes *Lutheri*. Sensi & alia quædam, hic non referenda. Rejeci manibus ac pedibus. Ab adversariis præsertim Monachis tam atrociter sum impetitus, ut etiamsi fuissem antea inimicus *Lutheri*, odiis potuerim impelli ut illi adjungerer. Rursus sentio *Lutheri* fautores hoc omnibus studiis egisse, ut technis me pertraherent in hoc certamen, quod si non possent, vi nolentem volentem pertraherent. Nihil horum me dimovere potuit ab instituto meo. Excu-



Digitized by Google

An. 1521. tiantur omnia ſcripta, dicta etiam joco inter pocula effuſa, nihil aliud comperietur, quam mihi diſplicuiſſe ſubitos ac ſeditioſos clamores apud populum, & placuiſſe rem abſque tumultu orbis tranſigi. Si aliis placuit diverſa ratio, precor ut *Chriſto* ſit felix, ſed adhuc qualis ſit futurus exitus neſcio. Si in me ſitum eſſet, cras eſſet hæc ſedata tempeſtas. Si mihi non eſt vobiſcum arcta amicitia, per me non ſtetit. Cœpta erat in *Falcone*, comprobata erat ſuperiorum malorum oblivio, etiamſi quicquid erat malorum, in meum reciderat caput. Nec enim *Joannes Atenſis* ambiſſet concordiam, ni ſibi conſcius fuiſſet, ſe vana ſuſpicione deceptum mihi moviſſe eam tragœdiam. Nec video quid obſtiterit quo minus coaluerit illa pax, niſi quod non eſſet ſatis placatus *Egmondanus*. Nec video cur ille mihi ſit infenſus, niſi quod pro maledictis, quæ in me ingeſſit etiam antequam vidiſſet, non egerim homini gratias. Quod ſi hoc eſt conſilium quorundam, ut me quovis modo petant, animis etiam gladiatoriis ac fictis criminibus, primum videant ne hoc non ſit illis, tam ſecundis ventis ſucceſſurum quam putant, & ſi ſuccedat, videant ne non tam felix futurum ſit quam ſibi pollicentur. Poſtremo ſi decreverunt prorſus abolere *Lutherum*, paulo melius ſuccedet, ſi me non admiſceant. Quicquid tamen molientur alii, me nemo divellet à petra *Chriſti*, nullus involvet ulli factioni. Quod ſi fuiſſem *Lutheranus*, nihil aliud dicam, res illius melius haberent. Sed abſit ut aliud ſim quam *Chriſtianus*. Hactenus in illum non ſcripſi. Verum eſt, ſi non prodeſt mihi metus periculorum, ſi præter alias cauſas innumeras, ocii penuria, ſenectus, corporis imbecillitas, certe proſit imperitia rei Theologicæ, quam iſti mihi ſummam tribuunt, & ego magna ex parte agnoſco. Poſtremo cum tres Academiæ damnarint *Lutherum*, cum ſummus ipſe Pontifex fulmen ſuum in eum torſerit, cum ſuum addiderit Cæſar, quid habitura ſit momenti meæ cenſuræ acceſſio, vermiculi potius quam hominis? præſertim cum undique tam multi prodeant veſtro judicio doctiſſimi, qui ſcribant in *Lutherum*? Et tamen pro mea virili non deero, neque tranquillitati Eccleſiæ Catholicæ, neque veritati Euangelicæ, neque dignitati *Romani* Pontificis, cum licebit. Et fortaſſis plus adferam momenti, quam ii qui putant his tumultibus rem poſſe confici. Illud nobis videndum, ne ſic oderimus *Lutherum*, ut illius odio perdamus & ea quæ ſunt optima: & ita ſerviamus dignitati noſtræ, ut non lædamus auctoritatem Euangelicæ veritatis: & ita faveamus hominum gloriæ, ne quid officiamus gloriæ *Chriſti*. In me interim ſi quid habetis, ne agite conviciis, quemadmodum nuper apud Rectorem *Roſemundanum* egit *Egmondanus*, & nunquam non agit *Vincentius*. Argumentis agite, & ſatisfaciam vobis per omnia. Quod ſi voletis officiis certare, non patiar me vinci. Sin erunt qui malint maleficiis contendere, non contendam quidem in hoc genere vincere, ſed tamen conabor meam innocentiam defendere; nec puto defutura præſidia *Chriſti* ac bonorum virorum. Bene valete, domini reverendi, & fratres in *Chriſto* obſervandi. Ex *Anderlaco*, Anno 1521.

## EPISTOLA DCIV.

*Eraſmus Roterodamus Nicolao Everardo, Hollandiæ Præſidi*, S. D.

Si patriæ pietas apud me parum valeret, tamen vel tui unius charitas me facile poſſet, non dicam in *Hollandiam*, ſed ad quamlibet procul ſemotam pertrahere regionem. Sed jam diu iturientem, ac ſubinde profectionem adornantem, ſemper aliquid exortum novæ remoræ non ſinit hinc avelli. Neque enim conſilium eſt, inſulam iſtam alias adire quam æſtivis menſibus. At æſtas apud vos adeo brevis eſt, ut aliquando nulla ſit, priuſque ſentiamus eam abire quam ſenſerimus adveniſſe. Nunquam æque mihi compertum fuit nos cœlo vivere, potius quam cibis. Totam hanc æſtatem ruſticatus ſum, nec unquam quicquam ceſſit felicius. Tanto redditus ſum vegetior hoc cœlo puriore, ut alium eſſe dicas. Neque tamen minus faveo meæ *Hollandiæ*, quod tam male conveniat cum cœlo. Imo miram quandam animo perſentio voluptatem, quum animadverto illam cæteris rebus uberem, præclaris etiam ac poſteritatis memoria dignis ingeniis diteſcere. Quoties enim illi ſum gratulatus *Martinum Dorpium*, qui noſtratium Theologorum unus, ſcholaſticam Theologiam cum melioris literaturæ peritia, qui ſolidam ſapientiam cum vera eloquentia conjunxiſſet? At his diebus nos inviſit *Hermannus Lethmannus* patria *Gaudanus*, qui, niſi fallor, *Dorpium*, aut æquabit, aut vincet etiam, niſi quod *Dorpius* aſſiduo ſtudio ſeipſum quotidie vincit. *Hermannus* quum antequam ſtadium Theologicum ingrederetur, feliciter eſſet auſpicatus *Græcarum* ac bonarum, ut vocant, literarum notitiam, ita ſe geſſit in hoc curſu *Sorbonicæ* Theologiæ, ut omnium punctis primas meruerit, idque in ea ſchola, quæ ſine controverſia in hoc ſtudiorum genere ſemper primas tenuit. Neque vero tantum eſt inſtructus argutiis illis, quibus in ſcholis velitantur, nihil Conciliorum, nihil hiſtoriarum, nihil veterum Theologorum non excuſſit, atque adeo habet in promptu. Ingenium velox ac rapidum, diſcendi aviditas inexplebilis, judicium præſens & expeditum; quodque in hoc genere rarum eſt, nihil habet arrogantiæ, nihil bilis, nihil ſupercilii. Mira comitas, mira modeſtia. Audit patienter quoslibet. Cedit etiam inferioribus. Plerique ubi metam illam *Sorbonicam* contigerunt, perinde quaſi jam defuncti ſint omni ſtudio, in ocium ſeſe recipiunt, aut neglectis libris, ſacerdotiis accumulandis invigilant. Hic tanta cum laude Thologiæ lauream aſſequutus, tam avide verſatur in evolvendis optimis Auctoribus, quaſi non dimiſſus à ſtudio, ſed nunc demum admiſſus ſit ad ſeria ſtudia. Sic autem amplectitur has humaniores literas, ut ſuæ profeſſionis tamen non ſit deſertor. Proinde me quidem magna quædam ſpes habet, aut hunc, aut neminem fore, qui veterem ac novam eruditionem ſic miſceat ac temperet, ut utriuſque generis ſodalibus abunde ſatisfiat; ſiquidem annum vix attigit trigeſimum. Et eſt corporis valetudo proſpera, quæ hoc magis pollicetur vivacitatem, quod ipſe victus ſit temperatiſſimi: ſi tamen hoc homini perpetuo licebit apud *Hollandos*. Neque dubito quin huic ſimiles complures ſint exorituri, ſi modo hæc regio didicerit habere honorem eximiis ingeniis, & intellexerit, quanto veriorem ac vivaciorem gloriam ſit hinc latura. Non tibi commendo *Hermannum*: non enim dubito quin tibi notior ſit quam mihi, neque me præterit, quo ſtudio ſoleas ejuſmodi proſequi; tantum rogo, ut eum & reliquis *Hollandiæ* noſtræ proceribus commendare ſtudeas. Sic citius ſibi parabit opinionem apud univerſos, ſi primorum ſuffragiis commendabitur, & eorum judicio probabitur, qui apud omnes ſunt probatiſſimi. Ipſe quidem non ambit gloriam, ſed hoc magis promeretur. Et ad publicam utilitatem pertinet, ut de viris optimis optime ſentiat & populus. Satis feliciter ubique gliſcebant bona ſtudia, quamlibet obſtrepentibus ranis, niſi *Lutherana* Tragœdia exorta turbaſſet omnia. Et quaſi hoc parum ſit mali, vereor ne, niſi Deus aliquis ἀπὸ μηχανῆς hos in dies gliſcentes bellorum tumultus componat, non turbentur modo, verum etiam exſtinguantur. Totus orbis *Chriſtianus*, velut in duo diviſus, exitiabili bello inter ſeſe committitur. Duo Principes, ut ſummi ita juvenes, magiſque animi magnitudine feroces, quam uſu rerum callidi, devotis animis, alter in alterius perniciem imminentes, orbem ſecum in fata trahunt, atque interim ô Deum immortalem, ubi *Romani* Pontificis auctoritas? Ea quum quæſtus negotium commendatur, poteſt & angelis & dæmonibus imperare, hic nihil poteſt apud filios ſuos à tam pernicioſo bello coercendos? Ubi nunc

Digitized by Google

An. 1521. nunc isti nimium vocales Eccleſiaſtæ? Hic aut linguam non habent, aut habent adulatricem. Fortaſſis olim dicet *Carolus* noſter, *Non putaram bellum rem eſſe tam peſtiferam.* Sed hoc dictum nimio nobis conſtabit. Cæterum nos his in rebus nihil aliud poſſumus, quam à ſuperis optare meliora. Si noſtra aula decem haberet tui ſimiles, melius cum rebus humanis ageretur. Sed ut ad ſtudiorum cauſam redeam, poſteaquam *Lutheranum* negotium confectum eſt, quod utinam recte confectum ſit, eo redeunt unde cœperant. Palam in concionibus & lectionibus publicis damnant linguas ac politiores literas, in *Eraſmum* nominatim magnis conviciis debacchantur quidam. Nec video profecto, quid ſibi propoſuerint. Etenim ſi hoc agunt, ut populus intelligat in iſtis ordinibus eſſe homines impudenter maledicos, hoc jam perſuaſius eſt populo, quam ut ipſis expediat. Sin illud agunt, ut juvenes à bonis literis alienos, ad ſuæ theologiæ ſtudium allectent, non poterant eos magis deterrere, quam hujuſmodi moribus. *Lutetiæ*, *Cantabrigiæque* ſic floret Theologiæ ſtudium, ut nunquam alias æque. Quid in cauſa? Nimirum quod ſeſe accommodant ſeculo aliò ſe flectenti, quod has meliores literas, vel vi irrumpere conantes, non repellunt ut hoſtes, ſed ut hoſpites comiter amplectuntur. Quod *Lovanii* frigent Theologorum ſcholæ, (nam hoc queruntur quidam) mihi non poſſint imputare, qui neminem unquam verbo ſim dehortatus. Sed paucorum rabioſa pariter atque indocta maledicentia probos animos alienat. Porro quod à paucis fit, omnibus imputat vulgus, quum videat hæc toties tam impune fieri, quum tantas excitarint tragœdias ob unam voculam à *Græca* linguæ Profeſſore dictam, quæ tamen ad nullius contumeliam pertinebat. Vehementer probo, quod maledicis libellis oppoſuerint Cæſaris edictum, etiamſi nullus iſtorum queritur de libellis plus quam famoſis, quos ut audio ſubinde novos *Coloniæ* profert *Pfeffercornus*, neque clam eſt quorum impulſu id faciat. At oportebat eadem opera linguis hujuſmodi, ſceleratioribus etiam quam ſint libelli famoſi, Cæſaris edictum aliquod opponere. Alioqui præclare cum bonis viris agetur, ſi talibus ſcurris, quibus præter impudentiam & linguam maledicam nihil eſt, impune erit publicitus inceſſere famam alienam; & aliis fas non erit libris editis, qua licet, ſuæ famæ patrocinari. Indignantur ſi quis in epiſtola queratur apud amicum, quod ipſi publice deſignant apud populum. Equidem cupiam ſic tueri me ut alios non lædam, ſed ſi quis ſic hominem impetat, ut ſuam vitam tueri non poſſit, niſi vitam adimat impetenti, leges hoc illi imputant qui cauſam dedit. Dices, in jus voca. Quo tandem? Nec Principem, nec Epiſcopum agnoſcunt judicem. Pſeudomonachi, quorum libidine res temperantur, ſic ſe gerunt, ut ab his ſubornari videantur. Priores aut favent, aut in hos jus non habent. Quærendus igitur illorum vicarius, ut vocant. Atque interim is, qui hodie debacchatus eſt apud populum, alibi prandebit. Proinde his rebus freti ſcurræ, nihil non audent. Vix credas, quam his factis ſuis alienant à ſe multitudinem omnem, ſed præcipue primarios cordatoſque viros. Hoc ubi ſentiunt, mihi videlicet imputant malum, quod ipſi ſibi ſuo jumento accerſierunt. Ego tumultus iſtorum vel ridere poſſum, tantum doleo culpa hominum male audire Theologiam, malo fermento vitiari ſtudiorum dulcedinem, ac publicos infici mores. Bene vale, vir ornatiſſime. Ex *Anderlaco*, Anno 1521.

## EPISTOLA DCV.

*Eraſmus Roterod. Guilielmo Budæo* S. D.

CVM proxime *Brugis* eſſem in celeberrimo Cæſaris comitatu, in uno ſaltu multos cepi lepores, ut habet proverbium, hoc eſt, complures amicos eadem opera ſalutavi, ſed imprimis non minus humanum quam magnum, hoc eſt non minus amandum quam reverendum, Cardinalem *Eboracenſem*, quam Regis ſui nomine legatione fungentem *Carolus* noſter plane regia quadam munificentia excepit. Aderant *Cuthbertus Tonſtallus*, *Thomas Morus*, ac *Guilielmus Montjoius*, præter alios in numeros, quos ideo non commemoro, quod ſciam eos tibi adhuc incognitos. *Thomas Morus* magnam ſpem animo conceperat, ut *Caleti* in *Gallica* legatione te complecteretur. Cardinalis adventus hoc nomine mihi fuit jucundior, quod ſperabam fore, ut tumultus ii, qui inter ſummates orbis Principes magno generis humani periculo vertuntur, hujus prudentia atque auctoritate componerentur. Verum, ut nunc res habent, non video quid ſperem, niſi θεός τις ἀπὸ μηχανῆς φαεῖ, noſtra conſilia vertat in melius. Sed hi Regum motus non dirimunt Muſarum fœdera. Sunt quorum rationibus conducit, non optime convenire Cæſari & *Galliarum* Regi. Hi diſſidii ſeminarium ſubjiciunt arte nimirum tyrannica, ut dum nos mutuis diſſenſionibus opes noſtras attenuamus, ipſi ſuam ſtabiliant tyrannidem. Divinas, opinor, quos ſentiam. Utinam hoc provideant utrique Principes, ne poſt emittant vocem illam ſeræ prudentiæ, nimioque emptæ, *Non putaram*. Eſt quod *Moro* gratuleris: nam Rex hunc, nec ambientem, nec flagitantem, munere magnifico honeſtavit, addito ſalario nequaquam pœnitendo: eſt enim Principi ſuo à Theſauris. Ea functio apud *Britannos*, ut eſt ſplendida cum primis atque honorifica, ita non admodum eſt obnoxia, nec invidiæ, nec moleſtis negotiis. Erat competitor, homo ſat gratioſus, qui ſic ambiebat hoc muneris, ut non gravaretur ſuo victu ciboque gerere. At Rex optimus hic certiſſimum in *Morum* favoris argumentum dedit, qui non ambienti ſalarium etiam addere maluerit, quam gratuitum magiſtratum admittere. Nec hoc contentus Princeps benigniſſimus, Equitis aurati dignitatem adjecit. Neque dubitandum eſt, quin illum ſit amplioribus ornamentis aliquando cumulaturus, quum ſeſe offeret occaſio. Siquidem cœlibes evehere longe proclivius eſt Principibus. At *Morus* ſic eſt admixtus ordini conjugum, ut nec uxoris obitu ſit emancipandus. Priorem enim, quam virginem duxerat, extulit, & hanc viduus viduam duxit. Sed hunc Principis animum hoc magis gratulor *Moro*, quod quicquid huic acceſſerit vel auctoritatis vel gratiæ, id exiſtimem bonis ſtudiis accedere. Quibus ille ſic favet, ut ſi pares eſſent animo facultates, non deeſſet apud *Britannos* felicibus ingeniis candidus ac benignus *Mecanas*. Solent aulæ Principum idem facere quod Medici, qui corpus ſibi traditum primum inaniunt, mox implent ac vegetant. Nec dubito quin *Moro* noſtro ſimile quippiam acciderit hactenus. Quid tibi venerit uſu, tute melius noſti. Et tamen illius benignitatem ſenſerunt ingenia, quum adeo non abundaret illi quod largiretur, ut ære gravaretur alieno. Nec hac parte ſolum ornat ſtudia, quod ipſe doctiſſimus candide favet doctis omnibus, verum etiam quod univerſam familiam honeſtiſſimis literarum ſtudiis excolendam curat, novo quidem hactenus exemplo, ſed quod brevi plures, niſi fallor, ſint imitaturi: adeo feliciter ſuccedit. Habet filias tres, quarum maxima natu *Margareta*, jam nupta eſt juveni, primum beato, deinde moribus integerrimis ac modeſtiſſimis, poſtremo non alieno à noſtris ſtudiis. Omnes à teneris annis curavit imbuendas, primum caſtis ac ſanctis moribus, deinde politioribus literis. Filiabus tribus quartam adjunxit puellam, quam benignitatis gratia alit, ut illis ſit ſodalis. Habet privignam mira forma raroque ingenio puellam, annos jam aliquot nuptam, juveni non indocto, ſed cujus moribus nihil ſit magis aureum. Habet filium ex uxore priore, natum annos plus minus tredecim, ex liberis natu minimum. Ante annum viſum eſt *Moro* mihi ſpecimen aliquod exhibere, quantum in literis profeciſſent. Juſſit ut omnes ad me ſcriberent, & quidem ſuo quiſque *Marte*: nec argumentum eſt ſuppeditatum, nec in ſermone quicquam eſt correctum; etenim cum illi ſchedas obtuliſſent patri caſtigandas, ille velut offenſus incommoda ſcriptura, juſſit, ut eadem accuratius ac purius deſcriberent. Id ubi factum eſt, ne



Digitized by Google

An. 1521. syllaba quidem mutata, literas obsignatas ad me misit. Crede mihi, *Budae*, nihil æque sum admiratus. In sensibus nihil erat ineptum, aut puellare: sermo talis, ut sentires esse quotidie proficientium. Hunc chorum amabilem una cum sponsis duobus domi habet. Nullam illic videbis ociosam, nullam ineptiis muliebribus occupatam. Illis *T. Livius* est in manibus. Nam eo progressæ sunt, ut Auctores hujusmodi legant & intelligant citra interpretem, nisi si quod incidat verbum, quod me quoque fortassis, aut mei similem fuerat remoraturum. Uxor, ingenio magis ac rerum usu quam eruditione valens, mira dexteritate moderatur omne collegium, ἐργοδιώκτης cujuspiam vicibus fungens, pensum cuique præscribens atque exigens, neque sinens cessare quenquam, nec frivolis occupari. Soles in literis tuis subinde queri, quod tua causa male audiret philologia, quæ tibi duo mala conciliasset, valetudinis, ac rei familiaris dispendium. At *Morus* hoc agit, ut omnibus nominibus, & apud omnes bene audiat, hoc literis debere se prædicans, quod prosperiore sit valetudine, quod optimo Principi, quod suis & exteris charus & gratiosus, quod re lautiore, quod sibi, quod amicis jucundior, quod patriæ, quod cognatis & affinibus utilior, quod ad aulæ commercium, quod ad procerum convictum, quod ad omnem vitæ consuetudinem accommodatior, denique quod superis gratior. Primum male audiebant studia, quod sensum communem adimerent addicto cultori. Nulla est profectio, nulla negotia tam multa, tam ardua, quæ libellos *Moro* de manibus excutiant, & tamen vix alium reperies, qui magis sit omnibus omnium horarum homo, qui ad obsequium facilior, ad congressus magis obvius, in colloquio magis alacer, quique tantum veræ prudentiæ eum tanta morum suavitate conjunxerit. Quibus rebus factum est, ut quum ante paucos dies literarum amor ad omne vitæ vel præsidium, vel ornamentum haberetur inutilis, nunc nemo pene sit magnatum, qui liberos ut majorum imaginibus dignos agnoscat, nisi bonis literis eruditos. Quin & Monarchis ipsis bona regalium decorum pars abesse videtur, in quibus literarum peritia desideretur. Jam neminem fere mortalium non habebat hæc persuasio, sexui fœminino literas, & ad castitatem & ad famam esse inutiles. Nec ipse quondam prorsus ab hac abhorrui sententia, verum hanc mihi *Morus* penitus excussit animo. Etenim quum duabus rebus potissimum periclitetur puellarum castitas, ocio, ac lascivis lusibus, ab horum utroque literarum arcet amor. Nec alia res melius tuetur famam integram, quam mores incontaminati. Nec ullæ firmius castæ sunt, quam quæ judicio castæ sunt. Neque vero improbo consilium eorum, qui manuariis operis prospiciunt pudicitiæ filiarum. Verum nulla res sic totum puellæ pectus occupat, ut studium. Atque hinc præter hoc fructus quod animus ab ocio pernicioso prohibetur, hauriuntur optima præcepta, quæ mentem ad virtutem & instituant & inflamment. Multis simplicitas & rerum insciția pudicitiæ jacturam attulit, priusquam scirent quibus rebus tantus thesaurus periclitaretur. Neque video cur maritis sit metuendum, ne minus habeant morigeras, si doctas habeant, nisi si qui tales sint, ut ea velint exigere ab uxoribus quæ non sunt exigenda à probis matronis. Imo mea sententia nihil est intractabilius insciția. Certe hoc præstat animus cultura studiorum exercitatus, ut intelligat æquas probasque rationes, videatque quid deceat, quid expediat. Atqui propemodum persuasit, qui rem docuit. Ad hæc quum jucunditas firmitasque conjugii magis ab animorum benevolentia, quam corporum amore proficiscatur, multo tenacioribus vinculis junguntur, quos ingeniorum quoque charitas copulat. Magisque veretur maritum uxor, quem agnoscit & præceptorem. Nec ideo minus habebit pietatis, quia minus habet superstitionis. Equidem malo talentum auri puri, quam tria talenta multo plumbo scoriaque viciata. Audimus passim alias mulierculas sic à concione redeuntes, ut præ-

A

B

C

D

E

F

dicent mirifice fuisse concionatum qui dixit, ac vultum hominis graphice depingunt. Cæterum neque quid dixerit, neque quale sit, quod dixit, recensere possunt. Hæ tibi totam pene concionem ordine referunt non sine delectu; si quid stulte, si quid impie, si quid extra rem effutiit Ecclesiastes, quemadmodum hodie non raro fieri videmus, id norunt vel ridere, vel negligere, vel detestari. Atque hoc demum est, audire sacras conciones. Cum hujusmodi demum vere jucundum est convivere. Plurimum enim ab istis dissentio, qui conjuges non in alium usum habent, quam ad obsequium voluptatis, quam ad rem magis appositæ sunt semifatuæ. Pectus habeat oportet, quæ familiam contineat in officio, quæ liberorum mores fingat ac formet, quæ marito per omnia satisfaciat. Cæterum cum proximo colloquio illud objecissem *Moro*, quod si quid humanitus accideret, fore ut gravius discruciaretur earum desiderio, in quibus instituendis tantum insumpsisset operæ; respondit incunctanter, Si quid acciderit, quod vitari non potest, malim eas mori doctas, quam indoctas. Moxque mihi venit in mentem, *Phocionis*, ni fallor, apophthegma, cui bibituro cicutam cum uxor acclamaret, mi vir, innocens morieris: Quid, inquit, ais, uxor, an me malles nocentem mori? Interim illa cogitatio subiit animum meum, ut vos duos ceu duces quosdam eximios in hoc laudis genere componam, veluti si quis *Camillum* committat cum *Scipione Africano*. Tu & pluribus annis & iniquiore seculo cum literarum hostibus es conflictatus, hoc certe calculo *Moro* superior. Cæterum quod tu in filiis tantum ac fratribus ausus es moliri, hoc ille non dubitat, & in uxoribus & in filiabus facere, fortiter contempta novi exempli invidia. Quo nomine viciſſim ille te præcellit. Tu rursum libris editis utriusque literaturæ proventum magis auxisti quam ille, copiosius etiam, uti nobis pollicemur, in posterum aucturus, si modo cœperis opes tuas è scriniis depromptas in populum elargiri. Quanquam & à *Moro* magnum aliquid exspectat juventus, quod ille multum adhuc absit à senectute, & patrem habet, non minorem arbitror annis octoginta, mire virenti senectute, ut vix alium reperias, qui bellius gestet ætatem. Unde licet & *Moro* longævitatem ominari. Video qua in re plurimum adjumenti possis adferre *Graecanicis* studiis, nimirum si copiosissimo Lexico nobis non tantum recenseas vocabula, verum etiam idiomata, & *Graci* sermonis tropos non quibuslibet notos & obvios explices. Est quidem, fateor, hoc argumentum humilius & infra tuam dignitatem, sed arbitror esse boni viri, publicæ utilitatis gratia semet aliquo usque demittere, quod à sapienti suo exigit *Plato*. *Aleander* jam diu apud nos est, sed hujus hactenus nobis maligna fuit copia, quod sategerit in hoc *Lutherano* negotio, in quo sane fortem ac strenuum virum se præbuit. Hoc ubi defunctus erit, imo quia jam prope defunctus est, licebit aliquoties hominis consuetudine frui, non minus amœna, quam erudita. *Vives* in stadio literario non minus feliciter quam gnaviter decertat, at si satis ingenium hominis novi, non conquiescet, donec omnes à tergo reliquerit. Amo vos omnes, quod *Brixium* vestro consilio viceritis, & illum amo, quod se amicorum judiciis permiserit. *Morus* adeo nihil molietur hostile, ut ne meminerit quidem superioris conflictatiunculæ. Valde mihi placuit, quod ad exemplum tuum, sese bilinguibus epistolis exercet: nec dubito quin illi sit successurum quod tu sane juveniliter, sed felicissime primus es ausus, & apud *Gallos* & hoc seculo. Ejus literis non minus humanis quam eruditis respondebo, si quid dabitur ocii. Hæc scripsimus ex rure *Anderlacensi*, quando tuo exemplo provocati, cœpimus & ipsi rusticari, sed utinam liceat & tuo exemplo ædificare. Utcunque habet, sic mihi succesſit hæc rusticatio, ut posthac singulis annis eam sim repetiturus. Bene vale. *Anderlace*, Anno 1521.

An. 1521.

Epi-

Digitized by Google

## EPISTOLA DCVI.

*Erasmus Roterod. Guilielmo Montjoio* S. D.

An. 1521. QVo sincerior est tuus in nos affectus, vir clarissime, quoque tu nobis es *Mecœnas* amicior, hoc magis doleo, me tibi non esse perinde felicem amicum, quam animi tui candor iste promerebatur. Scribis isthic per nescio quos spargi rumorem, me *Lutheranæ* factionis non solum fautorem, sed adjutorem etiam, ac propemodum auctorem esse: & hortaris ut me purgem, edito adversus *Lutherum* libro. Quod cum non minus impudens mendacium sit, quam si quis dicat *Erasmum* alatum esse, paucis aperiam fontem, unde rumor iste manarit. Sunt hic aliquot mihi plusquam capitaliter infensi, quod linguas ac bonas literas credar in ipsorum regnum invexisse. Hi & antequam *Lutheri* nomen audisset orbis, undique telum aliquod quærebant, quo suum dolorem ulciscerentur. Itaque qui rumorem hunc primi genuerant, nondum sibi persuaserant quod aliis persuadere conati sunt. Iidem *Hieronymum Aleandrum*, Nuncium Apostolicum, hominem apprime doctum, mihique vetere ac jucundissima necessitudine conjunctum, miris mendaciis in me conati sunt irritare. Volitabant libelli nescio qui maledici hinc atque hinc. Horum suspicionem *Germani* quidam ut ab se depellerent, in me derivarunt. Quid multis? persuaserant homini, ut acri simplicique ingenio prædito, ita credulo, me parum amice de ipso & sentire & loqui. Nec defuerunt qui coalescentem amicitiam novis subinde delationibus discinderent. Cæterum hoc habe tibi quovis *Sibylla* folio certius, in omnibus *Lutheri* aut *Lutheranorum* libris, nec unam syllabam esse meam, aut me conscio scriptam. Nec favi, nisi forte favet, qui dehortatur ab instituto: qui pro viribus obstat, ne libri illius exeant in vulgus. Primus enim omnium præsagii futurum, ut hæc res exiret in gravem orbis tumultum. Nec cum *Luthero*, nec cum ullo *Lutherano* fœdus clancularium inii: & adeo non addidi cuiquam animos, ut omnes, quos potui, tum dictis tum scriptis deterruerim ab instituto periculoso. Tantum improbabam quorundam præcipites tumultus, præsertim apud populum, priusquam satis appareret quorsum iret *Lutherus*. Nemo non fatetur disciplinam ecclesiasticam longe prolapsam esse à sinceritate Euangelica, populum *Christianum* multis modis gravatum esse, conscientias hominum variis tricis illaqueatas. His malis *Lutherus* bonis ac doctis videbatur remedium aliquod allaturus. Et passim faventibus omnibus, solus exstiti monitor, ut stylum verteret, ac negotium tractaret Euangelica mansuetudine. Nemo te melius novit, quam mihi semper cordi fuerit pax, quam invisum bellum. Itaque si *Lutherus* omnia vere scripsisset, mihi tamen magnopere displiceret seditiosa libertas. Ego vel falli malim in nonnullis, quam tanto orbis tumultu pro veritate digladiari. Et in hujusmodi contentionibus, post cruentas rixas re discussa, tandem comperitur aliquoties eadem esse partis utriusque sententia, de verbis modo dimicatum fuisse. Euangelicæ doctrinæ, *Christi*que gloriæ semper favi, bonis literis hactenus favi, ut servirent gloriæ *Christi*. Dolebam plus satis tribui Theologiæ argutatrici: veterem prorsus aboleri molestum erat. Hic fuit scopus lucubrationum mearum. Nec hujus instituti me pœnitet. *Lutherum* exoriturum, quî potui divinare, qui meis scriptis abuteretur? Jactant enim illum quædam è meis libris hausisse. At quo pacto queam præstare, ne quis meis scriptis abutatur, cum plurimi sint abusi libris Euangelicis? Et tamen si quis Deus mihi prædixisset, hoc seculum exoriturum, quædam aut non scripsissem, aut aliter scripsissem: non quod pernicioſa scripserim, sed quod non omnia quovis tempore recte dicuntur. Atque ego sane hoc animo sum, ut ne *Turcas* quidem cupiam offendere, si liceat. *Germani* fremunt in me, quod adverser *Luthero*, & isthic, ut video, sum *Lutheranus*? Ita veluti *Mercurius* quispiam versatilis, alius sum hic, alius isthic. Nec technis quorundam, nec pollicitis, nec odiis aliorum unquam perpelli potui, aut potero, ut alius sim quam *Christianus*. Male sit omnibus, qui gaudent dissidiorum vocabulis. Si *Lutheranus* est, qui tuetur quicquid *Lutherus* scripsit, aut scripturus est, quid me dementius, si *Lutheranus* haberi velim, quum illius libros non legam? Aut quid esset causæ, cur me conjiciam in factionem tam periculosam? Risi vero satis censorem istum, qui ex colloquio deprehendit, *Lutherum* nihil aliud esse quam caudicem ac stipitem, omnis Theologiæ rudem. Utinam vir ille tantum haberet moderationis, quantum habet eruditionis Theologicæ. Et utinam tam studuisset concordiæ *Christianæ*, quam se declaravit aliquid posse in sacris Literis. Sed interim ubi judicium illius qui apud vos habetur, & est, rei Theologicæ callentissimus, qui palam in regia pronunciavit *Erasmum* non minore intervallo relinqui à *Luthero* in scientia sacrarum Literarum, quam ille ab *Erasmo* vinceretur eloquentia? Et qua fronte nunc me volunt committere cum *Luthero*, qui hactenus me blaterarunt nihil aliud esse quam Grammatisten? Sed finge, nihil scire *Lutherum*. Quid tum postea? Bellum vero enthymema illius, qui, ut scribis, placido vultu te intuens, subindicavit, si *Lutherus* esset indoctus, à me profectos illius libros. *Germania* tot viris eruditis & eloquentibus abundat, & ego tam longe semotus solus illi adfui scribenti. Quid opus erat ad ista tam stolida respondere? Sed magnates sunt qui ista dicunt. Sed neque stemmata, neque torques addit sapientiam. Præstaret istos in conviviis de venatu loqui, potius quam de his rebus, quas non intelligunt. *Lutherus* suos libros agnovit omnes apud Cæsarem. Ego nihil unquam edidi, cui non apposuerim nominis mei titulum. Nec unquam aliena mihi vendicavi, nec mea titulis alienis suppositi. Ab obscœnitate, à seditione, à periculosa asseveratione semper abstinui, Ecclesiæ judicio mea semper submisi, doctorum hominum consiliis libenter auscultavi, paratus etiam nunc sarcire, si quid offendit doctos & graves viros. Excipio paucos, qui & impotentis odii, & parum integri judicii sui, manifesta dederunt argumenta. Mihi nunquam fuit animus pugnare cum Ecclesiæ primatibus. Si præscribent quæ facient ad gloriam *Christi*, lubentes amplectemur. Sin erit quod nobis merito displiceat, modo ne sit palam impium, tolerabimus. Habent illi dominum suum, cui stant, aut cadunt. Et arbitror fas esse tacere quod verum est, si non sit spes fructus. Sic *Christus* tacuit apud *Herodem*. Nec sum tam temerarius, ut pugnare velim cum edictis summorum Principum, tantillus vermiculus. Si poscent à me consilium, & volent id licere tuto, dabo pro mea simplicitate, si non prudens, certe fidele. Non de nihilo est, quod hic affectus tot gentium animos occupavit, ac subinde repullulat malum. Fortassis magis expedierit, imitari prudentes Medicos, qui saniem omnem repurgant, priusquam vulnus obducant cicatrice, qui è venis ejiciunt morbi materiam, potius quam illos qui febrim vi depellunt mox recursuram. Si non poscent à me consilium, conquiescam, & quatenus licet serviam Euangelico negotio; & si quid secus agetur quam vellem, precabor *Christum*, ut animos illorum vertat ad meliora. Porro quod scribis, mihi in manu esse, totum hunc tumultum componere, utinam vera prædicaret tua celsitudo. Ne exorta quidem fuisset hæc Tragœdia. Clamitant hic mihi non esse calamum. Imo calamus est, sed innumera sunt quæ dehortantur. *Lutherum* vocare fungum, perfacile est; idoneis argumentis tueri causam fidei, mihi certe difficillimum. Et hactenus non admodum succesſit aliis. Et tamen ad hoc negotium lubentius accingerer, si certus essem quosdam, qui sub prætextu fidei mundi causam agunt, usuros sua victoria in rem *Christianæ* religionis. Tametsi hoc animo petemus *Basileam*, ut absolutis quæ sunt in manibus, aliquid moliamur quod conducat huic dissidio sopiendo,

An. 1521. certe teſtemur animum noſtrum. Nec tamen video quorſum attineat me tam arduum ſuſcipere negotium, quum ſint docti, magni, graves, ſumma auctoritate præditi, qui jam provinciam aggreſſi ſunt. Argutum vero lemma proferunt iſti, qui dicunt, *Qui tacet, conſentire videtur*. Si tacent qui non ſcribunt, ingens conſenſus eſt. Et tamen ita tacui, ut *Lutheranos* omnes in me concitarim. Sed ut finiam, optime *Mecænas*, nihil eſt quod dubites de tuo *Eraſmo*, neque pietas, neque religio, neque mores, neque tranquillitas publica, meis literis lædetur. Innocentiam præſtare poſſum, linguas hominum in manu non habeo. Qui talia blaterant reddituri ſunt rationem Deo, vel temeritatis, vel malitiæ. Si hominibus parum approbare poſſum meos conatus, certe confido me *Chriſto* approbaturum. Et ſi hoc ſeculum parum erit gratum laboribus meis, poſteritas erit æquiore judicio. Poſtremo eſt aliquid vel unius *Chriſti* calculum tuliſſe. Hæc ſcripſi raptim ex tempore, forte oblato tabellione. Scribam alias accuratius. Ex *Anderlaco*, Anno 1521.

## EPISTOLA DCVII.

*Eraſmus Rutgero Reſcio ſuo* S. D.

NI tam atrox eſſet contumelia, mi *Reſci* doctiſſime, prorſus auctor tibi futurus ſim, ut vel iniquis conditionibus pacem admitteres. Nunc cum ejuſmodi ſit contumeliæ genus, ut nemo non deteſtaturus ſit, ſi quid ejuſmodi commiſiſſet herus in ſuum mancipium, cujuſmodi malitioſa conſpiratione deſignarunt ii, quorum partes erant omnem injuriam à frugi ſcholaſticis depellere, non auſim, ut facias, ſuadere, quod tamen tuo bono factum eſſe cuperem. Mira vero tyrannis, ipſi quum ne voculæ quidem ullius injuriam ferant, poſtulant, ut tu tam inſignem contumeliam muſſes, ac propemodum etiam ultro veniam poſtules, ne quid ſcilicet illorum decedat dignitati. Res erat digna quæ poſteris innoteſceret. At ego puto generoſius eſſe vindictæ genus, ſi, quemadmodum hactenus feciſti, *Græca* literaturæ profeſſionem, quam maxime cohoneſtes & integerrimis tuis moribus, & docendi vigilantia. Quod ſi non impetras hoc ab animo tuo, ut litem remittas, id quod ego nolim abs te flagitare, quando famæ res agitur, fac ita litiges, quemadmodum hactenus eſt à vobis litigatum. Nam quum proxime eſſem *Lovanii*, ſic obeſulus, rubicundulus & alacer eras, ut mihi lite non macerari, ſed ſaginari videaris. Et habes te dignum adverſarium *Joannem Calabrum* Medicum, qui te pallore macieque refert; excepta ætate adeo tui non diſſimilis, ut periculum ſit, ne cui videaris litigare cum patre. Quanquam vir ille, mea ſententia, non peccavit malitia, ſed obſequio. Bene vale, *Reſci* chariſſime. *Anderlaco*, Anno 1521.

## EPISTOLA DCVIII.

*Lodovico à Prato, Præfecto Gandavenſi, Eraſmus Roterodamus* S. D.

VIR non uno decorum genere clariſſime, quum *Antonius Clava* frequenter ad me ſcribat, nec ullo in argumento illum deſtituat mirabilis illa *Suadela*, quam illi natura inſitam auxit uſus & eruditio: tamen nullam cauſam egit unquam vel ardentius, vel copioſius, quam proximis literis: mecum majorem in modum expoſtulans, quod immemor veteris promiſſi nihil adhuc ſcripſerim celſitudini tuæ, ſic de me meritæ, quotidieque merenti. Facit ille quidem amice, quod exſtimulat ad ſcribendum, tametſi nihil opus erat ſtimulo, ſi per immenſos ſtudiorum labores liceret hac in parte vel animo meo, vel amicorum votis ac meritis reſpondere, ſed amicius erat facturus, ſi argumentum etiam epiſtolæ ſuppeditaſſet. Animum iſtum tuum vere generoſum, ac majorum tuorum clariſſimis imaginibus digniſſimum, & olim in adoleſcente *Lovanii* deguſtaram, & nunc frequenter ex complurium prædicatione diſco. Porro vix quiſquam iſthinc ad nos venit, quin multa memoriter narret, quanto ſtudio, quanta facundia, quantis lateribus paſſim agas cauſam *Eraſmi*. Maximi optimique patroni ſolent in peſſimis adhiberi cauſis, & ingens patronus magno reo conveniebat. Ego vero quum infimæ ſortis ſim, & cauſa ſit adeo bona, ut qui negotium faceſſunt, hoc ipſo nomine multam mihi gratiam debeant, quo me in jus vocant, tamen & adverſariorum improbitas, condenſatæque phalanges, & horum temporum infelicitas, quibus nihil non licet audaciæ, impudentiæ, hypocriſi, quæſtui, ambitioni, adulationi, faciunt, ut magni Proceres humilium clientulorum facillimas cauſas agere cogantur. Olim, ut habent apologi, membra conſpirarant adverſus ventrem: nunc è diverſo ventres adverſus reliquum corpus conjurati bellum gerunt: quibus ſi peſſime velim, nihil magis optarim, quam hanc ipſam, quam habent, mentem. Quo magis iſti blaterant in bonas literas, hoc magis ac magis ubique efflorescunt. Cum *Luthero* nihil unquam mihi fuit negotii, niſi quod eſt cum quovis homine *Chriſtiano*. Hujus cauſam nemo magis ſublevat, quam qui illam omnibus machinis impugnant: ac miris modis dum illum atrociſſime traducunt, & hoſtem commendant affectibus populi, & ſibi conciliant odium. Quod ni *Lutherus* ſe ſuis ipſius talis confoderet, in dies atrociora ſcribendo, plurimum debebat hoſtium ſuorum ſtoliditati. Illud video, ſi *Scyllam* hanc effugerimus, reſtare *Charybdim*, quæ ſemel univerſam *Chriſtiani* populi libertatem abſorbeat. Euangelicæque doctrinæ ſcintillam omnem exſtinguat. Quis enim feret hoc ſtolidum hominum genus, quod hactenus fucis ac malis artibus tyrannidem exercuit in *Chriſti* gregem, quorum gulæ, faſtui, libidini, avaritiæ nihil eſt ſatis? Sed utinam Deus, aut det illis mentem meliorem, aut eos aliquo releget, ne diutius obſtrepant Euangelio *Chriſti*. Nos infracto animo, quod ſemper egimus, agimus, bonis literis ac veræ pietati pro noſtra virili conſulentes, ſic tamen ut odioſis tumultibus nos nequaquam admiſceamus. Prodeſſe cupimus, & præſtat quieſcere, ubi nulla ſpes profectus arridet. Cæterum, ut finiam epiſtolam, ſcito me probe ſcire, quantopere debeam tuo iſti in me animo, declaraturum officia tanta non prorſus penes hominem ingratum & immemorem eſſe depoſita, ſi quando ſeſe dederit opportunitas. *Chriſtus* Optimus Maximus te nobis, tibi animum iſtum quam diutiſſime ſervet. Salutem dices amicis omnibus, nominatim *Antonio Clavæ*, quo nihil candidius, nihil amicius, & *Guilielmo Valo*, plane digno, quem *Guilielmorum* meorum adſcribam catalogo, cui nuper unum detraxit fatorum invidia Cardinalem *Croium*, in quo brevi declaravit fortuna, quid in utramque partem valeat. Vidimus repente ad ſummum dignitatis faſtigium evectum, ac ſubito ceu floſculum *Parcarum* pollice ſucciſum. Bene vale, vir clariſſime. Hæc ex tempore, ne *Clava* rurſus acrius etiam mecum litiget. *Lovanio*, Anno 1521.

## EPISTOLA DCIX.

*Eraſmus Rot. Hermanno Friſio* S. D.

ERUDITISSIME juvenis, oſtendi *Moro* in literis tuis locum, qui ad illum attinebat: ille ſimulatque guſtarat phraſim, totas perlegit, & amare cœpit ingenium tuum. Amo *Brixii* ingenium non vulgariter, phraſim admiror, ſed utinam exerceret utrunque in argumento plauſibiliore. Contemnit, ut ſcribis, ille *Morum*: atqui vereor, ne ſero ſentiat illum ſibi non fuiſſe contemnendum: illud curandum *Brixio*, ita ſtylum temperet, ut non ſolum eruditus, verum etiam vir bonus & æquus habeatur. Conſulat amicos ſuos graves & eruditos, *Budæum*, *Deloinum*, *Ruſeum*, & *Ruellium*, potius quam juvenilem animi impetum. *Brixius* interpretatus eſt dictum, neſcio quod, ex meis ad *Beraldum* ſchedis, quaſi ipſi priores tribuerim in cru-

Digitized by Google

An. 1521. eruditionis laude: nec sum adeo indoctus, nec adeo *Moro* amicus, ut non perspiciam, quid inter eos intersit: imo volebam illum Musarum præsidiis certare, non conviciis. Et confido me hoc à *Moro* impetraturum, ut & ille premat, quæ jam adornavit dentatiora, quam ut vel à *Moro*, vel in *Brixium* scribi velim. Etiam atque etiam te rogo, hortare *Brixium*, ut in alio potius argumento suum ingenium exerceat, ita rectius consulet suæ famæ. Bene vale. Saluta *Beraldum* meo nomine diligenter. *Lovanio*, Anno 1521.

## EPISTOLA DCX.

Joan. Lodovicus Vives Erasmo Roterodamo, præceptori suo, *S. D.*

PROGRESSO *mihi cum Card.* Crojo *ad fines ditionis nostri Principis*, Erasme *mi longe doctissime & optime, libuit proximam ingredi* Franciam, *& parvis pauciscque itineribus* Parrhisios *ire: ut & eos inviserem, qui ex vetere mea familiaritate atque amicitia illic supersunt, & novos mihi adsciscerem amicos, quibus cum præsens verbis conjunctioneque vitæ, & absens suavissime literis oblectarer: illud perincommode rebar accidisse, quod eo tempore adversum pseudodialecticos scripsissem, eosque nominatim* Parrhisienses, *unde non dubitabam, quin multos illius notæ homines, quos modo sophistas appellant, animo parum in me propitio sensurus essem. Verum re ipsa longe aliud sum expertus, quam ipse mihi nimis profecto meticulosa & suspicaci cogitatione confinxeram. Venio* Parrhisios *de via non fessus, sed oblectatus, & amicis per famulum significo me adesse. Convolant ad me frequentes, salutant officiose, gratulantur adventui. Ducunt & illi ad me alios postridie ac reliquis diebus maximi nominis sophistas. Inter colloquendum, ut fit, mentio statim de illorum studiis, mentio de meis. Ego dissimulare sedulo & occultare epistolam ad* Fortem, *& aderat quidem ipse, quam infaustis nimis avibus putabam prodisse mihi. Ibi* Fortis *de epistola ad se mea tacere diutius non potuit. Arrisere omnes, & non solum se illam fassi sunt boni consulere, sed habere quoque mihi gratiam non parvam, quod id opera in ridiculis dementiis confutandis locarim. Ingenia* Parrhisiensium *longe aliter nunc sapere, quam quum ipse ibi studerem philosophiæ. Tametsi nonnulli fabulæ se adhuc & confessui accommodant, nec exsuere omnino vel audent, vel sustinent personam pridem tam favorabilem, & actionem adeo plausibilem: esse inter* Hispanos, *qui sui exemplo magnum ad res meliores momentum afferant:* Joan. Poblationem *totius matheseos esse callentiss. studuisse & politioribus literis feliciter: idem fecisse* Franciscum Mellum, *idem* Gabrielem Aquilinum: *idem se facturum pollicitum esse* Joannem Enzinam *juvenem omnium acerrimum, ut in commentis illis, disputatorem. Mille huic artes, si quis similibus congrediatur armis, impetendi, mille repetendi, totidem evadendi, elabendi, eludendi. Dixerunt multa, vidi ipse plura in* Martino Lusitano *propinquo sui Regis, cujus merita mentio totam sibi epistolam postularet, qui gustato illo sophismatum amarore, ita saporem illum exhorruit, ut nativa huic & vera humana eruditioni se totum tradiderit, ne dicam, an immerserit? hoc credo, quo melius amarorem illum è palato eluere isto dulcore. Magnos habet in istis disciplinis progressus, in quibus quod suspicabatur me aliquid valere, mirum quæ me benevolentia, quo animo, quo favore prosecutus sit. Longum esset enumerare qui homines & quos honores mihi habuerint, ob eandem de ingenio meo opinionem. Nec solum principes nobilesque viri, qui vita ac generi congruas disciplinas suspiciunt, & consectantur, sordes relinquunt sordidis, sed etiam præcipui illius Academiæ Theologi. Vix enim credas quantus sit illorum candor, quanto interpretentur melius omnia, quam multi quos nosti. Ignorant aliquid, dolet hoc eis, scientibus non invident, discentes etiam excitant. Convivatus sum cum istis, & quidem frequenter, & suaviter. Ad mensam tertio verbo serma statim de te varius, multus etiam sub-*



*latis mensis. O mi* Erasme, *dicerem omnia, si patereris te in epistola ad te laudari. Utinam ad alium scriberem. Tacendum itaque erit invito, quid illi dicant de* Hieronymo *tua opera sibiipsi restituto, quid de Novo Testamento sua integritati reddito, labore longe* Christianæ *pietati utiliore, quam quæ sunt intra mille annos in scholis clamata; quantum admirentur* Paraphrases, *id est,* Paulum *apertius divina illa sua eloquentem sensa; quantum* Adagiis, Copia, *& aliis prophanis Operibus tuis delectentur, & proficiant: ut* Moria *sit omnibus in deliciis, neminem offendat, nimirum quod majestas illorum Theologorum durior & fortior est, quam aliorum. O me rusticum & incivilem, quod de his taceam, te durum, qui jubeas! Sed erit locus, in quo non parebo tibi. Illud nunc feres velis nolis, nulla te illos ex parte spectare, unde non occurras summus, admirabilis, absolutus. Possum tibi plures quam decem ex hominibus ordinis illius nominare, qui suam tibi omnem operam, diligentiam, favorem, studium pollicentur, & deferunt: nihil se tua causa non facturos, suas esse tibi apertas domos, si illuc iveris, paratas facultates, familias, opes, amicos. Precantur te, atque hortantur ut pergas, nihil indoctorum obgannitibus expavescens, de* Christiana *religione bene mereri, & in universum de studiis omnibus, se dare operam ne in concertationibus Theologicis nugentur disputantes. Et ita se res habet. Si quis argumentum ad* Sorbonam *afferat de* Suisetiis *contextum araneis, corrugant protinus frontem & reclamant spectatores, atque explosionibus restant, rejiciuntque è schola. Quin & in altercationibus philosophicis, si quis enigmatistes instructus veniat, pronunciato multis syncategorematis onusto, & quod* Ethrusco *indigeat conjectore, re alias mire ad pullatam scholasticorum turbam gratiosa, is nunc clamoribus, sibilis, explosionibus, pertumultuose ex diatribâ ejicitur. Non dubito quin his gaudeas, pro amore in bona studia tuo, qua profecto mihi jucundo fuerunt spectaculo. Quanquam res illa publica nondum potuit genus illud* Sphingum *à se avertere. Et hæc quidem, quæ dixi omnia, pertinent ad oblectamentum, ad voluptatem animi mei, quam cepi* Parrhisiis *non exiguam. Illud certe non ad eam solam, sed ad fructum quoque peregrinationis meæ vel maximum fecit, quod* Budæum *jam olim tuum, nunc meum, imo vero nostrum, videre mihi & alloqui contigerit. Proh* Christe *hominem cujusmodi, sive quis ingenium spectet, sive eruditionem, sive mores, sive, quod postremum in illo homine est, fortunam: quæ quum in eo sit splendidissima, minima tamen, & obscurissima est, si cum magnitudine caterarum dotium claritateque conferatur. Natus est loco nobili in primis, estque in ordine suo honestissima dignitate, ab ultima stirpe gentis ad eum deducta; tum etiam opibus instructus, quæ natalibus non sint pudenda. Caterum hac parte censendus ille non est: nam cetera illa, ut solaria quædam sydera, stellam hanc fortunæ generisque obscurant. Gaudeo me ad te scribere, & de* Budæo: *nam hujus laudes exserta & clara voce prædicant libri, quos edidit, & ipse admirari celebrareque non cessas hominis virtutes, quas malim multo de te audire, quam ipse narrare. Quam multa legit, & quam multum multa? Omnia, quæ in hunc diem scripsit, abunde ostendunt, quum nihil illi sit non lectum, nihil tamen illum legisse nisi accuratissime. Memoriam quis non admiretur? Bibliothecas mediusfidius dicas hominis pectus, non pectus. Ita sunt illi omnia in numerato, historia, fabulæ, antiquitates, res omnes, verba omnia.* Latine *sic scribit, sic loquitur, ut non sit cur magni nominis non haberetur ætate* Ciceronis, *si tunc vixisset.* Græce *vero, ut profiteantur* Græci *ipsi posse ab illo doceri se linguam suam. Philosophiæ quum esse illum peritissimum clamant volumina quinque* De Asse, *tum vero quantum teneat, nemo facile crediderit, nisi qui eum propius spectarit, & ex interiore, quod ajunt, vita norit. Quemadmodum sit in Auctoribus versatus, nolo quisquam sciat me dicente, sed magistris Annotationibus in* Pandectas Juris, *& libris* De Asse. *Quod Opus ejus* Hermolaos *omnes,*

Digitized by Google

An. 1521. *omnes*, Picos, Politianos, Gazas, Vallas, *cunctam* Italiam *pudefecit; ita ut non minus prudenter illud, quam vere scripserit* Tonstallus *homo doctissimus, fore, ut derisui habitus esset* Budæus, *si Opus* De Asse *antequam ederet, professus fuisset se scripturum.* ἐκ τοῦ ἑνὸς ψευδὴς, ὅσις ἐπέγραψε, μιμήσασθαι ταῦτα ῥᾴδιον ἐστιν ἢ μιμήσασθαι. *Quid ego de moribus loquar? Quid non est in eo summum & suspiciendum, facilitas ne, & humanitas, tum etiam æquitas? an pietas in divos & mortales? Aditus patebat homini ad amplissimam fortunam apertissimus, si vel latum unguem sustinuisset ab exactissima illa, & suis omnibus numeris perfecta virtute discedere. Hanc prætulit omnibus fortuna promissis, omnibus blandimentis. Nunquam splendore opum perstrictus ab æquo sanctoque oculos deflexit. Scis tu hæc omnia esse vera, & eloquentia tua non majora illa quam sint, facis, nescio an posses, ita jam ad summam pervenere, sed certe ornas, & sic rem se habere persuades. Diligis tu atque adeo amas* Budæum. *Est tibi unus ille in his Cisalpinis terris, quem perpaucis* Italorum *non præferas. Sic de illo sentis, sic colis, venerarisque ingenium, & studia ejus: ille vicissim te, non quo gratiam referat, sed quod ita sentit, Principem te literarum hujus ætatis prædicat, in fastigio locat eruditionis. Ingenium, doctrinam, monumenta tui religiose colit. Famæ ac nominis tui studiosissimus est. Pergite vos amare mutuo, vos colere, vos admirari. Duo estis corpora, sed in iis unicus est animus. Quo spectaculo potest esse gratius aliquod studiosis omnibus aut jucundius? Nam quod tecum epistolis lusit paulo, ut videbitur forsan iis, qui vos non norunt, acerbius, & contra id, quod vestram amicitiam decebat, multa ut tum ex utroque vestrum, tum etiam ex re ipsa intelligo, in causa fuerunt. Primum quod uterque occasionem quæritabat prolixe ad alterum scribendi, nec semper de laudibus. Nam id perpetuum longumque non potest esse: aut si potest, est tamen suus cujusque rei modus. Quumque eloquentia ipsa sine aliquo velut antagonista jaceat, libuit initio vos levibus quibusdam stimulis invicem pungere. Quid enim est Orator, si vel solus dicat, vel non ab alio sollicitetur, atque excitetur? torpeat necesse est, langueatque.* C. Erucium *scribit* Cicero, *negligentissime* Roscium Amerinum *accusasse, quod neminem suspicaretur fore, qui responderet. Itaque primum de Operibus vestris injecta mentio, campus dicendi non angustus: nam scripsistis plurima, & eruditissima, & quæ sunt in manibus studiosorum omnium frequentia. Dumque alter ab altero cur quicque fecerit rationem posçit, ac uterque consilia scriptionum explicat, leviter vel à se avertit, vel in alterum rejecit, quod alter si non improbabat, certe ita factum esse mirabatur. Hinc prima origo concertationum. Puduit utrunque non approbari alteri, per omnia. Et dum longius repetitis consilia, & consiliorum causas, prodiit tua ad* Fabrum Apologia, *quæ velitationem paulo magis accendit, dum tu* Budæo *nimius videris, aut certe videri fingeris, ne pergas aliis scriptis* Fabrum *impetere, tibi contra nimis quam paucus modicusque existimare. Hinc progressum est ad illa, quæ quidam jam nimia, jam atrocia, & intolerabilia judicarunt, quum tibi, quod unum* Budæus *satis sibi esse putat, nunquam amicitiæ claustra videantur excessisse. Ac ne mihi quidem rem totam attentius perpendenti; nam & libere uterque est locutus, confisus simplicitati amicitiæ: & joci illi, qui extraneis armati ac dentati existimantur, amicis inermes sunt, non vulnerant, non mordent, ac vix etiam pungunt, sed titillant solum. Nam & animus, quo dicebantur, nihil minus cupiebat, quam ledere: & ipsa dicta, si non mel, certe nec fel habebant, sed salem, & lusus, quales ipsa quoque dictat amicitia; etiam non ex vulgari nota, sed ex præcipua illa & germana, cujusmodi inter* Ciceronem & Atticum Brutumque *fuit, qui sese plerunque non absimilibus epistolis lacessebant. Certe de* Budæi *erga te animo, tametsi eum tibi exploratissimum perspectissimumque esse sat scio, tamen nihil non ausim tibi polliceri. Ostendit ille mihi literas ad se à furiis quibusdam, nam sic melius quam homines nominaro) scriptas, qui dividere vestros animos, & ex unico duos facere molirentur, suspiciones afferebant sinistre detortas, & semina jactabant discordiarum ex ipsius* Alectus *sinu petita. Dixi quæ mihi pro tempore videbantur, ut* Budæi *animus, si quid forte ex tanto veneno acerbius concepisset, leniretur, ac placaretur. Sed nihil mea oratione opus erat: nam ille quum erga alios omnes tenacissimus est susceptæ amicitiæ, nec facile ab amicitia etiam lacessitus injuria discedit, tum vero te ita in animo suo amoris ac venerationis radicibus defixit, ut nulla inde vi revelli queas. Spondeo tibi pro illo, ut illi pro te feci, amicitiam vestram perpetuam fore, quæ literis, quæ studiis omnibus haud dubie gratissima semper futura est, ac utilissima. Nec hujusce rei auderem sponsor esse, nisi vos tali prudentia præditos esse scirem, ut rebus ipsis sitis semper magis crediturі, quam rumusculis, quam obtrectatoribus, quam amicis consulentibus, idque pravo aliquo inductis affectu. Sed hæc de rebus satis. Spero vos tam feliciter fausteque fundamenta jecisse vestræ amicitiæ, ut vi sua stet perpetuo, nec dirui aut labefactari machinis ullis possit. Redeo ad peregrinationem meam. Putarunt amici grande piaculum fore, si quindecim dies cessarem à prælegendo, ita mecum agere cœperunt, ut &* Parrhisiis *aliquid clamose nugarer. Placuit. Ac ne quid esset serium, somnium delegimus, in quo si dormitassem, non viderer discedere à decoro. Itaque jacens ac subinde dormiens somnium illis somniavi* Scipionis, *à quo excitatus parabam confestim digressum. Multa me illinc avocabant, sed retinuerunt aliquandiu amici tam veteres quam novi, molestæ officiosi, qui mihi tot convivia, tot comessationibus cruditatem jam pepererant: & fuisset res longius progressa, ni reddita mihi peropportune fuisset à Cardinale epistola, qua subito revocabar. Ea lecta jussi illos cum suis jentaculis, prandiis, merendis, cœnis, cum suis pintulis, & artocreis parvis, magnisque, quam optime valere: dieque postquam illinc discessi quinto, qui divæ Trinitati fuit sacer, perveni* Brugas *essedo vectus, postridie hæc ad te scripsi. Vale etiam atque etiam, & salve, mi præceptor.* Brugis, *Anno* 1521. An. 1521.

## EPISTOLA DCXI.

*Erasmus Roterodamus Joanni Lodovico Vivi* S. D.

SVBTRISTEM me ac lasciulum, mihique non nihil displicentem, tua me mirum in modum exhilaravit epistola, *Lodovice* doctissime, quæ felicissimum istud tuum iter sic depinxit atque ob oculos posuit, ut mihi tecum viderer peregrinari. Næ te prospero quodam sydere natum esse oportuit, cui tam feliciter successerit, quod perfuga velitatus sis in veteres commilitones tuos sophistas, præsertim *Lutetiæ*, ubi quod hujus disciplinæ veluti regnum & arx quædam esse videbatur, periculum erat ne lapidareris, aut crabronum aculeis confodereris. Profecto gratulor publico successui studiorum, sed privatim etiam gratulor Academiæ *Parisiensi*, ob pristinam consuetudinem illic annis aliquot non insuaviter actam. Quid autem posthac non sperandum, posteaquam *Sorbona* spretis leptologiis, solidam ac veram Theologiam amplectitur? Gaudeo revocari Musas, antehac prorsus exsules à publicis Gymnasiis. Quas tamen sic recipi velim, ut barbariem ac frivolas tricas tantum discutiant, non etiam obruant disciplinas cognitu necessarias, atque ad has perdiscendas conducent etiam, tantum abest ut officiant. Neque enim solis bonis literis vacandum, quod quidam apud *Italos* nimis ethnice faciunt, qui posteaquam *Jovem*, *Bacchum*, *Neptunum*, *Cynthium*, *Cyllenium*, versibus aliquot insulserunt, absolute docti sibi videntur. His literis tum demum suus est honos, quum aliis disciplinis gravioribus, veluti condimentum admiscentur. Cæterum illud sæpe mecum admiror, quum omnes ferme totius orbis Academiæ, veluti resipiscentes, ad sobrietatem quandam componant sese, apud solos *Lovanienses* esse, qui tam pertinaciter oblu-

cten-

Digitized by Google

An. 1521. ctentur melioribus literis, præsertim quum nec in hoc sophistico doctrinæ genere magnopere præcellant. Narravit mihi ante annos tres *Joannes* Episcopus *Rossensis*, vir unus vere Episcopus, vere Theologus, in Academia *Cantabrigiensi*, cui Cancellarius est perpetuus, (sic enim illi vocant summum ac perpetuum scholæ antistitem) pro sophisticis argutationibus, nunc sobrias ac sanas inter Theologos disputationes agitari, unde discedunt non solum doctiores, verum etiam meliores. *Oxoniensis* Academia, Monachorum quorundam opera nonnihil obluctata est initio, sed Cardinalis ac Regis auctoritate coerciti sunt, qui tantum bonum clarissimæ ac vetustissimæ scholæ invidebant. De *Italia* quid attinet commemorare, in qua semper regnarunt hæc studia, sed pene sola, si medicinam, & juris peritiam excipias. Academia *Complutensis* non aliunde celebritatem nominis auspicata est, quam à complectendo linguas, ac bonas literas. Cujus præcipuum ornamentum est egregius ille senex, planeque dignus qui multos vincat *Nestoras*, *Antonius Nebrissensis*. In *Germania* tot fere sunt Academiæ, quot oppida. Harum nulla pene est quæ non magnis salariis accersat linguarum professores. *Colonia* nescio quo fato, nunquam in precio fuerunt mansuetiora studia, quod illic, ut audio, regnant examina *Dominicalium* ac *Franciscanorum*. Certe semper liberum fuit cui liberet profiteri, vel mercede. *Lovanii* quibus tumultibus obstitere Proceres, ne quis quamlibet honestam disciplinam profiteretur, vel gratis? Quibus modis conspiratum est adversus rem magno & usui & ornamento futuram, non solum Academiæ, sed toti regioni? Prodita est nova vetus constitutio. Adhibita est totius Academiæ auctoritas, imploratum est præsidium aulæ regiæ. Acciti sunt ad suppetias magistratus prophani. Postremo ad lictores ventum est. Nullus non est motus lapis, nihil intentatum relictum est. Ipse hujus tumultus non tantum testis, sed & pars aliqua fuisti. Nec aliud agebatur tanto rerum molimine, quam ne quis politioribus literis adjuvaret Academiæ studia, præsertim quum & honestissima essent, quæ docebantur, & professores tam sanctis essent moribus, & tam caste profiterentur, ut aliquoties in concionibus audiantur minus ad bonos mores facientia. *Lutetia* licuit *Fausto* profiteri, quoslibet Poetas, usque ad nænias *Priapeas*, idque more, ne quid aliud dicam, *Faustino*. *Lovanii* non licuit *Nesseno* enarrare geographiam *Pomponii Melæ*. *Roma* ipsa, *Mediolanum*, ut de cæteris taceam gymnasiis, ingentibus præmiis ambit & evocat eos qui linguas doceant. Nos trilingue collegium, ex munificentia *Busleidianorum* institutum, non minus utilitatis allaturum omni generi studiorum, quam ornamenti toti huic ditioni Cæsareæ, sic machinis omnibus oppugnavimus, ut majore studio fieri non potuerit. Et tamen haud scio an usquam gentium magis invalescant literæ politiores, quam hic; ut plane mihi videre videar illud *Horatianum*, *Duris ut ilex*, & cætera; nam carmen agnoscis. Porro quod scribis istic plerosque tam magnifice sentire de lucubrationibus meis, equidem ut agnosco candorem *Gallicæ* gentis erga me, ita vereor ne hic sane nonnihil de tuo in me studio sis admensus, metuoque ne quando pœniteat me spretæ *Galliæ*, toties tam magnificis conditionibus ad se provocantis. Sed nescio quibus pedicis hic alligor, atque ab his potissimum retineor, quorum odiis expelli poteram. Non licet arena cedere, nec ullus est pugnarum finis. Nulla me res invitavit, ut *Lovanium* commigrarem, nisi cœlum salubrius, & locus amœnior. Et ad rixas inexplicabiles mihi videor venisse. *Budæum*, quem tu meritissimo magnificis laudibus vehis, soleo nonnunquam & apud *Germanos* meos ad invidiam usque jactare, qui cum negare non possint eum esse summum in omni literarum genere, solent caussificari, summum quidem esse, sed unum. Atqui hoc, inquam, nomine *Gallia* vincit nostram *Germaniam*, quæ nullum habet *Budæo* parem, tametsi permultos habet mediocres, nonnullos supra mediocritatem. Velitationis illius, qua conflictati sumus, jampridem oblitus sum, tantum abest ut commovear. Et erga *Fabrum* eo sum animo, ut ingrata mihi narret, qui secus de illo prædicat, quam dignum est integerrimo doctissimoque viro. Cardinalem *Croium* quum aliis multis de caussis mihi charissimum, hoc etiam nomine amo, quod & te nobis restituerit, & à cruditatis periculo subduxerit. Bene vale, *Lodovice* doctissime, & cura ut te quam primum hic hilarem ac lubentem videamus. *Lovanio*, Anno 1521. An. 1521.

## EPISTOLA DCXII.

*Erasmus Rot. Petro Wichmano, Canonico Anderlacensi, hospiti suo*, S. D.

QVI deplorare solebas fidem misere labefactatam per *Lutheranos*, eidem gratulari debes feliciter revalescenti. In natali divi *Augustini* quidam hic concionatus est; vir ἱεροπρεπῆ cultu spectabilis. Is inter multa, quæ dignitus dixit, mire restituit dignitatem quatuor Ordinum, quos vulgo *Mendicantium* appellant, simulque confessionem, quorum utrunque nonnihil videbatur opera *Lutheranorum* cœpisse labascere. Dignitatem Ordinum sic restituit: *Augustinus*, inquit, *fuit fons ille in paradiso, unde prodierunt quatuor amnes, hoc est, quatuor Ordines Mendicantium, sua doctrina, sanctisque moribus irrigantes & fœcundantes universam superficiem terræ, hoc est, universam ecclesiam.* Si *Christum* dixisset fontem, quatuor fluvios quatuor Euangelia, non omnino fuisset absurda allegoria. Nunc quid *Augustino* cum illis Ordinibus? Porro quod addebat de irrigando fœcundandoque, complures boni viri optabant esse verum, risere permulti Confessionem ita restituit: *Augustinus*, inquit, scripsit multos libros *De confessione*, in quibus confitetur quædam pene frivola, veluti quemadmodum aliquando contemplatus sit, non sine voluptate, araneam venari muscam. Hoc, inquit, arguit nihil esse tam minutum, quin oporteat confiteri. Primum, *Augustinus* illic utitur *Confessionis* vocabulo, ut est anceps, & ad gratiarum actionem, & ad confessionem culpæ. Atque in eo Opere, plus laudis sibi tribuit, quàm agnoscit culpæ. Neque confitetur sacerdoti, sed Deo. Et tamen ille concionator hæc dicens, vulgata voce est usus, quæ populo nihil aliud declarat quam eam confessionem, quam sacramentalem vocant Theologi. Hujusmodi cum multa dicant publicitus apud frequentem multitudinem, mirantur se non haberi pro diis. Tertium fortassis ad me pertinebat, qui in declamatione plus æquo tribuere videor matrimonio. Quidam, inquit, damnant cœlibatum. Imo nisi nos cœlibes fuissemus, jam *Christiana* fides esset exstincta. Olim nemo fere dicebat pro concione, nisi dispositis notariis, qui sermonem exciperent. Quod si fieret hodie, Deus bone, quæ fabulæ nascerentur! Qui talia dicunt in celeberrima civitate *Brugensi*, quæ tot habet eruditos, tot & sine literis felicia sanique judicii ingenia, quid censes eos dicere in pagis, quid in conviviis? O columnas orthodoxæ fidei! Hoc te nescire nolui, ne dicas tibi nihil communicatum eorum quæ hic geruntur, sed plura coram. Bene vale. *Brugis*, Anno 1521.

## EPISTOLA DCXIII.

### IN HILARIVM.

*Erasmus Roterod. Joanni Carondileto, Archiepiscopo Panormitano*, S. D.

NISI prorsus inane nomen fatorum est, Præsulum ornatissime, equidem arbitror hoc mihi prorsus in fatis esse, ut identidem in hoc genus labyrinthos revolvar, unde molestiæ tædiique sit plurimum, gloriæ quam minimum. Etenim quantopere sudandum sit ei, qui vetustos Auctores temporum ac librariorum culpa, sed multo maxime sciolorum, & audaculorum temeri- An. 1522.



Digitized by Google

An. 1522. tate, non uno modo depravatos emendare conatur, ut nemo sentit, ita nemo credit, nisi qui periculum ipse fecerit. Verum, illud mihi magni cujusdam, & excelsi animi videtur, publicitus bene mereri de omnibus, vel citra spem redituræ ad benemerentem gratiæ: porro, excelsioris etiam animi est, planeque *Regium*, ut ait ille, *male audire quum benefeceris*. Quod mihi jam toties usu venisse ferrem iniquiore animo, nisi perspicerem idem, cum omnibus qui sua industria conati sunt insignem utilitatem adferre rebus mortalium, tum ipsi divo *Hieronymo*, quo viro nihil habet orbis *Latinus* vel doctius vel sanctius, accidisse. Plurimum sudoris compereram in emendando *Hieronymo*, sed plus in *Hilario:* cujus talis est sermonis character, ut etiamsi res per se dilucidas tractaret, tamen esset & intellectu difficilis, & depravatu facilis. Nunc quid censes fuisse negotii, quum res non modo difficillimas, verum etiam inexplicabiles, illa sua phrasi differit, verius quam explicat? Et tamen vix in alium Auctorem plus sibi permisit eruditulorum temeritas: idque potissimum in libris *De Trinitate* & *Synodis*, in quibus quoniam tractantur periculosæ de rebus divinis difficultates, oportebat summam adhibere religionem, nec apicem ullum immutare. Siquidem ex collatis variis exemplaribus, deprehendimus alicubi librorum initiis additas præfatiunculas, rursus in fine coronides, in medio pannos assutos, alicubi, quod *Hilarius* suo more fuerat prolocutus, sciolum aliquem absolutius & evidentius conatum explicare. Nonnullis paginis viginti aut triginta versus erant assuti. Jam vero quoties incidebant loca, quæ videbantur ab opinionibus inter orthodoxos receptis dissidere, plus quam viginti locis pharmacum admiscuerant, maxime quoties disputat de doloribus, aut cruciatibus, quibus affectum fuit corpus & anima Domini nostri *Jesu Christi*. Id facit, cum aliis aliquot locis, tum præcipue libro *De Trinitate* decimo, sed ita perplexe, ut aliquoties plane videatur *Christo* tribuere corpus & animam nullis obnoxiam molestis affectionibus. Ad id docendum, quum adhiberet collationem, de telo aquam aut ignem ictu violento penetrante sine vulneris sensu, propterea quod corpus, in quod fit impetus, non sit capax vulneris, etiamsi teli nativa vis est vulnus infligere, de suo parentheſin admiscuit quispiam, si tamen id apte comparabitur. Rursum quum paulo post subjiceret: *Habuerit sane illud Domini corpus doloris nostri naturam, si corpus nostrum id naturæ habet, ut calcet undas, & super fluctus eat*, &c. Nimirum ex hac dissimilitudine colligens *Jesu* corpus etiam in sensu doloris nostris corporibus fuisse dissimile, sic ab illis correcta fuerat scriptura: *Habuerit sane illud Domini corpus* (ex peccato) *doloris nostri naturam, si corpus nostrum id naturæ habet, ut calcet undas* (suapte natura, sine mirabili adjutorio Dei) *& super fluctus eat*, &c. Ac paulo inferius, quum divus *Hilarius* scripsisset: *Et homo ille de Deo est, habens ad patiendum quidem corpus, & passus est, sed naturam non habens ad dolendum:* Sic erat correctus, hoc est, depravatus locus: *Et passus est, sed* (imbecillem ut nostra ex peccato) *naturam non habens ad dolendum*. Aliquanto post, ubi scripserat *Hilarius: Fallitur ergo humanæ existimationis opinio, putans hinc dolere quod patitur*, sic quod scriptum erat emendarant: *Putans hinc* (tanquam in carne peccati) *dolere, quod patitur*. Similiter in calce secundi libri quum hunc in modum esset scriptum: *Hic ergo Spiritus Sanctus expetendus est, promerendus est, ea deinceps præceptorum fide atque observatione retinendus*, intertexuerant, *promerendus est, adorandus est*, veriti nimirum, ne quis suspicaretur illum sensisse Spiritum Sanctum non esse adorandum, quum multis modis doceat Patrem & Filium adorandum, de Spiritu nihil tale pronunciet, videlicet quia non incidit, aut quia nondum hoc id temporis erat exacte definitum. Mirum autem, cur iidem non corruperint & hujus Operis finem, ubi constanter sic scriptum est: *Patrem scilicet te nostrum, Filium tuum una tecum adorem, & Spiritum Sanctum tuum, qui ex te per unigenitum Filium est, promerear*. Nam hic quoque, quum pronunciet Patrem & Filium *adorandum*, Spiritum Sanctum nihil aliud quam *promerendum* dicit. Hoc genus appendices, plus quam triginta locis comperimus additas in *Hilario*, tametsi nos exempli causa unum atque alterum locum duntaxat in medium attulimus, ne molesti simus lectori. Rursus admiror non & illud esse correctum, quod scribit Spiritum Sanctum ex Patre esse per Filium, ac non potius ab utroque proficisci; imo in uno quodam exemplari id correctum comperi, *per eum* mutato in *cum eo*. Quænam est ista temeritas in libris alienis, præsertim Veterum, quorum memoria nobis, ut esse debet, sacrosancta est, quum ipsi absint à periculo, quemvis, utcunque visum fuerit, radere, expungere, addere, demere, mutare, supponere? An hoc agitur, ne quis putet in Veterum libris esse quicquam erroris? Atqui laterem, ut ajunt, laverit, quisquis isthuc conetur. Hanc felicitatem Deus solis divinis Voluminibus peculiarem esse voluit. Alioqui nemo, quantumvis eruditus & oculatus, non labitur, non cæcutit alicubi, videlicet ut omnes se meminerint homines esse, & à nobis cum delectu, cum judicio, simulque cum venia legantur, ut homines. Quod si quid in his occurrerit, quod speciem habet erroris, quum aliud senserit qui scripsit, non erat contaminanda scriptura, sed scholiis adjectis scrupulus amovendus, quod plerisque in locis conatur *Petrus Lombardus*, adducens simul & exponens aliquot locos de dolore ac metu *Christi*, libro *Sententiarum* tertio, distinctione decima quinta. Non fert Epigrammaticus ille Poeta eum, qui velit ingeniosus videri in libro alieno. Quis autem ferat istos, qui tantum sibi sumunt, ut ubiubi lubitum fuerit, pro germana scriptura suos assuant pannos? Civilitatis est, commode quod scriptum est interpretari. Cæterum mutare suo quenque arbitratu, quod scriptum est in Veterum libris, temeritas est, ne dicam impietas. Et tamen hoc factum deprehendimus & in *Ambrosianis* libris, non uno in loco. Si mutata scriptura consulendum est Scriptoris periculo, hoc in recentiorum libris potius fieri conveniebat, quos antiquitas nondum statuit extra judiciorum aleam, nec mors adhuc ab invidia vindicat. Nunc erga Veteres pene superstitiose candidi, in horum libris, qui nostra scribunt ætate, quædam etiam recte scripta depravamus, omnia incommode interpretamur, quasi talis interpres non reperturus sit & in *Paulinis* Epistolis, quod ut erroneum, ut de hæresi suspectum, ut scandalodes, ut irreverentiale possit calumniari. Sed his interim omissis, præstat ut de singulis *Hilarii* Operibus judicium nostrum paucis aperiamus. Duodecim libros *De Trinitate* scripsit exsul in *Phrygia*, quo relegatus erat factione *Saturnini* cujusdam Episcopi *Arelatensis* Imperatore circumvento. Siquidem *Ariana* factio tam late radices egerat, sic invaluerat, ut mundus aliquandiu nutaret anceps, utram in partem sese inclinaret, præsertim quum per *Constantium Augustum*, exsiliis, direptionibus, minis ac terroribus compellerentur accedere partibus *Arianorum*. Qua de re velut indigna queritur apud Cæsarem *Hilarius*, homines novo exemplo cogi ad fidem, magis quam persuaderi: largiens interim illud, quod *Arianorum* fides esset sincera. Quin & ipse locis aliquot testatur se diu siluisse, vel quod in tanto mundi dissidio nonnihil ambigeret etiam illius animus, vel quia quum spes non esset meliorem partem posse vincere, satius esse duceret, silentio consulere quieti, quam intempestiva audacia publicum orbis malum non tollere, sed exacerbare. Videtur autem tota vi adnisus, ut in hoc Opere declararet atque exsereret, quicquid ingenio, quicquid eloquentia, quicquid sacrarum cognitione Literarum posset. Videmus enim hoc ferme, ut egregiis pictoribus ac statuariis, ita claris Scriptoribus studio esse, ut in uno quopiam Opere exactum aliquod & absolu-

Digitized by Google

An. 1522. solutum artis suæ specimen relinquant, unde posteritas æstimare valeat quid præstare potuissent, si summis viribus adniti voluissent. Id affectasse videtur *Virgilius* in opere *Georgicôn*, *Ovidius* in sua *Medea*, *M. Tullius* in libris *De Oratore*, *Augustinus* in *Civitate Dei*, *Hieronymus* in *Commentariis* quibus explicat Prophetas, *Thomas Aquinas* in *materia Eucharistia*, *Bernardus* in *Cantico*. Magis autem ad hunc conatum exstimulamur, si contingat argumentum, non solum amplum, ac magnificum, verum etiam novum, ac non perinde protritum. Siquidem operis amplitudo, præterquam quod capax est magnificæ tractationis, etiam dignitatem ex se præbet, & novitas addit gratiam. Veteres autem parcissime de rebus divinis philosophabantur, neque quicquam audebant de his pronunciare, quod non esset aperte proditum his literis, quarum auctoritas nobis est sacrosancta. Sed huc primum perpulit *Joannem* Euangelistam *Cerinthianorum* & *Ebionitarum* impia temeritas, ut arcana quædam de *Christi* divina natura literis mandaret: post *Arianorum* curiosa subtilitas ad majorem necessitatem adegit orthodoxos, videlicet ut De protensione naturæ divinæ, De super-creatione Filii, De adoptione in nomen Dei, tum autem, σὲ ἐξ ὁμοσίε, καὶ ἐξ ὁμοιοσίε, magnis contentionibus differerent, ac denique definirent. Subinde necessitatem hanc deplorat sanctissimus vir *Hilarius*, haudquaquam ignarus quam periculi plenum sit, quam parum religiosum, de rebus ineffabilibus eloqui, incomprehensibilia scrutari, de longe semotis à captu nostro pronunciare. Sed in hoc pelagus longius etiam provectus est divus *Augustinus*, videlicet felix hominis ingenium, quærendi voluptate, velut aura secundiore, aliunde alio proliciente. Moderatior est & *Petrus Lombardus*, qui sententias alienas recitans, non temere de suo addit: aut si quid addit, timide proponit. Res tandem usque ad impiam audaciam progressa est. Sed Veteribus sit venia, quam precantur, quos huc adegit necessitas. Nobis qua fronte veniam poscemus, qui de rebus longe semotissimis à nostra natura, tot curiosas, ne dicam impias, movemus quæstiones; tam multa definimus, quæ, citra salutis dispendium, vel ignorari poterant, vel in ambiguo relinqui? An non habiturus est consortium cum Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, qui nesciat ad Philosophiæ rationem expedire, quid discernat Patrem à Filio, quid ab utroque Spiritum Sanctum, quid intersit inter Filii nativitatem à Patre, & Spiritus processionem? Si credo quod traditum est, esse tres unius naturæ, quid opus est operosa disputatione? Si non credo, nullis humanis rationibus persuadebitur. Atque hujusmodi periculosa curiositas, fere nobis è Philosophiæ studio nata est: id quod non uno in loco testatur ille inter *Latinos* Theologos multo omnium doctissimus *Tertullianus*, quanquam & ipse Philosophiæ cumprimis callens. *Socrates Atheniensis*, cujus est illud celebratum Apophthegma, *Quæ supra nos, nihil ad nos*, Philosophiam à contemplatione rerum naturalium, in mediam hominum vitam deduxit, frequenter usurpans illud *Homericum*,

Οὔτι νοὶ ἐν μεγάροισι κακὸν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται.

Et tamen de naturis syderum, de motu cœlestium orbium, de fulminibus, de ventis, de iride, deque similibus rebus, quoniam ad id initia cognitionis suppeditant, vel sensus ipsi corporum, vel effectuum experientia, multa certo deprehenduntur, & in primis jucunda cognitio est, & in admirationem simul & amorem opificis subvehit; attamen quoniam vir sapiens animadvertit in hujusmodi studio totam ætatem homines desidere, neglectis interim his quæ propius ad nos pertinent, à contemplatione rerum naturalium omne studium ad mores devocavit. At ea, quæ nos scrutamur, quæ definimus, interdum nec sacris Literis prodita sunt, ut si comprehendi non possint, certe credi debeant: nec ullis rationibus idoneis probari, nec cogitatione concipi, nec similibus adhibitis adumbrari, ut sunt, possunt. In quibus vestigandis, quum à felicissimis ingeniis summa vi diu desudatum fuerit, hic demum est extremus profectus, ut intelligant se nihil scire: & adeo ad vitæ pietatem nihil faciunt, ut nusquam magis habeat locum illud *Pauli*, *Scientia inflat, Charitas ædificat*. Quod supercilium, quas contentiones, quos tumultus, quæ mundi dissidia videmus ex hujus generis inscita scientia scatere? Quumque tam fugax sit vita nostra, interim ea negligimus, sine quibus nulla spes est cuiquam assequendæ salutis. Nisi condonaro fratri quod in me peccavit, mihi non condonabit Deus quod in ipsum admisi. Nisi mundum cor habuero, non videbo Deum. Hoc igitur totis studiis agendum erat, hoc meditandum, hoc urgendum, ut livore, ut invidia, ut odio, ut superbia, ut avaritia, ut libidine purgem animum. Non damnaberis si nescias, utrum Spiritus à Patre & Filio proficiscentis, unicum sit Principium, an duo: sed non effugies exitium, nisi curaris interim habere fructus Spiritus, qui sunt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Ad hæc igitur vertenda est, huc intendenda præcipua studii nostri cura. Non quod in totum damnandam existimem, vel Philosophiæ in tres partes dissectæ, vel rerum ultra-mundanarum vestigationem, modo adsit ingenium felix, & absit definiendi temeritas, absit pervicacia, & concordiæ pestis, vincendi pertinax libido. Summa nostræ religionis pax est & unanimitas. Ea vix constare poterit, nisi de quam potest pauciissimis definiamus, & in multis liberum relinquamus suum cuique judicium; propterea, quod ingens sit rerum plurimarum obscuritas: & hoc morbi fere innatum sit hominum ingeniis, ut cedere nesciant, simulatque res in contentionem vocata est, quæ postquam incaluit, hoc cuique videtur verissimum, quod temere tuendum susceperit. Atque hac in re adeo modum nesciere quidam, ut posteaquam nihil non definierant de rebus divinis, novam etiam in his, qui nihil aliud sunt quam homines, θεότητα commenti sint: quæ quidem plus quæstionum, & atrociores tumultus excitavit orbi, quam olim *Arianorum* temeritas. Sed pudet *Rabinos* quosdam alicubi non habere quod respondeant. Imo hoc demum est eruditionis Theologicæ, nihil ultra quam sacris Literis proditum est, definire: verum, id quod proditum est, bona fide dispensare. Multa problemata nunc rejiciuntur ad Synodum οἰκουμενικὴν, multo magis conveniebat quæstiones ejusmodi in illud rejicere tempus, cum, sublato speculo & ænigmate, videbimus Deum de facie. Sed hæc aliubi forte tempestivius dicentur, nunc ad id, quod erat institutum, revertor. Erat quidem hoc argumentum splendidum inprimis, ac tali tuba dignum: erat novum, quod, nisi fallor, *Hilarius*, *Latinorum* primus, eloquentiæ suæ gladium strinxit in *Arianos*. Ea quoque res illi plurimum famæ conciliavit, præcipue quod res esset cum hoste nobili. Nam non dubito, quin apud *Græcos*, præter *Athanasium*, plures idem fecerint. Sed hoc erat illius ætatis, præter sacras Literas neminem nominatim citare, præsertim si quid hausissent è *Græcorum* fontibus. Id enim veluti suo jure sibi vindicabant. Alioqui mihi candidi pectoris videtur, non dissimulare per quos profeceris. Sic autem moderatur orationem in toto hoc Opere, quasi suapte industria singula eruerit è sacris Voluminibus. Quanquam autem optassem tali ingenio, tali facundiæ, tali pectori, feliciorem magisque frugiferam materiam: tamen hinc quoque non mediocris erit fructus Lectori, quod pleraque loca, quæ multum habebant obscuritatis, apud *Joannem* & *Paulum* explicet, mea sententia, non minus feliciter, quam accurate. Porro, quod *Hieronymus* in epistola quadam ad *Paulinum*, de doctis censuram agens, *Hilarium* scribit *Gallicano* attolli cothurno, cum alioqui *Græcorum* floscu-

An. 1522. tamen in hoc Opere præcipue verum est. Rem enim, ut est probabile, mutuatus à *Græcis*, addidit *Gallicam* grandiloquentiam, quum *Græcis* peculiaris sit erudita simplicitas, & oratio venusta dilucidaque magis arrideat, quam grandis & operosa. Neque raro desidet in locis communibus: quod genus sunt, periculosissimum de rebus divinis verba facere. Deploratum esse, cui pudor est in consilio, ut intellectum etiam errorem pertinaciter tueatur, Scripturam divinam non esse detorquendam ad nostros affectus, sed nostram sententiam ad Scripturæ regulam emendandam. Frequenter autem assurgit ad floridam quandam ac theatricam sublimitatem, præsertim quum incidunt loca, quæ facile splendescunt tractata: veluti, De fabrica universi, De natura corporum cœlestium, De concordi discordia elementorum, De scatebris fontium, De cursu amnium, De vicibus accessus ac recessus maris, De variis terræ fœtibus: neque raro usque ad tragica schemata attollitur, prosopopeias & apostrophas, quibus vel hæreticos, vel Deum ipsum alloquitur. Et haud scio, an hæc grandiloquentia *Gallorum* ingeniis sit peculiaris. Habet hujusmodi quiddam & *Sulpitius Severus*: habet & *Eucherius* etiam hoc elaboratior, sed cura feliciore, si quid tamen ego judico. Nec degenerat ab hac phrasi *Guilhelmus Budæus*, vir inter hujus ævi scriptores celeberrimus: adeo sublimis, ut tubam sonare credas, non hominem: adeo feliciter elaboratus, ut eruditum lectorem nunquam satiet, trivialiter literatos procul submoveat. Porro sermonis obscuritas, tametsi partim inde est, quod frequenter orationem diversis è membris contextam, vix tandem longo circuitu absolvit: tamen illud etiam officit orationis perspicuitati, quod in argumento, per se subtilitatibus involuto, laudem etiam affectavit argutiæ, nonnunquam & copiæ: quod idem in *Asse* fecit *Budæus*. Cæterum hoc incommodi fit levius, si assueveris. Quemadmodum enim quosdam loquentes ægre intelligas, nisi sæpius audieris: & quemadmodum musicæ genus ob hoc ipsum minus delectat, quia novum est, & insolens; ita quoniam suus cuique stylus est, fit assuetudine familiarior, ac proinde jucundior. Siquidem & *Titus Livius*, quo non alius jucundior, ad primum gustum subausterus est. Id autem potissimum evenit in his Auctoribus, in quibus præter id quod quisque suum quendam habet gustum peculiarem, accedit cura, & subtilitatis affectatio. Quales mihi præcipue videntur inter Oratores *Quintilianus*, inter Poetas *Horatius*. Apparet hoc sensisse divum *Hieronymum*, qui in epistola ad *Romanum* Oratorem, scribit hunc in modum: *Hilarius, meorum Confessor temporum & Episcopus, duodecim Quintiliani libros & stylo imitatus est, & numero.* Difficillimum est autem eum, qui vel artis præcepta tradit, vel de rebus natura subtilibus argumentatur, curam expoliendi sermonis cum perspicuitate conjungere. *Quintilianus* præter has difficultates, etiam brevitatem affectavit. Mihi vero, Veterum dictionem veriam consideranti, videtur vix ullos provinciales feliciter reddidisse *Romani* sermonis simplicitatem, præter aliquot, qui *Romæ* à pueris sunt educati. Nam & *Tertulliano*, & *Apulejo*, suus quidam est character, & in decretis *Afrorum*, quæ multa refert *Augustinus* contra *Petilianum* & *Cresconium*, deprehendas anxiam affectationem eloquentiæ, sed sic, ut *Afros* agnoscas. Subobscurus ac submolestus est nonnunquam & *Augustinus*, nec omnino nihil *Africum* habet *Cyprianus*, cæteris licet candidior. Nec mirum si *Gallus* refert *Gallicum* quiddam, si *Pœnus Punicum*, quum in *Livio* nonnullos offendat *Patavinitas*. Fere fit autem, ut major sit affectatio in his qui linguæ cujuspiam municipes sunt, quam qui cives: qui advenæ, quam qui indigenæ. Nimirum hinc est, quod anus illa *Theophrastum* hospitem appellasse legitur, ut nimium *Attice* loquentem. Quanquam mihi quidem videtur divo *Hieronymo* per παρονομασίαν dictus imitatus, qui reddidit, aut expressit. Reddit enim aut exprimit parentem nata proles, potius quam imitatur. Sed natura verius in fœtu, nunc patrem, nunc matrem, nunc avum aut aviam, nunc materteram aut patruum imitatur. Ad hæc, in imitando conatus est, in reddendo effectus. Nec semper reddimus quod imitamur, & nonnunquam imprudentes reddimus aliquid. Alioqui ut forte non ineptum sit æmulari stylum *Quintiliani*, ita superstitiosæ cujusdam diligentiæ merito videatur, præsertim in argumento dissimili, librorum etiam numerum parem affectasse. Cæterum ut in copia dissimilis est *Hilarius Quintiliano*, (nam rem eandem subinde aliis atque aliis verbis repetit & inculcat) ita in ordinis imitanda cura pene anxius est, nec parum temporis consumens in pollicendo quid dicturus sit, & in repetendo quid dixerit, (qua quidem in re similior est *Aristoteli*, quam *Quintiliano*) multum in reperiendis transitionibus, quibus inter se partes concinne contexat: multum in excusando, si quando per occasionem incidens attactum est, quod juxta promissum ordinem alio loco tractari debuerat. Duobus nominibus refert *Plinium*, qui scripsit Historiam mundi: primum, Præfatione tam elaborata: deinde, quod primum librum totius Operis elenchum esse voluit, qui illi, ut apparet, postremo loco scriptus est. Atque hactenus quidem de Opere, cui titulus est, *De Trinitate:* cui succedit liber *De Synodis*, idem argumentum aliter tractans. Refert enim in quibus Episcoporum conventibus damnata sit hæresis *Arianorum*. Hunc scripsit ad *Galliarum* Episcopos, gratulans illis quod in tantis mundi tumultibus ab *Ariana* factione temperassent. Hunc, ut ipse testatur, vertit è *Græco*, sed hac libertate, ut ubique neglectis verbis sententiam modo reddat, &, ubi locus invitat, aliquid de suo admisceat; quam libertatem sibi permittit, & in *Psalmos* scribens, quemadmodum mox suo dicemus loco. Porro, quum hic recitet sententias synodicas, tamen defensionis periculum deprecatur: non perinde, opinor, quod illis, quibus hæc scribebat, diffideret, aut quod quædam non satis approbaret, sed religione quadam asseverandi, quam nos paulatim sic dedidicimus, ut nihil pudeat. Sic enim fere res mortalium à parvis initiis ad majora proficiunt, donec in vitium usque luxurient. Divus *Hilarius* in calce libri duodecimi, nihil audet de Spiritu Sancto pronunciare, nisi quod Spiritus Dei est; nec hoc ausurus, nisi legisset apud *Paulum*: non audet creaturam dicere, quia nusquam legerit in sacris Literis. Hæc professio non satis esset hoc seculo, quia plura nos docuit Veterum necessaria diligentia, sed citra necessitatem nos longius evehimur. Olim fides erat in vita magis quam in articulorum professione. Mox necessitas admonuit, ut articuli præscriberentur, sed pauci, & Apostolicæ sobrietatis. Deinde hæreticorum improbitas adegit ad exactiorem divinorum Voluminum excussionem, pervicacia compulit, ut quædam ex auctoritate Synodorum definirentur. Tandem fidei Symbolum in scriptis potius quam in animis esse cœpit, ac pene tot erant fides, quot homines. Creverunt articuli, sed decrevit sinceritas: efferbuit contentio, refrixit charitas. Doctrina *Christi*, quæ prius nesciebat λογομαχίαν, cœpit à Philosophiæ præsidiis pendere: hic erat primus gradus Ecclesiæ ad deteriora prolabentis. Accreverunt opes, & accessit vis. Porro admixta huic negotio Cæsarum auctoritas, non multum promovit fidei sinceritatem. Tandem res deducta est ad sophisticas contentiones, articulorum myriades proruperunt. Hinc deventum est ad terrores ac minas. Quumque vita nos destituat, quum fides sit in ore magis quam in animo, quum solida illa sacrarum Literarum cognitio nos deficiat; tamen terroribus huc adigimus homines, ut credant quod non credunt, ut ament quod non amant, & intelligant quod non intelligunt. Non potest esse sincerum quod coactum est, nec *Christo* gratum est nisi quod voluntarium. Meminit hujus Operis divus *Hieronymus*, in epistola ad *Florentium*, hisce verbis: *Ex prolixum valde librum*

*De*

Digitized by Google

An. 1522. *De Synodis sancti Hilarii, quem ei apud Treviros manu mea ipse descripseram, ut mihi transferas peto.* Jungitur huic liber, quem scripsit adversus *Constantium Augustum*, *Ariana* factioni faventem: sed hic est, ni fallor, quem scripsit in eum jam vita defunctum. Fortiter enim conviciatur, cum cæteri ad eundem duo, quorum alterum scripsit vivo, alterum etiam porrexisse creditur, blandius loquantur. Meminit hujus rei divus *Hieronymus* in *Catalogo: Est ejus*, inquit, *& ad Constantium libellus, quem viventi Constantinopoli porrexerat. Est alius in Constantium, quem post mortem ejus scripsit.* Hactenus *Hieronymus*. Quod autem durius scripsit in mortuum, pietati datum est: quod blandius egit cum vivo, *Christiana* prudentiæ fuit: quæ mavult mederi malo, si liceat, quam exacerbare. Sed horum librorum mihi nullus videtur haberi perfectus. Quum enim exactum quiddam & operosum polliceantur, non præstant id quod pollicentur, sed veluti subito obticescunt. Ob affinitatem materiæ jungitur his epistola, quam scripsit adversus *Auxentium*, quem *Mediolani* de *Ariana* hæreseos consortio reum peregit: *Auxentii* epistola subnectitur, qua se purgat, *Valentiniano & Valenti Augustis*. In his evolvendis, illud obiter subiit animum meum, fortasse non defuturos, qui mirentur, quod quum tot libris, tanto studio, tantoque molimine, tot argumentis, tot sententiis, tot anathematis agatur, ut credamus Filium esse verum Deum ejusdem essentiæ; sive, ut aliquoties loquitur *Hilarius*, ejusdem generis, aut naturæ cum Patre, quod *Graci* vocant ὁμοούσιον, potentia, sapientia, bonitate, æternitate, immortalitate, cæterisque rebus omnibus parem: de Spiritu Sancto interim vix ulla fiat mentio; cum tota controversia de cognomine veri Dei, de cognomine homusii, de æqualitate, non minus pertineat ad Spiritum, quam ad Filium. Imo nusquam scribit adorandum Spiritum Sanctum, nusquam tribuit Dei vocabulum, nisi quod uno aut altero loco in *Synodis* refert improbatos eos, qui Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum auderent dicere tres Deos: sive quia putarit tum magis patrocinandum Filio, cujus humana natura faciebat, ut difficilius persuaderetur Deum esse, qui idem esset homo: & hunc *Ariani* divinitate spoliare tentabant, quum de Spiritu Sancto nondum esset agitata quæstio: sive hæc Veterum religio fuit, ut licet Deum pie venerarentur, nihil tamen de eo pronunciare auderent, quod non esset aperte traditum in sacris Voluminibus. In quibus ut aliquoties Filio tribuitur Dei cognomen, ita Spiritui Sancto nusquam aperte; etiamsi post orthodoxorum pia curiositas idoneis argumentis comperit è sacris Literis, in Spiritum Sanctum competere quicquid Filio tribuebatur, excepta Personarum proprietate: sed ob impervestigabilem rerum divinarum obscuritatem in nominibus tribuendis erat religio: de re divina nefas esse ducebant aliis verbis loqui, quam sacræ Literæ loquerentur, & publica Ecclesiæ traderet auctoritas. Spiritum Sanctum legerant, Spiritum Dei legerant, Spiritum *Christi* legerant. Didicerant ex Euangelio, Spiritum Sanctum non sejungi à Patre & Filio. Docentur enim Apostoli baptizare in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Servant trium Personarum consortium solennes illæ preculæ, ex antiquissimo Ecclesiæ ritu nobis relictæ, breves juxta ac doctæ, in quibus Pater rogatur per Filium, in unitate Spiritus Sancti. Pater frequentissime Deus vocatur, Filius aliquoties, Spiritus Sanctus exserte nunquam. Atque hæc dixerim, non ut in dubium vocem, quod nobis è divinis Literis Patrum orthodoxorum tradidit auctoritas, sed ut ostendam, quanta fuerit Antiquis religio pronunciandi de rebus divinis, cum sanctius etiam eas colerent, quam nos, qui huc audaciæ prorupimus, ut non vereamur Filio præscribere, quibus modis debuerit honorare matrem suam. Audemus Spiritum Sanctum appellare Deum verum, ex Patre Filioque procedentem, quod Veteres aliquandiu non videntur ausi: sed idem non veremur illum subinde nostris sceleribus ex animi nostri templo deturbare, perinde quasi crederemus Spiritum Sanctum nihil aliud esse quam inane nomen. Quemadmodum plerique Veterum, qui summa pietate colebant Filium, tamen homusion dicere verebantur, quod ea vox nusquam in sacris Literis haberetur. Adeo prior fuit Ecclesiæ profectus in puritate vitæ, quam in exacta cognitione divinitatis; nec unquam plus accepit dispendii, quam quum in eruditione philosophica, demum & in opibus hujus mundi quam maxime promoviisse videbatur: non quod per se malæ sint opes, sed quod plerunque involvant hominem curis hujus mundi. Nec per se mala est eruditio, sed plerunque gignit factiones ac dissidia. Prætexitur fidei catholicæ defensio, & interim admiscent sese affectus privati, & sub *Christi* titulo *Satanæ* negotium agitur. Non quod tale quippiam suspicer de *Hilario*, quale certo comperimus in quibusdam hujus ætatis; sed tamen quum viveret, homo erat: non carebat humanis affectibus: falli poterat, corrumpi poterat. Ejectus erat, ac damnatus erat per *Saturninum*: apud *Phrygas* Barbarie nobiles exsulabat annos aliquot: urgebat modis omnibus *Ariana* factio. Hæc aliaque permulta poterant etiam boni viri affectibus imponere, sub specie pietatis. Non inficior exsectandam hæreticam pervicaciam, si sanari non possit. Sed illud interim cavendum, ne erroris unius odio, devolvamur in alium errorem, eamque servemus animi moderationem, ne simultas nobis persuadeat, esse pravum, quod rectum est; esse dulce, quod amarum est, & contra. Id si nulli fere Veterum non aliqua ex parte accidit, equidem non deprecabor hominis ociosi notam, qui hæc admoneam. *Tertullianus* dum nimis acriter pugnat adversus eos, qui plus satis tribuebant Matrimonio, delatus est in alteram foveam, damnans quod *Christus* approbavit, & exigens quod *Christus* non exegit, sed suasit. *Hieronymus* tanto ardore pugnat adversus eos, qui Matrimonium efferebant, cum injuria Virginitatis, ut ipse sub iniquo Judice vix possit etiam tueri causam, si reus fiat parum reverenter tractati conjugii ac digamiæ. *Montanus* dum ardentius oppugnat illos, qui passim dignis & indignis aperiebant Ecclesiæ fores, plus satis laxata severitate disciplinæ ecclesiasticæ, in diversum incidit malum. Divus *Augustinus* adversus *Pelagium* toto studio dimicans, alicubi minus tribuit libero arbitrio, quam tribuendum putant qui nunc in scholis regnant Theologicis. Possem hujus generis exempla permulta commemorare, etiam ex recentioribus, sed præstat, opinor, in re odiosa non esse admodum copiosum. De *Hilario* nunc agimus, qui tum ob vitæ sanctimoniam, tum ob insignem eruditionem, tum ob eloquentiam admirabilem, ævi sui lumen fuit. Quanto stomacho sævit in *Arianos*, identidem impios, diabolos, blasphemos, satanas, pestes, antichristos eos appellans, jam enim leve est hæretici cognomen? Et tamen probabile est inter *Ariana* factionis homines fuisse, quibus persuasum esset, hoc, quod de *Christo* prædicabant, verum ac pium esse. Dogma magnis ac multis auctoribus nitebatur: suffragabantur in speciem aliquot loca Scripturæ divinæ: nec deerant rationes, quæ nonnullam veri speciem præ se ferrent. Accessit Cæsaris auctoritas, & præter hanc ingens subscribentium numerus, cui merito fuisset accedendum, si semper melior pars esset quæ major. Postremo, certamen erat de rebus longe semotis ab humani ingenii captu. Monendum ac docendum ego censuissem, si quis cum *Ario* sensisset, non autem protinus appellassem satanam aut antichristum. Etenim si hæc torquenda sunt in eum, quisquis errat alicubi, quid faciemus, præter tot egregios Ecclesiæ doctores, ipsi huic *Hilario*, qui tot locis sentire videtur, *Christo* fuisse corpus, quod doloris capax non esset: famem, sitim, lassitudinem, aliasque hoc genus affectiones non fuisse naturales in eo, sed assumptas? Nam hoc plane scripsit exponens Psalmum LXVIII. qui in Synodo pronun-



Digitized by Google

An. 1522. nunciat anathema in illum, qui negaret ſolum Patrem innaſcibilem Deum dici, quaſi Spiritus Sanctus aut Deus non ſit, aut naſcatur & ipſe à Patre. Ac ne quis cauſetur in Synodis *Hilarium* recitatorem eſſe tantum ſententiarum, non etiam auctorem, dicit eadem ſuo nomine libro *De Trinitate* XII. aſſeverans ſolum Patrem Deum innaſcibilem eſſe: ſolum Filium genitum, non creatum: Spiritum Sanctum ſic proficiſci ab utroque, ut nec natus dici poſſit, nec tamen admittendus ſit in nominis conſortium: quod quidam Filio tribuebant, creaturam illum appellantes, cum nos non minus exſecremur creaturæ nomen in Spiritu Sancto, quam in Patre aut in Filio. Et quum alias, tum libro *De Trinitate* octavo, magna contentione defendit, nos quoque cum Filio & Patre unum eſſe natura, non adoptione, neque conſenſu tantum. Rurſus ejus Operis libro tertio, ſed magis libro decimo, ſic loquitur de corpore *Chriſti*, ut ſentire videatur *Mariam* Virginem præter concipiendi, geſtandi, & pariendi miniſterium, nihil addidiſſe de ſuo, quum orthodoxi credant *Chriſtum* ex opificio quidem Spiritus, ſed ex ſubſtantia virginei corporis conceptum. Quin & alia loca ſunt, quæ civilem & commodum requirant interpretem. Quam autem legem in ſe ſtatuit, qui ſic ſævit in alios? Hæc nequaquam ideo nobis dicuntur, ut ſanctiſſimi doctiſſimique viri gloriam obſcuremus, famamque ſuggillemus, ſed ut hujus temporis Epiſcopos ac Theologos admoneamus, ne quid tale ſinant ipſis ſubrepere, quale videmus ſummis alioqui viris accidiſſe. Primum, Euangelicæ ſimplicitatis eſt, fratrum facta ſcriptaque candide interpretari: deinde, ſi quis lapſus eſt qui diſſimulari non poteſt, non illico ſæviendum in eum qui lapſus eſt, quum nemo non labatur, ſed adnitendum, ut homine ſalvo tollatur error: denique, ſic eſt admonendus proximus, quemadmodum nos admoneri cuperemus, ſi quid accidiſſet humanitus. Nunc videmus quoſdam, qui in alienis libris nihil non calumniantur, qui rabie quadam deſæviunt in famam proximi, quum in ipſorum libris reperiantur manifeſtæ blaſphemiæ in *Chriſtum*. Sit hoc vanum, niſi reipſa doceam in libellis quorundam, qui jam annis aliquot hinc atque hinc multi provolarunt, Pontificiæ majeſtatis περιφρονήσει, eſſe quædam, quæ dum impenſe tuentur hominis dignitatem, apertam habent contumeliam in *Chriſtum*. Hoc niſi res evicerit ipſa, ſim ego vanus auctor. Non damno ſtudium illorum, qui ſobrie defendunt Pontificis auctoritatem, adverſus quorundam ſeditioſam petulantiam: tametſi magis optarim ſic efflorescere *Chriſti* gloriam, ut totius mundi gloriam obſcuret, etiam, ſi fieri poſſit, *Petri* & *Pauli*, non modo *Romani* Pontificis. Sic enim obſcurati, vere fuerimus glorioſi, ſi nos ex nobis nihil eſſemus, ſed *Chriſtus* eſſet omnia in omnibus. De paucis interim loquor, qui dum immodice ſtudent homini ſuam aſſerere dignitatem, non ſatis conſuluerunt dignitati *Chriſti*, cui ſoli debetur omnis dignitas. In his quum ſibi ignoſcant *Mevii*, tam feroces, tam immites, tam iniqui ſunt adverſus alios. Quod illic judicium eſſe poteſt, ubi tam impotens eſt odium? Semper quidem ventilandus eſt gladius ſermonis Euangelici adverſus omnes errores impios, & omni, quod ajunt, pede ſtandum adverſus hæreſes ſuppullulantes: ſed illam oportet primam eſſe curam ne reperiatur in nobis, quod in aliis inſectamur: deinde, ne corrupti privatis affectibus, quod bonum eſt, dicamus malum: quod dulce, amarum: quod lucidum, tenebroſum. Eſt enim hoc pertinaciæ pleriſque mortalium ingeniis inſitum, ut quod ſemel, quocunque caſu pronunciaverint, nunquam tueri deſinant, etiamſi compererint ſeſe perperam pronunciaſſe. Primum pudor obſtat, is per contentionem proficit in pervicaciam, pervicacia tandem exit in rabiem: ita fit, ut dum utrinque crudeſcit pugna, utrinque veritas amittatur. Schiſmaticus error dicitur, ſi quis Pontifici *Romano* nonnihil detrahat auctoritatis. Cæterum cur nemo commovetur, quum huic quidam plus nimio tribuunt, inſigniter impudentes, & turpiter adulantes? Si diſplicet falſitas, cur non ubique diſplicet? Denique cur aſſeverans Virginem matrem immunem à peccato originis, apud *Dominicales* hæreticus eſt, apud *Scotiſtas* orthodoxus? An non hæc palam teſtantur corruptum judicium? An iſtud eſt ſermonem divinum ὀρθοτομεῖν; nam verbo *Paulino* libenter utimur. Sit igitur purus ac ſimplex ejus oculus, qui parat ex oculo fratris feſtucam ejicere, ſemperque nobis ob oculos verſetur illius lenitas, qui quum ſolus omnium vacaret omni errore, tamen non exſtinguit linum fumigans, nec baculum fractum comminuit. Sed hæc quoque tempeſtivius alias differentur. Proximus his locus habet Commentarios in *Matthæum*, ſic enim appellat *Hieronymus*; alii Canonem appellare maluerunt, ob id, opinor, quod carptim titulos aliquot exponat. Nec dubito quin hoc Opus verterit ex *Origene*, adeo per omnia ſapit *Origenis* & ingenium & phraſim. Quum enim illic multa præclara doceat, quæ plane clamitant auctorem ad unguem abſolutum in divinis Literis, tamen aliquoties in allegoriis ſuperſtitioſior eſt, interim & violentior, nimium in hoc intentus, ut deſtruat hiſtoricum ſenſum, quaſi locus non ſit allegoriæ, illo incolumi. Nonnunquam in connectendo (nam & in hoc occupatus eſt) videtur aliquoties ingenio luſiſſe potius quam rem ſeriam tractaſſe. Videmus autem inter innumeras dotes, hoc vitii *Origeni* fere in omnibus ſcriptis eſſe peculiare, qui vir utinam haberet multos cæterarum virtutum ſuarum æmulos, ut hac in parte quoſdam habuit etiam *Latinos* ſectatores. Porro, Commentarios, quos edidit in *Pſalmos*, *Hieronymus* admonet ex *Origenis* Commentariis imitatos eſſe verius quam verſos, præſertim quum ipſe nonnulla de ſuo addiderit. Ea quæ ſint, prudens lector non difficile deprehendet. Sunt enim ferme ex his, quæ tot libris diſſeruerat adverſus *Arianos*. Quod autem ipſe nuſquam indicat quem ſit ſequutus, non opinor ideo factum, ut diſſimularet per quem profeciſſet, ſed ut *Origenici* nominis invidiam vitaret. Quod idem ubique facit *Ambroſius*. Meminit hujus Operis *Hieronymus* in præfatione ſecundi libri in *Micheam*, citans *Hilarium*, qui quadraginta ferme verſuum millia ex *Origene* verterit in *Pſalmos* ad ſenſum. Mirum autem quo conſilio *Pſalmos* aliquot ſibi ſumpſerit interpretandos, prætermiſſis reliquis, niſi forte quia non contigit plenum Opus *Origenis* nanciſci. Scripſit autem, quemadmodum recenſet *Hieronymus*, in *Pſalmum* primum & ſecundum, dein à quinquageſimo primo uſque ad ſexageſimum ſecundum, & rurſus à centeſimo decimo octavo uſque ad extremum. Atqui nos plus habemus, quam recenſet *Hieronymus*, videlicet præter duos primos à *Pſalmo* quinquageſimo primo uſque ad ſexageſimum nonum, rurſus à centeſimo decimo octavo uſque ad finem, niſi quod ultima pars abeſſe videtur in exemplaribus, extrema (ut ſuſpicor) pagina, in manu deſcriptis codicibus, vel revulſa, vel detrita: quæ fere perire ſolet non aliter quam (quod eſt in proverbio) extrema faba. Ex quibus illud colligitur, quod in *Pſalmos* ſcripſerat *Hilarius*, non totum perveniſſe ad *Hieronymum*. Nam *Catalogum de claris Scriptoribus* edidit, *Hilario* mortuo, ne quis cauſari poſſit, *Hilarium* addidiſſe quædam Operi, poſt editum *Hieronymo* Catalogum. Atque in his teſtatur ſeſe ex nonnullis accepiſſe, quod ſcripſiſſet Commentaria in *Canticum Canticorum*; verum negat hoc Opus ſibi conſpectum fuiſſe. Nobis plura etiam interciderunt, videlicet Epiſtolæ, quas ſcripſit ad diverſos. Item liber Hymnorum: nam epiſtola, quæ ſupereſt ad *Apram* filiam, nihil habet *Hilarii*, hymnus multo minus, in quo ne carminis quidem ratio conſtat, quum *Hieronymus* alicubi teſtetur illum carmen ſcripſiſſe. Nos tamen utrunque addidimus, ne guſtus deeſſet, ſi quis forte vellet de his rebus judicare. Declarat hoc phraſis & compoſitio ſermonis *Hilariani*, in carmine non infelicem fuiſſe. Et fortaſſis aliquot Hymni, quos hodie canit Eccleſia, non indoctos, ſed in-

Digitized by Google

An. 1522. incerti auctoris, illius sunt: veluti Hymnus *De ligno crucis*, cujus initium, *Crux fidelis: De Joanne Baptista*, cujus initium, *Ut queant laxis*. Desideramus & Commentarios in *Job*, quos, ut indicat ibidem *Hieronymus*, ex *Origene* vertit ad sensum. Et exstat quidem inter *Origenis* reliquias liber *Job* enarrator, cujus phrasis nihil habet affine cum *Hilariano* charactere. Quin & præfatio testatur, idem Opus ab aliis nonnullis fuisse versum, sed neque bona fide, neque docte, dum ex bene *Græcis* reddunt male *Latina*, quum ipse, qui hæc præfatur, re ipsa declaret se fuisse hominem, qui nec *Latine* sciret, nec ingenio aut eruditione valeret, sed qui tanto plus haberet arrogantiæ, quanto minus habebat peritiæ. Desideramus & eum librum, quem scripsit adversus *Salustium* præfectum, sive contra *Dioscorum* medicum, in quo videtur omnes ingenii facundiæque vires exseruisse. Declarat id divus *Hieronymus*, in epistola ad *Magnum* oratorem: *Brevi*, inquit, *libello, quem scripsit contra Dioscorum medicum, quid in literis posset, ostendit*. Desideratur & liber adversus *Valentem* & *Ursatium*, historiam *Ariminensis* & *Seleuciensis* Synodi acta continens, nisi forte hic Synodorum libro admixtus est. Atque hactenus quidem de singulis ejus viri lucubrationibus attigisse satis est. Nunc in genere de laudatissimi viri dotibus pauca libabimus. Ac primum de vitæ sanctimonia quid attinet dicere, quum auctoritas ecclesiastica jam olim eum divorum catalogo adscripserit? Quanquam alioqui & omnes viri libri mirum quendam pietatis ardorem spirant. Quanta vero fuerit nominis illius auctoritas, vel hinc licet conjicere, quod divus *Hieronymus*, qui pene contempsit *Augustinum*, nec ita multum tribuit *Ambrosio*, toties tanta cum veneratione citat *Hilarium*, alibi vocans eum *Orbis Deucalionem*, alibi *Latini sermonis tubam*, alibi *Latinæ eloquentiæ Rhodanum* appellans: nec uno in loco adversus calumniantes, quod ipse *Origenicis* uteretur, hujus exemplum veluti clypeum objicit, cui plenissimum testimonium reddit in epistola quadam ad *Marcellam: Tantum*, inquit, *virum, & temporibus suis disertissimum, reprehendere non audeo: qui & confessionis suæ merito, & vitæ industria, & eloquentiæ claritate, ubicunque Romanum nomen est, prædicatur*. Quid hoc elogio plenius? Nec minus honorifice meminit ejus, in Commentariis, quibus enarrat *Esaiam*: *Sanctus*, inquiens, *& eloquentissimus martyr Cyprianus, & nostri temporis confessor Hilarius, nonne tibi videntur excelsæ quondam in seculo arbores ædificasse ecclesiam Dei?* Quin & divus *Aurelius Augustinus* non sine præfatione honoris auctoritatem *Hilarii* citat, in libris *De Trinitate*. Cæterum *Hebrai* sermonis prorsus rudis fuit *Hilarius*, unde si quid ex his attigit, aut ex *Origenis* hausit fontibus, aut parum feliciter attigit: siquidem enarrans *Psalmum* quempiam, admonet *Bresith* rectius verti *in filio*, quam *in principio*: quemadmodum refert *Hieronymus* in Annotationibus, quas scripsit *De Traditionibus Hebræorum in Genesim*, quum reclamet *Septuaginta* Interpretum auctoritas: ad hæc *Symmachi* ac *Theodotionis*, qui magno consensu verterunt ἐν ἀρχῇ, reclamet & ipsa sermonis *Hebrai* scriptura, quæ *Bresith* habet, quod *Aquila* interpretatur ἐν κεφαλίδι, id est, *in capitulo*, non *Baben*, quod interpretatur *in filio*. Dicitur autem & caput initium cujusque rei. Qua quidem in re, non injuria quis desideret in *Hilario* constantiam, qui quum non uno in loco mire prædicet *Septuaginta* Translatorum auctoritatem, à qua nefas putat latum, ut ajunt, unguem discedere, in hac voce non dubitaverit dissentire. Suspicor autem locum, quem notat *Hieronymus*, esse in Commentario, quo enarrat *Psalmum* secundum: nam illic obiter annotat *Bresith Hebrais* sonare tria, *in principio*, *in capite*, & *in filio*. Quumque vox ea varie reddita sit ab interpretibus, ille putat ab auctoritate *Septuaginta* non esse recedendum. Sed insignius etiam lapsus est in *Osanna*, quam vocem in commentariolo, quem scripsit in *Matthæum*, sic docet *Hebrais* sonare, *Sanctificatio domus David*; quum nihil sit in hac dictione, quod ullam habeat affinitatem cum hoc interpretamento, siquidem *Hebræis redemptio* dicitur *Pheduth*, *domus Beth*. Porro, *Davidem* quum sit eadem vox *Latinis*, *Græcis*, & *Hebræis*, hic non esse insertum, per se liquet omnibus, quemadmodum alicubi docet *Hieronymus*. Porro *Græcas* literas tenuiter attigerat, si quidem *Hieronymo* credimus: cujus verba super hac re subscribam ex epistola quadam ad *Marcellam*, qua explanat *Psalmum* centesimum vicesimum sextum: *Nisi*, inquit, *quod non ejus culpæ adscribendum est, qui Hebrai sermonis ignarus fuit, Græcarum quoque Literarum quandam aurulam ceperat, sed Heliodori presbyteri, quo ille familiariter usus est: ex quo ea quæ intelligere non poterat, quomodo essent ab Origene dicta quærebat. Qui, quoniam in hoc Psalmo Commentarium Origenis invenire non potuit, opinionem magis insinuare suam, quam inscitiam voluit confiteri, quam ille sumptam claro sermone disseruit, & alienum errorem disertius exsequutus est*. Hactenus *Hieronymi* verba recensuimus, in quibus dum sedulo patrocinatur *Hilario*, satis odiose tractat *Heliodorum*, præsertim quum id quod adfert, nihil aliud sit quam divinatio. Sed, ut obiter hic patrocinemur *Hilario*, mihi non fit verisimile, virum tantum usque adeo fuisse credulum, ut in enarrandis divinis Literis totus pependerit ex alieno judicio: nec adeo rudem *Græcæ* Literaturæ, ut non potuerit ipse sensum deprehendere, præsertim in *Origene*, cujus sermo mire perspicuus est: id quod facile conjectari potest ex his quæ *Latine* versa supersunt. Quanquam non satis video, quid hic usque adeo divum *Hieronymum* offenderit. Nam quod adfert, varias Veterum interpretationes ex *Hebræo*, nihil ad *Hilarium* pertinet, qui semper ex professo sequitur *Septuagintæ* versionem, qui hoc loco transtulerunt ἐκτελνασωθῶν. Cæterum quod ait *Hilarium* interpretatum *filios excussorum, Apostolos*, quod jussi sint pedum pulverem excutere in eos, qui non recepissent Euangelium, si quis attentius legerit Commentarium *Hilarii* in *Psalmum*, *Nisi Dominus ædificaverit domum*, comperiet aliquanto secus habere. Nam, mea sententia, vocat *Apostolos ac Prophetas excussorum*, hoc est, *impiorum filios*, qui sua culpa rejecti sint à Deo, & excussi in exsecrationem, ob pertinacem incredulitatem. Cæterum quod obiter duobus verbis meminit *de pulvere pedum excusso*, non huc pertinet, ut *Apostoli* dicantur *excussi*, sed ut *pulvis excussus* in incredulos *Judæos*, significet ipsos ob pertinaciter rejectam Euangelii gratiam excussos in reprobam mentem: id quod clarius etiam explicat Commentarius in *Matthæum*: *Et signo*, inquit, *pulveris pedibus excussi æterna maledictio relinquatur*. Referrem & ex *Psalmis* ipsius *Hilarii* verba, nisi longum esset ac molestum lectori, præsertim in Præfatione. Proinde res ipsa loquitur hic *Hieronymum*, aut memoria lapsum esse, aut *Hilarii* Commentarium parum attente legisse. Jam quod probat *Hieronymus Marcellæ* commentum, quæ scripserit Apostolos fuisse filios excutientium potius, quam excussorum, equidem non video quid sibi velit, nisi forte quemadmodum *Græci* dicunt ἰατρῶν παῖδες, id est, *medicorum filii*, pro *medicis*; ita dicti sunt *Apostoli excussorum filii*, pro *excussis*: alioqui successores Apostolorum potius vocandi erant *excussorum filii*, si recte nomine *excussoribus* intelliguntur Apostoli. Nec absurdum est tamen excussos dici, qui se excusserint; quemadmodum loti dicuntur, qui se laverint; & cœnati, qui cœnaverint. Sic enim dicitur & *pulvis excussus*, & homo seu pes excussus, quemadmodum dicitur adspersa labes homini, & homo labe adspersus. Hæc obiter attingere visum est, non in hoc tantum ut patrociner *Hilario*, verum etiam ut intelligamus olim non fuisse religionem sanctissimis viris, à quamlibet magnis auctoribus dissentire. Præterea summos etiam viros aliquoties dormitare, quemadmodum hic dormitavit *Hieronymus* in taxando *Hilario*. Amicus uterque, sed omnibus amicior esse debet veritas. Nunc ad illud, quod instituera-

An. 1522.

ramus,

Digitized by Google

An. 1522. ramus, seſe recipiat oratio. Quanquam facile credidérim illum non ad plenum sciſſe *Græcas* literas. Etenim quod ad orationis concinnitatem attinet, felicior eſt in his quæ ex seſe, suoque, quod ajunt, Marte scribit, quam in his quæ vertit, quum in his quæ vertit, denſior ac sanior sit in sententiis: idque suspicor in causa fuiſſe, ne quid susciperet vertendum, niſi cum hac libertate, ut suo arbitratu redderet sensum, omiſſis etiam aut additis quæ videntur. Nam id tutius semiperitis ejus sermonis unde transferunt. Sumpsit idem juris sibi *Pogius* in vertendo *Diodoro Siculo:* sumpsit sibi *Ruffinus* in vertendis pene singulis quæ transtulit, præsertim in libris *Origenis*, & *Euſebii Cæsarienſis* hiſtoria. Verum hæc non eſt libertas interpretis, sed licentia potius contaminantis aliena scripta. Quanquam *Hilarius* nusquam interpretem profitetur, præterquam in Synodis, nihilo magis quam *Ambroſius*, qui sua fere hausit ex *Origenis* lucubrationibus. Mihi lapsus videtur ex occasione *Græci* sermonis, quum distribuens suam cuique personæ proprietatem, æternitatem assignat Patri, imaginem Filio, usum Spiritui Sancto. Fortasse *Grace* legit, τὸ χρησὸν, sive χρησότης, atque ea dictio *Græcis* dicta eſt ἀπὸ τῆ χρῆσθαι, hoc eſt, *ab utendo:* unde & ἄχρηστος dicitur *comis & commodus ad vitæ conſuetudinem:* ἄχρηστος *inutilis.* Cæterum χρησὸν, sive χρησότης *Græcis* non tam sonat *usum* sive *utilitatem*, quam *bonitatem*, *comitatem*, *suavitatem*, sive, ut frequenter vertunt, *benignitatem.* Potentia Patri tribuitur, sapientia Filio, bonitas Spiritui Sancto. Quem locum citat *Auguſtinus* in Opere *De Trinitate*, nonnihil laborans in exponendo quid sibi velit nomen *usus.* Cæterum utcunque hoc habet, quum divus *Hilarius* non admodum *Grece* calluerit, tamen operæ precium eſt videre in *Psalmis*, quam anxie philosophetur in dictionibus *Græcis*, nunc proprietatem & emphasim diligenter indicans, nunc quiritans, à *Latino* interprete non satis commode redditam *Græci* sermonis sententiam, nunc amphibologiam amovens ex verbis *Latinis*, *Græci* sermonis præsidio. Et ubi sunt interim isti, qui negant in Literis sacris ullum esse usum *Græcarum* literarum? Ubi sunt isti Cameli verius quam homines, qui blaterant ex *Græcis* literis nihil aliud oriri quam hæreses? Et quum hæc vociferentur in publicis concionibus, mirantur si quibus videntur elleboro egere. Quin & translatio, qua utitur, diversa eſt ab hac, quæ nunc vulgo recepta eſt. Porro, quum *Cypriano* sua sit translatio, quum *Auguſtino* sua, quum *Ambroſio* sua, quum *Hilario* sua, quum *Tertulliano* sua, ab omnibus diversa, satis appareret olim nullam fuiſſe communem omnium. Minutiora fortasse videbuntur, quam ut sint indicanda, voces quasdam & orationes esse huic peculiares, præter publicam consuetudinem *Latine* loquentium. Nam his pronominibus, *sui* & *suus*, durius subinde utitur. Item *tecum*, & *cum illis*, usurpat pro eo quod erat, *juxta tuam*, *juxta illorum opinionem.* Nam *intimare* pro *ſignificare* reperitur & apud alios, sed recentiores. *Diſproficit* aliquoties usurpat pro *degenerat*, sive *in pejus proficit.* *Zabolus* pro *diabolo* non apud hunc tantum invenitur, & ex antiquitate ductum videri potest: quæ non solum in dictionibus compositis, verum etiam extra compositionem ζὰ usurpabat pro διά. *Græcas* aliquot, aut *Hebraicas* voces usurpat nonnunquam juxta *Latinam* inflexionem, nonnunquam juxta *Græcam.* *Rheumam* alicubi dicit pro *rheumate*, quasi dicas, *rheuma rheumæ*, ut *muſa muſæ.* *Paſcham* alicubi dicit & *mannam.* Rursus alicubi dicit *diapſalmam*, & *diapſalmæ*, alias *diapſalma* & *diapſalmatis.* Eſt ubi manifestarium deprehendas solœciſmum, sed quales solent nonnunquam & eruditiſſimis obrepere, adeo ut & in *Ciceronis* libris unum atque alterum deprehendas, ne quis continuo mendum esse suspicetur, & rasuram paret. Referrem aliquot exempla, niſi suis locis annotasſem in spacio marginali, quanquam & alioqui non difficile cuivis fuerit ex Elencho reperire. Enarrans *Pſalmum* centesimum vicesimum quartum, scribit hunc in modum: *Poſtque conversio fit propheta, retributionem à Domino ei qui ab iniquitate manus abſtinuerit imprecantis: Bene fac Domine bonis & rectis corde, probitatem & voluntatis & facti in utroque ſignificans.* Sic enim subjecit *ſignificans*, quasi præceſſiſſet: *Poſtque converſus propheta, retributionem imprecatur*, &c. Et hujus generis sunt ferme cæteri: sive hoc accidit humano lapsu, quales deprehenduntur & in *Cicerone:* sive à *Græcis* mutuatus eſt, qui sic paternum casum ponunt absolute, quemadmodum nos ablativum, & rectum casum usurpamus interdum loco paterni. Hoc vitium, quod ἀναπόδοτον *Græci* vocant, potiſſimum accidit his, qui longo circuitu vix tandem absolvunt orationem, quique magis circa rem, quam circa verba sunt intenti. Quod genus, si quis dicat, *Non licuit ad te ſcribere:* post multis in medio interjectis, tandem subjiciat, *variis negotiis occupatus:* quasi præceſſiſſet, *Non potui ad te ſcribere.* Hoc à Veteribus factum nos citra culpam imitamur, dicentes: *Non ſum id neſcius: Quoties ejus diei mihi venit in mentem: Id annus mihi indicium fecit*: Perinde quasi pro *Neſcius ſum*, dixisses *Neſcio:* pro *Venit in mentem*, *Recordor:* pro *Indicium fecit*, *Indicavit.* Similis locus eſt, sed hoc evidentior, in enarratione *Pſalmi* centesimi quadrageſimi primi: *Corpus enim quod cruci affixerant contuentes, poteſtatem animæ, quæ ſe ſignis & factis Deum probaverat, nemo quærebat.* Hic rursus *contuentes*, positum eſt pro eo quod erat, *dum contuentur.* Atque hæc exempli gratia retuliſſe suffecerit. Sed næ ego insigniter impudens, qui lectorem avidum, tam loquaci præfatione remorer à lectione divini Operis. Desinam igitur, si prius unum illud abs te petiero, Præsulum optime, ut hoc quicquid eſt laboris, tuo dicatum nomini, mei erga te studii pignus ac monumentum esse velis. Quid præstiterimus, aliorum esto judicium. Certe magnis sudoribus adnixi sumus, ut *Hilarius*, unicum illud *Galliarum* lumen, aliquanto castigatior ac nitidior exiret in manus hominum. Prodibit autem & gratioſior, si tuus acceſſerit favor, cujus prima eſt apud omnes auctoritas, cujus integra sinceraque judicia, nulli non perspecta sunt. Nimirum respondes egregiæ *Carondiletica* gentis indoli, cujus felix fœcunditas, nobis præter eximium illum *Burgundiæ* cancellarium multos dedit, quorum ego quinque novi, viros non minus humanos quam integros, omnique genere ornamentorum cumulatos. Vides igitur quid vener, nimirum ut ex *Carondiletici* nominis splendore, nonnihil favoris conciliem *Hilario*, quem oportet omnibus sacræ doctrinæ studioſis esse commendatiſſimum. Video enim quosdam præ novis libellis, qui nunc undiquaque provolant, veteres auctores fastidire: in tantum, ut & *Origenem* & *Hieronymum* veluti sexagenarios, quod eſt in proverbio, de ponte deturbandos existiment. Ego vero ut non arbitror adspernandum, si quid horum temporum ingenia, vel excogitarint, vel instaurarint: ita mentis eſt improbæ, vetustati non suum deferre honorem: ingratæ vero etiam, eos rejicere, quorum industriæ tantum debet orbis *Chriſtianus.* Quid enim nunc possemus in sacris Literis, niſi *Origenis*, *Tertulliani*, *Chryſoſtomi*, *Hieronymi*, *Hilarii*, *Auguſtini* monumentis adjuti? Ego vero nec *Thomæ* nec *Scoti* libros in totum antiquandos esse duco. Scripsere suo seculo, multaque nobis è Veterum libris hausta, subtilius excusa tradiderunt. Cæterum nec istorum incivilitatem approbo, qui huic auctorum generi tantum tribuunt, ut bonis literis feliciter ubique repullulantibus obstrependum putent. Variæ sunt ingeniorum dotes: multæ seculorum varietates sunt: quod quisque potest, in medium proferat: nec alteri quisquam invideat, qui pro sua virili, suoque modo conatur publicis studiis utilitatis aliquid adjungere. Veteribus debetur reverentia, præsertim quos præter eruditionem & eloquentiam, vitæ quoque commendat sanctimonia; sed ita, ut cum judicio le-

Digitized by Google

An. 1522. legantur: recentioribus debetur candor; ut absque invidia legantur, nec sine delectu tamen. Absit autem ubique rabiosa contentio, pacis & concordiæ pestis: nec absint à studiis Gratiæ, quas Musarum comites non temere finxit antiquitas. Amplitudinem tuam diu nobis incolumem servet is, sine quo nihil esse potest salvum, Præsulum ornatissime. *Basilea* 5. Januarii, Anno à natali *Christi* 1522.

## EPISTOLA DCXIV.

*Erasmus Rot. Bilibaldo* S. D.

NEC ego poteram secus de tuo prudenti candore suspicari, mi *Bilibalde*, sed erant qui me literis admonerent, ut te placarem. Utinam Deus immittat animis Principum orbi salutifera consilia. Pudet me horum tumultuum. Dicas *Phaethontem* admotum currui solis. Et interim nobis videmur *Christiani*, & agimus de *Rhodo*. *Stunicam* semper contempsi. Vellem autem quosdam *Lutheranos* negotium Euangelicum tractare prudentius. Nunc in summo tumultu sum, quod instent nundinæ; post scribam copiosius. Bene valebis interim. *Basilea* 8. Januarii, Anno 1522.

## EPISTOLA DCXV.

Vives Erasmo.

EXSPECTATISSIMAS *tuas literas accepi his diebus superioribus, quæ mihi, quod abs te essent, non potuerunt esse non gratissimæ: quod vero nec te valere, nec res tibi ex animi tui sententia procedere significarent, maxima medius fidius molestia me, seu mœstitia potius, affecerunt. Voluissem, quum hic novissime fuisti, mecum esses collocutus, narrassem tibi quæ audivi: etsi ea ipse nec vera esse puto, nec verisimilia; sed ut magis quorundam animos haberes exploratos, quos tibi incognitos non esse sat scio: & quæ forsitan si ex me audisses, minus nunc rumoribus istis, quos in* Germania *quoque dissipatos scribis, moverere.* Lutheranum *te hic existimari certum est; sed ab eisdem, quos ipse, quum adesses, non ignorabas, si quid esset odii & invidiæ plenum, tibi solitos impingere; nec faciliorem viam existimant minuendæ famæ atque existimationis tuæ, quam si te cum* Luthero *conjungant. Qui hæc conantur, non sunt illi quidem multi, sed assiduo clamant, & inculcant, nihilque omittunt quod ad hoc persuadendum putent facere; & maxime vellent persuasum Cæsari ac Principibus, tametsi hoc, quantum intelligo, non aperte agant, neque directe, sed oblique, & per occasionem: in aula sunt Theologi aliquot* Parisienses; *hi quod in te probant solum est, quod de* Luthero *semper te pronunciasse dicunt ambigue: sed isti facile te ferunt, modo* Lutherus *opprimatur. Est* Augustinianus *quidam tractus per hosce dies ex* Antuerpia Bruxellam *in jus; eo convolarunt ὁ χωλὸς καὶ ὁ κάμηλος istos audio criminose quibusdam convitiis locutos esse de te; quod jam faciebant, antequam* Lutherus *nasceretur; nunquam sic* Orestes *insanivit aut* Hercules, *ut isti duo, sed incredibiliter saxicida: cujus omnia, sive loquatur quid, sive agat, mera sunt saxa; homo dignior tragœdia, quam illi veteres. ὁ ἄγγελος Ῥωμαῖος, homo aperto pectore, neque sua, neque aliena velat; queritur, affectum se multis injuriis abs te, sed non posuisse tamen veterem amorem: dixitque Ducem* Albæ *tibi esse infensum, quod in* Hispaniam *scripseris ad* Barbirium, Hispanos Luthero *favere, ut credantur* Christiani: *quod credibile non est, nam non puto te id scripsisse; & quamvis per jocum scripseris, quis ea potuit ad illum perferre? deinde ipse collocutus sum cum ejus filio, qui narrabat patrem incidisse nonnunquam in sermonem de te, nullam tamen ejus dicti feciisse mentionem; quo tamen esset animo, non potuisse cognoscere; nam ipse in neutram partem ulla prodebat signa: & est hic sodalis κῆρυξ, non taciturus, si quid comperisset: nam neque tacuit hæc duo: prius, dixisse te* Antuerpiæ *bibliopolæ, ut venderet libros* Lutheri, *nihil veritus diploma; alterum,* Lutherum, *quum, ut recantaret, incitaretur, respondisse non id esse sibi inte-*



An. 1522. *grum inconsultis iis, quibus auctoribus & impulsoribus negotium hoc suscepisset; suspicari se te esse inter reliquos, & de primis unum nominatum; hic est omnis fons rumoris in* Germania *sparsi, quem tu etiam, quum adesses, fere totum videras: nam qui de te sic sentiebant, ante tanquam de* Christiano, *aliis nominibus non addicto, in eadem adhuc sunt sententia; ac plane fama vires acquirit eundo; nebula hæc est, quam ipse procul spectans ingentem putas, aliter dicturus, si propius admotam cerneres, & tangeres; nec mirum, homines de rebus, quæ procul aguntur, sic mentiri, quum hic quotidie narrentur nobis* Bruxellæ & Mechliniæ *agi, quæ ne sunt quidem unquam cogitata. Itaque commoveri te hisce vocibus nihil oportet: qui hic te* Lutheranum *vocant, & qui in* Germania *minime* Lutheranum, *utrique iidem sunt, & eandem rem agunt; sed pro qualitate & theatri & spectatorum mutant personam, in invidiam tamen conantur trahere, & munitum omni alia parte hac tentant invadere. Aulicis tuis amicis vellem scriberes, qualis tibi calumnia per scelestè inimicos homines intentetur, ut ad* Deloinum: *& si tibi quicquam est amicitiæ cum Cæsareo Confessore, cui fides in aula non minor quam* Christo: *& ipse eo ibo post solutum* Augustinum, *ubi calore meo non parum hujus nebulæ dissolvam; nam neque me infimum omnium censet, & ago ut sim de familia* Ferdinandi: *sed hoc* Harpocrati, *ne si emanarit, impediri possit; ἄγγελον si commode posses per occasionem honorifice nominare, redderes ὅλον σόν· nam quæstus est mihi, te non retulisse gratiam περὶ τοῦ ζῷου in* Stunicam: *intelligis puto: vide quibus moveatur, aut potius quid de te sentiat, quum tantopere cupit laudari abs te: isti vero alii mordent acrius morituri, ut quædam bestiæ; nam hanc juventutem constat eos non habituros, quæ tota est tua, hoc est, bonorum studiorum, &* Christi. *Saxicidam collega oderunt, & ferunt, tantos spiritus sumpsit ingressu hujus domus* Cameracensis, *& arbitrantur eum plurimum posse, quod puerum sectetur. O homines umbris exterritos! quasi vel quem sequitur, aliquid possit; vel ille, quantum dominus potest, possit. Decretum animi tui est, quale semper fuit,* Christianum: *& indubie paratum est tibi à* Christo *ingens illius & copiosum præmium, quandoquidem tam mala tibi ab hominibus refertur gratia: tamen etsi quantum ad hos spectat, pronti fuerit tui studiosus vel secus novus Pontifex, leniet, aut asperiores reddet horum voces; sed quæso te, vis tu communem bonorum hominum sortem recusare? per* Christum *rogo te etiam atque etiam, mi* Erasme, *ne te angas animo, ne præcipites senectutem tuam, demissis in imum pectus istis rumusculis: nam cui & Christus ipse, & boni omnes, & innocentia conscientia tantopere favent, non est à malis nocere facile: tibi enim, quum culpa vacaveris, quæ est una bono viro in vita præstanda, quem tibi exitum statuat Deus, curandum non est; sed ego hæccine tibi?* Varamum, & Thaleum, & Mauritium *habeo auditores, & charos, sed commendatione tua priores illi erunt chariores, & hic postremus: si modo charior potest esse. De* Augustino *absolvi tredecim libros, septem sunt recogniti & transcripti: sex alii premuntur aliquandiu; interim aliquid accrescit, juveniliter statui mihi tam brevem diem, non expenso negotio tam longo, & vario, & recondito, usque adeo multis historicis rebus, fabularibus, naturalibus, moralibus, theologicis referto, qua tu non ignoras; explicarem rationem totam laboris mei, nisi ad te scriberem: peto à te ne agre feras paulo serius exspectatione tua mitti, modo omnino* Augustino *indignum opus exeat. Verberasti animum meum illo tuo verbo,* Non ero tibi toties flagitando molestus: *videris enim nolle me posthac admonere utilitatis meorum studiorum; incitatio enim ista tua, & etiam, ut tu vocas, efflagitatio, quid aliud est quam calcar, quod me alioqui cessantem, ad egregia opera stimulat? & efflagitationem hanc nominas? quid ergo præceptoris vocabis monita? vis esse tam in amicos & discipulos civilis, ut mœrore eos afficias, quum vident secum velut cum leviter notis, aut tibi paribus, agere: nondum & agendo & dicendo potuit tibi* Vives *persuadere, te nihil posse facere*



Digitized by Google

Ar. 1512. *ſibi moleſtum, niſi quum, ne ſis moleſtus, times. Tale eſt illud in ſuperſcriptione,* Amico meo obſervando; nec obſervando, ſed etiam, ſi diis placet, in primis obſervando. *Si poſthac ad hunc modum permiſeris iſtum ſive* Joannem, *ſive* Livinum *ſcribere, rejiciam literas. Cui obſervandus ego ſum, is non eſt* Eraſmus: *per omnia jura amicitiæ, & univerſa tua in me beneficia, & ſi qua ſunt mea in te officia, te precor, ut me utaris familiarius. Gaudeo te ſic eſſe in* Germania *exceptum; quanquam mihi nihil novi id fuit. Gaudeo quoque habere te iſtic* Velium, *cujus, ut puto, exſtat carmen de te genethliacon feliciſſimum mea ſententia: ſaluta eum nobis, ſi ita tibi videtur; &* Buſchium, *ſimul &* Rhenanum, *ſi iſtic adeſt.* Mauritius *ſalutem tibi plurimam; ſalvebis & à* Joanne Clemente, *qui non ibit in* Italiam *ante proximum ver: is dicit multum doluiſſe, quod ſe inſcio profectus ſis* Baſileam; *nam ſi reſciſſet, comitatus eſſet te, & manſiſſet iſtic hyemem totam. Agebam de conducendo aliquo, quum commode me* Franciſcus *bibliopola ſubmonuit, miſſurum ſe quam primum iſtuc ad te neſcio quos libros: ſi quid vellem perferri, adjuncturum ſe reliqua ſarcinæ; itaque juſſum eſt illi committere ſeptem libros recognitos jam à me: incipiat excudere* Frobenius, *ſi ſic tibi videtur, decem alios uſque ad decimum quintum mittam haud dubie ante Quadrageſimam. Reliquum per* Franciſcum *ipſum, quum ibit ad mercatum* Francfordienſem. *Ex iſtis ſeptem poteris cognoſcere, ſi quid modo vacat legere alienum, quam rationem commentariorum ſum ſecutus; etiamſi reliqui præter octavum, nonum, decimum, & decimum octavum minus habent & operis & operæ; quoniam non ita ſunt varii; & magna pars eorum, quæ in illis tractat, paſſim eſt cuivis obvia. Cura, rogo te, ut excudantur aliquot centena exemplarium iſtius operis à reliquo* Auguſtini *corpore ſeparata: nam multi erunt ſtudioſi homines, qui* Auguſtinum *totum emere vel nolent, vel non poterunt, quia non egebunt, ſeu quia tantum pecuniæ non habebunt. Scis enim fere à deditis ſtudiis iſtis elegantioribus præter hoc* Auguſtini *opus nullum fere aliud legi ejuſdem auctoris. Vale iterum atque iterum, mi optime præceptor.* Lovanio 19. *Januarii, Anno à* Chriſto *nato* 1522.

## EPISTOLA DCXVI.

*Eraſmus Bilibaldo ſuo* S. D.

NIHIL mihi fuit tuis literis gratius, ornatiſſime *Bilibalde*. Nunc ut occupatiſſimus, paucis agam quod volo. Nemo neſcit, quantum bonæ literæ debeant *Frobenio*, qui ſolus omnium ſuo damno noſtris ſtudet compendiis: ſed ut ſunt κεφαμεῖς, plerique inſidiantur homini propemodum conjurati, ut illum perdant. Ubi quid novi operis prodit, quod putent fore vendibile, mox unus atque alter ſuffuratus ex ipſius officina exemplar, excudit ac venditat minimo. Interim *Frobenius* immenſam pecuniam impendit in caſtigatores, frequenter & in Exemplaria. Huic iniquitati facile ſuccurretur, ſi fiat Imperatorium interdictum, ne quis librum, primum à *Frobenio* excuſum, aut cui ſit aliquid ab auctore additum, excudat intra biennium. Tempus longum non eſt, & officina *Frobeniana* vel ob hoc favore digna eſt, quod nihil ex ea prodit ineptum aut ſeditioſum. Excuditur nunc *Paraphraſis in Euangelium Joannis, Ferdinando* dicata; cujus partem ad te mitto, ut oſtendas, ſi videbitur commodum. Non dubito, quin res facile poſſit impetrari. Referet tamen, ſi id fiat quam primum. Si non eſt commodum, ut fiat per te, poteris aliis mandare. Adeſt enim, ut audio, *Jacobus Spiegel*, mihi cum primis amicus, homo candidus; adeſt Epiſcopus ac Princeps *Teramnenſis*, Nuncius Apoſtolicus, qui pro ſua humanitate mihi ſemper favit unice. In hoc negotio, mi *Bilibalde*, mihi nec feritur, nec metitur, & tamen *Frobenii* ac literarum cauſa libenter & hic tibi debebo, qui multis aliis nominibus tibi ſum obſtrictiſſimus. Si diploma Cæſareum non ſtatim poterit expediri, ſaltem ſciamus impetratum eſſe, ut in his nundinis *Frobenius* poſſit uti titulo. Summus Pontifex ad me diploma plenum honoris ac benevolentiæ miſit. Jurat illius Secretarius, non eſſe vulgare, ſed vere omnia ab ipſo Pontifice dictata. Bene vale, vir hujus ſeculi decus. *Baſilea* 27. Januarii, Anno 1522. An. 1522.

## EPISTOLA DCXVII.

*Eraſmus Roterodamus Nicolao Wattenvilo, Præpoſito Bernenſi,* S. D.

VIR ornatiſſime, ex deguſtata brevi colloquio tua humanitate mirum quoddam tui deſiderium me cepit poſt abitum hinc tuum, adeo, ut in animo fuerit *Bernam* viſere, quo diutius & propius frui liceret tua ſuaviſſima conſuetudine. Et contigerat lepidiſſimus viæ vel dux, vel comes, pro vehiculo futurus *Henricus Glareanus*, tandem nobis, id quod gaudeo, redditus è *Gallia*; ſed nondum licebat abeſſe ab hoc piſtrino, & ſi maxime licuiſſet, non erat tutum me committere itineri, donec tepent hypocauſta, ad quorum vel levem odorem ſtatim relabor in morbum. Adventus *Glareani* noſtri tantum alacritatis nobis attulit, ut mihi videar revixiſſe. Hoc nomine mihi videntur habere cor *Elvetii*, quod hunc virum magni faciunt: nam unus optime meretur de juventute ſuæ gentis, ſemina bonæ mentis & honeſtæ eruditionis jaciens apud ſuos, olim in feliciſſimum proventum eruptura. Mittam ad te *Paraphraſim in Matthæum*, ſi modo fuerit perfecta ante abitum *Glareani*. Ubi refrixerint hypocauſta, licebit iſtam urbem viſere. Interim mutuis epiſtolis confabulabimur. Bene vale. *Baſilea* 7. Martii, Anno 1522.

## EPISTOLA DCXVIII.

*Bilibaldo ſuo Eraſmus* S. D.

UTINAM ſicut alter alteri συμπαθῶμεν, & alter alterum conſolamur, ita nobis invicem mederi liceret. Quanquam mihi ſane minima dolorum pars eſt corporis morbus. Ego mihi, teſte *Chriſto*, conſcius, me nihil ambire eorum, quæ ſunt hujus mundi, volens emigravero ex hoc domicilio, ſimulatque evocaverit ille noſter Imperator; neque detrectem tamen interim vel immori piis laboribus, ſi modo fructum aliquem adferre liceat *Jeſu Chriſto*. Sed videmus imbecillitatem, vel potius infelicitatem noſtram, videmus hoc ſeculum prodigioſum, adeo ut neſciam, cui parti me addicam: niſi quod conſcientia mea ſatis confidit apud Judicem *Jeſum*. Qui ſub nomine Pontificis, neſcio quod, agunt negotium, ſic urgent omnes laqueos veteris Tyrannidis, ut videantur addituri citius multa, quam quicquam detracturi. Rurſus, qui ſub nomine *Lutheri* præ ſe ferunt vindicationem Euangelicæ libertatis, neſcio quo ſpiritu rem gerunt; certe multi ſe admiſcent, quos malim non admiſceri, ſi meum eſſet negotium. Interim exitialibus diſſidiis ubique ſcinditur charitas *Chriſtiana*. Interim in ſuſpenſo ſunt hominum conſcientiæ. Qui propenſi ſunt ſuapte natura ad licentiam, facile arripiunt occaſionem è libris *Lutheranis*. Qui modeſtiores ſunt, inter ſacrum & ſaxum hærent; hinc vident argumenta probabilia, & ſenſum naturæ; illinc vident auctoritatem Principum ac turbam innumerabilem. Quorſum autem res ſit evaſura, neſcio; ego coactam & extortam fidem non magni facio. Gravis eſt auctoritas Bullarum, gravior diplomatum Cæſaris; ſed iſta fortaſſe cohibebunt ad tempus linguas hominum, an animos vertere poſſint, neſcio. Utinam Deus placatus nobis hoc immittat animis Principum, ut concordibus & ſinceris animis, nec alio ſpectantibus, quam ad gloriam *Chriſti*, ſcrutentur hujus mali fontes, & remedium aliquod efficax ac duraturum adhibeant, idque quam minimo orbis tumultu, hoc eſt, quam minimum convulſo Reipublicæ ſtatu. Quid multis? res eo delapſa eſt, ut omnino ſuccurrendum ſit

Digitized by Google

An. 1522. sit populi *Christiani* libertati. Adeo multa irrepserunt paulatim in publicos mores, & ceu præscriptiones vim legis inevitabilis occuparunt. De Conciliis non ausim aliquid dicere, nisi forte proximum Concilium *Lateranense* Concilium non fuit. Multum item sumpsit Scholarum auctoritas paulatim aucta, quæ nunc suas definitiones propemodum pro articulis fidei haberi postulant. Jam qui sub umbra *Romani* Pontificis cauponantur, partim nimium sibi vindicarunt, partim eo insolentiæ progressi sunt, ut omnibus fuerint intolerabiles. Quæ paulatim collegere robur, non possunt subito convelli; & Magnatum auctoritatem palam contemnere, nec tutum est, nec utile, mea sententia. Nunc ex una parte res agitur Bullis, & edictis, minisque: ex altera licentiosis, ne dicam seditiosis, libellis. Quod si Principes, aliis rebus occupati, non possunt his animum advertere, demiror non exsistere bonos viros, qui prudenti consilio tantis malis occurrant. Mea res non admodum agitur; instat vitæ meæ terminus: sed morientis etiam est, bene velle rei *Christianæ*; si modo recte persuasum est nobis, *Christum* esse caput immortale totius Ecclesiæ. Alius consulit suis privatis commodis: alius metuit, ne perdat quod habet: alius abhorret à tumultu, & quiescit; sed interim gliscit periculosum incendium. Me quorundam malevolentia tantâ gravavit invidiâ, ut frustra sim conaturus, si quid tentem. Theologi quidam, sentientes renascentibus per nos antiquis studiis suæ auctoritati paulatim aliquid decedere, etiam priusquam *Lutheri* nomen audisset orbis, nihil non moliebantur in me; his *Lutherus* telum porrexit, quo nos conficerent: tametsi semper abstinui à *Lutherano* negotio, nisi quod hortabar sedulo, ut aliter scriberet, si vellet proficere. Successit *Aleander*, & ante *Lutheri* nomen hoc faciens *Erasmo*, quod figulus figulo, natura excelsus, ferox, irritabilis, cui nihil neque lucri, neque gloriæ satis est: hunc quidam implerunt falsissimis mendaciis, & sic instigarunt hominem, ut nihil haberet pensi, quid de me prædicaret, etiam apud summos viros, modo perderet. Et tamen apud me dejerabat, non vivere quenquam amiciorem *Erasmo*, quam esset ipse. Discedens reliquit Organa sua probe instructa, duos Theologos *Lovanienses*, D. *Caracciolam* Episcopum *Leodiensem*, hominem linguæ nimium facilis, & *Hispanum* nescio quem in aula Cæsaris, suspicor esse Episcopum *Mottensem*. Habet *Romæ Stunicam*, hominem omnium judicio insanum, & ad maledicentiam natum. Is exhibuerat *Leoni* libellum, qui continebat sex myriades hæreseon decerptas è meis lucubrationibus, & jam causa periclitabar, nisi mors intercepisset *Leonem*, alioqui non infensum *Erasmo*. *Lutherani* mihi palam minantur libellos maledicos; & Cæsari propemodum persuasum est, me fontem & caput esse totius *Lutherani* tumultus. Atque ita magnifice periclitor utrinque; de omnibus bene meritus. Decreveram aliquid scribere, non adversus *Lutherum*, sed de concordia; verum, video partes ambas sic ardentes, ut præstet quiescere. Quanquam vellem jam ante duos annos in me scripsissent *Lutherani*; levassent me gravi invidia. Consului doctissimos Theologos, si quid esset in nono cap. Epist. ad *Romanos*; negant quicquam esse mali; nisi hoc istis malum videtur, quod aliquid tribuam libero arbitrio, tametsi perpusillum. Bene vale, vir clarissime, nosque, quod soles & facis, ama. *Basilea* 30. Martii, Anno 1522.

Non vacavit relegere epistolam; quare ignosce.

## EPISTOLA DCXIX.

### Vives Erasmo.

EPISTOLAM *tuam accepi* Basileæ *scriptam pridie Nonas Februarias: & accepi non resignatam prorsus, sed signo ita luxato & obscurato, ut facile esset deprehendere, fuisse apertam in via.* De Civitate Augustini *gaudeo seorsim edi, & habeo tibi ingentem gratiam, qui hoc curaris: sed velim etiam, & cum reliquis* Augustini *Operibus excudatur, ne desit hoc membrum corpori suo; quod credo* Frobenium *facturum, ut & separatim aliquot, & conjunctim aliquot imprimat. Voluissem lectis nonnullis paginis in iis libris quos misi, judicium ad me sententiamque tuam perscripsisses, ut scissem quid vitandum mihi, quid sequendum, quid tenendum esset; ego enim in hoc Opere brevitati, quantum potui, studui placere: incurrerunt quidam loci, in quibus id præstari non potuit, ut quum erant res non admodum Theologis nostris cognita: sicut historiæ, fabulæ, Philosophica, præcipue* Platonica. *Ideo in octavo, & decimo libris longior sui forsan quam oportebat; tum ut recondita illis aperirem & proferrem, tum ut* Platonica *prorsus non ignorarent, viderentque hæc nihil* Aristotelicis *cedere, & inciperent alios quoque magnos Auctores velle cognoscere: nec tamen omnia conjeci quæ potuissem; multo plura prætermisi quam attuli: in aliis libris facile institutam servavi brevitatem, quoniam historiæ ex sacris Libris petitæ notiores sunt, etiam vulgo, quam ut debeant fusius explicari; & theologica argumenta non sum multis exsecutus, attigisse contentus, alioqui nullus fuisset modus: nec gloriæ tam servivi, quam forsan putas; etsi nonnihil quoque est ei datum: sed neque tempus, neque Operis ratio magnopere me de gloria siverunt cogitare; plus enim voluissem temporis ad Opus quod totum auræ tribueretur & nomini. Deinde nescio quo pacto commentarii nisi sint in sacras Literas, non habent genium illum, qui magnum excitare nomen possit: Opus ingentis gloriæ totum futurum est Auctoris ipsius; non debet in alium scribi. Verum, ita est à nobis, quantum licuit, elaboratum, ut non diffidam fore, quin Lector me & tibi, quo auctore Opus suscepi, &* Augustino, *& gloriæ servire voluisse cognoscat; quæ jocatus sum in interpretem non omisi, & alioqui in præfatione, etiamsi non monuisses, erat animus ostendere, cujusmodi homines in* Augustinum *scripsissent, idque faciam & propinabo illos Lectori bellissime ridendos; tum in Opere ipso interspergo velut flosculos ex eorum commentariis, &* Passavantii *additionibus, quorum Lector suavi odore reficiatur, minusque sentiat viæ molestiam. Ex iis, quæ nunc mitto, cognosces quam ego illorum invidiam metuam: vitam* Augustini *mallem ipse adderes; nam ego non confido meo judicio eam collecturum, quo tu soles omnia; & injuriam fecero sancto, si quid tu de illo esses scripturus, ipse scriberem; ineptiisque meis in causa forem, quo minus vita illius, eloquentiâ tuâ illustrata, veniret ad posteros: ego vero te potius rogo atque hortor ut eam scribas. Mitto hic decem libros ab octavo ad decimum septimum; reliquos quinque sub Pascha, aut paulo post missurus: confecti sunt maxima ex parte, nunc recognosco; & in chartam mundiorem describendos statim curabo: autographum servabitur apud me in sanctuariis; neque enim nescio quam à me damnose peccaretur* Frobenio, *si cui facerem copiam; sed velim quoque ut is vicissim neminem admittat ad lectionem eorum quæ excuderet, prius quam absolverit totum Opus, nec id dico sine magna causa. Video te semper omnia vitæ tuæ præsidia in innocentia ponere; qua una fretus magnus ille Orator, & in reipublicæ procellas tempestatesque ingressus, facile se simultates omnes contemnere profitebatur: & profecto fieri aliter nequit, quo minus Deus tibi bene velit, ut qui cogitas non esse hanc ævi nostri brevitatem dignam, ut ob eam tuendam tumultus & tragœdias excitemus. De* Aleandro *non dubito ita esse ut scribis; tametsi ipse cum* Leodio *rediret* Bruxellam, *jurarit mihi, se dignitatem tuam apud magnates omnes semper esse tutatum: nunc ad* Hispaniam *cucurrit ad novum Pontificem, de quo omnes optima & maxima sperant, atque ominantur; faxit* Christus, *ut is creatus sit in remedium tantorum malorum Ecclesiæ suæ. Quod istic metuunt tibi amici ne aliqui stringant in te styli aciem, hoc, ut* Cicero *respondit,*

An. 1522. *beneficium est. Quid enim amplius & copiosius, quam* Erasmo, *& pro* Erasmo *dicere? O quam facilis, & quam non vera modo, sed etiam verisimilis est defensio innocentiæ! tu quam vitam conscientia tua maximo rerum omnium testi approbas, diffides te aliis approbaturum vel inimico Judici, ut ille* Scipio. *De Monacho nigro doleo te tam sero in sententiam meam venisse: illud verissimum est, vitandum amicum qui obesse potest, prodesse non potest.* Stunicam *longas in te parari & atroces invectivas narravit mihi* Vergara, *recitavitque illius epistolam missam ad se* Romà, *qua id se facturum minatur; epistola est* Hispane *scripta, qua respondet literis* Vergaræ Latinis. *Nam id miratur* Vergara *illum vulgari sermone rescribere* Latino *talem epistolam: nec* Thraso, *nec* Pyrgopolynices *scripsissent nondum cum aliquo* Hispano. *De* Stunica *sum collocutus, quin odisse se illius mores dicat, arrogantiam, jactantiam, maledicentiam, invidentiam, supra quam explicari possit & credi. Scripsit etiam virulentissimum librum in* Fabrum; *is liber animos multorum irritavit, alienavitque ab eo amicos plerosque: quin & ajunt illum non posse pati aliquos esse inter se amico animo; laborare semper & anniti, ut eos non tantum disjungat, sed etiam committat: hoc dixerunt mihi, quos ipse ex conjunctissimis infestissimos inimicos reddiderat.* Megæram *dicas, non hominem: ab hujusmodi moribus prædito magna laus est vituperari, cui placere nemo possit, sine suspicione similitudinis morum: mihi unicus ille versiculus venit in mentem, quo te cohorter,*

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito.

*Forsan longe aliter dicerem, si istic essem, sed tamen non suademus, quod nos faceremus in simili rerum statu collocati, sed quid faciendum esset: peracta tibi est major ex parte vitæ fabula; quod superest, plausui da totum, non spectantium modo & præsentium, sed* Christi, *cui tot labores sunt tibi defudati, sed conscientiæ tuæ: & si quid spectantibus quoque tribuis, posterorum potius, quam præsentium. Illi enim sublata invidia, certisque affectibus, purum te verumque* Erasmum *considerabunt, reddentque meritas tibi laudes, tanto copiosius quanto iniquiores tibi tui seculi homines fuerunt, virtusque tua minus est ab iis cognita, inter quos versabatur, quod* Socrati *videmus contigisse: rogo te etiam atque etiam, ne te affligas; cogitesque, si te unum spectes gloriamque tuam, te satis vixisse, & interesse jam tuæ posteritati: arguere enim ex nonnullorum bonorum judiciis potes, qualis de te apud nascituros populos futurus est sermo: quod si reputes, pro lucro deputabis id quod posthac vives, vivesque securus & lætus; atque id demum erit vivere sine anxietate, sine solicitudine; facietque te ætas tua, multis canis munita, multorum latrantium contemptorem; & ipse velut fatis exemptus, & in excelso quodam existimationis bonorum hominum positus loco, infra te videbis omnia. Sed ego jam incipio oblivisci ad quem scribo. Credo te acceptarum à* Moro *literas per* Clementem, *qui his proximis diebus profectus est in* Italiam, *transiturus* Basileam, *ut dicebat. Postremis ad me literis* Morus *nihil de morbo suo scribit, credo revaluisse: nam prioribus jam se convalescere significabat. Initio Quadragesimæ veni* Brugas, *quod Quadragesima* Lovanienses *incommodè mihi est semper in oppido tam mediterraneo, ubi pisces nec edimus nisi jam putres, & non ad stomachum meum paratos: paucis antequam venirem diebus obierat nobis* Petrus Laurinus, *quod dolui haud sane mediocriter. Decanus te salutat, qui superiore hebdomade profectus est* Bruxellam: *narravitque mihi salutari te ab Abbate S.* Bavonis Gandensis, *qui hisce Calendis Januariis paravit tibi in adventum tuum strenas aureas, nescio quid rerum, pecuniam credo. De* Ferdinando *nihil adhuc procedit, & ut lente ac frigide id ambio, nescio an procedet. Dux* Albæ *offerebat non contemnendam prorsus conditionem, si per fratres rescire licuisset: cupiebat enim ille impense nepotes illos suos, quos habet in* Hispania *ex primogenito filio, à me erudiri: cumque ageret de mittendo ad me cubiculario quodam suo, qui rem mecum transigeret, offerretque ducentos aureos ducatos annuos mercedis nomine; intervenit Frater quidam* Dominicanus, *rogatque Ducem ecquid* Lovanium *mandet? se postridie iturum eo. Nihil, inquit Dux, opportunius; quæso te, loquere cum* Vive, *& ex eo cognosce, an vellet hac mercede instituere nepotes meos; & simul nobilis quidam* Bertrandus, *is qui te* Anderlaci *invisit, dat ei literas ad me, quibus certior de toto negotio fiebam: venit Frater* Lovanium, *colloquitur mecum plus decies, nec de Duce verbum ullum, nec literas* Bertrandi *reddit. Dux ubi me videt cunctari, aut admonitus forsan à Fratre me recusare, præficit jam hinc pueris* Severum *Monachum: ignarus ego harum rerum omnium, venio* Bruxellam, *ibi expostulat* Bertrandus, *quod epistola sua nihil responderim: cui malum, inquam, epistolæ? Serio, inquit, cui epistolæ? Serio, inquam: tunc narrat, multis præsentibus, rem ordine, quorum plerique affirmabant se interfuisse, cum Dux illa mandaret Fratri, se dolere impendio, quod conditionem sim adspernatus: fuisse futurum ut nusquam magis ex animi mihi mei sententia vixissem, quam secum, hoc est cum hominibus mei amantissimis, jam integrum non esse mutari: quod inter Ducem &* Severum *convenisset. Bona, inquam, verba: ego scilicet aliquid adspernarer, quod mihi à Duce offerretur? cum semper avidissime quæsierim occasionem aliquam ostendendi, quam essem animo in Ducis obsequium propensissimo. Agere me illis gratias de ejusmodi in me animis, & non tam ægre ferre interceptam eam conditionem, quam animum sceleratum Fratris: & hæc patimur à fratribus, quid facturi ab alienis? jam non contenti eruditionem impetere, etiam in fortunas nostras invadunt. Deus ipse vindex erit. Vale etiam atque etiam, mi præceptor.* Brugis 1. *Aprilis, Anno* 1522.

An. 1522.

## EPISTOLA DCXX.

Stanislaus Turzo, Episcopus Olmucensis, Def. Erasmo Roterodamo *S. D.*

NON *possum non confiteri, mi doctissime* Erasme, *incredibili me cumulari, tum voluptate, tum gaudio, quoties in mentem venit, venit autem sæpissime, tuæ erga me eximiæ charitatis beneficium, in quo tam benigne te exhibes, ut me eundem in sinum tuum dulcissimum recipias, quo germanum meum Episcopum* Vratislaviensem, *morte mihi nimis matura ereptum, sancte & amanter complexus fueras, quemadmodum literæ tuæ, candidissime ad me recens scriptæ, abunde testificantur: quas ego tanti æstimo ut nullum munus, quantumvis pretiosum, magis. Nam quid mihi carius obvenire potuit, quam ut me ille magnus seculo nostro* Erasmus, *ille adeo* Erasmus, *omnium disciplinarum lingua utriusque sine ulla exceptione facile princeps, in amorem suum volens ac lubens admiserit, nulla plane mei notitia, nullo etiam digno officio præcedentibus, sed sola* Casparis Velii *persuasiuncula motus, aut verius ingenita illa humanitate sua, qua ex æquo, pene in omnes bonis literis deditos utitur. Quid igitur non gestiam, quid mihi ipsi non magnopere gratuler, tantum boni, quantum nunquam merueri, sponte evenisse? Jamdudum certe ego* Erasmum, *quasi numen quoddam, cœlitus nobis missum, colo, observo, admiror. Et quoquo proficiscor, comitem semper ad latus habeo, ut cujus doctissimis pariter & sanctissimis lucubratiunculis non doctior solum, sed etiam quotidie melior fio. Nunc vero postquam ad illa omnia amor quoque mutuus accessit, sic me maximus ille Servator salvum esse velit, ut nesciam ullis verbis, quantum nomini tuo faveam, exprimere: verum, hoc tamen petere non omittam, (scis enim quantum sollicitus est Amor) ne me per oblivionem ex tuo sinu dimittas; vicissim ego diligentem charitate complectar immortali, faciamque promptissime, tui nominis gratia, omnia, quæ gratus quisquam & amori constans facere posset ac debet.* Casparem *nostrum* Velium, *mihi jam olim diu, ob ingenium, literasque, & ob multa item officia unice commendatum, cum tu quoque commendatione diligenti prosequeris, adjiciam libenter ad priora corollarium, ut intelligat, quam non sterilis fuerit tam magni*

Digitized by Google

An. 1522. *magni & graviſſimi viri commendatio. Mitto in præſentia Amplitudini tuæ exiguum pignus meæ erga te obſervantiæ, quod pro tua humanitate grato accipies animo, Nomiſmata videlicet quatuor aurea bonorum Imperatorum. Sic enim accepi te plurimum ejuſmodi rebus, ex vetuſtate nobis relictis, oblectari. Si quid præterea eſt, in quo tua charitati gratificari poſſem, exige, aut fac ut intelligam, & factum puta. Vale feliciter. Datum* 10. *Aprilis, Anno* 1522.

## EPISTOLA DCXXI.

*Eraſmus Rot. Epiſcopo Palentino* S. D.

REVERENDE Præſul, quod apud Cæſarem tuæ vocis teſtimonio tam candide & defenderis & ornaris *Eraſmum*, hoc mihi fuit gratius, quod & præter ſpem obtigit & meritum. Sed interim noſtra, qui libros edimus, nihilo melior eſt conditio, quam olim fuit hiſtrionum, qui in proſceniis fabulam agebant populo. Illis erat ediſcenda fabula, meditanda actio, nihil non faciendum uti theatro ſatisfacerent: populo, inquam, illi promiſcuo, vere belluæ multorum capitum, in quo paucis eadem placent, nec iiſdem ſemper eadem; denique cujus magna pars ſtudio potius quam judicio ducitur. Ab horum pollice pendet miſer ille ſaltator, adorat plebeculam, & quum nihil non fecerit, felix ſibi videtur, ſi impetravit ut ſtet fabula. Quod ſi exſibilatur, arbor quærenda ſuſpendio: Sane de libris nec minus varia, nec minus moroſa judicia, nec minus corrupta ſtudiis. Hoc nomine noſtra ſors iniquior, quod hæc damus noſtro ſumptu, quum hiſtrionibus ſua fuerit merces. Et illi, ſi non ſuccedat ſaltatio, tantum ridiculi ſunt: nos ſi diſplicemus, hæretici. Mihi ſane ſtudio fuit non tam placere quam prodeſſe omnibus. Et ſuccedebat, ni hæc novi Euangelii tragœdia intercurriſſet, quæ miro quodam orbis pene totius favore cœpta eſt agi, ſed actibus ſemper deterioribus in tumultuoſam ac rabioſam cataſtrophen exiit; mihi primus ſtatim ingreſſus diſplicuit, vel ob hoc quod viderem in ſeditionem exituram. Ego vero veritatem ſeditioſam nunquam probavi, tantum abeſt ut hæreſim. Et tamen ſunt iſthic qui, reclamante ipſorum conſcientia, me faciant *Lutheranum*, nimirum illud agentes, ut me ſuis odiis volentem nolentem protrudant in caſtra *Lutheri*. Me vero ab Eccleſiæ catholicæ conſortio nec mors diſtrahet, nec vita. Quam ſim *Lutheranus* ipſi *Lutherani* declarant, qui me publicis conviciis ac libellis dentatis fortiter impetunt. Nolim autem hoc laudis ferre, quod à *Luthero* deſciverim: habear & nunc *Lutheranus*, ſi unquam fui. Quanquam initio Monachorum quorundam ſeditioſi clamores mihi non probabantur, qui non ſolum in *Lutherum* muliebribus convitiis debacchabantur, verum etiam in linguas, in omnes bonas literas invehebantur: me vero nominatim in publicis concionibus impudentiſſime lacerabant. Novi Pontificis docta prudentia, & provida ſinceritas, ſimulque divinus quidam noſtri Cæſaris animus me in ſummam ſpem vocat, fore ut hæc peſtis ſic tollatur, ne quando poſſit reviviſcere. Id fiet ſi radices amputentur, unde hoc mali toties repullulat. Quarum una eſt odium *Romanæ* Curiæ, cujus avaritia ac tyrannis jam cœperat eſſe intolerabilis. Et aliquot humanæ Conſtitutiones, quibus *Chriſtiani* populi libertas gravari videbatur. His omnibus citra tumultum orbis Cæſaris auctoritas & novi Pontificis integritas facile medebitur. Ego tametſi nihil ſum, tamen pro mea virili non deſum neque deero officio meo. Tantum Cæſaris clementia jubeat ſalarium meum eſſe perpetuum, atque adverſus quorundam odium ſartam tectamque meam exiſtimationem curet: efficiam ut illam non pœniteat hujus conſiliarii. Bene valeat tua ſinceritas, cui hunc hominem, quantulus quantulus eſt, totum dedico. *Baſilea* poſtrid. Paſchæ, ſeu 21. Aprilis, An. 1522.



## EPISTOLA DCXXII.

An. 1522.

*Eraſmus Rot. Lodovico Coronello* S. D.

VIR eximie, *Lodovicus Vives* mihi tuas virtutes obiter denarrans nonnihil accenderat animum meum cupiditate amicitiæ tecum ineundæ, ſed hanc ſcintillam *Lodovicus Berus* vehementer excitavit, plenis, ut ajunt, tibiis, magnoque affectu depingens mihi felix iſtud ingenium tuum, non ſolum in literis Theologicis abſolutum, verum etiam in diſciplinis Mathematicis eleganter excultum. Nunc vero rarus quidam animi tui candor, & erga me nihili hominem ſtudium plane *Chriſtianum*, ex *Guidonis Morilloni* literis cognitum ac perſpectum fuit, ut majorem in modum doleam, me mihi talem amicum ante profectionem meam non aliquo ſaltem pacto conciliaſſe. Geſtiebat animus iſthuc advolare ante Cæſaris profectionem. Contempſiſſem valetudinem ſic crebris morbis nuper afflictam, ut ægre vitam ſuſtineam. Contempſiſſem itineris magnitudinem, neglexiſſem ſtudiorum labores, qui nunc in manibus meis ſunt, ac prælis *Frobenianis* excuduntur; contempſiſſem & alias cauſas quaſdam, haudquaquam contemnendas, ſed in primis terrebat me iter, nunc ſolito magis infame latrociniis. Jam crebro feliciter tranſcurri. Quod ſi quid accideret, actum eſſet de *Eraſmo*. De *Præfatione* ac *Paraphraſi* quod tam amanter admones, ſummam habeo gratiam. *Præfationem* neglectim adjeci, in gratiam typographi, qui quereretur vacaturas aliquot pagellas, ni adjeciſſem aliquid nugarum. Qualis qualis tamen eſt, meus eſt fœtus, vel, ſi mavis, aborſus. Non oportet ſic exſecrari hæreſim ullam, ut hujus odio non auſimus admonere quæ recta ſunt. Neque enim *Hieronymus* ideo veretur efferre laudibus virginitatem, quod *Marcionitæ* damnarint nuptias. Nec ideo non ſuadet monogamiam, quod digamiam damnarit *Tertullianus*. Si periculum eſt Euangelia vulgo legi, cur in vulgatiſſima lingua prodiderunt Apoſtoli? Nec arbitror quicquam eſſe periculi, ſi laici ſic legant ſacros Libros, quemadmodum illic præſcribo. Quid *Lutherus* doceat neſcio, *Paraphraſim in Matthæum* magis ex auctoritate *Matthæi Cardinalis Sedunenſis* ſuſcepi, quam ex meo judicio, quod in *Præfatione* non diſſimulo. In Apoſtolicis Epiſtolis ſi tuo judicio magis ſatisfacio, argumentum in cauſa eſt potius quam ego. In *Metaphraſi* ſenſus bona fide redditur, in *Paraphraſi* licet etiam de tuo addere quod auctoris ſenſum explanet. Quid autem juris ſit *Paraphraſtæ*, facile perſpiciet, qui *Themiſtium* cum *Ariſtotele* contulerit. Eſt enim *Paraphraſis* non tranſlatio, ſed liberius quoddam commentarii perpetui genus, non commutatis perſonis. Sed utinam mihi liceat coram tuis amiciſſimis monitis erudiri, & ad exactiſſimi judicii tui regulam attemperare ſtylum. Miror iſthic eſſe aut adeo ſtultos, aut tam impudenter mendaces, qui me prædicent fautorem eſſe *Luthero*. Exordium hujus fabulæ mihi ſemper diſplicuit, quam videbam in ſeditionem exituram, etiamſi nonnulla ſpes erat hominem ſeſe verſurum ad ſaniora conſilia. Nec placebant ſeditioſi clamores quorundam rabularum apud populum. Nunc *Lutherani* ſic rem gerunt ubique, quaſi ſervari nolint. Hic adeo *Lutheranus* non ſum, ut alii, qui favent *Luthero*, literis me rogent, ne quid ſcribam in illum, alii minitentur mihi libellos dentatos, quos utinam emiſiſſent in me ante biennium, profecto gravi invidia me liberaſſent. Sunt *Lovanii* duo aut tres, quos privatum odium inſtigat in me, quod olim impenſe faverim bonis literis, quas illi judicant incommodas ſuo inſtituto. Non eſt autem clementiæ Cæſareæ, hominem *Chriſti* gloriæ, & ipſius dignitati laborantem, talium odiis dedere. Si *Luthero* vel tantulum faviſſem, nolo jactare quid potuerim in *Germania*. Sed ego vel decies mortem oppetiero, quam ut periculoſi diſſidii ſim vel auctor, vel adjutor. Id jam intelligit *Germania*, & faxo brevi intelligant omnes, quanta ſinceritate me geſſerim in hoc negotio.



Digitized by Google

An. 1522. Quare confido fore, ut tua æquitas adverſus hujuſmodi impudentes calumnias mihi patrocinetur. Bene vale. *Baſilea* poſtridie Paſchæ, id eſt, 21. Aprilis, Anno 1522.

## EPISTOLA DCXXIII.

*Eraſmus Rot. Joanni Carondileto, Archiepiſcopo Panormitano*, S. D.

REVERENDE Præſul, admoneor amicorum literis, ut iſthic adſim ante Cæſaris abitum, ſed hic, qui has perfert, narrabat ſic accelerari profectionem in *Angliam*, ut verear ne fruſtra etiam ſcripſerim. Sequar tamen ſi ſenſero Cæſarem iſthic diutius hæſurum. Sed interim te rogo, ſi videor meis laboribus aliquam utilitatem attuliſſe bonis literis, adjuva tuo favore cauſam meam, ut mihi penſio ſit incolumis, & Cæſaris favore defendar adverſus quoſdam impudentiſſimos ſycophantas. Hic ita me gero, ut omnes *Lutherani* vehementer oderint, conviciiſque lacerent, quidam etiam libellis me proſcindant. *Eraſmus* nec fidei *Chriſtianæ*, nec Cæſaris gloriæ unquam deerit. Quid multis? Efficiam, ut illum nunquam pœniteat hujus conſiliarii. Olim quadrupedes ob damnum datum noxæ dedebantur, ſed vehementer iniquum, ut ego ob datam publicitus utilitatem dedar quibuſdam noxiis beſtiis, vel potius livori, quæ peſtis eſt quavis vipera nocentior. Amplitudinem tuam incolumem ſervet Optimus Maximus *Jeſus*. *Baſilea* die *Mercurii* poſt Paſcha, ſive 23. Aprilis, Anno 1522.

## EPISTOLA DCXXIV.

*Eraſmus Roterod. Andreæ Alciato* S. D.

ALII quoties hominem certum nacti ſunt, ſolent omnibus de rebus copioſius ſcribere, ego vero vel ob hoc ipſum puto mihi ſcribendum parciſſime, quod *Bonifacium Amerbachium* nactus ſum grammatophorum, quo nihil obtingere potuit vel fidei ſpectatioris, vel utrique noſtrum amicius. Quorſum enim opus eſt literis, quum hic rerum mearum nihil ignoret? De libello etiam atque etiam jubeo te eſſe ſecurum. *Pyrrhi* noſtri mortem ut ex animo doleo, ita pectus iſtud tuum tam amicum exoſculor, qui non paſſus ſis amici memoriam interire. Ante annum *Germani* quidam mihi nimium amici rurſus excuderunt ingens volumen epiſtolarum, inter quas ſunt quæ vereor ne mihi gravem conflent invidiam, præſertim hoc ſeculo, quo nihil non rapitur in ſuſpitionem aut calumniam. In aula Cæſaris vix ſubſiſto per quoſdam, qui me *Lutheranæ* factionis auctorem jactitant, non quia hoc ſuſpicentur, quod ipſi quoque ſciunt eſſe falſiſſimum, ſed partim ut me quocunque titulo lædant, partim ut volentem nolentem in *Lutherana* caſtra protrudant; quod tamen nunquam efficient. Rurſus hic apud *Germanos* iidem illi ſophiſtæ, qui mihi male volunt, apud *Lutheri* ſtudioſos atrocem rumorem diſſipant, me magnis ac ſævis voluminibus oppugnatum, atque adeo funditus ſubverſum ire omnes *Lutheranorum* arces. Fremunt igitur hi quoque in me, jamque libellos dentatos habent in promptu, quibus me proſcindant, & quod eſt paradoxon, quos *Romanus* Pontifex & Cæſar pronunciavit hæreticos, iis ego ſum hæreticus, ni velim eſſe hæreticus. Eſt *Romæ Stunica* quidam *Hiſpanus*, qui nunc alterum librum conviciis onuſtum evomuit in me. Sed utinam ante biennium in me ſcripſiſſent *Lutherani*, certe gravi liberaſſent invidia. Ego nullis procellis dimovebor ab inſtituto meo. Niſi mihi utrique eſſetis ex animo egregieque chari, utrunque alteri inviderem, *Alciatum Bonifacio* & *Bonifacium Alciato*. Emoriar ſi quicquam unquam vidi hoc juvene purius, aut ſincerius, aut amico amicius. Nunquam animo ſuo ſatisfacit in prædicandis laudibus *Alciati* ſui. Utinam ejus eximiis dotibus non noceat fatorum invidia. Futurus eſt aliquando magnum *Germaniæ* ſuæ ornamentum. Novi te, qui tuus eſt candor, hominem tibi jam pridem & notum & charum omni officiorum genere proſequuturum, alioqui rogarem impenſe, ut ex mea commendatione nonnihil adjungeres tuæ in illum benevolentiæ. Bene vale, vir excellentiſſime, & *Eraſmi* nomen inter eos ſcribito, qui tibi ex animo bene cupiunt. *Baſilea* die *Veneris* poſt Paſcha, hoc eſt, 25. Aprilis, Anno 1522.

## EPISTOLA DCXXV.

Vives Eraſmo.

LITERAS *tuas, quas ſcripſiſti* XIII. *Cal. Aprilis, accepi Nonis Majis, neſcio quemadmodum tam lente perlatas. Cancellario reddidi quas ad eum ſcripſiſti; qui ubi legiſſet ſuperſcriptionem inter reſignandas eas revidens, ad nos converſus* (*aderat enim* Narciſus *medicus*) *erravit, inquit*, D. Eraſmus *in nomine; nam ſcripſeras prius* Guilielmum; *deinde hoc deleto, ſuperſcripſeras* Mercurinum: *ſed haud dubie mihi ſubriſus ille non tam ex ea cauſa videbatur oriri, quam ipſe pretendebat, quam gaudio tuarum ad ſe literarum: tum legit duplicem, ut mihi quidem videbatur, epiſtolam; alteram non ſcriptam manu tua, nec litera* Italica, *eamque legit priorem: dehinc quam vel tu, vel aliquis tuorum ſcripſit; & legit attente, nec perfunctorie; tum quæſivit ex me, an quid aliud ad ſe ſcripſiſſes? negavi aliud me ad eum habere: atqui, inquit, hæ literæ aliquid videntur aliud ſignificare: reſpondi, me id neſcire: loquitur hic, inquit, de via quadam, nec explicat quæ ſit; quæſivit* Narciſus, *quomodo valeres: reſpondit ille, te calculo affectum ſcribere; tum ſubticuit, atque ita eo ſalutato abii. Nondum venerat Cardinalis* Leodienſis, *venit noctu; poſtridie cum ad eum eſſem profectus, inveni eum in veſtibulo domus parantem ire ad Cæſarem, reddidique literas tuas, quas viſus eſt accipere libens, dixitque ſe lecturum: & conſcendens mulam, reſignavit eas; cœpitque legere: illinc rediens offendi* Hilarium *noſtrum pulſantem noſtras fores, qui nunciavit te bene valere; quod equidem gaudeo non mediocriter. De adventu huc tuo nihil dicebat ſe habere certi, præterquam quod non dubitaret te haud diu abfuturum: multi te cupiunt adeſſe; etiam ii qui plurimum poſſunt in hac aula, ac penes quos putatur eſſe cenſura ingeniorum ac ſtudiorum; niſi fucum omnibus faciunt, & vehementer ſimulatas gerunt voluntates, quod in nulla aula novum eſt, nec in hac rarum. Hodie loquar* Coronello, *quem nondum conveni, ex quo huc venit: ſi quid ex eo cognovero, quod credam tua intereſſe abs te non ignorari, addam his literis, ſi modo non miſero; ſin miſero, ſcribam per alios.* Vergara *ſalutat te, qui narravit mihi*, Hiſpanum *quendam, qui nunc agit* Romæ, Mirandam *nomine, ſcripſiſſe de tribus aut quatuor locis Annotationum in Novum Teſtamentum tuarum, ſed modeſtiſſime ac honorificentiſſime, monens potius id agit, quam reprehendens, aut objurgans: Opus ajebat ſibi eſſe dicatum; dicebant hic in aula eſſe qui haberent: ſi nanciſci poſſum, dabo huic* Hilario *ad te.* Coronello *ſum locutus, & quidem prolixe, ἵνα τὸν ἐμὸν δαιμονίαν αὐμάζῃς. Primum recenſuit occupationes ſuas in* Lutheranos; *ideo dicebat ſe non potuiſſe reſcribere tuis literis, quas mihi oſtendit, reſponſurum ſe antequam* Brugis *abeat. Vereri judicium & cenſuram tuam, propterea non poſſe expedire rationem aliquam reſponſionis. Verſari ſe in anguſtia & inopia rerum ac verborum, ſed verborum potius: te, ſi ita ſentit ut mihi eſt locutus, & dejeravit ſe ex animi ſententia loqui, alterum* Hieronymum *aut* Auguſtinum *putat, ſeque ſtudioſiſſimum tui nominis eſſe ait; admiratorem tuorum monumentorum, quæ puriſſima eſſe &* Chriſtianiſſima *prædicat, depugnaturum pro illis non ſecus ac pro Euangelio* Chriſti. *Tum ego; Qui ſunt igitur qui illum ceu* Lutheranum *inceſſunt? Nulli, inquit, ſunt, nihil jam loquuntur, ſunt ſtupidi qui ita judicant. Hæc confabulationis ſumma; diremit nos hora cœnæ. Libellum* Mirandæ *non habent* Bruxellæ: *dicunt eſſe, ſi poſſum, alicunde eum tibi expiſca-*

Digitized by Google

An. 1522. *piscabor. Hodie venit ad me famulus quidam* Leodiensis Hispanus, *qui olim mihi ministravit, narravitque* Leodiensem *tradidisse literas tuas Dominico cuidam* Italo, *quem hic apud eum* Aleander *reliquit, ac suspicor esse* Aleandri *propinquum. Hic Dominicus ubi legisset literas, dixit iis qui aderant,* Erasmus *excusat, cum nemo accuset: & queritur de* Aleandro, *cum hic honorifice semper de illo sit locutus, ac literas scripserit Pontifici benevolentia in eum plenissimas.* Pratensis *hodie aut cras profecturus est in* Britanniam *Legatus perpetuus; dixitque mihi,* Leodiensem *ostendisse sibi tuas literas, esseque sollicitum quod eger significares te scripsisse. Cancellarium tibi impendio favere dixerunt mihi homines etiam ex vulgo aulae. Has literas vides centonibus coagmentatas: nam ut quicquid cognoveram, ita scribebam; sed tu hujusmodi mavis quibus certior de omnibus fias, quam accuratas illas, in quibus nihil sit praeter civilitates. Cum apud me esset heri* Hilarius, *venit ad me* Hispanus, *de* Leodiensi *familia; narravitque ipso* Hilario *audiente, nullum hodie vivere sub coelo hominem, cujus* Leodiensis *sit amantior, quam tui; habere semper Opera tua in manibus, lectitare sedulo & admirari, propugnare te, si quis calumnietur, non secus quam aras & focos: se crebro coenis & prandiis interfuisse, ubi excitata de te mentione, ita te, tuumque nomen, & eruditionem adversus* Italos *quosdam defendisset, ut facile appareret, te illi esse quam charissimum.* Hilarius *tuus diligentissimus fuit in requirendis responsis ab iis ad quos scripseras: sed genius hujus aulae est mirus dilator & procrastinator.* Augustinus *meus adventu amicorum aulicorum depositus est tantisper è manibus, ubi primum hinc abierint, convolabo* Lovanium, *ibi quam citissime addam extremam manum; desunt enim quinque libri tantum: nam* Frobenius *habet* XVII. *Commendo tibi* Hilarium *hunc, condiscipulum olim* Parisiis *meum, quem arbitror alioqui tibi esse commendatissimum. Vale.* Brugis 20. *Maji, Anno à* Christo *nato* 1522.

## EPISTOLA DCXXVI.

*Erasmus Rot. Ennio Episcopo Veruliano* S.

REVERENDE Praesul, fasciculus ille una cum tuae celsitudinis epistola bona fide redditus est. Qua quidem ex re multiplicem cepi voluptatem. Primum, quod ex eo cognovi quaedam, quae mea referebat scire. Deinde, quod hinc perspexi quam ex animo mihi bene velit *Matthaeus* Cardinalis *Sedunensis*, tametsi non hoc argumento nunc primum illius in me studium didici. Postremo, quod obiter ceu novum lucrum accessit animus iste tuus, tam propensus ad benemerendum de nobis, quum antehac te tantum de nomine notum habuerimus. Amplector utraque manu quod offers, & habeo gratiam. Porro de me, quoniam nihil aliud possum, illud certe polliceor, animum memorem & gratum, qualem debet habere fidus clientulus erga dominum ac patronum optime meritum. Bene vale. *Basilea* 21. Maji, Anno 1522.

## EPISTOLA DCXXVII.

*Erasmus Rot. M. Conrado Goclenio* S.

ACCEPI tuas literas. *Georgium*, opinor, jam vidisti, ex quo cognovisti rem. Dic illi non sacerdoti, ut si decrevit abire, quod tamen ego non probo, δεῖ θαῤῥεῖν. Prima coitio * Nebulo magnus est. Veniat huc bonis avibus sub proximis nundinis. Non deerit illi bona conditio. Sed tamen ego malim non solvi chorum, multis de causis. Alius erit exitus, quam putatur. Loquor de bonis literis. Scripseram de *Ceratino*. Saltem ille veniat. Σίγα, φρένα, νῆφε, ἀπίσθ, τὴ θαῤῥεῖ, τὴν ἔῤῥωσο.. *Basilea* postridie Trinitatis, seu 16. Junii, Anno 1522.

* Aliquid deest.



## EPISTOLA DCXXVIII.

*Erasmus Rot. Petro Barbirio* S. D.

ACCEPIMUS sarcinas & librorum & epistolarum quas istinc misisti. Apud *Matthaeum* Card. *Sedunensem* eris mihi epistolae vice. Pro tam singulari illius in me studio, video quantum debeam. Si frater esset, qui posset amantius? Dolet quod *Stunicam* dignatus sim unquam responso. Et huic successit *Caranza* non edentulus. Blasphemias rident omnes, & nemo non indignatur *Stunicae*, qui in florilegio haec evulgarit, quae causam adjuvant *Lutheranam*, ut ipsis quidem videtur. Antehac negabant istuc iter esse tutum, & ego sic eram affectus, ut non essem aptus itineri. Quin haec quoque scribo graviter afflictus calculo, quanquam jam aliquot diebus sat commode valui. Et sum affixus libris excudendis, ut non liceat abire ante finem Augusti. Tum si valetudo erit vel mediocris, advolabimus. Saluta mihi millies amicos omnes, *Pacaeum*, *Fabrum*, Praepositum *Vratislaviensem*, *Hermannum Frisium*, cujus ingenium ego unice amo, *Landavum Bavarum*. Scribam brevi omnibus, ubi dabitur certior tabellarius, & valebo melius. *Basileae* 25. Junii, An. 1522. An. 1522.

## EPISTOLA DCXXIX.

*Erasmus Jodoco, Senatus Mechlinensis Praesidi*, S. D.

AUDIO & profecto gaudeo ex animo, vir eximie, summam auctoritatem *Lutherani* negotii excellentiae tuae esse commissam, quem ego novi praeter absolutam jurisprudentiam virum integris moribus summaque praeditum aequitate. Nam ut danda est opera, quo *Lutheri* factio sopiatur, ita cavendum est ne boni viri, & suis laboribus de studiis publicis benemeriti, dedantur quorundam privatis odiis. *Nicolaus Egmondanus*, nemo est *Lovanii* qui nesciat, quam sit homo pertinacis & vindicis animi, si conceperit odium in aliquem. Et cum illo mihi jam vetus & capitale odium intercessit, etiam antequam mundus sciret natum *Lutherum*, ob linguas ac bonas literas, quas ille plusquam capitaliter odit. Et quum sibi permiserit, ut me toties in concionibus & lectionibus suis, manifestis mendaciis perstringeret, nec ab haereseos convicio temperans: tamen ferre non potest, quod apologia quadam, tacito etiam ipsius nomine, calumniam falsissimam à me depello. Nunc ut audio in omnibus conviviis, *Mechliniae* in publica concione, me una cum *Luthero* haereseos notavit. Hoc certe non habet in mandatis, nec à Caesare, nec à Pontifice, ut istis modis ulciscatur odium animi. Mihi nihil unquam fuit negocii cum *Luthero*, nisi quod semper dehortatus sum ne pergeret talibus libellis concitare mundum, vaticinans jam tum hoc futurum quod videmus evenisse. Ego & hic & isthic partim dictis, partim epistolis, multos alienavi à factione *Lutherana*. Nec ulla res magis dejecit *Lutheranorum* animos, quam quod palam editis libris declaravi me adhaerere Pontifici *Romano*, & *Lutheri* negocium improbare. Quod si favissem *Luthero*, sicut isti jactant, non defuissent praesidia Principum. Nec adhuc affectus iste tam exstinctus est in animis hominum, quam isti putant, & quam nos cupimus. Sunt hic plusquam centum millia hominum, qui oderunt Sedem *Romanam*, & *Lutherum* magna ex parte probant. Vide autem quam inique mecum agetur, si quum ego perdiderim amicitiam tot eruditorum *Germanorum*, quum *Lutheranos* omnes in me provocarim, qui nunc amarulentis libellis in me debacchantur, isti victoria sua, quam mihi non minima ex parte debent, abutantur in caput meum, & ideo traducar ut haereticus, quia mihi placent bonae literae, & non placent mores *Egmondani*, qui nulli fere bono viro placent. Scripsit ad me Caesarea Majestas, scripsit *Joannes Glapion*, scripsit Archiepiscopus *Panormitanus*, Episcopus *Palentinus*,

Digitized by Google

An. 1522. *nus*, Cancellarius *Mercurinus* literas humanitatis plenas, hortantes me ut pergam meis laboribus promovere rem literariam. Scripsit ad me præter alios doctos *Matthæus* Card. *Sedunensis*, scripsit Card. *Moguntinus*, cumque his alii permulti agentes gratias, omnemque favorem ac liberalitatem pollicentes, quod in negocio Ecclesiæ eum animum præstem, quem illi volebant. *Sedunensis* offert etiam quingentos ducatos annue, & viaticum honorarium, si velim adire *Romam*. Quid autem inhumanius, quam quum ego me fecerim hostem *Lutheranæ* partis, cum mihi pax sit cum summis orbis Principibus, discerpi ab uno *Carmelita*? Tot annis vixi *Lovanii*, cur tum non impingebant mihi errores meos? Imo *Atensis* omnia mea sine exceptione probavit. Deinde quum rogatu meo notasset duo aut tria loca, respondi & satisfeci per omnia. Nunc absente Cæsare parant abuti auctoritate sua in me, & ulcisci vetus odium suum. Exiit nuper libellus Colloquiorum. In hoc clamat *Egmondanus* esse quædam hæretica. Primum in Colloquiis non trado dogmata fidei, sed rationem loquendi. Nec est ibi quicquam tale, sed ille ex suo odio interpretatur. Non damno illic indulgentias, nec usquam alias, sed quidam irridet sodalem suum, qui quum esset nugacissimus nugator, putaret sese bullæ præsidio posse pervenire ad cœlum. Confessionem etiam approbo, tantum puer dicit, suo animo satis fore, confiteri Deo, si idem visum esset proceribus Ecclesiæ, & tamen fatetur sese confiteri etiam sacerdotibus. Quasi non sit satis puero obtemperare primatibus Ecclesiæ in confitendo, aut quasi *Christus* non sit unus ex proceribus Ecclesiæ, aut quasi mihi constet esse articulum fidei hanc confessionem esse institutam à *Christo*. Et tamen hac in re sensum animi mei semper submisi judicio Ecclesiæ. Quidam illic dicit se odisse pisces, & miratur quod Præsules voluerint obligare nos ad esum piscium sub pœna gehennæ. Et tamen qui hoc dicit, fatetur sese *Epicureum* esse. Quanquam nec hoc mihi liquet, an Pontifex hoc animo fuerit, ut excepto scandalo & contemptu, voluerit nos adstringere ad esum piscium sub pœna æternæ damnationis. Nescio an agant adversum me ex edicto Cæsaris. Certe edictum illud postremum huc non pervenit, nec unquam publice aut privatim fuit exhibitum. Quare te quæso, vir egregie, ut tua æquitas istorum odium & acerbitatem temperet. Quod ad me pertinet, scio quid agant, cuperent me protrudere vel nolentem in factionem *Lutheranam*, id quod nunquam efficient. Sed illud videndum an expediat me eo propellere. Erit hoc *Lutheranis* gratissimum, si quid in me fecerint atrociter. Si quid habent adversum me, primum admoneant: fortassis ita respondebo, ut illis abunde satisfaciam. Non est hic ludendum temere in libros alienos. Sunt infinita hominum millia, qui non oderunt *Erasmum*, quod ex libris meis profecerint. Et possem turbare mundum si velim, verum citius moriar quam sim futurus auctor novi tumultus. Hoc animo quum sim, tanto iniquius fuerit committere, ut impune dedar implacabili odio unius aut alterius. Si mecum agatur civiliter, efficiam ne quis in me desideret officium hominis *Christiani*. Ego semper studui prodesse omnibus, neque quisquam magis abhorret à dissidio. Non ago nunc causam *N. B.* nam nescio quid ille confessus sit. Illud scio, non fuisse *Antuerpiæ* virum moribus incorruptioribus, & gratiorem civibus, magisque necessarium Reipubl. in instituendis pueris. Nec de collega illius pronuncio, nam illius causam, quod ad *Lutherum* attinet, non novi. Illud scio, virum esse pulchre doctum, multarum linguarum peritum, moribus sinceris, nisi quod est linguæ liberioris. In hunc *Egmondanus* haud dubie sævior fuit, quod privatim ab illo fuisset læsus. Nemo nescit hoc agere *Hochstratum* & *Egmondanum*, ut linguas ac bonas literas exstinguant, & in harum professores potissimum quærunt ansam. Mea sententia rectius fecerint, si sint contenti sua victoria, nec excitent in orbe plures tragœdias. Mundus utcunque feret sibi ereptum *Lutherum*, linguas ac bonas literas eripi nunquam feret. An. 1522. Sed pluribus verbis onero magnificentiam tuam, quam etiam atque etiam rogo, ut sua prudentia, suaque æquitate moderetur aliorum impetus. Et si quid est tale quale rumor huc attulit, non patiatur *Erasmum*, de omnibus bene merentem, odio duorum hominum dedi. Dubium non est quin idem velit & Cæsaris clementia, & summi Pontificis pietas, & publicus bonorum affectus. Bene valeat tua magnificentia, vir eximie, & *Erasmum* inter tuos clientes adscribito. *Basileæ* 14. Julii, An. 1522.

## EPISTOLA DCXXX.

### Vives Erasmo.

ABSOLVI *tandem*, Christo *gratia*, XXII. *Lib.* de Civitate Dei, *quorum quinque postremos, qui reliqui erant, per hunc juvenem* Colonienſem *mitto cum epistola nuncupatoria ad Regem* Britanniæ, *cum præfatione, & de veteribus interpretibus, postremo de* Gothis: *quæ quatuor initio Operis ponentur: sunt enim ceu præmia quædam. In præfatione ipsa paucula quædam attigimus de immensa tuarum laudum materia; utinam tam eleganter & docte, quam vere quam ipse sentio magnifice, ea tu leges prius quam imprimantur, & censura tua omnia temperabis, addes & mutabis, quæ videbuntur, modo ne minora facies quam diximus, alioqui nihil futura; tum si quid erratum non modo in* Græcis *& orthographia, sed etiam vel in historia, vel fabula, vel philosophia, vel theologia, vel dictione, tibi omnia trado emendanda, approbaturus non secus, quæ in hoc egeris Opere, ac si feciſſem ipse, & habiturus maximi beneficii loco, videlicet quod & me docueris, & mea reddideris meliora. Annotatiunculas nil dubito quin marginibus addiderint, secuti meum exemplum ex primis duobus aut tribus libris, vel etiam suum, ut sunt ea in re exercitatiores. Tum Indicem colligere non erit difficile, de quo tibi jam aliis scripsi literis per* Georgium. *Si significabis mihi quid me velis de* Colonienſi *libro facere, quandoquidem jam mihi non est admodum usui futurus, nisi forte alias ut rursus accuratius hoc idem Opus edatur, velim iterum ad antiqua exemplaria* Auguſt. *conferre: voluntatem de hoc tuam curabis mihi perscribendam. De pecunia rem totam tui &* Frobenii *arbitrii facio; tu ipse scis, ut non sim ejus avidus, & mihi vivendum est iniquissimis temporibus, & in regione ubi sumptus magni, & quæstus nulli, duntaxat ingenio liberaliore digni; si quid miserit, curet per certum aliquem, & sine dilatione mihi reddendum: plura hic non loquor, ne suspiceris me morem mutasse meum, quem tu scriptis etiam editis testificatus es; sed fac memineris etiam tui: scis quid mihi mutuaris, cum hic essemus. Venio ad literas tuas, quas accepi nudius (ut puto) quartus aut quintus, datas abs te postridie Trinitatis, missas mihi ab* Antuerpia. *Nam tuum istum, per quem jubes me Opus mittere, non vidi, nec huc venit.* Petrus Ægidius *scripsit* Corrado *illum diversis itineribus ac lentius redituruum ad vos, quam rem nos in præsentia vitandam duximus: nec* Carolus, *qui se profecturum dixerat, cum adesset* Georgius, *satis certus est cum discedet. Itaque hunc* Joannem Andernachum *conduxit* Corradus, *& cum eo transegit, quemadmodum credo te ex ejus literis intellecturum. Nam mihi nec quærere, nec ejusmodi curare otium fuit occupatissimo in postremo Opere ac præfationibus recognoscendis adornandisque, deinde corpore nonnihil affecto. De* Stunica *nihil multis diebus audivi; spero tibi non defutura studia digna studiis, ingenio, eruditione, probitate tua. Libellum* Carramæ *misi ad te per* Georgium; *sed video jam tibi transmissum. Particulam tuarum literarum ostendam doctori* Jodoco *per occasionem: quod feciſſem, etsi non monuisses. Jubes me literas nescio quas* Mauritio *tradere. Ego vero ut neque juvenem tuum, ita nec literas vidi ullas tuas, præterquam ad me scriptas: non dubito quin* Petrus Ægidius *curarit, quod me jubeas.* Mauritius *abest in* Britannia. *Habes hic binas à* G. Thaleo, *qui percupit ex te scire, an tibi sint, quas ad*

*te*

Digitized by Google

An. 1522. *te in Quadrageſima dedit, reddita. Salutant te* Cranaveldius, Laurinus, & Fevinus *noſtri; tui etiam.* Vaulterus *Conſiliarius* Flandriæ, & Ruffaldus *noſter, qui negotii tui non eſt immemor, etiam hodie ad patrem ea de re ſcripſit. Potes huic revertenti aliquot codices dare ex impreſſis, ſi ita videbitur, ad me ut perferat. Salvebunt à nobis iſtic tui & ea nomine noſtri quoque, ac inprimis* Frobenius *cum tota familia. Vale.* Lovanio 14. *Julii, Anno* 1522. *A* Moro *accepi his diebus binas, quibus ſignificat ſe optime valere. Superis gratia.*

## EPISTOLA DCXXXI.

*Bilibaldo ſuo Eraſmus* S. P.

DVRERO noſtro gratulor ex animo. Dignus eſt artifex, qui nunquam moriatur. Cœperat me pingere *Bruxellæ*: utinam perfeciſſet. Nos eodem in ſtatu fuimus, quo ille, malo ex re nihili nato. Perſentiebam animo voluptatem quandam, quod ex hoc turbulentiſſimo ſeculo migraturus eſſem ad *Chriſtum*. Gliſcit in dies hæc peſtis; nec ullum video exitum. Scripſeram Pontifici conſilium meum, ſed *Eccius* ſcribit, ſuum conſilium máxime placuiſſe, ſeque apud Pontificem valere plurimum. Ego me ab his contentionibus abduco, & ad tranquilliora. In Paraphraſibus tractandis videor mihi fieri melior: & nemo læditur. Gravamina reddidit mihi *Sylvius Ægranus*, ſed nondum perlegi. Si tu recte váles, eſt quod magnopere gaudeam. Ut video, alius ſibi ſumpſit partes reddendi libros meos *Ferdinando*, ut aliquid ab eo extorqueret. Miſi poſt, libellos inauratos. *Ferdinandus* & literis humaniſſimis gratias egit, & centum florenos aureos dono miſit. Emoriar, mi *Bilibalde*, ſi crediturus eram, in univerſis *Germanis* eſſe tantum inhumanitatis, impudentiæ, vanitatis, virulentiæ, quantum habet unus libellus *Hutteni*. Tot teſtimoniis ornatus eſt à me. Toties per me ſuo Cardinali ac cæteris Principibus commendatus eſt. De nullo candidius ſentiebam & loquebar. Nunquam à me verbo læſus eſt. Imo cum hic eſſet, obtuli colloquium, ſi quid eſſet rei ſeriæ: detuli ei officium, ſi quod à me præſtari vellet. Nihil minus exſpectabam, quam hunc aſſultum ab *Hutteno*. Multis conjecturis adducor, ut credam *Henricum Epphendorpium* hujus fabulæ artificem; adeo ille ſubito factus eſt *Huttenianus*. Ego tamen non deſinam eſſe ſimilis mei. Nondum ſtatui, an velim illi reſpondere. Furit, nec habet, cujus jacturam faciat. Fugitat ac latitat nunc apud *Helvetios*, non abſque periculo. Fovet illum *Zwinglius Thurregii*, ſed clam. Bene valeat meus *Bilibaldus*. Reliqua cognoſces ex *Ægrano*. *Baſilea* 19. Julii, Anno 1522.

## EPISTOLA DCXXXII.

*S. P. N. Adriano Sexto deſignato Pontifici Eraſmus Roterodamus* S. D.

ALIVS hic, beatiſſime Pater, univerſam rhetoricæ ſupellectilem in hoc depromeret, ut tibi dignitatem iſtam, qua major in terris homini non poteſt contingere, gratularetur. Ego vero non ſumam ullam hac in re operam, ut qui certo ſciam, quam ægre munus hoc præter omnem exſpectationem delatum ſuſceperis. Et fortaſſis ineptus videar, ſi inde tibi gratuler, unde tu ſuſpiras & ingemiſcis, non ignarus quam difficile ſit iſtam provinciam ſic obire, ut functionem tuam approbes principi *Chriſto*, cui mox omnium geſtorum reddenda erit ratio: præſertim his temporibus, quibus totum *Chriſtiane* ditionis corpus, utraque ſui parte, tantis malis laborat, etiamſi non accederent *Turcarum* atroces minæ, atque adeo jam non minæ tantum. Sed quo minus eſt cauſæ, cur privatim gratulemur tibi, hoc impenſius publice gratulamur orbi *Chriſtiano*. Nam hæc rerum humanarum tempeſtas talem omnino requirebat nauclerum. Multis enim argumentis in ſpem vocamur, futurum ut provinciam divinitus delegatam non alii geras quam *Je-*

*ſu Chriſto*, & hujus gregi. Qui utinam promereatur, ut tuos ſanctiſſimos conatus bene fortunare dignetur, ſine cujus favore inanis eſt omnis conatus mortalium. Studii erga te mei, ceu pignus quoddam, nunc mitto *Arnobium*, qui tum forte erat in manibus, quum huc nuncius omnium lætiſſimus adferretur, *Adrianum* Sextum rerum gubernaculis admotum, uberius ac plenius idem declaraturus, ubi ſe dederit opportunitas. Mihi probe nota eſt & meæ conſcientiæ ſinceritas, & tui ingenii prudens æquitas. Sed tamen quoniam video, quantum hoc ſeculo poſſunt malæ linguæ, viſum eſt tuam ſanctitatem adverſus harum virulentiam, velut antidoto quopiam, præmunire, ut ſi quid delatum fuerit de *Eraſmo*, aut plane rejiciat, aut, ſi quid dubitabit, ſuſpendat ſententiam, donec meam acceperit defenſionem. Nihil enim addubito, quin apud te judicem æquiſſimum ſim iſtorum calumniis abunde reſponſurus. Hoc quum ſcirem te tua ſponte facturum, tamen quorundam improbitas, qui nuſquam non ceſſant, fecit ut, ſi non rogarem, certe ſubmonerem. Hactenus in re *Chriſtiana* animum præſtiti dignum orthodoxo, eundem præſtaturus uſque ad extremum vitæ diem. Si neutri parti cauſam meam probare potero, certe *Chriſto* conſcientiam hanc confido me probaturum. Sit hoc non è tripode, quod ajunt, ſed ex ſinceri pectoris oraculo dictum. Hujus epiſtolæ brevitatem penſabit prolixior in *Arnobium* præfatio. *S. T.* diu nobis ſervet omnium Servator Dominus *Jeſus*, qui tibi ſuas vices gerenti ſemper adeſſe dignetur. *Baſileæ* 1. Auguſti, Anno 1522.

Hæc epiſtola miſſa eſt priore diplomate miſſo quidem, ſed nondum reddito.

## EPISTOLA DCXXXIII.

### IN ARNOBIVM.

*Adriano, hujus nominis VI. Pontifici Romano nuper electo, Eraſmus Rot.* S. D.

QVVM facile divinarem, beatiſſime Pater, quanta gaudiorum ambitione ſtrepituque *Roma* foret exceptura longe gratiſſimi Pontificis adventum, præſertim tot jam menſibus deſideratum, ratio mihi quæſita eſt, ut inter tot millia gratulantium, inter tot acclamantium & applaudentium agmina, inter tubarum voces & bombardarum tonitrua, tamen humilem, exili voce, denique procul etiam abſentem, non omnino mutum agnoſceres *Eraſmum*; ut quondam tuæ doctrinæ Theologicæ auditorem, & integritatis admiratorem, ita nunc tuæ ſollicitudinis Apoſtolicæ oviculam. Sic *Zachæo* puſillo quæſitum ſycomori præſidium, ut videret *Jeſum* & ab eodem videretur. Imo non tam hæc ratio mihi quæſita eſt quam ultro oblata. Benignitas enim Domini *Jeſu*, cujus peculiari voluntate ad iſtuc muneris adſcitum eſſe te perſuaſum eſt omnibus, quum pollicita ſit inventuros eos qui quæſiſſent, mihi non quærenti, organum, ni fallor, aptiſſimum obtulit, quo tibi gratulationis officium, haud quidem vulgari more perſolverem. Obtulit enim *Pſalterium Davidicum*, digitis *Arnobii*, peritiſſimi Pſalmiſtæ, mea ſententia dulciſſime reſonans. Et ſi quid faciunt ad magnificentiam, tædarum ac funalium flammæ, habet hoc organum non ſolum efficacem & amabilem piis auribus tinnitum, verum etiam habet & ignem ſuum, habet ſuas & faculas, de *Chriſti* igne lucentes, quem ille venerat ſparſurus in terras. Hoc ut longe magis decorum eſt vere Theologo & integerrimo Pontifici, ita non dubito quin ſit & multo gratius futurum animo tuo, quam lituorum cantus, aut tormentorum æneorum crepitus, aut inconditæ populi tumultuantis acclamationes. Sed ne moleſtus ſim ænigmatis, rem ut habet ſimpliciter eloquar. Eodem ferme tempore, quo huc rumor omnibus lætiſſimus allatus eſt, te magno conſenſu Cardinalium adſcitum ad Pontificii *Romani* culmen, miſſi ſunt ad nos è venerabili collegio ac diſciplinæ regularis nomine cum primis



Digitized by Google

An. 1522. commendato, quod, inter *Warmaciam Vangionum* civitatem, & *Spiram Nemetarum* urbem situm, vulgo dicitur *Frankental*, Commentarii in *Psalmos Davidicos*, *Arnobii* titulum præ se ferentes. Qui mittebant, non confidebant placituros, vel quod jejuni viderentur, vel quod impolito sermone passim manifestariis solœcismis scatentes. Verum simulatque, degustandæ lectionis gratia, unam atque alteram pagellam evolvissem, sensi protinus non illam esse vulgarem infantiam, sed expolitissimam impolitiem, & copiosissimam breviloquentiam. In verbis duntaxat esse parsimoniam ac neglectum, in sensibus ampliſſima splendidissimaque esse omnia. Quoque sum altius ingressus, hoc magis mihi crevit Operis admiratio, ut plane sentirem mihi thesaurum quempiam insignem oblatum, sed, ut *Pauli* more dicam, in vasculo fictili. Cepit me semper, fateor, in Auctoribus etiam sacris sermonis mundities, & offendit balbuties. At utinam nobis contingant plures, qui de mysteriis Scripturarum sic balbutiant, ut hic *Arnobius*, tanta luce, tanta eruditione, tam fœcunda brevitate, tanta denique sanctimonia. Sed ne sermonis inconditi, multisque locis solœci præjudicium, Operis auctoritatem elevet, præsertim apud eos qui ex orationis vitiis, prudentiam etiam aut eruditionem æstimare solent Scriptoris, priusquam aggrediar de laudibus Auctoris & Operis dicere, primum illud lectorem admonitum volo, quicquid hic est solœcismorum, non esse profectum ab insciti a, sed à judicio, nec homini imputandum, sed tempori. Quum enim *Arnobium* eloquentiæ professione clarum fuisse constet, etiam antequam fidei nostræ mysteriis initiaretur, quumque *Lactantius* discipulus satis declaret, quam non infans fuerit ille præceptor, quumque catechumenus scripserit eloquentissimos libros adversus Gentes, *Tertullianum* imitatus, quemadmodum hunc imitatus est *Lactantius*, non potest imperitiæ videri, quod in hoc Opere tot solœcismi comperiantur, præsertim adeo manifesti, ut vix *Holsot* & *Bricot* solœcisset crassius. Nec est, quod hinc suspicemur hunc *Arnobium* esse diversum ab illo, cujus Opus *adversus Gentes*, etiam ob orationis elegantiam laudatur. Idem scripsit, sed non scripsit iisdem. Illud Opus scripsit eruditis, hoc scripsit vulgo. Constat autem apud *Hispanos*, *Afros*, *Gallos*, reliquasque *Romanorum* Provincias, sic sermonem *Romanum* fuisse vulgo communem, ut *Latine* concionantem intelligerent etiam cerdones, si modo qui dicebat, paululum sese ad vulgarem dictionem accommodasset. Declarant hoc conciones ac disputationes quædam *Augustini* apud populum habitæ, quas ex ipsa re constat non ab *Augustino* scriptas fuisse, sed à notariis exceptas, qui non solum retulerunt in scriptum quod dicebatur, sed etiam quod agebatur. Quos si quis postulet sibi ceu digito commonstrari, unde hujus rei possit experimentum certum capere, legat disputationem *Augustini* cum *Maximino*, & conferat initium disputationis à notariis exceptum, cum ejus Operis fine, quem ipse descripsit, quod *Maximinus* se subduxisset disputationi. Legat duas conciones, quibus expurgat famam de clericis suis sparsam in populo; Legat orationem, qua ex populi suffragiis sibi designat Episcopum successurum, & in levioribus negotiis futurum vicarium; Legat cantionem adversus *Donatistas*, quam vulgo canendam lingua vulgari descripsit. Hæc si quis conferat cum his quæ scripsit eruditis, veluti *De Trinitate*, *De Civitate Dei*, facile colliget quantum interfuerit inter sermonem eruditorum & imperitæ multitudinis. Ac ne *Romæ* quidem eo tempore, quo maxime florebat ea lingua, omnes loquebantur quemadmodum loquebatur *Cicero*. Et jam tum vulgus usurpabat sibi quædam suo jure, quæ docti damnabant. Dixerit aliquis, Quid venit in mentem *Arnobio*, viro facundissimo, ut hos Commentarios plebejæ linguæ committere voluerit? Primum, olim nihil erat popularius *Psalmis Davidicis*, adeo ut hinc & arator aliquid modularetur ad stivam, & nauclerus ad clavum, & nauta ad remum, & fossor ad glebam, & textor ad stamen, & uxor ad colum. Denique infantes hinc aliquid gestirent canere nutrici, priusquam fari nossent. Tantus amor olim habebat omnes hujus divinæ musicæ, quam nunc plerique fastidiunt etiam sacerdotes. Proinde voluit *Arnobius* ab omnibus intelligi, quod videbat cantari ab omnibus. Persuasit hoc illi *Christiana* charitas, quæ studet prodesse quam plurimis. Maluit balbutiens utilitatem adferre multis, quam eloquentiæ laudem auferre apud paucos. Et hanc linguam popularem intelligebant & eruditi, ut nec illis periret fructus mysticæ cognitionis, quo percepto non oportet orationis phaleras efflagitare. Adjiciam & alteram causam ex mea suspitione, ut ego quidem arbitror, non improbabilem. Refert divus *Hieronymus* in Appendice quadam, quam attexuit Chronicis *Eusebii Cæsariensis*, hunc *Arnobium*, quum Ethnicus adhuc in civitate *Sicca* juventutem institueret ad declamandum, in somniis adactum fuisse ut flagitaret baptismum. Quumque non impetraret ab Episcopis quod petebat, quod illis persuaderi non posset illum sincero animo velle profiteri religionem, quam hactenus impugnasset, elucubravit adversus pristinam religionem luculentissimos libros, atque his tandem velut obsidibus datis, pietatis fœdus impetravit. Porro, ne quid suspitionis etiam hæreret in animis simplicium *Christianorum*, qui superbam illam & artificio fucatam eloquentiam vel oderant, vel habebant suspectam, in his Commentariis deposuit omnem rhetorices strepitum, seseque ad infimæ plebis orationem dejecit, quo declararet sese toto pectore *Christianum* esse. Nam Opus hoc suscepit jussu duorum Episcoporum, *Rustici* & *Laurentii*, quemadmodum ipse testatur sua Præfatione. Atque hoc factum obedientiam vocat, ut conjectura sit, aut catechumenum loqui, aut certe recens *Christianum*. Proinde si quis reputet, quibus ista scribat *Arnobius*, non debet videri solœcismus, si quid inciderit diversum à consuetudine loquentium emendatius, imo solœcismus erat nisi sic fuisset loquutus. Veluti si quis vulgo *Romanorum* hodie loquatur, quemadmodum olim loquutus est divus *Gregorius*, quum adhuc esset sermo popularis incorruptior; aut si quis apud *Hispanos* verba faciens, secus loqueretur quam habet publica illius gentis consuetudo, duplex incommodum lucrifaceret: primum, non intelligeretur ab iis quibus loqueretur: deinde, ut Barbarus offenderet ac rideretur. Quare Scriptoris hujus exemplum nihil suffragatur his, qui quum scribant literatis, & ea lingua quæ temporibus his nihil habet commercii cum populo, tamen laudi quoque sibi verti volunt, quod ineptis sensiculis, sermonis ineptiam vincunt. Nam præcipua vis eloquentiæ in rerum inventione sita est. Quanquam nunc quoque non est fastidienda in Scriptore *Christiano* munda simplicitas, modo sicut absunt phaleræ, lenociniaque, sic absint & sordes. Neque enim *Arnobius*, si nunc scriberet, iisdem uteretur solœcismis, sed aut plane *Gallice* scriberet, si vulgo *Gallorum* scriberet; aut pure *Latine*, si scriberet literatis. Nimirum hujus generis erat Apostolorum sermo, quo nobis Novum Testamentum literis prodiderunt. Sic tum aurigæ loquebantur & nautæ. Talis erat sermo, quo primum in linguam *Latinam* translati sunt Novi Testamenti libri, in quibus si qui solœcismi nunc offendunt aures literatorum, magis adscribendi sunt illorum temporum receptæ consuetudini, quam interpretum imperitiæ. Sed ut tum expediebat sic scribere, quia populo scribebatur; ita nunc ineptum sit affectare solœcismos, qui nec illiteratis prosint, & literatos offendant, & rem obscurent, & auctoritatem Scriptoris elevent. Cæterum ut satis constat, populum corrupisse *Romani* sermonis puritatem, ita verisimile est apud alias nationes, aliisque temporibus aliter fuisse corruptum. Certe duo quædam deprehendimus in hisce Commentariis, quæ divus *Aurelius Augustinus* testatur ætate sua vulgo corrupte solere

Digitized by Google

An. 1522. lere pronunciari. Nam in Commentario *Psalmi* centesimi tricesimi octavi, *ossum* pro *os*, unde ducitur paternus casus *ossis*, & multitudinis casus *ossa*: & *floriet* pro *florebit*, non semel ab hoc positum est, & ita, ut satis appareat non esse casu factum: & quum dixisset *os*, velut interpretans populo, adjecit, id est, *ossum*. Utriusque rei meminit divus *Aurelius Augustinus* in Opere, cui titulum indidit, *De doctrina Christiana*. Siquidem libri tertii capite tertio scribit hunc in modum, de vocibus ambiguis differens: *Nam quod scriptum est, Non est absconditum à te os meum, quod feci in abscondito*, non elucet legenti, utrum correpta litera *os* pronunciet, an producta. Si enim corripiat, ab eo est quod sunt *ossa*; si autem producat ab eo quod sunt *ora*, intelligitur numerus singularis. Sed talia linguæ præcedentis inspectione dijudicantur. Nam in *Greco* non σόμα; sed ὀστέον positum est. Unde plerumque consuetudo loquendi vulgaris utilior est significandis rebus, quam integritas literata. Mallem quippe cum Barbarismo dici, *non est absconditum abs te ossum meum*, quam ut ideo esset minus apertum, quia magis *Latinum* est. Idem libro secundo capite XIII. de vitiis sermonis disputans: *Illud*, inquit, *etiam quod jam auferre non possumus de ore cantantium populorum, Super ipsum floriet sanctificatio mea, nihil profecto sententiæ detrahit. Auditor tamen peritior mallet hoc corrigi, ut non floriet, sed florebit diceretur; nec quicquam impedit correctionem, nisi consuetudo cantantium.* Ex his colligere licet hos Commentarios & *Afris* fuisse scriptos, & priscis illis temporibus; fortassis præstiterit & alios aliquot barbarismos indicare, quo minus offendatur præmonitus lector, quum inciderint, neve statim mutet scripturam à librariis depravatam suspicans. *Pœnitemini* verbum non raro usurpat deponentaliter. Item *tribulantes* frequenter ponit pro iis qui affliguntur, non qui affligunt. Similiter *confundentes* pro *erubescentes*, quasi *tribulari* & *confundi* deponentia verba sint, non passiva. *Hoc flos*, & *hoc ros* constanter pronunciat genere neutro, nimirum ad formam *os oris*. Carendi & utendi verbo adjungit accusativum. *Hæc manna manna* inflectit, ut nos *Anna Annæ*. *Græcorum* exemplo sæpenumero nominativum ponit absolute loco ablativi, velut in Commentario *Psalmi* centesimi decimi quarti, & *Psalmi* octogesimi quarti. Nonnunquam adjungit casum, non quem recipiunt ea verba quibus utitur, sed quem admittit verbum quod circumloquitur, veluti *Psalmo* octogesimo octavo, *Memor esto Apostolos* pro *memento Apostolos*. *Adtropare* dixit alicubi, voce nimirum id temporis vulgata magis quam proba, pro eo quod erat *per Tropologiam applicare*. Hanc vocem *paratura*, quæ *Tertulliano* peculiaris est, nonnunquam & apud hunc invenies, qui ut ætate præcessit *Arnobium*, ita gentis ejusdem fuit. His non dissimilia quædam obvia sunt in libris *Augustini*, maxime iis, quibus loquutus est apud populum, velut *subdiacones* & *diacones*, & *baptismum* genere neutro. Hæc referre visum est, ne cui sordescat Opus eruditum juxta ac pium, ob hæc & hujusmodi sermonis vitia, quæ apud eos, quibus tum scribebat, adeo vitia non erant, ut si secus dixisset, habitus fuisset barbarus. Poteram mutata phrasi & adjectis paucis exiguo labore totius Operis gloriam in me transferre; sed primum, illud semper alienissimum fuit à moribus meis, alieni meriti gratiam mihi suffurari. Deinde, visus est *Arnobius* indignus, qui hac portione laudis apud posteros fraudaretur. Interciderunt illi laudati libri, quibus pugnat adversus Gentes. Saltem hoc superfit illius toties *Hieronymo* laudati ingenii monumentum. Atque hujus quidem Operis in *Catalogo Scriptorum illustrium* non meminit *Hieronymus*. Fortassis in causa fuit, quod is liber, ut vulgo scriptus, tantum in *Africa* circumferebatur, aut notior erat, omniumque manibus tritior, quam ut *Hieronymus* putarit recensendum. Ita rebus nonnullis nimia celebritas oblivionem induxit. Hac nimirum occasione nunc desideramus titulos Operum *Origenis*. Simili casu fueramus ignoraturi libros *Tertulliani*, nisi nuper aliquam partem felicior studiis Deus prodidisset. Proferam & aliud argumentum, unde præter styli conjecturam possis antiquitatem Scriptoris colligere. Aliquot hæreticorum per occasionem meminit, *Manichæi*, *Novati*, & *Arii*; sed nullius, cujus ætas posterior fuerit ætate *Arnobii*. Nam *Arianam* hæresim apparet hujus ætate fuisse exortam. Floruit enim sub Imperatore *Diocletiano*, circiter annum orbis redempti trecentesimum vigesimum nonum. Cæterum nec *Donatistarum*, nec *Pelagianorum* meminit, quum utraque pestis hæc exorta sit in *Africa*, quorum priores hoc defuncto, aut admodum sene, exortos apparet; alteros ætate *Augustini* constat exstitisse. Et tamen *Arnobius* hic uno atque altero loco disputat *De libero arbitrio*, ubi non tacuisset *Pelagium*, si ille fuisset antiquior. Quum igitur demonstratum sit in his, quæ sola poterant offendere, nihil esse quod debuit quenquam offendere, quum & Auctorem tantopere nobis commendet *Hieronymi* auctoritas, quum Opus ipsum tanta commendet antiquitas, nunc paucis aperiam quæ me tantopere rapuerint in hujus voluminis admirationem. Primum illud in confesso est, inter omnes sacræ Scripturæ libros, nullum esse mysteriis abstrusioribus plenum, quam librum *Psalmorum*, nec alium esse majoribus tenebris opertum verborum ac sententiarum. Atqui in tali argumento simul & brevem esse & dilucidum, quod hic utrunque mire præstat, mihi videtur hominis pariter & exquisitæ facundiæ, & penitus intelligentis rem de qua loquitur. Nullus enim paucis explicat, quæ parum intelligit. Nullus tam obscura tam dilucide posset efferre, nisi dicendi rationibus omnibus exercitatissimus. Nusquam est præfationum ac digressionum ambagibus molestus, sed ubique præclarus artifex festinat; & in medias res, non secus ac notus auditorem rapit, quod in *Homero* laudavit *Flaccus*. Nec usquam est ambitiosus in citandis sacrorum Voluminum testimoniis, sed totus sermo velut ex emblematis ac tessellis arcanæ scripturæ concinnatus est; ac frequenter ita contexit *Psalmi*, quem exponit, versus aliquot, ut paucis verbis additis, etiam illa lucem habeant, quæ non interpretatur, sed ita refert, ut perpetui sibique cohærentis sermonis tenor suam habeat gratiam. Jam quod in perspicuis etiam argumentis difficillimum est, sic docet aperte, ut nihil sinat frigere ab affectibus. Plus indicat oratio quam loquitur, ac properans multum & cogitationum & aculeorum relinquit in animo, ut nescias utrum prius in te efficiat, ut intelligas, an ut rapiaris. Jam hoc non solum est eruditi, verum etiam amantis quod docet. Si quid incidit, quod ex reconditis antiquarum rerum historiis, aut ex eorum libris, qui de naturis animantium, aliarumve rerum scripsere, petendum erat; nihil est tam abstrusum apud Ethnicos, aut sacros etiam Scriptores, quod hic paucis verbis non indicet, nihil interim ostentans aut jactitans varietatem eruditionis, quod in nonnullis etiam magni nominis Scriptoribus sæpe nobis molestum est. Sed rem vere sacram Apostolica quadam simplicitate sinceritateque tractat. Nec congerit aliena, nec usquam vim facit divinæ Scripturæ, sed quicquid adducit, ei loco natum esse dicas. Maluit enim optima referre quam plurima. Porro, quum à jocis abstineat, quos argumenti severitas non patiebatur, tamen sentias per totam dictionem fusam esse perpetuam quandam festivitatem & jucunditatem. Nusquam ipse languet aut dormitat, & semper alacritate dictionis sublevat ac recreat lectorem. Sic incipit, ut illico reficiat: sic properat, ut non possit somnus obrepere: sic finit, ut sitientem adhuc & plura cupientem dimittat. Jam quum in *Tertulliani*, *Origenis*, ac omnium pene Veterum libris quædam admixta sint, quæ aut manifestum habent errorem, aut suspecti dogmatis sunt, hic sic ubique temperat calamum, ut nihil usquam compererim, quod ulli hæresi sit affine: nam quod scribit in Commenta-



Digitized by Google

An. 1522. rio *Psalmi* decimi quarti: *Jesus autem immaculatus suis virginem aulam ingressus, ipsum tabernaculum a maculis carnalibus liberavit:* Non sensit de maculis, quæ ante ingressum *Christi* fuissent in *Maria*, sed quæ in aliis fœminis esse consueverunt, à quibus *Christus* suam matrem servavit immunem, & auxit castitatem potius quam violavit. Quin & Ecclesiæ *Romanæ* videtur hoc honoris deferre, ut extra catholicam Ecclesiam sit, qui sit ab hac alienus, quæ totius Ecclesiæ teneat principatum, quæque *Petrum* Apostolorum principem meruerit habere pastorem. Locus est Commentario centesimo sexto: & in Commentario *Psalmi* centesimi tricesimi octavi docet eximiam quandam potestatem *Petro* tributam à *Christo*, quem ter negaverat, haud dubie loquens de potestate pascendarum ovium. De Votis aliquoties meminit, sed his duntaxat, quibus in baptismo *Christum* professi, mundo satanæque renunciavimus, non quod arbitrer illum reliqua vota contempsisse, sed quod hæc, ut sunt, præcipua duxerit. Nec dubito quin in his Commentariolis, *Origenis* industria fuerit adjutus, qui in nullum opus divinæ Scripturæ frequentius edidit Commentarios quam in *Psalterium:* nam locis aliquot declarat se *Græca* calluisse. Sed interim dixerit mihi quispiam, Quid hic gratiæ tibi postulas, qui nihil largiris de tuo? Non recuso quo minus tota laus sit penes *Arnobium*, modo quam plurimum utilitatis hinc manet ad veræ pietatis candidatos. Et tamen est aliquid prodidisse librum antehac obscurum, atque etiam ob dictionis vitia contemptum. Est aliquid huc perpulisse *Joannem Frobenium*, ut suo sumptu, suoque periculo novum Opus excuderet suis formulis: non enim semper æque feliciter illis cadit editionis alea. Postremo, vix quisquam credat quantum fuerit negotii in castigandis erroribus scribæ, quod ut facerem, sæpe totus *Psalmus* erat relegendus, ut illinc subodorarer lapsus occasionem. Erant observandi familiares hujus Operis solœcismi ac barbarismi. Alicubi res plane *Delium* quempiam natatorem postulabat, aut *Sibyllam* potius. Hujus generis unum exemplum dabo, Commentario septuagesimo septimo, scriba non intelligens sic pinxerat, *quod aures infaciens.* His verbis quum nihil omnino significaretur, diuque me torsissem, divinavi id quod res est, scriptum fuisse, *quod auxesin faciens.* Nam in plerisque scripturis figura hujus literæ *x* non multum abhorret ab *r*. Itaque scriba *Græce* prorsus ignarus, & *Latine* minimum doctus, ex *auxesin*, fecerat *aures in.* Item Commentario centesimo quinto scriptum erat, *Suscipiat regulam pœnitentiæ, excluso novatia ut centesimum quintum Psalmum*, &c. Nos ex conjectura restituimus, *excluso Novato*, sive *Novatiano:* nam uterque fuit ejusdem hæresis, nec admittebat pœnitentem. Novum igitur Opus novo Pontifici, sanctum ac theologicum Opus integerrimo Theologo Pontifici dedicamus. Id, uti spero, tua sanctitas hoc libentius accipiet, quod hoc munusculo nihil venamur, (sumus enim nostra, quamvis tenui, fortunula contenti) nisi ut hoc Opus tuis auspiciis exeat in manus hominum, hoc nimirum uberiorem pietatis fructum allaturum, si tuo calculo fuerit comprobatum, quem ad istud dignitatis fastigium non ambitio, non ullus favor humanus, sed, ut confidimus omnes, propitii Numinis voluntas evexit, ut esset non minus optimus integritate, quam maximus auctoritate, qui hos impios orbis *Christiani* tumultus, jam heu nimium diutinos, ac semper in pejus glisscentes, aliquando componat. Videmus duos præcipuos orbis monarchas infensis animis inter se conflictari, vix ullam esse portionem orbis nostri immunem à bellis, à cædibus, à prædationibus. Et quanquam religio *Christiana*, quæ olim omnes mundi plagas occuparat, nunc *Europæ* angustiis minor sit, tamen hæc quoque sectarum ac schismatum pernitiosis dissidiis misere dissecta est. Atque interim sic tumultuantibus imminet *Turca*. In rebus tam afflictis, magna quædam spes habet animos bonorum omnium, fore, ut discussis tempestatibus, per te nobis serenitas ac tranquillitas redeat. Pollicentur hoc nobis quum aliæ res permultæ, tum eruditio tua non vulgaris, deinde ista morum integritas à primis annis ad hanc usque ætatem spectata cunctis. Præterea, senectus ista, quæ non sinet te alio spectare, quam ad gloriam *Christi*, ac profectum *Christianæ* pietatis. Postremo, summus cum Cæsare *Carolo* consensus, cujus auctoritas ac potentia hoc præstabit, ut possis etiam efficere, quod optimum esse judicabis. Certe ad tantam corruptissimorum morum luem emovendam validis incantamentis est opus, ac venefico quodam artifice, qui incantet sapienter. Etiam ad rem nos organum aliquod novum pomeximus, non quod deesset *Psalterium Davidicum*, sed quod apud plerosque jaceret. Habet hoc, ut ferunt, humana musica, ut affectus hominum aut concitet, aut moderetur, si quis artifex certas harmonias apte moduletur. *Temotheus* solitus fertur *Alexandri Macedonis* animum ad bellum certis modis accendere. *Pythagoras*, spondæos ad *Phrygium* modum occinens, amore lymphatum adolescentem ad gravitatem immutavit. Similé quiddam feciisse narratur *Empedocles*, qui certis modis Musices adolescentem jam ira percitum & in cædem ruentem, ad sanitatem revocarit. Et quanquam fabulosa videntur, quæ de *Mercurii* atque *Orphei* cithara prodidere Veteres, tamen hæc ipsa figmenta nata sunt ex artis miraculis. Certe *Terpandrum* atque *Arionem* apud *Lesbios* atque *Ionios* multis & gravibus morbis, harmoniis musicis mederi solitos, narrant rerum gestarum scriptores. *Ismenias Thebanus* apud *Bœotos* multis Ischiaticis cruciatum, apto modulamine exemisse legitur. Nam quod ait *Virgilius*,

*Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis*,

ut à Poeta dictum contemni poterat, nisi nostræ quoque literæ meminissent venefici incantantis sapienter, & aspidis surdæ. *David* sua cithara succurrebat *Sauli*, quoties à spiritu Domini malo agitabatur. Quod si tantam vim habet humana musica ad mutandas affectiones corporum & animorum, quanto credenda est efficacior cœlestis hæc ac divina Musica ad purgandos animos nostros à morbis spiritualibus, ac spiritibus hujus seculi malis. Ingens morbus est ambitio, pessimus spiritus est livor & odium; atqui hujusmodi pestibus maxima pars *Christianorum* tenetur, nec his sæpe liberis, quos oportebat aliis mederi. Prophanis olim erant & verba & voces, quibus animi dolorem lenire possent, & magnam morbi deponere partem; & *Christi* Musica non habet verba & voces, quibus excantemus animis nostris amorem rerum fluxarum, & incantemus amorem rerum cœlestium? *Pythagoras* habuit modos, quibus juvenem amore furentem ad sobrietatem revocaret; & *Christianus* Psaltes non habet modos, quibus Principes, insanissimis bellis sic inter se sine fine tumultuantes, ad pacis amorem revocet? Sed ipsi prius nobis hac Musica medeamur oportet, quam aliorum morbis mederi paremus. Nulla est Scripturæ sacræ pars, quæ non habeat efficaces modos, modo ne velut aspides surdæ obturemus aures nostras, ne penetret in animos nostros divinæ vis incantationis: sed meâ sententiâ nulla efficaciores, quam *Psalmorum*, in quo divinus ille Spiritus secretissimas suorum mysteriorum delicias nobis reconditas esse voluit, ac modos quosdam efficatissimos reposuit, quibus transformaremur in affectum *Christo* dignum, tantum adsit, qui scite moveat hujus Psalterii chordas. Hoc peculiare munus est Episcoporum ac Sacerdotum. Et tamen sibi quisque psaltes esse possit, aderit moventi chordas, & arcanam vim adspirabit intus, si modo purus & ardens adsit animus, hoc est, si purgatæ mentis aures. Utinam tua sanctitas nobis referat illum hujus Musices peritissimum *David*, qui non solum ipse modulatus est, sed & alios cantores multos instituit. *David* autem typum gerebat *Jesu Christi* psaltæ nostri, qui nablo corporis sui in cruce tenso, nihil vulgare aut terrenum sonuit, sed harmoniam Patri gratissimam, & nobis efficacissimam modulatus est. Quam suave sonuit illa cha-

Digitized by Google

charitatis chorda, *Puer, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt!* Habet & mundus organa sua, sed quæ infame reddunt sonitum mannabilem. Quid enim loquitur iræ fides? *Ulciscere, spolia, eijce, occide.* Quid sonat ambitionis nervus? *Dilata dominium, nec jurisjurandi, aut pietatis sit ratio, quoties agitur de imperio.* Quid crepat avaritiæ chorda? *Vides neminem bene esse, nisi qui plurimum possidet, per fas nefasque congere, rape, serva.* Quid sonat luxus ac libidinis chorda? *Hic suaviter vive, quid post hanc vitam habituros sis incertus.* Sic pessimam harmoniam reddit livoris & obtrectationis chorda. Hæc nimirum est mundi Musica, quæ modis hujusmodi pessimis incantat nobis pestiferas cupiditates, ac *Sirenum* in modum male dulcibus cantilenis nos pellicit in perniciem. His modis ebrii lymphatique sic belligeramur, tumultuamur, ambimus, rapimus, iracimur, ulciscimur, mordemus invicem, ac mordemur. Sed ille cœlesti Musica tactus erat qui dixit: *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini!* Rursum ille: *Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei.* Afflaverat Apostolos hujus harmoniæ vis, quum ajunt: *Domine, quo ibimus? verba vitæ habes.* Suavissimus autem ac modulatissimus concentus est, quoties è charitate, pudicitia, sobrietate, modestia, cæterisque virtutibus, concors quædam varietas resonat. Habet & modulos suos pro argumento diversos hæc Musica. Sunt quibus flebili, sed Deo gratissimo, cantu deploremus peccata. Sunt qui nobis animos ac robur addant ad fortiter resistendum diabolo. Sunt alacres ac læti, quibus gratias agamus Deo pro suis in nos beneficiis. Sunt quibus condolemur ac deliniamus afflictum. Denique nihil malorum habet hæc vita, quod non facile feramus, si, quemadmodum *Coloss.* scribit *Paulus, nos invicem doceamus, & commonefaciamus cantionibus ac laudibus, & cantilenis spiritualibus cum gratia canentes in corde nostro Domino. Et quicquid egerimus sermone aut facto, omnia in nomine Domini Jesu faciamus, gratias agentes Deo & Patri per Filium.* Erit autem hæc Musica gratior Deo, si frequens chorus concordibus animis ac vocibus modulétur. Sed ut ad *Psalmos Davidicos* redeam, nemo potest hujus modulationis sentire dulcedinem, nisi sensum mysticum perceperit. Quid est enim alioqui quod plerique Monachi ac sacerdotes tanto cum tædio *Psalmos* hos sonant? Nimirum quia spiritu canunt, non mente. Quod si quibus non vacat prolixos aliorum commentarios evolvere, horum fastidio succurret *Arnobius*, qui sæpe *Psalmo* ipso brevior est, ut qui hujus commentariolum legit, simul & *Psalmum* cecinerit & didicerit. Sit igitur hæc præcipua cura sacerdotibus, ut semel intelligant, quod quotidie recinunt: ita fiet ut plus capiant solatii ex uno *Psalmo*, quem intellectum mente cecinerint, quam ex quadraginta spiritu decantatis. Illud in primis oportet esse persuasissimum psaltæ nostro, sic visum esse Spiritui Sancto, & optimo consilio visum, arcana sapientiæ cœlestis hujusmodi figurarum involucris obtegere. Eruendi mysterium ipse *Christus* in Euangelio, & Apostolicæ literæ viam nobis aperiunt. Horum vestigiis ingressi, veteres orthodoxi reliqua nobis prodiderunt; sed mea sententia nemo sanctius *Arnobio*. Quanquam is potissimum occupatus est in sensu explicando, qui pertinet ad Euangelicam historiam, ut, quemadmodum scribit *Paulus* Apostolus, ex fide in fidem magis in nobis confirmetur scientia *Christi*; dum quicquid in Euangelicis literis gestum legimus, in *Psalmis* prædictum conspicamur. Atque hæc sane pars in tractando difficillima est, qua recte comperta, facile vel ex sese reliquos sensus addiviuant, qui in mysticis literis sensus habent exercitatos: qua de re nonnihil attigimus in Commentario, quo nuper explanavimus *Psalmum*, *Quare fremuerunt gentes?* Sed, ut aliquando finiam, beatissime Pater, orat & exspectat illud abs te cum primis populus *Christianus*, ut arrepto Psalterio *Christi*, melodiam aliquam vere Apostolicam incinas, quæ Principum ac populorum animos jungat *Christiana* concordia, quæ pernicios as opinionum pugnas discutiat, quæ ad cœlestium bonorum amorem inflammet, regno cœlesti destinatos. Non gratulor tibi dignitatem istam, non gratulor patriæ, atque etiam diœcesi mihi tecum communi, cui nunc primum contigerit *Romanum* habere Pontificem. Non ambio ut apud te mihi prosit, vel patriæ affinitas, vel vetus inter nos consuetudo: sed orbi *Christiano* gratulabor, si, quod fore confidimus, ita tractaris munus istud Apostolicum, ut mundus intelligat tandem *Romæ* contigisse Pontificem, cui *Christi* gloria mihi sit antiquius, quique *Petri* ac *Pauli* spiritum referat verius, quam titulos: qui *Christi* vicarium sic gerat, ut orbis sentiat *Christi* spiritum in illo versantem, & agentem. Audiet, mihi crede, populus veri pastoris vocem, ac prompte sequetur grex *Christi* vestigiis præeuntem, neque gravatim agnoscet Apostolicam potestatem, si senserit Apostolicam pietatem. Hæc conanti precor ut adspiret Dominus *Jesus* Pastorum Princeps, Amen. *Basilea* 1. Augusti, Anno 1522.

Ann. 1522.

## EPISTOLA DCXXXIV.

### Vives Erasmo.

IN *maxima sollicitudine sum & ero, donec factus fuero certior, an sit vobis redditum quod reliquum erat libri: id misi per juvenem quendam* Colonien sem, Conradi *consilio, 15. die Julii, quoniam de profectione aliud statuerat* Carolus, *quam dixisset cum hic erat* Georgius. *Nihil supereſt mittendum per* Hilarium, *quem nondum vidi; dicunt profectum* Antuerpiam, *& rediturum brevi. Per eum cogito hanc epistolam mittere, quam scribo non omnino confirmatus, aut sanus, sed paulo liberior dolore quam his diebus fui. Nam ex quo* Augustinum *perfeci, nunquam valui ex sententia; proximâ vero hebdomade & hac, fracto corpore cuncto, & nervis velut lassitudine quadam & debilitate dejectis, in caput decem tutres incumbere mihi videntur indicendo ponderé, ac mole intolerabili: isti sunt fructus studiorum, & merces pulcherrimi laboris; quid labor & benefacta juvant? Quod de puerpera dicis, tam belle in me congruit, ut quarto die, postquam* Augustinum *deposui de manibus, novum librum instituerim, adeo, inquies, avis pascitur opere: sed crede mihi, totos duos aut tres menses reparandis ingenii viribus volo impendere, ut ea per quietem & cessationem revocentur, sicut in novalibus. Cupio videre* Carantzæ *quem in modum respondeveris: & alia quæ dixeris istic conscripsisse multa inprimis & magna. In* Carantza *plane eram falsus; nam imposuerat mihi fucus epistolæ, quam solam ex toto legeram opere. Literas tuas ad* Morum *ac* Cantuarien sem *misi hodie in* Britanniam; *brevi accipiem: nam eo nunc redeunt frequentes ex mercatu* Antuerp. *Gratulor tibi favorem amplissimi ordinis, ingenium & eruditionem tuam ita propensum, si modo verum est quod hic narravit mihi quidam à* Conrado *auditum, de annua pensione oblata tibi honestiss. miror te invidere gaudium hoc mihi amantissimo tui, ut ejusmodi ad me solum non scribas: ceu vero vel ipse minus gauderem quam alii, vel si tacendum esset, non possem continere; sed utcunque sit, tuis omnibus incrementis, & felicitate meritis tuis digna lætabor, undecunque resciam; ex te mallem, quo certior esset in certiore nuncio lætitia: pecunia egeo quidem, approbabitur tamen mihi quicquid tu &* Frobenius *statuetis; si quid mittitis, jubete quam primum reddi. Si quid vis ad* Vergaram *scribere, mitte huc ad me. Proximo mense cogito in* Britanniam *transmittere: si quid mandas, scribe per* N. *cum redibit è mercatu* Francfordien si: *simul te oro per eundem mittas mihi literas aliquas ad amicos illic tuos commendatitias, saltem ut sciant me amicum esse tuum, quo me plûris faciant; etsi non est consilium manere ibi supra tres menses, aut ad summum quatuor; qua de re puto me tibi locutum esse* Brugis. *Me tenet tantum scholarum tædium, ut quidvis facturus sim citius quam ad has redire sordes, &*



Digitized by Google

An. 1522. *inter pueros versari.* Ruffaldus *salutat te impensissime, qui dicit se brevi cum patre congressurum, & à presente impetraturum, ne tibi solutio hac diutius differatur.* ὧδε εἰρωνικὰ πάντα· *mirum de rebus omnibus silentium: favor bonorum in te ardentior, quam unquam;* πολλοὶ τῶν κρεζόντων ἐσιώπησαν, ἢ οἱ κρέζοντες θανάτῳ σκοπήσουσι μόρῳ. *Spero te viventem adhuc visurum studia hominum in te, qualia meritis tuis debentur, & interfuturum tuæ posteritati; istis te debes temporibus servare. Nam narravit nobis te affligere valetudinem tuam immodicis studiis. Hic omnes tui te impatienter jam desideramus; & precamur Deum, ut incolumem te nobis reddat. Hic apparamus Bellum majoribus animis quam gerimus; atque utinam utrinque fieret minoribus: aliquot* Hispanorum *militum millia dicuntur in* Britanniam *applicuisse, ut admisceantur ordinibus* Britannis; *multum de Pontifice novo speratur. Hactenus perfrixit; putant fore ut incalescat hoc Cæsaris congressu, qui ad littus* Cantabricum *appulit* 16. *die Julii. Vereor ne ille non tam se esse Pont.* Rom. *meminerit, quam veteris hujus juris in se, ut pristinæ auctoritatis pondere in sententiam hujus trahat; quod si illi, qui sit & non qui fuerit, in mentem veniat, spes est magna pacis: sed hæc relinquamus fatis. De* Graphæo *& aliis rebus puto ad te scribi per* Petrum Ægidium, *& alios qui sciunt. Nam ego domi semper abditus nihil audio; aut tam sero, ut citius sit istuc perlatum, quam ad me. His diebus vacationum* Clava *venit* Gandavo *huc, tantum ut* Græcum *aliquem audiret. Vide studium senis, & non erubescimus juvenes dormire. Vale etiam atque etiam, mi præceptor.* Lovanio 15. *Augusti, Anno* 1522.

## EPISTOLA DCXXXV.

*Erasmus Rot. Georgio Duci Saxoniæ* S. D.

ILLVSTRISSIME Princeps, perjucundum accidit, quod me tuis humanissimis literis sis dignatus, quum egò tam neglecte scripsissem celsitudini tuæ, nimirum occupatissimus, ac præterea valetudine adversa. Hoc orbis periculosissimum dissidium displicere tibi non est mirum, cui enim non displiceat, qui sit animo *Christiano* præditus? Atque utinam hic veris studiis advigilent Principes, ut tantum malum sopiatur, & ita sopiatur ut non repullulascat. Nam utris sit imputandum, fortasse jam serum sit disputare. *Lutherus*, quod negari non potest, optimam fabulam susceperat, & *Christi* pene aboliti negotium summo cum orbis applausu cœperat agere. Sed utinam rem tantam gravioribus ac sedatioribus egisset consiliis, majoreque cum animi calamique moderatione: atque utinam in scriptis illius non essent tam multa bona, aut sua bona non vitiasset malis haud ferendis. Et tamen hic gravius peccant *Lutherani* quidam quam ipse *Lutherus*. Nunc quoniam atrocibus odiis res utrinque geritur, periculum est, ne oppresso *Luthero* simul pereant tot bona, quæ nolim aboleri: tum autem ne pars victrix invehat nobis quædam, quæ nulli *Christum* amantes ferre poterunt, quæque cessura videantur in grave detrimentum gloriæ *Christianæ*, & Euangelicæ sinceritatis. Etenim si libere loqui fas est apud Principem non minus prudentem quam humanum, mundus indormiebat opinionibus scholasticis, constitutionibus humanis, nec aliud audiebat quam de Indulgentiis, de Compositionibus, de Potestate Pontificis *Romani*. Hæc etiamsi essent indubitatæ veritatis, tamen non multum faciunt ad Euangelicum vigorem, non animant nos ad contemptum hujus mundi, non accendunt ad amorem rerum cœlestium. Atqui hæc potissimum sunt inculcanda. Non est spernenda Pontificis auctoritas, sed in unum *Christum* omnis est transferenda gloria. Atque his præsidiis regnabant quidam, qui non quærunt ea quæ sunt *Jesu Christi*, sed cum *Demade*, quem notat Apostolus *Paulus*, diligunt hoc seculum. Ab hoc somno prorsus erat expergefaciendus orbis, & scintilla vigoris Euangelici resuscitanda. Sed utinam id factum esset ea mansuetudine curaque, qua decuerat agi negotium omnium sanctissimum. Admiscuerunt se huic negotio Monachi quidam ac Theologi parum sobrii, qui stultis, indoctis, ac seditiosis clamoribus malum hoc exagitarunt, & ex malo pessimum, ex minimo maximum reddiderunt. Nam initio nihil periclitabatur præter quæstum Indulgentiarum. Et quemadmodum *Lutherus* multa scribit, quæ plurimorum aures ferre non possunt; ita illi permulta invehunt, quæ boni doctique vident offectura pietati vere Euangelicæ. Et tamen qui hæc scribunt, non agunt *Christi* negotium, neque Pontificis, sed suum, imo studio privati commodi, & Pontificis officiunt causæ, & *Christi* gloriam obscurant. Hi nec ea sinunt probari in *Luthero*, quæ sunt *Christianissima*, nec de suis quicquam remittunt, sed prioribus etiam addunt duriora. Quoniam igitur perspiciebam, utranque partem impotenti quodam impetu rapi transversam, non admodum me admiscui huic tumultui, nisi quod satis declaravi, mihi nihil esse fœderis cum *Lutheranis*, neque quicquam magis displicere quam seditionem. Quanquam & alias videbam me imparem tam periculoso negotio, etiamsi fuisset otium legendi quæ scribunt hinc atque hinc. Erant enim legenda omnia. Ad hæc jam ætas hæc & valetudo à gravioribus studiis missionem flagitat. Nunquam tam acerbe scriberem in *Lutherum*, quin diversæ parti viderer dilutus. Porro quum jam nunc mihi dira minitentur *Lutherani*, neminem prius discerperent quam *Erasmum*, si prodirem in aciem. Satis libellorum est in *Lutherum*, si hac via posset obrui. Et sunt qui in hac arena me longe plus valent. Postremo semper in hac fui sententia, tragœdiam hanc nulla ratione melius consopiri posse quam silentio. Idem sentiunt qui sunt inter Cardinales ac Magnates cordatissimi. Prodiit sæviissima Bulla à Pontifice. Nihil aliud quam exacerbavit incendium. Sequutum est sævius etiam Cæsaris edictum, qui totus in hanc rem propensus est. Ea res linguas quorundam & calamos coercet, at non mutat animos. Laudatur quidem pius Cæsaris animus, sed judicium hujus rei adscribunt iis, quibus eruditi non multum tribuunt. Cæterum ego nunquam dubitavi quin ille libellus sereniissimi Regis *Angliæ*, non sine causa abs te laudatus, ipsius, cujus habet titulum, ingenio *Marte*que, quod ajunt, sit elaboratus. Habet enim Princeps ille ingenium mire felix ac versatile, quod incredibili modo valet, quocunque sese intenderit. Et stylum olim puer non indiligenter exercuit, etiam ad me scriptis epistolis aliquot. Tum ante paucos annos disputationem conscripsit Theologicam, *An laicus obligaretur ad orationem vocalem*, & in scholasticorum Theologorum libris versari gaudet, & in conviviis aliquid de re Theologica differere solitus est. Nonnunquam in multam noctem profertur contentio literata. Habet Reginam eleganter doctam. Quod si qua in parte fuisset adjutus in eo libro, nihil erat opus meis auxiliis, quum aulam habeat eruditissimis pariter ac eloquentissimis viris differtam. Quod si stylus habet aliquid non abhorrens à meo, nihil mirum aut novum, quum ille puer studiose volverit meas lucubrationes, huc provocante clarissimo viro *Guilielmo Montjoio*, discipulo quondam meo, quo tum ille sodali studiorum utebatur. Duos *Lutheri* libellos ad me sane frustra misit tua celsitudo, rudem ejus linguæ qua scripti sunt. Quanquam ajunt eos hic diu fuisse circumlatos antequam per te mitterentur. Mihi stultissimum videtur, eos provocare, quos non possis vincere. Quanquam admonere Principes & Episcopos officii sui, quoties locus ipse præbet occasionem, nec inutile sit, nec alienum ab exemplis probatissimorum Scriptorum. Facit hoc subinde *Hieronymus*, facit *Chrysostomus*, & *Bernardus*. Semper fuerunt Episcopi, & semper erunt, & fortasse sunt hodie, qui dulci fortuna ebrii, nec meminerunt, quid sit Episcopum agere. Et quod in genere dicitur, non debet verti in cujusquam contumeliam, modo ne id fiat seditiose aut atro-

Digitized by Google

An. 1522. trociter, semperque dulcedo *Christianæ* charitatis mitiget admonitionis austeritatem. Non est minuenda Pontificum auctoritas, sed ea benefactis optime & paratur & servatur. Totum hoc malum, aut certe magna ex parte, nascitur ex nobis, qui quum toto pectore mundum amplectamur, tamen sub *Christi* titulo tyrannidem gerimus: quod si vere hoc essemus, quod videri volumus, mundus totis studiis ut patres amplecteretur, nunc ut tyrannos odit & recalcitrat. Exspectamus quo vocet hic novus Pontifex. Is ostendet fortassis viam aliquam finiendi hujus mali, quod late tot regiones occupavit, ac plurimorum animis penitus infixum est. Ego, quantum ætas, ingenium, vires & otium patietur, non desero causæ fidei, & concordiæ *Christianæ*, quod hactenus quoque pro mea virili feci. Exit illud, illustrissime Princeps, tuæ prudentiæ, curare ne hæc, quæ liberius ad te scribo, mihi fraudi sint apud alios, qui nihil non rapiunt ad calumniam. Illustrissimam celsitudinem tuam incolumem ac florentem diu servet Ope. Max. Dominus *Jesus*. *Basileæ* 3. Septembris, Anno 1522.

## EPISTOLA DCXXXVI.

*Erasmus Rot. Conrado Heresbachio S.*

NAE tu minimum abes à beatitudine, doctissime *Conrade*, qui tantula re beari possis. Scribis enim te fore protinus beatum, si contingat *Erasmus* hospes. Mira vero felicitas, quam invideas *Constantiæ*, cæterisque oppidulis, quæ dignatus sum, ut scribis, mea præsentia. Imo ipse meam ipsius infelicitatem deploro: qui tot malis onustus sum, ut quoquo locorum me conferam, non solum ipse mihi molestus sim, ob morbi inclementiam ac valetudinis incommoditatem, verum iis etiam molestus esse cogor, quibus cuperem esse jucundissimus. *Constantiæ* nihil aliud quam ægrotavi apud hospitem *Joannem Botzemum*, hominem præter eruditionis & integritatis dotes adeo festivum, ut vel mortuum possit exhilarare. Episcopus ipse *Constantiensis*, vir profecto mitis, probus & integer, nihil humanitatis in me prætermisit. Pari comitate complexus est me *Ennius* Episcopus *Verulanus*, Nuncius Apostolicus. Accurrit & *Hymelbergius*, homo moribus mire candidis, aliique permulti. Etsi nihil horum fuisset, comitem habebam multo omnium lepidissimum, meoque animo charissimum, *Beatum Rhenanum*. Quando non ridet *Beatus*? cujus ingenio dispeream si quid adhuc vidi civilius aut argutius. His omnibus nihil aliud quam molestiam attuli, quo sane nomine mihi morbus etiam erat molestior, quanquam per se molestissimus. Utinam tam bene mihi conveniret cum hypocaustis ac vinis, quam convenit cum cœlo & ingeniis. Tandem præter omnem spem, vinum nactus *Burgundiacum*, re ipsa comperi, quicquid hactenus mali fuit, ex hujus regionis villis esse natum. Proinde nisi *Burgundio* huc mittet vinum, certum est adire *Burgundiam*. *Arnoldus* Comes vere talis qualem tu depinxisti, semel dignatus est cœnare nobiscum. Nec te rogabo ut *Erasmiolum* nobis sic instituas, ut & optimis parentibus & te præceptore dignus evadat, neque viam præscribam qua id facere oporteat, ne vel de tua fide, vel de prudentia tua parum magnifice sentire videar. Tantum illud dicam, te isto officio non minorem gratiam initurum apud me, quam apud ipsos parentes, quibus tamen, ut par est, unice charus est puer, ac præter affectum, quem in te gerit uterque, nosti quam neuter sit sordidus aut illiberalis. Non abhorret animus à visendo *Friburgo* ante brumam, sed deterrent hypocausta & vina. Jam demigravi in alteras ædes, & novus paterfamilias esse cœpi. *Henricus Glareanus*, quod illi felix faustumque sit, habet uxorem ex animi sui sententia. Brevi saltabitur & canetur hymenæus, habes quod homini gratuleris. Certe vir est, mea sententia, quo vix alium reperias sinceriorem, planeque dignus, cui non solum hoc conjugium, sed omnia prorsus felicissime cedant. Bene vale, literarum optimarum optime professor. Salutabis meis verbis omnes, qui isthic bene volunt *Erasme*. *Basilea* 18. Octobris, Anno 1522. An. 1522.

## EPISTOLA DCXXXVII.

*Erasmus Rot. Francisco Archiepiscopo Ebroduncnsi S. D.*

ANTE dies non multos scripsi per *Conradum* bibliopolam *Germanum*, qui domum habet *Lutetiæ*, & tibi, & *Budæo*, & *Brixio*, & *Beraldo*. Omnes sibi vindicant laudem impetrati diplomatis regii, quod mihi certe fuit gratissimum, gratius tamen futurum, si Rex suapte manu subscripsisset. Sed ajunt me ne sic quidem satis tuto istuc posse commigrare, quod dicant improbos, si quis forsitan in illorum manus incidat, nihil commoveri diplomatibus ullis, apud probos mihi non fore opus. Sed multa sunt quæ me hic adhuc remorantur: primum valetudo, quæ me *Constantiæ* mirè afflixit. Nam eo me contuleram, *Romam* profecturus si licuisset, multis affirmantibus in rem meam futurum, si me novo Pontifici exhibuissem: deinde isthinc adferebantur sævi rumores, omnia bellis ac peste conflagrare undique. Tum nullum iter esse tutum. Post nactus vinum è *Burgundia* cœpi melius habere, ut intelligas *Galliam* fato quodam esse mihi salutiferam. Interim exspectamus aurulam aliquam paeis ex hoc Pontifice, statimque post brumam toti cum totis sarcinis commigrabimus in *Gallam*. De pensione Cæsaris, quæ jam tota hujus anni debetur, excusant, nec ulli sua pensio solvitur, adeo totos nos ad ossa usque deglubunt satrapæ, belli quam pacis amantiores. De diplomate putabam me tantum debere *Budæo* & tibi, nunc *Beraldo* & *Brixius* bonam hujus gratiæ portionem sibi vindicant. Postremo video me Card. quoque *Lotharingo* debere, cui certe debeo libenter, sed maxime Regi, qui gaudio gestiens, dixerit *Budæo*, brevi in *Gallia* futurum *Erasmum*. Spero futurum, ut aliquando declarem vicissim & meum animum erga tam benignum Principem. Amplitudinis tuæ studium erga hunc homuncionem lubens amplector. Conabor pro mea virili, hominis ingrati crimen effugere. Reddita simul est & *Dionysii Coronii* epistola tuæ benignitatis alumni, perquam arguta sane & accurata, sic ut *Budæi* simium possis agnoscere. Ei non vacabat in præsentia respondere, variis laboribus occupato. Celsitudini tuæ precor omnia læta, Præsul ornatissime. *Basilea* 10. Novembris, Anno 1522.

## EPISTOLA DCXXXVIII.

*Erasmus Roterodamus Ferdinando, Caroli Cæsaris Germano,*

SALVTEM plurimam. Sereniissime Princeps, ne Celsitudinem tuam plurimis & arduis negotiis occupatissimam diutius remorer, agnoscis, opinor, *Erasmum* illum, cujus *De Principe* libellum etiam mihi reddidisti commendatiorem, posteaquam tua lectione dignatus es. Inpræsentia nihil peto, nisi ut si promereor, veterem in me tuum favorem obtineas, præsertim hoc seculo longe turbulentissimo. Nec hoc in aliud peto, nisi ut vestro præsidio bonæ literæ, doctrinæque Euangelicæ vigor indies magis ac magis polleat apud *Christiani* nominis professores. Non enim ambio dignitates aut salaria, mea nimirum humilitate meaque tenuitate contentus, sed *Christi* gloriam sitio, cui tua serenitas, ut non minus favet, ita plus potest prodesse. Ego certe pro mea virili hactenus integra fide, sinceraque conscientia, sum adnisus ut prodessem. Superioribus mensibus *Paraphrasim in Matthæum*, impulsu *Matthæi* Cardinalis *Sedunensis* susceptam, invictissimo Cæsari *Carolo* fratri tuo nuncupavi. Isque literis, pro sua mansuetudine humanissime ad me scriptis, testatus est hoc studium meum sibi gratissimum fuisse. Nunc in manibus est *Paraphrasis in Joannem*, quam cum

Digitized by Google

An. 1522. cum multorum hortatu sum aggressus, tum præcipue Cardinalis. *Moguntini*, & Præsulis eximii *Joannis* Episcopi *Roffensis* apud *Anglos* viri sanctimonia doctrinaque incomparabili: quod hoc Euangelium plus habeat obscuritatis quam cætera, non tantum ob sublimitatem rerum divinarum de quibus tractat, verum etiam ob sermonis ænigmata quibus involutum est. Hoc, quicquid est laboris, decretum est tuo dicare nomini, qui doctrinam Euangelicam non solum profiteris, quod est omnium commune, verum etiam aves cognoscere, studes vita ac moribus exprimere. Porro tuum istud pulcherrimum exemplum plures imitabuntur spero, si tua pietas, & religiosum erga sacras Literas studium nulli fuerit ignotum. Qui has reddit, *Jacobus Spiegel*, avo tuo paterno Cæsari *Maximiliano* Secretarius fuit, ut fidissimus, ita cum primis gratus: eleganter doctus, & stylo felici, ac præter has dotes impense favet ac provehit Euangelica studia: quem tuæ Celsitudini commendarem, si vel ipse possem aliquid, vel ille talis esset ut egeret ullius commendatione, quem scio suis ipsius virtutibus fore commendatissimum, nimirum iisdem quibus *Maximiliano*, acerrimi judicii Principi, placuit. Tua serenitas sibi polliceatur ab *Erasmo*, quicquid ab humili quidem sed fido mancipio præstari poterit. Eam jugiter florentem servet Opt. Max. *Jesus Christus*, qui vestra consilia bene fortunet, in Reipublicæ salutem, & in Dei gloriam. *Basilea* 29. Novembris, An. 1522.

## Epistola DCXXXIX.

### Adrianus VI. Papa Erasmo Rot.

Dilecte *fili*, *salutem & Apostolicam benedictionem. Literas tuas, tam eas quas manu tua ad nos exarasti, quam eas quibus in fronte Commentariorum* Arnobii *excusis labores tuos nobis nuncupas, semel atque iterum legimus perlibenter: tum quia abs te veniebant, quem ob egregiam eruditionem semper plurimi fecimus; tum quia singularem quandam in nos, & religionem nostram, pietatem pra se ferebant. Nam de* Arnobio, *etsi eum per gravissimas occupationes nondum nobis perlegere licuit, ex iis tamen quæ hucusque quasi raptim de eo libavimus, tum ex veneranda ejus vetustate, reique, de qua agit, argumento, & tua denique commendatione, persuasum habemus, non posse eum non esse optimum Auctorem. Quod vero scribis, vereri te, ne aliorum odiis & insusurrationibus* Lutheranæ *factionis nomine sis nobis suspectus, bono in hoc te esse animo volumus. Licet enim, ut verum fateamur, nomen in hac re tuum ab uno forte vel altero, tui non multum studioso, nonnihil apud nos delatum sit: ex natura tamen nostra & instituto, adde etiam ex eo quod gerimus officio, non faciles præbere aures solemus ad ea, quæ de doctis & virtute præditis viris sinistre nobis referuntur; quos quanto scimus excellentiore doctrina præditos, tanto videmus esse invidiæ morsibus magis obnoxios. Pro ea tamen qua te prosequimur charitate, proque fama & vera gloria tua desiderio te hortari non omittimus, ut contra novas istas hæreses stylum istum, qui tibi Dei benignitate felicissimus contigit, exerceas, cum multis de causis tu provinciam hanc tibi potissimum a Deo reservatam reputare merito debeas. Inest enim tibi magna ingenii vis, varia eruditio, scribendi promptitudo, quanta nostra memoria paucissimis aliis, ne dicamus nullis: præter hæc vero apud eas nationes, unde hoc malum ortum est, summa auctoritas & gratia, quibus sane dotibus ad ejus honoris, & Ecclesiæ fideique defensionem uti debes, qui eas tibi sola sua benignitate elargitus est. Quod ea potissimum de causa a te fieri cupimus, ut & his, qui te super re* Lutherana *suspectum reddere conantur, hoc demum pacto silentium imponas: & labores tuos, quos locupletandis politioribus literis, & expoliendis sacris diu impendisti, hac tam sanctissima opera, qua nulla Deo gratior, nulla veris catholicis optatior, nulla te & ingenio, eruditione, eloquentiaque tua dignior esse potest, exornes. Cave enim exspectes tibi tota vita tua datum iri occasionem, qua vel majus Deo obsequium, A vel uberius nationi tuæ, imo universæ Reipublicæ* Christianæ *beneficium impendere possis: quam si non minus stolidas rusticasque quam malignas istas hæreses, a* Martino Luthero, *non quidem inventas, sed a priscis hæresiarchis, quos Catholica Ecclesia ac sanctissimi Patres, divino Spiritu procul dubio afflati, sæpius condemnarunt, acceptas quasi ab inferis denuo erutas: qua tot animas fratrum tuorum quotidie subvertunt, & universa confundunt, turbationibusque replent: Hieronymi tui,* Augustini, *& aliorum sanctorum Patrum zelum exemplaque imitatus, lucidissimis rationibus, & sanctæ Scripturæ auctoritatibus confuderis, sustuleris, exploseris. Multa quidem,* Erasme, *magno studio magnoque successu antehac scripsisti, qua licet permagnam doctis omnibus utilitatem attulerint, tamen pro hoc Opere, ad quod te hortamur, & quod hominum abs te consensus exspectat, minus necessaria: cum illa doctis tantum prosint, hoc vero in communem omnium* Christianorum *pacem & tranquillitatem (qui fere unus in hoc sæculo est Euangelicæ doctrinæ finis) Deo adspirante sit redundaturum. Quod quum ita sit, non debes, fili* Erasme, *tu qui a puero ad hoc ætatis, quasi per omnes gradus eas artes quascunque tractasti, semper aliquid meditando & scribendo juvisti, ad hanc rem isti professioni, isti ætati debitam diutius subsistere: cum idem in te ad scribendum vigeat tenor, judicium longe sit firmius, doctrina vero (ut par est) etiam locupletior accesserit quam prius: neque vero provinciam hanc rationabiliter declinare queas, quod forte ex modestia tua te huic rei imparem dicas. Nam præterquam quod contrarium & omnes norunt, & rei habet veritas, aderit tibi in hac laboranti Deus, cui in hoc servies: aderit & justissima fidei causa, qua adversus hæreticorum impetus & insidias ad extremum semper victrix fuit, & procul dubio etiam nunc erit; licet Deus justissimo judicio propter gravissima hominum scelera, maxime Ecclesiasticorum, Ecclesiæ suæ naviculam in his fluctibus nonnihil laborare permittat. An putamus eundem Deum sponsam suam Ecclesiam, quam precioso sanguine suo sibi acquisivit, & cum qua usque ad consummationem sæculi se futurum pollicitus est, nunc deserturum, & non potius confusurum eos, qui superbos intellectus suos contra Dei scientiam, & contra catholicam veritatem extollere non verentur? quibus judicium jam olim non tardat, & perditio illorum non dormitat.* Vidi, *inquit Propheta,* impium superexaltatum super cedros Libani, & transivi, & ecce non erat; quæsivi, & non est inventus locus ejus. *Quod procul dubio etiam* Luthero *& suis, nisi resipuerint, cito eveniet. Qui ut ipsi sunt carnales, & dominationis contemnentes, ita omnes sui similes reddere student. An igitur contra istorum insaniam stylum tuum convertere dubitabis, quos Deus jam a facie sua projecisse, & in reprobum sensum manifeste tradidisse conspicietur, ut dicerent, docerent, atque agerent qua non conveniunt: quibus universa* Christi *Ecclesia perturbatur, innumerabiles anima æterna damnationis reatu cum eis involvuntur? Exsurge, exsurge in adjutorium causæ Dei, & præclaris dotibus ingenii, quas ab eo accepisti, in ejus honorem, sicut hucusque fecisti, utere! Cogita in te positum esse, cum Dei adjutorio, ut magna eorum, qui per* Lutherum *subversi sunt, pars in rectam viam redeat: qui nondum ceciderunt, stabiles permaneant: qui vero vacillantes, ac lapsui propinqui sunt, a labendo penitus præserventur. Qua res quam grata Deo, & veris catholicis jucunda futura sit, tu ipse facile æstimare potes. Qui etiam meminisse debes dicti illius beati* Jacobi *Apostoli, quo asserit eum, qui fratrem suum a veritate errantem converterit, & peccatorem ab errore viæ suæ revocaverit, servare illum a morte, & operire multitudinem peccatorum. Nobis certe dici non potest, quam acceptam rem facies, si tua opera fiet, ut qui pessima ista hæresi infecti sunt, sponte potius suaresipiscant, quam censoria sacrorum canonum, legumque imperialium virga percuti exspectent. Quod quam a nostra natura sit alienum, tu ipse, uti credimus, ex eo tempore quo simul in jucundo literarum otio, & privata adhuc vita, Lovanii*

An. 1522. nii *degimus, optime nosti. Quod si rem hanc, quam salutis creditarum nobis ovium* Christianæque *tranquillitatis desiderio, tanto studio abs te poscimus, pleniore adhuc obsequio augere cupis; fac, transacta hyeme, & aere* Romano, *qui aliquot jam mensibus peste laborat, purgato, ad nos quamprimum venias, sed incolumis, sed latus. Juvabit enim non parum te ad hoc opus, quod tam præstare debes, quam potes, magna, quos hic habemus, librorum copia, & frequens nobiscum, & cum pluribus aliis piis & doctis viris de hac re commentatio. Nos vero viciſſim dabimus operam, & brevi cum Dei auxilio, ut ne te istius itineris, aut tam sancti laboris pœniteat. Prout dilectus filius magister* Joan. Faber, *vir zelosus, & egregie doctus, tuique amantissimus, & magnus laudum tuarum ubique præco, tibi viva voce, vel scriptis latius explicabit. Cui eandem, quam nobis habiturus esses, fidem adhibebis. Datum* Romæ *apud sanctum* Petrum *sub annulo piscatoris,* 1. *Decemb. An.* 1522. *Pontificatus nostri anno primo.*

## EPISTOLA DCXL.

*Erasmus Roterodamus Henrico Stromero Medico* S. D.

VIR eximie, quoniam πολλὰς φιλίας ἡ ἀπροσηγορία διέλυσεν, hisce literis certe salutem dicere volui meo *Stromero*, testatumque facere, tui memoriam apud me nondum intercidisse, nec unquam intermoriturum. De *P. Mosellano* quid actum sit scire cupio; scripserat enim ad me prolixe de suo ad nos adventu, atque interim ne rumusculus quidem adfertur de homine. Scripserat item Illustrissimum Ducem *Georgium* destinasse mihi munus regale, nam hoc usus est verbo. Ego sane ab eo Principe ut non promereor, ita non exspecto munus, quanquam nec alias admodum avidus munerum captator: Sin est aliquid, nolim optimi Principis benignitatem & ipsi perire & mihi. Bene vale. *Basileæ* 5. Decembris, Anno 1522.

## EPISTOLA DCXLI.

*S. P. N. Adriano Sexto Erasmus Rot.* S. D.

BEATISSIME Pater, pietatis in te meæ, promptæque erga Sedem istam obedientiæ pignus, iterum mitto per publicum nuncium civitatis *Basilienſis*, si forte libellus, quem pridem misi, redditus non est. Tum aliud ad manum non erat, ubi sese uberior obtulerit occasio, non defuturus sum officio meo. Nihil his temporibus potest esse turbulentius, in quibus difficillimum sit omnibus satisfacere. Ego certe hactenus satisfeci conscientiæ meæ, quam spero me *Christo* etiam approbaturum. Neque simplex est rerum tempestas; armis, opinionibus, studiis, factionibus, odiis, convulsa sunt omnia. Mundus unum te spectat, qui rebus humanis serenitatem reducas. Si tua Sanctitas jubebit, audebo secretis literis indicare consilium meum; si non prudens, certe fidele, quo malum hoc sic exstingui possit, ut non facile repullulet. Nec enim magni refert, sic opprimi violentia, ut mox erumpat majore cum periculo, quemadmodum solent male curata ulcera. In magnis tempestatibus à quovis etiam se moneri patiuntur, quamlibet periti, gubernatores. Nec *Moses* repudiavit *Jetro* consilium, etiamsi ego *Jetro* non sum; sed tamen apud *Horatium Davus* fidele consilium impartit hero suo. Si quid erit quod probabitur, licebit uti. Si nihil erit, quoniam præter duos nos nemo cognoscet, nullo periculo res obliterabitur. Nos humiles videmus & audimus fortasse quædam non adspernanda, quæ summos viros fugiunt. Inprimis illud cavendum censeo, ne privata quorundam odia lædant publicum orbis & *Christi* negotium, & sic vindicetur hominum auctoritas, ut non prodatur auctoritas *Jesu Christi*, qui solus est heri & hodie ipse & in secula. Nos olim quædam liberius lusimus, sic tum ferebat temporum tranquillitas, non suspicantes hoc seculum exoriturum. Nunc, quoniam video rem *Christianam* in grave discrimen adduci, modis omnibus advigilandum est, neque quicquam omnino dandum privatis affectibus. Nolim ominari male. Tamen video plus imminere periculi, quam vellem, aut quam multi intelligant. Utinam *Christus* omnia vertat in bonum exitum. Civitas hæc *Basilea*, multis dotibus eximie florens, peculiari quodam studio ducitur erga Sedem istam, cum ob multa, tum ob Synodum quondam hic habitam. Proinde digna est, meo judicio, favore Sanctitatis tuæ, præsertim quum quod petit, nec iniquum sit, nec difficile. Hoc jussus sum adscribere, quum nihil esset opus. Si tua Sanctitas dignabitur obedientiæ meæ periculum facere, injungat quod volet; nisi promptus & alacer paruero, ne numeret *Erasmum* inter suos. Spiritus Domini *Jesu* dirigat animum tuum & omnes tuos conatus ad salutem orbis ac Dei gloriam. *Basilea* 22. Decembris, Anno 1522.

## EPISTOLA DCXLII.

*Erasmus Roterodamus Jacobo Landavo Bavaro* S. D.

QUANQUAM semper sum occupatissimus, nunquam tamen quam nunc occupatior; nihilominus quum hujus Reipublicæ Magistratus admonuisset, se peculiarem nuncium istuc emandaturum, præfationem tuam, qua in *Stunicam* velitaris, ἀπνδως perlegi; non agam interim, *Landave*, gratias pro isto tuo in me animo, sed optarim posse referre. Exoriculor autem supra quam dici potest, felix istud tuum ingenium, ac dicendi venam ingenio parem; quo magis indignor stupidis istis rabulis, quorum improbitas facit, ut ad hujusmodi rixas devocentur ingenia rebus nata melioribus: tum autem quanquam à nullo vicio longius absum, quam invidiæ, tamen *Stunicæ*, ita me bene ament Musæ, stylum istum & operam invideo. Me plus quadragies pœnituit, quod unquam scabiem istam attrectarim, & stat sententia posthac quidvis perpeti potius, quam adversus istum verba facere. Literas tuas utrasque mihi redditas scito; nam quod ad posteriores non responderim nihil aliud in causa fuit, quam ocii penuria, major quam quisquam credat. Magnam temporis partem sibi poscit valetudo, subinde adversa; cæterum in libris edendis, tantum est negotii, ut vix duo sufficiant *Hercules*. Accedit ad hæc tantum ex omnibus plagis epistolarum, ut huic uni negotio par esse non possim, si maxime coner. Erat mihi tuus error magnopere jucundus, qui mihi tam copiosam pariter & argutam epistolam peperit. Non enim te consulebam an *Stunicæ* respondendum esset, sed te civiliter submonui, ne quid adversus illum scriberes, nihil aliud quam crabronem irritaturus. Siquidem hoc est quod ille *Thraso* sitit, ut multorum literis quocunque modo celebretur: dignior est qui versificatorum næniis velut asinus ab apibus exagitetur. De libello tuo quid fieri velis non significas. Nec ex eo quivi intelligere, an *Apologias*, quibus semel atque iterum *Stunicæ*, mox *Caranzæ* respondi, legeris. Suspicor enim per bibliopolam *Claudium* istuc advectas. Non satis conjectare potui, quid ordinis sequutus sis in tuo libello, certe frater tuus, qui descripsit, plurimum peccavit in orthographia: utcunque de hoc libello statueris, illud tibi suaserim, ne si quando voles in lucem exire Opus, quod instituisti *de contextu quatuor Evangeliorum*, contamines illud *Stunicæ* nomine, aut aliud ullum Opus, quod victurum existimes. Quis enim profectus? An ut ille pudescat? Saxo citius ruborem suffuderis. An ut resipiscat? Deploratum est ingenium. An vero ut orbis norit portentum esse natum? Hic isti fructus erit optatissimus, si contingat. Quod autem hominem, palam insanientem in me, tulit *Roma*, satis conjeci, quanta sit istic quorundam integritas: nec me clam est, quorum instinctu hoc fecit, tametsi homo natura maledicus est, & huic fabulæ natus.



Digitized by Google

An. 1522. Porro quod hunc ſenex ille Cardinalis, cui cognomen à cruce, gentilis amplectitur, ſuoque contubernio dignatur, quid aliud quam quod dicitur, dignum patella operculum? ὦ ἐὶ τῷ ἀρχιερέως meliora libet ominari; certe quod ad me pertinet, ſcio illum quorundam in me odiis nondum feciſſe ſatis. Sunt enim tres Furiæ apud nos, quæ odio bonarum literarum excitant hanc Tragœdiam, *Jacobus Hochſtratus Dominicanus*, *Vincentius Alcmarienſis* ejuſdem ſodalitii, *Nicolaus Egmondanus Carmelita*: Eſt quem his merito annumeres, hoc nocentior, quod tecte facit omnia, & aliorum fruitur vel abutitur magis inſania. Hi, quoniam inviſi ſunt bonis omnibus, & in dies reddunt inviſiores, multum profuere factioni *Lutheranæ*. De *Roma* adeunda non eſt quod cauſas ſuggeras, una eſt juſtior quam vellem excuſatio, ætas ingraveſcens, corporis imbecillitas, ad hæc renum calculus, capitale jamque nimium familiare malum. De epiſtolis tuis quod mones hactenus à me curatum eſt, & in poſterum curabitur. *Athanaſium*, *Reuchlino* interprete, *Latinum* ad te mittam per hunc, ſi quivero nanciſci, ſimulque ὑποθέωσιν tui *Reuchlini*. *Joannes Frobenius* tuus eſt, & tibi cupit eſſe commendatus. Bene vale. *Baſilea* 22. Decembris, Anno 1522.

## EPISTOLA DCXLIII.

*Eraſmus Rot. Joanni Botzemo* S. D.

HODIE reddita eſt epiſtola 14. Novemb. per Academicos. Non erat opus ea diligentia, in reddendo tantillo munere, tanto Præſuli, præſertim quum nihil eſſet illic quod ad illum proprie pertineret. Alio argumento, ſi dabitur occaſio, teſtabor meum erga illius celſitudinem ſtudium. Nec hoc faciam ficte, ſed ex animo, nec ab illo quicquam ambio, niſi mutuam benevolentiam, & commune ſtudium erga rem Euangelicam, quæ ad omnes pertinet; cui non dubito quin ille optimus Præſul faveat, quantum hæc tempora patiuntur. *Paraphraſim in Joannem* deſtinavi *Ferdinando*, quod *in Mattheum Carolus* Cæſar etiam literis ad me ſcriptis teſtatus ſit, ſibi fuiſſe gratiſſimam: quanquam id non ex illius modo literis, ſed multorum aliorum cognovi, *Gattinarii* Cancellarii ſummi, *Glapionis Franciſcani*, qui nihil apud Cæſarem non poterat dum viveret, Epiſcopi *Palantini*, qui & ipſe diem obiit, *Georgii Haloini*, *Antonii Sucqueti*, quo nihil habet hæc ætas candidius, *Joannis Carondileti* Archiepiſcopi *Panormitani*, ut ne commemorem alios privatos amicos. Qui putant ſe idem valituros in negotio *Chriſti*, quod ad omnes nationes, ad omnia ſecula pertinet, quod valent in compotatione Theologica, diſputatiuncula ſcholaſtica, longe falluntur. Res eſt efficax & invicta veritas, ſed Euangelica prudentia diſpenſanda. Ego ſic odi diſſidium, ſic amo concordiam, ut verear, ne ſi inciderit articulus, citius deſerturus ſim aliquam veritatis portionem, quam turbaturus concordiam, ſi quid tamen ego poſſum. Concionator iſte certe vir bonus, magis profuerit rei Euangelicæ, cui ſine dubio favemus omnes, ſi columbinæ ſimplicitati addat Euangelici ſerpentis prudentiam. Experiatur hoc, & damnet meum conſilium, niſi compererit eſſe verum. Quid agant dii ſelecti, quid dii minores, quanquam illa quoque variis è locis ad me perſcribuntur, non eſt meum, hoc eſt infimæ plebeculæ judicare. Ego in hac fabula meas ſane partes ſinceriter peragam, de exitu viderit ipſe choragus *Chriſtus*. Gaudeo te mearum literarum pharmaco ſublevatum, ſed demiror vos *Conſtantienſes*, ex tam levi rumore concipere morbum tam atrocem. Quo animo ſi ego eſſem, non *Conſtantiæ*, ſed in *Hollandia* natus, ad quem quotidie talia mendacia perferuntur, jam pridem mortuus eſſem. Hoc ſcito, duos illos Theologos, qui privatis odiis non in me, à quo nunquam fuere verbo læſi, ſed in bonas literas, quas ſemper defendi, debacchati fuerant, nunquam fuiſſe modeſtiores, quam nunc ſunt. Hic Pontifex *Adrianus* erat extrema ancora, ea poſtquam fefellit, deſpondent animum. Imputant hoc cuidam Theologo, qui me amat etiam ignotus ignotum, quem ajunt apud Pontificem poſſe omnia. Pontifici, veris rationibus agenti *Chriſti* negotium, adero modis omnibus, pro mea quidem quantulacunque portione. Nec dubito quin ut eſt ſenex doctus, præterea rerum plurimarum uſu peritus, ſit reſponſurus noſtræ exſpectationi. Si quid fefellerit, ego certe non ero ſeditioſus. Nunc ad extremam concionatoris interrogatiunculam: An totum Euangelium ſit deſerendum? Primum hi maxime deſerunt, qui male defendunt; deinde quam lente ſuam doctrinam *Chriſtus* prodidit? Quid autem inſanius quibuſdam iſtis, qui nunc videri volunt Euangelici? Admonui amicum tibi non incognitum de epiſtola Epiſcopi *Conſtantienſis* vexata. Nunc exiit nugamentum longe dementiſſimum. Demiror quid iſti cogitent, aut quid ſibi velint. *Cronbergius* bis mecum eſt colloquutus, & valde placuit hominis modeſta prudentia. *Huttenum* non vidi, nec hoc tempore videre cupio. Optime illi volo, ſi bene velit ſibi. Mihi eſt aliud quod agam. Scripſi tibi ſimul & *Fabro*. *Beatus* adhuc abeſt. *Epphendorpius* raro nos viſit, alioqui ſui ſimilis. Salutabis amicos omnes meis verbis, in primis Medicum, cui nondum ullam retuli gratiam, quanquam, ut *Graci* dicunt, omnino μέμνημαι, Concionatorem *Dominicanum*, *Hymelbergium*. Medici & Concionatoris nomina ſcire cupio. Ex tuis gratiis precor, ut tibi grata contingant omnia, quæ dicis aut facis; ſemper ſis voluptati tuis, tui viciſſim tibi: ſemperque contingat adjunctis Gratiis inter Muſas canere. Habes ad pleraque, ſed epiſtola ſcripta mox à prandio, quum *Baccho* ſumus afflati verius quam Muſis. *Baſilea* 25. Decemb. An. 1522. An. 1522.

## EPISTOLA DCXLIV.

*Eraſmus Rot. Petro Barbirio* S. D.

AMICE incomparabilis, ſcripſi per *Morillonum* noſtrum amicum vere candidum, ex quo multa cognoſces de ſtatu tui *Eraſmi*, qui plane periit, ſi perire eſt ad mortem tendere. Scripſi nuper ſed paucis *Romam*, quod incertum eſſet, an illic eſſes futurus. Nam mihi ſemper fuit ſuſpicio, Pontificem *Adrianum* non aditurum *Romam*, vel ante autumnum, vel ſine Cæſare. Nunc non æquum eſt te neſcire, quo fato perierit tuus hactenus abs te defenſus cliens. Excudebatur hic præter alia quædam Novum Teſtamentum tertio recognitum ac locupletatum; & quanquam ſemel atque iterum me crudeliter accepiſſet *Germania*, tamen quemadmodum aſina dicitur per medios ignes ſuccurrere fœtibus ſuis, ita ego cupiebam etiam capitis mei periculo adeſſe Operi meo, quod haud dubie male tractatum fuiſſet niſi ipſe adfuiſſem. Itaque quum daretur comitatus frequens militum, qui tum dimiſſi à Cæſare repetebant domum, auſus ſum me itineri committere. Nam rure *Anderlacenſi* ſic convalueram, imo ſic quodammodo repubueram, ut nihil non auderem forticulus. Sic ante ruinam, juxta Sapientis dictum, ſolet attolli cor. Hac in re jam illud maximum fuit infortunium, quod ſubita data occaſione diſceſſeram nondum colloquutus cum *Joanne Glapione*, quem expertus ſum mihi vere & ex animo amicum. Expetiverat ille colloquium meum, & ego vehementer cupiebam congredi cum eodem: ſed dum ille noſtras ædes adierat, ego forte aberam *Antuerpiæ*, colligens meſſem penſionariam. Interim ille Cæſarem ſequutus eſt *Valencia* profugum in bellum *Tornacenſe*. Itaque deſperata colloquendi commoditate huc profectus ſum, hoc me conſolans, quod ſperarem fore, ut abſolutis his, quæ erant in manibus, redderem me patriæ ante Cæſaris abitum; & ecce ſtatim *Wormaciæ* ad nidorem hypocauſtorum cœpi languere: id mali diſcuſſit equitatio, & *Spiræ* dies aliquot curavi corpuſculum, apud ejus Eccleſiæ Decanum. Rurſum *Baſileæ* ad odo-

Digitized by Google

An. 1522. odorem hypocausti cepit me non pituita, sed mera pestis. Vicit & hoc mali natura. Olfeci tertio, & incidi in morbum capitalem, qui me complures menses habebat: huic junctus erat atque etiam successit calculus, qui adeo non deserit me, ut in dies inclementius impetat. Nec est finis, nec intervallum, partus partum excipit, perpetua est superfœtatio. Nixus sæpe cum magno vitæ periculo. Cruciatus talis est, ut hac de causa mortem non timeam, & sæpe invideam iis qui peste aut quarceris laborant febribus. Ante dies quindecim pene in partu perii, calculus erat ingens, stomachus plane collapsus, ne nunc quidem potest restitui. Totus *Erasmus* nihil est præter pellem & ossa. His rebus factum est, ut quum intelligerem meam maxime referre adesse in *Brabantia* ante Cæsaris abitum, tamen per valetudinem non licuerit. Perveneram usque ad *Sletstadium*, hoc est itinere bidui, sed febris, obortа ex æstu, coegit me redire domum: quod ipsum ægre potui, quatriduo refocillatus apud *Beatum Rhenanum*, literis tamen rem egi ut potui. Facile divinabam *Caracciolam* & *Aleandrum*, quos mendacissimæ linguæ sycophantarum in me concitarant, moliri adversum me in aula Cæsaris: & erat nescio quis in aula mihi infensissimus, quis sit nondum olfacere potui, suspicor *Hispanum* esse, & ajunt esse magnæ apud Cæsarem auctoritatis. Sed *Paraphrasis in Matthæum* renovavit Cæsaris in me favorem, commode rem adjuvantibus, *Glapione*, Episcopo *Palantino*, cæterisque fautoribus. Nam Cæsar cum apud *Anglos* pranderet cum Rege, orta forte mentione de *Erasmo*, honorifice loquutus est de me, meosque labores magnopere commendavit. Et certis argumentis compertum habeo Regem *Angliæ* mihi favere ex animo. Porro Cardinalium ordo satis declaravit se mihi favere, qui *Stunicæ* libellum, quem inscripsit vero titulo *blasphemias*, edicto vetuit excudi, clam excusum vetuit distrahi. Cardinalis *Sedunensis* jam iterum atque iterum offert annue quingentos ducatos de suo, præter honorificum viaticum. Cardinalis *Moguntinus* amantissime simul & honorificentissime sæpius ad me scribit. Nec omnino video mihi ullum periculum, nisi à quibusdam pseudomonachis. De *Egmondano* facile divinabam fore quod evenit, ut profecto Cæsare inciperet suam exercere tyrannidem. Statim orsus est in me vociferari, & *Mechliniæ* in publica concione monuit populum, ut caverent ab hæresi *Lutheri* & *Erasmi*. In conviviis passim jactabat *Erasmum* esse hæreticum pejorem *Luthero*, ac dira minabatur si adessem. Est alter qui tectius lacerat, sed nocentius. Tu, mi *Barbiri*, æstimas illum ex antiquis illis moribus; qui mihi quoque placebant, quum adhuc esset in humili statu: posteaquam afflavit fortunæ aura, ita sublati sunt animi, ut Theologis etiam quibusdam sit invisus, non modo candidis omnibus. Religiosum Principis animum vehementer laudo: sed si fuisset satis edoctus de toto negotio, non commisisset rem tanti momenti, homini fatuo & furioso, *Egmondan*, & collegæ alteri huic simillimo, quorum uterque pejus odit linguas ac bonas literas quam anguem. *Carmelita* in nullos magis sævit quam in meos, & amantes bonarum literarum, aut à quibus læsus erat, Jactat se mortuum mundo. At nihil est vindictæ appetentius. In *N.* probum & doctum juvenem plane phalarismum quendam exercuit, quod illum aliquando vocarit *fatuum*. Nec id potuit homo furiosus dissimulare, quum in publico perageretur palinodiæ fabula. Alterum semel dimissum, retraxit, & in carcerem conjecit, virum quo nemo melior *Antuerpiæ*: opinor tibi notum esse. Quid de *Luthero* senserint, nescio, apud me certe nihil tale declararunt, sed strenue oderunt quosdam *Dominicanos* & *Carmelitas*, qui sic profecto gerunt sese, ut nemo bonus eos non exsecretur. Fatereris ipse verum esse quod dico, si coram adesses. Illud est *Carmelitæ* decretum, rem austeritate conficiendam esse. Sed hanc fortassis exerceri decet in eos, qui palam defendunt *Lutherum*, apud nos nemo talis



est. Odium Monachorum ac Sedis *Romanæ* conciliavit illi aliquem favorem apud totum populum, & plerosque magnates. Si hic affectus tam atrociter puniendus est, sunt hic & apud nos ducenties centum millia hominum, qui sic affecti sunt, nec alia re opus est nisi duce. Miscet se huic negotio sub honesto prætextu aliena rapiendi libido, & privatum dolorem ulciscendi cupiditas. *Basileæ*, Anno 1522. An. 1522.

## EPISTOLA DCXLV.

*Erasmus Rot. Joanni Glapioni* S. D.

EGO vero te, mi *Glapion*, hoc nomine vel unice gratulor optimæ mentis Cæsari, quod talem virum habet à consiliis. Spem enim certissimam concipio futurum, ut unus nullis hujus mundi cupiditatibus corruptus consulas ea potentissimo Monarchæ, quæ faciant ad publicam orbis utilitatem, & ad gloriam *Christi*, quemadmodum hactenus, ut spero, facis. Cæterum pro studio isto in me tuo jam pudet toties gratias agere. Contemptis rebus omnibus, valetudine, prolixo itinere, latrociniis, iis quæ nunc in manibus sunt & excuduntur, denique scrinio rerum mearum, quod nunc demum *Francfordiam* perlatum, nondum ad me perve-ctum est, istuc cupidissime advolassem, ita me bene amet Dominus *Jesus*: sed verebar ne posteaquam omnia fecissem, istic non offensurus essem Cæsaream Majestatem, quæ dicebatur jamdudum hærere in littore, nihil exspectans nisi faventes ventos, qui soli non agnoscunt Cæsarem. Cupiebam & *Caletii* salutare *Mæcenates* aliquot meos, quos conjectabam illic cum Cæsare adesse. Si quid est in quo possim gratum facere Principi meo, aut illius dignitati, aut religioni *Christianæ* consulere, tribus verbis per hunc juvenem fidelissimum scribito. Ego sane sum is qui silere norim. Jam aggressus eram nonnihil libelli *De finiendo negotio Lutherano*, sed valetudo interrupit omnia studia. Interim oratione literisque permultos temperavi, mire *Luthero* addictos. Epistolis etiam editis declaravi mihi nihil unquam fœderis fuisse cum ullo *Lutherano*, sed seditiosum negotium mihi semper displicuisse. Jam hoc toti *Germaniæ* sic notum est, ut nullus impendio *Lutheranus* mihi bene velit, quidam minitentur dentatos libellos, alii lacerent convitiis, *Pelagianum* appellantes & *palponem*, non Euangelicæ doctrinæ præconem. Me certe neque vita neque mors distrahet ab obedientia Ecclesiæ, & à sinceritate fidei *Christianæ*. Sed tamen illud, vir optime, tecum expendas velim, quam inique mecum agatur, qui quum tantis meis sudoribus prodesse studuerim publicis studiis & religioni *Christianæ*, quum semper dehortatus sim *Lutheranos* ab hoc seditioso negotio, qui nullis rationibus, nullis odiis aut terroribus perpelli potuerim, ut in eam factionem vel tantulum concederem, quum magnos tumultus hic excitare potuissem, si talis essem qualem isti me prædicant, nunc dedar quorundam privatis odiis discerpendus, & eo redigar, ut nec isthic mihi sit tutum vivere, nec in *Germania*: hic propter *Lutheranos*, qui nescio quid magni tumultus moliri dicuntur; istic propter duos aut tres mihi privatis de causis infensos. Mea vena, quam tu divinam appellas, sane quam exilis est. Et tamen ea qualis qualis est, servitura est gloriæ *Christi*, & sequundum hunc dignitati Principis mei. Et his laboribus annos adhuc aliquot sufficere poteram, si daretur tutum ac tranquillum ocium. Sed non me fugit, quantis odiis quidam in me debacchentur, quidque moliantur, nimirum illud agentes, ut me nolentem volentem protrudant in castra *Lutheranorum*, quod tamen nunquam efficient. Citius occident *Erasmum* quam corrumpant, & sic illos ulciscar, ut meam sinceritatem quam maxime probem omnibus. Hæc vindicta sufficerit animo *Christiano*. Mihi vehementer arridet *Brabantia*, & præsertim rus illud *Anderlacense*, si Principis clementia jubeat mihi pensio-



Digitized by Google

An. 1522. nem meam esse perpetuam, neque tueatur adversus istos quosdam, qui prætextu religionis ulciscuntur privatum suum odium: id quam sit atrox vel hinc conjicias licebit, *Senatusconsultum factum est Coloniæ inter Dominicanos, ut omnes libri, ab Erasmo conscripti, ejiciantur è totius Ordinis bibliothecis.* At inter hos est Euangelium & *Hieronymus*. Et sunt *Lovanii* qui vetus in bonas literas odium jam palam præ se ferunt. Horum temeritas quoniam tendit ad manifestam seditionem, auctoritate Principis ac Præsulum esset coercenda. Si quid incidat in quo sit redarguendum dogma *Lutheri*, faciant idoneis argumentis, & apertis Scripturarum testimoniis. De aliis, quos non damnavit, neque Scholarum, neque Pontificum, neque Principis auctoritas, taceant, nec Euangelii cathedram contaminent stultis ac virulentis obtrectationibus. Mihi quidem sit animus & tuendæ fidei *Christianæ*, & ornandæ dignitatis Cæsareæ percupidus; sed ut præstare queam quod cupio, bona ex parte ipsi Cæsari in manu est, cui summa rerum in manu est. Non ambio apud illum ingentes fortunas, tantum ocium præstet ac tranquillitatem, ego modis omnibus efficiam, ut illius majestatem nunquam pœniteat hujus consiliarioli. Non vis me fidem habere dictis, sed factis, sic enim scribis. Ego hoc nisi brevi præstitero, scribito nomen *Erasmi* inter vanissimos. Quum hæc scriberem, nondum apud me certum aliquid de itinere statueram: sic enim animus istuc propendet, ut si vel paululum accesserit momenti, sim hunc meum *Dromonem* sequuturus. Tu fac interim factis amicum agas, tuisque sanctis consiliis faveat Dominus *Jesus*. Pontificis primatum satis jam asseruerunt, *Cajetanus*, *Sylvester* & *Eccius*, ut mea opera nihil sit opus. Nam *Catarinus* rem non perinde dextre tractat. De Sacramentis quid sentiam jam carmine declaravi, quod additum est libello cui titulus *Cato*. Extat eadem de re libellus Regis *Angliæ*, quem *Romæ* & hic quidam falso suspicantur esse meum. O suspitiones mihi prosperas, si locum commutarent, hoc est, si id suspicarentur *Angli* quod suspicantur *Germani!* Opinor conjecturam natam ex stylo: nam Rex adhuc puer, nihil diligentius legit quam meas *Lucubrationes*, è quibus fortasse contraxit nonnihil malæ phraseos, si quid tamen habet meum. Sed næ ego incivilis, qui præstantiam tuam tot negotiis obrutam epistola tam loquaci detineam, ipse occupatissimus. Valebis, & ages amicum. *Basilea*, Anno 1522.

## EPISTOLA DCXLVI.

*Erasmus Bilibaldo suo* S. P.

An. 1523. VEHEMENTER gratæ fuere tuæ literæ, vel ob hoc, quod alacritatem quandam præ se ferebant. Nos his feriis natalitiis calculus dolori conjunctus, quem Colicum vocant, penissime liberarat ab his vitæ malis. Et adhuc adeo dejectum est hoc corpusculum, ut verear ne non perficiam, quod est in manibus, *Actorum* opus. Non metuo mortem: satis enim diu vixi. Optarem aliud mitius mortis genus. Nunc quot mortes habet unius calculi partus? Et quoties regustanda mors? Sed Dei voluntati nos subjiciamus oportet. *Clemens* Septimus magnis promissis *Romam* vocat; Illustrissima Domina *Margareta* & Cæsar in *Brabantiam*, alioqui periit pensio, quæ jam plus quam biennium non solvitur. Hic fremunt in me *Lutherani* ingeniosiores. Et *Lutherus* ad suos scribit nobis parum amicos. *Roma* quid sit futurum, satis divino: sunt enim illic, qui gladiatoriis animis mihi certum exitium moliuntur. Ac jam pene peregerant ante mortem *Adriani*: cui cum scripsissem consilii mei partem, ab ipso rogatus literis secretis, mox sensi mutatos duos. In *Brabantia* furiosis datus est gladius, qui me pejus oderunt quam *Lutherum*. Hic nihil aliud, quam ægroto. Invitat jam sæpe Rex *Galliæ*. Sed videbor ad hostem fugisse; id inimici suadebant Cæsari, qui adhuc satis favet *Erasmo*. Rex *Anglus* sic urget ut scribam adversus *Lutherum*, ut videatur indigne laturus, si pergam negare. Quid hoc seculo turbulentius? Feceris pergratum, si reliqua, quæ isthic aguntur, perscripseris, deque *Lei* nostri gestis. Ut *Lutherus* omnes inimicos suos nobilitat ac ditat! Demiror quis sit exitus futurus hujus consilii, & apparatus ad bellum, quod fit undique. Concurrent montes, opinor. Deus nostros tumultus vertat in bonum publicum. De fusili *Erasmo* recte conjecturas. Felicius provenire solet ex materia cupro stannoque temperata. Et Terminus, qui à tergo est, obstat, quo minus facies feliciter exprimatur. Id velim istos tentare. Gaudeo *Durero* nostro contigisse sutorem suum, cui me multam dices salutem, & item *Vatenbulio*. Hoc ægre scripsi, manibus adhuc à morbo vacillantibus, ipso nuncii digressu submonitus. *Fabro* nostro precor omnia felicia. Scribe de singulis. *Jodocus*, Orator Regis *Poloniæ*, nondum accepit Precationem Dominicam, quam opinor isthic jam prostare. Bene vale. *Basilea* 9. Januarii, Anno 1523.

An. 1523.

## EPISTOLA DCXLVII.

*Erasmus Roterodamus Bernardo Episcopo Tridentino* S.

REVERENDE Præsul, næ iste tuus animus tam pius ac benignus dignus est aliquo, qui & ingenii dotibus & corporis viribus possit respondere. Hæc ætas, magis autem valetudo, semper in pejus vergens, reddit me ad omnem convictum inutilem. *Clemens* Septimus humanissime *Romam* vocat: Cæsar invitat ut redeam in *Brabantiam*. Rex *Galliæ*, montes aureos pollicens, invitat ad se. At vereor ne Rex calculus me brevi transmittat in alterum mundum. Nec tamen recuso quod offert tua benignitas. Si vixero usque ad Pascha, tentabimus an possim ferre laborem profectionis. Id si succedit, cupio videre *Italiam*. Et obiter videbimus tuum regnum. Servet amplitudinem tuam Dominus *Jesus* incolumem & *Erasmo* faventem. *Basilea* 16. Januarii, Anno 1523.

## EPISTOLA DCXLVIII.

Adrianus VI. Papa Erasmo Rot.

*DILECTE fili, salutem & Apostolicam benedictionem. Reddita sunt nobis his proximis diebus litera tua undecimo Calend.* Januarii, Basileæ *ad nos datæ, cum altero exemplari, eleganter & sumptuose apparato,* Arnobii *tua opera castigati, & sub nostro nomine in lucem emissi, propterea quod nondum certior factus esses, an quod primo miseras ad manus nostras pervenisset. Quibus duabus rebus vere ex animo, & plus quam credi facile queat, in Domino lætati sumus. Nam & munus ipsum tale est, ut quantum ex longa epistola tua operaprescripta credere, & ex pancis quæ hactenus per diversas occupationes in illo legere potuimus, odorari licet, vel per seipsum, nedum ex eo quod abs te probatum & editum sit, magnopere doctis omnibus placere debeat: & litera ipsa tantam animi tui sinceritatem, religionem, zelum Dei, pietatem, ergaque nos, & hanc beati* Petri *sedem, devotionem & observantiam præ se ferunt, ut si qua unquam ex minus amicis de te delationibus (quales excellentibus viris nunquam deesse solent) irrepere potuisset animo nostro sinisterior de tua integritate suspicio, eam omnem hæ litera penitus sustulissent: omninoque credas ex illis ad eam benevolentiam, qua te, tum ob patriæ studiorumque & vitæ communionem, tum ob multiplices ingenii & naturæ dotes, quas bonorum omnium largitor in te collocavit, semper sumus prosequuti, maximum pondus accessisse. Summopere vero in illis gratum fuit, quod nobis consilium pollicearis tuum, quo temporum istorum turbulentia atque confusio sic, ut ais, exstingui possit, ut non facile repullulet. Teque in Domino hortamur, & quam maxime possumus serio, & in abundantia charitatis requirimus, ut quantum tibi Dominus donaverit, nobis mo-*

Digitized by Google

An. 1523. *modum ac rationem aperire ſatagas, quibus tetrum hoc malum (dum adhuc medicabile eſt) de medio nationis noſtræ auferri valeat. Qua re nihil eſt ſub Sole quod ardentius deſideremus; neque id quidem, quod noſtra auctoritas atque potentia (quod ad nos privatim attinet) hac ſæva tempeſtate nonnihil periclitari videatur: quippe quarum neutram non modo unquam concupiverimus, verum etiam ultro delatas vehementer reformidaverimus, plane (Deum teſtamur) recuſaturi, niſi inde Dei offenſam, & conſcientiæ noſtræ læſionem veriti fuiſſemus: ſed quod tot millia animarum* Chriſti *ſanguine redemptarum, & curæ noſtræ paſtorali creditarum, idque noſtræ ſecundum carnem nationis, ſub ſpe Euangelicæ libertatis, re autem vera diabolicæ ſervitutis recta in perditionem trahi videamus. Quanto vero & citius & ſecretius nobis hujuſmodi tuum conſilium patefeceris, tanto Deo majus obſequium, & nobis rem gratiorem præſtiteris. Celeritate enim propter commune periculum, ſecreto vero propter tuum, cujus incolumitatem ut noſtram cupimus, opus eſt. Et quamvis jamdudum ad te perveniſſe credamus literas noſtras prioribus tuis, cum quibus alterum exemplar* Arnobii *ad nos dederas, reſpondentes, in quarum calce te invitabamus, ut, tranſacta hyeme, & aere* Romano *a præſenti peſtis contagione repurgato, ad nos venires, magnamque ex his poſtremis literis fiduciam conceperimus, te ei deſiderio noſtro morem geſturum: omittere tamen noluimus, quin id ipſum & per has noſtras abs te etiam inſtantius depoſceremus; niſi forte tibi evidentiſſime conſtaret, te iſtic plus quam apud nos Deo obſequi, & Eccleſiæ ſuæ prodeſſe poſſe. Eo enim caſu contra rationem propoſitumque noſtrum, quo Dei honorem, & Eccleſiæ ſuæ ædificationem, poſthabitis omnibus privatis affectibus, quærimus, futurum eſſet, ſi te ex uberiori meſſe avocaremus. Alioqui vero ſcito, te nil nobis gratius, quam ſi ad nos veneris, & cito veneris, (quatenus tamen id citra incommodum tuum fieri valeat) præſtare poſſe; nobiſque omnino curæ fore, ne itineris ac laboris te tui pœniteat: veluti prioribus literis promiſimus, & hiſce repromittimus. Non eſt autem cur ob alterutram dictarum cauſarum venire differas, cum jam & hyems declinare incipiat, & peſtis contagio adeo facta ſit exigua, ut in tanta urbe prope nulla videri poſſit. Negotium iſtius civitatis, & ob illius nobilitatem, ergaque hanc ſedem devotionem, & ob tuam interceſſionem, commendatiſſimum habemus, brevique expeditum ad ipſam civitatem cum ejus nuncio revertetur. Datum* Romæ *apud ſanctum* Petrum *ſub annulo piſcatoris*, 23. *Januarii*, *Anno* 1523. *Pontificatus noſtri anno primo.*

## EPISTOLA DCXLIX.

*Adriano Sexto Eraſmus Roterod.* S. D.

BEATISSIME Pater, qui has perfert, ut mihi viſus eſt utcunque certus, ita præter exſpectationem oblatus eſt à prandio, poſtridie diluculo profecturus. Itaque parum abfuit, quin conſultius ducerem, ad tantum Principem, de re tam ardua nihil omnino ſcribere, quam ex tempore ſcribere. Tamen quoniam utroque diplomate (nam utrumque redditum eſt) ſic urget, obteſtatur, ac propemodum adjurat tua ſanctitas, ut ſi quod habeam conſilium his tumultibus ſedandis, pro mea virili conferam, & tua compulſus auctoritate, & tua vere Pontificia manſuetudine fretus, vel ex tempore ſcribam, ſcripturus copioſius, ſimul atque dabitur & ocium, & grammatophorus certior. Tutius ſimul & commodius erat hæc coram agere, planeque erat animus, quo ſane quam amantiſſime invitat tua benignitas. Sed cogor edictis ſæviſſimi tyranni parere. Cujus, inquies? longe *Mezentio* & *Phalaride* crudelioris, Calculus illi nomen eſt. Atque iſtic quidem remiſit ſe peſtis, remiſit hyems, ſed longum eſt iter, ut jam tutum ſit per nivoſas *Alpes*, per hypocauſta, ad quorum ſolum odorem exanimor, per ſordida & incommoda diverſoria, per acria vina, ad quorum guſtum ilico periclitor. Si valetudo ſuppeteret, tutius eſſet iter per *Galliam*, verum id fiet, ubi volet Dominus. Interim Dominum *Jeſum* teſtem facio hujus conſcientiæ, me quicquid ſcripturus ſum, ſimplici ſinceroque animo ſcribere. Nemo mortalium leget hanc epiſtolam niſi nos duo, ſi quid placet, utere; ſi quid diſplicet, puta non eſſe ſcriptum. Utinam adeſſent mihi præſidia, quæ mihi tribuis ad coercendum hoc diſſidium, non dubitarim hujus vitæ jactura publicis mederi malis. Primum ſtylo vincor à multis, nec hæc res ſtylo geritur. Eruditio longe eſt infra mediocritatem, & ſi qua eſt, ex vetuſtis Auctoribus hauſta eſt, ut aptior ſit concioni quam pugnæ. Jam hujus homunculi quæ poſſit eſſe auctoritas? An apud hos valeat auctoritas *Eraſmi*, apud quos nihil habet ponderis auctoritas tot Academiarum, tot Principum, ac ſummi denique Pontificis? Gratia ſi qua fuit, aut ſic refrixit, ut pene nulla ſit, aut prorſus interiit, aut in odium etiam verſa eſt. Qui antea ſexcentis epiſtolis deſcribebar, *Ter maximus heros*, *Princeps literarum*, *Sydus Germaniæ*, *Sol ſtudiorum*, *Antiſtes bonarum literarum*, *Vindex ſincerioris Theologiæ*, nunc aut ſileor, aut longe diverſis coloribus depingor. Nihil moror inanes illos titulos, quibus nihil aliud quam gravabar. Quibus conviciis multi nunc debacchantur in caput meum, quam amarulentis libellis inceſſunt, quibus minis territant? Nec enim defuerunt qui mihi exitium denunciarent, ſi quid me commoverem. At interim alii clamitant, mihi convenire cum *Lutheranis*, clamitant, me nihil in illum ſcribere: ſed qui vehementer favent *Luthero* fremunt, me nimium frequenter inceſſere *Lutherum*, & amarulentius quam decet. Quiritatur hoc ipſum *Lutherus* in ſuis ad amicos epiſtolis. Late patet *Germania*, & abundat excellentibus ingeniis. Nec hanc tamen ſolum hic habet affectus; non auſim ſcribere in quam multis regionibus, quam penitus, popularibus animis ſit infixus *Lutheri* favor, & odium Pontificii nominis. Porro vix credat aliquis, quanta ſit ingeniorum pervicacia, conſtantiam vocant ipſi. Nec abhorret ab his bona pars eorum, qui deamant politiores literas. Hæc dolens ac gemens refero, beatiſſime Pater, & utinam vana. Cum omnibus eruditis erat mihi jucundiſſima ſodalitas, hac ſola poſſeſſione videbar mihi felix; pene mori maluiſſem quam tot amicitiis renunciare, ac mundi prope dixerim odium concitare in caput meum. Et tamen hoc malui quam videri factioſus, nec adhuc hujus animi me pœnitet. Non hic commemorabo quantam tragœdiam, fortaſſis immedicabilem, potuerim excitare, ſi quorundam affectibus me præbuiſſem. Malo fraudari hac gratia, quam arcanum effutire. Nec hoc nomine mihi poſco gratiam, quod à maleficio temperavi, utcunque diverſa pars pietatem appellat. Si valetudinis ac ſenectutis excuſatione tantum conquieviſſem in hoc negotio, habenda opinor erat gratia: nunc tot epiſtolis, tot libellis editis teſtatus ſum me eſſe alieniſſimum à fœdere *Lutherano*, omnem ſpem mei ademi omnibus, ac ne nominis quidem mei prætextu paſſus ſum illos uti apud vulgus. Publice dehortatus ſum à ſeditioſo negotio, privatim quoſcunque potui vel coercui, vel revocavi, vel certe moderatus ſum. Neque nihil profeci, ſunt qui mihi pro fidelibus monitis agunt gratias. Quoties palam *Lutheri* maledicentiam deteſtatus ſum? Quis tulit indignius quam ego, Regis *Anglorum* nomen tam irreverenter attactum? Atque interim dum hæc ago apud *Germanos*, *Romæ* traducor furioſis ac plus quam famoſis libellis: In *Brabantia* non jam in conviviis tantum ac vehiculis, ſed in publicis concionibus ac ſolennibus prælectionibus prædicor, hæreticus, hæreſiarcha, ſchiſmaticus ac falſarius; hæc neque raro facta ſunt, neque clam ut ignorari poſſint. Sciſcitetur à populo tua ſanctitas, audiet à quovis, illorum nomina. Habet *Lutheri* factio quoſdam, qui ſic promovent illius cauſam, quaſi devoverint ſeipſos, niſi illam modis omnibus ſubvertant. Et iſti ſibi videntur Pontificis cauſam humeris ſuis ſuſtinere.





Digitized by Google

An. 1523. Jactant nihil esse pestis in libris *Lutheri*, quod idem non sit in meis. Nec ullus adhuc articulus proferri potuit, qui mihi cum *Luthero* conveniat. Sed isti interpretantur quædam, verum, sed depravatissime, suspicantur, sed malitiosissime. Sic ego centum locos colligam ex *Paulinis* Epist. qui congruunt cum his quæ damnata sunt in *Lutheri* libris. O grave exemplum eorum qui sibi credi postulant in negotio fidei! Quid enim isti aliud proficiunt, nisi quod dum palam serviunt suis privatis affectibus, & fidei causam perdunt, & sibi auctoritatem abrogant, & vulgi odium in Pontificem exacerbant. Multa scripsi priusquam suspicarer *Lutherum* esse natum, aut priusquam quisquam somniaret hoc seculum exoriturum. Præcipitavi, fateor, pleraque omnia. Nam hoc mihi vicium est genuinum, doctorum tamen ac præsertim ecclesiæ judicio me semper submisi. Multos rogavi, monerent, si quid inesset in lucubrationibus emendandum, & qui tum vel obticuerunt, vel approbabant, exorto *Luthero* damnant quod approbaverant. Nihil non calumniantur, sub omni lapide, quod ajunt, cubat scorpius, hoc suspectum, hoc scandalosum, hoc irreverenter dictum. Et quum nullius Academiæ, nullius Episcopi censura, in me prodita sit, tamen quidam privata auctoritate clamitant hæreticum, hæresiarcham. Quem animum quantumvis constantem hæ injuriæ non propellerent in factionem? Me tamen nulla vis à recto deflectere potuit. Et tamen sic primum impulsus est *Arius*, sic *Tertullianus:* quare dispiciat tua Sanctitas, an hunc animum dignum judicet, qui dedatur quorundam impotentibus odiis, tum an hoc expediat negotio quod est in manibus. Qui bene volunt Pontificiæ causæ, dant operam, ut ex hæreticis reddant orthodoxos, ut alienatos revocent, vacillantes confirment; quod tua quoque Sanctitas non minus prudenter, quam *Christiane* fieri suadet. At isti religionis & ecclesiæ nutantis *Atlantes*, vacillantes impellunt, amicos alienant, ex orthodoxis faciunt hæreticos, bene dicta depravant. An non merito deplorem senectutem meam, quæ velut in picem mus, ut ajunt, in hoc seculum inciderit? Multos evexit ac ditavit *Lutherus*, nonnullis profuit esse *Lutheranis*. Mea conditione quid infelicius, qui dum omnium commodis meo victu sumptuque noctes ac dies inservio, nihil aliud refero præmii, quam quod utrinque dilaceror? Sed ostendit tua S. horum malorum remedium. Confer, inquis, te *Romam*, aut scribe quam odiosissime in *Lutherum*, indicito bellum omnibus *Lutheranis*. Primum quum audio, *confer te Romam*, quid aliud fit, quam si quis cancro dicat, Vola: Respondit cancer, Da alas. Dicam & ego, Redde juventutem, redde bonam valetudinem. Utinam hic esset mihi minus justa excusatio. Prolixum esset commemorare causas, quæ mihi persuaserunt ut hactenus manerem *Basileæ:* illud semel ausim dejerare, si quid vidissem utilius Reip. *Christianæ*, me vel cum vitæ periculo facturum fuisse. Nunquam defuit perficiendi voluntas, sed proficiendi spes. Quid autem stultius, quam movere malum bene quiescens, si nihil speres, nisi majus incommodum? Etiam atque etiam te rogo, permittas hanc veniam oviculæ tuæ, ut aliquantisper liberius loquatur apud suum pastorem. Ut liceat per valetudinem, quid profecturus sum *Romæ?* Abfuturus sum à consortio *Lutheranorum*. Jam nunc absum maxime: nihil enim mihi cum illis commercii. Itaque mihi quidem nihil est periculi ab illis, quod ad animum attinet. Porro quod attinet ad illos corrigendos, citius profecero vicinus quam procul remotus. Quid faciet medicus ægrotis, si se procul abducat? Quum hic increbuisset rumor me *Romam* accersitum, qui statim fremitus exstitit jactantium me isthuc ad prædam advolare? Quid igitur habiturum est ponderis, si quid isthinc scripsero, præmiis corruptus, quemadmodum isti sibi persuaserunt? Agam isthic, aut scribam fortasse tutior, at isthuc est mihi consuluisse, non causæ. Si moderate civiliterque scripserim in *Lutherum*, videbor cum illo ludere: sin ipsius stylum An. 1523. imiter, si bello lacessam *Lutheranos*, quid aliud quam crabrones irritaro? Hactenus, fateor, alui quibus potui modis doctorum hominum amicitiam: sic enim video me plus proficere. Sed hactenus, inquies, nihil audio præter querimonias, consilium exspecto. Et hæc, quæ hactenus dixi, consilii pars est. Cæterum ut aggrediar, Video multis placere ut malum hoc sanetur austeritate, sed vereor ne rerum exitus doceat olim, hoc inconsultum fuisse consilium. Plus enim video periculi quam vellem, ne res exeat in atrocem cædem. Non jam disputo quid istis dignum est, sed quid expediat tranquillitati publicæ. Latius serpsit hoc malum, quam ut sectione aut ustione sanandum sit. Fateor, sic olim apud *Anglos* Regum potentia oppressa est factio *Wiclevitarum*, sed oppressa verius quam exstincta. Et tamen quod tum in eo regno licuit, quod totum ab unius nutu pendet, nescio an hic liceat in tam vasta regione, inque tot Principes dissecta: certe, si stat sententia, carceribus, flagris, confiscationibus, exsiliis, censuris, mortibus obruere malum hoc, nihil hic opus fuerit meo consilio. Quanquam video tuæ mansuetissimæ naturæ diversum placere consilium, qui mederi malis quam punire. Id fuerit non admodum difficile, si omnibus adesset idem animus, qui tibi, ut sepositis, quemadmodum scribis, privatis affectibus sinceriter consultum vellent gloriæ *Christi* & saluti populi *Christiani*. Quod si suo quisque commodo privatim intentus est, Si Theologi suam auctoritatem undique sartam tectam haberi postulant, Si Monachi suis commodis nihil patiuntur decedere, Si Principes omne jus suum mordicus retinent, difficillimum fuerit in commune consulere. Primum erit explorare fontes unde hoc malum toties repullulat, his ante omnia medendum. Tum autem non inutile fuerit, si rursus ostendatur impunitas his, qui ex persuasione aut impulsu alieno errarunt, vel potius omnium malorum superiorum ἀμνησία, quæ fato quodam accidisse videntur. Si sic quotidie nobiscum agit Deus omnium oblivisens admissorum, quoties ingemuerit peccator, quid vetat quo minus idem faciat Dei vicarius? Et tamen interim per magistratus ac Principes coerceantur novitates, quæ minimum faciunt ad pietatem, plurimum ad seditionem. Optarim, si fieri possit, & libellorum procudendorum licentiam cohiberi. Ad hæc præbeatur mundo spes mutandorum quorundam, quibus non injuria se queritur gravari. Ad libertatis dulce nomen respirabunt omnes. Huic modis omnibus consulendum erit, quatenus salva pietate licet, consulendum est explicandis hominum conscientiis, sed interim nihilo secius consulendum dignitati Principum & Episcoporum. Verum hæc dignitas æstimanda est his rebus, in quibus vere sita est illorum dignitas, quemadmodum æstimanda est & populi libertas. Dicet tua Sanctitas, Qui sunt isti fontes, aut quæ sunt ista mutanda? Ad harum rerum expensionem censeo evocandos è singulis regionibus viros incorruptos, graves, mansuetos, gratiosos, sedatos affectibus, quorum sententia ——

## EPISTOLA DCL.

*Erasmus Rot. Marco Laurino, Collegii S. Donatiani apud Brugas Decano*, S. D.

NAE tu plurimum debes *Hilario* nostro, qui tibi sævis rumoribus exanimato, quemadmodum scribis, subito reddiderit animum: sed esse qui rumores hujusmodi mendaciissimos spargant, vel ob hoc non debet esse mirum, quia jam novum non est: præsertim quum mundus alat tot ocioso, quibus hoc unice studio est, ut quod istis proclive est, & solum supereest, homines de publicis studiis, deque religione *Christiana* benemereri conantes, linguis veneno tinctis confodiant, & vel hac ratione ad breve tempus discrucient animos eorum, qui ut publicis commodis gaudent, ita favent utilitati publicæ, sua industria consulentibus. Ve-

Digitized by Google

An. 1523. Verum illud admiror, esse qui rumoribus istiusmodi commoveantur, maxime jam toties experti, quam vanos fuisse docuerit rerum exitus. Mirum autem videri non debet, si homines, qui nec per somnium quidem unquam intellexerunt quid sit pudescere, audent mentiri de tam procul absente, quum in proxime vicinum soliti sint novas subinde comminisci fabulas. En casus senarium effudit. Arbitror rem Jambo dentato dignam. *Lovanii* tot annos egi, quoties *Bruxellam* aut *Mechliniam* me contulissem, totos decem dies minatus iturum me priusquam irem, isti, quos nihil pudet, jactabant me fugisse metu. Denique quum rusticans *Anderlaci*, qui locus est & celeberrimus, & *Bruxellæ*, ubi Cæsaris est regia, proximus, valetudini consulerem, pene quotidie in urbem adequitans, ac *Lovanium* quoque subinde recurrens, videlicet latitabam istis. Ac frequenter eodem tempore *Lovanii* decumbebam febri immedicabili, & juxta *Bruxellam* delapsus ab equo perieram apoplexia, quum multis annis gratia *Christo* non valuissem rectius quam id temporis valebam. Sed intra septem annos, quoties isti me extulerunt, quoties profligarunt, quoties variis malorum generibus afflixerunt? O plus quam *Phalarides* ac *Mezentios*! Non satis est semel occidisse miserum *Erasmum*, nisi toties tot malis excarnificent, tot exitiis exstinguant? Nec interim tot suppliciis, tot mortibus saturare possunt crudelem animum. Ubi est interim illud *Joannis* Apostoli, *Qui odit fratrem suum homicida est*? An non satis declarant isti, quid sint facturi, si tuto liceat, qui toties occidunt lingua, quoniam ferro non queunt? Et tamen dies ille non potest procul abesse, quo verum erit dixisse, *Vixit Erasmus*. Nec ullus est casus non exspectandus mihi, qui possit homini accidere. Quin mirandum etiam hoc corpusculum per se invalidum, nunc ætatis etiam accessione imbecillius, tot morbis, tot malis, tot laboribus sufficere. Quod ego sane devotionibus istorum, & aris debere me puto, sic volente Deo, ne tam crudeli voluptate cito potiantur. Jam ubi me tandem diris modis confecerunt, tum sæviunt in libros meos, perinde atque in liberos charissimos, ut in his veluti redivivus, vel superstes magis, crudelius etiam inteream. Hos quoties præfixo θῆτα damnarunt, quoties ultricibus flammis exusserunt? Quo minus adfuerim in conventu *Wormacienſi*, sive ut nunc doctis vocari cœpit *Berbetomagenſi*, quo certe fueram invitatus, partim in causa fuit quod nollem involvi negotio *Lutherano*, quod tum vehementer anceps erat: partim quod facile divinarem in tanta Principum frequentia, tantaque varii generis hominum colluvie non defuturam pestem, quum *Colonia* non fuisset immunis ab eo malo, quum illic primum ageret Cæsar. At mortuo Principe *Civerio*, nescio quid conati sunt deferre quidam apud Cæsarem: sed adeo impudenter, ut nemini bono cordatoque persuaserint. Atque ego submonitus amicorum literis, ilico scriptis ad aulæ primores epistolis ita fumum illum discussi, ut omnes mihi non minus amanter quam honorifice responderint. Inter quos erat illustrissimus vir *Mercurinus Gattinarius*, summus *Cæsaris Maxim.* Cancellarius, Card. *Sedunenſis*, *Marlianus* Episcopus *Tudenſis*, *Hieronymus Aleander* tum Nuncius Apostolicus: nam alios data opera non nomino. Solus Episcopus *Leodienſis* dies aliquot remoratus nuncium, tandem exclusus negotiis verbis duntaxat respondit. Ubi rediisset Cæsar *Bruxellam*, vix ullus erat dies quin per medium forum ac præter aulam obequitarem, in aula frequenter versarer: idque non admodum ex more meo, ac propemodum magis habitabam *Bruxellæ* quam *Anderlaci*. Quotidie salutabam Episcopos, quanquam alioqui neutiquam ambitiosus in talibus officiis. Prandebam cum Cardinale, confabulabar cum utroque Nuncio; visebam Oratores, & illi me viciſſim *Anderlaci*. Nunquam in vita minus latui, nec unquam magis versatus sum in oculis hominum. Et erant interim ex istis blateronibus, qui descripserant in *Germania*, *Erasmum* abditum alicubi latitare. Nec id factum prius rescivi, quam huc me recepissem. Rursus quum Cæsar ageret *Brugis*, una cum Rege *Danorum*, & adesset id temporis *Britannici* Regis nomine Legatus *R. D. Thomas* Card. *Eboracenſis*, si me domi tuæ tantum continuissem, scis ipse quam latitassem, quum frequenter omnes aut certe præcipuos aulæ Proceres haberes convivas, inter quos sedebam, omnibus, ut opinor, gratissimus. Nunc quoties foris prandebam, aut cœnabam apud optimates, atque etiam apud *Danorum* Regem, qui me vel quotidianum convictorem optabat. Quo non obequitabam frequenter & te comite? In qua magnatum celebritate non adfui: nunc in aula Cæsaris, nunc in familia Card. *Eboracenſis*, nunc apud alios atque alios, etiamsi frequenter invitatus non ibam? sum enim natura domi amantior; & hoc vitæ genus postulant etiam studia nostra: atque uti tum latitabam, ita postea fugi. Sex totos menses adornaveram iter *Basileam*, idque palam omnibus. Quandoquidem hoc nomine maturius etiam numeravit Cæsaream pensionem thesaurarius, quod dicerem mihi iter esse *Basileam*. Neque causa latebat, nimirum eadem, ob quam toties & ante *Basileam* invisi, prius quam istos heroes timerem. Excusum fuerat prius volumen *Novi Testamenti*, supererant Annotationes. His adesse cupiebam, non solum ut exirent emendatiores, verum etiam ut paulatim pro re nata, vel immutarem aliquid, vel adderem: nam in hoc scripti genere, redit Auctori labor actus in orbem, cui nunquam exhausti satis est. Cupiebam autem hac editione, quæ tertia erat, postrema defungi. An hæc levis causa videtur? Videatur sane, sed istis ventribus, qui tamen ob convivium opiparum non dubitarent vel *Basileam* usque pedibus advolare. Mihi certe ea causa non minus cordi erat quam Regi *Gallorum* ditio *Mediolanenſis*. Jam ad iter eram accinctus, nec quicquam obstabat nisi viarum discrimina. Exspectabatur igitur tutus commeatus. Interea diversis locis colligebatur pecunia, qua gratia & *Lovanii* sex dies sum commoratus, nimirum & illic latitans, quemadmodum soleo, in diversorio, quo nemo se confert hospitum, adeo ut frequenter non sit locus. *Pandocheo* symbolum est imago Viri sylvestris. Forte fortuna tum aderat *Hieronymus Aleander*, qui cum suaviter viximus, nonnunquam & in mediam usque noctem producentes literatas fabulas. Convenerat inter nos, ut si contingeret tutum iter, una discederemus. Eodem reversus aliquot post diebus, etiam tum offendi *Aleandrum* molientem abitum, quemadmodum moliebar. *Bruxellæ* didiceram *Franciscum Sychinum* ducem postridie *Tenæ* futurum, cui tum pulchre conveniebat cum Cæsare, quomodo nunc conveniat nescio. Is dies erat natalis & meus & Apostolorum *Simonis* & *Judæ*: quo quidem die accidit quiddam natali meo dignum, hoc est, fatale. *Dominicalis* quispiam, ille, ut opinor, interpres *Moriæ*, concionatus fuerat in templo divi *Petri* hora septima, homo confidens, ac sibi mire placens: *Phormionem* quempiam dixisses è comœdia. Videbatur non è suggestu sacro, sed prorsus è plaustro loqui. Totam ferme horam debacchatus in nomen *Erasmi*, subinde jungens nomen *Lutheri*, videlicet ut populus suspicaretur mihi cum illo multum esse negotii: sed præcipue destomachatus est, quod diceret me *Augustini* quoque libros velle corrigere, in quibus nihil intelligerem. Promisit se copiosius eadem de re concionaturum à prandio, tum enim fœcundi calices faciunt istos disertiores. Harum rerum ignarus quum venissem in templum adfuturus summo sacro, salutavit me *Maketus* homo comis & illius Academiæ vetus alumnus. Rogat quid accidisset quod tam mane fuissem in templo, nimirum hora septima, idque præter morem meum. Qui mane, inquam? Aderas, inquit, in concione. Risi & intellexi, quod mihi novum non erat, rabulam quempiam apud populum blatarasse. Erat autem is theologicæ laureæ candidatus, & hac ratione præbebat sui specimen, se non futu-

Digitized by Google

An. 1523. futurum hoc indignum honore. Redeo domum ſumpto prandiolo conſcenſurus equos: nam hora ſecunda decreveram abire. Offendo *Aleandrum* inambulantem, cui ſæpe narraram multa de blateronum ejuſmodi impudentia, ſed ille non poterat unquam credere. Proinde jubeo ut ſi fidei meæ vellet facere periculum, mitteret aliquem è ſuis ad templum *Dominicalium* hora prima: nam illic erat peragendus veteris comœdiæ poſtremus actus. Mittit ille è ſuis quempiam ad *Bucentam*, omnium Theologorum, quos *Lovanium* intra quinquaginta annos habuit, ſtultiſſimum; *Corebum* quempiam dicas. Denunciat (nam verba propemodum excepi) ne blateret in famam cujuſpiam, ſed doceat Euangelium; quoque magis deterreat, admiſcet auctoritatem ſummi Pontificis, quam illi mire reverentur, quoties illis eſt commodum ac bonum. Suborno qui auſcultent: nam mihi erat abeundum ob comites accinctos. Hi poſt perſcribunt hominem queſtum, quod per quoſdam non liceret obſequi ſuo ſpiritui. Ubi *Tenam* venio, *Franciſcus* quidem dux non aderat, nec exſpectabatur, ſed aderat magna vis militum, partim peditum, partim equitum, partim medii generis, qui prædam bigis deportabant, una cum claudis ac ſauciis, qui ſibi parum caverant in bello. Hos habui comites itineris uſque ad *Spiram:* illic tranſmiſſo *Rheno*, relinquo illos ad ſiniſtram: horum frequentia hactenus contigit iter tutiſſimum. Decretum erat quam minimum viæ diſpendium facere. Solent enim officii gratia more *Germanico* convenire ſodalitates, qua re nihil jucundius quum vacat, ſed properanti & feſſo, tum itineris negotiis occupato, nihil inutilius. Interim dum ſalutamur & ſalutamus, equi neglecti morbum contrahunt, aut ſiti pereunt. Itaque ab oppido *Dura*, recta tranſcurro *Sychimum*, relicta ad lævam *Colonia Agrippina*. Eo die jejuni ſedimus in equis totas novem horas, gnaviter interim equitantes, quod extrema via longior eſſet opinione, parumque tuta ob montium ac collium flexus. Poſtridie venimus *Confluentiam*, hora ferme decima. Quum illinc quoque geſtirem abire tacitus, neſcio quo caſu reſcivit eximius vir *Matthias*, ejus urbis Officialis, homo totus bonis libris ac virtuti deditus. Is (quod fore divinaram) nos volentes nolentes domum pertrahit, confluunt ſodales. Illic primum & didici & vehementer ſum admiratus in *Germania* fuiſſe, qui mihi neſcio quid metuerent. Sed hunc *πανικὸν θόρυβον* ridens etiam illis ademi. Narrabant & Epiſcopum mei conveniendi deſiderio teneri: nam & *Coloniæ* me vocarat ad prandium, ſed excuſavi cœlum peſtilens & incommodum, nimirum prius habens conſulere valetudini, quam obſequi Principum voluntati: verum is tum aberat. Porro, quoniam videbam mihi per amicos ſalutatores non permiſſum iri, ut eo die me illinc explicarem, ne totus ſine linea periret dies, à prandio complures epiſtolas ſcripſi diverſis amicis, per humaniſſimum virum *Carolum Harſtum*, qui me officii gratia fuerat eo comitatus. Prius quam *Moguntiam* pervenirem, in itinere cognovi *R. D.* Card. *Moguntinum* abeſſe: itaque ſolum *Capitonem* ad colloquium evocavi. Simulatque vero & hunc abeſſe cognovi, accingor itineri. Comites è ſuis famulis armatos obtulit eximius juvenis *Marquardus* ab *Hatſteino*, Canonicus Eccleſiæ *Moguntinæ*, qui nuper mortuus eſt, longa alioqui vita digniſſimus. Id quum recuſarem, quod ea res frequenter etiam invitat prædones, puerum ſuum comitem addidit. *Wormaciæ* dum adornatur prandium, *Hermannum Buſchium* ad colloquium evoco, virum nec vulgariter eruditum, & mihi vetere neceſſitudine conjunctiſſimum. Dum is diu fruſtra quæſitus non invenitur, diutius in hypocauſto deſideo, non ſine magno meo malo. Quum enim antea ſemper belliſſime valuiſſem, illic ſenſi valetudinem infici, pædore magis quam calore. Adeo mihi male convenit cum hypocauſtis *Germanis*, cui cum ipſis hominibus tam belle convenit. Gratularer illis rem tot modis commodam, ſi mihi liceret communiter frui. Sed tamen primam hanc corporis affectionem labor equitationis excuſſit. Volabamus enim *Spiram* verius, quam equitabamus, & plane pegaſos habebam, qui nunc quoque devorant dominum ſuum. *Spiram* ubi ventum eſt, ventum eſt autem admodum ſero, recta me confero una cum equis ad ædes *Thomæ Truchſes*, ejus Eccleſiæ Decani, ſive quia ille ſic crebris ad me literis juſſerat, ſive quia noveram omnia diverſoria militibus undique differta, qui illic ferocius agere ſolent, quam in bello, ita ut fortes decet viros. Apud hunc quoniam Canonicos aliquot cœnantes offendi, accubui pariter. Tepebat & illic hypocauſtum, licet abeſſet nidor. Illico rediit illa jam nimis nota corporis affectio. Itaque decretum erat in totum abſtinere à deliciis *Germanorum*. Illic biduum refocillato corpore, *Argentoratum* pervenio. Nec hic decreveram commorari, ſed *Jacobus Spiegel*, Cæſaris Secretarius, vir eruditus ac moribus plus quam niveis, quem inſalutatum præterire non audebam, me prodidit ſodalitio, cui nuper acceſſerat *Lucas Bathodius*, & hoc in amore cæteris vehementior. Datus eſt his dies unus, & item alter. Inde *Sletſtadium* me confero comitantibus aliquot, inter quos erat *Bartholomæus Latomus*, *Trevir*, ſingulari morum & ingenii dexteritate juvenis, qui *Friburgi* moderabatur Collegium Philoſophicum. Hinc rurſum nos honoris gratia *Colmariam* uſque produxerunt aliquot è ſodalitio, inter quos erat *Beatus Rhenanus*, qui me poſtridie *Baſileam* uſque proſequutus eſt. Quid ego tibi hic, mi *Laurine*, *Thraſonem* referam, commemorans quanto ſtudio ſit mihi reditum gratulatus ſenum optimus ac ſanctiſſimus Epiſcopus *Baſilienſis*, qui nunc quoque miſſis ſubinde xeniis & epiſtolis teſtatur ſuam erga me pietatem: quanto magiſtratus hujus civitatis, quanto cæteri vel eccleſiæ, vel ſtudiorum Proceres, copioſius etiam declaraturi ſtudium animi ſui, ni talibus officiis ubique præ me feram me nequaquam capi? Et adeo non latuit *Germaniam* adeſſe me, ut prævolante rumore, dies aliquammultos illic fuerim, antequam advenirem. Et interim iſti nugones jactabant me demigraſſe *Wittenbergam*. Quid enim iſtos pudet? Erat interim *Baſileæ* ſat proſpera valetudo, donec frigerent cœnacula. Cæterum ubi perſpicerem jam aliis eſſe frigus intolerabile, paſſus ſum ſemel atque iterum incendi moderate, ſed ea civilitas magno mihi conſtitit, mox orta pituita peſtilens. Pituitæ ſucceſſit calculus, adeo ſubinde recurrente malo, ut nullus eſſet dies, quin aut conciperem, aut parturirem, aut parerem, aut à partu decumberem, quemadmodum ſolent puerperæ. Stomachus interim ſic collapſus, ut nullo remedio poſſet reſtitui. Mihi natura lethalis eſt inedia, & calculi nixus, qui ſæpe biduum durabant, nihil minus patiuntur quam cibum. Itaque quum dolor eſſet quavis morte gravior, tamen non minus erat à ſtomacho collapſo periculi. Quid multis? tantum hic erat calamitatis, ut vel *Nicolao Egmondano* fuerit ſatis futurum. At interim corporis quamlibet magnis malis non ceſſit animus infractus. Præter alia multa abſolvi Annotationes in Novum Teſtamentum: aggreſſus ſum & abſolvi intra duos ferme menſes *Paraphraſim in Matthæum:* eam abſolutam mitto Cæſari, excepta eſt magno totius aulæ favore. Exhibuit eam *Joannes Glapion* in ſacello, præſentibus aliquot aulæ primatibus, inter quos erat *R. P.* Epiſcopus *Palantinus*, quorum candidiſſimo teſtimonio meæ lucubrationes vehementer Cæſari commendatæ ſunt. Protinus agnovit Cæſar *Eraſmum*, qui quondam patri *Philippo* porrexiſſet *Panegyricum*, ipſi pridem librum *De Principe Chriſtiano:* ac munus ſibi gratum fuiſſe, literis etiam, non minus amanter quam honorifice ſcriptis, teſtatus eſt. Teſtati ſunt idem literis ſuis humaniſſime ſcriptis, quum alii complures, tum ipſe *Glapion*, *N.* Epiſcopus *Palantinus*, *Mercurinus* Cancellarius, *Georgius Haloinus*, *R. P. Joannes Carondiletus* Archiepiſcopus *Panormitanus*, *Antonius Suketus* inter Conſiliarios auctoritatis præcipuæ, *Maximilianus* inter Secretarios primi no-

An. 1523.

An. 1523. nominis. Quum plerisque pensiones vel adimerentur, vel decurtarentur, mihi polliciti sunt meam incolumem ac solidam futuram, jubentes ut majora etiam à Cæsaris benignitate sperarem in posterum. Quin ipse Cæsar paulo post cum *Anglorum* Rege convivium agitans, ultro fecit honorificam mei mentionem, satis declarans quo esset in me animo. Id certo cognitum habeo ex his qui mensæ adstabant. Scio jamdudum rides θρασωνισμὸν meum, sed huc me compellit sycophantarum impudentia: & tamen aliquanto minus narro, quam res habet, tantum abest ut quicquam admentiar. Nam nec te fugere puto, quam non sim hujusmodi gloriolarum appetens. Verum, illud interim calumniantur quod tam diu hæserim *Basileæ*, quod ante Cæsaris abitum non adfuerim, quamlibet invitatus amicorum literis. Hic vellem equidem, ornatissime *Marce*, mihi causam esse minus justam quam est. Apud Cæsarem nihil agebatur, nisi de fortuna vel constabilienda quæ contigerat, vel augenda, & ego jam parta plane contentus eram, & *Basileæ* me non fuisse ocioſum res ipsa loquitur. Quid si hoc negotium mihi pluris fuisset, quod ad publicam utilitatem pertinebat, quam quod mihi privatim conducibile fuisset, num essem reprehendendus? Ad summos honores vocabar: hoc enim non unis ad me literis testatus est *Glapion*, & tot argumentis compertum habebam Cæsaris erga me studium, & metu scilicet abstinebam. Quod si tale periculum ostensum fuisset istis mundo mortuis, ut alatis pedibus hiantes advolassent? Ego si quid erat quod hic metuebam, nihil aliud erat, quam ne cum *Lutheranis* conflictandi negotium ab eo mihi delegaretur, cui negare fas non fuisset: non quod faveam seditioso negotio, qui sic ab omni dissidio naturæ quodam instinctu abhorream, ut si mihi pro latifundio lis esset suscipienda, citius rem deseram quam jus meum persequar. Sum enim vere vitis ac ficus illa apologetica è libro *Judicum*, quæ per legationem arborum vocata ad imperium, bellumque gerendum, respondit se non posse deserere naturæ suavitatem, ac bellicis turbis involvi. Erat hoc à magnis, sed falso, persuasum Cæsari, me cumprimis huic provinciæ gerendæ esse idoneum, cum nemo deligi potuerit magis inutilis. Videbam undique multos accinctos ad hoc negotium: agnoscebam quam essem impar tantæ provinciæ, etiamsi fuissem natura compositus ad tam odiosas pugnas: videbam alia multa quæ dissuadebant, de quibus, opinor, magis expedit nunc siluisse. Et tamen ne hæc quidem tam multa deterruissent me à reditu, nisi me violentus ille tyrannus compedibus suis vinctum detinuisset. Quis iste tyrannus, inquies, quum *Elvetia* tyrannos nesciat? *Phalaris*, inquam, ille calculus, cujus utinam mihi liceat esse tyrannicidam. Et hoc tamen contempto *Sletstadium* usque profugeram: sed sic affectus ex itinere, ut primum *Brisaci* apud *Henricum Gallinarium*, ejus loci parochum, biduo refocillarim corpusculi lassitudinem, ac febrim lenierim. Deinde apud *Beatum* amicum omnium candidissimum refocillatus quatriduum, ægre me *Basileam* receperim, sed hic quoque apud *Gallinarium* refocillatus: verum interim obfirmato animo, ut si rescissem *Carolum* diutius apud nos commorari, sartis viribus retentarem iter. Ubi per famulum, quem in hoc præmiseram, cognovissem certum diem, ad quem Cæsar destinasset navigare, is erat Maji primus, qui tum proxime imminebat, excluſus à spe videndi Cæsaris, continui me *Basileæ* menses aliquot, haudquaquam indulgens ocio. Interea quum eruditorum hominum literis *Romam* invitarer, & complurium, & eorum quibus fidere tuto poteram: sed præsertim R. Card. *Sedunensis*, qui frequenter per alios, sed bis propriis literis amanter, magnoque studio scriptis, hoc agebat: in quibus præter omnem favorem, præter omnes spes, de suo pollicebatur quingentos ducatos annue, præterea viaticum non sordidum: & eodem provocaret literis humanissime scriptis *Syl-*

*vester* ille *Prieras*; cœpi & de *Roma* adeunda cogitare, si quo pacto tyrannus ille meus daret commeatum. An. 1523. Et erant alioqui permulta, quæ me *Romam* prolicerent. Optimorum librorum, & eruditissimorum hominum copia: tot amici veteres, inter quos erat & *Ricardus Pacæus* tum illic agens, & *Paulus Bombasius*, & *Joannes Faber*, & *Georgius Sauromanus*, Præpositus *Vratislaviensis*, juvenis ad unguem doctus, ac maximis rebus natus, & *Hermannus Phrysius*, juvenis olim magnus, & nobilis inter eruditos futurus. Tot novi, inter quos *Coricius*, vir candidissimi pectoris, & *Landavus* olim futurus inter Scriptores nobilis, nisi me plane fallit animi præsagium. Omitto nunc tot Cardinales, quorum maxima pars mihi impense favet, ut ex amicorum literis cognovi: quidam etiam suis ipsorum literis animum erga me suum testati sunt. Si quis addubitabit de mea fide, productæ literæ docebunt, me modestius quam pro re loqui. Itaque quamquam dissuadentibus amicis omnibus *Constantiam* adii, comitantibus ultro duobus amicis, *Henrico Epphendorpio*, præter generis claritatem, ac literas, moribus suavissimis, ac *Beato Rhenano*. Excepit nos omnes hospitio clarissimus vir *Joannes Botzemus Abstemius*, ejus loci Canonicus: quo quidem homine nihil adhuc vidi comius, aut candidius; diceres Musis & Gratiis natum. Domum habet, quæ Musarum domicilium videri possit; nusquam non præ se ferens aliquid nitoris & elegantiæ: nusquam muta, sed undique loquacibus picturis alliciens ac remorans oculos hominum. In aula æstiva, quam, ut ait, mihi paraverat, proxime mensam, stabat *Paulus* docens populum. In altero pariete sedebat *Christus* in monte, docens suos Discipulos; tum Apostoli per juga proficiscentes ad Euangelii prædicationem. Secundum fumarium consistebant Sacerdotes, Scribæ, & Pharisæi, cum Senioribus conspirantes adversus Euangelium, jam suboleſcens. Alibi canebant novem Sorores *Apollinis*: alibi Charites nudæ, simplicis benevolentiæ, & amicitiæ non fucatæ symbolum. Sed quid ego persequar totam illius domum epistola depingere, cujus nitelas, cujus delicias vix decem diebus perlustrare possis? Sed in totis ædibus undique ornatissimis nihil est ornatius ipso hospite. Musas & Gratias magis habet in pectore, quam in tabulis: magis in moribus, quam in parietibus. Primo statim adventu, rogaram hominem, ne quem vocaret ad convivium, quod & ego natura paucis delector: & tum sic eram affectus, ut ego potius essem aliis molestiæ futurus, quam ut multorum convictu possem hilarescere. Primum lassus de via; deinde adeo gravidus, ut nulla scropha æque; denique partui proximus: præsentimus enim & hoc, non aliter quam puerperæ. O vere miseram prudentiam! Aderat tum forte R. D. *Hugo*, *Constantiensis* Episcopus, vir heroica corporis proceritate, comitate singulari, homo sincerus & absque fuco, absque supercilio: non militaris, ut fere solent apud *Germanos*, sed vere sacerdotem agens. Is ilico rescivit adventum meum, & honoris gratia volebat accersere: sed submonuit hominem *Botzemus*, parceret valetudini meæ, se indicaturum, quando id commodum esset futurum. Atque hic geminam humanitatis laudem promeruit Episcopus. Humanitatis erat, quod offerebat officium, sed majoris humanitatis erat, quod oblatum patiebatur recusari. Quidam enim indignantur, seque contemni putant, nisi per omnia observias, vel tuo malo: misit tamen œconomum suum, qui mihi perdicibus aliquot donatis deferret, quicquid rerum haberet domus Episcopi: & usi sumus assidua liberalitate Præsulis. Post dies aliquot enixus sum; sed sic, ut nunquam majore cruciatu. Languebam igitur è partu, sic ut nec mihi, nec aliis essem jucundus: alioqui nihil deerat ad summam voluptatem. Deum immortalem quod hospitium, quis hospes, quam belli homunculi, quam nitidus apparatus, quæ fabulæ, quæ lectiones, quæ cantiones! O mensæ cœnæque deûm! Non inviderem diis poeticis suum nectar & ambrosiam,



Digitized by Google

An. 1523. si valetudo fuisset aliquanto secundior. Adblandiebatur & ipse loci situs. Imminet enim *Constantiæ* lacus mire spacioſus, in longum simul & in latum ad multa passuum millia porrectus, nec minus interim amœnus. Addunt gratiam montes nemoroſi undique seſe ostentantes, quidam eminus, quidam è propinquo: nam illic *Rhenus*, velut in *Alpium* confragoſis ac præruptis locis delassatus, tanquam amœno diversorio refocillat seſe: per cujus medium leniter delabens, apud *Constantiam* recipit seſe in suum alveum, recepto simul & nomine; quanquam totus lacus semper maluit nomen suum debere civitati, *Bregantinus* olim dictus, qui nunc *Constantienſis* appellatur, donec ei, quæ nunc *Constantia* vocaretur, *Breganto* nomen esset. Dicitur & piscoſus esſe, & profunditatis vix credendæ, adeo ut alicubi summa aqua ab imo fundo abſit cubitis centum. Nam ajunt, ingentium montium moles aquis hujus tegi. Is, qui præest sodalitio *Dominicalium*, vir integerrimus, doctrinaque solida, sed in concionibus sacris admirabili quadam facundia, donavit nobis ex eo lacu piscem ingentem, quam *Trottam* appellat vulgus, munus Rege dignum, si apud nos datum fuisset. *Rhenus* relicto ad dextram lacu, paululum præterlapsus urbem *Constantiam*, veluti ludens ac lasciviens insulam facit, quam occupat insigne monasterium Virginum: ac mox in seſe coiens lacum efficit minorem, quem, incertum quamobrem *Venetum* appellant. Ab hoc justo alveo volvitur, plerunque vorticoſus, sed utcunque navigabilis usque ad oppidum, olim Cameram imperialem, nomine *Schiffhusiam*, ob trajectum, ut opinor, prius quam illic pons esset. Nam haud procul inde sunt cataractæ, per quas se præcipitat magno fragore *Rhenus*: quanquam & alias frequenter cataractis interciſus, & saxis impeditus, parum aptus est navigiis usque ad *Basileam*. Sed interim *Constantiam* recurrat oportet narratio, quæ civitas nulla re magnopere celebris est, quam eccleſia perquam vetuſta, nec ineleganti: tum Synodo illic olim habita, præsidente Cæsare, sed præcipue *Joanne Hus* illic exusto. Missitabantur undique xenia, è locis etiam procul diſſitis. Alius vinum aliquod insigne mittebat, alius aviculas, alius piſces, alius aliud. Magiſtratus honorario vino misso gratulatus est nobis. Canebant è propinquo diebus aliquot publici tibicines: nam hoc quoque solet honoris hoſpitibus quibusdam præstari. Quod si convivas quoque noſſe cupis, assidue erant præter *Beatum* & *Epphendorpium Joannes* medicus, homo juvenis quidem, sed insigniter ingenioſus ac doctus, ac perinde sobrius & modeſtus. *Michael Hymelbergius*, quem ut tibi paucis depingam, pudore, modeſtia, doctrina, suavitate morum, alter *Rhenanus* est. Aderat & *Vannius* concionator, vir Euangelicæ sinceritatis. A partu postquam nonnihil virium collegimus, horulam dabamus amicis salutatoribus, sed electis, & commendatis, nec enim licebat omnium affectui morem gerere. Episcopus pro sua humanitate cupiebat, quicquid poterat honoris exhibere: sed ab hoſpite submonitus est, me hominem esse modici cibi, vel nullius potius: abhorrere à tumultuoſis conviviis: ne quem mea causa vocaret: ne quid apparatus adjungeret quotidiano. Paruit, & sodalitatem illam noſtram duntaxat accepit prandio. Ab hoc dimiſſus honorificentius quam ego sane promerebar, inviſimus R. P. *Ennium* Episcopum *Verulanum*, tunc illic Nuncium Apoſtolicum, (nam jam ante cojerat inter nos mutuis literis amicitia) qui tanta cum alacritate nobis occurrit, ac si quispiam alicujus precii ad se veniſſet. Conſedimus soli, variis de rebus confabulantes: est enim vir apprime prudens; & quoniam in multorum Principum negotiis diu versatus est, singulari præditus judicio. Augebat & ætas æqualis, & morbus communis, mutuam benevolentiam: nam & ipse calculo fuerat obnoxius, eadem ex causa collecto malo, nimirum ex vinis earum regionum, tenuibus, acribus, asperis, crudis, crudelibus & inamœnis. Mutato vino desierat laborare, aut certe laborabat levius. Communicabat & alia remedia, ex *Mediolano* missa. Adornabat & ipse iter in *Italiam*, neque quicquam obstabat, nisi *Breve* Pontificis, quod in singulas horas exspectabat, me cupiebat itineris sui comitem. Ac mihi quidem gestiebat animus, quum non longius abesset *Tridentum*, quam itinere sex dierum, ut ajebant: nam illac erat eundum ob Cæsarianorum & *Gallorum* dissidia: sic enim nunc fruimur Monarchis. Invitabant *Alpes* è propinquo arridentes, dehortabantur amici, sed frustra, ni calculus violentus rhetor persuasisset, *Basilea* repetita, revolare in nidum. Interim dum *Abstemius* hoſpes innectit morandi causas, dum verba dant nautæ, (nam erat animus *Schiffhusiam* usque navigio devehi, quod diffiderem me ferre posse jactationem equestrem: sic eram affectus) commorati sumus *Constantiæ* ferme tres hebdomadas. Tandem quum nautæ nullum faciunt mentiendi finem, idque suo vel jure vel more, ita robur addidit, & conscensis equis hora octava, pervolavimus *Schiffhusiam* ante tertiam pomeridianam. Ubi reditum est *Basileam*, visum est gustare vinum *Burgundiacum*, quod mihi multum recusanti, ante dies complures donarat vir humaniſſimus *Nicolaus Diesbach*, Decanus, ac designatus Episcopus *Basilienſis*, quem nunc Coadjutorem vocant. Primo gustu non admodum adlubescebat palato, cæterum nox arguebat indolem vini. Sic enim subito recreatus est stomachus, ut mihi viderer renatus in alium hominem. Atque ego sane semper imputaram malum hoc vinis quibusdam, quæ pleraque quum cruda, acria, & ob hoc inimica stomacho sint, tamen facile penetrant in renes, eoque crudam materiam secum deferunt. Ad hæc quasi per se parum sint infelicia, malis pharmacis viciant, calce, alumine, resina, sulphure, sale: nam aqua, quam largiter addunt, minimum est malorum. Quid multis? pleraque digna sunt, quæ bibantur ab hæreticis. Nam hoc ego tormenti latis esse putarim ad quodvis maleficium puniendum. Et tamen reperiuntur qui tam miseris villis dignentur inebriari. Gustaram & ante vina quædam apud *Burgundiones* nata, sed ardentia & austera; hoc erat colore gratiſſimo, *Pyropum* esse diceres, sapore nec dulci, nec austero, sed suavi; nec frigidum, nec ardens, sed humidum & innoxium; stomacho sic amicum, ut nec copia largior multum offenderet: &, quod in vinis subrubris rarum est, mediocriter solvebat alvum ob genuinam, ut conjicio, vim humiditatis, quam explicat in stomacho. O felicem vel hoc nomine *Burgundiam*, planeque dignam, quæ mater hominum dicatur, posteaquam tale lac habet in uberibus! Non mirum si priſci mortales pro diis colebant, quorum industriâ magna quæpiam utilitas addita est vitæ mortalium. Hoc vinum qui monstravit, qui dedit, quanquam monstrasse sat erat, nonne vitam dedit verius quam vinum? Advectum est & aliud vas priore non inferius, nisi quod auriga plus satis diluerat aqua. Alterum obsignatum erat gypso: licebat exhaurire, non licebat infundere, hoc non item. Et idcirco illud advectum est, non omnino plenum, hoc plenum usque ad summum, & hoc ipsum prodidit œnocleptam, quo se probare voluit bonæ fidei vectorem. Atque interim qui nummum suffurantur, pendent: qui rem simul tollunt & vitam, impune ludunt. Itaque, mi *Laurine*, facili negotio possum adduci, ut totus demigrem in *Burgundiam*. Ob vinum, inquies? Imo malim vel ad *Juvernos* usque migrare, potius quam vel semel experiar calculum. Hoc certe literis meis debeo, ut quocunque terrarum me vertam, nusquam mihi defuturi sint amici. Certe totius *Germaniæ*, quæ latiſſime patet, nullam arbitror esse civitatem, quæ non cupide sit exceptura *Erasmum*, si quo lubeat commigrare. Nec admodum mentiar, si idem prædicem de *Italia* & *Gallia*. Certe ad nonnullas inviſendas, humaniſſimis literis sum invitatus, & quas adhuc inviſi, vel *Constantiam*, vel *Sletstadium* proficiscens, atque inde rediens, vino misso, quod ex

Digitized by Google

An. 1523. ex more novis hospitibus honoris gratia donari solet, mihi gratulatæ sunt: quo quidem honoris genere in tantum non delector, ut frequenter mandarim amicis, curarent, ne quid tale fieret: non ob id solum, quod existimem honoris hoc aliis deberi magnatibus, non *Erasmo*, humili modis omnibus homunculo; verum etiam quod hæc officia lassis, aut alioqui occupatis, nonnunquam impedimenta sunt verius, quam ornamenta. Jam porro, quandoquidem glorioſum è Comœdia militem agere cœpi, quid tibi commemorem tot epistolas honoris gratia, vel ab eruditis viris, vel à magnatibus, è longinquis etiam regionibus huc missas, non sine munere? Quid referam doctos homines, quosdam etiam dignitate præminentes, huc non ob aliud è longinquo profectos, quam ut viderent *Erasmum*? Quibus non ambigo quin usu veniat, quod *Græcorum* proverbio dicitur, *Thesauro sperato carbones repertos.* Sed qualis qualis ego sum, hæc certe coarguunt rabularum istorum impudentem vanitatem; qui, ut scribis, istic jactarant, mihi nusquam in *Germania* tutam esse sedem; & ideo opinor quoties aliquo me confero, solitus sum impetrare fidem publicam. Cæterum quo minus multas urbes invisam, quod vel animi gratia feciſſem nonnunquam, etiamsi ad id per literarios labores daretur ocium, tamen hypocausta prohiberent, quæ quidem hic fervent totum annum, vix tribus exceptis mensibus: & locum, quem mihi *Basileæ* paravi, mecum circumferre non licet. Nec hoc minus impudens mendacium erat, quo me jactabant hic *Basileæ* domum esse mercatum, & jus civitatis redemisse, videlicet isthuc nunquam rediturum. Ut omnia mihi placeant in *Germania*, sicuti placent pleraque: certe res una propellit hinc, nimirum communis omnium hypocaustorum usus, quo fit ut solus habitem; ac nec alios liceat invisere, sine valetudinis meæ periculo; nec aliis me liceat invisere citra incommodum, qui non minus offenduntur frigore meo, quam ego illorum calore. Illud verum est, esse *Basileæ* qui mihi ædes dono obtulit, quadringentis florenis aureis emptas, in quibus nunc versor. Sed ego nec emi, nec donum oblatum accepi. De civitate ne per somnium quidem est unquam cogitatum. Quidam non infimæ auctoritatis apud *Turegos*, semel atque iterum mecum egit per literas, ut illic jus civium acciperem. Ego demirans cur hæc ageret, respondi me velle civem esse totius mundi, non unius oppidi. De *Gallia* adeunda, quod eam mihi velut unicum asylum supereſſe dictitabant, non omnino de nihilo nata est fabula. Persuasum habebam vinum esse causam morbi mei; nec dum intellexeram tale vinum cominus à *Burgundia* suppeditari posse: & si potuisset, ferebantur hic tum varii rumores, metum injicientes, ne non essemus hic omnino futuri bellorum expertes. Tale si quid accidisset, ne *Burgundia* quidem potuisset siti meæ succurrere. Verum, illud, ut dixi, quum ignorarem, & rumores hujusmodi scrupulum injicerent, cœpi leviter de *Gallia* adeunda cogitare, quæ vel mediis in bellis vini copiam suppeditaret. Hac de re quum mentionem feciſſem apud R. P. *Franciscum* Archiepiscopum *Ebrodunensem*, qui tum hic legatione fungens, nos semel atque iterum invisit; ultro pollicitus est ille, se curaturum à Rege suo diploma, quo tutius eo liceret proficisci, si ita visum fuisset. Juvenis humaniſſimus gestiens, ac sibi gratulans, apud mensam regiam, quod *Basilea* vidisset *Erasmum*, egit de diplomate; aderat autem id temporis R. D. Card. *Lotharingiæ*. Rex lætus etiam indulsit quod petebatur. Deinde, ubi *Budæum* vidit, quem adscivit inter intimos aulæ primores: *Heus*, inquit, *Budæe, mox habebimus Fabrum in nostra Gallia.* Quum *Budæus* respondisset, *Fabrum non abesse à Gallia;* Rex intellecto nominis errore, *Erasmum*, inquit, *Erasmum volebam dicere.* Nam diploma paratum est, quo tuto veniat. Invitabat quidem me vetus illud *Gallia* hospitium, quæ mihi nunquam non fuit jucunda. Invitabat quod ante annos sex, magnificis conditionibus me revocavit: quas si tum accepiſſem, ut nihil aliud dicam certe non tam diu digladiandum mihi fuisset cum aliquot stolidis matæologis *Lovanienſibus*; nec mihi calerent aures hujusmodi furiosis Tragœdiis, quibus hic fervent omnia. Et res esset aliquanto, quam nunc est, amplior, aut certe minus angusta: fortassis & valetudo melior, qui toties ob hæc vina, & nidorem hypocaustorum, sum de capite periclitatus. Invitabat & illud, quod in *Gallia* versans multo propius abfuturus essem à *Brabantia*, quo vel in bello transcurrere licuisset, ob notitiam & privatam amicitiam eorum, qui civitates hinc & hinc obtinent, quæ sunt in confiniis. Unum obstabat, bellum inter tres Reges, quorum uni, nempe *Carolo*, jurejurando etiam addictus sum: alteri, nimirum Regi *Angliæ*, pluribus nominibus sum obstrictus, atque adeo toti illi nationi: tertium, videlicet *Galliarum* Regem, ob tam propensum in me studium, non possum non amare. Sperabam autem vel hujus novi Pontificis opera, brevi pacem inter eos coituram. Quanquam ad me quidem nihil attinebat bellum, ut qui non adirem *Galliam*, illuc ductaturus exercitum, aut aliquid magni muneris apud Regem ambiturus; sed cum eruditis amiculis inter Musas ac literas suavius victurus quam hic vivebam. Itaque diploma jam multos menses apud me est, nec usus sum. Dices, cur non huc potius? Quoniam istic omnia fervebant bellis; ferebatur esse rerum omnium ingens penuria, sed præcipue vini *Gallici*, cujus istic vel in pace ægre est copia, si quis γνήσιον desideret. Et erat furiosis quibusdam datus gladius, quibus nec collegam esse libebat, nec adversarium. Et jam satis mihi videbar conflictatus cum monstris quibusdam, quæ quum prodesse nec velint, nec possint, tamen in hoc unum vacant totam ætatem, ut vel male loquendo negotium faceſſant bonarum literarum cultoribus. Denique semper è *Gallia* breviſſimus fuisset transcursus ad vos, si quid invitasset. Hactenus rem habes paucis, sed absque fuco. Jam quod scribis à nonnullis audisse te, quod etiam apud *Germanos* audirem male, fortasse verum est: nec mirum, quum nusquam absint homines maledici. Equidem do pro viribus operam, ne quis meo merito de me male dicat. Cæterum si mihi sperem tantam felicitatem, quæ nemini hactenus contigit, ut efficiam, ne quis omnino de me male loquatur, tum vere tempus esset in proprium exspuendi sinum. *Roma Stunicam* habet: habet & *Germania* nonnullos, qui nesciant bene dicere. Audio queri nonnihil quosdam impense *Lutheranos*, ut vocant, quod dilutior sim, quod blandior Principibus, quod nimium pacis amans. At ego, ut verum fatear, malim in hanc peccare partem: non tantum quia tutius, verum etiam sanctius. Placeat sua cuique sententia. Sunt & in altera parte, qui me data opera suspectum reddere conentur, quasi mihi cum *Lutheranis* sit fœdus. Sed hujusmodi rumores, qui studio finguntur, utrinque quemadmodum temere nascuntur, ita facile evanescunt. Et habent hoc sane à priscis moribus quidam, ut ad hujusmodi rumusculos mire commoveantur. Pridem late sparsus erat hic fumus, libros meos exustos esse in *Brabantia*, idque auctore R. P. *Jacobo Hochstrato*, vetere meo, si non familiari, certe amico: & commentum tam impudens, homines etiam literati, desultoriis epistolis distulerant. Sensi ilico technam quorundam, quos ego sane nescio quo nomine debeam appellare, nonnulli *Lutheranos* vocant; videlicet hoc agentium, ut me hominem simplicem & credulum, in *Jacobum Hochstratum* irritarent; in quem si scripsissem impotentius, cogerer in ipsorum castra transire. O callidum consilium! Mox ipsa res docuit, tale nihil vel cogitatum fuisse apud nostros. Succesſit huic rumor etiam atrocior, ex literis velut è *Roma* missis. Additum erat nomen hominis ἀξιοπίστου. Rem ut compertam scripsit, magno cum dolore, quidam vir illic gravis & eruditus ad *Botzemum* meum. Is pene exanimatus ad me



Digitized by Google

An. 1523. perſcripſit, meos libros *Roma* publicitus Pontificis voce condemnatos eſſe. Riſi protinus, & agnovi ſuperiori ſimillimum commentum. Nimirum illud agebatur, ut homo rerum imperitus & credulus, hoc facto provocatus, lingua calamoque Pontificem inceſſerem, quo facto cogerer ad ipſos transfugere. Cæterum quam id commentum fuit impudens, non ſolum compluribus literis è *Roma* ſcriptis teſtatum eſt, verum ipſius Pontificis *Brevi* nuper ad me dato, quo certe nullum adhuc accepi vel amantius ſcriptum vel honorificentius. Quanquam quod ad laudes quidem attinet, ſic interpretor, me admoneri qualis eſſe debeam, non depingi qualis ſim. Certe à tali Pontifice vel probari, vel amari non moleſte fero. Ac ne *Breve* parum haberet apud me ponderis, ſubmonuit me literis ſuis quidam è Pontificio famulitio non infimus, quum Pontifex ſenſiſſet diploma ſcriptum eſſe dilutius, quod is, qui deformarat exemplum, propter amicitiam, quam habet mecum non vulgarem, parcius de me ſcripſiſſet, ipſum ſua voce pleraque dictaſſe. Atque iiſdem literis idem amicus ſacerdotium non adſpernandum offert, quod jam poſſidet, ceſſurus ubi velim. Nec eſt quod hic clamitent, me præda corruptum deſerere veri patrocinium. Fatebor hoc eſſe verum crimen, ſi unquam accepero munus ullum hujuſmodi: quod tamen ſi caperem, non facerem abſque multorum exemplo. Quicquid mihi fortunulæ eſt, id totum fuit ante *Lutherum* orbi cognitum, & obtigit non ambienti. Dimidium obtruſit recuſanti R. Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, dimidium ultro detulit Cæſaris *Caroli* benignitas. Huic etiam ſi quid decedet, minuendis ſumptibus augebimus cenſum. Si præmiis ad hoc bellum pertrahi potuiſſem, jam olim pertractus eſſem. Deterruit me perpenſa, hinc negotii magnitudo, hinc virium mearum imbecillitas. Audi nunc tertium, utroque impudentius. Sparſerant ſummum Pontificem neſcio quid libelli ſcripſiſſe in me, eum à multis eſſe conſpectum. Suboluit illico techna: nimirum agit hoc factitius ille Pontifex, ut me provocet ad calami linguæque petulantiam. At ego ex Apoſtolicis literis didici, Principi meo non maledicere, ſed bonum venerari, malum ferre, ſi fruſtra ſim moniturus. Habet & diverſa pars fabulas ſuas, in qua nonnulli ſunt, qui ſic agunt partes *Romanæ* Sedis, ut ſi conentur extrema, magis nocere non poſſint. Hi nuper rumorem ſparſerant, *Baſileam* multos confluere *Lutheranos* mei conſulendi gratia: atque adeo *Lutherum* ipſum hic latitare. Is rumor hic me nequaquam gravabat, ubi quam plurimi ſunt qui norunt eſſe falſiſſimum: atque utinam verum eſſet, omnes *Lutheranos*, pariter & *Antilutheranos*, conſilii gratia ad nos confluere, vellentque meis parere conſiliis: res humanæ paulo melius, opinor, haberent. Multi me ſalutandi videndique gratia conveniunt, nonnunquam gregatim, ac plerunque ignoti: nullus unquam apud me profeſſus eſt ſe *Lutheranum* eſſe: nec mihi datum eſt negotium hoc inquirendi, & divinus non ſum, neque mihi quiſquam hoc nomine notus aut commendatus eſſe cœpit, quod *Lutheranus* eſſet. Antequam diſſidium hoc hucuſque incrudeſceret, cúm omnibus ferme *Germaniæ* doctis habebam literariam amicitiam, mihi ſane perquam jucundam. Horum nonnulli refrixerunt in me: quidam prorſus alienati ſunt: nec deſunt qui ſe palam hoſtes profiteantur, & exitium denuncient. Habebam item cum multis conſuetudinem, qui nunc ſæviores ſunt in *Lutherum* quam vellem, imo quam expedit ipſi cauſæ. Nec ideo ſubmoveo quenquam ab amicitia mea, ſi paulo propenſior eſt in *Lutherum*: nec ideo renuncio cuiquam amicitiam, ſi ferocior eſt in *Lutherum*, quum uterque quod facit, bono ſtudio faciat. Sic enim interpretor, cum in amico, tum in viro non malo. Venerunt *Baſileam*, quos ajunt ſuſpectos, quod ſentiant cum *Luthero*: hoc totum mihi volo imputari, ſi vel unus me vocante huc ſeſe contulit; & niſi apud amicos ſatis teſtatus ſum, hoc mihi vehementer eſſe moleſtum. Quod ſi qui ſeſe huc conferunt hujus aut illius factionis, qua fronte me incuſant, qui *Baſileæ* nec cuſtos ſum portarum, nec ullum gero magiſtratum? Fuit hic *Huttenus* paucorum dierum hoſpes, interim nec ille me adiit, nec ego illum: & tamen ſi me conveniſſet, non repuliſſem hominem à colloquio, veterem amicum, & cujus ingenium mire felix ac feſtivum, etiam nunc non poſſum non amare. Nam ſi quid illi præterea negotii eſt, nihil ad me pertinet. Sed quoniam nec ille ob adverſam valetudinem poterat ab hypocauſtis abeſſe, nec ego ferre, factum eſt ut neuter alterum viderit. *Crombergius Franciſci* gener bis me convenit; cujus indoles & oratio me certe mirum in modum delectavit. Declaravit enim hominem ſimplicem, fucique neſcium, magno tamen ingenio præditum. Sed hoc colloquium nec longum fuit, nec caruit teſtibus. Imo ſi *Lutherus* adeſſet ipſe, libenter miſcerem cum homine colloquium, amanter & libere moniturus eum de multis, tametſi ſero fortaſſis, niſi quod juxta *Paulum*, *omnia ſperat Chriſtiana charitas*. Odi diſſidium ut non aliud malum æque: non tantum ex doctrina & inſtitutione *Chriſti*, verum etiam occulta quadam naturæ vi: quo magis diſcrucior, reputans hoc ſeculum ſic undique fermentatum, & publicis & privatis odiis, ut vix uſquam ſit ſinceræ amicitiæ veſtigium. Nec hos amare licet, quos meritiſſimo amas: nec ulla mundi plaga vacat hujus mali contagio. Altera pars contemni non poteſt: altera contemni non vult: utraque videtur ſi non in ore, certe in pectore habere *Homericum* illud. Et haud ſcio an alterutra poſſit opprimi ſine gravi bonarum etiam rerum ruina. Nec enim negari poteſt, quin multa monuerit *Lutherus*, quæ corrigi ſit in rem *Chriſtianam*, quæque mundus diutius ferre non poterat. Atque in hanc quidem publicam orbis tempeſtatem, ſatis infeliciter incidit hæc ætas mea, cui jam velut emeritæ debebatur ocium, fruituræ ſicut par erat priſtinis ſtudiorum laboribus: ſaltem liceret hujus fabulæ ſpectatorem eſſe, præſertim quum & ipſe ſim inidoneus hiſtrio, & tam multi undique ultro ſemet ingerant in proſcenium. Verum, id quo minus liceat, utrinque ſedulo procuratum eſt, dum in hac parte ſunt qui me primum technis prolicere, mox vi rapere ſtudent in ſua caſtra: rurſus in altera parte ſunt, qui modis omnibus conantur in hoſtium copias propellere: non ob aliud, niſi ut hac via perderent, quem linguis, bonis literis, ac veteri Theologiæ fortiter patrocinantem, de gradu dejicere non poterant. Itaque factum eſt non mea quidem culpa, ſed perverſo quorundam ſtudio, ut utraque in parte habeam quoſdam mihi parum propitios: ſiquidem in parte altera ſunt, qui meum ſilentium favorem inviſæ partis interpretentur. Rurſum, inter eos, qui *Luthero* favent, ſunt qui fremant & indignentur, quod ob animi timiditatem, ut ajunt, cauſam Euangelii deſeram; nec deſeram ſolum, verum etiam moliar aliquid ad conſtabiliendam cauſam Pontificum, ſive ut iſti vocant papiſticam. Verum aliis quidem jam ſæpenumero reſpondi. Nunc lubens egerim cum *Lutherano* quopiam, ſed cui ſit aliquid æquitatis. Opinor enim me cauſam meam & illi probaturum, ex his quæ ipſe mihi largietur. Primum enim percunctabor illum, quid ſentiat de *Luthero*. Utique reſpondebit virum eſſe ſanctum, & Euangelicum, *Chriſtianæ* pietatis inſtauratorem. Deinde rogabo; num huic ſimiles ſint quos habet ſibi devotos. Confirmabit haud dubium ſic eſſe. Mox percunctabor, ecquid exemplum ſit Euangelicum technis & vi in ſuam factionem quenquam pertrahere, præſertim quum non ignorent hanc profeſſionem non eſſe minus periculoſam, quam fuerit olim *Chriſtiani* nominis? *Judæorum* erat obambulare maria & terras, ut unum proſelytum illicerent in naſſam legis. Apoſtoli neminem humanis artibus allectabant, & celabant *Chriſti* nomen profeſſos, donec urgeret articulus profitendi. Hæc dicere poſſem, ſi profeſſio *Lutheranæ* factionis nihil aliud eſſet quam profeſſio doctri-

næ

Digitized by Google

An. 1523. næ Euangelicæ, & si quis eam apud istos aliquando clam professus esset. Nunc qualis sit illa professio aliis judicandum relinquo. Certe qualis qualis est, me inscio nata est, & me dehortante progressa, etiam usque ad eos gradus, intra quos adhuc maxima ex parte mundus applaudebat fabulæ. Interim sequuta est Captivitas *Babylonica*, Abrogatio Missæ, totius *Hussitica* doctrinæ defensio; præter alia, quæ *Saxonica* lingua conscripta me nec lectorem admittunt. Et tamen hactenus quum multis aliis de causis, tum hac præcipue, quod intelligerem negotium esse majus mea cognitione, de dogmatibus *Lutheri* nihil pronunciavi: tantum editis aliquot epistolis testatus sum me prorsus alienum esse à fœdere *Lutheranorum*; & in scriptis illius, quæ mihi legere contigit, desiderare pluisculum *Christiana* modestiæ, & optare minus amarulentiæ. Hic rursus appellabo illum *Lutheri* amicum, num censeat hoc facinus, quod ille magno sui capitis discrimine, magno aliorum aggreditur, præclarum esse ac multa laude dignum. Respondebit, opinor, prorsus Apostolicum esse, ac memoria dignum immortali. Age, utar permisso. Quis igitur non judicasset me mortalium qui vivunt omnium arrogantissimum, qui tantum laudis mihi vindicassem, ubi ne tantulum quidem promerebar? Imo quis non censuisset me quovis *Oreste* insaniorem, si falsissimam gloriam capitis mei periculo voluissem emptam? Jam erat plerisque Monarchis ac Præsulibus persuasum, me totius *Lutheranæ* doctrinæ fontem esse, auctorem, propugnatorem, & *Atlantem*: imo libros, qui nomine illius circumferuntur, *Lutheri* titulo, meos esse. An ego tacitus tantam gloriam mihi tribui pati debebam? Clamat *Joannes*, *Non sum ego Christus*, an me conveniebat obticescere? Sed nimium, inquiunt, multis epistolis hoc testaris. Imo tam multis epistolis vix adhuc persuadeo quibusdam, adeo mendacium hoc impudentissimum erat infixum animis plurimorum. Jam quod ad modestiam & maledicentiam attinet, rursus percunctabor *Lutheranum* meum, an expediat *Lutheri* doctrinam quam maxime propagari in orbe, summisque & infimis quam commendatissimam fieri? Nimirum respondebit, hoc inprimis expedire. Cur igitur quidam indignantur *Erasmo*, qui duas res vellet abesse à libris *Lutheri*, quæ potissimum & fidem abrogant, & optimi cujusque animum alienant, arrogantiæ speciem, & maledicentiam immodicam? Et tamen hæc ita sunt insigniter manifesta, ut qui quam amicissime defendunt, non habeant colorem quem adferant, nisi sic commeruisse peccata nostra, ut per tam acerbum objurgatorem scorpionibus cæderemur. Mihi certe primum *Lutheri* spiritum nonnihil suspectum reddidit illa scriptorum ferocia, & nusquam non parata convitia. Nec dubito quin aliis quamplurimis idem usu venerit quod mihi. Si *Lutheri* doctrina sancta est, quam multos credis ab ea alienatos eo libello, quo respondit *Anglorum* Regi, quo Principe vix alius hodie vivit omnibus regiis dotibus ornatior, nec alienior à tyrannide, nec gratiosior apud suum populum; nec apud quem bonæ literæ, & egregia virtus magis sit in precio. Liceat hoc citra adulationis suspicionem testari de eo, à quo nec accipio quicquam, nec ambio. Hoc certe negari non potest, Regem pio animo scripsisse, & si quid convitiorum admiscuit in *Lutherum*, præterquam quod ipsius exemplum posset prætexere, scripsit in eum, in quem persuasus erat longe atrociora competere. Et tamen si quid in eo libello est alienum, suspicor esse dicteria quædam acerbiora. Itaque si *Lutherus*, collaudato pio Regis studio, rem solidis argumentis fortiter peregisset, non violata regia dignitate, rectius, opinor, consuluisset suæ causæ, de qua nunc cum *Lutherano* quopiam perinde loquar, quasi sit optima. Quid autem inutilius quam convitiari summis Principibus, quibus facillimum est ea contemnere, & in promptu est, si libeat, *ἀντιμυκτηρίσαι*. Ego nec amore, nec odio cujusquam mortalium, sciens prodam veritatem Euangelicam. Ferunt Monarchæ liberam admonitionem, seditiosam petulantiam non ferunt. Hæc in hoc tantum dixerim, ut perspicuum sit, quam nec *Lutheranis* dederim occasionem, cur in me merito sæviant. Non quod illos metuam, si suo vitio ferantur in me potius, quam mea culpa: sed quod velim æquitatem meam omnibus esse probatam. Nam provolant hinc atque hinc aliquot epistolæ, ceu velites, nescio quid minitantes: & inter has una non parum spirans veneni, etiam ante consertas manus. Sed hic volo rursum ut adsit mihi *Lutheranus* ille, quem ut æquiorem delegi judicem hujus causæ. Indignandi causæ sunt hujusmodi: Videbar in epistolis alicubi nescio quid ostentare spei, si liceret, & si daretur ocium, me non defuturum tranquillitati rei *Christianæ*, & dignitati Sedis Apostolicæ. Quid hæc promissio facit adversus *Lutherum*? Sed fingant me scripsisse, nescio quid, adversus illum, quod adhuc sane verum non est, quum totus orbis ultro acuat stylum in illum; cur uni mihi indignentur, si me commoveam jussus ab his, quibus vix tutum est non obsequi? Sed illud mihi concedet, opinor, judex meus, *Lutherum* non esse tam perverse iniquum, ut quum ipse sibi permittat, non solum ab omnibus Ecclesiæ doctoribus dissentire, verum etiam à Conciliorum decretis, indignetur, si quis alicubi ab ipso dissentiat: seque læsum existimet, si quis à convitiis temperans, sacrarum Literarum testimoniis, quibus ille tribuit plurimum, ac solidis rationibus inquirat veritatem. Nam huc ipse provocat omnes, nec alio provocat *Romanus* Pontifex, quam ut *Lutherus* solidis rationibus, ac Sacræ Scripturæ testimoniis coarguatur. Proinde non erat æquum minitari, prius quam vidissent qua ratione, quaque moderatione scripsissem. Irritabat autem multos ridicula suspicio, quæ persuaserat libellum, quem Rex *Anglorum* scripserat adversus *Lutherum*, meo *Marte* compositum esse; cæterum titulum Regis additum, quo magis gravaretur *Lutherus*. Et hac de re tam stulta scribebant ad me serio magni Principes, & amici docti, conantes expiscari veri professionem. Quod si vicisset stultissima suspicio, videlicet in meum caput iisdem leporibus lusisset *Lutherus*, quibus nunc ludit in Regem. At ego interim annis aliquot non videram *Britanniam*: & quum *Caletii* salutarem Regem innumeris aulicis præsentibus, ne cogitabatur quidem de scribendo adversus *Lutherum*, sed potius de componendo dissidio. Nondum enim exierat Captivitas *Babylonica*. Porro, libellum non prius rescivi scriptum esse, quam vidi excusum, idque *Brugis*, quum illic Card. *Eboracensis* ageret de rebus componendis inter Cæsarem & *Gallum*. Obsidebam ostium R. Card. fabulans inter illius Proceres, & exspectans ut ad primam occasionem illum salutarem. Tandem prodit *Marinus Caracciola*, Nuncius Apostolicus, libellum manu gestans. Rogo num liceat aperire. Annuit. Lego titulum duntaxat, & quod Rex in ima margine primæ paginæ suapte manu subscripserat: ac quoniam tum non licebat pluribus, arridens reddo librum. Invideo, inquam, *Luthero* talem adversarium. Ille primum ringebatur magis quam ridebat. Ubi sententiam eandem dilucidius expressissem, respondit: Et ego gratulor *Rom.* Pontifici talem defensorem. Interea quum mihi quoque libellus esset certo ac sæpenumero promissus, nescio quo casu non redditus est: suspicor ob abitum Card. opinione celeriorem. Est enim & hoc regium. Erat tamen destinatus libellus, quem Rex suapte manu notaverat, pro *D. Erasmo*. Is missus mense Augusto, anno, juxta *Romanam* supputationem, millesimo quingentesimo vicesimo primo; redditus est *Basileæ*, mense Februario, anno millesimo quingentesimo vicesimo secundo: nec unquam mihi licuit legere libellum regium, nisi ex editione miserabili *Argentinensi*; eoque perlecto, mox perlegi & *Lutheri* responsionem. Tantum mihi constat de libello, nec præterea pilus ullus. Nec unquam olfacere potui, si cujus opera Rex illic adju-

An. 1523. adjutus esset. Plane phrasis ipsius est, & ingenium habet ad omnia felix & expeditum: & tamen si quid voluisset uti doctorum auxiliis, habet aulam differtam viris disertis & eruditis. Cæterum in epistola quid aliud laudavi, quam animum Regis? aut quid aliud laudare poteram, non lecto libro? Hic exspecto sententiam mei *Lutherani*, an æquum sit, hujus suspicionis tam inane somnium mihi obesse apud viros Euangelicos. Audi nunc aliud crimen: Impingitur mihi, quod ante quatuor annos non discesserim è proscenio, dicens, *Valete & plaudite:* nimirum mea gloria, meoque præmio contentus, quod linguas consecrarim Theologiæ, quod sophisticas ranas è scholis profligarim, quod contemptis ceremoniis ad fontes sacræ Scripturæ sim adhortatus: hic certe plus laudis mihi tribuunt quam ego agnosco. Sed ex hoc proscenio discedere non licet, nisi choragus ille noster jusserit. Et tamen sic hactenus ago fabulam, ut illa sublimia *Rosciis* & *Æsopis* relinquam: denique comœdum esse mihi magis libet, quam tragœdum. Ex voce, *lateribus*, arte meipsum metior. Sed obstas, inquiunt, reliquum fabulæ peracturis. Audiamus igitur & hæc crimina. *Romanam*, inquiunt, Ecclesiam adhuc magnifacit & agnoscit. *Romanum* Pontificem adhuc coli jubet. Scribit neminem bonum unquam subtraxisse sese hujus regno. Hæc, aliaque permulta sunt in illorum literis. De regno nusquam memini. Alicubi scripsi, pios omnes ubique favere dignitati Pontificis. Quis autem non faveat ejus dignitati, qui virtutibus Euangelicis *Christum* nobis repræsentet? Et hoc addo, *quoties aliquid tribuo dignitati Pontificis.* Nemo vero nescit quibus in rebus sita sit vera dignitas *Romani* Pontificis: nec hoc uno in loco declaratum est in lucubrationibus meis. Ego vero doctus ex Euangelicis & Apostolicis literis, etiam ethnicis Principibus aliquid tribuendum esse didici, nisi palam impia jubeant. Ad hanc regulam nullius Episcopi dignitatem contemnendam esse censeo. An non impium est contemnere bonum Episcopum? Sed depingunt quem velint contemni. Et quis est, inquiunt, *Romanus* Pontifex, an non exustor Euangelii, inimicus Dei, seductor totius *Christiani* populi? Si de tali Pontifice loquuntur, à me nullus unquam probatus est. Et tamen si quis talis esset, non est meum illos de solio præcipitare. Vivit adhuc *Christus*, & habet in manu flagellum, quibus tales exturbet è templo. Sed non est spes; inquiunt, sequuturum meliorem *Leone*. Primum, ego non sum judex *Leonis:* habet ille suum Judicem, cui stat aut cadit. Si præcesserunt tot boni, cur non est spes aliquem posse sequi priscis illis adsimilem? Nam de hoc nihil pronuncio, ne cui videar assentari. *Christus* ipse per impium Pontificem adjuratus respondit, nec prorsus obticuit à *Pilato* jussus loqui. *Paulus* quomodo agit causam apud *Festum*, *Felicem* & *Agrippam*, videlicet appellat tyrannos, mancipia diaboli, servos peccati, hostes Dei, mox æternis ignibus addicendos? Nunc vide quid isti responderint, civilitatem meam excusantibus. Sic, inquit, diceret *Erasmus*, Antichristus es Papa: seductores estis Episcopi: *Romana* Sedes vestra abominabilis est Deo: aliaque in hanc sententiam multa, his etiam odiosiora. Non probant *Erasmi* civilitatem, nisi prius hæc præfati, tam videlicet Euangelice. Primum, illud quæram ex meo judice, an putet æquas hujusmodi leges, quas mihi præscribit: deinde, an putet utiles negotio *Lutherano*. Si hæc scriberem in bonos Pontifices, nonne videar injurius? Si in malos sic debaccharer, quid aliud quam irritarem crabrones in meum multorumque malum? Supereſt adhuc unum crimen omnium maximum; in *Paraphrasi*, qua explico nonum caput Apostoli *Pauli ad Romanos*, tribuo minimum quiddam libero arbitrio, videlicet sequutus *Origenem* & *Hieronymum*. Principio quum *Paraphrasis* sit commentarii genus, quum profitear me in plerisque sequi probatos ac priscos interpretes, quid admissum est piaculi, si sequor alicubi *Origenem* & *Hieronymum*, Auctores, ut arbitror, in sacris Literis non adspernandos? Atque id factum est antequam *Lutherus* prodidisset dogma suum, sive *Wicleviticum*. Quicquid facimus sive boni sive mali, esse necessitatis absolutæ. Nam mea *Paraphrasis* excusa est *Lovanii*, anno millesimo quingentesimo decimo septimo; & aliquot mensibus erat *Antuerpiæ* scripta, prius quam excuderetur. Atque interim quidam appellatur *totus Erasmianus*, quod *De libero arbitrio* mecum sentiat, & à *Luthero* dissentiat: sed tamen huic datur venia, quod juvenis bonæ spei brevi sit aliter sensurus. Hic rursus appello meum æquum judicem, quum hoc scripserim ante proditum *Lutheri* dogma, quum idem sentiant omnes Theologi, tum veteres, tum recentes, *Origenes*, *Hieronymus*, *Chrysostomus*, *Hilarius*, *Arnobius*, *Scotus*, *Thomas*, cur ego, velut auctor hujus sententiæ, vocor in jus? & cur qui dissentit à *Luthero* vocatur *Erasmianus* potius quam *Hilarianus*, aut *Hieronymianus?* præsertim quum eam quæstionem non susceperim pertractandam in *Paraphrasi*, sed obiter transilierim, quemadmodum fecit ipse *Paulus*, qui non dignatur illic respondere percunctatori improbo? & tamen vide, lector, quanto minus illic tribuam libero arbitrio, quam tribuant vel veteres, vel recentiorum scholæ. Suspicor enim hæc esse verba, quibus offenduntur ex capite nono. Quum enim proposuissem improbam quæstionem objectam Deo, quæ conatur illi impingere injustitiam; *imo*, inquam, *nonnihil est in voluntate conatuque situm: licet hoc ita sit exiguum, ut ad Dei gratuitam beneficentiam nihil esse videatur.* Nemo damnatur, nisi sua culpa: nemo servatur, nisi Dei beneficio. Eo dignatur quos vult, sed ita, ut sit de quo gratias agas, non sit quod queraris. Hæc in *Paraphrasi*. Videbam hinc *Scyllæ* periculum illiciens ad fiduciam operum, quam ego pestem religionis maximam esse fateor. Illinc videbam *Charybdim*, malum etiam formidabilius, quo nunc non pauci tenentur, dicentes, Obsequemur animo nostro; sive torquemus nosipsos, sive indulgemus animo, tamen eveniet quod semel statuit Deus. Itaque sermonem meum moderatus sum, ut minimum quiddam tribuerem libero arbitrio, ne fenestram aperirem tam capitali socordiæ, ut abjecto omni conatu vitæ melioris, quod suo animo collubitum fuerit quisque faceret: & tamen hæc scribebam, ignarus fuisse quenquam, qui funditus tolleret omnem liberi arbitrii vim; quod dogma, etiamsi mihi constaret esse verum, nolim tamen nudis verbis in vulgus ferere. Nunc quis nescit de Fato disputatum inter Philosophos, ante *Christum* natum? & hinc ad nos venerunt quæstiones inexplicabiles, *De præscientia*, *De prædestinatione Dei*, *De libero hominis arbitrio*, *De futuris contingentibus:* in quibus arbitror optimum esse, non admodum anxie versari, quando abyssus est imperveſtigabilis. Malim ea inculcare, quæ nos hortantur ad modis omnibus conandum optima: nihil tamen interim nobis arrogantes, etiamsi quid esse nostrum possit, sed totum judicium deferentes *Christo*, cum bona fiducia de illius benignitate potissimum concepta. Pronunciet hic igitur meus ille judex, an mihi, velut auctori, debeat imputari, quod nemo veterum ac recentium non dixit? An æquum sit mecum hac de re litigare, cum potius agendum sit cum tot hujus sententiæ auctoribus, qui rem ex professo tractant, quum ego obiter in *Paraphrasi* paucis attigerim? Fieri potest, ut quoniam non satis teneo omnia *Lutheri* dogmata, imprudens & in alium quempiam lapidem impingam: quod si contingat, num protinus in me frement illius amici? Tot sunt ubique qui magnis clamoribus, qui libris editis in *Lutheri* doctrinam destomachantur: & mihi uni hiscere non licebit, si quid parum arrideat? Saltem hoc concedant homini, ut vere scribunt, meticuloso, parum erudito, nullius in hoc rerum genere judicii, ut tot probatorum virorum judiciis subscribat alicubi, & in tumultu tam periculoso tacitus in eorum discedat sententiam, quorum auctoritatem tot seculis se-

Digitized by Google

An. 1523. sequutus est orbis *Christianus*. Si quis *Erasmum* non potest amare ut *Christianum* infirmum, sumat in eum quem volet affectum: ego alius quam sum esse non possum. Si cui *Christus* impartiit grandiora dona Spiritus, & sibi fidit, utatur in *Christi* gloriam. Mihi magis interim cordi est humiliora sectari, modo tutiora. Non possum non exsecrari dissidium: non possum non amare pacem & concordiam. Video quanta sit in rebus etiam humanis obscuritas: video quanto facilius excitetur tumultus, quam sedatur: & didici quot sint artes satanæ; nec meo ipsius spiritui ausim per omnia fidere: tantum abest, ut de alieno spiritu possim certo pronunciare. Cupiam omnes in hoc conniti, ut victore *Christo* coeat inter omnes Euangelica concordia, & excluso tumultu veris rationibus consulatur hinc sacerdotum dignitati, hinc populi libertati, quem Dominus *Jesus* liberum esse voluit. Huc euntibus pro sua virili non deerit *Erasmus*. Cæterum si cui magis placet omnia miscere, me certe nec ducem habebit, nec comitem. Prætexunt energiam Spiritus. Saltent igitur bonis avibus inter Prophetas, quos afflavit Spiritus Domini. Me nondum corripuit iste Spiritus: ubi corripuerit, fortasse dicar & ipse *Saul* inter Prophetas. Non dubito quin jamdudum dicas, Quorsum ista tam multa, tam putida? Nimirum huc, ne posthac talibus rumusculis vel tantillum commovearis, etiamsi nullus accurrat *Hilarius*, qui te exhilaret, animumque reddat. Utrique viduæ cæterisque amicis multam ex me salutem annunciabis. Simul atque se remiserit hyems provolabimus è nido. Quonam, inquies? Ad vos, si pacis affulserit serenitas. Sin minus, illuc ubicunque fuerit paratior salutaris vini copia. Nam *Romæ* pestis odiose ludit, nec minus sævit *Lutetiæ*. Bene vale, vir optime. *Basilea* 3. Feb. Anno à *Christo* nato 1523.

## EPISTOLA DCLI.

Ferdinandus, Dei gratia Princeps & Infans Hispaniarum, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, &c. Imperialis locum tenens generalis, Erasmo Roterodamo *S. D.*

HONORABILIS *ac erudite sincere nobis dilecte. Accepimus literas tuas ex* Basilea, *quibus, qua ad nos de laudabili opere* Paraphrasis in Joannem, *à te composito, scripsisti, intelleximus, eaque nobis gratissima, & summa jucunditati fuere. Et cupimus ac affectuose te hortamur, in ejusmodi dignis, & maximis laudibus, & præconiis extollendis laboribus, & vigiliis perseveres & persistas, illamque* Paraphrasim *impressioni ad communem doctorum & proborum utilitatem & commodum, quamprimum per ocium licuerit, exhibere cures, & unam ad nos transmittere: quod erga te, ubi occasio se obtulerit, omni benignitate & clementia nostra, in quibuscunque poterimus, recognoscere & rependere studebimus, & meritorum ac vigiliarum tuarum immemores non erimus. Datum in civitate Imperiali* Nuremberga 15. *Februarii, Anno* 1523.

## EPISTOLA DCLII.

*Stanislao Turzoni, Episcopo Olomucensi, Erasmus Roterodamus* S. D.

ORNATISSIME Præsul. Quo jucundior nobis fuit *Velii* doctissimi simul & humanissimi viri consuetudo, fuit autem jucundissima, hoc abitus illius est molestior. Non erat quod magnopere referret scribere: noluimus tamen hominem absque nostris literis abire, quibus testificaremur animum ad omnia paratissimum officia, quæ humilis sed devotus cliens debet optimo optimeque merito patrono. Hybernis mensibus pestilens quædam pituita me graviter afflixit dies complures, moxque ex intervallo repetitum gravius etiam atque diutius habuit. Sub Quadragesimæ tempus jam firmiusculum calculus renum subito dejecit.



Hujus nimirum corpusculi domicilium, nunc hac nunc illac collabens, admonet inquilinum suum, propediem fore emigrandum; quod mihi propemodum etiam optabile duco, quum videam hujus seculi tragœdias, quas nobis quorundam excitat contentio, dum alteri nescio quibus consiliis asserere conantur Euangelicam libertatem, alteri regnum suum validioribus etiam præsidiis stabiliunt. Equidem videre mihi videor quibus modis absque tumultu consuli possit religioni *Christiana*. Verum, ad eam fabulam opus esset Principibus, qui sincero pectore faverent commodis publicis, & gloriæ summi Principis *Jesu Christi*, ante cujus tribunal sistendi sunt omnes quamlibet potentes Monarchæ. Ego cum nullo *Lutheranorum* unquam ullum fœdus inire sustinui, sed semper eos revocavi ad consilia moderatiora, nimirum metuens ne res in seditionem exiret. Et tamen sunt qui me impudentissime etiam in aula Cæsaris traduxerint ut *Lutheranum*. Hic fremunt in me *Lutherani*, quod ab eo dissentiam, meumque nomen in publicis professionibus suis lacerant, libellos insuper dentatos minitantur. Itaque utrique parti sum hæreticus. Exiit *Novum Testamentum* jam tertio à me recognitum & locupletatum. Exiit *Paraphrasis* nova *in Euangelium Matthæi*, cum cæteris in omnes *Epistolas Pauli*. Urgent complures, maxime Principes, ut scribam adversus *Lutherum*. Ego, si liceat, pugnare malim adversus mundum pro gloria *Christi*. *Luthero* non defuturi sunt antagonistæ. Bene valeat tua celsitudo. *Basilea* 21. Martii, Anno 1523.

## EPISTOLA DCLIII.

*Erasmus Roterodamus Petro Barbirio, Adriani Pontificis à Sacris,* S. D.

PULCHRE nobis depingis sanctissimum Pontificis animum. Eam epistolæ partem, mi *Barbiri*, magna sane cum animi voluptate legi. Edam brevi cohortatiunculam ab his impiis contentionibus ad *Christianam* concordiam. In ea sic exprimam pium & sincerum Pontificis propositum, ut sperem eam commendationem ad negotium conficiendum non mediocre momentum habituram, præsertim si *Germani* senserint ejus animum non abhorrere à submovendis his, quæ gravant etiam pios homines, quæ illaqueant conscientias omnium ob quæstum paucorum. Denique si senserint eum nec in *Lutherum* fore judicem inclementem. Nam quæ *Lutherus* scribit de tyrannide, avaritia, turpitudine *Romanæ* Curiæ, utinam, mi *Barbiri*, essent falsa. Ego adhuc misere metuo ne res exeat in tumultum. Prætexitur Euangelica libertas, verum non omnes eodem spectant. Sunt qui hoc fuco quærunt insanam licentiam serviendi carnis affectibus. Sunt rursus qui invident opibus sacerdotum, & sunt, qui ut sua fortiter profundunt, vino, scortis & alea, ita rapinis inhiant alienorum. Sunt denique, quorum res in eo statu sunt, ut tranquillitas illis tuta non sit. Sunt in his tamen aliqui, qui cuperent absque tumultu, si fieri possit, corrigi, quæ in Ecclesiam parum utiliter irrepserunt. Rebus itaque confusis, ut solet in incendio, quisque rapiet quod affectarat. In primis igitur cavendum, ne tumultus semel exoriatur, quod audio factum *Erphordiæ*, ubi singulis diebus occiduntur aliqui. Apud nos, tametsi stulta inclementia *Egmondani* & illius collegæ, quidam indigne tractati sunt, tamen gaudeo nondum ventum ad manus, alioqui finem nescit mutua laniena. *Cornelius Hoen*, vir optimus, ut audio, fuerat restitutus per aulam, cum arte retraxerant in arcem quandam: ibi convicissent illum hæreseos, (nam hic *Egmondanus* felicius argumentatur quam in scholis) verum illico liberatus est per *Hollandiæ* Proceres. Hic hæreticus erat, quod ausus sit cum *Egmondano* disputare. *Cornelius* restitutus est, sed diu passus indigna: nunc demum restitutus est & *Nicolaus* noster vir integerrimus. Nec dubito quin his succurrerit Pontificis æquitas; rectius tamen factura, si ta-

Digitized by Google

An. 1523. tales, qui ſuis moribus, cunctis & bonis & malis inviſi ſunt, exarmaret, præſertim in tam arduo negotio. Quæſo te, *Carmelitam* iſtum tanta armare auctoritate, quid aliud erat quam furioſo tradere gladium? Ego conſtanter ſic me geram, ut exitus declaraturus ſit, me nihil aliud ſpectare, quam *Chriſti* gloriam, & publicam utilitatem. Nuper quoniam oblatus erat Præpoſitus quidam, Canonicus apud divum *Donatianum Brugis*, homo certus, ſed mox abiturus, ſcripſi plus quam ex tempore Pontifici, ſatis libere & haud ſcio an temere, certe animo ſincero. Vix erat ocium relegendi quod ſcripſiſſem. Bona ſpes eſt illius humanitatem boni conſulturam hanc ſimplicis animi fiduciam. Hic mihi viſus eſt parum certus, unde pauciores ago, plura ſcripturus ubi contigerit cui tuto poſſimus fidere. Bene vale, vir optime. *Baſilea* 17. Aprilis, Anno 1523.

## EPISTOLA DCLIV.

### Vives Eraſmo.

*De ratione ne fallatur* Frobenius, *res ſic habet*: Franciſcus *dederat, antequam liber exiret*, XX. *aureos florenos, ſub finem Januarii dedit ſex; hanc ſummam ipſe accepi, tum & tres libros: ajebat juſſum eſſe à* Frobenio *dare mihi* XXXII. *florenos aureos, ſed ex his detraxiſſe octo, qui debebantur tibi. Quæ ille de me ac meo nomine ad vos ſcripſit, nihil me moverunt: nemo magis eſt, ſi qua eſt fides, imperitiæ meæ conſcius meipſo, nec minus diſſimulator; idcirco leviter angor gloriam non contingere, cum non meruiſſe ſciam. Ita velim mihi propitium* Chriſtum, *ut credo aſſecutum me nominis opinionem meritis majorem, & tam immodice favere mihi famam ſæpenumero admiror. Itaque quod ille dixit, non ægre fero, cum in hac parte felicius ſuccedat, quam optare me par eſt, incorruptius mea æſtimantem. Quid, quod ſi maxima mihimet ipſe de me perſuaſiſſem, & me optimos ac doctiſſimos libros ſcribere arbitrarer, non ignoro tamen peculiarem genii favorem eſſe, à quo vita monumentis literariis inſpiratur: & fortunam eſſe, quæ rebus precium & æternitatem donet; noſque conſilia præſtare, non eventa: ideo ſapientis eſſe, poſtquam quæ in manu ſua ſita ſunt, quam poſſit induſtrie ac diligenter diſpoſuerit, fortuitis æquabilem ſe præbere: ſiquidem aliud in vita præſtandum non eſt bono viro, præter culpam. Hæc quidem me conſolarentur, ſi in vera eruditione ac ſapientia obſcurus eſſem: nunc autem & clarior ſum, quam plerunque vellem, ne meam à rebus omnibus inopiam tam multi ſpectarent, ac ſcirent: & imperitiam meam tantam eſſe video, ut illam profiteri pra pudore cogor, ut quod alii deprehenſuri ſunt, ipſe minore culpa pra me feram. Scripſi tamen primum ætatis calore impulſus, deinde quia tenet inſanabile multos ſcribendi cacoethes: ſed meum ſanabo, ut ſpero; nam ſimul ut primum emiſero librum, quem his diebus ad Reginam* Angliæ *compoſui, in longas me abdam ferias, & ocium innoxium; tum quod hoc ad pinguem vitam beatamque compendioſius, tum ne me toties voce prodam mea, velut ſorex, & laceſſam fortuna atque exiſtimationis aleam: poſtremo, quod, ut* Appius *conſulebat, ſatius eſt ceſſare, quam nihil agere. Tum nemini faceſſam negotium ex iſtis, qui nomina noſtra quæſtibus ſuis metiuntur & cenſent. Et hæc quidem ut maxime verum* Franciſcus *ſcripſerit. Nam an ita ſit, tempus, ut ſpero, declarabit, & poteſt* Frobenius *ab* Hilario *ſciſcitari: De* Auguſtino *ſcio illum vendidiſſe plurima exemplaria, & ipſe novi qui emerint: qui vero de* Londino *audet tam impudenter mentiri? Ubi ipſe faſſus mihi eſt ſe paucis diebus ſupra triginta* Auguſtini *exemplaria diſtraxiſſe, certe* Lupſetus *negabat ſe in* Anglia *vidiſſe* Auguſtinum *ullum meum venalem: in eadem* Anglia *ſupra quadringenta mea* Somnia *affirmavit mihi vendidiſſe ſe. Forſan non vendibile putat nomen, quod confert cum tuo aut* Budæi. *Quid? nuſquamne eſt hic alius, quem ſocium ſibi* Frobenius *adjungat? O miſeram ingeniorum gloriam, ſi aliter conſtatura non eſt, niſi ejuſmodi nebulonibus libuerit! Ego vero & gloriæ jam nunc & ſtudiis omnibus renuncio, ſi hac neceſſario eundum ſit. Pudet literariæ conditionis, ſi exiturus liber non ſit, niſi illiteratorum avaritiæ approbetur: ut* Kemponum *&* Brechtorum *&* Torrentinorum *plena ſint omnia!* Ciceronem *vix unus habeat. Nunquam Deus immortalis tam inique cum ſtudiis egerit, ut aliter exſerere ſe nequeant, niſi per* N. *quæſtum: quem ego puto in me eſſe inclementiorem, quod cum* Antuerpiæ *me aliquot dies latitando eluſiſſet, neſcio cujus pecuniæ, quæ de ratione ſupererat, gratia, dixi miniſtris illius, defeſſum eſſe jam me perferendis ipſius præſtigiis & eluſionibus, quibus me tam impudenter ludificaretur. Valeat gloria, ſi tantam importat ſervitutem, ut unicum verbum loqui libere non ſinat, cum ii, qui gloriam non ſectantur, dicant quicquid libet. Vellem ſcripſiſſes, an ſit* Frobenius *illa Opuſcula impreſſurus; alioqui ſignifica per primas literas; mittemus alio. Neque vero tam me immodice ipſe amo, ut cum damno* Frobenii *velim ex ejus officina prodire quicquam meum: non eſt ſic ille de me meritus; itaque ne putet me ſibi iratum fore, ſi mea non ediderit, faciat quod maxime in rem ſuam eſſe credet. Sed nimio plura de nugis, & de te. De titulo: ego vero ſexcentos commiſero in ſcribendo ſolœciſmos bene adultos, etiam* Egmondano *ridiculos, modo ne* βασιλεὺς *unum in dando: non tam miſere Grammaticos metuo.* Romæ *non dubito quin ſis omnia reperturus commota & turbata, præſertim* Rhodo *capta. De* Turca *timent omnes, ne impetum convertat in* Siciliam *&* Italiam. *De* Budæi *munere non tam latum eſt, quam de valetudine ejus triſte; ad illum his diebus ſcripſi. Quum hæc ſcripſiſſem, factis literis amicorum certior, Opuſcula mea non eſſe à* Frobenio *excuſa, &* N. *dicere te auctore rejectum à* Frobenio *librum, qua de re ſcripturum te mihi per famulum, quem paucis diebus huc mittes; & quanquam non magni tua refert, quid ipſe de hoc facto credam: tamen, ſi qua eſt mihi apud te fides, velim exiſtimes me illud non credere, non & ſi quis dixiſſet ſpectatiſſimæ fidei, quanto minus à* N. *profectum: tantum adjeci, ut ſcires* N. *nondum mutaſſe mores. Si dicam me non aliquantum doluiſſe, mentiar; ſed minus forſan quam alii ejuſmodi rebus ſolent. Ex tuis literis aliqua erat ſpes; nam ſcribebas* Frobenium *libentius mea impreſſurum, ſi* N. *acciperet ſocietatem, quaſi ſubſignificares impreſſurum: nunc intelligo, nec me, nec mea eſſe tanti, ut in tanta librorum varietate locus ſit tam exiguo libro ullus, niſi ad primam præconis vocem vendatur: & ſi illum vendibiliorem feciſſet* Frobenii *officina, ut* Somnium *fecit, & in* Germania *tam lata tamque diſerta* * *ſtudioſis, in qua quid non diſtrahitur? Opuſcula quædam mea curavit iſtic* Beatus *edi, quorum ne unum quidem exemplar hic vidimus. Equidem falſum me opinione comperio. Nam qui ut me non in orcheſtra ſedere ſciebam, ſic ad quatuordecim adſcendiſſe jam vel arbitrabar, vel cupiebam, nunc in plebejis de poſtremis me eſſe ſentio. O quam vere cenſu diſtinguuntur ordines, etiam hujus civitatis! Hem huccine reciderunt illa tam magnifica,* Clariſſimus & undiquaque doctiſſimus. *Sed hæc quoque viderit fors: cum qua qui nimium habent negotii, hi demum fœliciſſimi ſunt. Ego nulla ratione ſubtrahere me potui* Hiſpanico *itineri, quod puto me cras aut perendie ingreſſurum; quod velit* Chriſtus *mihi proſpere ſuccedere: per* Britanniam *proficiſcar, & ibi, & in patria, amici in te hominis officium præſtabo.* Chriſtum *precor ut te ſervet diutiſſime incolumem, & lætum: ubicunque fuero, illinc te de meis rebus certiorem faciam. Vale, mi præceptor, & memineris ſemper amicitiæ noſtræ: meque* Chriſto, *cui tam gnaviter ſervis, commenda.* Beatum *ſaluta mihi, &* Frobenium. Brugis 10. *Maji, Anno* 1523.

* *Differta* videtur legendum.

EPI-

Digitized by Google

## EPISTOLA DCLV.

### DE RATIONE VERAE THEOLOGIAE.

*Rever. in Christo Patri, ac D. D. Alberto S. R. E. Titulo S. Chrysogoni Cardinali Moguntinensi, ac Magdeburg. Archiepiscopo, Principi Electori, Primati, &c. Administratori Halberstadiensi, Marchioni Brandeburgensi, Erasmus Roterodamus* S. D.

An. 1523. *QVOD *Paulus* Apostolus non improbat quidem nuptias, verum denunciat fore, ut qui sese involverint matrimonio, habituri sint afflictionem juxta carnem, videlicet eas sollicitudines subindicans, quas parentes sumere coguntur in gignendis, alendis, educandis, elocandis, provehendisque liberis, mihi videtur ad nos quoque pertinere, qui tametsi corpore steriles, tamen subinde pro liberis aliquid librorum gignimus, nisi quod nostra conditio videri potest haud paulo durior. Siquidem illis nihil aliud denunciat *Paulus* quam afflictionem carnis. Nos duplex sequitur afflictio carnis & spiritus. Neque enim hæc facimus mediocri dispendio, tum rei, tum valetudinis, quanquam hæc quidem quota portio sunt, si ad animi curas expendantur? Proinde non solum hoc nomine miserior est conditio scribentium, quam gignentium, quod duplici sarcina gravatur, verum quod in utroque genere nostra præponderant incommoda. Quanto facilius est mulieri concipere fœtum, quam nobis idoneum argumentum? Quanto minore periculo illa enititur, quam nos edimus? Quod si quæ parit infeliciter, hoc est, fœtum mutilum, aut alioqui monstrosum, vulgus non puerperæ imputat, sed vel astris, vel vitio corporis, vel casui, vel Deo. Si quid in ingenii nostri fœtibus vitii conspicitur, nulla venia est, nobis solis imputatur, qui genuimus, & ob fœtum vocamur in capitis periculum. Adde quod mulier ob eundem partum, non nisi semel experitur *Lucinæ* nixus, nos toties eundem fœtum parturire cogimur. Ac mihi sane evenit plerunque (nam de cæteris non pronuncio) quod puerperis solet, quæ dum præpropere matres esse student, aborsu fœtum immaturum ejiciunt; vel potius, quod nonnullis animantibus, quæ quoniam informes massas edunt, coguntur diu lambendo fingere quod peperierunt, quo quidem in genere sunt ursi. Hoc vitii sic mihi video cum nonnullis esse commune, ut tamen ipse culpam meam hic insigniter agnoscam. Sic sum, ferre gestandi tædia non possum. Ita fit, ut dum celerius studeo liberari à labore, sæpius idem labor sit devorandus. Adde his, quod qui gignunt corpore, puellam unam uni gignunt sponso. Quæ si nacta sit cui placeat, non refert, quam placeat cæteris. Nos populo gignimus, hoc est, belluæ multorum capitum, cujus oculis quum diversa placeant, ne fieri quidem potest, ut per omnia placeas, etiamsi gignas, quod suapte natura formosissimum sit. Huic tam morosо proco nobis serviendum est. Quod his sane temporibus longe difficillimum est, in quibus sic variant hominum studia, ut quod uni parti blandiatur, necesse est ut alteri vehementer displiceat. Ac sæpe fit, ut non aliam ob causam displiceat, aut placeat liber, nisi quod displicet, aut placet Auctor. Quin & illud accedit nobis incommodi, quod cum proci soleant ambire favorem parentum, nobis exambiendus sit favor multitudinis, cujus utilitati nostro victu servimus; hac in parte aliquanto infeliciores histrionibus, (satis enim de puerperis dictum arbitror) qui cum mercede conducti saltent, nemo tamen unquam habuit theatrum tam morosum aut iniquum, ut lapidetur actor, si parum feliciter cesserit actio. Extrema calamitas est exsibilari atque explodi è proscenio. Nobis capitis nostri periculo peragitur fabula, idque nostro etiam sumptu. Scio, dicet jamdudum tua Celsitudo, Ohe! satis jam parabolarum, rem paucis expedi. Faciam: Jam anni complures sunt, quod hunc libellum, *De ratione Theologiæ*, rudem adhuc emiserim, sic ut commentarius verius esset quam liber. Quum autem sic etiam incultus inveniret procos, quibus placeret, addidi cultus nonnihil, & adjecto tui nominis lenocinio, velut dote quadam eandem filiam rursus elocavi. Id quum semel atque iterum factum, tuo, ni fallor, genio satis feliciter cesserit, hoc demum Anno 1523. revocavi sub manus, ac tantum impensum est operæ, ut jam propemodum inter libros numerari possit. Quanquam quod legitur, quod teritur manibus studiosorum, id totum tui genii esse duco. Quod si quibus displicet, horum temporum fatis imputo, in quibus sic ardent hinc atque hinc contraria studia, ut nihil scribi possit tam insulse, aut etiam impie, quin inveniat, qui pollice faveat: rursus nihil tam feliciter, aut circumspecte, ut remedium sit adversus sycophantæ morsus. Fuit hoc infelicitatis meæ, ut mea senectus in hoc seculum inciderit. Orandus est Dominus *Jesus*, ut, qui solus id potest suo Spiritu, animos *Christiani* populi vertat in amorem pacis & concordiæ. Etenim quam diu spiritu nostro tumultuabimur, quo magis adnitemur nosmet explicare, tanto magis involvemur. Quam aliis arrideat hoc seculum, nescio, mihi certe magnopere displicet. Sic fervent partium studia, ut non possit esse sincerum judicium. Jurgiorum & rixarum plena sunt omnia. Penitus sublata est illa libertas ac suavitas studiorum, imo neglectis bonis Auctoribus, nihil placet, nisi quod seditionem sapit. Interim quanta clades concordiæ *Christianæ*. Quam vix usquam reperias sinceram illam ac simplicem amicitiam non aliquo fermento vitiatam? Conjuratos reperias, amicos nequaquam. Quid autem est nostra religio, si tollis pacem? Nimirum ea rerum facies erit, quasi si tollas solem è mundo. Malim ego vel olitor esse tranquillitate *Christiana* fruens, ac spiritus Euangelici simplicitate gaudens, quam terque quaterque maximus Theologus, hujusmodi dissidiis involutus. Ego certe quod ad me pertinet, hoc ago totis viribus, ut hoc fermentum ex intimis animi mei fibris revellam, meque restituam simplicitati, tranquillitatique spiritus Euangelici, meque componam in eum habitum mentis, quo bona cum fiducia comparere possim apud tribunal *Jesu Christi*, quo fortasse cras, aut perendie sim accersendus. Quanquam omnibus eodem veniendum est, neque cuiquam hæc vita longa potest esse, etiamsi esset certa. Nunc quum incerta sit, sic oportet omnes vivere, quasi eadem nocte sit à nobis anima reposcenda. Lubens autem adhorter omnes, ut seriis studiis pro se quisque agat quod ago. Gradus aliquis fuerit ad sarciendam concordiam, si quisque sincere, ac veluti coram Deo, suum animum expurget à fermento odii, livoris, & contentionis. Simplex oculus nihil spectat nisi gloriam *Christi*. Qui concionantur apud populum, sermonem Euangelicum pure sincereque tractent, nulli quidem assentantes, sed interim, quantum fieri potest, temperantes ab his, quæ spectant ad seditionem magis quam ad ædificationem. Absit adversus proximum, aut etiam iniquum judicium. Sic unusquisque de scriptis alienis pronunciet, ut vellet pronunciari de suis. Cæterum eorum, quæ necessario cogantur omnes credere, definitio contrahatur ad pauciſſima, quod quidem licebit salva sinceritate professionis *Christianæ*. Reliqua vel prohibeantur inquiri, vel suo cujusque judicio relinquantur. Ea res non solum efficiet, ut posthac exoriantur pauciora dissidia, verum etiam ad id conducet, ut religio *Christiana* facilius per omnes orbis nationes propagetur. Tum autem corrigantur ea, de quibus jampridem mundus merito queritur. Etenim si judex ille impius in Euangelio *Lucæ* non omnino contempsit interpellationem oppressæ viduæ, quanto minus oportet negligere clamorem eorum, pro quibus san-

An. 1523.



Digitized by Google

An. 1523. guinem ſuum fudit Dominus *Jeſus Chriſtus*? neque enim pro magnatibus tantum mortuus eſt, & humiles ac puſillos ſibi peculiariter habet curæ. Hos omnium primos allegit, per hos ortum ac provectum eſt regnum Euangelicum. Hæc fient etiam abſque tumultu, ſi Monarcharum ac Principum auctoritas, ſemotis interim humanis affectibus, toto pectore ſervierit utilitati publicæ, & gloriæ Principis omnium *Jeſu Chriſti*, ſique ſubmoveantur ab hoc negotio, quos mundus jam nimium diu tulit, ſuæ gloriæ, ſui ventris, ſuæque tyrannidis negotium agentes, qui regnum ſuum non putant poſſe conſiſtere, ſi populus quicquam habeat vel mentis, vel cerebri. Pulſandus eſt igitur communibus precibus *Jeſus* Opt. Max. ut hanc mentem utriuſque ſtatus primoribus impartiat, inter quos tu ut præcipuum locum tenes, ita plurimum adjumenti poteris adferre ad reſtituendam Eccleſiæ tranquillitatem. Quod te gnaviter facturum, atque etiam facere confido. Bene vale. *Baſilea* 1. Junii, Anno 1523.

## EPISTOLA DCLVI.

### Cutbertus Tonſtallus, Londinenſis Eccleſiæ Miniſter, Eraſmo Rot. *S. D.*

DICI *non poteſt, quantopere ſum gaviſus, lectis tuis literis, præſertim his, quibus tum ad Regem, tum ad Legatum ſcriptis, his te ſuſpicionibus liberas, quas de libello à* Luthero *in Regem edito, tanquam aliquid ineſſet tuum, hic ſubortas eſſe nonnulli tibi retulerunt: non quod animis hominum tam alte inſederat hac ſuſpicio, ut tuis literis fuerit revellenda: quandoquidem ſic totus liber contumeliis ſcatet, ſic ſingulis pagellis* Lutheranum *virus ſpirat, ut ex qua officina prodierit ille ipſe lectus prodat; verum ea re ſum lætatus vehementer, quod ex his intellexi tibi cum* Lutheranis *male convenire, teque à Pontifice Maximo rogatum, ut congrediendi cum* Luthero *provinciam ſuſciperes, jam exoratum prope in procinctu eſſe. Id quod omnes amici tui magnopere & exſpectant & cupiunt, ut cum illo* Proteo, *imo verius* Atheo, *tandem congrediare. Cæterum ex* Luthero, *inquis, &* Lutheranis *male audiam. At non pejus quam Deus ipſe, quem ille malitia omnis auctorem facit, dum liberum tollit ab hominibus arbitrium, atque omnia ſtatis neceſſitatis legibus fieri prorſus contendit, ut liberum cuiquam non ſit, ſi velit bene facere. Et* Chriſti *cauſa injecta probra plus tibi laudis nimirum parient, quam omnia omnium quantumvis elaborata encomia, quocirca nihil eſt, quod eo nomine terreare. Mihi quidem videris hoc patriæ tuæ inprimis debere, qua niſi quamprimum occurraſur, peſtilente hac contagione, ſeſe latius ſparſura, ſi nemo obviam prodit, infici periclitatur. Nemo unquam in ſacris eruditus Literis eorum, qui hactenus fuerunt, ſua ætate perniciosam ortam hæreſim vidit, quam non impugnavit. Quo quæſo nomine tuus* Hieronymus *celebrior habetur, quam quod hæreſes ſui temporis acerrime confutavit. Non illum ſacri* Moſeos *& Prophetarum libri ad* Hebraicam *veritatem reſtituti, non multiplices commentarii magnis deſudati laboribus, clariorem reddiderunt, quam quod adverſus* Helvidium, Jovinianum, Luciferianos, Vigilantium, Pelagianos *in arenam ſeſe dedit. Ubi major* Origenis *elucet eruditio, quam contra* Celſum? *Ubi major* Baſilii, *quam contra* Eunomium? Cyprianus *dum contra* Demetrianum, Novatianum *&* Novatum *acrius invectus eſt, quantam laudem retulit? Quanta* Hilario *contigit* Conſtantium *impugnanti? Qua vero* Auguſtinus *contra* Pelagium, *contra* Julianum, *contra* Arianos, *contra* Manichæos, *contra* Gaudentium, *contra* Petilianum, *contra* Fauſtum, *contra* Fulgentium *ſcripſit, tantopere illius viri ſanctum ardorem exprimunt, ut neſciam, an ejus vel flagrans in Dei Eccleſiam charitas, vel magna in ſacris Literis eruditio, ex ullis aliis ſcriptis ſit dilucidior. Porro, quis unquam in Eccleſia paulo eruditior, poſt ortam novam hæreſim reticuit? Ea demum vera militia* Chriſtiana *eſt, hæreſes expugnare. An barbaros in fines noſtros irrumpentes, pauxillumque abigentes prædæ, perſequi pulchrum putamus: hæreticos de religione atque aris nobiſcum decertantes, æquo animo ferimus? quando multo eſt præclarior de his quam de illis victoria: quod his devictis æternus in cœlis datur triumphus, illis ſummotis, brevis admodum in hac vita gloriola. Te vero vel maxime movere debet, quod quam multis lucubrationibus in Eccleſiæ utilitatem ſumptis, gloriam paraſti, præripere tibi* Lutherani *parant, dum in ſuorum numero falſo te recenſent. Adde, quod æmuli, ſi qui ſunt, qui tuam corrodunt famam, quando non alio magis nomine tibi nocere poſſunt, in illam factionem te adſcribunt. Quantus autem accedit ſtimulus? quod* Adrianus *ſummus Pontifex & tuus conterraneus, & de grege Domini tam ſollicitus, tantopere te invitat, ut eam provinciam deſumas, ad quam cum illius atque omnium judicio videris inprimis idoneus, tum etiam non rogatus ſponte nomen dare debes: cum eas hæreſes ſuppullulare videas, quibus tandem adultis tota ruet Eccleſia. Neque enim una aut altera pernicioſa novitas ingeritur: ſed ad ingentem* Wiclefitarum *hæreſeon catervam nova accedunt arma, nempe convitia, contumelia, probra, lingua veneno tincta, ut plane videri poſſit venenum aſpidum ſub eorum labiis ebullire. His telis Eccleſiam, quam alia ratione non poſſunt, expugnare parant. Qua autem ab Apoſtolis inſtituta poſt* Chriſtum *incarnatum in Eccleſia catholica ſemper obſervata ſunt, iſtis univerſa diſplicent, traditiones ſanctorum Patrum, Eccleſiæ ritus, ſacra omnia, in quorum locum quid ipſi ſtatuere velint, nondum inter eos convenit. Omnes namque* Chriſtianos *viros juxta ac fœminas ex æquo ſacerdotes eſſe, Stoica quadam moroſophia, contendunt, omnes etiam ex æquo Reges: nam eo tendit libertas illa* Chriſtiana, *quam nullis hominum legibus aſſerunt obnoxiam. Quo quid aliud, quam anarchiam parant: tametſi* Germaniæ *Principes nondum id perſentiunt. Tentatum id aliquando à* Wiclefianis *in hoc regno fuit, coactumque ab his conjuratorum exercitum, commiſſo prælio, vix tandem regia poteſtate fuſum fugatumque annales noſtri teſtantur.* Lutherus De abroganda Miſſa, *quam nunquam intellexit, libellum eſt auſus edere. Quid tandem ſupereſt amplius? niſi ſi de abolendo* Chriſto *ſcribere deſtinavit: nam huc hominis inſania tendere videri poteſt: quandoquidem divam Virginem ab ejus ſequacibus jam exploſam audimus. Tantane impietas ultra ſuſtinenda eſt? Per ego te* Chriſti *tot exhauſtos mortali corpore labores; per illum ſanguinem, quem in mundi pretium moribundus profudit; per illam gloriam, quam in cœlis decurſa hac vita exſpectas, te obſecro atque obteſtor,* Eraſme, *imo vero te orat atque obteſtatur Eccleſia, ut cum hac hydra tandem congrediare. Aude tantum, & orbis ſpondet tibi victoriam. Quantum etenim tibi culpæ non abs re impingi poteſt, ſi tuæ patriæ periclitanti, ſi Eccleſiæ collabenti, quamprimum ſuccurſurus non advolas? tantum immortalis gloriæ te manebit, ſi abs te patriæ tuæ conſervata religio, ſi tuis lucubrationibus Eccleſia ſuffulta erit. Denique, illi ipſi labores, quos in ſacris Literis exornandis ſumpſiſti, non parum te excitare debent: quando quas tu multis ſudoribus expolire curaſti, fœdis hæreſibus ab iſtis pollutas vides, qui non impoliti ſermone cupiunt ipſi videri. Quo fit, ut nitorem in ſacris Literis pleriſque inviſum reddant. Qua quæſo in re melius animam, jam per ætatem ſenſim deficientem, ponere potes, quam dum* Cerberum *iſtum, diro latratu in omnes eccleſiaſticos ordines inſultantem, gladio ſpiritus abactum in antrum ſuum cogès? Id quod te facturum eo magis confidunt omnes, quod ipſe nuper edito libello, exſpectationem jam omnium de ea re concitaſti. Vale.* Londino 7. *Julii, Anno* 1523.

EPI-

Digitized by Google

## EPISTOLA DCLVII.

*Eraſmus Rot. Henrico Angliæ Regi* S. D.

An. 1523. SERENISSIME Rex, de tuæ Majeſtatis in me ſtudio *Thomas Morus* mihi ſcripſit rem longe quidem gratiſſimam, ſed minime novam. Quo magis intelligo mihi totis viribus adnitendum, ut & meritis & votis tuæ Majeſtatis aliquando ſatisfaciam. Sunt hic magni rerum motus, vel parturitiones potius, quid parituræ neſcio, nec ſimplex diſſidium eſt. Oblique moliuntur qui favent Cæſari, contra qui *Gallo*. Quin & *Lutherani* videntur novos ſumpſiſſe ſpiritus; contra, Principes ſæviunt. *Chriſtus* det felicem exitum. Venit ad te *Lucas* medicus, æternæ ſalutis artifex, eum tua Majeſtas comiter accipiet, meque numerabit inter eos, qui ipſi cupiunt & optant omnia læta feliciaque. Molior aliquid adverſus nova dogmata, ſed non auſim edere, niſi relicta *Germania*, ne cadam, priuſquam deſcendam in arenam. Bene valeat tua Majeſtas. *Baſilea* 4. Septemb. Anno 1523.

## EPISTOLA DCLVIII.

*Eraſmus Roterodamus M. Conrado Goclenio* S.

QVVM per *Hilarium* exſpectem literas tuas, mi *Gocleni*, non eſt quod nunc magnopere ſcribam. Ne quid te cruciet aliorum ſucceſſus, ſed exſpecta feliciora. Quanquam non video cur iſtius fortunæ te magnopere pœniteat. De *Vive* miror. Scripſit mihi ſe cogitare de reditu in *Brabantiam*. Quod ſi verum eſt, opinor ſexaginta libras propoſitas eſſe pro ſexaginta Angelatis. Ajunt etiam *Pariſiis* exuſtum eſſe quendam. Sævit & *Ferdinandus* mire in *Lutheranos:* in ejus aulam *Faber* meus, *Conſtantienſis* Vicarius, adſcitus eſt ingenti ſalario. Gratum fuit, quod ſcripſiſti de rebus novis. Non dubito quin *Spongia* jam ad vos perlata ſit. *Huttenus* exceſſit è rebus humanis 29. die Auguſti: cujus morte periit magna ex parte meæ *Spongiæ* gratia. Tumultus rerum undique cooriens cogit nos hic adhuc ſedere hanc hyemem. Quod ſi literas nuper à *Roma* allatas maturius accepiſſem, jam iter ingreſſus fuiſſem. Hæc hyems, ut ſpero, dabit finem malis. *Gallo* male metuo. Faveo Principi meo, ſed nullum video finem, ſi procedat Imperii dilatatio. Ἐγέλασα τοῦτο Ἀνίωνίς ſimplicitatem. Venit huc ut emeret libros, deponeret τὸ σχῆμα, denique & τῦ γαμεῖν, nec habebat obolum. Admoneo te, ne cum hoc inauſpicato criminum genere multum habeas commercii. Admonui & olim, ne valde implicareris τῶν Γερμάνων amicitiis; ſunt equus *Sejanus*. Bene vale, ac magno animo perage Muſarum negotium: fortuna aliunde affulgebit. De *Franciſco* rurſus admoneo, ne quid rerum mearum illi committas. *Baſilea* 25. Septembris, Anno 1523.

## EPISTOLA DCLIX.

*Eraſmus Bilibaldo ſuo* S. P.

CAPITO ſcripſit ad me, queri neſcio quid *Varenbulium* * ob librum carius emptum à *Compergio*. Jube illum eſſe bono animo. Efficiam, ut iſthuc, quicquid eſt, bene penſetur. Miſi plumbeam imaginem, videlicet ineptiens apud amicum. Cupio ſcire, de ea quid ſit actum. Spero *Fabrum*, *Conſtantienſem* Vicarium, ſic moderaturum auctoritatem ſuam, ut non prodat *Chriſtum* Phariſæis, Scribis, & Pontificibus. Vellem hos quoque plus ſapere in generatione ſua. Moneo ſedulo, & proficio nonnihil, minus tamen quam vellem. Tu nos amare perge. Nos noſtri diſſimiles nunquam erimus. Bene vale cum tuis omnibus, vir clariſſime. *Baſilea* 21. Novembris, Anno 1523. Reſaluta noſtrum *Apellem*.

* Is *Vatenbulius* dicitur ſup. col. 744. lit. B.



## EPISTOLA DCLX.

*Eraſmus Roterodamus Henrico octavo, Regi Angliæ*, S. D.

INVICTISSIME Rex, ſcio quantum habeat momenti ad conciliandam muneri gratiam, ut in tempore detur, neque me fugit hoc meum munus duplici nomine intempeſtivum eſſe, vel quod ſero redditur, videlicet poſteaquam per omnes orbis regiones ſparſum manibus populi teritur; vel quod offertur bellicis rebus occupatiſſimo. Sed non contigit antehac certus aliquis per quem mature mitterem; & libens totius officii mei gratiam perdidero, ſi hac jactura liceat redimere Monarcharum inter ipſos concordiam. Nunc in tam atrocibus, tamque diutinis rerum humanarum tumultibus, non modo ſtudiorum me tædet aliquando, verum etiam vitæ. Sed his malis Deus aliquando finem dabit, ſi nos promereamur. Mitto primam manum libelli *De libero arbitrio*, adverſus *Lutherum*. Nondum eſt abſolutum Opus, immo per valetudinem, quæ me ad mortem uſque afflixit, & labores, quibus explicabam cætera, quæ erant in manibus, vix tantum potui. Si guſtus Operis probabitur Majeſtati tuæ, cæteriſque doctis, abſolvemus, & alicubi excudendum curabimus: nam hic, opinor, nullus eſt typographus, qui auſit excudere, quod verbulo attingat *Lutherum*, contra Pontificem licet ſcribere quidvis. Hic eſt præſens *Germaniæ* ſtatus. Itaque ut tuto iſthuc pervenirent quæ mitto, emandavi rurſus famulum proprium ac fidelem, ſed Majeſtati tuæ non ignotum. *Chriſtus* Opt. Max. res tuas bene fortunet, Rex invictiſſime. *Baſilea*, Anno 1523. An. 1523.

## EPISTOLA DCLXI.

*Eraſmus Roterodamus Chriſtophoro Epiſcopo Baſilienſi* S. D.

QVAMVIS præter aſſiduos ſtudiorum labores, à quibus non ignoras mihi nullas eſſe ferias, & aliis quibuſdam occupationibus diſtringerer, ut interim ne renovem de valetudine morboque jam nimium familiari veterem querelam, tamen obſequi cupiens tuæ voluntati, cui ſic lubens gratificarer, ut nemini mortalium lubentius, percurri verius quam perlegi librum abs te miſſum. In libello *De ſtatu & officio Epiſcoporum* fortaſſis multos offendet & ſtyli ſimplicitas, & ſermonis inelegantia, quandoquidem hoc ſeculo nihil fere vendibile eſt, niſi quod & Muſarum myrothecia redoleat. Alioqui non caruit ingenio *Cartuſianus* ille; & oratio, tametſi non eſt omnino *Latina*, tamen eſt dilucida. Cæterum, quod ad alterum libellum attinet, in argumento tam copioſo, propterea quod in literis Euangelicis & Apoſtolicis, in libris Prophetarum, imo in omnibus utriuſque Teſtamenti voluminibus tam multa leguntur de paſtoribus, videbatur auctor fuiſſe jejunus, cujus obſcuritas quoque offectura fuerat operis gratiæ, etiamſi materiæ fœcunditatem utcunque tractandi felicitate exæquaſſet: certe multa, quæ ceu ſeria repetit ex *Brigidæ* revelationibus, nunc eruditis omnibus riſui futura ſcio. Adeo decrevit hominum credulitas. Libellus Epiſcopi *Berithenſis*, mihi olim cogniti, non eſt indoctus, ſed nimium ſapit jura Pontificia, quo nomine nunc certe diſpliciturum pleriſque ſcio: quanquam & præterea jejunus eſt, & inelegans. Proinde vix invenietur, qui hæc ſuo periculo excudat. Quod ſi tua celſitudo mallet rem agi ſuo periculo, non foret conſultum me præfationem addere Operi, propter varias utriuſque partis ſuſpiciones. *Lutherani* fremerent quod rem Papiſticam adjuvarem, diverſi ſuſpicarentur me taxare voluiſſe Præſules ac ſacerdotes. Utriuſque factionis ſtudia ſic ardent, ut non optem altius admiſceri ſeditioſo negotio. Exſpectamus quo ſe vertat ſtudium & animus hujus Pontificis. Qui ſi videbitur vere ſpectare *Chriſtum*, totis viribus adjutabimus, ſi quid



Digitized by Google

An. 1523. tamen possum tantulus homuncio. Decrevimus hic adhuc commorari, usque ad Martium: sic enim jubet necessitas, non ociosi tamen interim futuri. Nam, præter alia, divi *Hilarii* libros magnis sudoribus emendavimus, & si vires dabit *Christus*, librum *De ratione concionandi* absolvemus: quem olim à me promissum crebris literis efflagitat optimus Præsul *Joannes Roffensis* Episcopus, per veterem amicitiam nostram, perque constans & & perpetuum suum erga me studium obtestans. Accedent & alia quædam. Illud in literis tuis repetitum, *tuus qui suus non est*, magno animi cum dolore legimus. Suspicor enim celsitudinem tuam adversa valetudine discruciari. Quo nomine mihi quidem es charior, sed malim esses jucundior. Nam recte quidem dicitur *hominum amores nonnunquam malorum societate conciliari*. Cæterum ego majoribus malis dignus sum, tua ista integritas tranquillitatem omnem promerebatur. Verum hæc est lex humanæ conditionis. Velimus, nolimus, marcescit hoc corpusculum, & collabitur hoc domicilium, sed ea res non admodum molesta est tui similibus, ornatissime Præsul, quorum animus ob vitæ sanctimoniam semper floret in *Christo*, cui *Paulus* cupit propius conjungi, & à corporis sarcina liberari. Hæc vita etiamsi maxime bona contingat, tamen ad æternitatem quid aliud est quam momentum? Quamquam alioqui quid habet, cur optari longa debeat, nisi ut diu liceret prodesse quam plurimis? Mitto celsitudini tuæ libellum *Lutheri De quatuordecim spectris*, qui magnopere probatus est, etiam ab his qui doctrinæ illius omnibus modis adversantur. Scripsit enim hunc priusquam res ad hanc rabiem esset progressa. Atque utinam vir ille sic amicorum monitis potuisset ad moderatiora revocari, quemadmodum quorundam odiis efferari. Quod si quid etiam hic insit mali, novit tua prudentia aurum è sterquilinio legere. Novi mores & ingenium hujus Pontificis, etiam domestica consuetudine: nec dubito quin multa sit correcturus in Ecclesiæ moribus: Videlicet dispensationum immodicam licentiam, sacerdotiorum immensam congeriem, præscribet cultum decorum Clericis, palam facinorosos non feret, coget ad frequenter sacrificandum. Atque hæc quidem ut aliquem habent gradum ad speciem religionis, ita nescio an in his sita sit vis veræ pietatis. Habebit omnes dicto audientes propter auctoritatem Cæsaris, cui per omnia geret Pontificatum. Cardinales, etiam hi qui illi male volunt ex animo, dissimulabunt ac ferent, donec regnum *Romanæ* Sedis jam nonnihil labefactum constabiliet. Deinde huic non diu victuro qui succedet, suo rem geret arbitrio. Nec mihi sane placet tolli primatum illius Sedis, sed optarim eam esse illius disciplinam, ut omnibus præluceat ad Euangelicam pietatem enitentibus, quemadmodum aliquot jam seculis palam exemplo suo docuit, quæ *Christi* doctrinæ prorsus adversantur. Bene vale, Præsul optime. *Basilea*, Anno 1523.

## EPISTOLA DCLXII.

*Erasmus Rot. Senatui Basilienſi* S. D.

ET scio & memini quot quantisque nominibus vobis jam pridem obæratus sim, nobiles ac præstrenui Domini, nec ignoro quam ob facultatum mearum tenuitatem solvendo non sim: tamen facit hoc mihi jam pridem explorata certissimis argumentis vestra singularis humanitas, ut nullis lubentius debeam quam vobis. Nec me deterret à petendo, quod is sim qui non possim ullam referre gratiam, nisi vestra bonitas ad exemplum æterni Numinis sic interpretetur, esse relatum, quod agnoscit, meminit, ac prædicat is qui accipit. Alioqui qui dicere potest, *Referam*, sed cum fœnore, non accipit beneficium, sed fœneratur. Non inficior ex usu Reipublicæ esse, ut legum, scitorum, ac magistratuum auctoritas sit inviolata; sed hic *Benedictus* bibliopola, ut accipio, non ulla contumacia, sed simplici errore prolapsus est in mulctam. Et quod erat hujus causæ caput, duxit mulierculam uxorem. Solet ubique faveri conjugio. Juvenis est tenui re. Erit bona spes dotis, si vestra benignitas mulctam remiserit. Me jam pridem vobis obligatissimum, reddetis obligatiorem, ac mecum alios multos cives vestro non indignos favore, qui me ut *Benedicti* causam agerem hortati sunt, exitum etiam felicem pollicentes, vestra nimirum humanitate freti. Ego nullas beneficii vices possum polliceri, tamen si quis me submonuerit, qua in re queam ordini vestro clarissimo gratificari, sentietis promptam certe voluntatem mihi non defuisse. Precor ut Dominus *Jesus* vos omnes servet incolumes, ac bene fortunet Rempublicam vestram, & publice & privatim. *Basilea*, Anno 1523. An. 1523.

## EPISTOLA DCLXIII.

*Erasmus Roterod. Christophoro Episcopo Basilienſi* S.

INTEGERRIME Præsul, ante dies octo decreveram adire te, duce *Lodovico Bero* tuæ celsitudinis ex animo observantissimo: sed illi visum est inhumanum senectutem tuam prolicere è vapore hypocaustorum, & ego non ausim me rursus illi committere, toties expertus pestem mihi esse præsentaneam. Quod si hic cœli tepor patitur te abesse à vaporariis, cupide fruar conspectu colloquioque tuæ pietatis. Mihi jam diu res est cum calculo, malo jam olim quidem nimium familiari, sed quod nunc aut sæpius recurrit, aut majore cum periculo. Fœminæ sterilescunt ætate: me senectus reddit fœcundiorem: aut enim concipio, aut pario, aut parturio. Sed partus est viperinus, & vereor ne quando parentem interimat. Certe semel atque iterum gravi periculo sum enixus. Quod si quando parum favente *Junone* & *Lucina* niti cœpero, vixerit *Erasmus*. Ajunt hunc morbum esse cognatum podagræ, qui cum audio & doleo tuæ celsitudini subinde rem esse. Uterque gaudet recurrere, sed hic meus habet periculum præsentius. Si quid offendit in *Paraphrasi*, quam nuper edidimus in *Matthæum*, etiam atque etiam rogo ut digneris indicare. Nam Opus jam tertio excuditur. Cupimus enim sic moderari nostra, ut omnibus bonis prosint & placeant, si qua fieri possit. Bene valeat tua sanctitas, cui *Christus* Optimus Maximus largiri dignetur omnia tranquilla lætaque, sicut ista tua meretur integritas. *Basilea*, Anno 1523.

## EPISTOLA DCLXIV.

*Erasmus Rot. Sylvestro Prierati* S. D.

QUOD tua pietas scribit de epistola malum olente fumum, quid sibi velit non satis intelligo. Tibi certe multis modis gratiam habeo, & quod aperte scribis & quod amanter, quæ mea referebat scire: & quod viam indicas, qua possim effugere quod denunciaspericulum, videlicet si explicem quædam loca: plus etiam tibi debiturus si dignatus fuisses ostendere quæ sint illa loca. Nil esset novi, aliquid erroris inveniri in libris meis, quum nec *Hieronymus*, nec *Augustinus* vitare potuerit, præsertim in tanta varietate judiciorum: certe hoc animo semper fui, ut sciens non fuerim passurus esse quicquam in libris meis, quod pugnaret cum orthodoxa doctrina. *Lovanii* tot annos egi, nec amicus nec inimicus Theologus ullus unquam indicavit aliquid tale, quum frequenter illos rogarim, ut admonerent libere si quid esset. Quod *Stunica* sic palam insanit *Romæ*, tametsi me non fugit quorum instinctu fiat, tamen vide quale exemplum invehat. Finge in libris meis esse quædam intolerabilia, quod tandem exemplum est tam furiosis libellis scurrili impudentia debacchari in nomen hominis, certe adhuc à nullo condemnati? Est *Lovanii Carmelita*, homo plane fatuus & furiosus ac parum doctus, & unus prædicator huic simillimus: hi soli moliuntur in me, & velim nolim faciunt

Digitized by Google

An. 1523. ciunt me *Lutheranum*, quum ego primus omnium dehortatus sim à calido facinore. Dicam arrogantius, sed vere, si vel uno epistolio declarare voluissem, me vel tantulum favere *Luthero*, vidisses erectissimos animos totius *Germaniæ*, quæ certe latissime patet. Nec defuissent Principum præsidia. Ego tot convitiis quorundam provocatus, tot aliorum blanditiis sollicitatus, nunquam dimoveri potui à veneratione *Romanæ* Ecclesiæ. *Aleander* nihil non facit adversus *Lutherum*, at si pernosses rem omnem, solus *Erasmus* plus fregit vires & animos illius factionis, quam omnia *Aleandri* molimina. Tot epistolis privatis ac publicis repressit *Lutheranos*, quum multa necessaria docuerit vir ille, sed mihi nullo pacto placet dissidium. Id an vobis isthic persuasum sit, nescio, certe *Lutherani* hic intelligunt, qui mihi uni imputant, quod illis non succedit; jamque dentatis libellis in me debacchantur tanquam in adversarium, & vere sum. Tametsi malim mala separari à bonis, quam utraque simul perdi. Vide igitur quam gratiam mihi rependunt, qui tam improbis sycophantiis impetunt caput meum, imo quam male consulunt suo negotio. *Lutheri* factio nondum tam exstincta est, quam vos isthic creditis, atque utinam esset. Hæc enim perdit omnia studia nostra. Sunt innumera millia hominum, qui odio Sedis *Romanæ* magna ex parte favent *Luthero*: nec aliud expetunt quam ducem aliquem. Me nec angelus, nec homo faciet seditiosum, tamen isti strenue laborant ut faciant. Habemus Cæsarem propitium, cujus salario gaudemus consiliarii nomine, de hoc certus sum. Habeo & hic Principes, ac Reges aliquot mihi faventissimos: Cardinales item & Episcopos aliquot. Quæso ut per *Stunicas* & similes sycophantas liceat mihi orthodoxum esse. De te nunquam male sensi. Fortassis in epistola ad *Hochstratum* dixi in tuis & Card. *Cajetani* libellis, quædam non probari Theologis *Parisiensibus*. Tunc ille nihil scripserat præterquam adversus Concilium *Pisanum*, neque tu quicquam nisi pauca adversus conclusiones *Lutheri* primas. De vestris Operibus non est meum ferre sententiam: quid autem sentiant eruditi, nos hic melius audimus, quam vos isthic. Hæc ægre dictavi amanuensi meo, sic affectus calculo & stomachi dejectione, ut tæderet etiam vivere. Optarim esse *Romæ* vel dispendio dimidii bonorum meorum, & adero si valetudo patietur. De Pontificis in me animo nihil addubito. Non est is qui soleat talibus calumniis præbere aurem. Ego curabo ne quid boni viri in me desideretur. Bene valeat tua pietas, cui me totum commendo. *Basilea*, Anno 1523.

## EPISTOLA DCLXV.

*Erasmus Rot. Polydoro Vergilio* S. D.

ERUDITISSIME *Polydore*, decreveram tecum prolixis epistolis confabulari, sed incommode incidit, ut mihi præter *Livinum* eodem tempore quatuor bajuli forent epistolis onerandi, iisque prolixis, quorum unus petebat *Romam*, alter *Galliam*, tertius *Francfordiam*, quartus *Saxoniam*: quare *Laconismo* utendum est. Primum scis exemplar, quod miseras, non esse apud *Frobenium*, sed apud *Franciscum*. Egi cum *Frobenio* de editione Operis, vel Operum potius. Ait, si majusculis excudat, fore volumen ingens, nec sexcentos aureos suffecturos in sumptus, & metuit aleam in vendendo. Nam *Germania* nunc insanit in ea quæ sapiunt *Lutheranum* quiddam. Alioqui est pulchre animatus ad gratificandum utrique nostrum, & ipse efficiam ut sit animatior. Est triplex excudendi ratio: Nonnunquam totum negotium *Frobenius* suscipit suo periculo: hoc aliquoties facit in minoribus voluminibus, in quibus minus periculosa est alea. Nonnunquam tota res agitur periculo alieno, ipse tantum pro opera sua paciscitur mercedem. Nonnunquam res fit communi periculo sociorum. Jam in pactione operæ *Franciscus* mercedem offert oppido quam iniquam. Nunc agetur *Francfordiæ* an res vel unius *Francisci*, vel sociorum communi periculo possit agi. Et quid actum sit perscribam ubi *Frobenius* è mercatu redierit. Spero rem futuram ex animi tui sententia. Mihi videris consulte facturus, si primam illam præfationem totam retexas. Primum faciet hoc ad Operis commendationem ob novitatem. Deinde faciet ad opinionem utriusque nostrum, quod insunt in illa priore quædam, quibus ego quidem non offendor, sed tamen suspicionem præbent eruditis alicujus inter nos æmulationis. Præterea mihi videtur magis ingenuum, totum Opus Proverbiorum uni dicare, nunc accessionem dicas alii. His de rebus tua prudentia statuet quod videbitur optimum, ego simpliciter indico meam sententiam. De *N.* perfidia satis dici non possit. Videris cum illo expostulasse. Et audi quomodo me sit ultus: *Antuerpiæ* sparsit rumorem, meam imaginem cum omnibus libris meis exustam esse *Romæ*, & ideo me nunc scribere in Papam. Et persuasit multis hæc prodigiosa mendacia. Immo *Clemens* septimus ultro misit ad me diploma honorificentissimum, cum florenis aureis ducentis. Et ego eodem tempore edidi libellum *De libero arbitrio* contra *Lutheranos*: sic *Romæ* sum exustus, sic scribo contra Papam. Si nanciscì possis negotiatorem, qui quinquaginta volumina ad se reciperet, cætera facile conficerem cum *Frobenio*. Bene vale. *Basilea*, Anno 1523.

## EPISTOLA DCLXVI.

*Erasmus Rot. vener. Collegio Virginum Macabeiticarum apud Coloniam Agrippinam salutem in Christo Jesu, Virginis filio, ac virginum omnium corona.*

*SEMEL atque iterum tragematis ac dulciariis missis provocat me pietas vestra, Virgines optimæ, ut aliquo scripto thesaurum vestrum, quem sane pretiosissimum tenetis, celebrem, & vobis vestrum propositum commendem, nimirum lucrum facere vultis illud, Venamini, ut pro xeniis, quæ delectant palatum, recipiatis ea quæ pascant animum. Pia captatio est, sancta aviditas est, prudens & quæstuosa commutatio, planeque digna sapientibus Virginibus, si modo is essem qui possem pro corporali semente spiritualem messem reponere. Non erratis in affectu, sed erratis in delectu. Quod optimum est diligitis, sed non eum diligitis, qui possit sanctissimis votis vestris satisfacere. Ne tamen simpliciter ingratus videar: Gratulor vobis, sanctissimæ Virgines, istum animum, nihil aliud sitientem, quam gloriam Sponsi vestri, qui non solum in seipso, sed etiam in Sanctis suis gloriosus est. Est quidem ille gloriosus in omnibus Sanctis, sed præcipua illius gloria est in martyribus & virginibus. Hæc sunt preciosissima monilia, quibus superbit, seseque jactat Ecclesia *Christi*, quæ non novit, nisi in Sponso suo gloriari. Varia sunt ornamenta, variæ sunt deliciæ Sponsi vestri, septus est diversis virtutum gemmis, immensis floseulorum generibus, sed in rosis martyrum, in liliis virginum potissimum oblectatur. Quam multos pertraxit ad Euangelii professionem sanctorum martyrum fragrantia? quam multos virginum exemplum? Nec ullis Ecclesiæ majorem habuit honorem, quam his qui sua corpora volentes tradiderunt carnificum immanitati pro gloria *Christi*; proximus honos habitus est his, qui se sponte castraverunt propter regnum Dei. Quanto ardore olim cursitatum est à *Christianis* ad martyrum cineres? quam sacrosancta fuit illorum apud omnes *Christi* cultores memoria, quum quotidie cursitaretur ad carceres velut ad loca consecrata, quum oscula figerentur catenis, quibus fuerant alligati, quum gladius servaretur inter sacras reliquias, quo fuerant interfecti. Quin horum afflictiones *palmas* appellat Ecclesia, horum mortes *natales* vocat, supplicia *triumphos* nominat, nec in his celebrandis quicquid lugubre, sed omnia plena gaudii, plena gratulationis, plena tripudii. Nec in ullo argumento*



Digitized by Google

An. 1523. se magis ostentavit eruditorum hominum eloquentia, quam in celebrandis martyrum ac virginum laudibus. Hic *Prudentius* lyrico carmine vicit *Pindari* eloquentiam, vicit *Horatii* suaviloquentiam, hic *Græcorum* pariter ac *Latinorum* tuba nescio quid grandius ac divinius intonuit heroico carmine; hic *Ciceronis* copiam superarunt *Chrysostomus*, *Cyprianus*, *Ambrosius*, *Hieronymus*, aliique plures quam ut numerandi sint. Nimirum materiæ magnitudo suppeditabat eloquentiæ vires, & ardor pectoris addebat vehementiam & alacritatem. Quoties ad martyres ventum est, & virgines, jam velut afflati numine nescio quid grandius humano modo sonant. Quam igitur felix vestrum Collegium, cui contigit utrumque quod in Ecclesiæ mundo præcipuum est. Servatis fragrantissimas illas rosas septem fratrum Macabæorum, & matris, cujus fœcunditas non marito genuit, sed Deo, feliciter illa quidem virginitatis jacturam tot filiorum martyrio sarsit. Non genuit virgo, hoc enim uni fœminarum datum est, sed virgines genuit & martyres. Virginitatis exemplum ex se præbere non potuit, sed ad virginitatem instituit filios, ad martyrium cohortata est. Virginitatis communis gloria non contigit matri & filiis, sed in martyrii negocio, tanto major laus est matris, quod spectatrix suppliciorum in singulis filiis passa est, quicquid in illorum corpora potuit carnificum crudelitas. Hoc fortius est, quam semel suppliciis finire dolorem. Habetis, optimæ Virgines, in iisdem adolescentibus & castitatis exemplum, & martyrii lauream, habetis lilia mixta rosis, utrunque decus cum altero certat, nec alterum tamen ab altero obscuratur. Sed utrunque alterius accessione fit illustrius, velut quum ebur, quemadmodum ait ille, corrumpitur ostro. Est autem tam ambiguum gloriæ certamen, ut ego non ausim pronunciare, si res in contentionem vocetur, utrum alteri præferri debeat, in *Christo* fuit utrunque consecratum, sed plus debemus illius cruci quam virginitati. Beatos pronunciavit, qui se castrassent propter regnum Dei, sed crucis imitationem exegit. Ac persequutionis quidem tempore, magna quædam res est, animus pro Dei gloria semper paratus ad omnia mortium genera. Sed habent tempora suas tranquillitates. Et licet nonnunquam carnificem effugere. Quod si viget certamen extremum, mors corporis & cruciatuum finis est, & felicitatis initium, virginibus longum ac perpetuum est certamen cum hoste domestico, quem nec occidere possis, nec effugere. Ac sæpe legimus illecebris superatos, qui terrore mortis superari non poterant. Sed martyrii flos non enitescit, nisi post mortem, virginitas etiam in hac vita suum habet candorem, suam habet fragrantiam, suam habet gratiam ac dignitatem. Nimirum hoc est lilium Euangelicum, de quo loquitur Sponsus vester *Jesus* in Euangelio: *Amen dico vobis, quod Solomon in omni gloria non fuit amictus, sicut unum ex istis.* Adeo virgo magnificentius ornatur earum rerum contemptu quam copia: ac decentius ornatur sacro velamine, quam ulla fœmina, sericis, auro, gemmis, aut purpura. Tot habet ornamenta, quibus commendatur oculis Dei, quot ornamenta mundi contempsit amore Sponsi sui; pro gemmis ornatur virtutibus, pro purpura charitate, pro auro sapientia, pro fucis animi simplicitate, pro sericis modestia. Non obfuscatur vestium sordibus, pudicitiæ candor lucet etiam in vultu, in oculis, totoque corporis habitu angelica quædam puritas, ac nitor senii nescius, veluti hic meditans, quod omnes exspectant post hanc vitam, qui pie vixerunt in *Christo Jesu*. Animus incorruptus vigorem suum transfundit in corpus, quemadmodum mens, vitiis infecta, quodam modo relucet in ipsa corporis specie. Olim non senescent piorum corpora, quoniam his imperabit animus, qui senium nescit ut mors, ita & senium ex peccato est. Quod si res poscat martyrium, quinam paratiores futuri videantur, quam ii, qui spretis omnibus hujus mundi blandimentis, se totos consecrarunt *Jesu* Sponso cœlesti, qui carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis, qui voluptatem etiam ultro abdicarunt in gratiam Sponsi; cujus unius causa multi cupiunt hic perpetuo vivere. Quid trepidabit virgo ad manus percussoris? Requiret opes, delicias, fastum, luxum, voluptates? At his omnibus jam olim renunciavit. Quæ nihil amet in hoc seculo, quæ mortua mundo, sola *Christo* vivit, nonne libens emigrabit ex hoc corpore, quo propius jungatur adamato Sponso? Etenim quæ vere virgo est, cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu. Neque enim hujus nominis dignitas competit in eam, quæ licet corpus habeat intactum viro, attamen animus impuris cogitationibus cum corruptore colloquium habet. Colloquuta est prima virgo Eva cum serpente, & hinc omnium malorum origo, oculos habebat impudicos, quos pomi blandientis illecebris adulteravit. Nolite hanc mutari* virginem, quæ corrupta excidit à sinceritate, quæ est in *Christo*. Altera virgo sit vobis in exemplum, quæ colloquuta est cum angelo, & hinc initium omnis salutis. Habent mundi virgines suas sodales, habent ornamenta, habent lusus, habent cantiones & choreas. Sed hæc tantisper habent, donec ætatis florem marito prostituerunt. Verum hæc omnia *Christi* virginibus ut interna sunt, ita sunt & perennia. Illæ posito serto virginali flaminium accipiunt matronale, servitutis indicium, at virgines, Deo dicatæ, semper velatæ sunt Sponso suo, ne videantur à mundo. Est enim zelotypus amator, non patitur suas delicias oculis prophanis prostitui. Quæ maritis velantur, servitutem humanam profitentur. Nec semper est maritorum lene imperium. Sæpe pro maritis contingunt domini, stulti, morosi, difficiles, procaces, inclementes, aleatores, ebriosi, profusores, percussores. Accedit his cura rei familiaris, cura liberorum, negocia affinium, orbitas, viduitas. Nec enim simplex est afflictio carnis, quam *Paulus* denunciat iis, qui conjugium expetunt. Denique quicquid hic malorum aut calamitatum solet accidere iis, quæ nubunt sponso mortali, huic in totum subductæ sunt, quæ nupserunt immortali Sponso *Jesu*. Nec est tristis aut inamœna res virginitas, habet in Literis divinis sua viridaria, in quibus cum optimis Sponsi sodalibus spacietur, *Tecla*, *Cecilia*, *Eustochium* **, aliisque innumerabilibus, habet sua serta spiritualia ex variis virtutum flosculis concinnata, habet & unguenta sua, quibus vicissim trahunt ad se sponsam † ac trahuntur, dicentes, *Curremus post te in odore unguentorum tuorum.* Habet citharas suas & psalteria, habet cantilenas & hymnos suos, quibus jugiter psallunt in cordibus suis, modulantes, Domino gratias agentes, laudantes, obsecrantes, nonnunquam & suspirantes, si quando sese subduxerit Sponsus, declinat ille nonnunquam ac transit, non ut deserat, sed ut amorem redintegret. Quid habent mundi virgines, quod ad hæc solatia conferri possit? Proinde agnoscite, Virgines, vestram felicitatem, & non invidebitis mundo suas delicias. Agnoscite dignitatem, & ne exspectetis sordida mundi commercia. Adhærete Sponso vestro, in hoc simul habetis omnia, quæ vere læta sunt, aut magnifica. Animet vos ad constantiam domesticum exemplum sanctissimorum juvenum, qui gaudent etiam corporum suorum pignora servari in tam sacro Collegio, illi mori maluerunt, quam gustare carnem suillam. Vos putate carnem esse suillam quicquid ingratum est Sponso vestro, si fueritis æmulatrices pulcherrimi certaminis, eritis & consortes gloriæ, opitulante Sponso vestro *Jesu*, qui vivit & regnat in omnia secula. Amen. *Basileæ*, Anno salutiferæ Incarnationis 1523.

* *Imitari* haud dubie rescribendum.
** Lege *Eustochio*.
† Repone *Sponsum*.

EPI-

Digitized by Google

## EPISTOLA DCLXVII.

*Eraſmus Rot. Matthæo Cardinali Sedunenſi* S. D.

An. 1524. EXIMIE Domine, mihi prorſus evenire video, quod *Herculi* ferunt uſu veniſſe Veterum fabulæ. Etenim dum hic pugno cum *Lutheranis* veluti cum hydra multorum capitum, iſtinc adrepit cancer, qui pedem mordicus arripit. Rurſus *Stunica* toties vetitus emittit ſuos libellos, ac me velim nolim *Lutheranum* facit. Male mecum agitur, ſi ab utraque parte dilaceror. Cum hydra pugnare abunde magnum erat negotium. Scio & memini, quod tua ſublimitas & amanter ſuaſerit, & prudenter ſenſerit, ut me *Romam* conferam: atque id quidem agebam. Sed interim minimum abfuit, quin in alterum mundum demigrarim. Et talis eſt morbus, ut me ſemper ad eum diem pararim. Adrepam tamen ubi cœlum erit mitius, vel moriturus *Romæ*, præſertim ſi tuum patrocinium aderit adverſus iſtos, qui, mihi crede, magis obſequuntur ſuis privatis affectibus, quam conſulunt dignitati Sedis Apoſtolicæ. Quid enim poteſt fieri gratius huic factioni, quam ſi *Stunica* perſuadeat orbi, etiamſi falſiſſimum eſt, *Eraſmum* per omnia ſentire cum *Lutheroʔ* Ego nullum adhuc articulum video, in quo mihi cum illo convenit. Et tamen quæ objicit *Stunica*, decerpta ſunt ex libris editis ante auditum *Lutheri* nomen. De Monarchia Pontificis nunquam dubitavi, ſed an hæc Monarchia fuerit agnita tempore *Hieronymi* aut exſerta, dubito alicubi ex occaſione loci, nimirum in ſcholiis meis quæ edidi in *Hieronymum*. Sed ut alicubi noto quod videtur facere ad hanc opinionem, ita rurſus aliis locis annoto in iiſdem ſcholiis, quæ faciunt ad diverſam opinionem. Et tot aliis locis voco *Petrum* principem Apoſtolici ordinis; Pontificem *Romanum*, vicarium *Chriſti*, & Eccleſiæ principem, tribuens illi poteſtatem ſecundum *Chriſtum* maximam. Hæc diſſimulat *Stunica*, ea duntaxat excerpens quæ torqueri poſſunt ad calumniam. Bulla *Leonis* & edictum Cæſaris non fulminant in ea quæ præceſſerunt, ſed in futurum. De Confeſſione obiter adnotaram, hanc mihi videri natam ex ſecretis conſultationibus: cum *hanc* dico, intelligo *hanc confeſſionem*, quæ nunc fit cum ſuis circumſtantiis omnibus. Et tamen eam fateor amplectendam tanquam à *Chriſto* inſtitutam, non negans interim inſtitutam à *Chriſto*, ſed addubitans. De Matrimonio ſic diſputo, ut fatear me recipere Matrimonium inter ſacramenta proprie dicta, quod tamen veteres Theologi non faciebant. Et id mihi ſcriptum eſt ante annos ſeptem in Novo Teſtamento. Hæc ſunt præcipua capita *Stunicæ*, in quibus nihil eſt quod mereatur iſtam tragœdiam, præſertim quum hæc ſcripta ſint antequam quiſquam ſomniaret *Lutherum* exoriturum, quum nihil aſſeverem, quum ſemper meum ſenſum ſubmiſerim judicio Eccleſiæ, quum in poſterioribus editionibus multa vel delerim, vel moderatus ſim, quæ videbantur poſſe præbere occaſionem improbis, quibus præter occaſionem nihil eſt opus. Doctrinam meam non contendam ut approbem omnibus, æquis ac bonis confido me approbaturum. Ex animo faveo gloriæ *Chriſti*. Et in utraque parte video quod mihi diſpliceat, in altera multum mundani ſpiritus, in altera multum ſeditioſi. In his tumultibus ſi quid vidiſſem melius conſilio quod ſequutus ſum, haud dubie ſequuturus eram. Quingentos ducatos, quos tua benignitas mihi in ſingulos annos offert, jam mihi acceptos interpretor, non minus obnoxius quam ſi recepiſſem. Amplitudinem tuam cupio quam feliciſſime valere. *Baſilea* 19. Januarii, An. 1524.

## EPISTOLA DCLXVIII.

*Eraſmus Roterod. Paulo Bombaſio* S. D.

TVVM tam diutinum ſilentium, mi *Bombaſi*, non mediocrem ſollicitudinem injicit animo meo, num ſatis ſalvæ tibi res ſint. Hic toties ob calculum periclitor; ſed pene uſque ad vitæ deſperationem menſe Julio, qua parte anni ſoleo ſat commode valere. Porro feriis natalitiis *Jeſu Chriſti*, ſic totum menſem ægrotavi, ut mors fuerit in votis, vita tædio. Quis enim non mallet ſemel mori, quam toties reguſtare mortem longe atrociſſimam? Et tamen interim emiſimus multos libros. Nec enim aliter decet *Eraſmum* mori. Rex *Galliarum* montibus aureis allicit ad ſe. Non audeo ire, ne videar me conferre ad hoſtem Cæſaris, cui juratus ſum Conſiliarius, nec ignoras quantus ſim belligerator. Nec interim tamen penditur penſio, nec pendetur, opinor, ni redeam in *Brabantiam*. Atque illic præterquam quod omnia tumultus plena ſunt, gladius datus eſt *Carmelitæ* cuidam ſimpliciter furioſo, qui mihi pejus vult quam *Luthero*, idque ob linguas & bonas literas felicius apud nos ſuboleſcentes, quam iſti vellent. *Romæ* quidam me faciunt *Lutheranum*, in *Germania* ſum *Antilutheraniſſimus*, nec in quenquam magis fremunt quam in me, cui uni imputant, quod non triumphant. Diſpeream, ni malim emori, quam tantum odiorum in me conflare. Opinor te ſcire quam criminoſo libello ſit in meum caput debacchatus *Huttenus*. Sed præter hunc multi libellos habent in procinctu, ad primam occaſionem emiſſuri, ſi quid ſcripſero adverſus *Lutherum*. Et tamen urgentibus undique Regibus & amicis aggreſſus ſum negotium, quo ſcio me nihil aliud profecturum, quam ut renovem illorum tumultus: nihil illis pertinacius. Et ſunt innumerabiles, ut vix credas. Atque interim in hoc interregno *Stunica*, ut audio, *Romæ* reverſus eſt ad ſuam tragœdiam; ſic habent fata tui *Eraſmi*. De hoc Pontifice mirifice præſagit animus, & adrepam iſtuc ſi potero, vel ſemivivus. Scribe quid rerum geras, meque tuo patrono commenda, quem confido affuturum noſtro negotio. Scribunt mihi, Pontificem eſſe amico in me animo. Bene vale. *Baſileæ* 19. Januarii, Anno 1524.

## EPISTOLA DCLXIX.

*Eraſmus Bilibaldo ſuo* S. P.

PRIORIBUS literis tuis jam reſpondi, quibus nunciabas *Leum* adeſſe, ac de *Dureri* tabulis cenſuram egiſſe. An meas acceperis, non ſatis quivi ex tuis literis intelligere. De rebus Ἀχχόνλων ſcito, te mihi quidem tuto ſcribere, ſi modo tuto commiſeris literas, quod antehac bene ſucceſſit. Quod *Clemens* Septimus fœdus adverſus *Gallos* renunciat, non ſatis intellexi; nam renunciat qui nunciat, & renunciat qui reſcindit. Nihil minus decet quam Pontificem, qui pater eſt omnium, cum hoc aut illo ferire fœdus, ſed æquam omnibus oportebat inter omnes componere concordiam. Et hoc omnibus bonis viris optandum eſt. Et *Galli Chriſtiani* ſunt. Imperii titulo minus faveo, quod videam eſſe perennem fontem bellorum. Sed iſta Θεῶν ἐν γόνασι κεῖται. Veriſſimum eſt quod ſcribis, *Lutherum* plurimos evehere; ille creat Canonicos, Epiſcopos, Cardinales, atque etiam ditat plurimos, velint nolint. Sed rurſum multos dejicit ac ſpoliat, quorum de numero ſum ego, cui per *Margaretam* ac Cæſarem promittitur penſio Conſiliarii, ſed in patriam reverſo. Verum illic regnat *Egmondanus* homo furioſus, armatus gladio, qui me duplo pejus odit quam *Lutherum*. Habet collegam *Franciſcum Hulſtum*, mirum hoſtem bonarum literarum. Primum conjiciunt homines in carcerem, ac poſt quærunt quæ objiciant. Iſta Cæſar neſcit, quæ tamen operæ pretium eſſet illum ſcire. Interim mihi debentur quingenti floreni aurei. Periclitatur & altera penſio reſignatæ Præbendæ. Iterum atque iterum magnis promiſſis *Romam* invitor, ut advolem. Cancer volabit, ego vix vivo, & hæc ſcribenti nunciatur mors *Wonaci* ex calculo. Humaniſſimo *Varnbulio** curabimus ut ſatisfiat, cui & ipſe plurimum

* Supra col. 744. lit. B. dicitur *Vatenbulius*, & col. 773. lit. E. *Varenbulius*.

Digitized by Google

An. 1524. rimum debeo. Pontifex hic deputavit ſex Cardinales eruditiſſimos, qui de rebus *Lutheranis* reſpondeant. Addunt & illud: *Germaniæ* Principes imploraſſe auxilium Pontificis adverſus *Lutherum*. Itaque ſperant rem brevi confectum iri. Nec dubito, quin inter hos ſex præcipuus ſit *Cajetanus*, etiamſi mox, ubi hæc ſcripſeram, audio eum eſſe in *Hungaria* legatum. De fuſili *Eraſmo* ſcripſeram, ex quo conjicio, literas eas non fuiſſe redditas. Si artifex quiſpiam plumbeum archetypum expreſſerit purgatis angulis, felicior eſſet fuſio. Deinde, materia mixta ex ære & ſtanno felicius reddit imaginem. Poſtremo, ſi ſolus *Eraſmus* abſque Termino funderetur, opinor melius cederet; nam denſitas ſaxi & aggeris, qui eſt à tergo, obſtat, quo minus bene reddatur facies & collum. Licebit utrumque experiri. Si bene ceſſerit, fundat ac vendat ſuo bono. Si mihi miſerit aliquot exemplaria felicia, quæ donem amicis, numerabo quod volet. Bene vale, patrone magne. *Baſilea*, poſtridie Dominicæ Quinquageſimæ, id eſt, 8. Februarii, Anno à *Chriſto* nato 1524.

## EPISTOLA DCLXX.

*Clementi Septimo Eraſmus Roterod.* S. D.

BEATISSIME Pater, oratione vix conſequi queam, quantum animo gaudiorum conceperim, ubi primum rumore, mox Card. *Campegii*, & eruditorum hominum literis cognovi, ex illa clariſſima *Medicium* familia *Clementem* VII. rerum gubernaculis admotum, talibus animi corporiſque dotibus præditum, quales hæc undique turbulentiſſima tempora poſtulabant: quæ ut ante me publicæ tranquillitatis amantiſſimum majorem in modum diſcruciabant, ita mihi protinus geſtire cœpit animus, neſcio quid novæ felicitatis præſagiens, adeo ut magis liberet publice gratulari orbi *Chriſtiano*, quam privatim tibi. Auxit hoc gaudium meum, quod ex amicorum literis liquido cognovi, quam tua Sanctitas amanter ſentiret de *Eraſmo*. Longum eſſet hæc ab initio repetere, nec tuæ occupationes prolixum ſermonem patiuntur. Illud auſim dejerare apud *Chriſtum* mentis noſtræ conſcium, ſi pernoſſet tua Sanctitas, quanta fide, quantaque conſtantia me geſſerim in hoc negotio, qui nec magnorum Principum ſollicitationibus, nec amicorum eruditorum illecebris, nec rurſus quorundam Theologorum ac Monachorum odiis, qui me ob invectas apud nos & evectas linguas ac bonas literas pejus oderunt quam *Lutherum*, perpelli quiverim, ut ſeditioſo negotio me adjungerem, & adverſus Sedis iſtius dignitatem conſpirarem: quantum etiam nunc odiorum ac minarum ſuſtineam hac ipſa de cauſa apud *Germanos*, judicaret me indignum, in quem iſte *Stunica* toties debaccharetur impune, furioſis ac famoſis libellis, non ſine dedecore iſtius urbis, nec ſine invidia Pontificii nominis. Nam almæ urbis *Romæ* titulum ubique jactat, quum conſtet illum hæc facere contra edicta Card. adverſus juſſa *Leonis* & *Adriani*. Crede mihi, beatiſſime Pater, qui iſtum hiſtrionem ad tales ſycophantias natum ſubornant, parum recte conſulunt, vel Pontificio nomini, vel negotio publicæ tranquillitatis, ſed privatis ipſorum odiis morem gerunt, & in hoc aliena abutuntur inſania. Decerpſit ex omnibus libris meis, quos ederam ante *Lutheri* nomen auditum, fruſtula quædam, quæ depravat & in peſſimam interpretatur partem, ſed tam impudenter, ut nullo reſpondente tamen lector paulo æquior hominis mentem exſecretur. Plura reperiam in libris *Hieronymi* & *Bernhardi*, ſi libeat ad iſtum modum calumniari. Quum illa ſcriberem, nihil minus ſuſpicabar, quam hoc ſeculum exoriturum. Quod ſi ſciſſem, multa aut ſiluiſſem, aut aliter ſcripſiſſem, non quod impia ſunt, ſed quod qui mali ſunt, nihil non rapiunt in occaſionem. Atque hac de cauſa ante annos duos in poſterioribus editionibus multa ſuſtulimus, ut talibus anſam eriperemus, libenter & cætera mutaturi, ſi quis fraterne monuiſſet. Sed hac de re copioſius ſcripſi Card. *Campegio*, ſimul ex tempore quædam reſpondens ad *Stunicæ* poſtremas calumnias. Ego ſemper me meaque omnia ſubmiſi judicio *Romanæ* Eccleſiæ, non repugnaturus, etiamſi iniquam de me ferat ſententiam. Nam omnia patiar potius, quam ut ſim ſeditioſus. Sed hoc mihi certior eſt fiducia, tuæ Sanctitatis æquitatem non paſſuram, ut paucorum inſanis odiis dedar. Mitto hujus in te animi pignus *Paraphraſim in Acta Apoſtolorum*, quæ tum forte excudebatur. Eam deſtinaram Card. *Eboracenſi*, quo ego jam pridem amantiſſimo patrono utor. Sed verſo conſilio dicabitur illi liber, qui nunc in manibus eſt, *De libero arbitrio* adverſus *Lutherum*, quod illi ſuſpicor etiam gratius futurum. Cæſar & *Margareta* revocant in *Brabantiam*. Rex *Gallus* montibus aureis invitat ad ſe. Me vero nihil avellet à *Roma*, niſi mors, aut calculus morte crudelior, ſi modo ſenſero tuam iſtam æquitatem adverſus iniquos calumniatores mihi præſidio futuram. Doctrinam non confido me omnibus approbaturum: certe fidem, ac ſinceritatem conſcientiæ, plane confido me bonis & æquis omnibus declaraturum. Precor, beatiſſ. Pater, ut Dominus *Jeſus* te velit eſſe novi & aurei ſeculi vindicem & inſtauratorem, id quod vehementer & optamus & futurum confidimus omnes, quibus hæc diſſidia merito diſplicent. *Baſilea* 13. Febr. Anno 1524.

Crede mihi, tua S. ſuperabit omnium Pontificum gloriam, ſi hos bellorum & opinionum tumultus compoſuerit: alterum efficiet, ſi ſe præbuerit æqualem Principibus omnibus; alterum, ſi ſpem fecerit ſe velle mutare quædam, quæ ſalva pietate mutari poſſunt.

## EPISTOLA DCLXXI.

*Eraſmus Rot. Jodoco Gavero, viro præter Juris profeſſionem undequaque doctiſſimo*, S. D.

JOANNIS *Nævii* communis amici nunciata mors quemadmodum mihi gravem mœrorem attulit, ita attulit & ſalubrem admonitionem. Non enim poſſum non graviter ferre tam ſingularis amici jacturam, præſertim quum ipſe multis nominibus eſſet vita longiſſima digniſſimus. Rurſum, tam ſubita mors admonet nos omnes, ne quis in eo ſtatu velit vivere, in quo nolit mori. Ex amicorum enim literis intelligo, illum cum amicis hilariter ac jucunde cœnaſſe: mox quum adſcenderet gradus illos, à me toties calcatos, (nam demigrarat in cubiculum meum) ſubito morbo correptum ad horam ferme decimam, nec ab hoc paroxyſmo vixiſſe, niſi ſex horas. Quanquam haud ſcio an iſta mors poſſit videri ſubita, cum illi tot annis res fuerit cum paralyſi. Ac mea ſententia nimium indulſit medicinæ, cujus ipſe non erat ignarus: nam quæ pars eſt liberalis eruditionis, in qua vir ille non fuerit feliciſſime verſatus? Tanta erat ingenii dexteritas. Proinde in familiaribus colloquiis ſoleo nonnunquam illud in illum jacere, Ingenium *Nævii* male habitare. Profecto dignus erat animus ille feliciori domicilio. Rurſus indigna mens erat, quæ curis humilioribus inquinaretur, ſed ſemel irretitus explicare ſeſe non poterat. Jam quæ linguæ felicitas, quam prompta, quam parata dicendi facultas, ſi de re ſeria dicendum eſſet? Qui lepos, quæ argutia, ſi jocis aut ſalibus ludere libuiſſet? Tum qui morum candor? quæ convictus ſuavitas? Quam erat amicus amico? Quam arcani crediti continens? Quam non ſordidus? Unum in eo deſiderabam, ne nullus eſſet nævus in *Nævio*. Tenacior erat ſimultatum quam ego volebam: eas non facile quidem concipiebat, ſed ſemel conceptas ægre ponebat. Hac una de re nonnunquam inter animos tam concordes erat, ut ſcis, aliqua diſcordia. Non poteram illi perſuadere, quam facile nonnunquam graves inimicitias comis appellatio ſolveret, quamque verum eſſet illud *Græcorum* proverbium, πολλὰς φιλίας ἀπροηγορία διέλυσε. Solebam illi occinere fabulam de *Joanne*

Digitized by Google

An. 1524. *ne Coleto*, viro perenni hominum memoria digno. Pessime illi conveniebat cum patruo, viro admodum sene ac præfractis moribus. Lis erat non de lana caprina, nec de asini, quod ajunt, umbra, sed de magna summa pecuniarum, ob quantam vel filius bellum indiceret patri. *Coletus* pransurus apud R. P. *Guilhelmum* Archiepiscopum *Cantuariensem*, junxit me sibi in cymba. Interea legebat ex *Enchiridio* meo remedium iracundiæ, nec tamen indicabat cur ea legeret. Accubitus ordo forte sic dabat, ut *Coletus* sederet è regione patrui, vultu subtristi, nec loquens, nec prandens. Archiepiscopi vero rara quædam est hac in re dexteritas, ut curet, ne quis parum hilaris sit in convivio, sermones ad omnium affectus attemperans. Per eum itaque injectus est sermo de collatione ætatum. Hinc orta est inter mutos confabulatio. Denique patruus senum more gloriari cœpit, quod tantus natu, tantopere polleret viribus. A prandio nescio quid seorsim agitatum est inter illos. Ubi *Coletus* mecum repetisset cymbam: Video, inquit, *Erasme*, te felicem esse. Ego admirabar, cur hominem infelicissimum diceret felicem. Ibi denarravit, quam atroci animo fuerit in patruum, adeo ut propemodum statuisset omnibus *Christiana* modestiæ repagulis refractis, & cognationis affectu contempto, manifestum bellum suscipere cum patruo. Eaque gratia cepisse meum *Enchiridium* in manus, ut iracundiæ remedium quæreret, & profuisse. Mox ex ea qualicunque confabulatione, quæ orta est in prandio, utrinque dilutam amarulentiam, sicut mox Archiepiscopo sequestro facile res omnis inter eos composita sit. Hujus generis exemplis apud illum commemorandis non admodum promovebam. Sed hunc naturæ nævum, quot eximiis virtutibus ille pensabat? Hic non pergam te consolari, *Jodoce*, virum juxta prudentem ac doctum, ob mortem amici. Sciebas enim te habere mortalem, quemadmodum ille dixit de filio, Sciebam me genuisse mortalem: & ab omni philosophia videtur alienus, qui miserius ducit mori natum, quam nasci morituram, quum utrunque pariter secundum naturam sit hominis. Verum, dictu mirum, quam vulgus exsecretur subitam mortem, adeo ut nihil frequentius, nihil vehementius apud Deum ac divos deprecentur, quam mortem subitaneam & improvisam. Subito mori piis pariter atque impiis commune est. *Herodes* repente percussus ab Angelo periit. *Heli* sacerdos, vir pius, è sella prolapsus obiit. Horrendum est male mori, non subito. Atque hic superstitiosus mortalium timor sibi vana fingit remedia, simulacrum *Christophori*, certas preculas ad Virginem matrem, voces ac notulas quasdam magicis non dissimiles. Qui tantopere formidant subitam mortem, quanto rectius facerent, si à superis precarentur bonam vitam? Quid enim stultius, quam vitæ correctionem differre in mortem. Quam vero paucos corrigit longa ægrotatio? si tamen ullos corrigit. De nemine quidem desperandum est, sed tamen sero discit *Christianismum*, qui jam quod discit, exercere non potest: sero confessionis remedium adhibet, quum jam in summis labris est anima. Da mihi, inquiunt, veram contritionem & puram confessionem ante mortem. Et hoc petunt nonnunquam à diva *Barbara* aut *Erasmo*. Obsecro, quid aliud isti petunt; quam, liceat mihi male vivere, & da tu bene mori. Nolunt odisse commissa sua nisi sub horam mortis, volunt frui peccatis suis quam diu valent. Alioqui dicerent *Christo*, non *Barbaræ*, Da mihi nunc odium peccatorum omnium, da salutiferum de commissis dolorem, da ut mihi semper amara sit recordatio superiorum malorum, da dum valeo sic confiteri semel ut posthac non sit opus confessione. Quidam illud etiam nominatim à Deo flagitant, quo genere mortis mori velint, & quot menses decumbere. Quanto *Christianius* est nihil interim aliud curare, quam ut sic instituamus vitam, ne quandocunque dies ille supremus advenerit, opprimat nos imparatos, reliqua Numinis arbitrio relinquamus? Novit Deus quid cuique maxime expediat. Una nascendi ratio est omnibus: Moriendi mira varietas. Eligat ille quodcunque voluerit. Non potest male mori qui bene vixerit. Quod si pio homini deligere fas esset mortis genus, nullam arbitror magis optandam, quam subitam, quæ velut è medio cursu bonorum operum repente subvehat in cœlum. Jam ægrotanti, ac velit nolit corpusculi malis servienti, quantum perit temporis ab officiis pietatis? Non studet, non docet, non concionatur, non visit ægrotos, non laborat manibus, unde sublevet fratris egestatem, imo potius interim aliis onerosus est, quos charitas nollet gravari. Narrant *Theodoricum Franciscani* sodalitii, qui *Lovanii* diem suum obiit, virum, ut scis, habitum & pium & integrum, quum sentiret corpusculum gravari lassitudine, unde conjiciebat morbum sequuturum, solitum inter suos dicere, Utinam Deus, ubi visum ipsi fuerit, hinc me subito tollat, ne diutino morbo gravis sim fratribus meis. Adeo vir bonus non vult cuiquam in vita molestus esse, ut ne morte quidem sua velit ullum gravari. Quod optarat contigit. Eo die, quo defunctus est, bis fuerat concionatus, peregerat rem divinam, interfuerat solenni Liturgiæ, accumbebat in prandio, sub finem prandii petiit abeundi veniam, dicens se sentire nescio quid nauseæ. Abiit solus in cellulam, creditus est quiescere. Ubi diu non prodiret, ingressi sunt fratres, & repererunt in lecto vestitum ac mortuum, sed dormienti similem. Quis eam mortem non judicaret feliciorem, quam lentam ægrotationem? Sed absunt ceremoniæ, aqua sacra, cereus sacer, signum crucis, turba acclamantium aut etiam ejulantium. Non dicam hic, quod hæc aliquoties nihil aliud quam mortis molestiam conduplicant; illud tantum respondebo, quod sic baptizatus est Eunuchus ille *Candaces* Reginæ. Nec aliter arbitror baptizatos quos baptizavit *Paulus*. Num ideo noster baptismus felicior, quia tot ceremoniis peragitur? Miserum est, inquiunt, mori solum. Atqui morienti sufficit unus Angelus, qui animulam elapsam deferat in cœlum. Adsunt nonnunquam qui solatio sint morienti, sed frequentius adsunt qui dolorem addant ac desperationem. Uxor morosa, liberi inobedientes, sodales aleæ, temulentiæ, ac scortationum, concubina, inimicus qui læsit. Nosti senatorem illum *Mechlinienſem*, sodalem & æqualem *Bogardi* medici, nam uterque vixit usque ad decrepitam ætatem. *Gronsellus* autem ille superabat etiam aliquot annis, ut ex ipsorum colloquio didici. Hujus hospitio sum usus aliquandiu *Mechliniæ*. Ibi ex filiis cognovi, quum jam decumberet (nam senio periit verius quam morbo) cognatos apud ipsum pernoctare volentes, jussit abire cubitum: *Nihil*, inquit, *opus mea causa quenquam gravari; facile vel solus morior, nimirum paratus quandocunque me vocarit Deus.* O vocem vere *Christiano* dignam! Quum agerem *Romæ*, narrabant *Saxonem* quendam cum sodalibus aliquot eo religionis gratia venisse; quumque surrexisset à pœnitentiario, apud quem exoneraverat conscientiam suam, procubuit genibus flexis ad altare quoddam, sic innitens scipioni suo complosis manibus orans. Hujus sodales quum vellent abire, mirantur quid ille tam diu moraretur in precibus. Quum ille finem non faceret, vellicant hominem admonentes esse tempus abeundi, & reperiunt mortuum, sed prorsus oranti similem. Narrant & Physici subitam ac vehementem affectus mutationem parere mortem, quod ferunt usu venisse mulieri, cui mœrenti, quod falso rumore persuasum esset filium in bello periisse, repentinam mortem attulit filius præter exspectationem salvus ingressus domum. Idem videtur huic accidisse. Præcesserat ingens dolor de commissis. Successerat ingens gaudium ex absolutionis fiducia. Hinc mors subitanea. *Mortuus est*, inquiunt, *sine lux, sine crux, sine Deus.* At quis eam mortem non optaret ut longe felicissimam? Nullum Apostolorum, aut veterum illorum, quos *Christus* unice charos habuit, legimus morbo periisse, sed omnes fuisse βιοθανάτους, quemadmodum



Digitized by Google

An. 1524. dum fuit ipse Dominus. Atque ego quidem arbitror hoc mortis genus, magni muneris loco illis donatum fuisse. Tota vita impendebatur Euangelio, mors ipsa plurimum habebat gloriæ, minimumque cruciatus. Quid enim martyris morte lætius, minusve luctuosum? Tum quam multi morbi sunt, qui vincunt virgas, ungulas, secures & cruces? Quot annis multos discruciat podagra? Quot excoriatio renum ac vesicæ? Quot calculus, meus carnifex? Quæ crux conferenda est cum pleuritidis cruciatu? Leges quum maxime sæviunt, dissecant vivum in quatuor partes, priusquam attingant vitalia. At ego crediderim minus sensurum cruciatus, si cui membratim corpus dissecetur, quam qui sentit calculum sub imis costis, ac circa venarum, quas meseraicas appellant medici, anguſtias sævientem. Quanquam medici veteres inter extremos cruciatus, qui subitam mortem adferunt, primas tribuunt calculo vesicæ. Qui fortassis hoc est acerbior, quod fere sit immedicabilis, nisi velis remedium morte crudelius, atque ipsam plerunque mortem. Certe huic proximum malum est renum calculus, quum sævit acerbius. Me vero tam subinde repetit, tamque capitaliter adoritur, ut si quis odit *Erasmum*, merito jam inimicus esse desinere debeat, nimirum odio tot malis saturato. Porro cruciatum tam immitem secum adfert calculus, ut quamvis validum ac robustum corpus intra triduum nonnunquam interimat; & si se remittat dolor, in hoc remittit, ut mox atrocius sæviat. Quid hoc est aliud quam frequenter regustare mortem? Quis autem cuperet revivisscere, paulo post iterum moriturus: proinde graves auctores non sine causa repentinam mortem summam vitæ felicitatem dixerunt. Hujus exempla multa commemorat *Plinius lib. 7. cap. 53.* Sed multo plura quotidianæ vitæ casus suppeditant. Quanquam inter hos feliciores videntur, qui vehementi gaudio subito efflarunt animam. Sed longe felicissimi, qui post multos annos feliciter actos, in re jucunda pariter atque honesta subito defecerunt. Quemadmodum accepimus quibusdam rem divinam facientibus aut concionantibus, aut cœlestium rerum contemplationi intentis repentinam mortem accidisse. Sunt qui felicius existimant bene vivere quam diu: Sunt rursus qui longævitatem in maximis bonis numerant. Ego me inter felices numerare non possum. Vix enim arbitror quenquam vivere, qui minus debeat fortunæ. Tametsi bonam malorum partem, ut ingenue loquar, meæ ipsius incogitantiæ debeo. De longævitate queri non possum, jam enim non procul absum ab anno LX. quantum ætatis si quis astrologus aut chiromantis mihi juveni promisisset, nunquam fueram crediturus. Ac tum etiam mihi videor vivacior, quoties me confero cum his qui paucioribus vixerunt annis. Ante diem morior, si me conferam cum divo *Hieronymo*, si cum *Varrone*, qui LXXX. agens annum, scripsit libros *De re rustica*, & ita scripsit, ut ex his videatur adhuc alacri animo fuisse, & sensisse studiorum dulcedinem. Cum his potius me confero, qui cum tanto me præcesserint eruditione, tanto paucioribus annis vixerunt. Non jam loquar *Lucanos* & *Persios*. *Virgilius* anno LI. periit. *Ovidius* non multo major. *Cicero* anno LXIV. Et hæc ingenia inter homines numero. Magis nos movent exempla viciniora. *Laurentium Vallam* pono inter eos, qui sempiternam posteritatis memoriam promeruerunt: videtur ante senectutem obisse diem. *Hermolaus* ad justam senectutem pervenit, sed multo ante decrepitam excessit ætatem. *Picus Mirandulanus*, *Angelus Politianus*, quæ sui seculi decora, vigenti adhuc ætate perierunt. Si Veterum monumenta revolvas, comperies multos in literis celebres viros, ad multam ætatem vixisse, hac nostra memoria perpaucos reperias, sive hoc imputandum mundo vergenti ad senium, sive quod nunc eruditio majore dispendio comparatur. Veniam ad illos, quos mihi ante annos non ita multos videre contigit. Quum primum adirem *Italiam*, jam perierat *Philippus Beroaldus Bononiensis:* cujus memoria tum mire celebris erat & gratiosa, & tamen ille decessit me, An. ut nunc sum, natu minor. Hujus cognatum, eodem 1524. nomine & cognomine referentem illum, vidi *Romæ*: juvenem moribus candidissimis, stylo & eruditione non inferiorem illo majore, judicio multorum, ut & mihi visum est, etiam superiorem. Hunc juvenem fata è terris eripuerunt. *Bononiæ* primum videre contigit *Scipionem Carteromachum*, reconditæ & absolutæ eruditionis hominem, sed usque adeo alienum ab ostentatione, ut ni provocasses, jurasses esse literarum ignarum. Cum eo post *Romæ* fuit mihi propior familiaritas. Et decessit haud multo major annis quadraginta duobus. *Patavii* neminem vidi celebrem, mortuos tantum commemoro, præter *Raphaelem Regium*, hominem admodum natu grandem, sed cruda viro viridisque senectus. Erat tum, ut opinor, non minor annis LXX. & tamen nulla fuit hyems tam aspera, quin ille mane hora septima adiret *M. Musurum*, *Græce* profitentem, qui toto anno vix quatuor intermittebat dies, quin publice profiteretur: juvenes hyemis rigorem ferre non poterant, illum senem, nec pudor, nec hyems abigebat ab auditorio. *Musurus* autem ante senectutem periit, posteaquam ex benignitate *Leonis* cœperat esse Archiepiscopus; vir natione *Græcus*, nimirum *Cretensis*, sed *Latinæ* linguæ usque ad miraculum doctus, quod vix ulli *Græco* contigit præter *Theodorum Gazam*, & *Joannem Lascarem*, qui adhuc in vivis est. Deinde totius Philosophiæ non tantum studiosissimus, vir summis rebus natus, si licuisset superesse. Quodam die quum domi ipsius cœnaturus essem, & adesset pater seniculus, qui nihil nisi *Græce* sciebat, jamque in *chernibe*, ut fit, alius alii deferret, ego, ut finirem moram inutilem, arrepta patris manu, dixi *Græce*, ἡμεῖς δύο γέροντες, mire exhilaratus senex, lavit mecum. Quanquam id temporis haud multo major eram *Musuro*. *Musurus* autem amplexus *Zachariam* juvenem eximie doctum, ἢ ἡμεῖς, inquit, δύο νέοι. *Venetiæ* vidi *Paulum Canalem Patricium*, juvenem summis rebus natum, nisi mors illud ingenium terris invidisset. Is phthisi periit me illic agente. *Aldus*, hospes meus, multis post annis periit, haud multo minor annis septuaginta, sed tamen animo ad literas mire juvenili. *Petrum Cottam* uno prandio vidi, & audivi tantum, ætate florenti, pari modestia atque eruditione virum. *Romæ* vidi *Petrum Marsum* longævum potius quam celebrem. Non multum aberat ab annis 80. & florebat animus in corpore non infelici. Mihi visus est vir probus & integer, neque potui non mirari industriam. In tanta ætate scribebat commentarios in librum *De senectute*, aliosque nonnullos *Ciceronis* libellos. Licebat in eo perspicere vestigia veteris seculi. Ibidem cognovi & amavi *Petrum Phædrum*, lingua verius quam calamo celebrem: mira erat in dicendo tum copia, tum auctoritas. Magna felicitatis pars est *Romæ* innotuisse, ille primum innotuit ex *Seneca Tragœdia*, cui titulus *Hippolytus*, in qua repræsentavit personam *Phædræ*, in area, quæ est ante Palatium Cardinalis *Raphaelis Georgiani*. Sic ex ipso Cardinale didici, unde & *Phædro* cognomen additum. Is obiit minor annis, ni fallor, quinquaginta, dictus sui seculi *Cicero*. *Hieronymum Donatum* tantum videre contigit per occasionem. Nec post data est congrediendi facultas: senex erat, sed florentissimo corpore, vir ob raram ingenii dexteritatem, non solum ad literas, verum etiam ad omnem publicorum munerum functionem appositus. Procul abest ab *Italia Britannia*, sed eruditorum hominum æstimatione proxima est. Quam multos hic ex vetere sodalitio desidero. Primum *Andream Ammonium Lucensem*, Deum immortalem quanta ingenii dexteritate, quam fideli memoria præditum! Tum animus quam erat excelsus, quam alienus à livore, quam alienus à sordibus. Hunc, & suis dotibus & omni Principum applausu florentem, maximis rebus destinatum subita mors intercepit, natu minorem annis quadraginta. Cujus equidem decessum non

pos-

Digitized by Google

An. 1524. posſum non dolere, quoties in mentem venit, quam mihi fuerit jucunda ejus familiaritas. Erat hujus sodalitatis & *Joannes Sixtinus Friſius*, qui non multo poſt obiit, ſed illo major, cæterum corpore, quod, niſi ſi qua morbi vis incidiſſet, in *Neſtoris* ætatem durare potuiſſet; ingenium erat ad omnia verſatile, memoria prompta, tenaxque. Præter Juris utriuſque ſcientiam, quam habebat loco viatici, in nulla diſciplina non feliciter verſatus. Succeſſit his *Joannes Coletus*, qui deceſſit anno ferme quinquageſimo tertio. Hujus eximias dotes quid oportet recenſere, quum eum in literis meis ſatis depinxerim, idque ex vero: nam hominem multis annis domeſtice novi. Haud multo poſt periit *Guilielmus Grocinus*, præter Theologiæ profeſſionem, in omni genere diſciplinarum uſque ad moroſitatem exacte verſatus. Is tamen ut ad multam vixit ætatem, ita nihil ſcriptum reliquit. Attactus paralyſi plus minus annum ipſe ſibi ſuperſtes fuit. Ex *Germanis* amicis nullum deſidero præter *Joan. Capnionem*, qui florenti quidem ſenectute, ſed tamen juſta, defunctus eſt. Poterat adhuc diu ſuccurrere publicis ſtudiis, niſi ſic viſum eſſet ſuperis condere quædam animantia, quæ nihil aliud quam lædant; Bos arat, equus geſtat, ovis paſcit. Quid faciunt crabrones, cynomyæ, viperæ & cantharides? His acceſſit publica bellorum tempeſtas. Utinam liceret *Huttenum* in hoc catalogo ponere. Nunc circuitu facto redeo *Lovanium*. Illic triduum fruitus ſum conſuetudine *Chriſtophori Longolii Brabanti*: nam *Mechliniæ* natum ajunt. Is nuper periit *Patavii*, natus annos plus minus triginta. Juvenis ad literas natus, & in his mature feliciterque inſtitutus, inter nobiles futurus, ſi licuiſſet vivere. Poſtremus omnium nos reliquit *Nævius*. Sic ſolent milites nobilium ducum commemorare fata, & ex illorum exemplis ſibi proponere quid poſſit accidere. Nos itaque reſtamus. Quid dixi, reſtamus? Ego, nam de me loquor, ultra colum, quod ajunt, vivo. Felix ſi cum eorum quæ expertus ſum memoria liceret repubeſcere. Verum, hoc ut votum eſt ἀνεμώλιον, nam *Homerico* verbo libenter utimur, ita nihil me torquet. Volens ſequor, quo vocat communis naturæ curſus. De vitæ ſpatio nihil queror, ultra ſpem contigit; quanquam poteram annos aliquot in amicorum favoribus, quos induſtria mearum lucubrationum mihi per univerſum orbem non paucos paravi, conquieſcere, niſi veluti mus, quod *Græco* proverbio dicitur, in picem, in hoc tragicum ſeculum incidiſſem. Quo minus obtigit hic felicitatis, hoc confido melius mihi futurum in altero ſeculo. Et tamen mihi fui infelix potius quam aliis. Sunt qui ſibi nati, ſibi vivunt, omnibus incommodi, ſibi ſolis felices, neque cuiquam benefaciunt niſi quum moriuntur. Ne tum quidem deeſt animus incommodandi. Onerant poſteros parentalibus, precibus, ſacris, veſtibus, ceremoniis, nolarum ſtrepitu, ut vel mortui negotium faceſſant vivis. Ego malim *Herculanis* immori laboribus. De mortis genere, quo non aliud cruciabilius, ſic me conſolor, quod nihil habet omnino contagii, cum leviora etiam corporis vitia, quod genus ſunt lippitudo, aut linguæ balbuties, afficiant convictorem: cui cum calculo res eſt, ſolus dolet, ſolus periclitatur. Nullus autem eſt cruciatus tantus, quem humana natura non ferat, ſi aſſueverit, præſertim ſi adſit fortis animus. Nec muliebriter dictum eſt apud *Euripidem* ab *Electra**:

Οὐκ ἔστιν ὅδ' ἔστιν δεινὸν, ὦ δύ' εἰπεῖν ἔπος,
Οὐδὲ πάθος, ὅδε ξυμφορᾷ θελατος,
Ἥς οὐκ ἂν ἄραιτ' ἄχθος ἀνθρώπου φύσις.

Porro, quod ad animum attinet, non ſolum ſic cogito, mitius reddi malum, ſi quis ferat æquo animo quod vitari non poteſt: verum etiam hoc Euangelicæ debeo Philoſophiæ, quod corpuſculum hoc totum ſemel dedidi *Chriſto*, non aliter quam ægrotus ac de vita periclitans ſe credit medico ungenti, proluenti, ſecanti, urenti, perſuaſus quod quibuſcunque modis ille tractaverit hoc animæ domicilium, ſalutis meæ cauſa facturus ſit. Nihil illi præſcribo, tantum ſervet, ac faciat quod velit. Scio illum nihil velle, niſi quod nobis eſt optimum. Cæterum ab his remoris, quæ non patiuntur alios æquo animo ſuperſtitibus dicere, *Valete & plaudite*, jam propemodum ſum liber. Et juvenis cibum ac potum ſemper ita ſumpſi, ut pharmacum. Ac ſæpenumero doluit, non licere ſine cibo potuque perpetuo degere. *Veneri* nunquam ſervitum eſt, ne vacavit quidem in tantis ſtudiorum laboribus. Et ſi quid fuit hujus mali, jam olim ab eo tyranno me vindicavit ætas, quæ mihi hoc nomine gratiſſima eſt. Ab ambitione ſemper abhorrui, cujus rei nunc me ſuppœnitet. Tantum honoris accipiendum erat, quantum ſat erat ad vindicandum à contemptu. Sed nec tum poteram imaginari, tales eſſe belluas ſub humana ſpecie, quales experior: & nunc ambire ſerum eſt, quod obire non poſſim. Senectus ſolet ad rem attentos reddere. Hujus morbi ne tantulum quidem adhuc attigit animum meum. Atque utinam ſic liceat moderari ſumptus, ut morienti nec proprium æs nec alienum ſuperſit, præterquam quod huic ubicunque reponendo corpuſculo ſit ſatis. Porro famæ ſarcinam utinam liceat & antequam corpus deponere. Tantum abeſt ut me gloriæ pœniteat, ſi quid tamen omnino eſt gloria. Nulli ſunt affectus privati, puta liberorum aut parentum, qui me remorentur in vita. Omnes amo ex æquo, qui *Chriſtum* diligunt. Nonnihil mihi luctandum fuit cum animo meo, ut erga eos, qui ſcientes volentes, deſtinata malitia, nihil commerito, imo bene merito oblatrant, obtrectant, atque etiam exitium moliuntur, ſumeret affectum pure *Chriſtianum*. Impetravimus & hoc, ut non ſolum non cogitemus de vindicta, ſed ne male quidem precemur. Videmus hanc lenitatem etiam in militibus, quum certa mors urget, quanto magis hunc affectum nobis præſtare debet Euangelica Philoſophia? Nunc aliquantulum in hoc luctor, ut certam fiduciam animo concipiam de ſalute. Atque hac de re frequenter ipſe mecum confabulor, nonnunquam & cum eruditis amicis communico. Nec adhuc fit ſatis, nec à *Lutheranis*, nec ab-*Antilutheranis*. Itaque mihi nihil videtur conſultius, quam hanc ſecuritatem modis omnibus ambire precibus ac benefactis à *Chriſto*, uſque ad ſupremum vitæ diem, ac tum hujus quoque rei judicium illi permittere: ſic tamen, ut quam eſt minimum ſpei ex noſtris meritis, tam ſit plurimum fiduciæ ex illius immenſa erga nos charitate, eque promiſſis adeo benignis. In hac philoſophia nunc verſor, eruditiſſime *Gavere*, ad quam te quoque hortarer, niſi ſcirem te virum juxta pium ac doctum, jam olim hæc omnia fuiſſe meditatum. Incuſas incommodam valetudinem, nec injuria quereris. Erat iſtud ingenium omnino dignum meliore domicilio, ſed vide ne multum adjiciat mali, morbi imaginatio. Deinde medicis uti laudo, indulgere non laudo. Salutabis diligenter veteres congerrones noſtros, *Joannem Paludanum*, *Theodoricum Aluſtenſem*, *Joannem Armentherienſem*, & *Petrum Curtium*, qui in *Nævii* vices ſucceſſerunt. Cumque his totum ſodalitium trilingue. *Baſilea* 1. Martii, Anno à *Chriſto* nato 1524.

* In *Oreſte* verſ. 1.

## EPISTOLA DCLXXII.

*Eraſmus Rot. Udalrico Hutteno* S. D.

HENRICVS *Epphendorpius* noſtri non inſtudioſus, certe tui amantiſſimus, ſubindicavit mihi te non ſatis amico in me animo eſſe, adeo ut neſcio quid mordacioris ſcripti mediteris. Quod ego ſane eo magis ſum admiratus, quod de meo in te animo, quem hactenus in te geſſi, ut ſi in quenquam alium amantiſſimum, nihil adhuc immutarim, etiamſi priſtinam familiaritatem nobis invidit ad tempus fortuna: nec dedignatus ſum te alloquio quum hic adeſſes, ſed humaniſſimis verbis per *Epphendorpium* rogavi ut abſtineres, ſi tantum eſſet ſalutatio, propter invidiam, qua



Digitized by Google

An. 1524. gravatus sum jamdiu usque ad capitis periculum. Quod autem consilium est lucrifacere invidiam, quum nihil prosis amico? Ego te, mi *Huttene*, in tali statu si fuissem *Huttenus*, ultro rogassem *Erasmum*, ne sibi frustra accerseret odium. Et tamen admonui *Epphendorpium*, si posses abesse ab hypocaustis, quæ ego nullo pacto ferre possum, mihi non ingratum fore tuum colloquium. Fortasse non sunt mea in te officia, quæ commemorem, & si qua essent, ineptum sit ea à me commemorari. Hoc possum vere prædicare, me veteris benevolentiæ semper fuisse tenacissimum. Nec unquam *Huttenum* à me vel dicto vel facto fuisse læsum. Ego sum hujus animi, ut tantam amicitiam, quantam inter nos conciliarunt bonæ literæ, vix etiam parricidium dirimere debeat. Sunt fortasse qui te instigent in me, hoc agentes ut tuo stylo abutantur ad animi sui saturandum odium. Quod si feceris, illud scito, primum facies in immerentem, non enim dicam bene meritum, certe in tibi bene volentem: deinde rem facies *Jacobo Hochstrato*, *Nicolao Egmondano*, aliisque compluribus, quos tu pro summis hostibus ducis, longe gratissimam; cæterum summopere molestam bonarum literarum cultoribus, quorum te profiteris propugnatorem. Quomodo repubescent illa portenta, si senserint *Huttenum*, illam sic adamatam *Erasmo* ingenii venam, illum toties prædicatum *Erasmo* stylum, in *Erasmum* stringere? Quare fuerit hoc tuæ prudentiæ, priusquam tollantur signa, priusquam rauco crepent cornua cantu, priusquam tuba terribilem bello sonitum *taratantara* dicat, veluti missis patre patrato ac feciale, secretis literis ad me libere & amice perscribere, quid de me tibi delatum sit, aut quid omnino sit quod exulceret animum tuum. Nam ipse, ita me Deus bene amet, non possum divinare. Non dubito quin tibi per omnia sim satisfacturus, nisi prorsus alius esse cœpisti quam olim fueris. Utinam, mi *Huttene*, non haberes alios hostes quam *Erasmum*. Utinam haberes quicquid hic inimicus tibi optat, puta hoc tibi de tripode dictum. Jam si te ab instituto revocare non potest, nec veteris amicitiæ religio, nec studiorum communium ratio, nec hostium voluptas, cogita hoc non mediocriter ad tuam quoque existimationem pertinere. Quis enim non desideraturus est humanitatem & genere & literis dignam in *Hutteno*, si nulla lacessitus injuria ferrum lethali veneno tinctum stringat in amicum? Nec fortasse defuturi sunt, qui perpendentes quo in statu res tuæ sunt in præsentia, suspicentur istis artibus prædam undecunque peti, & periculum est ne apud multos hæreat conjectura, nimirum in profugum, obæratum, & ad extremam rerum omnium inopiam redactum. Non es ignarus, quæ fabulæ vulgo de te ferantur, neque nescis quamobrem tibi succenseat, quidque tibi minitetur Comes *Palatinus*, qui de famulo tuo sumpsit capitis supplicium. Proinde nolim interpreteris hanc meam admonitionem vel à metu, vel à mala conscientia proficisci potius quam ab amore tui, meque nunc meum negotium agere magis quam tuum. Ut odiosissime scribas, primum nec horum malorum insolentem impetes, nec omnino mutum. Deinde ut obticescam, tamen gravius læseris tuam ipsius existimationem quam meam. Quare etiam atque etiam vide, mi *Huttene*, ut hic tuam prudentiam in consilium adhibeas, potius quam obsequare leviss imorum hominum cupiditati. Bene vale. *Basilea* in die Parasceves, sive 25. Martii, Anno 1524.

## EPISTOLA DCLXXIII.

*Erasmus Rot. ad N. De la Rosche* S. D.

Ex amicorum literis ac prædicatione cognovi, vir ornatissime, sed præcipue *Michaelis Gillis* & *Guidonis Morilloni*, quam candide de nostris studiis sentias. Id quidem mihi novum non est, quandoquidem ante multos jam annos, quum apud clarissimum parentem tuum Cancellarium tum agerem nescio quid, quo tempore tu novus eras maritus, sensi favorem erga me tuum propensum ac benignum. Sane in omnibus mundi regionibus meæ lucubrationes mihi tam multos, tam insignes amicos pepererunt, ut si præterea nihil accederet, tamen hoc nomine mihi potuissem abunde felix videri, ni mea senectus in hoc seculum non uno modo turbulentum incidisset. Quantus sim osor belli, quam pacis amans, declarant quum omnes libri mei, tum pacis undique profligatæ querimonia, quæ jam, ut audio, *Hispanice* loqui didicit: itaque propemodum vitæ tædet, quum video duos florentissimos orbis Monarchas tot jam annis inter se feralibus bellis conflictari, sic ut nulla mundi pars immunis sit à malorum consortio. Accessit alterum dissidium pene immedicabilius, novi ac veteris Euangelii, quod malum in dies gliscit ac latius serpit, frustra obnitentibus tot Monarchis, tot Ecclesiæ proceribus, tot scholis, tot viris eruditis. Omnino fatale quiddam est, à quocunque Deo proficiscitur hoc quod videmus. Ego quum in utraque parte viderem quod mihi displiceret, & neutra pars sese accommodaret ad concordiam, decreveram conquiescere, & ab utrisque castris abstinere, interea, quod unum poteram, *Christum* Opt. Max. obsecrans, ut eam tempestatem aliquando nobis verteret in tranquillitatem. Nec tamen omnino cessatum est à studiis, sed in his potissimum argumentis versatus sum, quæ neutram partem magnopere offenderent. Etenim præter alia multa, absolvi *Paraphrases* omnes in Novum Testamentum, excepta *Apocalypsi*, quæ nullo modo recipit Paraphrasten, vix etiam interpretem, ut jam illam hoc labore dignam ducerem: & satis successit hoc consilium aliquamdiu. Nunc dum utrique parti pro mea virili consulere laboro, factum est ut utrinque lapidari cœperim. *Egmondanus* cum suo sodalitio fortiter me clamavit hæreticum & *Lutheranum*, nec ulla syllaba docere potuit, quod clamabat, nisi quia non scriberem in *Lutherum*. *Roma Lernæum* malum *Stunica*, nec à *Leone*, nec ab *Adriano*, nec à Cardinalium collegio compesci potuit, quin aliquot virulentos libellos subinde furtim emoveret: cui nuper etiam *Clemens* Septimus, dira molienti, ægre quietem indixit. In *Germania* jam pridem gestiebant me stylo confodere, qui se jactant Euangelicos, quum nihil sint minus, nulla injuria irritati, nisi quod libris editis testatus fuissem, id quod res erat, me alienum esse à factione *Lutherana*. Id eo feci, quod quidam meo nomine abuterentur apud ignaros, quum non ignorarent rem secus habere. Sed continuit illos reverentia quædam hominis, quod ipsi, quantumvis iniqui, non negant, de studiis publicis tantopere meriti. Tandem *Huttenus* huc appulit, qui instigatus ab insanis aliquot strinxit in me mucronem calami sui, congerens quicquid criminum poterat in quemquam confingi: huic respondimus *Spongia*, ille periit. Post hunc exortus est alius illo tum indoctior, tum rabiosior, cui nondum respondimus; & consultius arbitror negligere, quandoquidem audio non paucos alios accinctos ad hujusmodi vipereos libellos in me jaciendos. Ab hoc genus intemperiis nec Cæsar nec Pontifex potest me tueri. Nec enim isti deos verentur, nec homines. Tales propugnatores quosdam habet hoc novum Euangelium, tam stultos & insanos, ut ipse *Lutherus* & *Melanchthon* cogantur in eos scribere. Quanquam isti nec suos *Episcopos* reverentur, & nostros mirum quam adspernentur. Hic nullus est tam vilis aut sordidus, quin audeat licenter convitia jacere in optimum quemque; neque pudet quicquam, neque metuunt quenquam. Jam tempus erat, ut studiis meis fruerer, & in has turbas incidit mea senectus, quæ quum præter solita senum incommoda crudelissime vexetur calculo, tamen hæc sit minima malorum portio. Nec interim licet fugere. In *Brabantia* scis quot annis digladiatus sim cum Theologis, qui pejus oderunt bonas literas quam *Lutherum*. Nec ignoras quibus furiis datus sit gladius. *Romæ* solus *Stunica* scri-

Digitized by Google

An. 1524. scribit, sed in uno *Stunica* multa sunt portenta. In *Anglia* summos & certissimos habeo amicos, sed illic nescio quo pacto non libet vivere. Ad *Gallos* ingentibus promissis invitor, sed obstat bellum. Calumniaretur aliquis me ad Cæsaris hostem desciviſſe, quanquam mihi nihil rei cum bello, neque fuit, neque erit unquam. Cæsaris ero ubicunque vixero. Itaque spe pacis hæsimus hic aliquamdiu, cujus adhuc nullam auram affulgere doleo. Audio Cardinalem *Columnensem* istic adesse Legatum, cujus dexteritas, nam hominem novi *Bruxellæ*, utinam saltem inducias inter Monarchas impetret. Difficile est simul & cum *Turcis* imminentibus, & cum *Gallis*, & cum *Lutherano* populo, qui in dies se latius spargit, bellum gerere. Adest hic Cardinalis *Campegius* cum delegatione componendi *Lutherani* negotii, vir in primis eruditus & humanus, sed, ut ego res *Germanicas* video, vereor ne nihil agat. Etenim si res agatur sævitia, periculum est, ne civitates sese muniant confœderatione. Si tentent dissidium moderatis conditionibus finire, nullam ego spem video, futurum ut aut hæc pars, aut illa sit vel tantillum de suo jure remissura. Libris nihil agitur apud illos: nam adversus *Lutherum* scriptos nec audet quisquam excudere, nec alibi excusos legit quisquam. Utinam ita visum sit Principibus, publica auctoritate citraque tumultum corrigere, quæ merito corrigi deberent. Sed dum suo quisque commodo privatim servit, negligitur utilitas publica. In hoc seculum mea senectus, veluti mus, quod ajunt, in picem, incidit. Interim antiquantur bonæ disciplinæ, negliguntur bonæ literæ. Me certe satietas habet omnium studiorum, postquam video tantam hominum ingratitudinem, ut qui ex meis libris didicerunt sermonis copiam, certatim in me stringant calamum. Hæc visum est in amici sinum effundere. Nihil habeo quo me consoler, præter bonam erga *Christum* conscientiam, cujus gloriæ toto faveo pectore. Bene vale. *Basil.* pridie Paschatis, hoc est, 26. Martii, An. 1524.

## EPISTOLA DCLXXIV.

*Erasmus Roterodamus Magistratui Argentinensi* S. D.

MAGNIFICI ac splendidissimi Domini, & amo & veneror pietatem vestram, quod favetis Euangelio, pro quo provehendo ego jam tot annis tantum exhaurio laborum, tantumque sustineo invidiæ, ab his qui magis student suis commodis quam gloriæ *Christi*. Quanquam alius alia via studet hoc efficere. Sed huic sanctissimo negotio sese admiscent quidam, qui subvertunt hoc quod agunt alii. Est apud vos quidam *Scottus* typographus, qui, præter alia, nuper evulgavit libellum *Hutteni* in me tam insulsum, ut summopere displicuerit etiam ipsi *Luthero* & *Melanchthoni*. Nec hoc satis fuit; rursum clam excudit eundem libellum, cum invectiva cujusdam parum sobrii, sed talem ut & bonis literis, & Euangelico negotio, plurimum sit offecturus. Ego quod ad me pertinet, manum non verterim, & scio hanc rem vobis visum iri minorem vestra cognitione: sed tamen istud etiam atque etiam videndum est, ne hæc licentia dissimulata, tandem erumpat eo, ut perniciem adferat Reipublicæ vestræ. Certe Euangelico negotio non parum obfuerit, si videant homines per occasionem Euangelii, Reipublicæ disciplinam fieri deteriorem. Si cupitis cognoscere qualis sit ille libellus, accersite *Hedionem* aut *Capitonem*. Non invideo *Scotto* suum quæstum. Et scio eum, qui scripsit, alieno instinctu scripsisse. Quod si vestra prudentia judicabit hoc dissimulandum, æquissimo animo feram. Attamen pro meo erga bonas literas & erga rem Euangelicam affectu sinceriſſimo, visum est hoc admonere, quod fortasse nonnihil etiam ad vestræ civitatis commodum attinet. Dominus *Jesus* Rempublicam vestram bene fortunet, vosque omnes servet incolumes, generosissimi ac splendidissimi viri, quorum amplitudini jam olim multis nominibus sum devinctissimus. *Basileæ*, Dominica Passionis, id est, 27. Martii, Anno 1524.

## EPISTOLA DCLXXV.

*Erasmus Roterodamus Joanni Carondileto, Archiepiscopo Panormitano*, S. D.

VT eadem opera & ad tuas & ad Illustrissimæ Dominæ *Margaretæ* literas paucis respondeam, non sunt fumi, quos ostendunt *Galli*, sed jam olim *Poncherius* Episcopus *Parisiensis*, quum Legatum ageret *Bruxellæ* apud *Carolum* Regem nondum Cæsarem, præter Regis benignitatem suo nomine offerebat supra impensas omnes quadringentos coronatos aureos, pollicitus interim ocium meum & libertatem mihi incolumem fore. Jam hæc absentia non debet vocari absentia, in qua tantum voluminum edidi, quod istic manens perficere non potuissem. Et tamen discedenti thesaurarii promiserant pensionem fore in tuto. Porro quod addit tua sublimitas, ne videar ad hostem defeciſſe, risi, ut verum fatear, quasi *Erasmo* sit quicquam negotii cum bello. Immo hoc pro viribus ago, ut conveniat inter Monarchas. Causam cur me toties vocarit Rex *Galliæ* per nuncium aperuit: Decrevit *Lutetiæ* Collegium instituere trilingue, quale est *Lovanii*. Ei rei volebat me esse præfectum. Excusavi tamen, memor videlicet quantum invidiæ, quantumque tumultuum sustinuerim istic à Theologis nonnullis ob Collegium *Busleidianum*. Et tamen famulus meus, è *Gallia* reversus, certis argumentis docuit illic thesaurariam esse paratam mille librarum. Ego fiscum Principis mei nondum admodum gravavi: nam ex eo pensio non nisi semel soluta est. Altera quæsita est arte, nullo fisci dispendio. Hic magno vivo, præsertim ob crebras ægrotationes, quanquam & alioqui parum frugi pecuniarum dispensator. Jamque non parum æris alieni contraxi, ut si per valetudinem abire liceret, per creditores fortasse non liceat. Quare, si fieri potest, velim, ut huic famulo numeretur saltem unius anni pensio, ad sublevandam inopiam meam. Mitto Cæsaris literas, quæ idem hoc cupiunt. Quanquam ego & cum pensione, & sine pensione, Cæsaris ero, neque vobis de re tantilla futurus sum frequenter molestus. Hoc anno crebro quidem, sed præcipue mensibus Julio & Decembre, sic me tractavit meus carnifex calculus, ut mors fuerit in votis, vita in desperatione: nulla enim mors potest esse calculo crudelior. Et tamen hæ tragœdiæ *Lutheranæ* sunt mihi ipso etiam calculo molestiores. Audebo apud hominem amicum & illud effundere, nonnihil dissuasit mihi reditum præsens temporum status. Scis quanta mihi fuerit digladiatio cum Theologis quibusdam ob bonas literas ante *Lutheri* exortum. Et jam gladius datus est duobus acerrimis bonarum literarum osoribus, *Hulsto* & *Egmondano*. *Egmondanus* qualis sit norunt omnes, & quam hostili sit in me animo multis modis declaravit, hodieque declarat. Scripsi multos libros ante cognitum *Lutheri* nomen. Et tamen in his nihil adhuc inventum est, quod cum *Lutheranis* consentiat. Tametsi facile est inimico decerpere, quod calumnietur: & res agitur isthic prorsus ordine Theologico. Homo, cui male volunt, rapitur in carcerem, ibi inter paucos transigitur negotium, & innoxius debet indigna pati, ne quid illis decedat auctoritatis. Ubi tota aberratum est via, clamant, Favendum est negotio fidei. Hæc res tametsi non tantum valuit apud me, ut deterreret à reditu, tamen, ut ingenue dicam, fecit minus alacrem ad repetendam *Brabantiam*, maxime cum absente Cæsare non multum præsidii sit in aula. Cardinalis *Campegius* adest *Norembergæ*, destinatus componendo *Lutherano* dissidio. Me jam ternis literis amantissime evocavit usurus opera mea: quanquam quid ea profectura sit nescio, nisi quod video senectutem meam, cui debebatur ocium, objici furiis, & dum omnibus benefacere studeo, utrinque discerpi. Si potero me excusare Card. posteaquam refrixerint hypocausta *Germanica*, advolabo, & si licebit hic dissolvere æs alienum, quo præter morem meum



Digitized by Google

An. 1524. sum involutus. Amplitudinem tuam *Christus* Optimus Maximus diu servet incolumem. *Basilea* die *Mercurii* post Pascha, id est, 30. Martii, An. 1524.

## EPISTOLA DCLXXVI.

*Honorabili Domino Joanni Canio, sive de Hondt, Canonico Curtracensi*, S. P.

QVVM alteræ vestræ jam obsignatæ mansissent aliquæ apud me, venerunt literæ è *Flandria* scriptæ à *Michaele* quodam *Bentino*, quæ nunciabant, te inimicissimo esse in me animo, ac juvenem quendam, qui nescio quem meorum libellorum haberet, acriter objurgasse, quod hæretica legeret, addens, meos libros esse pestilentiores *Lutheranis*, teque sperare brevi futurum, ut ego cum meis libris comburerer. Non dubito quin hæc sint conficta, nisi tu aut plane versus es in alium hominem, aut prorsus ignores quantum malorum hic sustineam à *Lutheranis*. Ego puto, mortem esse leviorem his quæ patior. Et si novissem statum hujus conjurationis, maluissem ad *Turcas* demigrare, quam huc. Aliter judicavit *Adrianus* Pontifex de libris meis, qui Theologis frustra de me blaterantibus imposuit silentium. Aliter Cardinales, qui *Stunica* talia de me scribenti indixere silentium; quod nuper iterum fecit *Clemens* VII. Aliter Cardinalis *Campegius*, qui nullius operam magis implorat adversus *Lutherum*, quam meam. Aliter ipsi *Lutherani*, qui in neminem magis fremunt quam in *Erasmum*. Hoc te scire volui, ne quid erres in nobis. Bene vale. *Basilea* post Pascha, Anno 1524.

## EPISTOLA DCLXXVII.

*Erasmus Bilibaldo suo* S. P.

DOLEO tibi rem esse cum podagra. Si *Luciano* credimus, solent hoc tempore hujus Deæ mystæ redire ad suas cantiones. Hoc magis irascor morbo tuo, quod nos privat dulcissimis tuis literis. Nos aliquot dies exspatiabimur in *Burgundiam*, absterssuri situm, quem diutino otio latebrisque contraximus. Exspectamus, quid isthic agatur, si quid tamen agitur. Qui has reddet, prædicat sibi nescio quid affinitatis tecum intercedere. Alioqui non eram scripturus. Bene vale, vir optime. *Basilea* 14. Aprilis, Anno 1524.

## EPISTOLA DCLXXVIII.

*Erasmus Rot. Abbati cuidam* S. D.

NISI mihi prædicata esset tua singularis humanitas, reverende Pater, veriturus eram ne me protinus clamares impudentem, qui ignotus ad ignotum, tantillus ad tantum scriberem, idque de re quæ minimum ad me pertinet; sed pietas facile dabit veniam huic audaciæ, quam docuit Christiana charitas. *Ambrosius Syragius*, Parochus Ecclesiæ *Rihen.* periclitatur, ne ad famem ipsi res redeat, adeo nescio quorum delationibus in illum irritatus est reverendus Pater *Andreas* Abbas *Maris-stellæ*. *Ambrosius* mihi coram satisfecit de eo quod delatus est in concione dixisse, in genealogia *Christi* esse peccatrices. Id *Hieronymus* scripsit in *Christi* gloriam & nostri consolationem. Et habet testem populum, quod hic nihil impie dixerit, nisi impie scripsit *Hieronymus*. Mi videtur *Ambrosius* vir minime malus. Non sine sumptu nactus est hoc sacerdotium, magno impendio illic ædificavit, non poterit submoveri, nisi intolerabili dispendio. Est gratiosus suo populo. Et qui mutant, ut sunt res humanæ, fere mutant in deterius. *Baticum* & vetus proverbium est, *Dedi malum & accepi*: nunc fere licet dicere, *Dedi malum & accepi pejorem*. Si quid hactenus gestum est ab *Ambrosio* secus quam oportet, id vestris monitis facile sarciet. Quæ tua pietas est, debes hoc dissidium inter *Ambrosium*, & R. P. *Maris-stellanum*, velle componere: quæ tua auctoritas est, facillime poteris. Non dubito quin *Ambrosius* sit omnes concordiæ conditiones libenter amplexurus. Id ad me recipio. Hac in re si tua humanitas nostri respectu sublevarit *Ambrosium*, libenter amplitudini tuæ sum hoc nomine debiturus: sin est, cur judices iniquum esse quod peto, tamen *Erasmum* numerabis inter eos, qui tuæ pietati cupiunt modis omnibus gratificari, quam Dominus *Jesus* diu nobis incolumem servet. *Basilea* 15. Maji, Anno 1524. An. 1524.

## EPISTOLA DCLXXIX.

*Erasmus Roterodamus Nicolao Everardo, Hollandiæ Præsidi*, S. D.

ORNATISSIME Præses, allatus est huc libellus cujusdam, etiam sine nomine noti ac celebris, jocone ac serio scriptus incertum, auctorem tibi notum esse scio. Primum miro verborum ambitu reddit rationem, cur maluerit *Hollandice* scribere quam *Latine*, quasi inter nos certamen sit, uter alterum superet facundia *Romani* sermonis, aut quasi lector non statim conjecturus sit, quare gloriosus Juris utriusque doctor maluerit vulgari lingua scribere, nimirum ut *Erasmum* apud vulgus traduceret non responsurum. Ne illud quidem obscurum, quid hominem impulerit ad hoc ineptiæ, nimirum urebat illum magnificus ille titulus, quem nescio qui libello suo præfixerant. Quasi mihi præstandum sit, quem quisque titulum addat *Erasmo*. Certe non ignorat etiam ipse, me neque de libello edito, neque de titulo somniasse unquam, priusquam iste rem proderet. Jam facile succurret cuivis, quare non præfixerit nomen suum, quanquam plerique, ut ait, non ignorarent, quis esset auctor tam elegantis libelli. Nimirum ambiebat frui gloria sine invidia. Apud eos, quibus arrisisset sycophanticus libellus, dixisset in aurem, meus est. Si quis parasset ultorem calamum, ad inficialem causæ statum confugisset. Verum, ne in his ineptiis multum temporis teramus, ad ipsum argumentum properabimus, quod tale est ut undique clamitet parentem suum, videlicet *Nicolaum Egmondanum*. Nec enim alius tam ridiculas nugas pro seriis effutire potuisset. Et agnosco quæ soleat respondere, ut hinc gloriosus doctor præter *Hollandica* facundiæ laudem non ita multum gloriæ sit relaturus. Principio mira dexteritate tractat locum communem. Absurdum illi videtur si quis reprehendat aliquem sui Ordinis, hoc est, si Monachus Monachorum vitia carpat, aut Theologus, Theologorum; sacerdos, sacerdotum. Cur igitur *Hieronymus* Monachus tam multa scripsit in malos Monachos? Cur toties in sui ordinis homines stomachatur *Bernardus?* Cur in malos Episcopos tam acriter invehitur *Cyprianus?* Imo cur toties Prophetæ sæviunt in pseudo-Prophetas? Cur toties *Paulus* Apostolus in pseudo-Apostolos, *Judæus* in *Judæos*, *Christianus* in *Christianos*, damnans & traducens illorum stultitiam, levitatem, contentiones, ebrietates, ocium, incestum? Si communis ordo imponit silentium, nefas esset *Christiano* quicquam dicere in depravatos *Christianorum* mores. In bonos male dicere, cujuscunque sunt ordinis, scelus est. Cæterum nemo majore cum fide reprehendit malorum vitia, quam qui ejusdem est ordinis. Videtur enim apud hunc plus valuisse veritas, quam ordinis favor. Alioqui videri poterat odio diversi ordinis vituperare quæ recta sunt: Veluti si *Franciscanus* reprehendat vitia *Dominicalium*, etiamsi id faciat recto animo, tamen non carebit suspicione livoris. Si huc spectat reprehensio, ut emendentur qui citra nominis injuriam notantur, quos potius optemus correctos quam qui nobis sunt conjunctissimi? Nisi forte vitio dandum existimat, si quis ægrotanti cognato pharmacum admoveat. Ipse *Nicolaus Egmondanus* cur *Bruxellæ* sæviit in suos *Carmelitas*, ob nescio quæ muliebria, non solum jurgiis, verum etiam carceribus & flagris, adhibitis ad id profanis lictoribus, ne res possit esse clam? utique respondisset hic, Se, quo magis faveret ordini suo, eo minus ferre eos qui moribus irreligiosis dedecorarent ordinem. Et hæc qui facit, non pa-

Digitized by Google

An. 1524. patitur ut sacerdos ac Theologus verbum jaciat in vi-
tia sacerdotum ac Theologorum, quum interim nullius
nomen perstringatur, ut utilitas admonitionis ad omnes
perveniat, infamia ad neminem. Cur igitur ipse toties
è cathedra Theologica, eque suggesto, manifestis men-
daciis debacchatur in nomen *Erasmi?* Et tamen is lo-
cus, quo videtur offensus, modestissime loquitur de
Monachis ac Theologis. Est enim, ni fallor, in Para-
clesi, habens hunc in modum: *Neque enim consenta-
neum est, quum baptismus sit ex aequo communis Christia-
norum omnium, in quo prima Christiana philosophiae profes-
sio est, quum sacramenta cetera, denique quum praemium
illud immortalitatis ad omnes ex aequo pertineat, sola dog-
mata in paucos istos esse releganda, quos hodie vulgus Mo-
nachos aut Theologos vocat: quos ipsos tamen, tametsi mini-
ma quaepiam portio sunt ad populum Christiani nominis,
tamen hos, inquam, ipsos optarim majorem in modum,
esse quod audiunt. Vereor enim ne inter Theologos repe-
rire liceat, qui multum absint à suo titulo, hoc est, qui
terrena loquantur, non divina; & inter Monachos, qui Chri-
sti paupertatem & mundi contemptum profitentur plus-
quam mundum, reperias.* Hic palam est, nec ordinem à
me damnari, nec cujusquam perstringi nomen. Quod si
nullus est inter Monachos suo titulo non respondens: Si
nullus inter Theologos hoc indignus nomine, merito
stomachatur in me glorioſus doctor, cum suo *Carmeli-
ta*. Habes ad unum libelli caput: in quo sibi mire pla-
cuit, non modo propter eloquentiam, verum etiam ob
facetiam, nam videtur sibi mire festivus simulata mode-
stia. Praeterea quod inibi scribo, *neminem esse submoven-
dum à lectione sacrorum Voluminum, quo minus quisque
quod potest illinc hauriat:* ait me parum animadvertisse,
quod scriptum est in Euangelio *Joannis*, *Puteus altus est,
& in quo haurias non habes.* Ego vero & illius loci probe
memineram, sed quoniam *Samaritana* verba referuntur
ad *Christum*, non putabam hic esse, quod ad Sacram
Scripturam pertineret: nisi placet hic sensus, *Puteus di-
vinae Scripturae altus est, & Christus non habet quo hauriat.*
Eadem opera possimus probare *Christum* esse malefi-
cum, quia in Euangelio legimus, *Si hic non esset malefa-
ctor, non tradidissemus eum tibi.* Olim altior erat puteus,
priusquam exorta lux Euangelica discussisset umbras &
involucra Legis, & tamen vulgus legebat sacros Libros.
Nunc posteaquam Dominus *Jesus* derivavit aquas Eu-
angelicae sapientiae per omnes plateas, quicunque
fidem habet, habet quo hauriat. *Judaei* non submove-
bant à lectione *Geneseos*, *Cantici*, & *Ezechielis*, quum
in his voluminibus sit plurimum obscuritatis, nisi us-
que annum trigesimum. Profuit Eunucho legisse Pro-
phetam *Esaiam*, quem non intelligebat: Profuit *Au-
gustino* Pagano legisse *Paulinas* Epistolas, quas nondum
intelligebat, & *Christianus* arcetur à sacris Libris? Por-
ro, quomodo velim sacros Libros legi ab idiotis, ex-
plico in appendice Praefationis in *Matthaeum*. Ea le-
genda fuit glorioso doctori, priusquam occineret mihi
locum ex *Joanne*, quem si parum intellexit ac ridicule
citavit, mirum non est, diligentius, opinor, versatus in
*Accursiis* ac *Baldis*. Quod si non aptius citat leges suas
quam Euangelium, male agitur cum illius clientibus.
Illud magis mirandum, *Carmelitam* tantum Theolo-
gum tam stolidis argumentis instruxisse suum histrio-
nem, nisi quod ille nihilo melioribus soleat uti in scho-
la Theologica, non sine risu Baccalaureorum. Et hic
sibi doctor videtur admodum facetus, veluti commise-
rans meam caecitatem; qui non viderim locum tam e-
videntem in *Joanne*, in quo talpae fuerunt omnes retro
Theologi, quorum nemo perspicere potuit, hic in-
terdici *Christianis*, ne legant Euangelium, quod *Chri-
stus* voluit universis nationibus esse commune. At for-
tasse coriarius aliquis rectius legat Euangelium, quam
vel doctor hic, vel hujus instructor Theologus, qui
sic interpretantur Euangelium. Quis non intelligat istos
sacras Literas ideo velle paucis esse notas, ne quid de-
cedat ipsorum auctoritati quaestuique. Hoc ulcus olim
exacerbavit Jureconsultos, evulgatis diebus fastis ac ne-
fastis: Nunc, ut videtur, urit Theologos quosdam, & An. 1524.
hoc magis urit quo sunt illis tum avariores, tum ambi-
tiosiores. Sed audiamus argumenta reliqua, quibus ma-
gnus ille Theologus instruxit suum advocatum. Objicit
ex *Actis* Eunuchum *Candaces* Reginae, qui dixerit,
rogatus an intelligeret, *Quinam possim, nisi aliquis duxe
vit mihi fuerit?* Aethiops erat, aulae barbaricae Praefe-
ctus, alienus à religione *Judaica*, non mirum si minus
intelligebat prophetiam de morte *Christi*, quae nondum
erat divulgata. At eundem locum si nunc legat nauta,
facile suspicabitur de *Christo* loqui. Et tamen Aethiops
ille laudatur, quod legerit sacros Libros; & quoniam
in literis arcanis venabatur *Christum*, promeruit illum
discere. Hoc exemplum tale est, ut nullum magis
idoneum adduci potuerit accendendis omnium animis
ad lectionem sacrorum Voluminum. Adjicit & illud,
quod *Christus* turbis loquebatur in parabolis. Verum
idem dixit, *Nihil occultum quod non revelabitur, &
quod in aure auditis praedicate super tecta.* Parabolae
pro tempore adhibitae sunt, sed mortuo Domino scis-
sum est velum, & patent omnia mysteria. Alioqui si
turbis nihil est proponendum, nisi in parabolis, nefas
erit idiotis exponere Euangelium, peccarunt Euange-
listae, qui mysteria doctrinae *Christi*, lingua omnibus
nota vulgarunt. Nam eo tempore, etiam coriarii, &
nautae *Graece Latineque* loquebantur, quemadmodum
nos *Hollandice*. An quia *Christus* imperitae ac juxta ma-
litiosae multitudini loquebatur per parabolas, quod sic
expediret ad negotium redimendi generis humani,
ideo populus initiatus *Christi* mysteriis nihil audiet ni-
si parabolas? Quod si videtur aequum, legant igitur
parabolas Euangelicas, quod ipsum vetant isti, nimi-
rum sibi ipsis contrarii: sed extra jocum, si à paucis
petenda est sacrarum Literarum sententia, ubi est illud
*Esaiae* vaticinium, *Et erunt omnes θεοδίδακτοι*; citat ex
Epistola *Petri*, quod in Epistolis *Pauli* nonnulli quae-
dam intellectu difficilia *depravarent in suam perniciem.*
Non damnat *Petrus*, quod legerentur Epistolae *Pauli*,
sed quod detorquerentur, quemadmodum & caeterae
scripturae. Si ideo vulgus submovendum est à lectione
sacrorum Librorum, eadem ratione Theologi submo-
vendi sunt, quod omnes haeretici, quorum plerique
fuere doctissimi, depravant quae legunt, ad confirma-
tionem perversorum dogmatum. Nisi forte *Ariani*
non sunt haeretici: nisi *Origenistae* non sunt haeretici.
Nihil enim dico de *Luthero* istis centies haeretico, cu-
jus peculiare dogma est, in disputando nihil admitten-
dum esse, praeter Literas sacras. Atqui *Carmelita*, ne
in Theologicis quidem scholis, recipit Scripturae Sacrae
testimonium. Etenim quum sic ratiocinantur Baccalau-
rei, *Hoc dixit Christus apud Matthaeum, ideo tua con-
clusio mentitur:* ille clamat, *Ista est argumentatio Lu-
therana, protestor me non responsurum.* Ubi igitur va-
lebunt sacrae Literae, si ne inter Theologos quidem ha-
bent locum? Nimirum ibitur ad fontes, hoc est, *Car-
melitas* duos, ex quibus posteri discent, eos haeretice
argumentari, qui argumententur ex sacris Volumi-
nibus. Sed ut omissis jocis ad rem redeamus, si ideo
populus non debet legere sacras Literas, quas vulga-
runt Apostoli ut legant omnes, eo quod sunt qui abu-
tantur; nec *Egmondanus* bibet vinum, quo tamen u-
nice delectatur, quod plurimi sint ubique, qui vino abu-
tantur. Imo nemo concionabitur in templis, quod
illic multi doceant haeresim, quidam seditiones exci-
tent, alii adulentur Principibus, nonnulli mendaciis in-
fament proximum. Id si fiat, ubi regnum *Egmondanus?*
ubi tyrannis, quam jactat etiam? Postremo, si ideo
nulli fas erit gestare pallium *Carmeliticum*, quod eo
plures abutantur, mutandum erit *Egmondano* suum pal-
lium. Hoc est acumen eorum, qui nolunt populum at-
tingere Libros sacros: quos si vulgus non intelligit, qui-
bus acceptum ferendum potius quam istis qui quotidie
docent populum? Ergone tot annis docuerunt nihil
scire? Et hic est profectus Euangelicus, ne quis norit
Euangelium? Tandem in epilogo concludit probabile

esse

Digitized by Google

An. 1524. esse Theologos rectius intelligere Scripturas Sacras quam laicos, quasi hoc negarim, si in genere loquaris, aut quasi vetuerim ne laici discerent à Theologis. Objicit quod alicubi taxans præpostera judicia, dixerim, *Si Franciscanus pro cinericea veste sumeret nigrum pallium, metueret ne damon quispiam vivum abriperet in tartara.* At idem non metuit committere adulterium, aut incestum, aut alia crimina, quæ pugnant contra præcepta Dei. Non laudo eos, qui temere mutant vestem, sed damno præposterum ac superstitiosum judicium. Horrent violare constitutiones hominum, & ludum esse ducunt violare præcepta Dei. Hic decerpsit quod volebat, & omisit quod explicabat nodum. Vicit igitur glorioſus doctor, & currum triumphalem merito adornat, si gravius peccat *Benedictinus*, quum per occasionem pro nigra veste sumit fuscam, quam quum adulterat sacram virginem. De prædicatoribus qui commodum venantur ex prædicatione, utinam falsum esset quod scripsi. Et tamen quod in genere dictum est, ad nullius contumeliam pertinet. Hoc si nemo scripsit ante me, par est ut feram hujus admonitionis invidiam. Si nulli tales sunt, dignus sum ut ridear, qui operam hanc inanem sumpserim. Quod si glorioſus doctor nullum novit talem, adspiciat suum *Carmelitam.* Verum doctor jam ab asinis ad equos, hoc est, à Theologis ad Principes desilit. Sensit Cæsarem mirari *Turcis*, & hinc sibi speravit magnam gloriam. Si sunt qui hunc sermonem, *Nolite omnino resistere malo*, huc trahunt, ut putent, nec *Turcis* resistendum, *Christo* imputent, non mihi. Is est auctor eorum verborum. At ego sic interpretor hæc verba in Annotationibus, ut nemo possit detorquere: interpretorenim, *resistere malo*, id est, mala ratione. Eat nunc venerabilis doctor, & dicat Cæsarem recte facere, si *Turcas* malis rationibus impetat. Nunc vero ab asinis in canes desilit. Objicit ex privatis ad quendam literis, quod parum honorifice meminerim duorum honorabilium virorum *Egmondani* & *Hulsti.* Res ipsa docuit quam sint honesti, alteri est ademptus gladius, alter vix effugit judicium. *Egmondanum* novi: verum non ego solus. Et populus novit non minus stultum quam insanum. *Hulstum* vidi tantum, sed & hunc nosse potui, quemadmodum novimus *Phalaridem* ac *Neronem.* Hi quum tribus verbis leviter attacti sint in Epistola privatim scripta, quid erat necesse libello vulgato traducere, quorum famæ tam tenere metuit? Postremo taxat quod scripserim de publicanis, qui exigunt à populo, non quantum jussit Princeps, quod ipsum iniquum est, sed quantum ipsi volunt. Hic ille putat me dicere, Principum exactiones esse injustas, ut me reum peragat læsæ majestatis. Et certe tales sunt nonnunquam Monarcharum exactiones. Atqui ego quod grave est, *iniquum* dixi: quemadmodum *Virgilius* dixit, —*& iniquo pondere rastros:* & iniquum judicem dicimus, non qui injuste judicat, sed qui rigidus est, parumque favens reo. Sic æquas conditiones appellamus, quæ ex humanitate temperatæ sunt: iniquas, austeras, & nihil de jure remittentes. Sic iniquum vocavi quod exigunt Principes à populo, quod per se satis molestum sit hoc pendere, etiamsi nihil addat redemptorum rapacitas. Vide quantum periculum est scribere *Latine* iis qui *Latine* nesciunt. Hic existimat se mihi movere magnam invidiam apud Cæsarem, si persuasum sit illi, me non probare Principum iniquas exactiones. Imo nulli magis Cæsaris odio digni sunt, quam qui probant iniquas exactiones, ex quibus fere non multum redit ad Cæsarem. Vectigal & tributum Principibus debitum probat *Paulus.* Censum persolvit ipse *Christus* Cæsarum Cæsar. Quid hoc ad me? Ego publicanos monui, non Cæsarem. Atque Cæsarem ipsum liberius super his admonui in libello *De Principe Christiano:* eum Cæsar amplexus est, *Ferdinandus* edidicit, & uterque mihi gratias egit, nimirum uterque doctior isto doctore, & isto Theologo *Christianior.* Magna vero Theologorum felicitas, ut nos pro hæreticis habeant, si stolidus aliquis *Carmelita*, aut *Baldicus* doctor, nesciat *Latine.* Quin potius cedunt feliciori seculo, quo fœminæ *Latine* sciunt? An. 1524. Hæc in transitu notavi, vir eruditissime. Equidem gratulor Ecclesiæ *Christianæ* talem *Atlantem.* Gratulor *Hollandiæ* nostræ, quæ viros habeat tam sapientes. Et huic libello quærit typographum ut audio. Deus illi servet suam mentem. Bene vale. *Basilea* 15. Maji, An. 1524.

## EPISTOLA DCLXXX.

Georgius Saxoniæ Dux, &c. Erasmo Rot. Theologo

SALVTEM, *Gratiam & Favorem. Cum nobis in feriis Pentecostes redderetur Epistola tua, etiamnum inscriptione carebat, eamque is, qui pertulit,* à Mosellano *addendam fuisse ostendit. At ea perlecta, aperte intellexi, nulli alteri quam mihi destinatam. Scribis autem tecum aliquoties jam literis me tuis provocaveris, nihil tamen responsi à me tulisse, quæ res tibi offensæ alicujus suspicionem afferat. Ego vero rescripsi ad omnes literas tuas, quas quidem acceperim, & ut recognoscas, quas acceperim, mitto hic una tibi exemplum posterioris responsionis meæ, posterioribus literis tuis destinatæ. A quibus si interea aliquas alias dedisti, scito mihi non esse redditas: quod si enim reddita essent, non profecto committerem, ut in hoc genere officium meum desiderare posses, præsertim cum hæc mea perpetua sit consuetudo, ut neminem, ne humilissimum quidem, sine responso dimittam, si modo ea, quæ scribuntur, digna sint responso. Quod pœnitet te laudis, quam quibusdam effusius quam pro merito tribueris, etsi non injuria ejus te pœnitet, tamen ita ego statuo; Nisi hoc modo illos ipsos, quos dicis, tractasses, istisque produxisses falsis commendationibus, quam nunc tibi indignitatem ostenderunt, eandem te ab illis jamdiu experturum fuisse. Ha nimirum sunt illa præclaræ virtutum actiones, quæ ab hoc doctrinæ fonte ducuntur. Hæc opera charitatis, quam tradit* Lutherus, *& alii, qui se plusquam Euangelicos jactitant, litera potius quam spiritui adhærentes. Hæc fides & integritas plusquam* Germanica, *quam illi generose ubique ostentaverunt. Quod si hi, qui capita hujus factionis haberi volunt, tales sunt, quales cæteri, quæ membra sint, facilis est conjectura. Equidem* Epphendorpium, *si quid hujusmodi votis proficeretur, optarim alibunde vita sua ortum, nec ex hac nostra terra prodiisse; cui cum ornamento esse debeat, ita se bonus vir comparavit, ut magis ejusdem labes & macula sit. Cum enim animo repeto, quibus tu illum virtutibus descripseris, videtur mihi haud aliud exquisitius hominis perditi ejusdemque profligatæ conscientiæ pudorisque exemplum excogitari posse. Jam vero utinam ante triennium hanc tibi mentem Deus dedisset, ut à factione* Lutherana *te sejunxisses, ut edito aliquo adversus illos scripto, plane nihil tibi cum ipsis commune esse, & dissensionem gravem intercedere testatus esses. Quanto enim facilius fuerat inardescentem etiamnum flammam restinguere, quam nunc, postquam in ingens adeo incendium evasit, exstinguere? Ea itaque culpa, ut dicam quod sentio, ad te vel imprimis pertinet; si enim tu, dum tempus ad eam rem ferebat, necdum tam multi hoc malo correpti erant, hunc in* Lutherum *animum sumpsisses, quem nunc præ te fers, descendisseque in arenam, & ibi seriam & veram pugnantis personam gessisses, non esset quod laboraremus. Quia autem tu hactenus ita cum illo pugnasti, ut apertum ei bellum nunquam intentaris, sed ex occulto tantum eum petieris, idque leniter, & eum prope in modum, quasi qui dedita opera ferire nolueris, diversa est hominum consequuta opinio. Quippe pars hostem* Lutheri *esse te, pars cum eodem colludere & in speciem simulare dissensionem, reipsa vero consentire existimaverunt; quem tu errorem & opinionem à te si amotam cupis, etiam atque etiam opus habebis, ut quamprimum te aperias, prodeasque tandem, & cum* Luthero *aperte congrediendo sententiam tuam orbi testatam reddas, simulque Ecclesiam à nefandissima hæresi vindices; quod ni feceris, omnes te dignitati Ecclesiæ defuisse ac Euangelicæ sinceritatis, & tui ipsius officii nullam rationem habuisse, omnes*

Digitized by Google

An. 1524. *omnes una voce clamabunt.* Moſellanus *noſter diem ſuum obiit, ſed nimirum ante diem. Fuit enim is vir ſummum* Lipſienſis Gymnaſii *decus. Atque utinam Deus ita comparaſſet, ut ille diutius meam liberalitatem experiri potuiſſet; certe vix quicquam optatius mihi acceſſurum fuerat: ſed cum aliter de eo ſtatuit, neceſſe eſt æquo animo feramus ejus mortem; demuſque operam, ut aliquem in ipſius locum ſuggeramus, qui & ipſe Academiam meam Lingua* Græca *& literatis literis illuſtret, & noſtra terra homines ad virtutum & officiorum munera inſtruat. Cujus generis ſi quem noſti, qui tamen omnino à factione* Lutherana *ſit integer, eum cupio ad me mittas: facies enim in hoc nobis rem gratam, & illi non pœnitendam. Bene vale. Ex* Dreſden *21. Maji, Anno à* Chriſto *nato* 1524.

## EPISTOLA DCLXXXI.

### Vives Eraſmo.

EX Britannia *diſceſſi menſe Aprili tantum ad ducendam uxorem, jus * a Principibus & Cardinale eo redire ad finem menſis Septembris; quod faciam, ni neceſſitas aliqua & vis major impediat, aut cauſa maxime ſontica: ita enim ſunt homines illi de me meriti, ut iniquum ſit me non obſecundare eorum voluntati, quum illi multis in rebus indulgeant mea. Feriis Euchariſtiæ ſubjeci cervicem jugo muliebri, nondum mihi quidem gravi, & quod cupiam adhuc excutere, ſed eventum Deus viderit. Hactenus nec mihi factum diſplicet, & iis omnibus, qui nos norunt, mirifice placet; ut ajunt, nihil hic eſſe multis annis actum tanta omnium approbatione. De illis hominibus, in quos οἱ φίλοι σὲ ἐγκελεύσει, malum deploratum: ſed propemodum ἐν τούτοις χρόνοις ἀναγκαῖον, quibus peſſum iere omnia: ἀλλὰ ταῦτα ἐρανόθεν. Tu niſi agas quid minime convenit, nihil egeris: ſin egeris, corrumpes, quod eſt in illo malum optimum. O magnæ difficultates, in quas te nomen implicat tuum, ut non videaris poſſe cum decore ceſſare, quin publicis rebus publica perſona interponaris, nullo tanto temperamento, quin alterutros offendas, & forſitan utroſque. Fac memineris verſum* Ennii *de* Maximo. *Salutaris à* Claymondo, *& fere illa Academia nihil audivi multis diebus gratius quam Opera tua noſtris quoque* Hiſpanis *eſſe cordi: ſpero fore, ut illis & ſimilibus aſſuefacti, manſueſcant, exſuantque barbaricas aliquot de vita opiniones, quibus acuta quidem ingenia, ſed ignoratione humanitatis, ſunt imbuta, quas alii aliis velut per manus tradunt. Nunciatum erat nobis in* Britannia, *te in* Burgundiam *migraſſe, ut vino illo puro ac generoſo curareris à calculo; alii te in* Britanniam *venturum affirmabant: & audivi à quodam, fuiſſe te indubie venturum ſi eſſes accerſitus, quod utinam illic reſciſſem, ea te res non diutine fuiſſet remorata, veniſſes gratus optatuſque Regi, Cardinali, & toti nobilitati: ſed ſi id ſtatuis, incipe ſimul aliquid ἢ ἐκεῖνον μελεῖν, aliter nonnullis corrugabis frontes, quorum inprimis convenit tibi eſſe exporrectas: ſed non dubito quin hiſce de rebus, ut prudentius poteſt, ita copioſius ſcripſerit ad te* Morus. *Me vero, mi præceptor, ſcis paratiſſimum eſſe, ſi qua in re poſſum tibi eſſe uſui, quanquam vires exigua, ſed voluntas ingens.* Frobenium *mihi ſalutabis, &* Rhenanum. *Vale etiam atque etiam, mi domine.* Brugis *16. Junii, Anno* 1524.

## EPISTOLA DCLXXXII.

### *Eraſmus Roterodamus Chriſtophoro Epiſcopo Baſilienſi* S. D.

REVERENDE Præſul, dum ego decanto miſericordias Domini, corripuit me illius miſericordia; ſed morti non tradidit me, licet nunquam fuerim morti vicinior. Exemplar primæ manus ad te mitto. Id poteris aliquot diebus apud te retinere, quo per ocium perlegas. Dignaberis admonere nos, ſi quid addi aut mitti, ſi quid aliter tractari velis. Priuſquam enim *Frobenio* committamus excudendum, Opus ſub incudem revocabimus, ac reddemus paulo expolitius, fortaſſis etiam copioſius. Si videbitur, addemus præfatiunculam, quæ ſacelli abs te inſtituti faciat mentionem. Porro quemadmodum tuæ ſanctiſſimæ voluntati hac in re libenter ſumus obſequuti, ita cupimus omnia fieri ex animi tui ſententia. Dominus *Jeſus* honorabilem ſenectutem tuam foveat ſua clementia. *Baſilea* 20. Junii, Anno 1524. An. 1524.

* *juſſus* ſcribendum puto.

## EPISTOLA DCLXXXIII.

### In LEXICON.

*Eraſmus Roterodamus Græca literatura candidatis* S. D.

CRESCENTEM, inquit *Horatius, ſequitur cura pecuniam.* Idem multo magis uſu venit in liberalibus ſtudiis. Quo plus hauſeris, hoc ſitias magis. Facit hoc feliciſſimus *Græcarum* literarum profectus, ut *Lexicon* jam toties auctum nobis prodierit, nec deſinat tamen efflagitari. Debetur omnibus gratia, qui pro ſua quiſque portione nonnihil contulerunt. Quanquam nulli minus deberi puto, quam ei, qui, quo creſcerent paginæ, multa hujus generis adjecit, Ἄαρων nomen proprium, & Κύπρος nomen inſulæ. Utinam *Guilhelmo Budæo* vel libuiſſet, vel vacaſſet huic negotio nonnullam temporis portionem decidere, præſertim in annotandis *Græcorum* tropis & idiomatibus. Nec enim eſt alius *Græcanica* ſupellectilis ditior. *Maino* non parum debemus, ac male precamur invidæ febri, quæ ſtudioſis eam utilitatem reddiderit maligniorem. Habes, Lector, in hoc volumine quicquid diverſis locis ac temporibus ab aliis fuerat additum, ne his quidem prætermiſſis, quæ neſcio quis ocioſe, ut diximus, adjecerat. Ad ſummam autem prius editorum acceſſit ingens vocabulorum numerus, ex optimis Auctoribus ſelectus per *Jacobum Ceratinum*, qui, quod eſt rariſſimum, exactam utriuſque literaturæ peritiam cum incredibili modeſtia copulavit. Hujus acceſſionem cum conferrem cum aliorum auctariis, quæ in proxima *Gurmuntii* editione fuerant addita (nam hanc *Ceratinus* noſter non viderat) miro modo vix ullam vocem ab hoc annotatam comperi, quam illi priores occupaſſent. Pauperis eſt numerare pecus, ſed pauperius eſt numerare dictiones. Satis multas adjecit *Ceratinus*, ſed ingentem fateberis theſaurum, ſi expendas quod acceſſit potius quam numeres. Hic mihi obſtrepet aliquis, opinor: Os impudens, quid tu præfaris in labore alieno? Dicam: *Ceratinus* impulſu noſtro laboris hoc ſuſceperat, alioquin à nullo magis abhorrens. Qui niſi tam procul abeſſet, haberes præfationem aliquanto minus jejunam. Quanquam & ipſi dictiones adjecimus nonnullas, adjecturi permultas, ſi vel paucorum dierum ocium contigiſſet. Scimus hoc laboris genus eſſe minime glorioſum, præſertim quum pauci reputent, quot Auctores ſint excutiendi, ut voces aliquot ab aliis præteritas ſeligas. Verum, hoc plus debetur illis gratiæ, qui publicæ utilitatis gratia non detrectant ingloriam ac molèſtiæ plenam induſtriam. Veterem Indicem, qui verſo dictionum ordine ex *Latinis* indicabat *Græcas*, omiſimus velut inutilem, ac nihil aliud quam onerantem volumen. Primum, ille, qualis qualis erat, mutilus erat, nimirum tantum eas dictiones complectens, quas *Aldus* prima dedit editione. Qui ſi perficiatur, duplicari voluminis magnitudinem neceſſe eſt. Nec tamen hujus ullum uſum video, niſi ſi quis meditetur *Græce* ſcribere. Atqui ea facultas ex Auctoribus petenda eſt, quæ ex Dictionariis infeliciter peteretur. *Aldus* ipſe quondam à me rogatus, cur Indice tam operoſo pariter & ocioſo duxiſſet onerandum eſſe codicem, nihil aliud reſpondit, quam hac difficultate deterritos fuiſſe editionis æmulos. Proinde nemo minoris æſtimet hoc volumen, cujus ſarcinæ nonnihil detractum eſt, utilitati multum acceſſit. Bene valete. *Baſilea* 1. Julii, Anno 1524.



Digitized by Google

## EPISTOLA DCLXXXIV.

*Bilibaldo ſuo Eraſmus* S. P.

An. 1524. VIR ornatiſſime, ſcripſi nuper per eum, qui fuſiles imagines reddidit, ſimulque ſignificavi, tuas literas hactenus bona fide mihi redditas fuiſſe, quod videreris aliud ſuſpicari. *Clemens* Septimus miſit ad me diploma honorificum, cum honorario munere ducentorum florenorum, quos non accepiſſem, niſi nominatim expreſſiſſet, ſe miſiſſe ob *Paraphraſim* inſcriptam. Pollicetur & in poſterum magnifice. Cardinalis *Campegius* miſit ad me proprios nuntios, quibus reſpondi, quæ mihi videbantur pro publica concordia facere. Quanquam, ut nunc agitur hæc fabula, ego nullam video cataſtrophen. Ita me *Jeſus* bene amet. Res in dies ſerpit latius. Neutra pars agit de componendo diſſidio: imo plerique nihil aliud agunt, quam ut oleum addant camino. In *Hollandia* mea paſſim fugiunt Monachæ, ac nubunt in Domino. *Carmelita* ille exauctoratus eſt & à Cæſare & à Pontifice. *Hulſtus*, illius collega, vix effugit capitis ſupplicium. Studia fœliciſſimè procedunt, fruſtra frementibus Theologis. Me clamant hæreticum; ſed nemo credit illis. Scripſit ad me *Martinus Lutherus* per *Joachimum* quendam ſatis humaniter: cui non ſum auſus pari humanitate reſpondere propter ſycophantas. Reſpondi tamen paucis. *Melanchthon*, ut audio, cupiebat colloqui nobiſcum; ſed non audebat me gravare invidia. Ego certe eam invidiam contempſiſſem. Eſt juvenis ingenii candidiſſimi. *Argentorati* magnus eſt tumultus, etiam in Senatu. Noſter Magiſtratus cœpit moderatius favere *Lutheranis*: timent exemplum *Argentinenſium*. *Othonis* libellus rurſus exiit, per auctorem recognitus, &, ni fallor, auctus: nondum vidi. Exiit & Epiſtola *Alberti* omnium ſtultiſſima. Ea non dubito quin ſit *Buſchii*, tametſi ſtylum, quantum potuit, diſſimulavit: ſed novi penitus illius ingenium. Is homo ſemper à me amanter cultus, ne verbo quidem unquam à me læſus eſt. Hujuſmodi muſcæ perdent unguentum & Euangelii & bonarum literarum. Hiſce præſtigiis delectatur *Epphendorpius*. Gaudet lædere, & vult me ſcire; ſed ſic, ut apud alios poſſit inficiari. Poſthac non eſt animus talibus næniis reſpondere. *Romæ* excuſi ſunt clam duo libelli *Stunicæ*; in quorum altero defendit Interpretem à ſolœciſmis, quos illi impegeram: ſed interim diſſimulat innumeros, quos tueri non poterat. Et hos quadraginta, opinor, ſic tuetur: *Græce* eſt ἀφθείζειν· igitur Interpres recte dixit, *manicare*: quia licet fingere nova vocabula. Aut reddidit figuram, aut *Hebraicum*: igitur non commiſit ſolœciſmum. Nam in *Græco* eſt ἐπὶ τελὶς, ergo bene vertit, *per ter*, in *Actis*. In altero prodit, quid ex ipſius Annotationibus caſtigarim, tacito ipſius nomine, quaſi parum fuiſſet, illi libro reſpondiſſe, niſi totum Opus Annotationum inauſpicato nomine contaminarem. *Romæ* ridetur ab omnibus: & tamen homo ſibi plaudit. Promittit enim, ſe non conquieturum, donec *Eraſmus* agnoſcat unum *Stunicam* præ cæteris exſtitiſſe, qui ipſum vincat non ſolum in ſacris Literis, verum etiam in prophanis. Pontifex tamen vetuerat excudi: nec audent vendere. *Clemens* VII. miſit Legatum in *Angliam* quendam *Minoritam* Archiepiſcopum, qui pacem indiceret Principibus: ſed nihil egit. Itaque magnam pecuniæ vim à Rege oblatam recuſavit accipere. Arbitror *Angliæ* Regem jam trajeciſſe. Sic imus in *Turcas*. Juſſerat Cæſar mihi ſolvi penſionem: ſed excuſant belli onera. Promittunt tamen cum fœnore redeunti. Libens aliquo demigraro vel ob invidiam, qua me gravat amicitia *Frobenii* apud Typographos. Nondum ſtatui; ſed ſtatuam brevi. Quando rumor Libelli *De libero arbitrio* ſparſus eſt, ne quid ſuſpicentur atrocius, opinor eſſe ſatius edere: nam ego rem ea moderatione tracto, ut ſciam, nec ipſum *Lutherum* indignaturum. Inviſimus *Biſuntium*; ſed affecti pituita vix revolavimus in nidum. Ubi revixiſſemus, ſic adortus eſt calculus, ut nunquam antehac periculoſius. Utor nonnunquam terebinthino. Balneis, quoniam non aſſuevi, non audeo me credere. Bene vale, vir incomparabilis. *Baſilea* 21. Julii, Anno 1524. An. 1524.

*Noſti manum tui mancipii.*

## EPISTOLA DCLXXXV.

*Eraſmus Roterodamus D. Joanni de Hondt, Canonico Curtracenſi*, S. D.

VIR optime, doleo te meis literis commotum fuiſſe. Nec in te quadrabat, nec *Bentino* fuit unquam apud me multum fidei. De ſuffraganeo quid dicat non laboro, qui *Brugis* bis in publica concione debacchatus eſt in nomen meum. Mitto ad te literas *Barbirii* poſteriores, nam priores non accepi. In his teſtatur ſe inſcio factum, quod alii numerata eſt pecunia. Ex quibus fructibus reddet, ſi (quod metuendum eſt) non obtineat ſacerdotium? aut quos illius hæredes ego perſequar? patitur tantum jacturæ noſtra amicitia, ſed nunc non patitur fortuna. Cæſar debet ſexcentos florenos aureos ex penſione. Neque quidquam accipiam, niſi redeam in *Brabantiam*. Et fortaſſe ne tum quidem numerarent. Et interim excuſavi me Regi *Galliarum* offerenti Theſaurariam, ut minimum quingentorum coronatorum. O aulam noſtram ſemper famelicam! Hæc ſcribo, ne poſthac iterum fiat quod factum eſt, & pro tua humanitate adjuves, ut quamprimum redeat ad me data *Molendino* pecunia. Bene vale. *Baſilea* 26. Julii, Anno 1524.

## EPISTOLA DCLXXXVI.

*Eraſmus Rot. Zachariæ Deiotaro Friſio* S. D.

ISTVM animi tui erga meos candorem lubens exoſculare, mi *Zacharia*, ſi tua fortuna par eſſet tuis virtutibus. Nunc non opus erat tuas facultates, mediocres ut arbitror, gravari impendiis, præſertim quum *Livino* non deeſſent pecuniæ, & à me in mandatis haberet, ne quid te gravaret ſumptu. Non poſſum non vehementer amare ſenectutem *Thomæ Lovelli* in linguis ac bonis literis refloreſcentem, quum vulgus hominum hoc ætatis ſoleat congerendis pecuniis inhiare. Munus, quod mittit, adeo gratum eſt, ut ſi centum Marcas miſiſſet, non fuerint futuræ gratiores, quanquam non ſine pudore accepi. Sed quis auderet recuſare quod ſic datur? Πάντα, inquit, κοινὰ φίλων, & do non de meo, ſed de patrimonio *Chriſti*, cujus, quum ſit omnium commune, diſpenſator ſum, non dominus. Hic nimirum animus eſt Euangelicus, & tibi, mi *Zacharia*, talem amicum gratulor, ita me Deus amet, ex animo. Ægerrime cariturus ſum *Livino*, tamen quoniam jam grandeſcit, nolui illi perire ætatem in obſequiis meis. Itaque decreveram illum mittere *Lovanium* meo ſumptu, ut aliquot annis totus vacaret honeſtiſſimis diſciplinis, ad quas eſt natura compoſitus. Nolim tamen illum eſſe ſcribam Cardinalis, ne pereat in aula. Si patietur eum *Lovanii* ſtudere cum ſuo ex fratre ſororis nepote, non improbabo. Sin minus, me certe improbante rem geſſerit *Livinus*. Bene vale, *Zacharia* chariſſime. Saluta diligenter *Andream Smithium*, cui fortaſſe non vacabit ſcribere. *Baſilea* 8. Auguſti, Anno 1524.

## EPISTOLA DCLXXXVII.

*Eraſmus Rot. Senatui Argentinenſi* S. D.

MAGNIFICI Proceres, ne vos diu teneam, Eſt iſtic *Joannes Scottus* typographus, qui pridem excudit libellum *Ulrici Hutteni*, in me ſcriptum, plenum manifeſtis mendaciis, addidit picturas odioſas. Nec

An. 1524. Nec hoc contentus, rursus clam eundem libellum, cum invectiva cujusdam, in quo quicquid scurra auderet in scurram dicere, congerit in me. *Me desertorem esse Euangelii, me corruptum pecunia bellum gerere adversus Euangelium, me frusto panis conduci posse ad quidvis.* Quid oportet recensere? totus libellus, præter insana convitia, nihil habet. Ea res vehementer displicuit ipsi etiam *Luthero* & *Melanchthoni*, qui intelligunt nullos homines magis officere negotio Euangelico, quam tales. Expostulantibus amicis cur talia faceret, uterque respondit atrociter, minitans etiam acerbiora. Tandem, ut audio, monitus est etiam per aliquos ex magistratu, ne quid in posterum auderet simile. Ille contempto jure publico, quod detestatur libellos famosos, contempta vestræ civitatis saluberrima necessariaque constitutione, denuo excudit eundem libellum. An ego bene meritus sim publice de studiis, omnes norunt; pro Euangelio provehendo plurimum laborum & invidiæ sustinui. Omnia recusavi quæ mihi Principes obtulerunt, ut scriberem adversus *Lutherum*, imo mea malui perdere, quam ad affectus quorundam scribere, contra meam conscientiam. Tantum isti fœderi nolui dare nomen, quum multis aliis de causis, tum ob hoc quod quædam in libris *Lutheri* non intelligerem, quædam omnino non probarem, præsertim cum in ista conjuratione viderem quosdam esse, quorum mores & molimina mihi viderentur longissime abesse à spiritu Euangelico. Nullus unquam à me læsus est, vel quia faverit *Luthero*, vel quia parum faverit. Nec typographus, nec libelli auctor unquam verbo à me læsus est. Non est vulgare crimen, accepta pecunia prodere Euangelium *Christi*. Si vestra æquitas non sinit furem impunitum, hoc multo sceleratius, tam petulanter impetere famam, vita quoque chariorem; si plectitur qui dat alapam alteri, quid commeretur qui sic debacchatur in famam hominis? Non postulo ut vestra celsitudo habeat rationem ætatis meæ, aut meritorum meorum erga publica studia, non favoris quem semper gessi erga civitatem istam, cui scio me plurimis officiis obligatissimum; tantum hoc admoneo prudentiam vestram, ut prospiciatis, quo tandem evasura sit talium hominum licentia, si quicquid libitum est impune licuerit. Si favetis Euangelio, isti perdunt Euangelium. Si favetis tranquillitati publicæ, isti nihil aliud sunt quam seminaria seditionum. Si vobis displicet legum publicarum contemptus, ut optimo jure displicet, omnes omnium gentium leges inter atrociſſima crimina ponunt libellos famosos. Res obscura non est. Auctor facinoris uterque agit *Argentorati*, & profitentur factum. Nec ullum facient finem insaniendi, si possint vestra lenitate semper abuti. Ego meam injuriam possum ferre, sed hujusmodi libelli conciliant vestræ civitati, cui ego ex animo bene volo, non mediocrem invidiam, apud bonos viros ac Principes, quorum pleriſque non sum invisus. Bene valete, generosissimi ac splendidissimi viri. *Basileæ* 23. Augusti, Anno 1524.

## EPISTOLA DCLXXXVIII.

*Erasmus Rot. Augustino Scarpinello, Ducis Mediolanensis apud Anglos Oratori*, S. D.

SIC insculptus est animo meo *Scarpinellus* ille candidissimus & gratiarum antistes, ut ipse mihi citius excidero, ne tu putes opus, ut ullis argumentis mihi refrices tui memoriam. Voluptati fuit quod famulus meus nunciavit te bene valere. Nam *Wormacienſe* Concilium, ut memini, conciliarat tibi nonnihil adversæ valetudinis, & video multos Principum legationibus dum nimium immorantur immori. Sed quis te genius adegit in *Britanniam*? Quomodo nos fata distrahunt? Præsulem *Theatinum* attraxit *Roma*; ego factus sum *Elvetius*, tu *Britannus*. Utinam ὁλόχρυσον te remittat *Britannia*. Miseret me *Mediolani*, præter tot bellorum calamitates, nunc sæviſſima peste laborantis. Plura scripsissem, sed ut vos *Mercurii* subinde alio atque alio devolatis, verebar ne meæ literæ te istic non essent reperturæ. Verum ubicunque futurus est meus *Augustinus*, precor illi fortunam eruditione non vulgari, moribusque sanctissimis pariter & candidissimis dignam. Nos vicissim, quæcunque exspectat regio, *Scarpinellum* intimis animi recessibus penitus infixum circumferemus. Bene vale. *Basilea* 30. Augusti, Anno 1524. An. 1524.

## EPISTOLA DCLXXXIX.

*Erasmus Rot. Hajoni Hermanno Frisio, juveni cumprimis erudito*, S. D.

AMICE candidissime, sic age, sic pergito ranam agere, donec imperavero tibi silentium. Quid enim mihi tam eruditis, tam amicis epistolis possit accidere jucundius? Sed ut tribus verbis ad singulas epistolæ tuæ partes respondeam: *Lazarum Bayſium* gaudeo vehementer hoc præstitisse in vestibus, quod *Budæus* in asse. Cumprimis autem exoſculor hominis candorem cum exquisita conjunctum eruditione, quod inter literatos rarissimum est. Sciebam lænam esse genus vestis, & suspicabar respondere χλαίνη, verum vitabam dictionem primum minus notam, deinde ancipitem. Penulam hybernam noverunt omnes. Mutabo tamen hunc locum ubi librum *Lazari* videro, quod equidem opto ut quam primum fiat. Quod ad ἀναξυρὶδα pertinet, arbitrabar subligar idem esse quod braccas, aut aliquid certe simillimum, legeram apud *Juvenalem**, ni fallor, *& subligar Acci*. Cæterum utcunque hoc habet, si quis erraſſet in vocabulo *vestis*, an hoc tibi videtur protinus conviciis exagitandum? Ac plane demiror si quis hodie de priscarum vestium nominibus certo queat pronunciare, quum me vivo toties mutatas videam vestimentorum formas. Criticos istos, de quibus scribis, rideo, qui si vicissim ederent sua, invenirent fortassis & ipsi censores suos. Et tamen æquo animo patior mihi laudem detrahi, qui mihi nihil laudis arrogo. Alicubi, sicut opinor, scripsi *Budæum* cum *Hermolaïs* & *Politianis* certamen sustinere, & fortasse ἐν τῷγε γεγόφειν Ἑλλησι primas illi tribui. Nec adhuc video quenquam qui tantum etiam possit ex tempore. Nam frequenter ad me scribit quavis de re totas *Græcas* aut semi-*Græcas* epistolas, idque ex tempore. Cæterum, quum essem in *Italia*, doctos omnes veneratus sum, nec quisquam à me contemptus est. *Angeli Colicii* nomen ne audivi quidem unquam, unde miror quod ille repererit invectivæ argumentum. De *Italorum* ingeniis semper candidissime & sensi & prædicavi. Ne *Casalium* quidem novi, qui utinam docuisset certam Proverbiorum interpretationem, quam in me desiderat. De mali corvi malo ovo refero quod est in *Græcorum* commentariis, de cornicis oculis torquebar, & consulto uno aut altero, nihil indipisci potui quod mihi satisfaceret. Nec mihi puto ignominiosum, si quis quid reperiat exactius, in tanta rerum tum turba, tum obscuritate. De sene illo nihil admiror, eo ingenio natus est, ut ipse sibi literas invideat. Talis fuit ante annos XXV. nec morbus hic solet ætate reddi mitior. Cæterum quod addidit de ἄνες, quod sonet *remitte*, & ἄφες, cui respondeat *dimitte*, frivolum esse vel illud arguit, quod *Lucæ* capite quinto & septimo, idem interpres, qui alias gaudet verbo *dimittendi*, ἀφέονται vertit *remittuntur*, non *dimittuntur*. Rursus in *Cantico Zachariæ*, *in remissionem peccatorum*, Græce est ἀφέσει. Iterum cap. 3. εἰς ἄφεσιν. Rursus *Levitici* 25. *annus remissionis* dicitur ἀφέσεως, non ἀνέσεως. Idem crebro comperies *Deuteronomii* 15. Iterum apud *Ezechielem* cap. 46. ἄφεσις est, non ἄνεσις. Ex his satis liquet quam non spectarit interpres quod senex iste ceu rem arcanam prædicat. Sed inepte facio qui colligam loca, ubi ἄφεσιν verterit *remissionem*, quum nusquam vertat aliter. Secunda ad *Corinth.* 8. ἄνεσιν vertit *remissionem*, sed *remissionem* intel-

* Satyr. VI. vers. 70.



Digitized by Google

An. 1524. ligit *relaxationem vitæ*, potius quam *condonationem peccatorum*. Cæterum demus aliquid intereſſe inter ἄφες & ἄνες, an ideo loquendum erat male *Latine*, *dimitte* pro *remitte*, quum ſint tot voces *Latinæ*, *condona*, *ignoſce*, *remitte*? Vides quam iſti non ſerio cogitent de ſacris Literis. Quod præcipito lucubrationes meas, ipſe jampridem confeſſus ſum hoc peccatum, & pœnas de me ſumo. Nunc excuduntur Epiſtolæ *Hieronymi*, in quibus plurima loca correxi. Ante annum exierant Proverbia, non paucis in locis vel locupletata vel caſtigata. Et eſt parata rurſus editio nova. Id polliceor me facturum quamdiu vixero. Hæc nos molimur in publicam utilitatem ſtudiorum, deſtituti codicum & eruditorum hominum adminiculis, dum interim iſti, in tanta rerum copia, ſibi habent quicquid habent. Si cenſent nihil edendum, in quo ſit quod poſſit reprehendi, proferant nobis aliquem *Italum*, qui hoc præſtiterit. *Theodorus Gaza* in nonnullis locis jure reprehenſus eſt à *Trapezontio*, nec puduit eruditiſſimum virum ea mutare. *Hermolaus* in præfatione *Themiſtii* vertenda, velut in ipſo portu, quod ajunt, impegit inſigniter. *Laurentius Valla* nonne locis aliquot evidenter labitur? Ne commemorem *Valas*, *Pios*, *Beroaldos* & *Raphaeles*. Dolet iſtis in vulgus ſpargi, quæ ſibi magnis laboribus compararunt. Agnoſco vocem iſto ſene dignam. Tanto magis optare debuit, ut fierent vulgo communia, ne periret tot annorum induſtria. Ego vero nunc mihi videor frui laboribus meis, poſtquam ſenex vincor à tam multis juvenibus: in hoc enim ſuſcepi tantum vigiliarum. Sunt qui pro officio reponunt maleficium; fateor, & experior in dies magis. At non eſt æquum ob ingratitudinem quorundam fruſtrari cunctos. Vel ingratis benefeciſſe bono viro dignum arbitror, ſed multo magis *Chriſtiano*. Nihil edunt iſti, ſed interim, ut ajunt, non decipiunt quenquam. Quis decipit? is ne qui locum depravatum indicat, & ubi non ſuccurrit vetuſtus codex, addit ſuam conjecturam? An parum debent ſtudioſi divinationibus *Hermolai Barbari* in *Plinium*? Nec iſta molimur abſque veterum exemplariorum præſidiis, ubi nanciſci licuit, ne errent, qui me nihil aliud putant quam divinatorem. In *Seneca* fefellit nos amicus quidam, qui quod ſuſceperat, præſtare vel noluit, vel non potuit: (nam ipſi huic editioni non adfuimus) qui ſentiens male navatam operam, exemplar denique mea manu notatum ſuſtulit. *Pannonium* illum tot millia mendarum ſuſtuliſſe ex naturalibus Quæſtionibus *Senecæ* ſane gaudeo: nam in hoc Opus nullum erat exemplar vetuſtum. Tantum ad aliam editionem contulimus, neque quicquam mutavimus, niſi quod palam eſſet librariorum incuria depravatum. Divinationes margini adjecimus, quarum aliquot, ni fallor, ille non improbabit. Itaque ſi mendas prodidit, meas non prodidit. De *Plauto* apud *Aldum* caſtigato quadraginta aureis, næ iſte modeſte mentitus eſt: viginti duntaxat coronati numerati ſunt, nec aliud ſuſceperam quam caſtigationem verſuum confuſorum, idque præſtiti in his in quibus carminis genus erat perpetuum. De mendis tollendis nihil receperam. In *Cypriano*, ubicunque ſuppetebat auxilium vetuſti codicis, non dormitatum eſt, & vident totos libros additos, non modo verſus. Si quid erratum eſt incuria typographi, præſtare non potui qui tum agebam in *Brabantia*. In *Suetonio* nihil à me depravatum eſt, ſed vetuſtiſſimi codicis fidem ſequutus ſum, nec ideo præcluſa eſt via iis, qui plus utilitatis adferre poſſunt. Ex iſtorum igitur induſtria, ſi proferant ſua, tantum abeſt ut ignominiam metuam, ut laudis etiam mihi nonnihil ſim arrogaturus, certe hoc, quod iſtis dormitantibus calcar ſubjecerim. De ſtyli formula nunquam fui ſuperſtitioſe ſollicitus. Sat eſt, ſi utcunque, non ſpurce loquens, intelligor. Quam vero veterem *Latini* ſermonis formulam in me deſiderant, quum inter veteres Scriptores tam multa ſint phraſeos diſcrimina? Quid convenit *Senecæ* cum *Quintiliano*? Quid *Quintiliano* cum *Ciceronе*? Quid *Valerio Maximo* cum *Saluſtio*? Quid *Livio* cum *Quinto Curtio*? Quid *Ovidio* cum *Horatio*? Non obſto quo minus alii mirentur dictionem *Pontani*, ego præter orationis non inamœnum fluxum & verborum tinnitum, nihil in illo magnopere ſuſpicio. *Marullus* mihi videtur nihil aliud ſonare quam Paganiſmum. Et ob hoc ipſum fortaſſis iſtis gratior eſt *Marullus* quam *Mantuanus*. Oderunt *Chriſti* nomen, quod noſtra barbaries utinam perinde ſinceriter ac vehementer amplecteretur. Verum quid hæc ad rem? Ut palatorum ita ingeniorum ſemper fuere diverſa judicia, nec ideo non cuique libera. Bella vero facetia de porrophago, quaſi toties utar hac dictione, aut quaſi utar tam inſcite. Quod alius hoc, alius illud in me deſiderat, bis moroſe faciunt. Primum qui ab uno requirant omnia. Denique qui requirant hoc à Scriptore quod non profitetur. Mihi ſatis eſt ſi in argumento ſuſcepto ſic verſor, ut præcurram ſuperiores. Etiamſi nominaſſes iſtum qui *Aleandrum Eraſmo* præfert in omnibus, nihil erat periculi. Nam & ipſe, plurimum tribuere ſoleo *Aleandro*, præſertim in literis, nihiloque magis me lædi puto, ſi doctior eſt, quam quod ditior eſt, aut formoſior: niſi forte me tam invidum exiſtimant, ut ægre laturus ſim, ſi quis me ſit ſanctior. *Aleander* ſi amicus eſt, ego certe hominis ingenium amo, mihi quoque privatim gratulor, meum eſſe ducens quod habet amicus. Sin parum amicus, tamen gratulor publice ſtudiis: nam ſpes eſt illum aliquando divitem iſtum eruditionis theſaurum orbi communicaturum. Quid audio? Negant *Hecubam* & *Iphigeniam* à me verſas, ſed alicubi repertas mihi vindicaſſe? Ubi repertas? In *Italia*? Jam *Badius* excuderat antequam adirem *Italiam*. Apud nos? Quis aliquid hujuſmodi vidit? Bene habet quod ſuperſunt adhuc qui mihi ſemper adfuerunt iſta molienti, *Joannes Paludanus*, *Montjoius*, *Thomas Morus*, *Thomas Linacer*, *Guilhelmus Grocinus*, *Guilhelmus Latamerus*. Aliena pro ſuis uſurpare non eſt *Eraſmicum*, qui in cæteris ſatis declararim meam ingenuitatem, adeo nihil alienum mihi vindicans, ut æquo animo feram me paſſim meis pennis vulnerari. Si parum reſpondent quæ vertimus in Proverbiis, cauſam nemo melius reddet quam *Aleander*, qui me vidit ex tempore tantum ſcribentem in hoc Opere, quantum illi excudebant. Excudebant autem ſingulis diebus ſenionem, hoc eſt geminum paginarum ternionem. Si videor aliquanto felicior in tragœdiis, quam in Adagiis, cauſa in promptu eſt. Quum verterem tragœdias, hoc tantum agebam, quanquam & tum ſæpenumero centum verſus unico impetu tranſtuli. In Adagiis eadem celeritate verti carmina qua proſam. Poſtremo, quod me negant orthodoxum, ad id crimen reſpondebo, ſi iſti nobis definierint, quid ſit orthodoxus, & ſuum *Chriſtianiſmum* proferant. Si non eſt orthodoxus, qui reprehendit aliquid in Epiſcopis aut ſacerdotibus, nec *Hieronymus*, nec *Cyprianus* erit orthodoxus. Quis autem exſpectabat, ut iſti in me deſiderarent pietatem? Cæterum quis divinaſſet hoc ſeculum exoriturum? *Romana* Sedes nulli potius acceptam ferre debet ſuam calamitatem, ſi qua eſt hic, quam iſtis qui ſic adamant profanas literas, ut minus habeant *Chriſtianiſmi*, quam illi ipſi quorum libris immoriuntur. Hæc moroſis cenſoribus & malignis arroſoribus reſponſa ſunto, quorum odium te crebra contentione nolim exacerbare. Benevolorum catalogum libenter legi. Inter quos nullius nomen agnoſco, præterquam *Sadoleti*, *Alcyonii* & *Coricii*. Loca, de quibus amanter admones, jam ante tres annos mihi reſtituta ſunt, ſed non iſta tantum, ô bone. *Mindeſio* ſcribam ſi quid dabitur ocii. Poſthac igitur exſpectabo tuas literas *Græce* ſcriptas, quas ſcito mihi fore gratiſſimas. Video te feliciter quidem eſſe progreſſum in hoc ſtudiorum genere, verum immori te nolim, ſed ſuaſerim adjungeres animum ad Philoſophiæ ſtudium. Novi enim

Digitized by Google

An. 1524. enim quantum absint à *Christianismo*, qui in bonis literis, velut ad scopulos *Sireneos* consenescunt, præsertim apud *Italos*. *Patavii* sanctius vivitur, & habes vicinos *Venetos*, inter quos complures invenies citra professionem egregie doctos, præcipue *Leonicum*. Decreveram plane hybernare in *Italia*, sed pestilentia dissuasit. Excuditur nunc liber *De libero arbitrio*. Hic non me fugit quos crabrones irritarim in caput meum, qui *Christum* & Euangelium habent in ore, *Satanam* in pectore. *Lutherus* etiam ipse conatur illos cohibere, sed nihil agit. Bene vale. *Basilea* 31. Augusti, Anno 1524.

## EPISTOLA DCXC.

*Erasmus Rot. Theodorico Hezio S. D. N. Adriani dudum Secretario* S. D.

MITTO ad te collationem *De libero arbitrio*, quam his diebus edidi, non ignarus quam non versarer in mea arena, quantamque tempestatem concitarem in caput meum, attamen declarare volui, mihi certe promptam voluntatem non deesse. Favor *Lutheri* in dies latius serpit. Jam *Galli* quidam magis insaniunt quam ulli *Germani*. Omnes habent in ore quinque verba, *Euangelium*, *verbum Dei*, *Fidem*, *Christum*, & *Spiritum*. Et tamen hic tales video multos, ut non dubitem quin agantur spiritu Satanæ. Utinam hic tumultus à *Luthero* excitatus, veluti violentum pharmacum, adferat nobis aliquid bonæ sanitatis. Texuissem tibi longam historiam rerum, quæ hic geruntur per *Lutheranos*, ut vocantur, quum hoc etiam cognomine sint indigni, si vacasset. Cura valetudinem tuam, vir optime. *Basilea* 2. Septembris, Anno 1524.

## EPISTOLA DCXCI.

*Erasmus Roterodamus Francisco Molino, Episcopo Condonienſi*, S. D.

UTINAM saxum essem quemadmodum scribis, vel advolverer istuc, si non ob aliud, certe fruiturus tuis istis longe candidissimis moribus. Nunc totus sum vitreus, aut si quid vitro fragilius. Nihil moror episcopas, quas promittit regia Majestas: exhaurirent me præsente pecunia, quæ satis exigua est: onerarent me ære alieno, involverent curis, eriperent hanc libertatem, sine qua non viverem triduum. Et thesauraria episcopatus est. Novi hoc corpusculum, novi hunc animum. Jam unum atque alterum mensem non sensi cruciatum calculi. Id vino debeo, quod nuper sum nactus. Rex totus est in rebus bellicis, quem tu quoque cogeris sequi, & instat hyems. Sunt & aliæ causæ, quæ mihi propemodum persuadent, ut exspectemus hirundinem. Interea per literas confabulabimur. Hyems, uti spero, sedabit istos bellorum æstus, tum isthic nidulabimur *Alcyones*. Regi *Christianissimo* non desines me commendare, cui cœlibatum accessisse doleo, quasi parum haberet malorum tanta bellorum tempestas. Virtus ejus promerebatur fortunam secundiorem. Bene vale. Datum *Basilea* 2. Septembris, Anno 1524.

## EPISTOLA DCXCII.

*Thomæ Card. Eboracensi Erasmus Rot.* S. D.

SERENISSIMI Regis tuamque sequutus auctoritatem, protinus & absolvi & edidi libellum *De libero arbitrio*, facinus audax in *Germania*, ut nunc quidem res habent. Temperavimus à conviciis, ne merito possint irritari. Quod si, ut solent, contumelioſe resſponderint, seipsos gravabunt, non me. Jam aliquot libelli provolarunt in caput meum, sed spero hoc illis non semper impune fore. Opus hoc nemini volui dicare. Clamassent ilico me conductum in gratiam Principum hæc scribere, itaque & magis illos provocassem, & Operi derogassem fidem: alioqui vel tibi dedicassem, vel summo Pontifici, qui misso diplomate humanissimo, atque etiam ducentis florenis aureis, egit gratias pro inscriptione Actorum. Non arbitratus sum hanc occasionem dandam malis, qui vel sine occasione maledicunt. *Livinum* meum tuæ celsitudini placere gaudeo. Apud me sat feliciter processit in utraque literatura. Cæterum amplas fortunas illi dare non possum. Natus est ad liberales disciplinas, & quanquam mihi vehementer necessarius erat, tamen magis habui rationem commodorum illius, quam meorum. Potest adjuvare studia cognati tui in Academia *Lovanienſi*. Amplitudini tuæ facillimum erit illum ditare, tantum id rogo, ut illi relaxes satis ocii ad literas; quo doctior evaserit, hoc futurus est utilior, tum tibi, tum tuis. Mitto libellum *De libero arbitrio* celsitudini tuæ, alterum regiæ Majestati, cui dignaberis me semper commendare. Quod in *Livinum* contuleris, in me collatum arbitrabor. Promisso munere ago gratias. Datum *Basilea* 2. Septembris, Anno 1524.

## EPISTOLA DCXCIII.

*Erasmus Rot. Hieronymo Aleandro, Archiepiscopo Brundusino*, S. D.

VIR eximie, rursum quereris, quod te literis meis traducam. Imo jam tribus aut quatuor locis in lucubrationibus meis honorificentissimam facio tui mentionem, quæ res apud *Germanos* mihi summam conflavit invidiam. Quod olim nonnihil questus sum per literas apud amicos, novum videri non debet, quum non ignorarem, quam hostiliter me primum impeteres. Vidi literas, quas scripseras *Leodienſi Episcopo*, quæ me præter causam satis odiose attingebant. Mox animum tuum iniquiorem in me magis exacerbavit atratus ille omnium qui vivunt sceleratissimus ac mendacissimus: cujus tamen res erant in eo statu, ut potuerim illum verbo perdere. Itaque & tu fugitabas colloquium nostrum, & Præsul ex eo tempore factus est parum amicus. Nec enim nescio quæ dixerit in concilio *Wormacienſi*, nec hodie sui dissimilis est. Porro quæ tu passim prædicares de me *Agrippinæ*, etiam *Poloni* & *Ungari* mihi narrabant in viis obvii. Certe illo tibi notus, qui jamdudum est patriarcha novæ ecclesiæ *Argentorati*, nunc etiam novus maritus, nihil non vel scripsit, vel narravit. Quin ex *Glapione* cognovi quam atrociter detulisses me apud Cæsarem, idem hic narravit præter cæteros Episcopus *Argentinenſis*. Porro quod postea sublevaris, habeo gratiam, & hoc patriarcha mihi narravit, sed sic ut eam laudem sibi vendicaret. Nec obscurum est mihi quam odiosas censuras de me ferant eruditi quidam *Romæ*, quibus tamen leviter commoveor. In eruditione facile cedo omnibus. Certe apud nostros barbaros tempore parum felici, non omnino infeliciter promovi recta studia, quæ tibi quoque non parum debent, nec tu minus illis. Quod si voles nos tuis etiam lucubrationibus adjuvare, videbis *Erasmum* candidum applausorem tuæ gloriæ. Nec dubito quin inter nos pulchre conveniret, si liceret convivere. Est istic *Angelus* nescio quis, qui scribit invectivas in me: sunt qui vocent *Lutherum Erasmianum*: sunt qui nimis impudenter jactant *Hecubam* & *Iphigeniam* à me non versas, quum tot sint qui viderint me sudantem in hoc pistrino: sunt qui dicant me in *Hieronymo* tantum divinasse, quum frequenter citem vetusta exemplaria; quæ ubi destituunt, sic divino, ut admoneam lectorem, non fallam. In *Cypriano* versus à typographis omissos mihi imputant: nam non aderam editioni. In *Seneca* quidam, ut scribunt, emendavit tria millia mendorum in Opere *De naturalibus quæstionibus*. In hoc Opere non succurrebat ullum exemplar vetustum. Et totum hoc negotium commissum erat cuidam, cui credituras eram etiam vitam meam, is rem absente me pessima fide gessit. Ubi sensit me queri, sustulit exemplar mea manu notatum, ne convinceretur. Epistolæ *Hie-*



Digitized by Google

An. 1524. *ronymi* modo ſunt rurſus editæ, plurimis locis emendatis. Præcipitandi culpam agnoſco, nec poſſum inficiari, ſed interim provehuntur ſtudia: ſi quis adferet elimatiora, non habet cur in me debacchetur, qui quod potui præſtiti. *Erraſmus Romæ* vocor, quaſi veſtri Scriptores, non dicam *Pios* & *Beroaldos*, ſed *Hermolaus Barbarus* & *Politianus* nuſquam lapſi ſint. Fingunt me hoſtem *Italiæ*, quum nemo candidius prædicet de ingeniis *Italorum*. Quadraginta aureis conductus male caſtigavi *Plautum*, imo pactus coronatis viginti, tantum curſim perlegi, ut diſtinguerem verſus, ubi genus carminis eſſet perpetuum, de mendis tollendis nihil receperam. Itaque quiſquis hic præſtiterit operam, nihil habet rei mecum. Aliaque permulta dicuntur iſtic à moroſis cenſoribus, in quibus nonnulla ſunt quæ videntur abs te profecta. Nam quod quidam te mihi præfert in omnibus, etiam in re Theologica, non arbitror ad meam ignominiam pertinere, non hercule magis, quam quod ditior es, aut formoſior. Hoc ipſum abunde glorioſum eſt mihi, vel conferri tecum. Sed de his jam nimis multa. Eſto liberum cuique ſuum de me judicium, modo me patiantur eſſe orthodoxum. Hæc liberius ad te ſcripſi, nactus notum ac certæ fidei χαμαιλοφόρον. Sit igitur inter nos omnium illorum ἀμνησία, & ſenties *Eraſmum* conſtantem & candidum tuæ gloriæ fautorem. Bene vale. *Baſilea* 2. Septembris, Anno 1524.

## EPISTOLA DCXCIV.

*Eraſmus Rot. Joanni Matthæo Giberto, Clementis VII. Datario, Epiſcopo Veronenſi*, S. D.

SCRIPSI pridem per *Ennium* Epiſcopum *Verulanum*, nec dubito quin, ut vir ille ſemper noſtri ſe declaravit amantiſſimum, præſtiterit, ne vel fidem, vel diligentiam in ipſo poſſim deſiderare: attamen quoniam in rebus humanis varii caſus incidunt, nactus hunc mihi probe notum *Hermannum Blavium*, ejuſdem epiſtolæ exemplar mitto denuo. In prioribus literis erratum erat in titulo tui nominis. In iiſdem adjunxeram quædam manu mea, ſatis libere, ſed quæ dicas non omnino temere dicta, ſi ſpectes ſtatum *Germaniæ*, quam vix poſſum oratione depingere. Miteſcerent, opinor, ſi mox quædam relaxarentur. Si res tentetur ſævitia, neſcio quem exitum ſit habitura: & tamen ſunt complures in hac fabula, qui nihil aliud conari videntur, quam ut omnia tumultu miſceant. Mitto libellum *De libero arbitrio*, & eadem ferme ætate è muſico factus retiarius in arenam prodeo, qua *Publius* Mimographus prodiit in ſcenam. Hoc laboris nemini viſum eſt dicare, quanquam eram ſubmonitus ut dicarem Cardinali *Eboracenſi*. Clamaſſent illico, me conductum aut aliquid venantem, in gratiam Principum hæc ſcribere. Itaque & Operi detraxiſſem fidem, & irritaſſem crabrones ſatis ſua ſponte inſanientes. Abſque convitiis rem tracto, ut ſi illi conviciis agant, evidentius ſit quo ſpiritu agantur. Non me fugit, quantum tempeſtatum excitarim in caput meum. Sed certum eſt omnia perſequi potius quam dare nomen huic conjurationi, in qua video multos tales, ut nec *Lutherus* eos ferat. Repererunt novum dogma, ut obſiſtentes Euangelio, ſic enim illi loquuntur, furioſis ac mendacibus libellis, abſque titulis, aut falſis titulis obruant. Habent ſuos quoſdam typographos, habent diſtractores huic negotio devotos. Jam aliquot tales libelli provolarunt in caput meum, exſpecto quotidie plures. Admonui tamen Senatum *Argentinenſem* & *Baſilienſem*, ut horum ſceleratam audaciam coerceant. Uterque promiſit ſe digna. Minus illorum ſicas metuo quam libellos. Nihil enim facilius, quam quodvis crimen in hominem confingere. Nihil autem his temporibus tam impudenter fingi poteſt, quin inveniat plurimos, qui arrideant, ob inſana partium ſtudia. Ab his intemperiis, nec Pontificis auctoritas, nec Cæſaris poteſtas nos poteſt defendere. Rurſus ea eſt quum ætas hæc, tum valetudo, ut nec Cæſar, nec Pontifex me beatum reddere queat. Quiſquis enim nunc epiſcopatum aut dignitatem dederit, nihil aliud dederit quam ſarcinam mox emorituro. Eoque magis adnitendum eſt mihi, ut hac in re ſinceram præſtem conſcientiam, in quo ſciens non fallam. Quod ſi pars utraque jus ſuum mordicus tueri pergat, vereor ne talis oriatur pugna, qualis fuit inter *Achillem* & *Hectorem*, inter quos pariter feroces ira fuit capitalis, quemadmodum ait *Flaccus*, ut ultima divideret mors. Scripſit ad me *Nicolaus Marvillanus*, *Clementis* animum neſcio quibus de cauſis alieniorem factum ab Academia *Lovanienſi*, proinde rejicere preces ambientium confirmationem veterum privilegiorum. Primum, hic illud velim præfari, vir clariſſime, hac in cauſa mihi nec meti, nec ſeri: tamen qui huc inſtigant Pontificem, fortaſſis ſervientes privatis affectibus, mea ſententia non optime conſulunt illi. Satis odii conflatum eſt Pontificio nomini, etiamſi nihil accedat. Nihil autem odioſius, quam revocare quod majorum benignitas indulſit, quæ potius dilatari conſuevit. Et decet *Clementem* ſuo nomini reſpondere. Adde quod hæc Academia eſt unicum ornamentum Cæſareæ apud nos ditionis, ſic florens omni genere ſtudiorum, ut non cedat *Pariſienſi*. Nec ulla minus infecta eſt *Lutherano* negotio. Nec enim illi debet imputari, quod *Nicolaus Egmondanus* cauſam Pontificiam infeliciter geſſit. Quid enim aliud faceret homo natura fatuus, nec admodum doctus, moribus inamœnis, præfracti animi, impotenti impetu, nec alio ſpectans quam ad ſuum commodum. Itaque quod evenit, futurum prædixeram *Aleandro*, pernoveram enim hominis ingenium. Huic *Adrianus* Sextus miſſo diplomate impoſuerat ſilentium de me: nam in prælectionibus publicis, in concionibus deblaterabat, quæ nec *Oreſtes* furens diceret in quenquam: nunc *Adriano* mortuo cœpit denuo gannire, ſed ridetur ab omnibus. *Clemens* in diplomate ſuo pollicetur animum, quem nunc habet, conſtantem: ego viciſſim polliceor, quicquid officii præſtare poteſt addictiſſimus filius optime merito patri. Bene vale, vir eximie, & iſtum candidiſſimum animi in me tui favorem obtine. Ubi ſe dabit opportunitas, nos viciſſim dabimus operam, ne penes hominem omnino ingratum collocaſſe videaris tuum officium. Datum *Baſilea* 2. Septembris, Anno 1524.

## EPISTOLA DCXCV.

*Eraſmus Rot. Georgio Duci Saxoniæ* S. D.

ILLVSTRISSIME Princeps, quod hactenus tuæ Celſitudinis hortatibus non paruerim, quum alia multa, tum duo præcipue in cauſa fuere: primum, quod non ſolum me viderem & ætate & ingenio imparem huic periculoſiſſimo negotio, verum etiam quod miro quodam naturæ ſenſu ab hujuſmodi gladiatoriis pugnis abhorrerem. Quid enim his libellis, qui nunc undique provolant, agitur, niſi quod agi ſolet in arena gladiatoria? Deinde quod perpenderem *Lutherum*, qualis qualis eſt ejus doctrina, quoddam eſſe neceſſarium malum, in undiquaque corruptiſſimis Eccleſiæ rebus, atque ex eo pharmaco quamvis amaro ac violento optabam, ut aliquid bonæ ſanitatis naſceretur in corpore populi *Chriſtiani*. Nunc quum comperio pleroſque hanc meam moderationem interpretari colluſionem cum *Luthero*, cum quo nihil unquam mihi fuit ſecreti fœderis, ſimulque cum video ſub prætextu Euangelii, ſubnaſci novam gentem, procacem, impudentem & intractabilem, breviter talem, ut nec *Lutherus* ipſe ferat, quanquam illi eadem improbitate, qua contemnunt Epiſcopos & Principes, contemnunt & *Lutherum*, prodimus in arenam eadem ferme ætate, qua *Publius* Mimographus prodiit in ſcenam, quæ res quam mihi ſit futura felix neſcio; certe opto ut Reip. *Chriſtiana* ſit felix fauſtaque. Mitto tuæ Celſitudini libellum *De libero arbitrio*, de quo vi-

di

Digitized by Google

An. 1524. di pridem tuam eruditissimam epistolam. Addidit mihi suis literis calcar serenissimus *Angliæ* Rex, & *Clemens* VII. sed longe vehementius istorum quorundam rabularum improbitas, qui nisi coerceantur, simul & Euangelium & bonas literas subversuri sunt. Ego Pharisæorum tyrannidem tolli cupiebam, non mutari: quod si serviendum est, malim Pontifices & Episcopos, quales quales sunt, quam istos quosdam sordidos *Phalarides*, illis omnibus intolerabiliores. Exspecto tuæ Celsitudinis judicium, cui precor omnia felicia. *Basileæ* 4. Septembris, Anno 1524.

## EPISTOLA DCXCVI.

*Erasmus Cutberto Tonstallo, Episcopo Londonensi*, S. D.

VEREOR ne videar improbus & obstreperus, si toties agam gratias, quoties tu provocas, ut debeam. Jacta est alea. Exiit libellus *De libero arbitrio*, moderatissime quidem ille scriptus, sed qui gravissimos tumultus, ni fallor, sit excitaturus. Jam aliquot libelli provolarunt in caput meum. At tamen timent, oderint dum metuant. Retexui pleraque. Cuperem ut per ocium perlecto libello scriberes mihi sententiam tuam, ut soles, amice. *Joannem Damascenum* hic nusquam potui nancisci. Non misi aurum, cujus scio tibi domi esse vim immensam, sed novitatem. Sic fluxit in terræ venis ut vides. Si quid mihi accideret humanitus, perisset. Nunc in tuto posui. Dum istic ageret meus famulus, sic periclitatus sum calculo, ut plane sperarem malorum finem. Nunc vinum nactus novum, unum atque alterum mensem meliuscule habeo. Rex *Galliarum* incredibili est in me affectu. Exspector. Thesauraria *Turonensis* parata est, τούλάχιστον quingentorum coronatorum. Præmisi *Hilarium* meum. Sed dum cogito Regem esse totum in bellis, instare hyemem, valetudinem aliquanto commodiorem, sed quæ quamlibet facili occasione posset periclitari, postremo dignitates ejusmodi mihi nihil aliud esse quam bovi clitellas, propemodum decrevi hic hybernare. Accedit & illud, si quo nunc migrarem, clamarent omnes *Lutherani*, me cessisse metu. Præstat in primo fremitu adesse. Si cupis tuum Opus excudi, agam cum *Frobenio*. Nondum enim egi serio. Bene vale, Præsulum optime. Datum *Basileæ* 4. Septembris, Anno 1524.

## EPISTOLA DCXCVII.

*Erasmus Roterodamus Guilhelmo Archiepiscopo Cantuariensi* S. D.

AMPLISSIME Præsul, arbitror tibi redditam imaginem pictam, quam misi ut aliquid haberes *Erasmi*, si me Deus hinc evocarit. Mense Aprili graviter periclitatus sum pituita, vix convalueram, successit calculus, tam atrociter, ut omnino sperarem malorum finem. Nunc aliquanto commodius habeo. Hæc scribo, quo magis mihi gratuleris, cui scio meam incolumitatem anxie cordi esse. Siquidem, ut scribis, me periclitante concuteris, & rursus, me victore, recipis animum. Quod me jubes esse forti animo, si mihi cum una acie dimicandum foret, utcunque sustinerem belli molem, nunc cum triplici exercitu res est. *Romæ* quidam, qui literas Ethnicas adamant, misere mihi invident, quemadmodum literis suis significant amici. Theologi quidam ac Monachi nihil non moliuntur quo me perdant. Sed nulli fremunt insanius, quam isti qui se *Lutheranos* appellant, quum horum intemperias detestetur etiam ipse *Lutherus*. *Clemens* Septimus misit honorificum *Breve* cum centum angelatis, majora pollicens: *Stunicæ*, qui nullum insaniendi finem videbatur facturus, silentium imposuit. Regum amicitiam hactenus alui. Rex *Galliarum Franciscus* incredibili est in me affectu. Rursus vocor in *Galliam*. Parata est jampridem Thesauraria *Turonensis*, ampli proventus; sed tales sarcinas nihil moror, & libertatis avidus, & brevi moriturus. Amat ac favet *Ferdinando*, qui jam sæpe scripsit, ac nuper misit centum aureos. *Poloniæ* mea est, & apud *Hispanos* fato quodam incipio esse gratiosus. A *Lutheranorum* arena lubens abstinuissem, idque hactenus totis viribus sum conatus, sed jam pridem ab amicis spes erat injecta Pontifici ac Regibus, fore ut aliquid ederem, eamque spem & ipse utcunque pollicitis alueram. Si nihil prodisset, habuissem illos infensos, quibus visus fuissem obtrudere palpum. Simulque, quoniam rumor libelli prodituri jam apud omnes sparsus erat, *Lutheranos* habuissem iniquiores, qui vel metu me premere libellum prædicassent, vel atrocius aliquid quam res habet exspectassent. Certe sic obturavero os istis, qui Principibus omnibus hoc persuadere conantur, mihi per omnia convenire cum *Luthero*. Hoc quidam conantur odio mei, quo me Principibus reddant invisum; quidam ut meo periculo causam *Lutheri* reddant vincibiliorem. *Hieronymum* ad te mitto, nondum poterat compingi ob recens atramentum. Sacerdotium nihil moror, modo Deus velit te mihi superstitem esse. Accepi bis decem libras, alteras quas ex *Potkino* reddidit *Hispanus Dassa*, ni fallor: alteras attulit huc *Franciscus Bercmannus*, nactus isthic ex bibliopola quodam, quum nihil rerum mearum illi velim committi. Pro aucta pensione habeo gratiam. Male sit istis bellis, quæ nos toties decimant. Atqui arbitrabar pensiones esse liberas ab exactionibus. Equum accepi non admodum pulchrum, sed bonum, caret enim omnibus peccatis mortalibus, excepta gula & acedia: & ornatus est omnibus virtutibus boni Confessoris, pius, prudens, humilis, pudicus, sobrius, castus, & quietus, neminem mordet, nulli occalcitrat. Suspicor ministrorum vel dolo, vel errore factum, ut alius equus veniret pro eo, quem tu mitti jusseras. Nihil mandaram famulo de equo, nisi si quis forte daret ultro bellum & commodum. Et tamen pro animo tuo summam habeo gratiam. Ego de vendendis equis cogitabam, quando jam eques esse desii. Famulo meo succenseo, qui injussu meo hoc ausus est, cujus incuria pervenit huc equus longe deterior. Quod aliquid boni promittis extra conspectum malorum, quid sit non satis intelligo. Si Deus dederit vitam, fortasse proximo vere fruar alloquio celsitudinis tuæ. Vehementer gaudeo, Epistolas *Hieronymi* feliciter absolutas; nam in his plurima restitui. Cætera quoque volumina sequentur, si convenerit inter typographos: nam res est immensi sumptus; nec unius hominis. Dominus *Jesus* te servet incolumem, optime *Mecœnas*. *Basileæ* 4. Septembris, Anno 1524.

## EPISTOLA DCXCVIII.

*Erasmus Rot. Joanni Episcopo Roffensi* S. D.

REVERENDE Præsul, mœrens ac dolens hoc verbum legi in epistola tua, *Utinam vivum me repetiat liber*, &c. Auxit famulus dolorem, qui nunciavit affligi te adversa valetudine. Nihil indulges isti corpusculo. Suspicor magnam tuæ valetudinis partem nasci ex loco. Nunc enim medicum agam si pateris. Mare vicinum, & lutum subinde maris decessu nudatum, cœlum exasperat. Et habes bibliothecam undique parietibus vitreis, qui per rimas transmittunt auram subtilem, &, ut medici loquuntur, colatam, pestilentem raris & imbecillis corpusculis. Nec me fugit quam assiduus sis in bibliotheca, quæ tibi paradisi loco est: ego si in tali loco commorarer tres horas, ægrotarem. Magis conveniret cubiculum pavimento ligneo, & parietibus undique ligno contabulatis. Spirant enim lateres & calx noxium quiddam. Scio pie viventibus mortem non esse formidabilem, sed totius Ecclesiæ refert, talem Episcopum esse superstitem in tanta bonorum inopia. Quomodo valeat *Erasmus* non perinde refert. Id tamen si cupis cognoscere, Calculo nunquam sum gravius periclitatus, quam mense

Ma-

Digitized by Google

An. 1524. Majo. Nactus aliud vinum, jam menſem unum aut alterum mitius habet me calculus. Gratularis mihi triumphos, quomodo triumphem neſcio, certe triplex ſuſtineo certamen; Cum Paganis illis *Romaneuſibus*, qui mihi miſere invident; Cum Theologis quibuſdam ac Monachis, qui nullum non movent lapidem ut me perdant; Cum rabioſis quibuſdam *Lutheranis*, qui fremunt in me, quod unus, ut ajunt, remorer ipſorum triumphos. Remoror autem, quod nolim capitis mei periculo profiteri totam *Lutheri* doctrinam, in qua multa ſunt quæ non aſſequor, multa de quibus ambigo, multa quæ, etiamſi tutum eſſet, non auderem profiteri, propter conſcientiam. Optarim ex hoc tumultu, quem *Lutherus* excitavit, velut ex amaro violentoque pharmaco, naſci bonam aliquam ſanitatem Eccleſiæ. Et tamen quum video quorundam malitioſos mores, qui nunquam non crepant nomen Euangelii, præſagit animus infelicem & cruentum exitum. Factio creſcit in dies latius, propagata in *Sabaudiam*, *Lotharingiam*, *Franciam*, atque etiam *Mediolanum*. Tumultuatur & *Burgundia* nobis proxima, per *Phallicum* quendam *Gallum*, qui è *Gallia* profugus, huc ſe contulit, homo rabula, effreni tum lingua, tum calamo. Ceſſit hinc, nec opinor rediturum, ſic rem geſſit, ita quondam ſolent Euangelii præcones. Admoveram manum Operi, quod efflagitas, nec ſolus efflagitas, ſed morbus extrema minitans, & alia quædam quæ inciderunt, coegerunt intermittere. Hæic negotio ſumam hanc hyemem volente Deo. Quanquam decreveram poſthac à contentioſis dogmatibus abſtinere, & vertendis *Græcis* ac profanis argumentis, ſed ad mores non infrugiferis, ocium fallere. At in ratione concionandi cogor quædam indicare, quæ perperam fiunt à quibuſdam concionatoribus, tum attingere aliquot Theologorum dogmata, tuis tamen auſpiciis accingar. Edidi libellum *De libero arbitrio*, haudquaquam neſcius quam non verſarer in mea arena. Sed Principibus jam data ſpes erat, apud quos me videbam per inimicos periclitari, eam ego ſpem literis confirmaram. His viſus fuiſſem dare verba, ſi nihil prodiſſet; & *Lutheranis* odioſe provocantibus viſus fuiſſem metu conticeſcere, & atrocius aliquid exſpectantes, acrius, quam ſæviunt, ſæviſſent. Nec defuiſſent qui me jactaſſent ex pacto ſilere, quod jam intelligerem ſparſam per neſcio quos Epiſtolam, qua *Lutherus* mihi deferebat pacem: ſed hac lege, ſi non ex profeſſo impugnarem ipſius dogmata, etiam ſicubi nomen ejus aliquo dicto perſtrinxiſſem. Sic erat in fatis meis, ut hoc ætatis ex muſico fierem gladiator. Dominus *Jeſus* conſervet te, Præſul optime & patrone unice. *Baſilea* 4. Septembris, Anno 1524.

## EPISTOLA DCXCIX.

*Eraſmus Roterod. Paceo ſuo* S. D.

PLANE confido, qui tui eſt ingenii candor, mi *Pacæe*, te perpetuum amicum futurum: nec ob id deſciſces ab amicitia, quod tanto ſis felicior. Atque utinam ſis multo etiam felicior. Si commentarii noſtri jam advecti ſunt, ut puto, fac diligenter recondas, aut, quod malim, apud *Morum* deponas, donec repoſcam. *Linacrum* fac in amicitia retineas, & ſi fieri poteſt etiam *Grocinum*. Non hæc ſcribo, quod vel metuam aliquid, vel quicquam ab illis exſpectem commodi, ſed quod tales viros perpetuo velim amicos. Non egent illi meis præconiis, illud tamen auſim dicere, nec inter *Anglos* eſſe, qui de illis vel ſenſerit magnificentius, vel prædicaverit honorificentius, quam *Eraſmus*. Et non libet meminiſſe, quid uterque, haud ſcio quorum inſtinctu, in nos molitus fuerit, id quod ipſa re comperi, non ſuſpicione conjeci: quanquam olim jam idem olfeceram. Sed homines ſumus, ego ſemper ero mei ſimilis, & huic injuriæ tot opponam illorum benefacta. *Linacri* feci honorificam mentionem in ſcholiis *Hieronymianis*. Nil magnum ſit, ſi contemnam, contemptus; ſi oderim, odio habitus. Illud literis eſt dignius, officiis certare, non odiis. Apud Cardinalem *Eboracenſem*, quoties inciderit commoditas, fac *Pacæum* agas. Cura ut recte valeas. *Baſilea* 4. Septembris, Anno 1524. An. 1524.

## EPISTOLA DCC.

*Eraſmus Roterod. Richardo Bero, Abbati Glaſconienſi*, S. D.

OLIM perſuaſus à *Richardo Pacæo*, qui mihi, quum ageremus *Ferrariæ*, ſæpe prædicabat tuam erga literas benignitatem, venabar & ipſe notitiam amplitudinis tuæ. Verum ea venatio mihi parum ſucceſſit, fortaſſis ob hoc, quod uterer cæco duce, videlicet *Bernardo* illo *Andrea Gallo*, quondam *Arturi* Principis optimi non optimo præceptore. Itaque quoniam eram cæcus, quia non noveram amplitudinem tuam, & cæco duce ſum uſus, factum eſt ut ambo in foveam deciderimus. Præterea ſacellanus tuus, qui prodierat ut nos ſalutaret, multa odioſe diſputabat de libro quem adferebam: putabat enim eſſe argumenta *Hieronymi*, quæ tractaſſem ſtylo politiore, quaſi divus *Hieronymus* mihi non ſatis polite loquatur. Verteram è *Græcis* quæ nunc vides addita Novo Teſtamento *Græce*, ut tum erant. Mea verſio poſteaquam diſplicuit tibi, cœpit & mihi diſplicere. Alioqui addidiſſem ſupremam manum, &, niſi tu diſſuaſiſſes, edidiſſem. Sed magis ipſe mihi diſplicui, qui præter ingenium ac morem meum captaſſem amicitiam tanti Patris. Nihil enim improbius hoc hominum genere, qui ſordide captant potentes, ut aliquid abradant vel ab invitis, nec hic animus ab ullo mortalium genere magis abhorret. Et fortaſſe tua amplitudo ſuſpicatur me è ſordidorum iſtorum eſſe numero. Ego tamen te nunquam amare deſii, vel ob *Richardum Pacæum* dimidium animæ meæ, cujus ſtudia tua liberalitas olim adjuvit, vel ob *Zachariam Friſium*, virum integerrimum, mihique multis nominibus chariſſimum, qui tuam erga ſe humanitatem ſuis ad me literis nunquam deſinit prædicare. Quod in tales amicos collatum eſt, in me collatum arbitror. Precor ut *Chriſtus* amplitudinem tuam diu ſervet incolumem. Datum *Baſilea*, octava S. *Auguſtini*, ſive 4. Septembris, Anno 1524.

## EPISTOLA DCCI.

*Eraſmus Roterodamus Toneſio, Conſiliario Cardinalis Eboracenſis*, S. D.

VIR ornatiſſime, Non injuria me objurgat per literas *Guilhelmus Burbancus*, quod te tam candidum amicum, tam fortem patronum, tam inſigniter eruditum hominem, nunquam hactenus ſalutarim epiſtola. In cauſa eſt, quod dum & amicis & inimicis cogor reſpondere, quorum ingens eſt numerus, nullum temporis ſpacium mihi vacuum relinquitur. Cæterum eximias ingenii tui dotes, ac ſingularem quendam in me favorem, *Thomas Morus*, auctor, ut ſcis, & gravis & facundus, mihi non ſemel prædicavit. Scio, mi *Toneſi*, agnoſco & memini, agoque gratias, libentius, ſi queam, relaturus. Ubi plus ocii dabitur, pluribus tecum agam. Interim precor ut quam belliſſime valeas. Datum *Baſilea* 5. Septembris, Anno 1524.

## EPISTOLA DCCII.

*Eraſmus Roterodamus Regi Angliæ Henrico* VIII. S. D.

INVICTISSIME Rex, non ignorabam, quam eſſem ineptus arenæ gladiatoriæ, ſemper in amœniſſimis Muſarum hortis verſatus. Sed quid non audeam tuæ feliciſſimæ Majeſtatis fretus auſpiciis? Jacta eſt alea, exiit in lucem libellus *De libero arbitrio*, audax, mihi crede, facinus, ut nunc res habent *Germaniæ*. Exſpecto lapidationem, & jam nunc aliquot rabioſi libelli provolarunt in caput meum. Sed conſolabor meipſum, exemplo Majeſtatis tuæ, cui non parcit iſtorum

Digitized by Google

An. 1524. rum immanitas. Decretum erat & alioqui facere ad quod per literas hortaris, & religioni *Christiana* juvandæ immori; sed tamen alacrior id faciam, posteaquam tua Majestas currenti, quod ajunt, calcar addere dignata est, cui precor felicitatem perpetuam. Datum *Basilea* 6. Septemb. Anno 1524.

## EPISTOLA DCCIII.

*Erasmus Rot. Philippo Melanchthoni* S. D.

SI *Pelicanus* in tempore ostendisset mihi tuas ad ipsum literas, *Joachimus* non rediisset istuc absque meis literis. Sic enim videbantur ad illum scriptæ ut crederes à me legendas. Quidam amicus ad me scripsit te huc quoque perventurum fuisse, ni metuisses ne me gravares invidia. Ego vero, mi *Melanchthon*, eam invidiam facile contempsissem. Nam quod *Hutteni* colloquium deprecabar, non invidiæ metus tantum in causa fuit: erat aliud quiddam, quod tamen in *Spongia* non attigi. Ille egens & omnibus rebus destitutus quærebat nidum aliquem ubi moreretur. Erat mihi gloriosus ille miles cum sua scabie in ædes recipiendus, simulque recipiendus ille chorus titulo *Euangelicorum*, sed titulo duntaxat. *Sletstadii* mulctavit omnes amicos suos aliqua pecunia. A *Zwinglio* improbe petiit, quod ipse *Zwinglius* mihi suis literis perscripsit. Jam amarulentiam & glorias hominis nemo, quamvis patiens, ferre poterat. Imo nisi *Wittenberga* tam procul abesset, non dubitassem istuc proficisci dies aliquot, cum *Luthero* ac tecum communicaturus. Porro ne scriberem persuasit illa prima ad *Lutherum* epistola, magno meo periculo edita. Hæc enim dedit ansam *Aleandro*, jampridem iniquo in me animo, ut me perditum iret, conatus *Leonis* animum irritare in me, simul *Leodiensis* Episcopi, qui prius pene deperibat, ut ita loquar, in *Erasmum*. Nam ipse *Leodiensis* ostendit mihi literas, quas ad eum è *Roma* scripserat *Aleander*, satis odiose me attingentes. Quum itaque viderem apud istos nihil esse clam, judicavi rectius cohibere calamum. Quin & exemplar epistolæ, quam *Lutherus* ad me scripsit per *Joachimum*, habetur *Argentorati*, non dubito quin brevi prodituram. Ediderunt in odium mei tuum de me judicium, rursus *Lutheri* duas epistolas. Hujusmodi næniis famelici quidam & sordidi typographi prospiciunt rei culinariæ. Addiderunt epistolam meam ad *Joannem Fabrum*, plusquam ex tempore scriptam, quæ tamen declarat, quam non incitem quenquam ad sævitiam, aut ad prodendum Euangelium. Verum de his alias. Perlegi locos omnes, in quibus perspexi tuum istud ingenium non minus candidum quam felix, quod ego semper tum suspexi, tum amavi, sed magis etiam utrunque facere cœpi posteaquam illa legi, tantum abest ut me ejus operæ pœniteat, quanquam inter legendum scrupulis aliquot offendebar, de quibus voluissem tecum communicare si coram licuisset. Video dogmatum aciem pulchre instructam adversus tyrannidem *Pharisaicam*: sed in his quædam sunt, quæ, ut ingenue fatear, non assequor; quædam ejus generis, ut etiamsi tutum esset, nollem profiteri propter conscientiam; quædam ejusmodi, ut sine fructu videar professurus. Et tamen isti fremebant in me, quod non profiterer ea quæ vel non intelligebam, vel non probabam, idque contra meam conscientiam, summo capitis mei periculo, nec mei solum, verum etiam amicorum, quibus magis metuo quam mihi. Dices, cur igitur non statim impugnabas quæ displicebant? Quia favebam negotio renovandæ libertatis Euangelicæ, & sperabam *Lutherum* admonitum moderatioribus consiliis usurum. Itaque clamores Theologorum, quoad potui, compescui, Principum sævitiam cohibui, quod & hodie facio. Causam bonarum literarum semovi à causa *Lutheri*; captabam occasionem, ut Euangelio sine tumultu consuleretur, aut certe sine gravi tumultu. Ne adhuc quidem ullam prætermitto occa-



sionem, scribens ad Cæsarem, aliosque Principes, *Gamalielem* quendam agens, optansque felicem aliquem fabulæ exitum. Pontifici *Adriano* liberius scripseram super hoc negotio. Postea senseram me periclitari, non quod impeteret ipse, sed quod adversus impetentes desineret tueri. Nec satis tutum erat illi, quamvis blandienti, fidere. Scripsi tamen & *Clementi* satis libere; scripsi Card. *Campegio*. Nescio qualis sit vestra Ecclesia, certe hæc tales habet, ut verear ne subvertant omnia, & huc adigant Principes, ut vi coerceant simul & bonos & malos. Habent semper in ore *Euangelium*, *verbum Dei*, *fidem*, *Christum* & *Spiritum*; si mores spectes, illi longe aliud loquuntur. An ideo depellimus dominos, Pontifices & Episcopos, ut feramus immitiores tyrannos, scabiosos *Othillones* & *Phallicos* rabiosos? nam hunc nuper nobis misit *Gallia*. Dices, olim Euangelium habebat suos pseudo-Apostolos, qui sub pietatis titulo negotium agebant ventris. Verum hos interim tenere fovent hi proceres Euangelii, *Capito*, cujus vafricies mihi semper oboluit; *Hedio*, qui scurram impurum, ex occasione mearum literarum per quas debebat dare pœnas, sublevavit, misericordiam appellans, quod haberet uxorem & teneros liberos. Nec aliud agit etiam nunc, quam ne quid detrimenti capiat res & fama nebulonis. *Oecolampadius* cæteris paulo modestior est, & tamen est ubi in illo quoque desiderem Euangelicam sinceritatem. *Zwinglius* quam seditiose rem gerit. Ne quid interim commemorem de aliis. Non assentiuntur vobis, nec inter se consentiunt, & postulant ut ipsorum auctoritati freti, ab omnibus orthodoxis Patribus & Conciliis deficiamus. Tu doces errare eos, qui imagines ut rem impiam ejiciunt; *Zwinglius* quantas turbas concitavit ob imagines? Tu doces vestem nihil ad rem facere; hic complures docent cucullam omnino excutiendam. Tu doces Episcopos & Episcoporum constitutiones ferendas, ni pertrahant ad impietatem; hi docent omnes esse impias & Antichristianas. Quid insanius hoc negotio, quod hic cœperant ante biennium auctore docto quodam, aut certe socio. Nosti fabulam de porcello, cujus occasione sectus est infelix ille *Sigismundus*. Et tamen mihi parum amicum amanter excusavi apud Episcopum *Basiliensem*, honorifice de illo prædicans, quum ille nusquam non blateraret in me: quum interim mensa mea & cubiculum pateret vocato simul & invocato, nec usquam verbo læderetur à me. Admonitus quod nusquam cessaret vibrare linguam in me, provocavi blande ut coram admoneret si quid offenderet, me satis facturum, noluit. Quum scripsisset libellum, in quo taxaverat aliquot è magistratu, idque multi jam resciissent, non sine illius periculo, clam admonui blandissimis & amantissimis literis, ut caveret. Quum discessisset hinc, & adhuc lingua sæviret in me, scripsi blandam & amicam epistolam. Tandem exiit epistola nomine *Erasmi Alberi*, quam promiserat ille ψωρώδης, ut scias rem ex composito geri. Dissimulavit stylum imitatus quædam tua. Sed ut nihil aliud sit, toties contemptim repetitus *Erasmus* satis arguit auctorem. Et videtur ex tuo colloquio factus ferocior, jactans se discipulum ejus quem docet *Lutherus*. Nihil jam dicam de puritate vitæ illius, de castitate linguæ, de profusione, de fraudatis creditoribus. Quomodo isti commendant Euangelium hoc novum? Atque hic est ille amicus nunquam à me læsus, semper candide prædicatus, & ad intimam familiaritatem admissus. De *Capitone* sunt multi qui pessime sentiunt, & ego non optime suspicor; certe ex illius ædibus scabiosus ille prodiit ad excudendum rabiosum libellum. *Thrasonem Planodorpium* semper habuit in deliciis, deinde sic excusavit sese, tum anxie, tum apud omnes, ut illa ipsa excusatio mihi augeret suspicionem. Uni fidebam *Hedioni*, de quo nondum pessime sentio. Miseram ad illum exemplum epistolæ tuæ, quam scripseras, ni fallor, *Hymelbergio*, in qua mirabaris nondum pendere quem noveras



Digitized by Google

An. 1524. ante duodecim annos, &c. Non erat additum nomen, sed qui miserant, subindicabant nescio quid de *Thrasone*. Id misi *Hedioni*, non ob aliud, nisi ut caveret; ostendit *Capitoni*, *Capito* glorioso militi. Hinc furit ille, gladios & laqueos minitans. *Zwinglius*, amice monitus à me, rescripsit admodum fastidiose: Quæ tu scis, inquit, non conducunt nobis; quæ nos scimus, non conveniunt tibi: quasi ille cum *Paulo*, raptus in tertium cœlum, didicisset arcana quæpiam, quæ nos terrestres fugerent. Quosdam novi viros optimos, qui per hoc negotium facti sunt deteriores. Ut ne jam commemorem istos perditissimos, quemadmodum tu quoque vocas, quibus nihil est cum Euangelio. Tales video multos, præsertim hic; ut si probarem omnia quæ scribit *Lutherus*, nollem huic factioni dare nomen. Esset illis inserviendum, & subinde numerandum viaticum, nam hoc solum habent Euangelicum, quod semper egent plerique. Cum *Phallico* fuit mihi congressiuncula perbrevis: ejus historiam scripsit cuidam *Constantiensi*. Exemplum clam ad me perlatum est. Nihil vidi vanius, nihil gloriosius, nihil virulentius. Sunt ibi interdum decem versus, in quibus ne syllaba quidem vera est. Idem edidit libellum de *Parisiensibus* & *Pontifice*. Quantum illic inficetiarum, quantum ineptæ virulentiæ, quam multi nominatim traducti? & tamen ipse solus non apponit nomen suum. Idem, ut audio, auxit stolidum *Alberi* judicium, quod nondum videre licuit. Visi sunt *Constantiæ* & alii duo libelli, quos in me scripsit. Et profitetur novum dogma, sic traducendos qui obsistunt Euangelio, inter quos me numerat, & *Balaam* passim appellat, quod *Adrianus* Pont. invitarit me ut mitterem consilium. Misi partem, sed displicuit. Obtulit decanatum, simpliciter recusavi; voluit mittere pecuniam, rescripsi ne mitteret obolum. Sic sum *Balaamus*. Et qui tales sunt, postulant ut, contemptis omnibus doctoribus, fidamus ipsorum spiritui, quum interim ipsi inter se non consentiant. Quî possim mihi persuadere illos agi spiritu *Christi*, quorum mores tantum discrepant à doctrina *Christi*? Olim Euangelium ex ferocibus reddebat mites, ex rapacibus benignos, ex turbulentis pacificos, ex maledicis benedicos: hi redduntur furiosi, rapiunt per fraudem aliena, concitant ubique tumultus, male dicunt etiam de benemerentibus. Novos hypocritas, novos tyrannos video, ac ne micam quidem Euangelici spiritus. Si *Luthero* essem addictissimus, magis etiam istos odissem quam nunc odi, ob Euangelium quod suis moribus reddunt invidiosum, ob bonas literas quas exstinguunt. Quantum manifestorum mendaciorum est in libello τῆ̃ ψωρώδους, quæ vir Euangelicus scribit contra suam conscientiam, non ob aliud, nisi ut urat. Et hoc senatusconsultum inter istos Patres factum est, ut *Erasmum* libellis obruant. Quibus si respondeam, præclarum facinus, ut sceleratissima conflictatione alamus aliquot sordidos ac famelicos typographos non uno dignos suspendio. Quantum impietatum, quantum mendaciorum est in illo libello *Alberi*, si leve videtur, quod *Hieronymo* sic contempto addit etiam perfidiæ crimen? *Ego prohibeo nuptias, ego defeci ad Papistas, qui voco illos R. P. ego curro cum fure, ego bellum gero cum Euangelio.* Sed faceret hæc querela. Miraberis cur emiserim libellum *De libero arbitrio*. Sustinebam triplex agmen inimicorum. Theologi & bonarum literarum osores nullum non movebant lapidem ut perderent *Erasmum*, quum quod attacti essent libris meis, tum quod Collegium illud florentissimum invexerim *Lovanium*, eamque regionem totam infecerim linguis ac bonis literis: sic enim illi loquuntur. Hi Monarchis omnibus persuaserant, me juratissimum esse *Luthero*. Itaque amici, videntes me periclitari, spem præbuere Pontifici & Principibus, fore ut aliquid ederem in *Lutherum*. Eam spem & ipse pro tempore alui. Et interim isti non exspectato libello cœperant me libellis lacessere. Nihil igitur restabat, nisi ut ederem quod scripseram, alioqui & Monarchas habuissem infensos, quibus visus fuissem dedisse verba; & isti tumultuosi clamassent me metu premere, & atrocius aliquid exspectantes impotentius sæviissent. Postremo, quoniam Epistola *Lutheri* jam est in manibus, qua pollicetur se cohibiturum calamum in me, si conquiescam, viderer ex pacto non edere. Ad hæc qui *Romæ* profitentur literas Ethnicas, ipsi Ἐθνικώτεροι, mire fremunt in me, invidentes, ut apparet, *Germanis*. Itaque si nihil edidissem, præbuissem ansam & Theologis, & Monachis, & illis *Romanensibus* figulis, quorum *Alpha*, ni fallor, est *N.* ut facilius persuaderent Pontificibus ac Monarchis quod persuadere conabantur; postremo, hos furiosos Euangelicos habuissem iniquiores. Nam ipse rem tractavi modestissime. Et tamen quod scribo non scribo adversus animi sententiam, quanquam ab hac quoque libenter discessurus, ubi persuadebitur quod rectius est. Sed interim, inquis, addis animos tyrannis ut sæviant. Nemo diligentius dehortatus est à sævitia, nemo liberius, quam ego. Et si Papisticæ sectæ essem addictissimus, tamen dissuaderem sævitiam, quod hac via latius spargitur. Proinde perspiciens hoc *Julianus*, vetuit occidi *Christianos*. Theologi credebant, si *Bruxellæ* combussissent unum atque alterum, fore ut omnes emendarentur; ea mors multos fecit *Lutheranos*. Sed isti quidam vociferantur, obrui Euangelium, si quis obsistat ipsorum vesaniæ. Non ad hoc valet Euangelium, ut peccemus impune, sed ne peccemus, etiamsi liceat, impune. Verum hisce de rebus plus satis. Misit ad me *Campegius* Card. vir profecto singulari humanitate, qui mecum ageret de multis, & inter cætera de te alio quopiam evocando. Respondi, me optare quidem tuum istud ingenium esse liberum ab istis contentionibus, sed desperare te susceperum palinodiam. Hæc tuo fretus ingenio effudi in sinum tuum, mi *Philippe*; tui candoris erit curare, ne spargantur ad improbos. Quum *Joachimus* hic adesset, sic eram à morbo languidus, ut vix ferrem ullum colloquium ob stomachi debilitatem: & incommode accidit, ut eodem tempore me obrueret Baro quidam *Polonus*, de quo lege catalogum nostrum auctum. Si voluisset manere, fuissemus plura confabulati. Sed tecum omnia, si adveniisses. Bene vale. Raptim *Basilea* 6. Septemb. Anno 1524.

## EPISTOLA DCCIV.

### Philippus Melanchthon Erasmo Rot. *S. D.*

NON *injuria quereris de moribus eorum, qui Euangelium hoc tempore profitentur, mi* Erasme. *Nam & hi, qui dignitatem tuam adlatrarunt, obliti mihi plane & humanitatis & religionis videntur; debebatur enim sic merito de Republica, & tali ætate, melior gratia: & si qui in Ecclesiis, seditiosis concionibus multitudinem concitant, in literas sæviunt, & civilem disciplinam universam labefaciunt, sibi regnum parant, non* Christum *docent. Dissimillimus horum* Lutherus *est, nec raro deplorat, privatis cupiditatibus prætexi religionis vocabulum, ab his quoque, qui cum* Pharisaico *Pontificis regno bellum gerere videri volunt. Quanquam autem his malis vehementer commoveatur, tamen quum hæc scandala excitari à diabolo judicet, in hoc ut opprimatur quoquo modo Euangelium, negat se debere παλινδρομεῖν, aut publicam causam deserere. Tu vero improborum quorundam vitiis ita offendi videris, ut causæ quoque & doctrinæ succenseas. Fortasse tibi consilii ratio constat, verum ego metuo necubi hac ratione Euangelium periclitetur. Neque enim negare potes, quin Euangelii doctrinam complectatur* Lutheri *causa. Nam cum in summa disputationes* Lutheri *omnes partim ad liberi arbitrii quæstionem pertineant, partim usum ceremoniarum contineant, de priore jam olim animadverti te dissidere, at de posteriore magna ex parte convenit, quæ quum tuo judicio sit aliqua Euangelii pars, videndum tibi certe ne patiare opprimi. Qui-*

Digitized by Google

An. 1524. *Quidam ex Philosophis dicere solebat, dextra se tradere philosophiæ præcepta, verum hæc sinistra excipi à discipulis. Fit hoc multo verius in theologicis. Sed est iniquissimum doctrinæ imputare, quicquid peccant auditores. Quare te rogo, mi* Erasme, *primum ne credas,* Lutherum *cum iis facere quorum merito reprehenduntur mores, deinde ne doctrinæ propter cujusquam stultitiam aut temeritatem iniquior sis. De* Lutheri *animo licet conjecturam facere nullo negotio. Nam ut Pontificis causam omittam, certe nunc declarat quantum abhorreat à crudelitate, atque ambitione, & seditiosis consiliis omnibus, cum magno capitis famæque discrimine, se novæ cuidam factioni sanguinariorum doctorum opponit. Tu catalogum texis, ubi colligis improbissimos omnium bipedum, quos cum* Oecolampadio *& similibus conjungas, quaso, quid oportuit? Ego integra conscientia dogmata* Lutheri *non possum damnare, facturus id etiam fortiter, si cogant sacræ Literæ; quod sive superstitionem, sive stultitiam alii interpretentur, mea nihil refert. Certe nec hominum auctoritate, nec scandalis ullis revocari me ab hac sententia patiar. Quod ad* διατριβὴν De lib. arb. *attinet, æquissimis animis hic accepta est: tyrannis enim fuerit vetare quenquam in Ecclesia ententiam de religione dicere; debet id esse omnibus liberrimum, modo ne privati adfectus admisceantur. Perplacuit tua moderatio, tametsi alicubi nigrum salem adsperseris. Verum non est tam irritabilis* Lutherus, *ut devorare nihil possit. Proinde pollicetur se in respondendo pari usurum esse moderatione. Forsan autem multis profuerit, diligenter excuti locum* De lib. arb. *quorum si conscientiis servitur, quid attinet ad publicam causam privatos affectus adferre? Jam ubi iracundia animum transversum rapere cœperit, non video qui tanto negotio satis facere possit. Mihi* Lutheri *erga te benevolentia perspecta est, ea spem facit simpliciter responsurum esse. Vicissim officii est tui, mi* Erasme, *cavere ne qua majore invidia hæc causa per te gravetur, cui primum sacræ Literæ suffragantur non obscure: deinde, quam ipse nondum damnaris, ut contra conscientiam etiam facturus videare, si oppugnes vehementius: postremo, scis probandas esse non contemnendas prophetias. Apud me tuto depones, quicquid ad me scripseris. Malim enim emori quam fidem fallere. Jam hoc volo tibi persuadeas, religiosissime te à nobis coli & amari.* Nesenum *hic amisimus, hominem fidum & tui valde amantem, quo casu vix aliud in vita mihi acerbius accidit.* Lutherus *te reverenter salutat. Nolui esse molestus tibi longiore epistola, alioqui plura scripturus. Vale felicissime. 30. Octobr. Anno* 1524.

*Utinam impetrari abs te possit, ut vertas* Æschinis *&* Demosthenis *ἀντιπάλους λόγους.*

## EPISTOLA DCCV.

Ferdinandus, Dei Gratia Princeps & Infans Hispaniarum, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, &c. Imperii locum tenens Generalis, &c. S. D. Desiderio Erasmo Sacræ Theol. Profess.

*HONORABILIS *dilecte. Si colligis è silentio tui oblivionem, falleris. Nos enim tui habemus memoriam, & merito quidem, qui hac & majori dignus es memoria: quod autem interpellamus rarius, tute in causa es. Nec enim libet peccare in commoda publica, sanctis tuis lucubrationibus obstrependo, quas avide vel legimus ipsi, vel audimus à prælegentibus. Habemus enim & nominis tui & vigiliarum tuarum studiosissimos præcones, quos minime arbitramur judicio falli. Hi quicquid librorum ex te nascitur nobis offerunt, scientes nos, quando per ocium, quod à publicis negotiis suffuramur, licet, cum nemine libentius quam cum* Erasmo *loqui, à quo non hæreses, non schismata, non Antichristos audimus, nec, quam impudentissimi tui calumniatores impingunt, adulationem deprehendimus, sed mansuetudinem, moderationemque illam tuam vere* Christi *plantis respondentem agnoscimus. Et simul ubi oportet virgulam quoque censoriam, qua ostendis, qui deceant & vere* Christianos *Pontifices & Principes mores, quod cum non facias seditiose,* An. 1524. *adulator non esse judicaris, sed ab impiissimis hæreticis, levissimis apostatis, perfidissimis desertoribus, memineris id tibi jure evenisse, non quidem commune cum Regibus & Principibus, ne nostri ordinis rem agere velle nos putes, sed cum illis sanctissimis tuis Patribus, quos ut felicissime imitatus es ubique, non potes non referre hac in parte. Non ignoras, quas ignominias illi, quos cruciatus, quæ tormenta, quæ convitia ipsis tormentis & mortibus acerbiora sustinuerint, donec adveniret dies ille, qui eripuit illos malis. Sic reposita est merces in cœlis operum tuorum. Sustine igitur & viriliter age, donec cum* Paulo *tuo consummaveris cursum, quod te alicubi optare videmus. Nos autem ut id fiat serius precamur. Quo abundare liceat iis auctoribus & Doctrinis, qui* Christianæ *professioni proxime accedunt. Tu enim non solum repurgatos dedisti aliquot sanctos Patres, qui depugnarunt adversus Ecclesia vastantes hæreticos, sed etiam hæc tempora nostra, quæ impurissimi hæresiarchæ infelicia reddiderunt, & seditiosissimi quique perturbarunt, cum paucis (ut horum numerus semper minor est) adjuvas, non tam obscure, quam Catholice quid sentias, & fieri oporteat, indicans. Servet itaque te* Christus, *& det nobis ille occasionem, ut aliquid benevolentiæ tibi impartiri queamus. Nam si quid ejus alias accepisti, id certe pro merito minimum fuit, neque agnovimus hoc adulationem, ut illi tibi impingunt falso, sed sancta tua studia in communem usum promovere voluimus. Et hodie si non eam, qua dignus es, eam saltem quæ opis erit nostræ benevolentiam offerimus.* Irenæum *avidius exspectamus. Et quid à te fieri cupimus ex* Frobenio *cognosces. Datum in civitate nostra* Vienna *die 12. mensis Octob. An.* 1524.

## EPISTOLA DCCVI.

*Erasmus Roterodamus M. Conrado Goclenio, Latinæ Linguæ Professori in Collegio Buslidiano, S. D.*

ERUDITISSIME *Gocleni, Franciscus Berckman* bibliopola *Antuerpiensis* debet mihi, præter cætera, tredecim florenos aureos, quos mihi detraxit in summa meo nomine *Frobenio* numeranda; detraxit autem, hoc nomine, quod tantum librorum tradidisset meo jussu *Guidoni Morillono.* Constat autem literis *Guidonis* ne paginam quidem vel ad ipsum *Guidonem*, vel ad uxorem ejus perveniisse. Quare eam pecuniam in te transfero, teque pro me creditorem constituo, liberaturus te à periculo literis, si quid ille contradicat: nam hic res est extra controversiam. In hujus rei fidem hanc syngrapham mea manu scripsi, & sigillo subnotavi. *Basilea* 13. Octobr. Anno 1524.

" *Erasmus Roterodamus* hoc chirographo testor
" *Franciscum Berckmannum* bibliopolam mihi
" debere tredecim florenos, quos detraxit mi-
" hi in ratione cum *Frobenio*, pro libris, quos
" tradidisset *Guidoni Morillono*, quum charta
" non sit tradita; item *Tertullianos* septem, aut
" illorum precium, quos acceptos à *Frobenio* mi-
" hi non reddidit. Hæc ipse apud me confessus
" est, nec potuit negare, convincendus testimo-
" nio utriusque *Frobenii*, & literarum *Morillo-*
" *ni*, quas illi exhibui, & exemplar misi *Nicolao*
" *Busciducensi*. Hujus debiti jus transfero in
" *Joannem Campensem* Professorem Linguæ *He-*
" *braicæ Lovanii*. In ejus rei pleniorem fidem
" hæc mea manu scripsi, & annuli signum ap-
" pressi. *Basilea* 4. Octob. Anno 1524.

## EPISTOLA DCCVII.

*Erasmus Rot. Antonio Brugnario in monte Bellicardi* S. D.

SIGNIFICAS te quater ad me scripsisse, primam & ultimam epistolam accepi, duæ mediæ redditæ non sunt, quare noli scribere nisi per certissimos nuncios. Amplector animum in me tuum perlibenter. *Besontii* cum nemine mihi fuit odiosa contentio, neque quenquam sensi à me alienatum. Tristis abii ob valetu-

An. 1524. direm oppido gravem. Et tamen iſte rumor huc perlatus mire exhilaravit quoſdam valde *Lutheranos*. Quid iſtic doceat *Phallicus*, aut quid rerum gerat, neſcio. Utinam hoc præſtaret quod profitetur: profitetur enim Euangelium, at ego nunquam vidi hominem confidentius arrogantem, aut rabioſius maledicum, aut impudentius mendacem: breviter talem comperi, ut cum talibus, nec amicitiam habere velim, nec inimicitiam. Nec ipſi *Lutherani* ferre potuerunt hominis inſatiabilem petulantiam. Sæpe objurgatus eſt ab *Oecolampadio*, etiam literis, ſæpe à *Pelicano*, ſed nihil profectum eſt, tanta morbi vis. Cum illo nunquam diſputavi, ſed diremi diſputationem, qua cum aliis quibuſdam altercabatur. Volebam enim cum illo expoſtulare cur me vocaſſet *Balaam*, quod dictum, à *Bleto* quodam negotiatore jactum in me, ſic arriſit *Phallico*, ut me paſſim appellaret *Balaam*, quum mihi nullus adhuc teruncium potuerit obtrudere hoc titulo ut ſcriberem in *Lutherum*. Proinde diſcere volebam, quid homini in mentem veniſſet, ut hoc nomine me dignum judicaſſet: nam cætera convitia, quæ quotidie in me deblaterabat, neglexeram. Vix decem verbis velitati ſumus, rogabam quare cenſeret Sanctos non invocandos, an quia non expreſſum eſſet in ſacris Literis, annuit. Jubebam ut demonſtraret evidenter per ſacras Literas, Spiritum Sanctum invocandum. Si Deus eſt, inquit, invocandus eſt. Urgebam ut demonſtraret è ſacris Literis, ſemel atque iterum teſtatus me diſputandi gratia loqui, quum hic plane de re conveniret. Siquidem hoc tantum agebam, ut illius enthymema refellerem, quo conabatur evincere, ideo non invocandos Divos, quod hoc è ſacris Libris doceri non poſſet: protulit locum ex Epiſtola *Joannis*, *Et hi tres unum ſunt*. Reſpondi, eum locum non ſentire de eadem natura, ſed de conſenſu teſtimonii, & quod additum eſt, de ſanguine, aqua & ſpiritu, non patitur aliam interpretationem. Præterea pars illa de Patre, Verbo, & Spiritu, in vetuſtis codicibus olim non habebatur, nec citatur ab his qui maxime pugnant adverſus *Arianos*, puta *Athanaſio*, *Cyrillo* & *Hilario*. Mox omiſſa diſputatione, nam imminebat nox, expoſtulavi cum eo abiens, ſed paucis. Hac de re ſcripſit ad amicos ſuos mire glorioſas epiſtolas, quarum una ad me tranſmiſſa eſt à *Conſtantia*. In hac aliquando ſunt decem verſus, in quibus nec una ſyllaba vera eſt. Non potuit ille probare Spiritum Sanctum dici Deum, quod tamen ex *Paulo* probari poteſt, & tamen ſi probaſſet, non viciſſet me. Nec enim meum eſt dogma, Sanctos invocandos eſſe, quanquam ineptiunt, qui rem à primordiis Eccleſiæ traditam, & ſuapte natura piam, tragœdiis exagitant. Quod ſi mihi tum notus fuiſſet, qualis experimento compertus eſt, nunquam dignatus fuiſſem illum alloquio; & ſi caſu fuiſſet obvius, deflexiſſem. Sunt enim quidam adeo finiſtri, ut vel occurriſſe ſit infelicitatis pars. Unde metuo ne veſtræ civitati magnum aliquod immineat malum, poſteaquam iſtuc devolavit avis tam inauſpicata. Feliciter fugit è ſua *Gallia*, verum hic reliquit librum inſigniter ſcurrilem, non appoſito quidem ſuo nomine, ſed nemo non clamat *Phallicum* eſſe. Scripſit, ut ajunt, alterum *Gallice* in me, qui latitat inter manus conjuratorum. Magiſtratus *Baſilienſis* obſervat, ſi poſſit deprehendere Typographum. Hæc jactitavit *Lugduni Lothoringius* quidam ſculptor imaginum. Idem detulit aliquot *Phallici* apophthegmata, quorum alterum erat, *Uxorem Frobenii plus tenere Theologiæ quam Eraſmum*: Alterum, *Malim*, inquit *Phallicus*, *in dies mori cum martyribus, quam non nocere famæ Eraſmi, ubicunque potuero*. *Phallico* facile fiam magnus Theologus, ſi paſſim infulſero, Pontificem eſſe Antichriſtum, Conſtitutiones humanas eſſe hæreticas, Ceremonias eſſe abominationes, aliaque hujus generis. Hunc ſtomachum in me concepit, quod in *Spongia* dubitem de *Lutheri* ſpiritu: præterea quod ſcripſerim, quoſdam ſordidos & impuræ vitæ, ſe jactitare nomine Euangelii: deinde quod *Adriano* promiſerim conſilium, quo ſic exſtinguatur incendium *Lutheranum*, ne facile redaccendatur. *Phallicus* interpretatur me velle exſtinguere Euangelium, at ego ſentiebam de reſcindendis hujus mali fontibus, & hac de re ſcripſi nonnihil *Adriano*, & item *Clementi*, & Cardinali *Campegio*, & Cæſari: ſed ut video, illi malunt vulgaribus uti remediis, manicis ac faſciculis. Res in dies ſerpit latius, quis ſit exitus futurus viderit Deus, ego Principes quod potui ſemper à ſævitia coercui, excepta ſeditione. Nec Euangelium eſt quicquid iſti docent, & docendi modus nonnunquam ſeditionem movet, non Euangelium. Ego faveo Euangelio, ſed iſti Euangelio non adjungar, niſi videro alios Euangeliſtas, aliumque populum, quam adhuc video. Provolant libelli famoſi ſine titulis, & iſtos mire probat *Phallicus*, & applaudunt cæteri quoque, quaſi mendaciis & flagitiis defenſandum ſit Euangelium, quaſique huc valeat Euangelium, ut hujus prætextu peccemus impune. Poſt invadent ſcrinia noſtra, & dicent, ſic *Ægyptios* ſpoliaverunt *Iſraelitæ*, & poſt facinus invenient novum dogma. Si *Lutherus* noſſet *Phallicum*, non dubito quin in eum ſtricturus ſit ſtylum. Et hi ſunt qui nobis jactitant ſpiritum Euangelicum. Equidem quid *Chriſtus* ſibi velit neſcio, cæterum ut commodiſſime interpreter, ſuſpicor hoc eſſe conſilium illius, ut ſacerdotes, hujus mundi commodis ebrios, atque his altum indormientes, per talia portenta cogat expergiſci. At tamen quicquid hactenus in me blateravit *Phallicus*, non minus vane quam virulente, facile condonabitur hominis morbo, modo poſthac ſumat mores Euangelii præcone dignos. Sed harum næniarum plus ſatis, alias plura quum vacabit. Egi cum hoc œnopola de tribus vaſculis dimidiatis, uno veteris vini, duobus novi. Vinum, quod emit Decanus, mihi mirifice profuit: unde, ex quo cœpi bibere, carui calculo, is nunc dicitur abeſſe. Tu velim adjutes, ut mittatur elegans, aptumque ſtomacho meo, non laboro de precio, ſi vinum ſit quale volo. Vetus, ut abſit ab acore, novum maturum, non dulce, non acerbum, mediocri colore, colore leviter rubido. Oenopola propemodum ſcit quale cupiam. Bene vale. *Baſilea* 27. Octobris, Anno 1524.

## EPISTOLA DCCVIII.

Jacobus Sadoletus, Epiſcopus Carpentoracti, Eraſmo Rot. *S. D.*

*LEGI tuas literas libenter: ſcripta enim ſimpliciter & candide ſunt, plena erga Deum pietatis, in hunc vere ſummum & optimum Pontificem obſervantiæ: cujus admodum eſt propenſa tuis commodis omnibus voluntas. Habeoque gratiam* Bonifacio, *mire probo & erudito juveni, qui tibi occaſionem dederit ad me ſcribendi, & mihi reſpondendi tibi: quanquam enim intus mihi in animo incluſus reſidebat tui amor, debitus ille quidem præſtantibus virtutibus tuis, non erupiſſet tamen etiamdum is in actum, ſi non* Bonifacius *ſuis amiciſſimis officiis hanc ſalutationem literariam inter nos conciliaſſet. Pontificis in te uberior fuiſſet liberalitas, ni his difficillimis temporibus ipſe quoque ad anguſtias redactus eſſet: tanta eſt rerum omnium perturbatio, & quotidianarum ſumptuum, impendiorumque effuſio, ut ſuſtinere agre poſſit. Sed erit locus aliquando & ornandi & augendi tui. Librum tuum adhuc non legi: nam neque dum habui ejus poteſtatem, & eram maximis occupationibus impeditus: certus ſum attamen ſimilem eum eſſe reliquorum tuorum, quæ mihi plurima & lecta & probata ſunt. Tibique ego in eo magnopere gratulor, quo ingenio tuo præſtanti & ſingulari ocium ſuppeditatum eſt, quo facile poſſes tua doctrinæ præclara monumenta in poſteritatem propagare, ex quibus tuum nomen perpetuum futurum ſit. Quamobrem quod te ſolus jam Deus beare poſſit, ut tu ipſe ſcribis, hic jam deficientem, agnoſco pietatem tuam & ſummopere laudo: illud non accipio, te ut deficientem debeas appellare, cujus virtus memoria omnium ſeculorum celebrabitur ſempiterna: qui fru-*

Digitized by Google

Digitized by Google

KONINKLIJKE
BIBLIOTHEEK

Digitized by Google

An. 1524. *fructus etsi posterior est longe cœlestibus præmiis, tamen à te neutiquam est contemnendus. Ego, quod meum est, si quid obtineo auctoritatis & gratiæ, quod quidem perquam pusillum est, tibi tamen totum ita polliceor & defero: ut si erit agendum tua causa quippiam, nihil tibi meo studio & opera futurum sit paratius. Vale. Ex Urbe 6. Novemb. Anno 1524.*

## EPISTOLA DCCIX.

*Erasmus Rot. Rudberto à Mosham, Decano Patavienſi in Bavaria*, S. D.

HAERET animo vultus tuus humanitatis tuæ index, memini frequentium colloquiorum & officiorum tuorum, non excidit venationis fragmentum abs te versum, mea quidem sententia feliciter: denique totus *Rudbertus* sic præsens est animo meo, ut possim illum vel coloribus exprimere. Solum illud non memini, quod ambierim salutare Card. *Gurcensem.* Non contemno proceres Ecclesiæ, sed sic est ingenium meum, nihil minus ambio quam tales salutationes, præsertim apud *Germanos.* Hic si quid ineptii, scias me plane gratificatum animo tuo. Eam salutationem si perdidi, nihil est quod me magnopere moveat. Quotidie salutor à sordidissimis, qui extorta etiam pecunia, me rident, aut traducunt inter suos cumbibones. Et tamen nihil est quod ego sane querar de Card. Exhibuit plus humanitatis quam exspectabam. An *Germani* Principes non soleant quenquam indonatum dimittere, viderint alii. Me certe non offendit ea novitas, nisi quod salutato *Frederico* Duce *Saxoniæ*, postridie *Georgius Spalatinus* in lecto decumbenti detulit materiam vestis Damascenam, quum ego nihil minus somniarem. Quoque magis credas quod scribo, recordare me tres hebdomadas egisse *Coloniæ*, nec eo tempore quemquam *Germaniæ* Principem à me salutatum. Omnibus si queam prodesse cupio, servire nemini: quod si serviendum esset, plus fastus experior in una opera typographica *Germaniæ*, quam in decem Episcopis *Angliæ* aut *Galliæ*. Ne ob id quidem sum pilo alienior à sinceris *Germaniæ* amicis, quod in multis & fidem & animum memorem desidero. Hæc ideo refero, ne quid suspiceris me alieniorem factum ulla de causa. Amicorum mentionem vides quam liberaliter fecerim in libris nostris, videlicet obsequens illorum affectui potius, quam meo judicio. Ex his vides quam pauci perstiterint in amicitia, quam multi versi in hostes. Et tamen horum culpa non tantum valet apud me, ut minus amem *Bilibaldum* cæteroſque candidos amicos. Porro quod in literis meis nulla tui mentio facta est, primum excepto nomine te totum animo tenebam, deinde se nulla dabat occasio. Et sunt qui nolunt in scriptis meis nominari, horum querimonias nonnunquam audio. Quod te ab aulæ servitio extricaris, hoc magis probo, quod id feciſti mature. Efficiam igitur posthac, ut nec *Laurino*, nec *Bilibaldo* invideas, si tamen hæc appellanda est invidia. *Laurinum* à puero novi, à *Bilibaldo* multo plus accepi lucis, quam dederim. Quod me adhortaris ad fortiter agendum, multo gratissimum est, etiamsi id mea sponte faciebam. Tantum dolet quorundam insaniis pessum ire tum Euangelium, tum bonas literas. *R. D. E.* mihi per te refrictam esse memoriam, fuit vehementer gratum. Si medicus *Antonius Cassovienſis* has reddiderit, rogo ut juvenem cognoscere velis, cognitus placebit, sat scio: discessit hinc meo magno dolore. Bene vale. Datum *Basilea* 12. Novemb. Anno 1524.

## EPISTOLA DCCX.

*Ferdinando, Caroli Cæsaris germano, Erasmus* S. D.

ILLVSTRISSIME Princeps, tam propensum sublimitatis erga me tuæ favorem, quem & ipsa re comperi, etiamsi denuo literis amantissime scriptis non fuisses testificatus, tamen ut oblivisceret non erat passura multorum hominum prædicatio, tum autem & eruditorum virorum epistolæ, ex quibus quotidie disco, quam candide tua sublimitas faveat studiis nostris. Nunquam me pœnitebit mearum lucubrationum, postquam tantus Princeps eas dignatur oculis atque auribus suis, quam felicitatem utinam promereantur. *Lutheranorum* convitia facile negligo, sed utrinque lapidari durum est. Est *Lovanii* præter cæteros *Nicolaus Egmondanus Carmelita*, homo, quod nemo nescit, stolidus ac furiosus; is in prælectionibus, in conviviis, in concionibus, non desinit deblaterare in me, quicquid illi collibuit. Ridetur à doctis, sed non omnes è vulgo noverunt hominis morbum. *Adrianus* Pontifex, diplomate misso, imposuerat illi silentium. Eo mortuo rursus insanit. Si quæris odii causam, ille pejus odit linguas ac bonas literas, quam decem *Lutheros:* & collegium trilingue, quod nunc floret *Lovanii*, magno totius ditionis Cæsareæ tum commodo, tum ornamento, mihi velut auctori imputat. Hinc illæ lachrymæ. Cæsar procul abest. Si tua Celsitudo tribus verbis admoneat Illustrissimam *D. Margaretam*, ut suo nomine jubeat illum rabulam silere, faceret mihi rem magnopere gratam, nec minus utilem publicæ tranquillitati. Quanquam ille, quum visum est, nullius auctoritate permovetur: ridetur, nescit pudescere: monetur, contemnit: objurgatur, fit ferocior. Tale ingenium solis fustibus corrigi poterit. Quemadmodum in magnis tempestatibus difficillimum est moderari clavum ac vela, ita his undique turbulentissimis temporibus arduum est tenere moderationem, quam tua sublimitas mihi tribuit: certe adnixus sum, ut in hoc negotio puram conscientiam præstem *Jesu Christo:* quem quotidie precibus meis sollicito, ut tibi dotes istas egregias semper in majus ac melius augeat, simulque donet serenitatem tuis virtutibus dignam: ut sub duobus fratribus, quibus multis jam seculis nihil orbis habuit sublimius, effloreſcant & *Christiana* religio, & recta studia, & publica tranquillitas, quæ mihi magno rerum discrimine nutare videntur. Vetus adagium est, *malum consilium pessimum esse ei qui dedit;* verum in tantis rerum motibus, vix tutum arbitror, etiam bonum consilium dare. *Lutheranum* negotium latissime pervagatum est, & in dies propagat se latius. Proinde metuo ne vulgaribus remediis, hoc est, palinodiis, carceribus, & fasciculis non simus admodum profecturi. Hac de re submonueram invictissimum Cæsarem, fratrem Illustrissimæ Celsitudinis tuæ, per *Glapionem.* Submonueram & *Adrianum* Pontificem. Submonui *Clementem*, & hujus Legatum *Campegium.* Si quædam mutarentur, quæ nullo religionis dispendio, nulla publici status convulsione mutari possunt, idque fieret ex auctoritate Pontificum, Episcoporum & Principum, mundus, opinor, inciperet auscultare, & spes esset paulatim redituram concordiam. Nunc utraque pars mordicus tuetur sua. Et vereor ne in utraque parte sint, qui suum commodum prius habeant negotio *Christi.* Equidem non sum is, qui in re longe periculosissima, summis Monarchis consilium dare possim; certe quod possum, Deum assidue deprecor, ut Ecclesiæ mundique Principibus impartiat spiritum suum, simulque populorum corda convertat ad ea quæ sunt veræ pietatis, & *Christianæ* pacis. Quod ad nos attinet, quamdiu quicquam spiritus calebit in hoc corpusculo, non desinam pro viribus servire publicis commodis, si non magno successu, certe magna cum animi sinceritate. Det Deus, qui solet & potest hominum mala vertere in bonum, ut ex hoc violento amaroque pharmaco, quod per *Lutherum* concussit orbem, velut corpus undiquaque corruptum, nascatur aliquid bonæ sanitatis, in moribus *Christianorum.* Idem tuam Illustrissimam Amplitudinem servet incolumem. *Basilea* 20. Novembris, Anno 1524.



Digitized by Google

## EPISTOLA DCCXI.

*Eraſmus Rot. Jacobo Wimphelingio* S. D.

An. 1524. SI meus *Wimphelingius* recte valet, eſt quod vehementer gaudeam. Nos mediocri valetudine ſumus, & aliquanto proſperiore quam ſolemus. Vides me ex muſico retiarium eſſe factum. Sic erat in fatis meis. Tu, vir optime, ne macera te hujus ſeculi tumultibus; fruore conſcientia benefactorum tuorum. Scito *Eraſmum* ex animo tuum eſſe, cui ſi nihil ſcribes, non referet, modo ames, vel redames potius, quod non dubito quin facias. Saluta *Sapidum*, qui cum ſuadeo ut veterem retineas amicitiam, in qua ſi quid peccatum eſt, humanitatis tuæ fuerit hoc hujus ſeculi fatis imputare. Bene vale, mi chariſſime frater. *Baſilea* 25. Novembris, Anno 2524.

## EPISTOLA DCCXII.

*Eraſmus Rot. Paulo Voltzio Abbati* S. D.

HABEO gratiam, quod mihi mortuo bene precaris, relaturus etiam, ſi quando tu mori voles. Rumores iſtiuſmodi plane rideo. Cæterum ex animo dolet, tantum eſſe malitiæ inter *Chriſtianos*. Ego quantum in me eſt, ſervio commodis omnium, lædo neminem, idque facio meo victu, quod ajunt, imo magno etiam diſpendio. Et tamen præter alias contumelias toties efferor. Tibi *Gallus* ſacrificulus nunciavit, ſe pede calcaſſe tumulum meum. Et apud *Heidelbergam Anglus* quidam ſparſerat ſe interfuiſſe funeri meo, addidit me conditum in eodem ſepulchro, in quo jacet *Lachnerus Frobenii* ſocer. Et antea in *Flandria* jactatum erat, me quodam horribili mortis genere periiſſe. Alii ſparſerant in *Brabantia*, meos libros una cum imagine *Romæ* publicitus exuſtos fuiſſe. Hæc qui fingunt non ignorant fucum ilico prodendum eſſe, ſed interim fruuntur exſultatione malorum, ac dolore bonorum. Hac mente quid eſſe poteſt ſceleratius? Si Satanas ipſe viveret inter nos, quid facere poſſet ſe dignius? Et hæc faciunt *Chriſtiani*, hæc ſacerdotes, hæc Monachi, hæc *Dominici Franciſci*que nepotes. Fit autem contra, præſidio Dei, ut nunquam melius habeam, quam quum iſti me rumoribus affligunt peſſime. Quum ante annos tres agerem *Anderlaci*, alibi decideram ab equo & fregeram cervicem, alibi perieram febri, alibi correptus apoplexia ſubito reliqueram vitam. Atqui intra annos quatuor nunquam proſperiore valetudine fueram uſus quam id temporis. A diſceſſu ſparſum erat, *Romæ* libros meos publice condemnatos, auctore *Adriano* Sexto. Cæterum eodem tempore miſſum eſt ab *Adriano* diploma honorificum: ſequutum eſt honorificentius: acceſſit tertium quod illis rabulis indiceret ſilentium, me nihil ambiente. Quum maxime jactarent officium dedicati *Arnobii* fuiſſe ingratum *Adriano*, ſupervenit epiſtola, declarans fuiſſe multo gratiſſimum. Atque hæc diplomata prius perlata ſunt in *Brabantiam*, ubi ſæviebat rumor, quam ad me. Rurſus eodem tempore quo ſparſum erat, ſub *Clemente* libros & imaginem *Eraſmi Romæ* exuſtam, ſupervenit diploma non ſine promiſſis ac munere honorario. Poſtremo his aliquot menſibus, quibus me ſepelierunt, ea fuit valetudo, ut tribus annis non fuerit firmior, & arbitror repertam viam, qua poſthac levius crucier calculo. Et tamen aliquando futurum eſt, ut iſti verum divinarint. Ego nec mortem opto vitæ tædio, nec horreo, fretus Dei miſericordia. Interim urgebimus propoſitum de omnibus bene merendi, lædendi neminem, quantum ſane licebit in hoc ſeculo longe turbulentiſſimo. Nulli factioni me nec addixi, nec addicturus ſum. Illud tamen ago, agamque ſedulo, ut hanc tempeſtatem aliqua ſerenitas excipiat. Nec interim me movet jocus tuus, quo me ſcholarum ἀμφίβιον appellas in ὀπισθοχαφίᾳ. Sim ἀμφίβιος factionibus, modo ne ſim ἀμφίβιος *Chriſto*.

Unde vero iſte novus titulus *Exabbas*? Memini quid olim mihi dixeris de deponenda tituli ſarcina. Atqui ſi vis omnem moleſtiam fugere, dimigrandum è vita. Quanto *Eraſmus* te prudentior, qui ſarcinas iſtiuſmodi toties oblatas perpetuo fortiter contempſit? Nunc etiam Exconſiliarius Cæſaris, quandoquidem ex penſione, præter honorifica verba, nihil dum ad me redit ex quo reliqui *Brabantiam*. Et tamen gratia ſuperis, nihil deſit. Arbitror jam vidiſſe te libellum *De libero arbitrio*, *De modo orandi Deum*, *De miſericordia Dei*, & ideo non mitto. Servet pietatem tuam Dominus *Jeſus*. *Baſilea* 25. Novembris, Anno 1524. An. 1524.

## EPISTOLA DCCXIII.

Joachimus Camerarius Eraſmo Roterodamo *S. D.*

ETSI *non putavi hactenus me quicquam ad te ſcribere oportere, quum mea ipſius cauſa, tum pulcherrimarum tuarum occupationum reſpectu; ne & ipſe meam infantiam de nihilo proderem, & qua in parte minime deberem, mei officii parum rationem habuiſſe viderer: tamen poſteaquam mihi* Philippus Melanchthon *duos locos è tua epiſtola, quam paucos ante dies abs te ſcriptam accepit, quod in ea mei mentio habita eſſet, recitavit; mutavi ſententiam, & mei hac in parte cura abjecta, & humanitate tua animique facilitate fretus, quia non poſſe me ſalva fidei meæ exiſtimatione, tuaque erga me benevolentia, ea in quibus mei memineras tacita præterire videbam, tibi meis literis (ſic enim eſt dicendum) obſtrepere ſtatui. Quod ipſum perquam paucis à me eſt factum, ut vel hoc modo, ſi quid alioqui peccatum à me eſſet, corrigerem ac emendarem. Ego tibi, vir clariſſime, magnas ago gratias, quod tanti me feceris, quem ex uno iſto congreſſu, ne quid de me acerbius dicam, contemnere certe poteras, ut nondum mei oblitus, ſalutem in literis optimi & eruditiſſimi viri, meique amantiſſimi adſcripſeris. Magni iſtud mihi beneficii inſtar eſt, neque minus eo mihi placeo, quam quod ad te confabulatum, & de quibus voluiſſem rebus communicatum nuper ſum admiſſus. Quo in ampliſſimo merito commemorando mire intellexi te modeſtum fuiſſe, qui non dubitaris ſcribere, parum te liberaliter nos ac cumulate tractaſſe. Quid ergo potuit mihi abs te tua ſuaviſſima conſuetudine tribui gratius majuſve? Aut quid ego, etiamſi improbum eſſe juvet, in te requirere poſſem, inve iſto colloquio deſiderare, quam uno* Sarmata *Barone minus fuiſſe, claro & magnifico illo quidem viro, ſed mihi tum parum commodo? Itaque,* Eraſme, *hoc tibi perſuadeas, & tuam benignitatem, qua in me ſuſcipiendo & tractando es uſus, apud amicos ſuperbe oſtentaſſe, & nunc miſſam abs te ſalutem decoris & ornamenti loco jactare ſolere. Neque metus eſt fore ut mihi hoc nomine iraſcare, quum ad te prædicandum ac celebrandum non mediocriter hoc quoque pertineat, alios ex tua gloria ſplendore & lumine illuſtrari. Sic ergo mihi tuum præconium accommodo, ut & ego eo creſcam, & de ſumma tuarum laudum nihil tamen detrahatur, nonnihil fortaſis accedat. Hæc, quia omnino ſcribendum ad te fuit, ſatis habui, ut vides, attigiſſe, ne vel commemorando prolixius tibi moleſtus eſſem, aut prætermittendo difficilius meum tibi ſtudium & amorem erga te probarem. Nam ſi te non amem, ſuſpiciam, venerer, nimium malus ſim,* Eraſme. *Hoc enim tua meretur eruditio, doctrina, bonitas. Si vero etiam odio proſequar, tuique nominis hoſtem agam, quantum flagitium deſignaſſe jure videri debeam? Ego vero conſcientia recti hac in re contentus, neque prædico (apud te præſertim) ſtudium & obſervantiam erga te meam, neque ſum anxius in omnium mortalium calumniis refellendis. Videoque etiam ineptum futurum, ſi hoc facere velim: quaſi vero & tua plurimum referat, quo quiſque extrema claſſis homo in te animo ſit, aut hominum opinionibus ab ullo ſatisfieri poſſe confidam. Sed quorſum hæc, inquis, tam longe petita exordia? Eo nimirum,* Eraſme, *quod neſcio quid ſuſpicor, de tua erga me voluntate eſſe immutatum, querundam prave curioſorum*

Digitized by Google

IOACHIMVS CAMERARIVS.

Digitized by Google

BIBLIOTHEEK

Digitized by Google

An. 1524. *ſorum ſiniſtra diligentia vitio, & labore, (veniam enim nunc ad rem) qui & Lutheri & tuam epiſtolam, quas ego utrique ſuam fideliſſime allatam in manus dedi, evulgarunt, ipſo* Luthero *dolente*, Philippo *& me gementibus. Quid, inquis, ſuſpicare, aut quem me eſſe cenſes? Da veniam*, Eraſme,

Res eſt ſolliciti plena timoris amor.

*Quod ſi temere, quæ in epiſtola ad* Melanchthonem *de publicatis literis legi, ſtatim poſt mei nominis factam mentionem appoſita ſunt, tamen hac mea ſollicitudine amorem erga te meum fecero teſtatiorem. Si qua in parte vero, id quod putare non lubet, metuere cogor, tua erga me benevolentia impulſa eſt, eam reſtituero ac confirmaro. Principio ſic exiſtima*, Eraſme, *meaque fidei crede, quas tibi literas, ſi* Baſileam *perveniſſem, a* Martino Luthero *acceperam adferendas, primo omnium hominum adſpiciendas præſentem præſenti in manum, ut ſupra dixi, dediſſe: quæque à te reſcriptæ fuere, eas* Luthero *fide optima reddidiſſe: neque nudam interim chartam, tuoque modo termino inſignem, cuiquam, uno* Philippo *excepto, prius oſtendiſſe, quam* Luthero *reverſus* Wittenbergam *obtuliſſem. Nam ut fui ipſe cura eorum, qui me à pueris educarunt, ſic inſtitutus, ut didicerim, mentem, manus, oculos, ab alienis rebus continere; ita meapte natura a ſecretorum ſcriptorum inſpectione ſemper abhorrui: quod judicarem indigne facere eum, qui cognoſcere vel per ſummum nefas conaretur, à quibus chartarum complicatione, & cera gemmaque admunitione tantopere ſummoveretur. Hujus quoque ſeculi licentiſſimam veſaniam, cum ob alios furores ſæpe ſum deteſtatus, tum ob hanc ſceleſtam petulantiam, quod jam nihil in ſeris ac ſcriniis reponi, nihil amicis credi, nihil denique in animi penetralibus verſari tuto poſſit, humana improbitate omnia perquirente & eruente, quæ ſe potiſſimum in arcanorum ſcriptorum exploratione noſtro tempore occupat & fatigat. Proinde ut primum aliqui nunc offenſos ſe læſoſque exiſtimant, non ſolum eorum, à quibus læſi videntur, literas ad ſe miſſas proferunt, ac palam, id eſt, typis excuſas ſexcentis exemplis recitant: ſed etiam aliorum iſta offenſione interpoſita perveſtigant, unde ſuo inimico vel ex una litera odium apud eos, qui legant, conflari poſſit, Homines, ut* Cicero *inquit, & humanitatis expertes, & vitæ communis ignari. Qui igitur tali ſum ingenio ſenſuque praditus, ſuſtinui ſcilicet (fingam enim jam te ejus facinoris me inſimulare) quæ meæ fidei tradita commiſſaque eſſent, per ſummam ignominiam prodere, neque ipſe meæ conſcientiæ reprehenſionem ſaltem vereri, nec orbis terrarum ne tua dicam judicia refugere volui? Quæ hæc ſit immanis audacia ac perfidia, quam ego ſemiſſis homo in animum meum ſim paſſus inſidere? Jam fac ab omni honeſtatis intuitu averſum, tam obſtinate dediſſe operam ut improbus eſſem, tu profecto potuiſti animadvertere: nec dubito quin id factum abs te ſit, tamen etiam vano metu, quod ſæpe repetere viſum eſt, infeſtor: potuiſti, inquam, animadvertere epiſtolæ* Lutheri, *de qua ſcribis, ſignum, dum tibi allata à nobis fuit, ſalvum & integrum eſſe reliquum. De tua vero (nam & ejus ſimilem eſſe fortunam audio, id eſt, in multa exempla deſcriptam manibus vulgi teri)* Lutherum *idem perſpexiſſe νὴ τὰς μύσας jurejurando ſanctiſſimo tibi affirmo. Niſi fortaſſis illas ποικίλας τῶν Ζφεγίδων λύσεις ex* Alexandri *arte didiciſſe me cenſes. Jam fortaſſis non ignoro quorum aut culpa, aut ſtulta ſedulitate, quæ & ipſa profecto culpa eſt, acciderit, ut iſtæ literæ nuper exierint. Sed nec ſum tam mei defendendi cupidus, ut excuſatione aliorum accuſationem complecti velim: nec arbitror meæ ſimplicitatis eſſe, quod compertum non habeam pro meo commodo ex hominum ſermone & rumuſculis quibuſdam formare. Quapropter*, Eraſme, *ſi hac in cauſa aliter nos in animum tuum induxiſti atque nos ſumus, quod tamen, ut ſæpe dixi, minime habeo pro certo, ſed timeo: peto abs te ut iſtam cogitationum tuarum opinionem, ceu falſam, veriſimilem tamen in hac hominum vanitate, corrigas: mihique credas, tuarum eſſe laudum, nominis, honoris ſtudioſiſſimum:*

*neque unquam velle committere, ut aliter de te ſentiam, loquar, faciam, quam tua dignitatis ratio ferat ac exigat: quam tamen rem, ut tuæ gloriæ ponderis nihil adjicit, ſic à me, niſi omnis officii immemor ac deſertor perhiberi malim, magnopere præſtari par eſt. Vale, vir clariſſime.* Wittenb. 30. *Novembris, Anno* 1524. An. 1524.

*Qui meas literas tibi attulit genere nobilis eſt ex* Meſis, *olim* Moſellani *ſectator, egregius juvenis: eum tibi commendarem, niſi arroganter & ſuperbe facere ducam, qui tantum juris mihi ſumam, ut aliis mea commendatione accedere apud te aliquid poſſe ſperem. Quanquam & hic ipſe ſe ſua virtute pulcherrime commendabit.*

## EPISTOLA DCCXIV.

*Eraſmus Rot. Philippo Melanchthoni* S. D.

SI hic adeſſes, mi *Philippe*, ac præſens ſpectares fabulam, tum magis dicas, me non ſine cauſa queri de moribus quorundam, qui tumultuantur Euangelii titulo. Nam quod in me ſic promeritum, dictis, libellis, ac picturis debacchantur, æquiſſimo ferrem animo, ſi quod meæ famæ detrahitur, accederet Euangelico profectui: nunc horum temeritas officit optimis ſtudiis, & perdit cauſam Euangelii. Nec dubito, quin hujuſmodi portentis indigneţur *Lutherus*. Cæterum hi *Lutheri* auctoritatem fortiter negligunt, quoties videtur commodum. Et fit neſcio quomodo in utraque parte; Nemo gravius læſit cauſam Pontificis, quam qui fortiſſime digladiabantur pro Pontifice; Nulli magis offecerunt *Luthero*, quam qui vehementer videri volunt *Lutherani*. Scio quantus ſit artifex *Chriſtus*, qui novit humanos tumultus in ſuum ſuorumque bonum vertere. Eoque lubens abſtinuiſſem ab hac Tragœdia, ſi licuiſſet. Equidem ut tumultus auctor eſſe nolo, ita, quantum invitabit proficiendi ſpes, non defuturus ſum Euangelico negotio. Quid *Luthero* ſuus dictet ſpiritus, ipſe viderit. Te non ſum vehementer adhortatus ad palinodiam, vel ob id quod ſcirem me hoc operæ luſurum. Non ſum judex alienæ conſcientiæ, nec dominus alienæ fidei. Certe optabam tuum ingenium, ut eſt natum bonis literis, ita iiſdem perpetuo fuiſſe dicatum. Non defuiſſent actores iſti Tragœdiæ, quæ quo caſura ſit incertum eſt. Abſit ut Euangelicæ doctrinæ ſuccenſeam, ſed in doctrina *Lutheri* multa me offendunt: illud inprimis, quod quicquid ſuſcepit defendendum, ibi impendio vehemens eſt, nec unquam facit finem, donec perferatur ad hyperbolen: eam admonitus adeo non mitigat, ut omnia reddat ὑπερβολικώτερα. Nam arrogantiam fortaſſis aliquis interpretabitur bonæ conſcientiæ fiduciam, & amarulentiam noſtris meritis imputabit: ac plane ne dicam dolo, ſic undique corrupti mores *Chriſtianorum* flagitabant immitem aliquem caſtigatorem. At ego libertatem ita malebam temperatam, ut Pontifices etiam ac Monarchas ad hujus negotii conſortium pelliceremus. Hic ſemper fuit ſcopus meus, nec alio ſpecto nunc quoque; *Lutherus* quo ſpectet neſcio. Admonui per literas *Hedionem*, ſermone *Oecolampadium* & *Pelicanum*, idque non ſemel, ut ex communi conſilio doctrinæ ſuæ rationem redderent Card. *Campegio*, quo profecto nullus Legatus optari poterat æquior aut humanior. Surdis cecini fabulam. Nec *Clementem* quidem opinor tam averſum ab Euangelii ſinceritate reſtituenda reperturi ſumus, quam exiſtimant quidam. Nihil horum iſtis perſuaderi potuit. Tantum hoc agunt, ut res quoquo pacto ſerpat, & egregium Euangelii profectum interpretantur, ſi pauci Monachi ſint exonerati cuculla, inter quos utinam non ſint multi, quibus expediſſet intra cancellos detineri; ſi ſacerdotibus aliquot proſpectum ſit de uxore; ſi è duobus templis exactæ ſint imagines. Ego ſic cupiebam reſtitui ſacerdotum religionem, ut nihil decederet auctoritati: ſic conſuli bonis ingeniis, quæ Monachorum ceremoniis inſepeliuntur, ut non aperiretur feneſtra malis ad licentius pec-

Digitized by Google

An. 1524. peccandum: denique quæ longo jam usu inveterave-
rant, sic paulatim corrigi, ut non omnia tumultu mi-
scerentur, utque libertas Euangelica possit esse omnium
gentium communis. *Lutherus* tantum colligit è rebus
quæ mala sunt, & ita pugnat tollere quod offendit,
ut non satis caveat aliud malum gravius. Utcunque
Deus aliquis vertat statum mundi, nunquam defutura
sunt, de quibus queraris. Hæc mitigari possunt, tolli
penitus non possunt. Quantumvis amnium influit in
mare, quantumvis decidit aquæ pluviæ, semper ta-
men ad nativum saporem redit; ut ne dicam inte-
rim nonnunquam remedia ipsis morbis esse atrociora.
Quid hoc dissidio pestilentius? quot locis quam atro-
ces tumultus exorti sunt? & exspectamus his atrocio-
res. An tanti videtur habere templum absque imagi-
nibus, aut aliquid immutasse de ritibus Missæ? Jam ut
largiamur esse vera quæ docet *Lutherus*, ut sunt ubi-
que mali plurimi, quibus ad omne facinus nihil deest
præter occasionem, quid inutilius ad *Christianam* pie-
tatem, quam hæc audire vulgus indoctum, hæc insti-
llari auribus adolescentum, Pontificem esse Antichri-
stum, Episcopos & sacerdotes esse larvas, constitutio-
nes hominum esse hæreticas, confessionem esse pestife-
ram, opera, merita, conatus esse voces hæreticas, nul-
lum esse liberum arbitrium, sed omnia necessitate ge-
ri, nihil referre qualia sint homini opera? Hæc à non-
nullis nuda circumferuntur, & ab improbis in pessimam
partem rapiuntur. Hic scio negabis imputanda *Luthe-
ro*, quæ quorundam stultitia committuntur, quos tu
merito portenta vocas, & bipedum nequissimos. Ve-
rum hæc portenta fovent, quos *Lutherus* ut Euange-
licæ doctrinæ proceres amplectitur. Genuit olim Euan-
gelium novum hominum genus mundo. Nunc quales
gignat hoc Euangelium non libet referre. Fieri potest
ut isthic sint aliusmodi, certe quos hic novi tales fere
sunt, ut malim cum Papistis habere commercium quam
cum illis, si quis contractus mihi pangendus esset. Po-
stremo, quos olim novi optimos, quosque dixissem
virtuti natos, video factos deteriores. Qualis qualis re-
rum status est, periculosissima res est moverè Camari-
nam hujus mundi. *Plato* quum Rempublicam philoso-
phicam somniaret, vidit multitudinem absque menda-
ciis non posse gubernari. Absit à *Christianis* menda-
cium, attamen non expedit omnem veritatem quovis
modo prodere vulgo. Utinam *Lutherus* tam posset Pon-
tifices ac Principes ad Euangelicæ pietatis studium con-
vertere, quam fortiter in illorum vitia debacchatur.
Quo animo sit in me, non ita valde laboro: præsertim
in hoc negotio, in quo non est fas multum valere af-
fectus privatos. Multa de me scripsit amicis suis non sa-
tis referentia animum in me, quem tu prædicas. Quæ
omnia me ne tantillum quidem commoverunt, quem-
admodum nec tuum de me judicium effecit, ut minus
amarem ingenium tuum. Quamvis atroces etiam con-
tumelias laturus sum, modo floreat Euangelium *Chri-
sti*. *Carolostadius* hic fuit, sed clam: edidit sex libellos
*Germanice* scriptos, in quibus docet in Eucharistia ni-
hil esse præter signum corporis & sanguinis Dominici.
Ea res graves tumultus excitavit *Bernæ*. Hic duo typo-
graphi, qui excuderunt, pridie conceptæ Virginis con-
jecti sunt in carcerem. Suspicor enim hunc unum es-
se eorum, quos tu vocas *Doctores sanguinarios*. De
*Sylvio* multos hic mecum fefellit suspicio. *Alberus* ille
censor *Erasmi* isthic agit ludi literarii magistrum, in
oppido *Smach*, opinor. *Oecolampadium* non annu-
mero portentis illis, nec huic similes, etiamsi permul-
ta sunt, quæ merito de his queri possim. Hactenus de
nemine magnificentius vel sensi, vel prædicavi, quam
de *Oecolampadio*; tamen & hic professus amicum can-
didissimum, non solum dictis aliquot in colloquiis &
in concionibus me perstrinxit; verum etiam in libellis
suis aliquoties attingit oblique, idque adeo præter cau-
sam. Ais isthic διατριβὴν meam æquissimis animis ex-
ceptam: at non itidem excepta est ab *Oecolampadio*,
qui respondere cœpit priusquam esset edita. Offensus
erat mea exomologesi, quasi in hac notarim ipsius con- An.
fessionem, quum illam nunquam legerim. Certe quum 1524.
illa scriberem, ne somniabam quidem de *Oecolampadio*.
Possem hic alia multa commemorare, sed ejusmodi fa-
cile contemno. Et in amicitiis ad multa connivendum,
quanquam in his, qui profitentur Euangelicam sincerita-
tem, oportebat hæc etiam abesse. Video te sollicitum,
ut mihi moderate respondeat *Lutherus*. Imo patere il-
lum suo respondere more. Quod ego moderate rem
gessi, neque præter morem meum, neque sine certo
consilio feci. Ille si hic multum sui dissimilis fuerit,
clamabunt sycophantæ colludere nos, rem inter nos
ex composito geri. Proinde malo illum servire causæ,
quam mihi. Si quid in diatriba nigri salis adspersum
est, quemadmodum tibi videtur, ad *Phallicos* & huic
similes pertinet, id quod etiam testor alicubi. Alio-
qui erant in assertione *Lutheri* quædam, quæ non im-
merito magnis conviciis poteram exagitare, sed malui
causam agere susceptam. In aliis argumentis nonnihil
dedimus humanis affectibus, in hoc negotio nulla con-
tumelia me depellet à recto. Videris autem sollicitus,
ne, si pergam, hæc causa, majore gravata invidiâ, si-
mul cum Euangelio periclitetur. Atqui *Lutherus* in
literis suis existimat, omnino nihil esse momenti, sive
adsim, sive adverser. Illud polliceor, me nunquam scien-
tem arma sumpturum adversus Euangelicam veritatem.
Et ideo veritus sum hactenus etiam illa labefactare, quæ
displicebant in *Luthero*, ne simul ruerent & alia pro-
bata. Quin illud per omnem occasionem molior, ut
ex hoc amaro violentoque pharmaco, quod *Lutherus*
mundo porrexit, nascatur aliquid bonæ sanitatis in mo-
ribus Ecclesiæ. Fortasse nostri mores meruerunt tam
inclementem medicum, qui sectionibus & usturis cu-
raret morbum. Hic seditiosi quidam vociferantur in
meam inconstantiam, quum nullus omnium possit, vel
unum proferre locum, in quo mihi non constem. Si
piaculum existimant, alicubi dissentire à *Luthero*, qui
nescio an sibi ubique constet, cur sibi permittunt ubi-
cunque commodum fuerit à *Lutheri* dogmatibus dissen-
tire? Non hic in medium adferam colloquiorum & com-
potationum fabulas; nonne *Oecolampadius* apud *Sichi-
num* edidit libellum, in quo scribit non esse periculum,
si quis Missam appellet sacrificium? Id sic exsecratur
*Lutherus*, ut malit decies mori. Quo tumultu *Zwin-
glius* exegit Divorum imagines? Adversus hos, ut audio,
libellum etiam acrem scripsit *Lutherus*. *Argentorati*, nec
ibi tantum, publice docuerunt, nec ullas disciplinas, nec
linguas esse discendas, præter unam *Hebraicam*. Adver-
sus hos acerrime scripsit *Lutherus*. Quid hic commemo-
rem de *Carolostadio*, quum sordidi quidam nobis respon-
deant, *Nos non servimus* Luthero, *sed Euangelio*? Scri-
psit istud quidem, sed scripsit humano spiritu, scripsit in
gratiam *Melanchthonis*. In horum nonnullis, mi *Phi-
lippe*, video tam impotentes spiritus, ut si res illis suc-
cesserit, verear ne *Lutherus* etiam ipse desideraturus sit
Episcoporum ac Pontificum tyrannidem. Quis enim
coerceat istos, qui nec Pontificibus auscultant, nec
Principibus, nec Magistratibus, nec ipsi denique *Lu-
thero*? Unum Euangelium occinunt, sed cujus ipsi
volunt esse interpretes. Fortasse & hoc tolerabile, si
quemadmodum à Veteribus dissentiunt, ita inter se
consentirent. De tui animi sinceritate nihil addubito,
quin sedulo facias quod facis. De *Lutheri* animo, mul-
ta sunt quæ suadent ut dubitem; etsi non ausim o-
mnino meo judicio fidere, videor tamen mihi ex scri-
ptis animum hominis non minus deprehendere, quam
ex convictu. Est ardens ac vehemens ingenium *Luthe-
ri*, agnoscas ubique *Pelidæ* stomachum cedere nescii.
Neque tu nescis quantus sit artifex hostis humani gene-
ris. Accedit huc tantus negotii successus, tantus fa-
vor, tantus applausus theatri, quantus vel modestissi-
mum ingenium possit corrumpere. Jam mihi vide, do-
ctissime *Melanchthon*, ei navi, quæ se tali tempestati
commisit, quam validis ancoris, quanta saburra, quam
fido clavo sit opus, ne depellatur à recto cursu. Hic
oculis

Digitized by Google

Ab. 1524. oculis perſpicimus, quos ſpiritus tollant quidam, ſi vel pauxillum ſucceſſerit. Si conſtet ratio conſcientiæ, nihil eſt quod mihi metuam, quamlibet, ut iſti jactant, puſillanimis. Senectutem ac valetudinem, nec Cæſar, nec Pontifex mihi poteſt adimere. Eſt unde alam hoc corpuſculum. Dignitates & opes nihilo magis ambio, quam equus elumbis graves ſarcinas. Gloriæ jam olim ſum ſatur, ſi quid omnino eſt gloria. Nec defuerunt pericula, quæ vel θερσιτολογχνον poſſent terrere. Et hæc omnia qui contemnit, dicitur meticuloſus. Tu non avelleris à ſententia tua, quam imbibiſti; & ego contra animi ſententiam ea profitebor, quæ mihi præter infamiam certiſſimum adferant exitium? Nihil mihi facilius quam hanc vitam contemnere, quæ perpuſilla ſupereſt, eaque tot morbis obnoxia, ut mors poſſit eſſe in votis, ſi poſſim hanc conſcientiam probare *Chriſto*. Nec alio ſpectavit mea vel cunctatio, vel moderatio, quam ut utrique parti prodeſſem. Odi ſeditionem, & à ſævitia ſemper & conſtanter dehortatus ſum Principes. Si ſalvis hominibus queam jugulare vitia, videres quantus ſim futurus carnifex, ἀφ' ἑσίας ἀρξάμενος. De fide tua nihil addubito, tametſi jam toties deceptus ab his, quibus vel decem vitas eram crediturus. Sed quicquid ſcribitur, vel γραμματοφορων perfidia, vel alio quopiam caſu profertur: ſi colloqui licuiſſet, plura effudiſſem in ſinum tuum. Illud unice cupio, ut apud vos religioſe & colatur & ametur Euangelium; de me non admodum laborabo. *Neſeni* mortem acerbiſſime tuli. Erat amicus candidus & conſtans, etiamſi mihi minime felix. Prædicatur apud omnes *Germanorum* fides, quo nomine *Britanni* non perinde bene audiunt: at hoc fuit fatorum meorum, ut apud *Britannos* mihi contigerint amici multo ſinceriſſimi, apud *Germanos* longe diſſimiles aliquot: nec enim ex paucis æſtimo univerſos. De Orationibus *Demoſthenis* & *Æſchinis Latine* vertendis, demiror te mecum agere, quum nemo vivat, opinor, hodie, qui hoc magis præſtare poſſit quam tu. Mihi nunc alia ſunt in manibus, & hæc provincia tuam ætatem magis decet. Bene vale. *Baſilea* 10. Decembris, Anno 1524. Vereor ut legas has extemporarias notulas.

## EPISTOLA DCCXV.

*Eraſmus Roterodamus Henrico Stromero Aurbachio Medico* S. D.

RISI ſalſiſſimam epiſtolam tuam, quanquam interim riſum ridens Sardonium. Refricuit mihi jocus tuus *Mori* mei dictum quoddam non illepidum: nam editis libris *De Copia*; *Emiſit*, inquit, *Eraſmus utranque Copiam, quid itaque ſibi reliquum fecit prater ſummam inopiam*? Ita profecto nunc habere deſii liberum arbitrium, poſteaquam emiſi in vulgus. Optabam eſſe ſpectator hujus fabulæ, non quod Eccleſiæ negotio pro mea virili pigeret adeſſe, ſed quod viderem eſſe rixam de paradoxis, neſcio quibus: tum autem divinabam futurum, ut ſi me admiſcerem actioni fabulæ, nihil aliud quam rem exaſperarem, meo pariter & cauſæ malo. Poſtremo, conſiderans vitam *Chriſtianorum* undique corruptiſſimam, etiamſi peſſime ſenſiſſem de *Luthero*, tamen propemodum judicabam illum ἀναγκαῖον κακὸν εἶναι, quod qui tolleret, tolleret id quod hoc ſtatu temporum eſſet optimum. Verum, illud erat in fatis meis, ut hoc ætatis ex muſico fierem retiarius. Deplorat *Laberius* Mimographus quod annos natus ſexaginta, *Cæſaris* auctoritate protractus eſſet in ſcenam, ut qui domo egreſſus erat Eques *Romanus*, rediret hiſtrio. Ego idem ferme ætatis ex cultore Muſarum fio gladiator. *Vejanius*, qui ſemper verſatus fuerat in arena, excuſatione ſenectutis meruit miſſionem, & armis *Herculi* ad poſtem fixis latet abditus agro. Ego ſemper in campis Muſarum verſatus, in hanc cruentam pugnam protrudor, non aliter licuit. Clamitabant Sophiſtæ, *Convenit inter* Eraſmum & Lutherum, *neuter alterum impetit*. Principum exſpectationem diutius fallere non erat tutum. Odioſe provocabant quidam *Lutheri* amici, ſed ipſi etiam *Luthero* infeliciſſimi, ut ſi me continuiſſem, viſus fuiſſem iſtorum minis territus ſiluiſſe. Quin & epiſtola *Lutheri*, quam per *Joachimum* ad me miſerat, jam habebatur *Argentorati*, nec dubium quin brevi proditura. In ea pollicetur, ſe non ſtricturum in me calamum, ſed hac lege, ſi abſtineam à dogmatis ipſius ex profeſſo labefactandis, quemadmodum hactenus feceram. Hic nondum ſatis liquet, utrum mihi futurum fuerit turpius metu, an ex pacto quietem agere. Itaque jacta eſt alea, ſed ſic ut ne verbum quidem præter animi ſententiam ſcripſerim. Quod ais me male audire apud Sophiſtas, nihil novi nuncias, nec ullam unquam cum iſtis pacem vel ſpero, vel ambio. Cæterum quo *Lutherus* in me ſit animo, quum res agatur fidei, plane leviter æſtimo. Quam autem non magnifice de me ſentiat, multis epiſtolis ad amicos ſcriptis declarat, in quibus facit me cæcum, miſerabilem, ignarum *Chriſti*, alienum ab intellectu rei *Chriſtianæ*, rudem ſpiritus, adhuc affixum literæ. Sed mirum non eſt, ſi ſic de me judicat, qui neminem Veterum non magnifice contemnit præ ſe. Utinam quod habere ſe profitetur, vertat ad Eccleſiæ tranquillitatem. Ego quod ſemper egi, non deſino perſequi, ut cum bonis literis floreat ſincera pietas, nec hic ulla mihi prætermittitur occaſio, ſi liceat proficere. Sed *Lutherana* pars in dies magis ac magis exacerbat animos Principum. Diverſa pars tantum vulgaribus utitur remediis, carceribus, palinodiis, confiſcationibus, & faſciculis, quibus non video quid profecturi ſimus in hoc malo, quod tam late pervagatum eſt, & in dies ſe profert longius. Niſi ſcirem Deum moderari res humanas, ac frequenter fabulam, à nobis peſſime cœptam, in optimam ducere cataſtrophen, non divinarem alium exitum hujus rei quam cruentiſſimum. *Carolſtadius* hic fuit, ſed vix *Oecolampadio* ſalutato. Edidit ſex libellos, duo, qui excuderunt, nudiustertius conjecti ſunt in carcerem, juſſu magiſtratus, ob id potiſſimum quod, ut audio, doceat in Euchariſtia non eſſe verum corpus Domini. Hoc nemo fert. Indignantur laici ſibi eripi Deum ſuum, quaſi nuſquam ſit Deus niſi ſub illo ſigno. Docti commoventur verbis Scripturæ ſacræ & Eccleſiæ decretis. Hæc res excitabit nobis magnam Tragœdiam, quum Tragœdiarum pluſquam ſatis ſit. Perlongum fuerit, ſi hic recenſeam quid hic agatur. Scis *Tigurinos*, omnes Divos ejeciſſe è templis; *Walshutenſes* etiam è vitreis feneſtris privatarum ædium. *Phallicus* in monte *Bellicardi* regnat pro ſua libidine. Sed næ ego ineptus, qui hæc ad te, qui prius, opinor, hæc audis quam hic fiant. Bellus vero jocus iſtorum qui jactant me detrectare martyrium; quaſi mihi multum hujus vitæ ſuperſit, aut quaſi calculus non tale malum ſit, ut quamvis mortem faciat optabilem: an martyrium detrectat, qui ſincere quod ſentit profitetur? Affirmas te mecum ſentire de libero arbitrio. Non ſtatim Euangelium eſt quicquid iſti docent, & non raro docendi modus aut docentis mores excitant tumultus. Ego quum nihil ambiam in hac vita, ſic moderabor mea, ut proſim omnibus, quod quidem licebit, & Principibus, & Pontificibus, & Phariſæis, & Sophiſtis quamlibet in me iniquis, & rabulis Euangelicis. Fortaſſe gratia quæ negatur vitæ, reddetur memoriæ, apud *Chriſtum* certe nihil officii perire poteſt. Quum hæc ſcriberem, epiſtola tua ad manum non erat, proinde non miraberis ſi minus ad omnia reſpondi. Bene vale, vir optime. *Baſilea* 10. Decembr. Anno 1524.

Priuſquam has obſignarem, forte venit ad manum epiſtola tua. Feſtivum eſt quod narras de medico, nec multum aberravit à ſcopo tua divinatio. Et



Digitized by Google

An. 1524. tamen est hic Ecclesiastes, qui in singulis concionibus aliquid differit contra libellum meum apud promiscuam multitudinem. Quam vir sit fortis *Lutherus* nescio. Hic nobis hoc novum Euangelium gignit novum hominum genus, præfractos, impudentes, fucatos, maledicos, mendaces, sycophantas, inter se discordes, nulli commodos, omnibus incommodos, seditiosos, furiosos, rabulas, qui mihi adeo displicent, ut si quam nossem civitatem ab hoc genere liberam, eo demigrarem. De libero arbitrio nihil scripsi præter animi sententiam; in multis aliis à *Luthero* dissentiebam, sed verebar impugnare, ne fructus hujus tumultus mea periret opera. Et isti stolidi jactitant me sentire cum *Luthero*, cæterum metu dissimulare. Egregius vero futurus sim martyr, si in gratiam talium nebulonum mentiar in caput meum. Sunt apud nostrates plurimi, qui favent *Luthero*, quod si præscissem hujusmodi rabulas prodituros, statim initio professus fuissem me factionis hujus hostem. Utriusque juvenis, à *Duba* & ab *Haubitz*, indoles mihi vehementer placuit, nec defuturus sum officio meo, sicubi queam illis esse commodo. Rursum vale. Anno 1524.

## EPISTOLA DCCXVI.

*Erasmus Roterodamus Joachimo Camerario* S. D.

ODI valetudinem hanc, non tam ob id quod me discruciat, quam quod per eam non licet erga amicos humanitatis obire munia: adeo durius est inhumanum fieri quam infelicem. Ac frequenter accidit, nescio quo fato, ut complures simul inundent, ac propemodum obruant. Itaque fit non raro, ut eodem tempore mihi sint literis onerandi, hic qui *Romam*, ille qui *Galliam*, alius qui *Britanniam*, alius qui *Brabantiam*, alius qui *Germaniam* adeat. Porro quum tu adesses tam erat imbecilla valetudo, ut ægre ferrem laborem promendæ vocis: adeo ut non solum Comiti *Polono* ad convivium vocanti excusarem, verum etiam ambientem cœnare mecum repulerim. Proinde cogor hujus infelicitatis non modo pigere, sed pudere quoque. Quod autem malum in vita durius accidere potest, quam quod habet cruciatum cum pudore conjunctum? Et sunt quidam, qui nostram excusationem, multo quam vellem justiorem, non recipiunt. Tu vero, mi *Joachime*, quum te tam frigide acceptum, tam candide interpreteris, nimirum probas mihi simplex tuum ac benignum ingenium. Jam vero quando non solum boni consulis, quod à me fuerat excusandum, verum etiam tam accurate gratias agis, pro brevi colloquio, pro salutatiuncula literis ad *Melanchthonem* scriptis adjecta, & hanc ceu non vulgarem quandam humanitatem ingenii tui, ut in te vehementer amo, ita doleo in tam paucis inveniri nunc, ex eorum numero qui Musarum sacra colunt. Non enim oportet Gratias à Musis abesse. At quosdam his temporibus videre est, qui pro tribus Gratiis treis Furias addidere Musis. Tanta est morum barbaries, tanta scriptorum amarulentia. Porro, quemadmodum in hac causa mihi declaras insignem naturæ tuæ bonitatem, ita dum literarum evulgatarum suspicionem abs te depellis, probas mihi quantum & ingenii felicitate & dicendi facultate polleas. Nihil enim abs te prætermissum est, quod bonus orator ad talem causam adferre debuerit. Itaque scito, mi *Joachime*, hic te mihi nihil aliud persuasisse, quam te causam etiam non optimam optime posse tueri. Nam mihi quidem, priusquam tu verbum faceres, persuasum erat hic nihil esse commissum tua culpa, nec illa suspicio culpæ, quam tu deprecaris, οὐδὲ κατ' ὄναρ unquam venit in mentem *Erasmo*. Et jam satis divino qui sint illi, quorum stultam sedulitatem tu notas. Nec eram questurus hac de re apud *Melanchthonem*, nisi causa, quam illic agebam, eguisset & hoc argumento. Siquidem edidere jam pridem epistolam *Lutheri* ad *Pellicanum*, ediderunt judicium *Melanchthonis*, qua de re nemini verbo sum questus. Qui tuas reddidit, plane non eguit tua commendatione, nimirum ipsa, quod ajunt, fronte præ se ferens ingenium imaginibus dignum, ac præterea propensam quandam in me benevolentiam. *Nesenum* nobis præreptum doleo, sed gaudeo te enatasse, nam ajunt in communi fuisse periculo. Bene vale. *Basilea* 11. Decemb. Anno 1524.

An. 1524.

## EPISTOLA DCCXVII.

*Erasmus Rot. Francisco Molino, Episcopo Condonienſi*, S. D.

HAERES, ut scribis, meus *Hilarius*, utinam haberet tantum mentis quantum habet bonæ mentis. Mandaram etiam scripto, ut ante Septembrem isthic pararet mihi nidulum: nihil meminit, ebrius, opinor, voluptate repetitæ *Gallia*, quam unice adamat. Rursum scripsi me non venturum ante proximum ver. Interea, si ipsi esset felix *Gallia*, frueretur: sin minus, recurreret huc, mihi futurus usui, sibi fortasse nulli incommodo. Venit cum aliquot extortis ac supervacaneis epistolis, mox in *Galliam* revolaturus. Si tua benignitas vult illi benefacere, & si videbitur dignus, ne committat illius manibus multum pecuniæ, sed prospiciat de sacerdotio, quod non possit prodigere. Novi hominis ingenium, non odi. Narrat tuam excellentiam decrevisse huc advolare. Id tametsi suspicor abs te joco dictum, tamen quando sic asseverat *Hilarius*, non video causam, cur tantum suscipias iter. Fortassis in Septembri commissurus eram hoc corpusculum itineri. In hyeme non faciam, nisi decrevero mori: ne in ver quidem possum aliquid certi promittere. Bellum incrudescit, qualis sit futura valetudo incertum. Multa alia possunt exoriri, quæ consilium si non mutent, certe impediant. Hæc non ideo scribo, quod tuus conspectus non sit mihi futurus multo jucundissimus, sed quod nolim tantum amicum frustra & sumptu & itinere fatigari. Quod scribis de hirundine in niveis quæsita, Deus avertat omen. Bene vale. *Basilea* 12. Decemb. Anno 1524.

## EPISTOLA DCCXVIII.

*Erasmus Rot. Georgio Duci Saxonia* S. D.

ILLVSTRISSIME Princeps, accepi ternas jam à Celsitudine tua literas, unas 21. Maji scriptas, quibus inclusum erat earum exemplar, quæ meis primis, ni fallor, ad te literis respondebant. Tertiæ nuper redditæ sunt, quibus significas tibi redditum libellum *De libero arbitrio*. Priores multum habent stomachi, quod non olim prodierim in arenam adversus *Lutherum*, quasi, si id feciſſem, res non fuerit hucusque progressura. Ad eas tum paucis, & ex tempore respondi: verum, quando comperimus non raro fieri, ut literæ intercipiantur, (quemadmodum nunc deprehensum est nec meam epistolam fuisse redditam, qua primis tuis ad me literis responderam, nec tuam, cujus exemplar nuper misisti) repetam argumenti summam. Quum primum *Lutherus* aggrederetur hanc fabulam, totus mundus illi magno consensu applausit, inter quos arbitror & tuam fuisse Celsitudinem: certe favebant Theologi, quos nunc habet infensissimos, favebant & Cardinales aliquot, ne quid dicam de Monachis. Susceperat enim optimam causam adversus corruptissimos scholarum & Ecclesiæ mores, qui eo progressi fuerant, ut jam res nulli bono viro tolerabilis videretur. Deinde adversus hominum quorundam genus, ad quorum deploratam malitiam suspirabat orbis *Christianus*. Quis autem tum divinare poterat, negotium hoc hucusque progressurum? Si mihi *Daniel* quispiam hoc fuisset vaticinatus, non habuissem illi fidem. Arbitror ne *Lutherum* quidem ipsum speraſſe hujusmodi successum. Et tamen antequam *Lutherus* quicquam edidisset, præter *axiomata de indulgentiis Pontificiis*, ac tantum una aut altera pagella circumferretur inter fautores, deterrui ab in-

Digitized by Google

An. 1524. incepto, simul & *Lutheri* doctrinam imparem judicans huic negotio, qui nunc bellando bellator factus est, & divinans rem in seditiones ac tumultus exituram: quum id temporis esset mihi arctissima familiaritas cum his, qui magnis studiis applaudebant hujus exordio fabulae, nemo tamen meum animum vertere potuit, ut probarem institutum. Certe fabulae actionem palam & constanter apud omnes improbavi. Adeo ut quum sentirem me apud *Brabantos* agente, *Frobenium* instigantibus doctis, quorum erat *Capito*, libellos aliquot *Lutheri*, typis excudisse, literis illi denunciarim, fieri non posse ut amicitia mea uteretur, si talibus libellis contaminare pergeret suam officinam. Nec his contentus adjeci coronidem libello *Colloquiorum*, qui tum *Lovanii* excudebatur, in qua clare testificatus sum, me à *Lutherano* fœdere esse alieniſſimum. Itaque *Lutherum*, quandoquidem prior ad me scripserat, clam admonui, ut rem sincero gereret animo, eaque moderatione quae deceret Euangelii professorem. Nec Cæsaris animus adhuc abhorrere videbatur à *Lutheri* doctrina. Tantum Monachi quidam & commissarii vociferabantur, quorum quæstui videbatur aliquid decedere. Horum insanis tumultibus potissimum effectum est, ut ex parva scintilla tantum surgeret incendium. Quo magis revocabam *Lutherum*, hoc ille sæviebat acrius. Rursus dum diversam partem studeo compescere, hoc retuli gratiæ, ut jactitarent me sentire cum *Luthero*. Dices, cur non prodibas in aciem, postquam jam incruduerat malum? Habebam hanc de me ipse opinionem, neminem esse minus idoneum ad hoc negotium quam me. Nec arbitror hanc esse falsam animi persuasionem. Cæterum qui hoc jactitabant apud Cæsarem aliosque Principes, per me potissimum opprimi posse *Lutherum*, nequaquam simplici animo id faciebant. Iidem enim prædicabant, me nihil scire rei Theologicæ, & adhuc prædicant. Quid igitur agebant isti? nimirum ut *Erasmum* inermem tot dentatis belluis objicerent, totiusque negotii invidiam in meum caput derivarent. Quam vero laudem hinc retulissem? Videlicet ut me præberem Theologorum scribam, qui sibi vindicassent eruditionis gloriam, elocutionis tantum mihi concessissent. Nec unquam illorum animis eram facturus satis, nisi conviciis ac jurgiis debacchans omnia tumultu complessem, ac tantum sæviissem calamo in *Lutherum*, quantum illi fervebant odiis. Quin & illud agebant, ut qui prius cum *Luthero* sensissem, viderer hanc veluti palinodiam canere. Sic enim proponebant: Scripsisti pro *Luthero*, scribe nunc adversus *Lutherum*. Æqua vero conditio, ut prius mentirer in caput meum, deinde calamum meum dederem in servitutem morosis ac cerebrosis quibusdam, mihique plusquam capitalibus hostibus, quod nunquam esse desinent, nisi posteaquam desinent odisse bonas literas. Id facient ad *Graecas*, ut ajunt, Calendas. Jam nisi omnia istorum placita defendissem, dedissem memet illorum odiis. Novi hoc hominum genus. Ita quid aliud erat futurus *Erasmus*, quam istorum carnifex? Nec dubium quin illud statim evenisset, quod nunc videmus evenisse, ut quotquot impendio faverent *Luthero*, favent autem ubique plurimi, aut amici nobis esse desinerent, aut, quod experior in nonnullis dudum intimis, ex amicis verterentur in hostes capitales. Nulla est regio, in qua mihi meæ lucubrationes non plurimos amicos conciliarant: & hac possessione mihi sat beatus videbar in fortuna quamlibet tenui. Ea possessio longe chariſſima æquo animo fuerat deponenda, simulque consequebatur, ut bonarum literarum osoribus, me præsidiis amicorum destitutum & inermem objicerem, vel potius utrinque dilacerandum præberem. Hic me consolaberis Pontificum & Cæsaris præsidio: An isti mihi succurrent, qui nulla vi possunt efficere, quo minus contumeliarum & criminum plenis libellis lapidentur ipsi? Quod ad divitias attinet, est unde alam hoc corpusculum. Cæterum quisquis huic valetudini atque ætati dignitates dederit, non dicam bovi clitellas, sed equo vetulo & elumbi sarcinam imposuerit, sub qua concidat. Jam audio, quod ajunt quidam, fidei Catholicæ vitam etiam impendendam. At me terrebat exemplum *Ozae*, cui parum feliciter cessit, voluisse labanti arcæ succurrere. Non est cujusvis, nutanti fidei humeros supponere. Ipse *Hieronymus* dum oppugnat hæreticos, vix cavet quin incidat in hæresim. Quid igitur mihi metuendum erat, quum aliis rebus nato, tum ad hanc arenam nequaquam instructo? Nec dubitabam, quin ex tot Theologorum agminibus, ex tot Episcoporum collegiis essent prodituri, qui rem tam arduam & vellent suscipere, & possent præstare. Nec me fefellit mea divinatio. Quam multi, quantique viri coorti sint in *Lutherum* vides. Quæso, quid his effectum est? Accessit terribile Pontificis edictum, terribilius Cæsaris, denique carceres, confiscationes, palinodiæ, fasciculi, incendia: nihil his rebus video profectum, nisi quod malum in dies serpit latius. An igitur istos vel tantulum commovisset pygmæus *Erasmus* in arenam prosiliens, qui tantos gigantes negligunt? Me quidem præter dogmatum hyperbolas vehementer offendit in *Lutheri* libris amarulentia, cum pari conjuncta arrogantia, quanquam nunc succedunt illi, ad quos collatus *Lutherus* modestus videri queat. Et tamen vix ausus sum meo fidere judicio, quoties meo cum animo reputabam, tot hominum millia in *Lutheri* favorem consentientia, inter quos si nihil me moveret turba, plurimos noveram ingenio felici, magnoque judicio præditos, nec vulgari doctrina, postremo mihi semper antehac visos integros ac pios homines. Proinde sæpe mecum demiratus sum, quid isti viderent in scriptis *Lutheri*, quod tam pertinacibus studiis amplecterentur ac tenerent mordicus. Et tamen ex his nullus repertus est qui mihi per omnia satisfecerit, si quando incidit familiaris conflictatio. Verebar itaque nonnunquam ne mei stuporis esset, qui ea non perspicerem, quae illi veluti perspicua, tanta cum fiducia, tantoque consensu tuerentur. Non est igitur quod quisquam reprehendat meam cunctationem, quum lentius cunctatus sit divus *Hilarius*, antequam in *Arianos* stringeret calamum. Illi diu siluisse non erat collusio, sed religio; me vero & alia religio commovebat. Non raro mecum suspirare soleo, perpendens quo tandem esset prolapsa *Christiana* pietas. Mundus instupuerat ceremoniis: mali Monachi regnabant impune, qui laqueis inexplicabilibus involverant hominum conscientias. Theologia, ad quas tricas sophisticas reciderat? Jam definiendi temeritas in immensum processerat. Ne quid hic commemorem de Episcopis, aut sacerdotibus, aut his qui nomine *Romani* Pontificis exercebant tyrannidem. Itaque sic mecum cogitabam: quid si morbi nostri meruerunt tam inclementem correctorem, qui malum, nullis malagmatis aut unctionibus sanabile, sectionibus & usturis sanet, & Deus ita voluit abuti *Luthero*, quemadmodum olim abusus est *Pharaonibus*, *Philistaeis*, *Nabuchodonosoribus* & *Romanis*? Videbatur enim tantus successus non absque numine geri, præsertim quum bona pars hujus fabulae per homines sordidos ac prodigiosæ tum malitiæ, tum stultitiæ geratur. Huc igitur appellebam animum, ut exitum hujus tragœdiæ *Christo* committerem, hoc tantum agens interim, ut quos possem avocarem ab addictione factionis, & utranque partem sollicitarem, ut, si fieri posset, ad æquas conditiones utrique descenderent, atque ita paulatim sarciretur concordia. Ad id conficiendum videbar mihi exordia non omnino pessima excogitasse: id primum tentatum est in Concilio *Wormacienſi*, mox idem egi apud Cæsarem, deinde apud *Adrianum* Sextum, & *Clementem* Septimum, postremo apud hujus Legatum, Cardinalem *Campegium*. Tentati sunt & *Lutherani* negotii proceres si possent mitescere. Hos comperi mire præfractos, adeoque non faciles ad remittendum aliquid de cœptis, ut in dies superioribus adderent acer-



Digitized by Google

An. 1524. acerbiora. Ac Principibus adversæ partis videbatur hoc esse decretum, ut dissidium hoc sævitia compescerent. Ad hoc consilium etiamsi justum ac verum esset, tamen perspiciebam non opus esse mea opera. Sit sane conjiciendus in ignem, qui pugnat adversus articulos fidei, aut si quid aliud magno Ecclesiæ consensu receptum est, ut cum illis parem habeat auctoritatem: at æquum non est, ut quivis error igni puniatur, nisi accedat seditio, aut aliud crimen, quod leges capite puniunt. Neque enim ad hoc valere debet Euangelii prætextus, ut impune peccetur, sed ne omnino peccetur, etiamsi per leges liceret impune. De potestate Pontificis in multis articulis Theologi *Parisienses* dissentiunt ab *Italis*, & alteram partem errare necesse est. Neutra tamen alteram ad ignem vocat. In multis dissentiunt qui *Thomam* sequuntur ab his qui adhærent *Scoto*: & utrosque fert eadem schola. Nunc magnopere vereor, ne vulgaribus istis remediis, hoc est, palinodiis, carceribus, & incendiis, malum nihil aliud quam exasperetur. *Bruxellæ* primum exusti sunt duo: tum demum cœpit civitas favere *Luthero*. Si lues hæc dimanasset ad paucos, posset utcunque amputari: nunc adeo late pervagata est, ut ipsis etiam Monarchis existimem metuendum. Non hæc eo spectant, ut censeam hoc malum esse negligendum, sed ut doceam vulgaribus remediis non esse exasperandum. Quem movet illa palinodia, incendii metu extorta? Deinde unus aut alter affectus supplicio, quid aliud quam irritat tam numerosæ factionis animos? Age, fingamus his remediis opprimi posse malum, quid refert opprimi, mox vehementius repullulaturum? Ac mihi quidem nonnulla spes esset, Pontifices ac Principes ad æquas conditiones flecti posse, si remitteret fortassis nonnihil & *Lutherus*: verum hic *Lutheranos* quosdam video, de quibus mihi nulla spes est æquis legibus auscultaturos. Itaque quod supereſt, pura conscientia venor occasionem, si queam aliquid adferre momenti ad sarciendam publicam concordiam: & si non licet præstare quod optimum est, certe quod optimum est non desinimus assiduis à *Christo* votis flagitare. Utinam hic nobis volare dignetur, non *Minervæ* noctua, sed *Christi* columba, quæ quorundam temeritatem nobis vertat in bonum exitum. Hæc integer & ago & opto, utracunque pars vicerit, ego non fruar victoria, hinc brevi demigraturus. Verum, id faciam æquiore animo, si videro *Christi* causam ferre palmam. *Lutherus* porrexit orbi pharmacum violentum & amarum. Id quale quale est, optarim ut aliquid bonæ sanitatis gignat in corpore *Christiani* populi, tot malis undique corruptissimo. Sunt alia, quæ non satis tutum est literis committere, quæ si nosset tua Celsitudo, non scripsisset mihi duas tales epistolas, quibus longe dissimiles scribunt Pontifex, Cæsar, *Ferdinandus*, & Rex *Angliæ*. Nec tamen offendor ingenuitate tua. Sic tibi persuaserat aliquis, & religiosus quidam ardor erga fidem Catholicam talia tibi dictabat. Alioqui prædurum erat illud, *Utinam ante triennium hanc tibi mentem Deus dedisset, ut à factione te sejunxisses, & ita sejunxisses, ut edito aliquo adversus illos scripto*, & cætera. Imo, quod admonet illustrissima Celsitudo tua, jam factum est ante annos quatuor, & multo plus factum est quam tu exigis. Nunquam me illi factioni adjunxi, maluique tot amicorum jacturam facere, quam vel paululum admisceri factioni, quæ tum erat ubique plausibilis. Quot libellis, quot epistolis testatus sum, mihi nihil fuisse rei unquam cum *Luthero*? Quot locis non dissimulo me ab illo dissentire? Tametsi veterem cum eruditis amicitiam, quoad licuit, alui, sed sic ut dogmatibus illorum non accederem. Hanc meam civilitatem laudavit etiam Pontifex *Adrianus* & Card. *Campegius*, nimirum intelligentes hoc expedisse causæ. Fortasse non defuturi sunt, qui moderationem meam, qua in Collatione sum usus, calumnientur, quum ea vehementer probetur, tum eruditis permultis, tum Regi *Anglorum*, & hujus Cardinali. Ea moderatio magis gravat *Lutherum* quam omnia convitia. Videor nonnullis

A

B

C

D

E

F

fero descendisse in arenam. Utinam tam feliciter descendissem, quam descendi mature. Res ipsa declarabit, me nusquam defuisse causæ Ecclesiæ. Erat in rem studiorum, *Mosellanum* quam diutissime nobis esse superstitem, sed hujus mortem hoc æquiore animo fero, quod huic tumultuosissimo seculo subtractus est. De successore suspicor jam esse prospectum, quandoquidem jam vetus erat epistola, qua id à me postulas. Utriusque linguæ sic peritum, ut possit *Mosellano* succedere, difficile est reperire, sed longe difficilius, qui, quod addis, prorsus sit alienus à factione *Lutherana*. Si quis tamen occurret qualem optas, significabo. Hactenus ad duas epistolas tuas priores. Nunc ad extremam: Collationem nostram tuæ Celsitudinis calculo comprobari sane gaudeo. Veniunt à multis epistolæ, huic meo labori gratulantes. Sunt qui fatentur sese hoc libello lecto mutasse veterem sententiam. Scribunt etiam *Wittenbergæ* æquissimis animis exceptum. Hic tamen fremunt. Quidam in singulis concionibus aliquid jaculantur in cum libellum. Accepi libellum *De votis*, & cœpi legere, video loquacissimum esse. Sed illi jam accurate respondit *Jodocus Clitoveus* Theologus *Parisiensis*. Arbitror libellum *De modo orandi* jam isthic esse, alioqui misissem, & fortasse mittam, si qui has reddet, tantum sarcinæ volet recipere. Precor ut Dominus *Jesus* illustrissimam Celsitudinem tuam diu servet incolumem. *Basilea* 12. Decembris, Anno 1524. An. 1524.

## EPISTOLA DCCXIX.

*Erasmus Roterod. Joanni Cæsario* S. D.

ERAT suspicio, sed levis, te nonnihil offensum literis, quibus liberius jocans respondi ad quæstionem tuam, *De publicano justificato*, ne quid tu putes acerbius ad me delatum. Quod amicum tam magnifico elogio decoraris, ut diceres eum sibi contrarium esse, habeo sane quam debeo gratiam. Blaterant idem & inimici, quod tu amicus de me prædicas. Sed interim nullus exstitit, qui potuerit vel unum argumentum proferre, in quo fuerim mihi contrarius, quum tot exstent meæ lucubrationes, quumque hæ ab iniquissimis sycophantis excutiantur. Idem scribo quod olim scribebam, idem ago quatenus licet, ac diligentius ago quam vos putatis. Ego peperi ovum, *Lutherus* exclusit. Mirum vero dictum Minoritarum istorum, magnaque & bona pulte dignum. Ego posui ovum gallinaceum, *Lutherus* exclusit pullum longe dissimillimum. Nihil miror ab istis ventribus talia dicta proficisci, te demiror cum illis sentire. Atqui tu ipse possis esse optimus testis, me violentiam *Lutheri* semper improbasse, metuentem ne res in cruentos tumultus exiret. Optares me prorsus siluisse. Quid ego audio? An ideo tacendum prorsus erat de superstitione, de sophistica, de pseudo-Episcopis, de malis Monachis, ne quis hæc alio rapiat quam oportet? Quis divinasset apud *Germanos* latere talia portenta, quæ nunc videmus exoriri? Huc videbantur, inquis, tendere tua scripta. Quo, ad factionem? ab hac semper abhorrui. Ad seditionem? hanc nunquam non sum detestatus. Ego processi usque ad littus. An ideo videor mihi contrarius, si me nolo præcipitem dare in fluctus? Doles me male audire. At ego vicissim doleo, esse tam multos inter *Christianos*, qui de benemerente loquuntur male. Quiescere non licuit. Utrique parti placere non poteram. Ne *Jovi* quidem, ut ajunt, hoc datum est, ut placeat omnibus, sive pluat, sive sereno vultu arrideat. Attamen levius malum esse duco, male audire apud istos, quam cum insanis quibusdam furere. Fortassis ipse rerum exitus efficiet, ut melius audiam. Certe cordatissimi quique in utrisque castris jam nunc approbant meam & moderationem & integritatem. Est aliquid, mi *Cæsari*, in tali tempestate non depelli à recto cursu. Id magis diceres si totam fabulam pernosses, quæ hic agitur. Male audio apud sordidos quosdam, quos ipse etiam odit *Lutherus*, ut applausores in-

Digitized by Google

An. 1524. incommodos. At melius audio apud Pontificem, Cæsarem, *Ferdinandum*, Regem *Angliæ*, alioſque proceres, apud quos falſiſſimo delatus eram, ut *Luthero* fœderatus. Ego vero vel utrinque lapidari malo convitiis quam in hac conjuratione magnificum ducem agere. Factioni non adero, Euangelio non deero. Offendit iſtic quoſdam mea διατριβή. Atqui *Melanchthon* ſcribit eam *Wittenbergæ* æquiſſimis animis exceptam, nec ipſum *Lutherum* magnopere offenſum. Iſtos deos quis placabit? Miſericordiam meam tibi placuiſſe vehementer gaudeo. De libero arbitrio cum vacabit feres ſententiam, nos reverenter excipiemus. De negotio typographorum, binas accepi literas; quod in prioribus volebas, jam ultro egeram; quod in poſterioribus, omnino futurum eſt, niſi quid inciderit, quod vitari non poteſt; quanquam ego me rebus iſtorum figulorum non magnopere admiſceo. Annos pluſquam duos hic ago, ſemotus à *Frobenio*, niſi quod benevolentia ſumus conjunctiſſimi. Vivo meo ſumptu. Pro decem menſibus, quibus apud illum egi, ſolvi centum & quinquaginta aureos. Literæ, quas nolebas incidere in manus *Frobenii*, per illum mihi redditæ ſunt, & is, qui *Frobenio* reddidit, μυσικώτερα narrarat quam erant in literis, ſatis apparebat literas fuiſſe reſignatas. Quod tamen à *Frobenio* non eſſe factum certo ſcio. Nihil illo ſincerius. Stultum eſt nunc ſcribere quod nolis prodi. Velum templi ſciſſum eſt, efferuntur omnia, etiam quæ ſacerdoti dixeris in ſacramentaliſſima confeſſione. Caveat ſibi quiſque, Dominus venit. Bene vale, vir optime. *Baſileæ* 16. Decembris, Anno 1524.

## EPISTOLA DCCXX.

*Eraſmus Rot. Paulo Voltzio Abbati* S. D.

ET tibi tua crux ferenda eſt, ô bone, ſi vis regnare cum *Chriſto*, à qua nec pedum quamvis venerabile, nec mitra bicornis, nec anuli te liberabunt. De paupere regno lis eſt. Etſi maximum eſſet, ſcio tuum animum his rebus non magnopere commoveri. Re comperiſti, ne tyrannos quidem eſſe liberos, quibus regnum etiam cum libet deponere non licet. Conſtanter recuſavi theſaurariam *Turonenſem*. Res erat & liberrima & paratiſſima, proventus τάλαντον quingenti coronati. Nolo bos clitellas. Utrum tu ſceptrum tuum cum ea conditione commutaſſes? Etiamſi penſio deſignetur ſatis æqua, non ſemper penditur quod pangitur: quodque eſt omnium graviſſimum, qui quærunt lædere crimen prætexunt ſuæ malitiæ, ut probrum accedat damno gravius. Epiſtola, qua ſcribis te ternas miſiſſe literas, mihi tertia reddita eſt. Itaque una duntaxat periit. De *amphibio* ſuſpicabar quod ſcribis, niſi quod non ſatis divinabam, quid ſibi vellet ſcholarum. Nam ἀμφίβια dicuntur animantia, quæ in utroque vivunt elemento, veluti *Crocodili* & *Phocæ*; deinde irata *Grammatica* ſcripſeras ἀμφίβιο pro ἀμφιβίῳ. De vita mea, quam mihi longævam precaris, viderit *Chriſtus*, ego ſciens nec ad dextram deflectam, nec ad ſiniſtram. Iſtorum tumultus quorſum evaſuri ſint neſcio. Ab his ego jam non judicio tantum, verum etiam religione abſtineo. Quid ſi Deus per iſtos corrigere vult noſtram in malis pervicaciam? *Melanchthon* ſcribit noſtram διατριβὴν etiam *Witenbergæ* æquiſſimis animis exceptam. Fremunt ſtolidi. *Thraſymachus* & *Eubulus* non audent proferre caput, utrinque lapidandi ſi vel proſpexerint. Seculum eſt, in quo nec bene loqui licet, nec male. Opto tibi gaudium & pacem in Domino, Pater reverende. *Beatum* nondum vidimus, nec arbitror brevi venturum. Habes ad epiſtolam tuam μάλα Λακωνικῶς. *Baſileæ* 18. Decembris, Anno 1524.

## EPISTOLA DCCXXI.

*Eraſmus Rot. Ludovico Vivi* S. D.

DIATRIBAM meam *Philippus Melanchthon* ſcribit æquiſſimis animis acceptam *Witenbergæ*; ſed ita ut non diſſimulet ſe metuere cauſæ *Lutheranæ*, quam ait cum Euangelio conjunctam, ſi perrexero. De victoria, mi *Vives*, quæ futura ſit, gemitus orbis ſi vindicetur à quibuſdam, rem ipſam divinas. Urgeor utrinque, dici vix poteſt quam odioſe, ſed in utraque parte video futuros intolerabiles ſi vincant. Hic res plane ſpectat ad ſeditionem, & aliquot δυναστὰι me conantur volentem nolentem huic involvere negotio, nihil profecturum, niſi ut utranque partem in me provocem. A tanto Rege, à tali Regina laudari vehementer gratum eſt, ſed quid iſthuc πρὸς τ' ἄλφιτα; belle diſputo, ſed hic magno fumat culina. *Montjoius* ne verbum quidem mandavit, aut ſcripſit, opinor ſubitum *Livini* diſceſſum fuiſſe in cauſa. Quem dicas novum meum colluctatorem non ſatis intelligo, niſi forte dicis *Othonem Brunſfeldium*, quem ipſe *Lutherus* magis exſecratur quam ego. Et hoc tamen inſanior eſt *Phallicus*. Horum inſolentiam coercuerunt magiſtratus graviſſimis minis, alioqui impotentiſſime debacchaturorum in me. In *Hieronymi* ſcholiis, ſi non omnia, certe permulta caſtigavi. Habebam id temporis plurimos inſtigatores, adjutorem neminem. O me rudem ingenii *Germanici*! Erratum de *Laberio* nuper deprehendi, dum certior eſſe cupio de ætate: tametſi antea quoque ſubdubitabam. *Linacri* mortem acerbius ferrem, ni reputarem quantis cruciatibus ſubductus ſit. De *N.* ſcripſi non quantum ille meretur, omnibus *Eurybatis* ac *Phrynondis* ſceleratior, ſed quantum meæ modeſtiæ tuæque prudentiæ ſatis eſſe judicavi. Hic ſedulo diſſuadet *Frobenio*, ne quid tuorum excudat. Et *Frobenius*, duntaxat hac in re, abſque illius præſidio nihil poteſt. Nam apud *Germanos* vix quicquam vendibile eſt præter *Lutherana* ac *Antilutherana*. Mea tamen adhuc ſatis favorabilia ſunt, vel hoc argumento, quod *Frobenius* tam multos habet æmulos magno ſuo diſpendio. Cæſaris edictum, quod deterret æmulos, hujus non faciunt ipſi qui nobis dant Cæſarem: imo vendunt Cæſaris nomen. Ego jam pridem geſtio quopiam ab his figulis demigrare. *Frobenius* mihi ſerio queſtus eſt, ſe ne unum quidem Opus *De civitate Dei* vendere *Francfordiæ*; idque eo vultu dixit, ut plane credam hominem nihil fingere. Vides etiam in Muſarum rebus regnare fortunam. Ego illic nihil non ſuſpicio, niſi quod brevitas, quam tibi olim commendavi, reddidiſſet librum vendibiliorem. Atque hoc negotium *Frobenius* ſuſcepit à me non perſuaſus, ſed compulſus. Et res eſt non exigui ſumptus. Miſeret me boni viri, nimiumque ſinceri, cui pſeudocheus ille miris technis imponit. Si *Civitatem* illam vel prælegendo, vel alia quapiam ratione poſſes vendibiliorem reddere, ſublevares hominem. Ego nullam video viam, niſi ut totus *Auguſtinus* emendatus prodeat. In hoc velim te adjutare, ſuſcepta aliqua portione laboris. Nos tametſi jam laſſi, non defuturi ſumus officio noſtro. Ex animo, mi *Vives*, gaudeo tibi *Britanniam* eſſe proſperam, quod ut tibi proprium ac perpetuum ſit precor. Bene vale. *Baſileæ* 27. Decembris, Anno 1524.

## EPISTOLA DCCXXII.

*Eraſmus Roterod. Euſtachio Andreæ, Monacho Cluniacenſi*, S. D.

FRATER in *Chriſto* chariſſime. Singularis tuus in me affectus, quem non tam oratione quam fronte, quod ajunt, ipſa, quam oculis, quam toto vultu loquebaris, facit ut non poſſim te non redamare, niſi velim haberi omnium inhumaniſſimus. At vereor ne tibi uſu venerit, quod de *Ixione* narrant fabulæ, qui pro *Junone* nubem amplexus eſt. Supereſt autem, ut noſtros labores, quibus tam impenſe faves, precibus tuis adjuves: te vero in amicorum numerum perquam lubens recipio, non defuturus officio meo, ſi quid exſtiterit in quo poſſim tibi gratum facere. Salutabis mihi duos fratres humaniſſimos Jureconſultos, quorum in colloquio noſtro inciderat mentio: præterea doctiſſimum



Digitized by Google

An. 1524. mum juxta & humaniſſimum doctorem, qui mihi olim notus *Mechliniæ*, me ſalutavit *Beſontii*. Nam præter nomen nihil illius excidit mihi. Tu fac ſic invigiles honeſtis ſtudiis, ut ordini tuo poſſis & ornamento eſſe, & uſui. Abbatis dignitas non eſt quidem ambienda, ſed ea tamen ultro ſequetur virtutes tuas. Bene vale. *Baſilea* 27. Decembris, Anno 1524.

## EPISTOLA DCCXXIII.

*Eraſmus Rot. Leonardo, Officiali Archiepiſcopi Beſontini*, S. D.

VIR egregie, levius odiſſem hanc valetudinem, ſi mihi tantum adferret cruciatum, non etiam amicis gravem redderet, ac moleſtum. Tolerabilior enim eſſet, ſi dolorem haberet abſque pudore: nunc non tam pigebat morbi, quum apud vos eſſem, quam pudebat, quod veſtro in me affectui longe humaniſſimo deeſſe coactus ſum. Et haud ſcio, an ſint non eadem humanitate præditi qua vos eſtis, qui meam calumnientur calamitatem, & infelicem neceſſitatem interpretentur inhumanitatem. Poſt abitum, hic diu langui, magnaque victus moderatione, ſenſim ac paulatim revixi. Ubi ſum factus paulo firmior, aperuit ſe calculus, qui latuerat in inſidiis: eum ejeci, ſed cum ſumma vitæ deſperatione, poſt aliquanto commodius habere cœpi, reperta aqua ex adipſo cocta, qua vinum diluo: quod ſi amarum eſt, dulceſcit; ſi acidum, corrigitur; ſi auſterum, miteſcit; ſi acerbum, fit lenius; ſi ardens, refrigeratur. Neſcio quid rumoris huc allatum eſt, diſceſſum iſthinc noſtrum ſequutam eſſe famam, nos eſſe *Lutheranos*. Verum ad hos tumultus jam occallui. Utinam utraque pars huc incumberet, ut Euangelica ſinceritas vere floreret apud omnes: non deeſſet ſtylus meus. De confirmanda Miſſa magna ſedulitate tumultuatur *Bietricius*: at mihi res cordi non eſt, & præſtat hoc ſeculo non dare anſam improbis tumultuandi. Habetis iſthic in propinquo novum Euangeliſtam *Pharellum*, quo nihil vidi unquam mendacius, virulentius, aut ſeditioſius. Mihi videtur eſſe tempus, ut Epiſcopi cum Principibus ſerio conferant ſua conſilia, quo diſſidium hoc, quod in dies ſerpit latius, ſic componatur, ne facile repullulaſcat. Nam vulgaribus remediis, hoc eſt, palinodiis, carceribus & faſciculis video nihil profici niſi in pejus. Commendabis me diligenter D. Archidiacono & hujus Officiali, præterea *Franciſco* Theſaurario, *Deſiderato*, cæteriſque dominis & amicis meis. Bene vale. *Baſilea* 29. Decembris, Anno 1524.

## EPISTOLA DCCXXIV.

*Eraſmus Rot. Chriſtophoro Truchſes*†, *Baroni in Walpurg*, S. D.

CLARISSIME juvenis, nihil mihi *Carolus* meus ſecum attulit ex *Italia* gratius, quam quod præter exſpectationem attulit. Attulit enim imaginem tui, quam iſthic è vivo deſumptam, ſic mihi repræſentavit orationis velut penicillo, ut me quoque, perinde quaſi te coram intuitus eſſem, in virtutum tuarum amorem ſimul & admirationem rapuerit. Ut enim optimo jure ſapientum calculo damnantur, qui fortunæ beneficio divites, animum habent omnium rerum inopem, qui corporis forma conſpicui ſunt, quum mentem habeant nullis virtutibus exornatam: & qui natalium ſtemmatis ſeſe venditant, quum alioqui nihil habeant nobilitatis præter imagines, multo juſtius autem damnantur qui veſtes ac domos habent opulenter ſplendidas, quum animus ignavia acediaque ſqualeat: qui pulchro corpore, mentem circumferunt vitiis fœdam: qui majorum imaginibus morum culpa, labem ac tenebras offundunt: Ita merito laudantur hi, qui ſeſe veris, bonis ac perpetuis ornamentis ſic locupletarunt, expolierunt, & illuſtrarunt; ut ea minima ſit in ipſis pars nobilitatis, quam vulgus totam eſſe nobilitatem exiſtimat. Precor ut is, cui decet acceptum ferri, quicquid veri boni nobis obtigit, iſtum animum tibi ſervet, ſemperque in majus provehat. Magna hodie invidia laborant bonæ literæ, nuper etiam nobilitas cœpit hujus excetræ malum ſentire. Verum omnis hæc invidia vertetur in favorem, ſi multi tui ſimiles exſtiterint. Mediocris enim felicitas livori obnoxia eſt, cæterum juventus pudica, divitiæ ſine luxu, nobilitas ſine ſupercilio, morum integritas cum eruditione non vulgari conjuncta, ſuperat omnem invidiam. Videmus quot egregiis viris ceu ſtellis luceat *Britannia*, quot exoriantur in dies, qui majorum gloriam obſcuraturi videantur, niſi quod hoc eſt illuſtrare verius quam obſcurare. *Germania* nondum fortaſſis habemus quod magnopere gratulemur, ſed tamen exorti floſculi quidam inſignes, mirificam quandam pulcherrimi proventus ſpem pollicentur. Iſtam mentem, mi *Chriſtophore*, tibi proprie gratularer, niſi multos viderem *Germanicæ* nobilitatis juvenes pari curſu tecum ad iſtam laudem contendere, ut jam merito toti *Germaniæ* gratulari debeamus, & exemplum in dies ad plures dimanaturum confidimus. Erit profecto tum vere clara, generoſa, illuſtris, ac ſuſpicienda nobilitas, quum pro chartis & alea tractabit optimos Veterum libros, pro ſcortis amplectetur virgines camœnas, pro bellis ac latrociniis, ſanctiſſimæ leges ac philoſophiæ decreta cordi erunt. Virtute nihil amabilius, ſed neſcio quid illi decoris & gratiæ accedit, ſi fortunæ quoque bonis multitudini commendetur. Libebat quidem pluribus exſtimulare currentem licet, ſed vix hoc etiam vacavit ſcribere per ſtudiorum occupationes. Tu dabis operam, ut in dies minus egeas cujuſquam exhortationibus, noſque, qui tuæ virtuti applaudimus, juſtiorem habeamus cauſam tibi gratulandi. Bene vale. *Baſilea*, Anno 1524.

† Fuit is frater Ottonis Truchſeſii Cardinalis Auguſtani, & patruus Gebhardi Truchſeſii Archiepiſcopi Colonienſis, atque obiit Paviæ in Italia anno 1533. ex Tunetana expeditione rediens. Vide Chytræum in *Saxonia* lib. XXVI. p. m. 726.

## EPISTOLA DCCXXV.

*Eraſmus Rot. Gaſpari Hedioni* S. D.

PRECOR ut novum matrimonium vobis ſit felix. Miſeram tibi literas ad magiſtratum ſcriptas, tanquam amico, cui uni omnium fidebam toto pectore. Quoniam autem nolebam te vel minima invidia gravari, monui, ut ſi malles premeres rem, ſic ut nemo reſciſceret, videlicet quo mihi eſſet integrum quid vellem ſtatuere. At tu nec tacuiſti quod agebatur, nam *Frobenio* certe communicaſti, & *Scottum* tua opera ſublevaſti, ne daret pœnas. Non hæc dico quod offenſus ſim, ſcio te quicquid feciſti ſincero animo feciſſe, & Euangelicam lenitatem amplector. Verum iſta lenitas interim in me crudelitas eſt. An tibi lenitas videatur, ſi quis ſicario aut latroni ſubveniat ne capiatur, poſt majore audacia plures occiſurus? Non eſt neganda venia, ſed reſipiſcenti, ſed converſo. Iſtum adeo non pœnitet inſaniæ, ut ferox minitetur ſe ſceleratiora auſurum. Diligendus eſt inimicus, ſed in hoc ut fiat alius. Non amat autem qui ſinit impune peccare, ſi queat obſiſtere. Quo vehementius amat pater, hoc acrius cohibet peccantem filium. Miſericordia fuiſſet ſi mox editis *Hutteni* ſycophantiis dediſſet pœnas, non addidiſſet inſaniam inſaniæ. Sed monitus, inquis, clam à conſule cavebit. Quam tenere conſultum eſt illius honori, qui tale facinus orbi publicavit, ut clam admoneretur. An ſpes eſt tale portentum verbis caſtigatius fore? Vix emiſerat *Othonis* furias, cœperat iterum excudere, & præterea rabulæ neſcio cujus libellum, & feciſſet niſi fuiſſet coercitus. Et tamen illinc depulſus, dedit nobis epiſtolas *Othonis* bellas ſcilicet, quæ Euangelia quoque vocent in dubium. Addita eſt pictura ſeditioſa. Si pingebant Prophetas *Baal*, cur addiderunt crinem attonſum, vertices raſos, lineam veſtem, mitram horum temporum: & me pinxerunt pileo ſub mento religato, ſerico impoſito humeris, & bra-

Digitized by Google

An. 1524. brachiis è pallio porrectis: sic enim fere color, præsertim domi, & hoc cultu eram quum me salutaret *Otho*. Hæc ego quidem rideo, sed tamen indicant istorum, quos tu sublevandos putas, perversissimam voluntatem. An vos creditis talibus præsidiis processurum Euangelii negotium? Magis metuo ne talium stulta malitia, & malitiosa stultitia, subvertat cum bonas literas, tum Euangelium, si fieri possit, & vos vestramque civitatem aliquando pertrahat in grave discrimen. *Scottus*, inquis, habet uxorem & teneros liberos. Num ista excusatio videatur justa, si scriniis meis effractis sustulisset aurum? Non opinor. Et tamen hoc quod facit longe sceleratius est. Nisi forte putas mihi famam esse viliorem pecunia. Si deest unde alat liberos, mendicet. Pudet, inquies. Et hujusmodi facinorum non pudet? Prostituat uxorem, & ad calices vigilanti naso stertat adultero. Nefarium, inquis. Magis nefarium est quod facit. Nulla lex punit capite qui uxorem prostituat, at capitalem pœnam denunciant omnes iis qui libellos edunt famosos. A me nunquam verbo læsus est, nisi lædi se putat, quod *Frobenius* excudit bonos Auctores, dum iste nobis nihil dat, nisi furiosas nænias. Sunt in orbe tot veteres, tot novi libelli, aut restituat veteres, aut prodat novos. Solus ille typographus non habet unde alat uxorem & liberos, nisi suis libellis confundat omnia? Et me fautorem habiturus est, si proferat quæ prosint publicis commodis. Nam ego typographorum pecuniis non egeo, gratia superis. Gratis faveo bonis studiis, tantum abest ut verum sit quod de *Frobenio* scripsit iste rabula. Sed longe vanius est quod jactat de præda. Ex *Lutheri* causa teruncius ad me non rediit. Nihil non respui, ne forte imprudens repugnarem Spiritui *Christi*, nec unquam illius commendatione factus sum pilo ditior. Fovetis illum Euangelici, qui tanquam draco rabidus dudum emersit ex antro, & ebrius licentia putat suis furiosis minis cessura omnia. Qui primum invexerunt mundo Euangelium, tales furciferos non dignati fuissent alloquio. *Capito*, novi Euangelii Episcopus, non habebat alias delicias, quibus se oblectaret, quam perditissimi decoctoris convictu, ne quid addam. Nihil inimice suspicor de *Capitone*, quem exceptis dogmatibus semper habui pro amicissimo, & cui semper me præbui amicissimum. Et tamen sunt qui putent illum non esse alienum ab hac tragœdia. Non est tam simplex, ut non intellexerit technas decoctoris, & furias scriptoris. Diu siluit dum aleretur hoc monstrum, tandem admonuit de rebus gravibus, videlicet, quod aliquid attigissem *de libero arbitrio*, priusquam *Lutherus* scriberet *de libero arbitrio*. Deinde, quod alicubi scripserim, Legem *Mosi* cohibere manus, Euangelium etiam animum. Imo, inquit, Lex intendit in totum hominem. O graves admonitiones amici post acceptas tales plagas! Non licet exponere quod docet *Christus*, *Dictum est antiquis*, *Non occides*, hoc est cohibere manus. *Ego autem dico vobis*, *Qui irascitur*, &c. hoc est cohibere animum. Explica Legem, idem est cum Euangelio. At ego cum *Christo* loquor, de Lege nondum explicata. O piaculum talibus libellis expiandum, & quidem per tales amicos, quibus etiam decem vitas crediturus eram, si decem habuissem! Quid agam pro Euangelio nolim quovis scire. Fingunt me timidum, homines ad omne facinus præcipites. Si mihi constaret conscientia, si conspicerem fructus Euangelicos, viderent me non esse timidum. Egregius Euangelii profectus, si ex una civitate ejectæ sunt imagines, utinam ejicerentur animorum idola, quæ prodigiosiora video penes istos qui jactant Euangelii titulum. Olim amore Euangelii, qui habebant uxores, relinquebant ultro. Nunc floret Euangelium, si pauci ducant uxores bene dotatas. Non hæc dico, quod simpliciter improbem matrimonium sacerdotum, si fiat ex necessitate, si cum auctoritate majorum, si absque seditione, si sincero animo. Nunc vereor ne multi ducant uxorem, non ob aliud nisi quod non licet majorum legibus. Scio quam sit impurus quorundam cœlibatus. Verum an uxore ducta protinus consultum est castitati? Quid si sacerdos, qui prius habebat concubinam, nunc habeat uxorem cum pellice? Et tamen apud omnes Papistas (sic enim isti vocant) semper liberrime professus sum, matrimonium non esse pernegandum sacerdotibus in posterum ordinandis, si continere non queant, nec aliud dicerem si cum summo Pontifice agerem, non quod non præferam continentiam, sed quod nullos pene videam qui servent continentiam. Sed interim quorsum opus est tanta sacerdotum turba? nulli fui auctor ut duceret, sed nec ulli fui molestus volenti ducere. Si Monachus cum cuculla simul deponeret omnem malitiam, non obsisterem, quo minus qui vellet abjiceret. Nunc passim abjiciunt temere, nullaque majorum auctoritate, qui ex malis Monachis fiunt deteriores laici. Nec aliud his præstat mutata vestis, quam ut impunitius patrent quicquid animo collibuit. Sunt, fateor, quorum indolem melioribus rebus natam premit cuculla. Sunt rursus eo nati ingenio, ut decem cucullis coercendi sint potius quam suo tradendi arbitrio. Certe multos alebat cuculla, qui nunc veniunt in periculum, ne magistra egestate discant tollere unde non oportet. Quid autem dicas de his qui provecta ætate, dissuadentibus amicis, scientes, prudentes, volentes, dediderunt sese cucullæ? Saltem istos pudeat inconstantiæ. Nunc ut præclarum facinus jactant, & alios ad suum exemplum pertrahunt. Sed his de rebus alias. Valebis in *Christo*. *Basilea*, Anno 1524.

## EPISTOLA DCCXXVI.

### Lutherus Erasmo.

GRATIA *& pax à Domino nostro* Jesu Christo. *Jam satis diu silui, optime* Erasme, *& quamvis exspectarem, ut tu major & prior silentia rumperes, tamen cum frustra exspectarim tam diu, ipsa puto charitas me cogit incipere. Primum nihil causor, quod alieniorem te erga nos habueris; quo magis tibi esset integra & salva caussa tua contra hostes meos Papistas. Denique non egre tuli admodum, quod editis libellis, in aliquot locis pro illorum gratia captanda, aut furore mitigando, nos acerbiuscule momorderis & perstrinxeris. Quando enim videmus nondum esse tibi à Domino datam eam fortitudinem, vel & sensum, ut monstris illis nostris libere & fidenter occurras nobiscum. Nec ii sumus, qui à te exigere audeamus id, quod vires & modum meum superat. Quin imbecillitatem meam, & mensuram doni Dei, in te toleravimus, & venerati fuimus. Nam id plane non potest negare totus orbis, quod littera florent & regnant, per quas ad finceram Bibliorum lectionem venitur, donum etiam Dei in te esse magnificum & egregium, de quo gratias agere oportuit. Proinde ego quidem nunquam optavi, ut deserta aut neglecta mensura tua, nostris castris miscereris, cui negotio, etsi ingenio & eloquentia multum prodesse possis, tamen cum non adsit animus, tutius erat in tuo dono servire. Hoc solum timebatur, ne quando per adversarios adducereris, editis libellis in dogmata nostra grassari, & tum nos necessitas urgeret, tibi in faciem resistere. Compescuimus sane aliquos, qui jam paratis libris te in arenam trahere volebant, atque ea ratio fuit, ut &* Hutteni *expostulationem optarim non editam: multo minus tuam* Spongiam, *in qua, nisi fallor, tu ipse jam sentis, quam facile sit de modestia scribere, & in* Luthero *immodestiam arguere. Sed difficilimum, imo impossibile, praestare, nisi dono spiritus singulari. Credas igitur, vel non credas, testis est* Christus, *ex animo me tibi condolere, tot & tantorum odia vel studia esse in te irritata. Quibus ut non movearis (quod tua est humana virtus tantis molibus impar) credere non possum. Quanquam & illos forte moveat justus zelus, ut sibi videantur indignis modis à te provocati. Et (ut libere fatear) cum tales sint, qui tuam acerbitatem, & simulationem, quam tu prudentiam, & modestiam velis intelligi, pro sua quoque infirmitate ferre nequeant, habent certe ob quod merito*

An. 1524. *rito indignentur, nihil habituri, si fortiores essent animis. Quamvis tamen & ego irritabilis, irritatus fuerim sæpius, ut acerbius scriberem, tamen hoc non feci, nisi in pertinaces, & indomitos. Cæterum clementia & mansuetudo mea erga peccatores & impios, quantumvis insanos & iniquos, arbitror, non modo teste mea conscientia, sed multorum experientia, satis testata sit. Sic hactenus stylum cohibui, utcunque pungeres me, cohibiturum etiam scripsi, in litteris ad amicos, quæ tibi quoque lecta sunt, donec palam prodires. Nam utcunque non nobiscum sapias, & pleraque pietatis capita, vel impie vel simulanter damnes, aut suspendas, pertinaciam tamen tibi tribuere non possum, neque volo. Nunc autem quid faciam? utrinque res exacerbatissima est. Ego optarem (si possem fieri mediator) ut & illi desinerent te impetere tantis animis, sinerentque senectutem tuam cum pace in Domino obdormire; id sane facerent, mea quidem sententia, si rationem haberent tuæ imbecillitatis, & magnitudinem causæ, quæ modulum tuum jam dudum egressa est, perpenderent. Præsertim cum res eo pervenerit, ut parum sit metuendum periculum nostræ causæ, si* Erasmus *etiam summis viribus oppugnaret, nedum si aliquando spargit aculeos & dentes, tamen rursus tu, mi* Erasme, *si illorum infirmitatem cogitares, & à figuris illis Rhetoricæ tuæ salsis & amaris abstineres, ut si omnino neque potes, neque audes nostra asserere, intacta tamen dimitteres, & tua tractares. Nam quod illi morsiones tuas iniquius ferunt (etiam te judice) nonnulla causa est, scilicet, quod humana infirmitas cogitat, & male metuit auctoritatem, & nomen* Erasmi, *& longe aliud sit ab* Erasmo *semel esse morsum, quam ab omnibus Papistis semel esse commolitum. Hæc volo dicta, optime* Erasme, *in testimonium candidi in te animi, ut qui optet tibi dari à Domino spiritum dignum nomine tuo, quem si distulerit tibi Dominus dare, interim à te peto, ut si aliud præstare non potes, spectator sis tantum Tragœdiæ nostræ, tantum ne copias adjungas adversariis, præsertim ne edas libellos contra me, sicut nec ego contra te edam. Deinde eos, qui* Lutherano *nomine sè peti queruntur; homines esse tui meique similes cogites; quibus opus est parcere & ignoscere, & ut* Paulus *ait,* Onera invicem portare. *Satis morsum est, nunc providendum est ne consumamur ab invicem, quod eo esset miserabilius spectaculum, quo certissimum est, neutram partem ex animo male velle pietati, & sine pertinacia sua cuique placere. Boni consule meam infantiam, & in Domino bene vale. Anno* 1524.

## Epistola DCCXXVII.

*Erasmus Bilibaldo suo* S. D.

An. 1525. Accepi meum *Bilibaldum*, primum fusilem, cum anulo & literis, nunc etiam pictum ab *Apelle*. Respondi pridem per quendam impudentissimum planetam, qualibus nunc impletur mundus. Dedi blaphardos septem, quæ res illi vertat male, pollicitus largiora, si bona fide perferret. Is, ut video, verba dedit. Quæ isthic geruntur, ubique fient brevi, nisi quis Deus prospexerit. Huc omnino provocant Euangelici, vel reclamante *Luthero*. Plane quidam tendunt in exitium rerum & disciplinarum omnium. Cuperem hujus tumultus fœlicem exitum. *Lutherum* plane contemnunt, postquam cœpit esse moderatior. A *Durero* cuperem pingi; quidni à tanto artifice? Sed quî potest? cœperat *Bruxellæ* carbone, sed jamdudum excidi, opinor. Si quid ex fusili & memoria sua potest, faciat in me, quod in te fecit, cui addidit aliquid obesitatis. Pharmaco tuo nondum ausus sum uti. De meis scribam brevi. Nam auriga, qui tuas reddidit, postridie mane abiturus, post cœnam renunciatur abire. Et idcirco nolui multum scripturæ periclitari. Bene vale. *Basilea*, Octava Circumcisionis, sive 8. Januar. Anno 1525.

## Epistola DCCXXVIII.

*Erasmus Rot. Joanni Oecolampadio* S. D.

An. 1525. Equidem de vobis non pronuncio, relinquens vos Domino, cui statis aut caditis. Sed illud reputo, quid sentiat de vobis Cæsar, Pontifex, *Ferdinandus*, Rex *Angliæ*, *Roffensis* Episcopus, Card. *Eboracensis*, aliique complures, quorum auctoritatem contemnere mihi tutum non est, gratiam inutile. Ne commemorem greges Monachorum ac Theologorum, qui quamvis levi de causa renovant suas Tragœdias. Hi, qui vos, quod non ignoras, pro hæresiarchis & schismatum auctoribus habent, quid dicturi sunt, quum in tua præfatione legerint, *Magnus Erasmus noster?* præsertim quum ipsa res nullam daret occasionem nominandi mei. Si scripsissem in *Esaiam*, aut si tu *De libero arbitrio*, erat cur nostri faceres mentionem. At sunt, inquis, qui suspicantur inter nos male convenire: nec convenit, nisi quod privatam amicitiam nunquam cuiquam recusavi: ut igitur istorum nescio quorum suspicioni medearis, ego periculosam suspicionem mihi renovabo, vel potentissimorum Principum, vel hostium implacabilium, qui tandem ab edito libello *De libero arbitrio*, mitiores esse cœperant? Et hanc in re tanta justissimam sollicitudinem appellas morositatem. Verum, erat tuæ prudentiæ, mi *Oecolampadi*, cavere, quod nec tibi est usui, & me gravatum intolerabili invidia plus etiam aggravat. Nec defuturi sunt qui suspicentur hæc abs te non simplici animo fieri, ut vel falsa Principum ac populorum suspicione abutamini ad stabiliendam causam vestram, vel me talibus strophis ulciscamini. Ego vero ut tantam malitiam de te suspicari non possum, ita non possum non desiderare prudentiam tuam hac duntaxat in parte. Optimum erat hoc temporum statu à vobis nec laudari, nec vituperari. Quod si non queat obtineri, suggillari malim, quam prædicari, præsertim *noster*. Nullius benevolentiam adspernor, & arbitror hactenus me sic moderatum esse mea, ut nullus, quamlibet *Luthero* addictus, queri possit me violasse leges amicitiæ pristinæ. Cæterum intempestiva benevolentia nihil à simultate differt. Si cæteris amicis tuis gratum est calamo tuo celebrari, quemadmodum prædicas, nihil obsto; meum certe animum non ignorabas, qui te monuerim, ne quem tuorum onerares invidia. Et ego nec eos amicos gravare soleo, qui gravari cupiunt. Sunt qui flagitant à me, ut ipsorum nomen inter amicos meos celebrem: at magis illis consulo quam ipsi sibi. Quare si me credere vis, animum tuum eum esse in me, quem prædicas, delebis nostrum *Erasmum*, & istam laudem servabis alteri loco. Non sum tam suspiciosus, ut si quid in *Pelagianos* dicatur, existimem ad me pertinere. Tantum mundorum concoxi, & tamen nemo non intelligit illic abs te petitum *Erasmum*, qui modo nostram legerit præfationem. Noluisti mutare quod dixeras apud populum, laudo constantiam; imo si quid illic excidisset, id erat calamo corrigendum. *Carolus* meus ridiculo errore venit ad te, jussus ire ad *Pellicanum*, ut ex eo disceret, num res sic haberet ut erat delata. Ei de *Pharello* nihil mandaveram, nec laboro quam sit ille tibi familiaris, nisi quod interim ob istiusmodi familiaritates periclitatur præter alios *N.* juvenis optimus, & *Constantiæ N.* homo candidissimus, qui nunc implorant opem nostram, quorum monita si pridem audissent, non venissent in periculum. At istis non possum succurrere apud Pontificem aut Principes, si persuasum habuerint me vestrum esse. Bene vale in *Christo*. *Basilea* 25. Januarii, Anno 1525.

## Epistola DCCXXIX.

*Bilibaldo suo Erasmus* S. P.

Vir clarissime, jam bis scripsi, licet paucis. Primas suspicor non esse redditas. Erat *Minorita*, qui cu-

Digitized by Google

An. 1525. cucullum excusserat; sed improbitatem non excussserat. Dedi septem *blaphardos*, pollicitus largiora, si hic fidem hominis comprobassem. Talibus erronibus nunc plena sunt omnia. Scripsi rursus per negotiatorem quendam. Anulum, & fusilem *Bilibaldum*, mox & pictum fœliciſſima *Dureri* manu, accepi. His utrumque cubiculi mei parietem ornavi, ut quocunque me vertam, obversetur oculis *Bilibaldus*. Utinam scripsisses, quid haberent argumenti nugaces isti libelli. Suspicor ex *Argentorato* venire. Nam *Epphendorpius* apud quosvis etiam jactat, se scripsisse in me. *Othonis* furias nosti. Hoc tantum nunc licuit scribere, mi *Bilibalde*, vix à morte restituto, imo verius alteri carnificinæ servato. Parturii totos decem dies: tandem prodiit calculus ingens. Jam desperatus. Ita subinde se variat morbus, ne sit remedium. Scribam brevi copiosius. Scripsi pridem *Roberto* à *Mosheym**, & *Joachimo Camerario*, quem audio nunc esse *Bambergæ*. Si potes, isthinc cura ut epistolæ ad istos perveniant. *Durero* salutem plurimam. *Basilea* 5. Febr. Anno 1525.

## EPISTOLA DCCXXX.

### In PLINIVM.

*Stanislao Turzo, Olmutzensi Episcopo, Erasmus Roterodamus* S. D.

HABENT hoc egregia magnorum artificum opera, Præsul ornatissime, ut non solum nobilitent auctores suos, quorum auspiciis impendiisve nata sunt, aut quibus dicata fuerant, verum etiam omnes, quicunque vel in absolvendo, vel in sarciendo portionem aliquam industriæ suæ contulerunt. Quorundam etiam æmulatio quamvis parum felix, tamen illustris fuit. Quis enim hodie nosset *Mausolum Cariæ* regulum, aut hujus conjugem *Artemisiam*, quis *Scopam*, *Bryacem*, *Timotheum*, *Leocharem*, aut *Pithim*, nisi *Mausoleum* opus longe celebratissimum his omnibus famam dedisset immortalem, cum ipsum sese ab injuria temporis, exedentis omnia, vindicare non potuerit? Nullum hodie vestigium exstat operosi tabernaculi quod condidit *Moses*, aut celeberrimi quondam templi quod *Hierosolymis* exstruxit *Solomon*, *Esdras* restituit, & tamen semper victurum est in hominum memoria nomen laudati *Belesebelis*, & *Hyram Tyriorum* Regis. Quin & ipse *Solomon*, quamlibet aliis quoque nominibus inclytus, bonam magnamque gloriæ suæ partem nobili debet ædificio: solidior autem veriorque gloria contingit ex his monumentis, quæ vitæ mortalium insignem aliquam adferunt utilitatem, quam ex *Ægyptiarum* Pyramidum molibus, quæ præter opulentiæ barbaricæ stultam & ociosam ostentationem nihil habent, aut ex Labyrinthis, Colossis, nodis inexplicabilibus, muscis tegentibus quadrigam, *Dodonæis* lebetibus, heptaphonis porticibus, aliisque id genus argumentis, quæ delectant quidem artis & ingenii miraculo, sed præterea nullo juvant usu. Hujusmodi famam pariunt auctoribus suis verius quam gloriam. Nobilitatus est suo tauro æneo *Perillus*, sed ut præstiterit obscurum esse. Plus itaque veræ laudis promeruerunt, qui exstructis pontibus, portubus, thermis, & aquæ-ductibus, utilitatem cum operum magnificentia conjunxerunt. E quibus omnibus, si quod est præstantissimum eligas, quid ad hoc opus, quod nobis vivum ac spirans ingenii sui monumentum reliquit *Plinius*? Imo non opus est, sed thesaurus, sed vere mundus rerum omnium cognitu dignarum. Proinde non mirum si unum tot viros nobilitavit, hodieque nobilitat. Nemo fuit tam obscurus, quin illustris esse cœperit, posteaquam huic operi manum admovit. Perierat nobis hoc divinum munus, ni certatim à summis ingeniis advigilatum esset, ut ex ruinis pene deploratis orbi renasceretur. Inter hos prima citra controversiam laus debetur *Hermolao Barbaro*, non tantum ob id quod primus omnium facinus longe pulcherrimum ausus sit aggredi, verum etiam quod cæterorum nemo unus plura restituerit. Ac ne longum texam catalogum, inter plurimos, qui *Barbari* exemplum sunt æmulati, non instrenuam operam hic nobis navavit *Guilhelmus Budæus*, vir, præter absolutam eruditionem, exquisitæ diligentiæ. Post hunc *Nicolaus Beraldus*, homo supra peritiam humanarum literarum, Mathematices etiam pulchre callens, quodque hic vel præcipuum erat, sani judicii, non minore studio quam religione versatus est in hoc labore. Nuper omnium postremus *Joannes Cæsareus*, in omni genere literarum exercitatissimus, non infelicem operam præstitit. Atque horum omnium quidem industriæ debemus, quod *Plinium* habemus multo quam antehac emendatiorem. Cæterum ut in picturis quibusdam artis exquisitæ, semper oculis contemplantium offert sese novi quippiam, quod admirentur, ita in emaculando *Plinio* versantibus, nunquam defuturum est quod sarciendum sit. Festiviter quidem dictum est à *Plauto*: *Negotii sibi qui volet vim comparare, navim & mulierem hæc duo comparato.* Nam nullæ res magis duæ plus negotii habent. Idem serio vereque dici potest, nunquam ei defuturum negotium, qui in *Plinio* restituendo velit operam sumere. Ut enim nihil aliud, certe typographorum incuria facit, ut in probatissimis quibusque Scriptoribus, semper eruditis viris retexenda sit, ut ita dicam, tela *Penelopes*, quandoquidem illi quotidie plus depravant sua socordia, quam eruditorum diligentia possit reponi. Nonnullorum operum ea divinitas fuit, ut omnium artificum manus, inimitabili quadam artis eminentia deterrerent, vel à supplendo quod erat inchoatum, vel à sarciendo quod erat depravatum. Inter *Apellis* opera duæ potissimum *Veneres* celebrantur à Scriptoribus, altera emergens è mari, unde & ἀναδυομένη dicta, altera quam *Cois* inchoavit, illam etiam superaturus, nisi mors invidisset operi nascenti. Prioris inferiorem partem corruptam nullus inventus est qui posset reficere: posteriorem imperfectam nemo potuit ad præscripta liniamenta perficere. Quo magis probata est artificum modestia, hoc magis detestanda est quorundam temeritas, ne dicam impietas, qui *Plinianum* opus, omnibus omnium sculptorum ac pictorum operibus anteponendum, sic vel describendo vel excudendo corruperunt, ut devotis animis in tam eximii Scriptoris exitium conspirasse videri queant. Atqui id ne fieret, oportuit Regum esse curam, quum nullus sit liber dignior qui Regum manibus teratur, quod non ex alio citius hauriatur rerum omnium cognitio. Quid autem magis decet orbis Monarchas, quam cæteris antecellere prudentia? Prudentia vero, quæ rebus periclitandis colligitur, non solum misera est, quemadmodum vere scripsit ille, propterea quod magno multorum malo paratur, verum etiam dispendiosa, ut plerunque sero contingat. At istas moras nihilo magis fert Respublica, quam navis in mari periclitans nauclerum imperitum donec proficiat. Præsens enim periculum artificem jam promptum requirit. Itaque Monarchas non vacat ullam vitæ portionem amittere, nec pueros esse licet, etiamsi sint imberbes, animi canities adsit oportet: ea non aliunde rectius colligitur, quam ex hoc opere, quod tanto compendio rerum docet universitatem. Mundum docet *Plinius*. Quid autem absurdius, quam imperare mundo, & nescire quid sit mundus? Nec est quod excusent publica negotia. Talibus negotiis districtus hæc ex tot librorum millibus scripsit *Plinius*. Certe par erat, aliquam horarum partem, quæ pereunt in alea, in tam frugiferam, nec minus jucundam lectionem decidere. Verum ut quo cœpi pergam, quo detestabilior est depravatorum temeritas, hoc eruditos omnes pro sua quenque virili, majore religione admovere manum oportet operi restituendo. Superstitio quidem est nihil hic au-

* Epist. DCCIX. ubi dicitur *Mosham*.



Digitized by Google

An. 1525. dere, quum tam multis hic ausus felicissime cesserit. Temeritas est ex quamlibet levi conjectura expuncta vetere scriptura novam inducere. Religio est seorsum annotare si quid probabilibus argumentis deprehensum est, & eruditis ad ulteriora perveſtiganda, veluti gradum jacere. Atque utinam in hoc pulcherrimum negotium conspirarent omnes rei literariæ proceres, ut quisque quod deprehendit in medium conferat, donec *Plinium* haberemus absolutum. Non leve præmium ostenditur, vel unus locus restitutus promerebitur honestam apud studiosos nominis memoriam. Is est *Pliniani* nominis splendor, ea est Operis tum gratia, tum utilitas. Benemerebitur de publicis studiis, si tua auctoritas *Velium* tuum, aut si qui sunt *Velii* similes, ad hanc provinciam exstimularit. Nos ex vetustissimo quodam codice, sed, ut fere sunt, depravatissime scripto, non pauca restituimus, quæ citra subsidium exemplaris corrigi non poterant, quæque hactenus à nemine fuerant animadversa. Hoc dictum ne fide careat, præstabit hic locus libri XII. cap. IIII. *Æthiopia forma, ut diximus, nuper allata*, &c. Item libro XIII. cap. XXIIII. *Apes quoque nunquam defore*, &c. Rursum libro XVIII. cap. VI. *Verumque confitentibus latisfundia*, &c. & cap. XXI. *Omnesque ea differentia fiunt in octavis partibus signorum*, &c. Sed ineptum sit recensere quicquid correctum est, hæc in hoc indicavi, quo lector collatis his locis cum omnium editionibus perspiciat ad hunc modum plurima feliciter restituta ex fide vetustissimi codicis, quæ nullis conjecturis potuissent restitui. In cæteris item ita vigilatum est, ut meo periculo non dubitem polliceri, nunquam hactenus exisse *Plinium* felicius tractatum. Accessit officinæ *Frobenianæ* majestas nitorque, qui vir mihi literis illustrandis natus videtur. Jam quo commendatior etiam *Plinius* exiret in manus hominum, hoc operæ tuo nomini dedicare visum est. Scio quantum debeam incomparabili viro fratri tuo *Turzoni*, quondam Præsuli *Vratislavienſi*, qui me tam procul semotum & splendidis xeniis, & amantissimis literis ad amicitiam provocavit. Ab hoc ære alieno non liberat mors creditoris. Memoriæ persolvendum, quod ipsi persolvere non licuit. Successisti in germani locum, jam semel atque iterum lacessens ad amicitiam. Est tibi res, amplissime Præsul, cum homuncione plane vitreo. Subinde periclitor. Proinde si Deus dederit vitam longiorem, hanc arram esse putato, quæ adeo non liberat, ut obstrictiorem etiam reddat debitorem: sin minus, hoc erit argumentum mihi facultatem defuisse, non animum hominis grati memoriſque. Amplitudinem tuam servet Dominus *Jesus*. *Basilea* 8. Februarii, Anno ab orbe redempto 1525.

## EPISTOLA DCCXXXI.

*Honorabili viro D. Joanni de Hondt, Canonico Curtracensi, Erasmus Rot.* S. D.

MINIMVM aberat, quin te liberarem onere pensionario. Et nunc ægre reviviſco, si reviviscere sit servari in novos cruciatus, vel mortes potius. Sit Dominus benedictus, cui sic visum est purgare *Erasmum*, hic flagellans ut parcat in æternum. *Bentinus*, de quo scripseras, hic duxit uxorem. Expostulavi cum homine quod sic infeciſſet juventutem: fassus est hoc esse verum, & risit suaviter. Exspectat ut aliquo vocetur in oppida *Gallorum* proxima, quemadmodum in montem *Bellicardi* vocatus est *Pharellus* ad prædicandum Euangelium hoc novum, cujus hic mirus est successus. Jam multi repudiarunt Baptismum, & revocarunt Circumcisionem. Missam abominantur plurimi: sunt qui publice doceant in Eucharistia nihil esse nisi panem & vinum. Velum & cuculla deponitur passim. Nubunt & ducunt uxores Monachæ & Monachi. Jam mihi tutum non est hic diutius vivere. Mores istorum, qui hic docent, magis mihi displicent, quam ipsa dogmata. *Bentinus* reviset suos in Quadragesima, ut confirmet suos in fide. *Barbirius* petiit *Galliam* in comitatu *Aleandri*, nunc Archiepiscopi *Brundusini*, pau- An. 1525. pertate, ut autumo, coactus. Itaque decrevit nunc rapto vivere. Me certe nimium tractarunt familiariter. Olim detraxit è pensione Cæsaris XL. ni fallor, florenos: id quoniam ob amicitiam, nunc invadit hanc quoque pensionem, fretus nova facilitate. Mitto syngraphum hanc more solito vacuam. Non gravaberis numerare pecuniam vel *Petro Ægidio*, vel *Marco Laurino* Decano, aut huic *Francisco* Canonico *Antuerpiensi*, si forte tibi ipse literas reddiderit. Bene vale. Datum *Basilea* 11. Februar. Anno 1525.

## EPISTOLA DCCXXXII.

*Erasmus Roterod. Maximiliano Transsylvano* S. D.

LITERAE, quas *Beatus* noster ex *Hispaniis* attulit, sero mihi redditæ sunt. In causa erat, quod quum ipse pertæsus navigationis terrestri itinere peteret suos, non exemerit è vidulo quæ ad me pertinebant: itaque delatæ sunt in *Brabantiam*: inde per multas ambages tandem *Sletstadium*. Respondi tamen omnibus, quibus amici jusserant me scribere. Literas misi *Norenbergam*, ut per *Michaelem Gillis* tibi notum deferrentur in *Hispaniam*. Nec unquam scire licuit, quid de illis epistolis sit actum. Intervallum est ingens, & mira ubique, præsertim his temporibus, in resignandis, intercipiendis, ac premendis epistolis perfidia. Non arbitror mihi tecum ullam fuisse consuetudinem, nisi quod *Bruxellæ* quum agerem ante annos, opinor, quatuor, à multis prædicabatur singularis quædam tua humanitas & ingenii candor eximius. Verum, istud pectus niveum, planeque Gratiarum ac Musarum domicilium, sic mihi repræsentavit ac patefecit epistola, ut multis jam annis nihil legerim libentius. Nam dictionis erat tanta felicitas, ut me propemodum deterruerit à respondendo. Attamen perfricui faciem, & respondi sic ex tempore. Eas tibi non esse redditas ex *Beati* literis intelligo. Nunc quod superest expediam paucis. Jusserat Cæsar, ut mihi pensio solveretur extra ordinem. Illustrissima D. *Margareta* respondit, Si redirem non solum pensionem esse numerandam, sed majora collaturam sese. At vereor ne etiamsi redeam, audiam, *mox*, *cras*, *redi*, *ubi eras*. Rex *Galliarum* incredibili affectu detulit opimas conditiones, proxime Thesaurariam *Turonenſem*, sexcentorum coronatorum annui census. Recusavi omnia, non sine multorum amicorum offensa. *Clemens* Pontifex, unice affectus in me, quod ipsa re comperio, nihil non offert. Dices, cur non redis huc? Non licuit per occupationes studiorum; & si per has licuisset, valetudo non dabat commeatum. Aliquanto rarius me nunc repetit calculus, sed longe periculosius, ut hoc non sit ægrotare, sed crebro mori. Hypocausta *Germanorum* fervent toto anno, vix exceptis Junio & Julio: ad horum odorem quum exanimer, per hæc tamen eundum est, aut ferendus æstus Junii, aut Julii, aut etiam Augusti. *Italiam* valde desiderabam, ob medicorum & pharmacorum copiam, valetudo vetuit. Et tamen res hic nunc sic habent, ut omnino sit demigrandum aliquo. Jam non ignoras quam immedicabili odio teneantur isthic in me Monachi ac Theologi quidam, quorum coryphæus *Egmondanus Carmelita*. Huic *Adrianus* imposuerat silentium diplomate: vix tacuit. A morte illius, silentium illud multa maledicentia pensavit. Quibus si res succesſerit de *Luthero*, nemo poterit istos ferre victores. Si Cæsar adesset, nihil esset periculi, nunc quid in aula sit præsidii nescio, præsertim homini qui non sit aulæ familiaris. Præsul ille magnus utinam tam comis esset officiis, quam est dictis benignus. Cum illustrissimo Comite *Hochstrateo* exigua mihi fuit consuetudo. Et habet, ut fertur, uxorem sic religiosam, ut superstitioni sit proxima. Apud tales plurimum valere solent pietatis histriones. Episcopus *Leodienſis* dicitur anceps amicus, ob *Aleandrum*, qui coram blandus est, ab-

Digitized by Google

An. 1525. abſens, ut audio, alius eſt. Et habet fratrem apud *Leodienſes* hoc pernicioſiorem, quod omnia poteſt diſſimulare, id quod non poteſt *Aleander*. Scripſi nunc per Canonicum quendam *Antuerpienſem*, juvenem, nomine *Franciſcum Dilft*, per eum huc redeuntem poteris tuto quæ voles ſcribere. Quæ ſpes ſit de penſione neſcio: procurationem negotii commiſi *Panormitano* & *Craneveldio*, quo nihil eſt apud noſtros candidius. Nolim te gravari rebus meis, tamen ſi ſe daret opportunitas, adjutabis quod agitur. *Ferdinandus* frequenter ad me ſcribit amantiſſime. Is nunc illuſtriſſimæ Dominæ ſcripſit, ut *Carmelitæ* debacchanti in nomen meum imponat ſilentium, quem hominem nihil omnino pudet. Reverſo *Franciſco*, ex literis veſtris ſtatuemus quid ſit faciendum. Bene vale. *Baſilea* 24. Februarii, Anno 1525.

## EPISTOLA DCCXXXIII.

*Eraſmus Roterod. Jacobo Sadoleto* S. D.

QVIS eſſe poſſit tam mœſtus, Reverende Præſul, quem illæ literæ tuæ non exhilararent, tam amanter, tam candide ſcriptæ? In his nivei pectoris tui, cujus antehac umbram modo quandam è conjecturis, éque multorum prædicatione perceperam, totam effigiem non aliter quam in ſpeculo contemplari licuit. Quo ſane nomine, non minus debeo *Bonifacio*, quam tua modeſtia ſe illi debere profitetur. Equidem optarim eſſe aliquid in me quod iſti tuo in me favori reſpondeat, certe in amando *Bonifacio* non erras, cujus ingenio nihil habet *Germania* ſincerius puriuſque. Evaderet ad ſummam auctoritatem, niſi ſic abhorreret ab aulis Principum, & à Reipublicæ muniis obeundis, qui tamen fortaſſis aliquando volens nolens eo protrahetur; quandoquidem *Plato*, qui non admittit ad tractanda civitatis gubernacula niſi Philoſophum, negat idoneum eſſe gerendo magiſtratui, niſi qui nolens ac detrectans ſuſcipit. Agnoſco Pontificis in me pietatem, & illius in me animo copioſius ſum reſponſurus, ſimulatque me hinc in tutum recepero, id quod nunc molior. Hi Monarcharum conflictus mire diſcruciant animum meum, per quos nec Pontifice, nec Cæſare, nec Rege *Gallorum* frui licet. Poſt tantas tempeſtates *Chriſtus*, ut ſpero, dabit aliquam ſerenitatem. Ocium, quod mihi gratularis, ſuppeditat hic animus contemptor honorum, ac parvo contentus. Non admittit animus tuus *deficientis* vocabulum. Qualis ſit mei memoria futura apud poſteros, imo an ulla omnino futura, equidem committo ſuperis, plane corpuſculum hoc collabitur: quod tamen in aliquot adhuc annos poterat ſervire animo, niſi tam ſubinde impeteretur à calculo, malo tam crudeli, ut mortem, qua nihil terribilius, faciat optabilem. Si durum eſt ſemel mori, quanto durius toties mori, & rurſus in novos ali cruciatus? Adverſus hæc mihi ſolida minimeque diluta philoſophia opus eſt. In omnibus agendæ ſunt gratiæ Domino, qui ſic temperat hominum mala, ut & ferri queant, & tolerantibus vertantur in bonum. Pro *Botzemo* ſublevato, par eſt ut & ipſe tibi gratias agam. Videbar enim mihi quodammodo & ipſe in ejus cauſa periclitari, non ob id tantum quod amicus ſit, verum etiam quod illi Catalogum omnium *Lucubrationum* mearum dicarim, haudquaquam facturus, ſi me levis aliquis ſuſpicionis odor tenuiſſet, illum ab ea factione ſtare, quam damnat Eccleſia. Ante biennium menſem totum uſus ſum illius hoſpitio, liberrimis fabulis hoc omne tempus inter nos tranſactum eſt. Interea frequenter nos viſit *Baſileæ*. Eſt natura ſimplici, omnis fuci ignarus, tum me nihil unquam celavit arcanorum. Ne verbum quidem ullum excidit illi, unde poſſet deprehendi, quod illi nunc quidam objiciunt. Vir eſt plane Muſis & Gratiis natus, nec arbitror illum unquam de ullo novo dogmate cogitaſſe, nec unquam fuit de illo rumor hujuſmodi, etiamſi forte quidam nonnihil ſuſpicati ſunt, ſed hi parum æqui. Eſt illi vetus neceſſitudo cum nonnullis viris mea ſententia optimis, niſi quod addictiores ſunt doctrinæ *Lutheri*: cum his ita priſtinam alit familiaritatem, ut tamen non admiſceat ſe conſpirationi. Accepit nonnunquam *Lutheranos*, ſed idem frequentius accepit acerrimos hoſtes *Lutheri*. Atque ut nunc habent res *Germaniæ*, vitari non poteſt, quin aliquando conſuetudinem habeas cum hujuſmodi. Ego ſimili comitate non paucos revocavi à factione damnata, & jam paſſim redduntur literæ, quibus declarant ſe perſuaſos libello *De libero arbitrio* ab hoc *Lutheri* dogmate deſciviſſe. *Botzemus*, ut tecum aperte fabuler, collegarum aliquot, nec collegii coryphæum habet ſatis æquum: qui iniquiores illi ſunt ob cauſas, ob quas potius illis charior eſſe debebat, niſi ſic natura comparatum eſſet, ut nonnunquam in bonis etiam ac magnis viris plus valeat affectus quam judicium: & in collegiis fere *Germanicis* gratioſiores ſunt, qui venantur, qui convivantur, qui ſtudent congerendis pecuniis, quam qui ſe bonis literis dedicarunt. Poſſem tibi narrare, quorum opera ſubornata ſit hæc fabula, ſed prolixum ſit, & nihil attinet quenquam attingere, poſteaquam Pontificis æquitas, tuaque ſedulitas, calumniæ periculum depulit ab amico. Si mihi conſtaret quenquam eſſe perverſæ factionis, ne verbo quidem illi ſuffragarer, hunc animum ſemper præſtaturus ſum, quemadmodum præſtiti. Verum ſi quis contempletur ſtatum horum temporum, præſertim apud *Germanos*, conſultius judicabit dare operam pelliciendis his, qui per occaſionem aliquantulum vacillarunt, quam alienandis, qui ſic afflati ſunt aliquo contagio, ut facile ſanari queant. Quin & illud cavendum cenſeo, ne, ut eſt hominum malitia, ſub prætextu religionis & aſſerendæ fidei vexentur innoxii: neve qui huic aut illi male volunt, aut fortunis inhiant, publicæ cauſæ favorabili titulo abutantur ad privatas & impias cupiditates ſuas. *Bonifacius* nobis rurſus ex *Avenione* rediit, doctoris titulo coruſcus. Magiſtratus hic illi detulit publicam Juris profeſſionem, atque ille ſuſcepit. Is ſuis, opinor, literis aget tibi gratias. Priuſquam obſignem epiſtolam, addam quod rideas. Solent familiares mei dicere, *Jacobi* nomen mihi parum eſſe felix, quod tres *Jacobi* libellis editis in me debacchati ſint: Primum *Jacobus Faber Stapulenſis*, qui cum tamen mihi nunquam diſſuta eſt amicitia, quod errorem ſuum agnoſcat, certe non redintegravit pugnam. Huic ſucceſſit *Jacobus Latomus*. Poſt hunc rurſum exortus eſt *Jacobus Stunica*, homo natus ad hujuſmodi ſycophantias. At ego me feliciorem arbitror uno *Jacobo Sadoleto*, quam viderer infelix etiamſi decem *Jacobi* tales in me ſcriberent. Bene valeat *T. R. D.* Datum *Baſilea* 25. Februarii, Anno 1525.

## EPISTOLA DCCXXXIV.

*Eraſmus Roterod. Friderico Nauſeæ Franconi, Card. Campegii à Conſiliis*, S. D.

REDDITVS eſt tuus libellus, qui vel hoc nomine fuit gratiſſimus quod à *Nauſea* veniret homine mihi longe chariſſimo: vellem tamen iſtud operæ tibi in argumento feliciore ſumptum fuiſſe, etiamſi conſilium ut erat conceptum proceſſiſſet. Quo magis nunc friget tuus labor, poſtquam abrogatum eſt quod tractas. Qui parum feliciter navigarunt, ſolent aliis non infeliciter cavere, ne veniant in periculum. Ad parandam famam plurimum habebit momenti, ſi deligas argumentum fœcundum & plauſibile, quod utcunque tractatum, ſuis ipſius dotibus commendari poſſit lectori. Scripſit ad me *Cochlæus* epiſtolam ſingularis cujuſdam in te ſtudii plenam. Nunc non vacat pluribus tecum. Sed brevi efficiam, ut poſteritas etiam norit *Eraſmo* cum *Nauſea* non vulgarem amicitiam interceſſiſſe. Interim cura ut quam rectiſſime valeas. Collegæ tuo meis verbis ſalutem annunciato. Datum *Baſilea* 15. Martii, Anno 1525.



Digitized by Google

## EPISTOLA DCCXXXV.

*Eraſmus Rot. Cornelio Bergenſi* S.

An. 1525. AMICORVM ſinceriſſime, quas fugas, quas latebras, quos labyrinthos tu mihi narras? Obruor quotidie literis honorificentiſſime ſcriptis, à Pontifice, à Cardinalibus, ab Epiſcopis, à Legato *Campegio*, à Cæſare, à *Ferdinando*, à Rege *Angliæ*, à Ducibus, à Baronibus. Invitor ampliſſimis conditionibus, offeruntur dignitates & Epiſcopatus; plane Rex eſſem, ſi juvenis eſſem. An tu credis iſtis exſecrabilibus fucis, qui nihil aliud poſſunt quam maledicere? Et tam impudenter mentiuntur, ut à cordatis viris pro inſanis habeantur. Mihi tuum epiſtolium fuit longe gratiſſimum, vel hoc nomine quod me docuerit, meum *Cornelium*, vetuſtiſſimum pariter ac ſinceriſſimum amicum & congerronem, adhuc incolumem eſſe. Si rediero hoc vere, id quod futurum arbitror, hilariter compotabimus favente *Chriſto*. Interim mandavi *Petro Ægidio*, ut aliquid libellorum ad te mittat. Servet te Dominus bene valentem, mi *Corneli* ſuaviſſime, cum tuis omnibus. Quid noſter *Jodocus*? num adhuc tractat vetus corium? Sed coram ridebimus affatim. *Baſilea* 26. Martii, Anno 1525.

## EPISTOLA DCCXXXVI.

*Eraſmus Roterodamus Georgio Saxoniæ Duci* S. D.

ILLVSTRISSIME Princeps, Accepi Celſitudinis tuæ literas poſtremas, pridie *Valentini* ſcriptas, quibus nihil accidere potuit jucundius. Currentem tu quidem incitas, ſed tamen juvat incitari à talibus heroibus. Acceperam paulo ante & alteras prius miſſas. Ante dies aliquot ſcripſi paucis per *Haubitzium*. *Græcæ* linguæ Profeſſorem exſpecto ad Paſcha. Ipſe nihil hac de re ſcripſit ad me. Sed alter quidam eruditus, & utrique intime notus, ſcribit illum non abhorrere à ſuſcipienda provincia. *Græcæ* literaturæ peritia longe ſuperat vel tres *Moſellanos*, nec inferior, ut arbitror, *Romanæ* linguæ facundia. Nihil poſſim certi pollicери prius quam huc venerit. Ego quanquam hac ætate, cui jam debebatur miſſio, nequaquam defuturus ſum officio meo, modo tua Celſitudo reliquique Principes hoc interim agant, ut hæc victoria cedat non quorundam vix hominum inſanis cupiditatibus, ſed gloriæ *Chriſti*, *Chriſtiani*que gregis ſaluti, cui vel vitam hanc lubens impendero. Bene valeat Illuſtriſſ. *T. D. Baſilea* 26. Martii, Anno 1525.

Literas ad *Piſtorium* & *Emſerum* incluſi tuis, hoc conſilio ut tutius iſtuc perveniant. Non enim habebam certum, ſed *Francofordiam* miſi alicui committendas.

## EPISTOLA DCCXXXVII.

*Eraſmus Roterodamus Henrico Stromero Medico* S. D.

AMASTI *Moſellanum*, & quemadmodum non ſine cauſa amaſti, ita non ſine cauſa mortem hominis acerbe tuliſti: eum dolorem tametſi ratio, ni fallor, ac tempus jamdudum vel leniit, vel exſtinxit, tamen ſi quid ſupereſt reliquiarum, en novum remedium. Adeſt *Jacobus Ceratinus*, juſſu Principis per meas literas evocatus, ut in locum *Moſellani* ſuccedat. Vix ſperabam hominem amplexurum oblatam conditionem, nam *Bovanii* ſollicitabatur ad capeſſendam *Græcæ* linguæ profeſſionem in Collegio trilingui. Jam ut paria ſint ſalaria, certe *Lovanienſis* Academia celebritate vix ulli cedit, niſi forte *Lutetiana*, in qua nunc mire regnant Sophiſtæ barbari, frigent jacentque recta ſtudia. Eſt aliquid in loco magnifice exſtructo habere ſexcentos auditores, idque continenter, & inter hos magnorum Principum filios. *Ceratini* dotes è familiariſſimis colloquiis, éque ſcriptis penitus cognitas & compertas habeo, alioqui non tanta fiducia commendarem illum tibi, viro exactiſſimi judicii, præſertim toties jam pudefactus commendandi facilitate. Moribus eſt ſinceriſſimis & ad amicitiam appoſitis, adeo ut non minus videatur natus Gratiis quam Muſis. Certe tibi non dubito quin ſit futurus chariſſimus, ſi modo non mentitur proverbium ἔμοιον ἐμοίῳ φίλον. Quando fata non ſinunt nos conjungi, per *Ceratinum* alterum *Eraſmum* fiet, ut & tu me complectaris, & ego tibi fiam devinctior. Confido Principis benignitatem hoc curaturam, ut nec me pœniteat evocaſſe *Ceratinum*, nec ipſum, meis hortatibus fuiſſe obſequutum. Id quo fiat cumulatius, tuus candor tuaque auctoritas plurimum adferet momenti. Illud velim conſiderare Principem quam prolixo itinere huc venerit *Ceratinus*, non ſine gravi ſumptu, atque hinc rurſus iſtuc longa eſt profectio. Erat illi quidem juſtum viaticum, & tamen ſi latrones hunc exonerarint pecuniæ ſarcina, aut ſi quis alius exortus fuerit caſus, ut opus ſit auxilio, quod dederis huic mutuo, à me petes, aut à *Frobenio*; illico reddetur ubi voles. Hoc ſummis viribus agunt Sophiſtæ, ut funditus perdant bonas literas, nobis contra machinis omnibus obnitendum eſt impiis conatibus; hic certe vir ero. Ante paucos dies rurſus enixus ſum partum viperinum. Nec hoc corpuſculum audeo medicis hiſce, ne quid aliud dicam, *Elveticis* committere: nam meus *Antonius*, cui uni me tuto poteram committere, hinc abiit in ſuam *Hungariam*. Sperarem ſalutem, ſi quis adeſſet *Stromeri* ſimilis. Bene vale. *Baſilea* 8. Aprilis, Anno 1525.

## EPISTOLA DCCXXXVIII.

*Eraſmus Roterodamus Georgio Duci Saxoniæ* S. D.

ILLVSTRISSIME Princeps, quod tua Celſitudo mihi mandarat de Profeſſore, aliquanto felicius ſucceſſit quam audebam optare. Venit huc meis literis evocatus *Jacobus Ceratinus*, de quo ſcripſeram, *Græcanicæ* literaturæ tam exacte callens, ut vix unum aut alterum habeat *Italia*, qui cum dubitem hunc committere, nec in *Latinis* ſui diſſimilis eſt. Ad hæc Philoſophiæ non ignarus. Poſtremo ea ætate atque ingenio, ut ſi Deus illi vitam addiderit, certiſſima ſpes ſit eum honeſtiſſimis ſtudiis omnibus ſummam utilitatem pariter & ornamentum allaturum eſſe. Proinde quando tua Celſitudo ſingulari benignitate eſt uſa in fovendo provehendoque *Petro Moſellano*, erga *Ceratinum* par eſt ut in tantum vincat ſeipſam, quanto hic *Moſellano* ſuperior eſt, præſertim in his literis, quas iſtic profitebitur. Magnæ doctrinæ fuit *Moſellanus*, ſpei majoris, & amabam unice hominis ingenium, nec falſo dicunt odioſas eſſe comparationes, ſed hoc ipſa cauſa me compellit dicere, longe alia res eſt. Decreveram in commendationibus eſſe cautior, ſemel turpiſſime deceptus ab eo quem noſti, ſed in tradendo *Ceratino* nihil me movet hic ſcrupulus, cujus mores candidos ex intima familiaritate perſpectos habeo, cujus exactam eruditionem, cujus feliciſſimum ingenium, judicium acre, non ſolum ex familiaribus colloquiis, ſed & ſcriptis plurimis compertiſſimum habeo. Quo magis gratulor Celſitudini tuæ, cui contigit homo dignus, in quem genuinam illam ſuam humanitatem ac benignitatem bene collocet. Gratulor autem & Academiæ *Lipſienſi*, cujus ſtudia, quæ ob *Moſellani* mortem jam, ut audio, mire refrixerunt, Muſis bene fortunantibus ſic inſtaurabit *Ceratinus* noſter, ut nihil addubitem, quin aliarum Academiarum vel invidiam ſint excitatura, vel, quod malim, æmulandi ſtudium. Hujus vel gloriæ vel utilitatis ſumma, tuæ illuſtriſſimæ Celſitudini feretur accepta. Verum enimvero, ne quid diſſimulem, habet unum hoc vitium *Ceratinus* noſter, immodice modeſtus eſt, ſic verecundus, ut pene putidulus ſit: quamobrem & illi gratulor qui in eum inciderit Principem, cujus prudentia domi certiſſimum habet judicium, cujuſque benignitas non exſpectat flagitatorem, ſed ultro benevolentia provocat, ſi quem perſpexerit favo-

Digitized by Google

An. 1525. favore dignum. Hactenus de *Ceratino*. Ad proximas literas Celsitudinis tuæ respondi tribus verbis, inclusis ad *Pistorium* & ad *Emserum* literis quo tutius perferantur. Nunc hoc tantum addam; sit posthac inter nos omnium querimoniarum ac suspicionum finis, quemadmodum civilissime scribit tua Celsitudo, cui me totum trado dedicoque. Bene vale. Datum *Basilea* 8. Aprilis, Anno 1525.

## EPISTOLA DCCXXXIX.

*Erasmus Rot. Martino Hunno Medico* S. D.

Ex literis humanissimi viri *Stromeri* cognovi quanto studio, non sine gravi sumtu, pertuleris literas meas. Scio & memini quantum humanitati tuæ debeam. Misissem munusculum aliquod per hunc *Ceratinum*, virum utriusque literaturæ doctissimum, successurum in vicem *Mosellani*, sed prorsus erat incertum an istac iter esset facturus. Si viderit vos, & si dignabimini illum cognoscere, reperietis exacte doctum, moribus omnis fuci nesciis, nec alio nævo deformatum, nisi quod immodice modestus est. Scriberem aliquando *Eobano*, sed annus est antequam perferantur literæ, si tamen perferuntur. Interim aperiuntur ac resignantur omnia. Huc profecit fides Euangelica. Exspectamus *Eobani* lucubrationes. *Beatus Rhenanus* hodie tandem rediit *Sletstadio*, vosque jubet salvere plurimum. Vale, mi *Hunne* charissime. *Basilea* 9. Aprilis, Anno 1525.

## EPISTOLA DCCXL.

*Erasmus Bilibaldo suo* S. P.

OPINOR jam redditum Opus *Chrysostomi Græcum*, cui præfationem ad te præfiximus. Si has reddat *Jacobus Ceratinus*, rogo, ut hunc velut alterum *Erasmum* amplectaris. Vir est ita callens *Græce*, nec minus *Latine*, ut posset cum dignitate vel in quavis *Italiæ* parte profiteri, tum moribus plane niveis, sed adeo modestus, ut pene putidulus. Nec aliud habet vitium, si tamen hoc vitium est. Hunc jussu vel flagitatione potius *Georgii* Principis per literas evocavi, non admodum sperans futurum, ut hanc conditionem non adspernaretur. Nam & apud suos amplis præmiis ad publicam professionem invitabatur. Succedet *Petro Mosellano*, sed decem *Mosellanis* eruditior; etiamsi *Mosellani* doctrinam & ingenium haud vulgariter adamabam. Alius fortassis indigne ferret, quod juvenes præcurrunt senem; ego magnam capio voluptatem, quoties video minores eo profeciisse, nonnihil etiam adjutos nostris lucubrationibus, ut his, quos habuere præceptores, possint ipsi vicissim præcipere. In *Ceratinum* itaque si quid officii collocaris, gratius mihi futurum est, quam si in me ipsum contulisses. Non deest illi viaticum, nec deerit, nisi contigerit obiter spoliari. Id si accidat, (quod avertat Deus) me sponsorem accipe, si quid illi mutuaris. Plura scriberem, sed vehementer incertum erat, an *Ceratinus* esset isthac facturus iter, quod tamen ille videbatur cupere, vel tui videndi gratia. Saluta *Ritium* ac *Durerum*. Nuper rursum enixi sumus viperinum partum, atque etiamnum anceps est valetudo. Bene vale, vir ornatissime. *Basilea* 9. Aprilis, Anno 1525.

## EPISTOLA DCCXLI.

*Erasmus Rot. Natali Beddæ, Theologo Parisiensi*, S.

ACCEPI per *Franciscum Deloinum* felicis memoriæ loca per te subnotata ex *Paraphrasi* nostra *in Lucam*, qua quidem diligentia tua adeo non sum offensus, ut vehementer optem te idem facere in reliquas *Paraphrases*, sed præcipue in *Annotationes* meas. Nil enim malim quam è libris meis tolli, quicquid inest vel erroris, vel offendiculi. Quum adornarem secundam editionem Novi Testamenti, suppliciter & obnixe rogaram piæ recordationis *Joannem Atensem*, tum *Lovanienſis* Academiæ Cancellarium, ut admoneret si quid offenderet. Pollicitus est. Perlectum Opus citra exceptionem comprobavit, ut pium & eruditum. Quum respondissem me moneri malle quam laudari, nam id esse utilius, etiam atque etiam confirmabat suam approbationem. Idem rogavi *Latomum*, qui nunc lacerat, quod tunc poterat corrigere, si quid offendebat. Item *Ludovicum Berum*, *Christophorum* Episcopum *Basilienſem*, *Joannem* Episcopum *Roffenſem*, alioſque permultos: tantum laudarunt. Ego tamen ex Opere, tantorum virorum calculis approbato, multa sustuli, multa correxi, pleraque reddidi mitiora. Nunc apparo quartam editionem, quod si non gravaberis indicare, quid merito possit offendere doctos ac bonos, apud me sane magnam inieris gratiam, idque scriptis etiam testatum efficiam, mihi tuum officium fuisse gratissimum. In quo si candidum præstabis & integrum, exosculabor sinceritatem *Christiano* Theologo dignam: sin asperius & inimicitius id feceris, tamen boni consulam. Sed moderatio conducibilior est etiam nomini Theologico, quod nunc apud plerosque male audit ob quorundam odiosam morositatem, & omnia carpendi petulantiam. Quid enim dicturi sunt cordati doctique viri, quum legerint *Petri Sutoris* libellum, quondam *Sorbonici* Theologi, nunc Monachi *Cartusiani?* Quantum ibi maledicentiæ, quantum fastus, quantum stuporis & insciticæ. Nihil toto Opere crepat nisi *Theologastros*, *rhetorculos*, *sciolos*, *asellos*, *tralatitias*, *insanias*, *temeritates*, *errores*, *scandala*, *hæreses*, *blasphemias*. Et interim tractat argumentum, in quo nihil intelligit, plane vetus proverbium nobis referens, *Sutor ultra crepidam*. Assumit pro certis partim manifesto falsa, partim controversa: hanc translationem Novi Testamenti esse *Hieronymi*, hanc esse proditam afflatu sancti Spiritus, hanc ut talem ab Ecclesia receptam esse. Assumit me in hoc vertisse, ut mea translatio cum auctoritate legeretur, excluſa veteri. Ex his hypothesibus ceu compertissimis colligit, omnes translationes recentiores esse scandalosas, hæreticas & blasphemas. At non videt hanc contumeliam recidere in *Thomam*, *Bedam*, & *Lyranum*, qui frequenter citant diversam lectionem, nec reprobant, sed interpretantur. Etenim quod in toto blasphemum est, blasphemum & in parte sit oportet. Nec sentit se, dum ista loquitur, blasphemum esse in Pontificem, qui nostrum laborem suo diplomate comprobavit. Ne quid dicam de *Adriano* VI. qui adeo non damnavit meam industriam, ut adhortatus sit, ut idem facerem in Veteri Testamento, quod feciſſem in Novo. Quid loquar de Episcopo *Roffenſi*, qui mihi non semel gratias egit, testificans se plurimum fructus ex hoc Opere meo cepisse, de *Tonstallo* Episcopo *Londonienſi*, deque aliis innumeris virtute pariter ac doctrina præstantibus viris? Plane sentio *Sutori* nostra non esse lecta. Quid autem impudentius quam sic debacchari in alienas lucubrationes, nec legisse quod proscinditur convitiis? Exigit ut proferam vel unum doctorem, qui legerit, *In principio erat Sermo*. Atqui in *Apologia* istuc dilucide expedivi. Flagitat, ut proferam unum locum, in quo lapsus sit doctor aliquis ob interpretis soloecismos. At ego in *Annotationibus* meis multos tales indicavi. Sunt innumerabiles ubique, qui non oderunt *Erasmum*, nec desunt sana sobriaque judicia. Quid isti dicturi sunt, obsecro, quum legent tales libellos, è *Sorbona* profectos? Quos equidem non ignoro vestrum doctissimo cuique non placere, sed interim ob paucorum stultitiam vocantur in contemptum & odium boni Theologi. Edidit & in *Brabantia* libellum *Dominicanus* quidam, sed tam indoctum ac stupidum, ut nulla sus possit quicquam indoctius: sic manifestis mendaciis scatentem, ut nullus scurra possit impudentius. Ad ista connivent Theologi, nec interim perpendunt, quos risus, quantum odium sibi concilient. Quod ad *Annotationes* tuas

An. 1525. respondi, misi *Nicolao Beraldo*, ut tibi copiam faciat. Bene vale. *Basilea* 28. Aprilis, Anno 1525.

## EPISTOLA DCCXLII.

*Erasmus Rot. Cœlio Calcagnino* S. D.

LIBELLVS tuus *De libero arbitrio*, mi *Cœli*, usque adeo mihi placuit, ut editurus fuerim in tui nominis gloriam, ni me locus unus offendisset, in quo suspicionem quorundam, qui me dictitant hoc spectaculo delectari, quod hactenus tacitus consertisque manibus viderim aprum illum ferum devastantem vineam Domini, sic refers quasi non fueris ab eadem alienus. Et poterat locus verbis tribus mutatis corrigi, verum religio fuit vel tantillum mihi permittere in alieno libro, faciam tamen si tu jusseris. Cæterum, video illud esse fati mei, ut dum utrique parti consulere studeo, utrinque lapider. Isthic & in *Brabantia* sum *Lutheranus*, at in tota *Germania*, in qua vivo, adeo sum *Antilutheranus*, ut in neminem mortalium ii, qui valde favent *Luthero*, magis sæviant quam in me, nec alii magis imputant quod de Pontifice non agant triumphum, quam mihi. Hoc verum esse facile crederes, si præsens audires convitia, minasque, quibus impetor, si picturas infamatrices, si libellos criminosos ac furiosos potius legisses, qui hic subinde provolant in caput meum. Atque hoc odium non nuper cœpi promereri prodita *Diatriba De libero arbitrio*, sed ante triennium, tot epistolis, tot libris editis testatus mihi non probari *Lutheri* fabulam, adhuc dicor consertis manibus spectare tantum. Præter alios & ipse *Lutherus* respondit nostræ *Diatribæ*, nec dubito quin odiosissime; nondum enim liber allatus est: & interim Theologi Monachique, quorum implacabile odium in me concitaram, ob provecta bonarum literarum studia, quas istæ pecudes multo pejus oderunt quam *Lutherum* ipsum, tam pertinaciter ac stolide debacchantur in me, ut ni mihi fuisset animus adamantinus, vel horum odiis potuerim in castra *Lutheri* propelli. Nescio an vos putetis rem esse ludicram, verum nemo credat, quam hoc negotium late propagatum sit, quamque gentium pene omnium animos occuparit. Tot eruditorum hominum amicitia videbar mihi *Cræso* beatior. Hanc felicitatem æquo animo deposui, meque nudatum omnibus præsidiis inermem ac destitutum objeci tot furiosis, quorum tyrannidem mundus diutius ferre non potest, nec feret. Et tamen illi non ignorant, quantam cladem ipsis inferre potuerim, si vel digitum porrigere *Lutheranis* voluissem. Atque interea, quoties decernitur honos Theologis, nihil sapit *Erasmus*: at quum est gravandus invidia, solus poterat totum hoc incendium exstinguere suo calamo. Quin in hanc invidiam vocat *Pius* ille *Carpensis*, qui, ut scribunt, *Romæ* in omnibus conventiculis, in omnibus conviviis deprædicat, *Erasmum* nec esse Philosophum, nec Theologum, nec quicquam omnino tenere solidæ doctrinæ. Cur ille vir tacitus consertisque manibus spectat hunc aprum ferum depopulantem Domini vineam? Cur nullus hoc audet *Roma*, quod ego sum ausus in media *Germania*, solo præmio rectæ conscientiæ contentus? Neque enim me jam hinc brevi emigraturum vel Cæsar, vel Pontifex beare potest; imo ne hoc quidem præstare valent, quo minus proscindar rabiosis libellis, etiam ab istis ventribus, qui se jactant favere *Romano* Pontifici, quum nulli magis officiant nomini Pontificio. Quo in statu simus hic, bona fide referet qui has tibi reddit, in hoc à me legatus, ut quædam amicis aperiat, quæ literis committere, ut perlongum est, ita nec tutum; per hunc itaque poteris tuto rescribere. Commisi illi quiddam de studiis nostris, in eo non gravaberis impartire consilium tuum, si quid desiderabit. Quid agat *Leonicenus* Medicus, quid *Paniceatus*, quorum utrunque vidi *Ferrariæ*, scire cupio, & *Rhodiginum* amo, tametsi me locis aliquot taxarit in suis collectaneis. Verum non sum is, qui nihil possim devorare. Te non novi, nisi quod suspicor esse illum, qui me semel in ædibus *Richardi Pacæi* salutavit oratione tam copiosa, tamque diserta, ut ego plane viderer mihi mutus. Bene vale. *Basilea* 13. Maji, Anno 1525. An. 1525.

## EPISTOLA DCCXLIII.

*Erasmus Rot. Felici, Episcopo Theatino*, S. D.

REVERENDE Præsul, humanitatem & indolem tuam jam pridem amavi, nunc gaudeo Pontificis favore fortunam tuis virtutibus respondere, simulque gratulor *Hovio* meo, cui contigerit in tali familia locus. Apud me non poterat crescere nisi fortassis in literis. Et spero illum suis obsequiis promeriturum, ut tuo favore dignus videatur. Certe ad hoc non desinam hominem adhortari. Qui sit hic rerum status, malo te ex hoc tabellario cognoscere, quem ob negotiola quædam istuc emandavi meo sumptu. Nam inter famulos nullum habeo fideliorem, cui te rogo ut faveas, si quid erit opus. Intricatus est enim labyrintho cuidam, vir alioqui fortuna tranquillissima dignissimus. Dignaberis & *Erasmum* in tuorum clientum catalogum adscribere, certe fide studioque non facile cuiquam cessurum. Precor tibi omnia felicia, quo videlicet modis omnibus sis quod diceris. Datum *Basilea* 13. Maji, Anno 1525.

## EPISTOLA DCCXLIV.

In COELIVM, De libero arbitrio.

*Des. Erasmus Rot. ornatissimo Floriano Motino* S. D.

EN tibi rursum *Laconismus* etiam superiori contractior, quum tu me tam liberali, tam diserta, atque etiam festiva provocaris epistola, ut mihi bonam tædiorum partem excusserit, quorum nunc ipse temporum status abunde multum ingerit, etiamsi propitius esset calculus, & nihil haberet molesti senectus, nihil assidui studiorum labores, denique si nihil aliunde inveheret ægritudinis hæc vita tot malis obnoxia. Auxit epistolæ tuæ gratiam *Cœlii* libellus *De libero arbitrio*, brevis quidem ille, sed expolitus, satis præ se ferens, quanto studio vir ille versetur in adytis philosophiæ. Hactenus nihil illius videre contigit. Ipsum, ni fallor, semel duntaxat vidi *Ferrariæ* in ædibus *Richardi Pacæi*. Salutavit me summa quidem cum humanitate, sed oratione tam diserta, tamque fluenti, ut ego prorsus viderer elinguis. Hæsitavi, fateor, aliquandiu, utrum libellum flagitantibus Typographis traderem, an premerem. Video, mi *Floriane*, & apud vos esse sinistre suspiciosos homines, quales apud nostros perpetior. At nihil tale perpeterer, nisi prorsum inversus esset ordo hujus fabulæ. Utinam ista suspicio demigraret in *Germaniam*, & picturæ famosæ, libellique furiosi, qui subinde provolant in caput meum, istuc deferrentur. Nunc hic periclitor ut hujus factionis oppugnator, apud *Italos* ac *Brabantos* gravius etiam periclitor ut adjutor. Nonnulli me calumniantur incedere medium. Inter *Christum* & *Belial* incedere medium, magna fateor impietas est. At inter *Scyllam* & *Charybdim* medium tenere cursum, arbitror esse prudentiam. Nihil unquam magis detestatus sum quam seditionem, nec adhuc ulla in re mecum pugno. Profiteri nolo quod non assequor, aut de quo dubito, aut quod non probatur animo meo. Nec ab istis unquam prædicor Theologus, nisi quum invidia gravandus sum. Quoties agitur de consortio gloriæ, procul absum ab albo Theologorum. Sed regium est undique male audire quum omnibus benefacias. Vivit *Christus* Agonothetes noster, qui te servet incolumem, vir optime. Datum *Basilea* 16. Maji, Anno 1525.

EPI-

Digitized by Google

## EPISTOLA DCCXLV.

*Eraſmus Roterod. Antonio Puccio, Epiſcopo Piſtorienſi, S. D.*

An. 1525. REVERENDE Præſul, quum penitus infixa ſint animo meo tua in me neutiquam vulgaria officia, tamen hactenus ab officio literarum temperavi, quod officii potius eſſe ducerem tuam amplitudinem tot negotiis occupatam non interpellare ſupervacaneis epiſtolis. Sed quum oblato nuncio rogarem *Lodovicum Berum* præpoſitum, mihi ſingularem patronum, ecquid vellet mandare *Romam*, orta mentione tui nominis, obnixe rogavit, ut te tribus verbis ſalutarem: quem incolumem eſſe gaudeo vehementer, bonaque ſpe ſumus, fortunam, quæ cœpit evehere dignitatem tuam, aliquando tuis virtutibus reſponſuram, quibus ex teipſo maximus es, velit nolit fortuna. Nobis hactenus cum calculo & oblatratoribus tantum res fuit, nunc incidit ea tempeſtas, ut ſuperiorum malorum pene ſimus obliti. Quum volet Dominus, & quum promerebimur, hic rerum tumultus aliqua ſerenitate commutabitur. Affulſit enim aurula quædam pacis inter Monarchas ſarciendæ: id ſi contingat, fortaſſis ſub autumnum iſthuc adrepemus. Rogarem, niſi confiderem te id ſponte facere quod ſoles, ut *Eraſmo* clientulo tuo faveas. *Berus*, opinor, ad te ſcribet, tametſi pudet hactenus ſiluiſſe, & veretur magnitudinem tuam. Certe ex animo te ſuſpicit, amatque, ſi quis alius. Ei precor omnia fauſta lætaque. *Baſilea*, feria quarta poſt Pentecoſten, ſive 8. Junii, Anno 1525.

## EPISTOLA DCCXLVI.

*Eraſmus Rot. Natali Beddæ S. D.*

NON ſum is, vir optime, qui ſoleam de quoquam opinionem ſiniſtram concipere, ni res ipſa palam comperta cogat in diverſam ſententiam. Delationibus iſtis vulgaribus nihil moveor, ſuſpiciones nihil moror, ac ne injuriis quidem mediocribus & humanis perturbor. Negligo, diſſimulo, excuſo, ſuſpendo ſententiam, donec manifeſta pravitas, ſæpius deprehenſa, compellat me dicere, *Non putaram*. Neque quicquam arbitror magis indecorum homini *Chriſtiano*, quam quum poſt temere ſuſceptam diuque fotam de proximo ſuſpicionem, poſt impetitam multis conviciis innoxii famam, tandem expertus cum longe alium eſſe, quam imaginatio finxerat, dicit, *Non putaram*. Itaque quanquam ante complures annos ſolitus ſum à multis accipere literas, parum amicam de te mentionem facientes, tamen nihil me commoverunt quo minus *Beddam* bonum Theologum ac bonum virum judicarem. Eam opinionem auxerunt *Beraldi* mei literæ, cujus judicio ſane tribuo plurimum. Proinde, quanquam in tuis literis erant adſperſa quædam, quæ ſubindicarent te non optime ſentire de me, tamen quoniam mihi perſuaſum eſt iſta tibi ſcribi ſincero puroque animo, ne tantulum quidem offenderunt, nec te mihi vel pilo reddunt ingratiorem. Toties in hac epiſtola ſum tibi chariſſimus frater, nec tamen collegam agnoſcis niſi ſympresbyteron, *συνθεολόγον* non agnoſcis, quum tamen hoc tituli mihi non inviderint, nec *Leo*, nec *Clemens*, ac ne *Adrianus* quidem, magnus ſine controverſia Theologus. Si non agnoſcis collegam Theologum, niſi inſigniter doctum, ne ſympresbyteron quidem agnoſces, niſi eximie pium. At ego ſane longius abſum à pietate, quam ab eruditione, licet in ſtudium pietatis quam eruditionis propenſior. Indoctos recipit Deus, impios non agnoſcit. Sunt & alia quædam, quæ videntur non carere figura, ſed mihi perſuaſum eſt, ingenium tuum ab hujuſmodi ſtrophis longiſſime abeſſe: quod ſi ſecus habet, mea nimirum opinio plurimum abeſt à vero. Alioqui ſi maxime affinis eſſem talibus cavillis, non arbitror tuam prudentiam his velle uti erga eum, qui ſimpliciter ac pure ſcripſiſſet, nec alium te velle præbere, quam is te exiſtimaſſet. An. 1525. Videris autem tibi perſuaſiſſe, *Eraſmum* eſſe quendam ſitientem mundanæ gloriæ, ingenii pertinacis & indocilis, ad hæc ſcribendis libris inutilibus intentum, non ſatis cogitare de his quæ pertinent ad vitam futuram. Scis ipſe, vir egregie, nihil eſſe difficilius, quam judicare de ſpiritu alieno, quum *Paulus* non auſit etiam de ſeipſo judicare. Verum, iſta fortaſſe tibi perſuaſit delator aliquis, ut his temporibus ubique regnant malæ linguæ. Et fieri poteſt ut imprudens & inſcius foveam aliquid iſtorum vitiorum, quæ mihi tribuis. Hoc igitur profectus attulit mihi tua reprehenſio, ut ipſe mihi cœperim eſſe ſuſpectus, circumſpiciens nunc ubi laterent in me morbi tam peſtiferi. Homo ſum, & humani nihil alienum à me puto. Quod ad gloriam attinet, fateor olim juvenis pulchrum eſſe duxi laudari à viris laudatis; verum, ubi cognoſcere cœpi, quam moleſtum onus eſſet fama, nihil magis in votis habui, quam eam ſi liceat totam abjicere, vel eo, ubi, quod ajunt, cervi deponunt ſua cornua. Quid autem habet hoc gloriæ genus expetendum, tot calumniis, tot obtrectationibus, tot criminationibus fermentatum? Aut quod animal me vivit infelicius, ſi pro tot exhauſtis laboribus nihil aliud mercedis refero, quam famam in hoc ſeculo, quæ tanto plus aloes habet quam mellis, ſi quid tamen omnino mellis habet? Nemo ſui probus eſt judex, fateor. Mihi tamen, quum alioqui ſcateam vitiis, videor non inſigniter affinis huic morbo, vel hoc argumento. Quum nondum exortus eſſet *Lutherus*, magnaque rerum tranquillitate florerent ſtudia bonarum literarum, videbar mihi beatus amicitiis tot eruditorum hominum, ut ingenue fatear quod res habet, laudibus nunquam ſum magnopere delectatus, immodicis etiam offendebar. Quod ſi valde delectaſſent illi *Germanorum* applauſus, ſi libens audiſſem *Princeps literarum*, *antiſtes ſtudiorum*, *vindex veræ Theologiæ*, *ſydus ac decus Germaniæ*, nunc his detractis excruciarer. Nunc vero nequaquam mihi diſpliceo, quum illis ipſis nihil aliud ſim quam *Eraſmus*, propemodum etiam gaudeo me ab invidioſis illis laudibus eſſe liberatum. Quin & rabioſos libellos, quibus ab his impetor, quos pridem habebam laudum mearum immodicos præcones, videor hactenus ſat moderate tuliſſe. Quum ſcirem mihi nunquam fore pacem cum quibuſdam male auſpicatis ingeniis, quæ me propter bonas literas habent inviſum, tamen malui me prorſus exarmatum utrinque lapidandum exponere, quam in hac factione, quæ latiſſime regiones & aulas occupavit, eſſe coryphæus & ſatrapes, & hactenus nec blanditiis, nec minis, nec convitiis utriuſque partis loco moveri potui. Fortaſſis hanc aliquis cautionem vocabit potius quam conſtantiam. Imo videbam me tutiorem futurum fuiſſe, ſi me in *Lutheranam* factionem conjeciſſem; noveram enim quæ multi neſciunt. Hic conſcientia me revocavit, non metus. Dignitates adeo non ambii, ut etiam ultro oblatas conſtanter recuſarim: & hic animus, quem hactenus præſtiti, tibi videtur ſitire gloriam mundanam? Et tamen admonitionem tuam in optimam partem accipio, nec patiar me fruſtra monitum eſſe. Hortaris me ut legam *Gerſonem*, & huic ſimiles Auctores humiles, quo mihi vileſcam. Ego quemadmodum nullum Scriptorem ſoleo contemnere, ita in ſcholaſticis iſtis, quos vocant, præter orationis filum fere nihil humile video, qui paſſim oſtentant *Ariſtotelicam* & *Averroicam* Philoſophiam, cui *Scotus* multum etiam addidit ſupercilii. *Gerſonis* opuſcula quædam legi juvenis, nec omnino diſplicuit. Cæterum quum neotericos hos Scriptores in manus ſumo, neſcio quo pacto minus mihi diſpliceo, nec ulli libri magis dejiciunt ac pudefaciunt ſuperbiam meam, quam Euangeliſtarum ac Apoſtolorum. Scio magnum & arduum eſſe negotium domare ſpiritum hominis, & hoc ſane jam pridem molior, etiamſi tu ſuſpicaris mihi non eſſe vacuum colligere animum ad ea quæ ſunt veræ pietatis, propterea quod ſubinde novos libel-

Digitized by Google

An. 1525. bellos excudam. Nec mirum est ita tibi videri, qui fortasse stylum non perinde exercueris, eoque difficillimum & operosissimum esse credis, quod exercitato facillimum est. Ego vero jam hoc annos aliquot serio totoque pectore ago, ut hanc conscientiam *Christo* judici approbem, meque pro viribus in eum diem paro, quem hæc ætas ac valetudo persuadent minimum abesse. Ac videor mihi nonnihil profeciſſe auxiliante *Christi* gratia, quam in hoc implorare non desino: nam in dies exspecto diem illum animo tranquilliore. Nec ulla colloquia mihi gratiora sunt, quam quæ hoc studium meum vel promovent, vel excitant. Itaque fere versor in his argumentis, quæ juvant etiam hoc animi propositum, tantum abest ut impediant. Quod genus sunt, *De misericordia Domini*, *De modo orandi*, *De moderanda lingua*, quod nunc excuditur, & *Commentatiuncula in Psalmos aliquot*. Ac plane sic meditor subducere memet à scribendis libris, quemadmodum veteranus athleta paulatim sese recipit in ocium, præcipuumque studium huc confero, ut quod hactenus editum est repurgem ac dedolem, præsertim in his quæ pertinent ad fidem ac pietatem *Christianam*. Mihi certe semper fuit hic animus, ut excitarem bonarum studia literarum, eaque conciliarem studiis vestris: partim ut inciperent & bonæ literæ sonare *Christum*, quæ quam apud *Italos* hactenus nihil aliud quam Paganismum crepent, ipse non ignoras: partim ut ex accessione linguarum ac politioris literaturæ, nonnihil fructus ac lucis adjungeretur studiis hactenus in scholas receptis. Qua quidem in re meo judicio vehementer peccatum est utrinque, dum & qui bonas literas adamant, hostiliter insectantur diversa sequentes: atque hi rursum hospites bonas literas, unde poterant utilitatem capere, non recipiunt in consortium, sed inciviliter explodunt, damnant ac rejiciunt priusquam noverint. Quod ad dogmata scholasticorum attinet, semper quantum licuit ab his abstinui, videlicet mihi conscius quam non esset meæ mediocritatis, in rebus arduis dogmatisten profiteri meo pariter ac multorum periculo: quantum in isto studiorum genere valiturus fuerim nescio, certe naturæ vis alio rapuit. A factionibus sic semper abhorrui, ut favorem suum profitentes aliquanto diligentius cohibuerim, quam rejeci calumniantes. Ita factum est hactenus, ut si quid errat aut periclitatur, solus erret ac periclitetur *Erasmus*. In Novo Testamento nihil aliud propositeram, quam instaurare sinceram lectionem, & addita luce discutere quædam, ad quæ videbam multos impingere. Neque quicquam minus erat in animo, quam mutare vulgatam interpretationem: imo veterem translationem addidissem *Græcis*, quamvis dissidentem, ni me docti quidam amici consiliis improbis verius quam felicibus huc protrusissent reclamantem. Porro quod quædam obiter admoneo, Deum testor, simpliciter existimabam me rem facere Deo gratam, ac rei *Christianæ* necessariam. Atque hoc ipsum mihi visus sum eo temperamento feciſse, ne quid hinc seditionis oriri posset: certe id conatus sum sedulo. Videbam multa esse prolapsa, & erant tempora tranquilla. Quis enim suspicaturus erat hanc fatalem tempestatem exoriturum in orbe? Proinde quam tua charitas judicat mea scripta, ni corrigantur, esse periculosa religioni *Christianæ*, tam judicabam esse periculosum rei *Christianæ*, si dissimulassem illa quæ tum admonui. Si fuit error, in judicio fuit, non affectu. Nec hic tamen unquam fisus sum meo sensui, nec me transversum rapuit applausus hominum. Et adeo non gravatus sum me submittere Deo, quod ut faciam amanter admones, ut etiam omnibus pene hominibus me subjecerim. Atque ea res mihi nonnullis in locis præbuit ansam erroris, in quem non impegissem, si meo judicio plus tribuissem quam aliorum. Quem enim monitorem non eram auditurus, qui non solum *Atensem*, *Latomum* ac *Dorpium*, sed *Leum* etiam, Theologiæ, quod post compertum est, plane rudem, obnixe rogarim, ut adesset mihi farcienti præcipitatam Novi Testamenti editionem, & hac de causa in intimam familiaritatem admiserim; quæ sane res mihi parum feliciter cessit. Et interim videris in me suspicari pervicaciam hoc argumento, quod à duobus viris non elinguibus, nec indoctis, nec stupidis, de multis non temere admonitus, nusquam tamen agnoscam lapsum meum. *Stunicam* ac *Leum* elingues non esse fateor, imo profiteor esse linguaciſſimos: cæterum quam non sunt stupidi aut indocti, ipsorum scripta te docebunt, si modo legas integer. At plane suspicor te gravioribus rebus occupatum, ad ista frivola non descendere. Atqui hoc facere erat tuæ modestiæ, mi *Bedda*, priusquam de nobis conciperes atrocem suspicionem. Quis scurra scurrilior *Stunica*? Quot locis ostendo illum nescire quid loquatur? Et tamen non paucis in locis tali sycophantæ gratias ago, quod admonuerit, tametsi nihil debetur gratiæ, ne recte quidem monenti, si id morbo facit, non judicio. *Leus Stunica* tum indoctior est, tum virulentior, & tamen ubicunque bene monet agnosco officium: quod ideo suspicaris me nunquam feciſse, quia nostra non legisti: aut si legisti, aliud agens legisti. Atque ut ingenue fatear, demiror tales Scriptores vobis placere. Si quid asperius scripserunt, ais facilem esse veniam. An apud vos sit facilis venia nescio, apud Deum scio difficilem futuram iis, qui tot mendacia, tot calumnias, tot fumos, tot glorias effundunt in famam proximi. Doceo *Leum* in his quibus impetit me quædam asserere palam hæretica. Nec habet quenquam tam amicum in *Anglia*, qui ausit hæc defendere. *Leo* ipsa *Anglia* imposuit silentium, nec ullis magis displicuit illud opus, quam qui illi tum natura, tum benevolentia sunt conjunctiſsimi. Quod si prodisset frigidus ille libellus, quem primum scripserat, & clam vicies descriptum sparserat per amicos, quos ronchos, quas sannas excitasset? Inerant illic manifestæ blasphemiæ. Nam is, quem edidit, maxima ex parte est aliorum. Dices me somniare. Imo librum illum habebam antequam mea responsio esset absoluta. *Stunica* apud *Hispanos* habetur, ut est, pro homine ut glorioso ita parum cordato, cujus sycophantiæ quam placuerint Pontifici, satis declarat quod toties est illi impositum silentium, primum à *Leone*, mox à cœtu Cardinalium, rursum ab *Adriano*, iterum à Cardinalibus, postremo à *Clemente* serio, ut ni quieviſset, conjiciendus fuerit in vincula. Primum nec *Stunica*, nec *Leus*, erat is, qui debuerit sibi censuram in me sumere. Quibus si non defuisset doctrina, tamen fide carebant, qui tam impotens odium præ se ferebant, qui tantum spirabant inanis gloriæ. Fateor obtemperandum esse monenti, sed ei qui possit recte monere, sed ei qui commode monet. Quis autem sese credat Chirurgo ferrum & ignem admoventi, si manifestis notis præ se ferat studium occidendi si possit? Quis hauriat pharmacum à medico porrectum, qui præ se ferat animum perdendi ægrotum, non medendi? Multo vero sit insanior, qui se committat talem animum adferenti cum imperitia secandi aut medicandi. Multa laudata correxi ex me, quid facturus si quis doctus amice monuisset? Et ut agnoscas quantum absim à pertinacia, quædam coactus sum eradere, quæ monitore *Leo* mutaveram. Quem si secutus fuissem in omnibus, legeretur in libris meis quod palam esset hæreticum: non loquor de dogmatibus scholasticis, sed de articulis fidei. Ac ne multa commemorem, hoc ipsum quod tu reprehendis, *Jesum* nulli mortalium debuisse obedientiam, ex *Caranza Stunicaque* didici, quanquam illi multo idem inculcant odiosius. Et sunt alia his magis impia, si vacabit illorum calumnias & nostras Apologias legere. Et horum calumniæ pondus habent apud vos, quum tot Episcoporum, tot Theologorum atque etiam *Romani* Pontificis judicio, leve sit pondus. Aliud est, inquis, probari ab amicis, aliud judicari ab inimicis, qui nodum etiam in scirpo quærunt. Cæcus quidem est amor vehemens, at multo cæcius odium: sed ingenium hominis multo propensius est in odium quam

in

Digitized by Google

An. 1525. in amorem. Qui mea probarunt, quid erat cur tanto pere cæcutirent amore mei, qui me non ob aliud diligunt quam ob labores meos, nec ullis in rebus egent mei? His, quum sint in re Theologica doctiores sexcentis *Leis* ac *Stunicis*, diffidam, & subjiciam me judicio istorum, qui vesanum & impotens odium in me præ se ferunt? Si Theologis credendum est, Theologi sunt & illi. Verum, ex his quidam damnant inimici, quod probarant amici. Utrum igitur judicium apud me plus valebit? Imo cur valeat apud quenquam talium judicium, qui cum affectu mutant sententiam, & ex eodem ore frigidum efflant & calidum? Quum ederem primum Novum Testamentum, aderant assidue *Capito* & *Oecolampadius*, quorum uterque tum videbatur & vir pius, & Theologus eruditus, utcunque nunc res mutatæ sunt. *Berus* vicinus frequenter nos invisebat, quem, opinor, & tu numeras inter Theologos. Cur hic, qui haud indiligenter legit mea, non vidit ista pernicioſa, quæ tuam sollicitudinem exanimant? Est ille quidem amicus, sed amice liber, nec ignorat me liberis amicis delectari. Post primam editionem commigravi *Lovanium*, ultro receptus sum in amicitiam Theologorum, quum nihil minus ambirem. Carmelita *Egmundanus* hoc Opere prodito vociferatus fuerat me esse Antichristum: quum ventum esset in privatum colloquium, rogabam ut admoneret si quid esset corrigendum, nullum officium mihi fore gratius. Respondit sibi Opus nondum esse lectum. Obnixe rogavi *Atensem* non semel, ut moneret si quid offenderet, nam mihi esse animum juvandi rem *Christianam*, non lædendi. Eadem rogavi *Latomum* & *Dorpium*. *Atensis* recepit se facturum. Sub discessum vocavit me ad cœnam. A cœna repeto veterem sermonem. Ait se perlegisse totum Opus, videri sibi tum eruditum, tum pium. Rogabam ut libere diceret quod sentiret, me moneri malle quam laudari: monitionem profuturam, laudes non item. Etiam atque etiam repetens confirmavit quod dixerat, & hortatus est ut *sanctis meis laboribus*, sic enim ille tum loquebatur, pergerem prodesse Reipublicæ *Christianæ*. Hoc ut excluderet, captionem adjecit, *quid scripturus sis nescio, quod hactenus scripsisti, perplacuit*. Respondi me daturum omnia meliora, quod quidem, ni fallor, præstiti. Et hic erat illius Academiæ caput, sive spectes auctoritatem, sive doctrinam. Reversus sum, pesti, ut putabant medici, obnoxius, certe tribus carbunculis insignis. *Atensis*, aliique Theologi vetante me accurrunt ad salutandum. Tranquilla omnia, donec *Leus* ordiretur suam tragœdiam. Ubi per morbum licuit, evocavi *Leum* ad colloquium, proposui æquissimas conditiones, ut vel ostenderet suas annotationes, vel mecum conferret, si quid diffideret, vel ederet denique. Nihil horum illi placebat. Denique vel *Atensem*, mihi jam parum æquum, faceret judicem. Nihil horum placuit. Decreverat eo fumo frui, quod trecenta loca notasset, quæ premeret in gratiam meorum amicorum. Contuli privatim cum *Atensi*, ut moneret si quid esset alicujus momenti. Nam Opus meum nondum exisse totum, & me mutatis aliquot chartis malle pecuniæ dispendium accipere quam famæ. Idem egi cum *Dorpio*, *Latomo*que. Annotationes, hoc est, dimidium Operis mecum advexeram è *Basilea*, eas mox dedi *Dorpio* legendas. Perlegit & annotavit quædam, sed quæ nihil ad fidem attinebant. Mox tradidi *Atensi*. Nemo quicquam admonuit. Dum hæc aguntur, prodiit Opus, quod diutius premi non poterat, sine gravi jactura typographi. Interim incrudescebat *Lei* tragœdia, &, ut fit, alius aliunde grunniebat. Ubi non esset finis obtrectandi, rursus adii *Atensem*, admonens ut daret negotium aliquot eruditis, *Dorpio*, aut *Latomo*, aut horum similibus, qui notarent quæ jure offenderent: nam meum non esse magni pendere, quid quivis magistellus arroderet. Factum est: notavit *Atensis* quædam, ac *Dorpius* nonnulla: respondi, sic enim conve-

A nerat. Satisfactum est illis in omnibus, hoc uno excepto, quod non addidissem, hanc confessionem institutam à *Christo*. Respondi non esse meum affirmare quod probare non possem, submittere tamen me meum judicium auctoritati Ecclesiæ: hoc interim mihi satis esse. Jam adornabatur editio tertia. Nullum non rogavi, cui crederem esse aliquid judicii, ut admoneret si quid offenderet, præsertim in decretis Philosophiæ *Christianæ*. Comprobarunt multi, nemo monuit hactenus. *Adrianus* Cardinalis per *Barbirium* suum denunciavit, ut idem facerem in Vetere Testamento, quod feciſſem in Novo, nec meminit ullius Tragœdiæ: non facturus, opinor, si sensit de
B meis laboribus quod tu sentire videris. Adornatur editio quarta, & paratus sum à quovis admoneri, vel semidocto. Dices Theologorum esse judicium. Quæso, an *Joannes* Episcopus *Roffensis* non videtur tibi Theologus? Equidem ut fateor vestram Academiam esse præcipuam in re Theologica, ita credebam & in aliis esse Theologos. Jam *Lodovicus Berus*, *Ægidius Delphus*, & *Hermannus Lethmannus*, inter vestræ scholæ proceres sunt, cum his omnibus diligenter egi. Scripsi *Prierati*, indicaret quibus locis offenderetur, obmutuit. Et hic est animus, quem tu putas præfractum & intractabilem. At *monitus*, inquis, *non agnoscis culpam*. An postulas, ut à quovis admonitus,
C illico clamem cum pueris vapulaturis, *Ignosce, peccavi*? An vis me culpam agnoscere ubi culpa non est? An is, qui pro viribus studet prodesse, videtur indignus quem doceat Theologus? Præcipua causa cur cuperem adire *Galliam* erat, ut cum aliquot vestrum privatim communicarem. Obstabant quum alia multa, tum præcipue bellum inter Cæsarem & *Gallum*, in dies magis ac magis incrudescens. Vocabar ad amplam & paratam fortunam etiam regiis literis. At mihi subolebat me per occasionem vocari ad contentionem, quantumvis alia prætexebantur. Contemsi fortunam amore tranquillitatis. Rixarum jam pridem
D sum satur. *Berquinum* tantum ex literis cognovi, ex his mihi videtur vir prudens ac modestus. Eum tamen nunquam desii hortari, ut à contentionibus abstineret. Si quid accidit Episcopo *Lodovienſi* tristius, equidem vehementer doleo: nam olim mihi talis visus est, quales optarem multos esse Præsules. Ego nullum adhuc Episcopum vel ulla gravavi invidia, vel à recta semita deduxi. Quod mihi tua charitas metuit, ne quando sim in eadem sorte futurus, in qua *Faber*: Ego magis vereor, optime *Bedda*, ne
E quando vos sitis in eadem sorte futuri, in qua nunc sunt Theologi *Germaniæ*, quorum tanta hisce temporibus est auctoritas, ut si quid reprehendant, ob hoc ipsum placeat, quod ab illis damnatum est. Non hoc dico minitans: optarim omnia florere studia, sed præ cæteris Theologiæ. Nunc video misere collabi omnia, totamque rem *Christianam* ad *Turcarum* barbariem tendere. Verissimum est Theologos apud plerosque male audire. Imo graviori odio laborat nomen Theologicum apud omnes quam quisquam credat. Nec tantum apud vulgus, verum etiam apud Principes. Hujus mali quorundam morositas & improbitas causam dedit, ut libere dicam quod sentio. Fateor iniquissimum esse ex paucorum moribus æstimare totum ordinem, sed tamen ita fit vulgo. Et paucorum improbitas nonnunquam plus valet quam cæteri
F omnes, quorum alii dissimulant, alii rident, aliis non libet repugnare, alii favore privato adsunt, alii pertrahuntur in eandem insaniam, veluti contagio quodam. Mihi nemo persuasurus erat inter Theologos esse tales vomicas, nisi re ipsa compertissimum haberem. Quis credidisset in *Standitio* tantum esse stultitiæ, quantum ipse coram omnibus prodidit: accusans me apud Regem & Reginam *Angliæ*, circumstante procerum ac doctorum corona, ipse flexis genibus ac sublatis in cœlum manibus, quod negassem resurrectionem, quod sustulissem matrimonium, quod perperam

An. 1525. sentirem de Euchariſtia? Quum urgeretur ad probandum quæ propoſuerat, meras inſanias effutivit, adeo ut ipſum Regem puduerit illius nomine. Deinde quam furioſe clamatum ſit in locum, *In principio erat Sermo*, perſpicuum fuerit, ſi vacabit noſtram ea de re *Apologiam* legere, jam non ſemel editam. Jam olim ſine modo, ſine fine furit apud noſtros *Nicolaus* ab *Egmonda* Carmelita. Quoties vociferatus eſt in publicis concionibus, nihil intereſſe inter *Eraſmum* & *Lutherum*, niſi quod *Eraſmus* eſſet major hæreticus? Quoties apud populum & in publicis prælectionibus juſſit ut caverent ab hæreſi *Lutheri* & *Eraſmi*? Quoties juſſit orari pro nobis ut reſipiſceremus? Quoties in conviviis, in vehiculis, in navibus appellavit *Eraſmum* hæreticum, hæreſiarcham & falſarium? Quum apud Rectorem Academiæ *Lovanienſis* flagitarem, ut nobis unum articulum proferret in *Luthero* damnatum, quem ego vel joco defendiſſem; protulit ex Epiſtola quadam ad *Moguntinum* Cardinalem, in qua ſcripſeram, ipſum publicitus damnaſſe quod non intellexerat: *Lutherus* enim ſcripſerat, *Non eſſe neceſſe confiteri, niſi manifeſta crimina*, ſentiens de his quæ ſine dubitatione ſunt capitalia, quod genus ſunt homicidium & adulterium: ille ſic interpretatus eſt, quaſi ſenſiſſet de facinoribus palam admiſſis. Hoc non erat defendere *Lutherum*, ſed illius arguere præcipitem maledicentiam, qui pronunciaret priuſquam intelligeret. Scio quid poſtea *Lutherus* ſcripſerit de *Confeßione*: verum, id temporis non aliud ediderat. Quibus de rebus ſi plura libet cognoſcere, lege noſtram *Apologiam*, de reprehenſo loco *Pauli*, *Omnes quidem dormiemus*. Lege Catalogum poſterioris editionis. Nec deſinit quotidie ſtultitia, impudentia ac maledicentia ſuperans ſeipſum. *Adrianus* Sextus impoſuerat illi ſilentium miſſo diplomate. Ægre ſiluit, ſed mox à morte Pontificis rediit ad ingenium. Nuper *Ferdinandus* ſcripſit amitæ diligenter, ut illi rabulæ obturaret os. Ridetur ab omnibus, habetur pro inſano, ut eſt, nec tamen reſipiſcit. Quum eſſem *Caletii* in conventu Principum, *Dominicanus* quidam *Lovanii* ſeſquimenſem debacchatus fuerat in nomen meum, pluſquam ſcurriliter è ſuo ſuggeſto. Quum is vix eſſet coercitus per Rectorem, ſubornatus eſt alter qui præter omnem exſpectationem debaccharetur in templo divi *Petri*. A prandio quum quæreretur, jam alio demigrarat. Reverſus ille prior quum eſſem *Lovanii*, mane fortiter debacchatus fuerat in me, pollicitus ſe plura dicturum à prandio: & dixiſſet, ni *Aleander*, qui tum aderat, per me admonitus, homini denunciaſſet ſilentium. Suffraganeus Epiſcopi *Tornacenſis* totas horas debacchatus fuerat in me *Brugis*, nomen meum conjungens cum *Luthero*, nos ſubinde clamitans eſſe grues & beſtias, in libris meis eſſe quædam hæretica. Quum digreſſum è ſuggeſto doctus quidam excepiſſet, rogans ut commonſtraret aliquem locum hæreticum: negavit ſe legiſſe libros meos, *Moriam* voluiſſe legere, verum, ſe metuere, ne ob ſtyli ſublimitatem prolaberer in aliquam hæreſim. Tales ſcurræ ſunt in cauſa, ut populus male ſentiat de Theologis. Qui boni ſunt, non probant quidem iſtorum inſaniam, ſed interim tales ferunt, aut etiam fovent, non animadvertentes interim invidiam in ipſos recidere. Eſt *Lovanii* quidam *Vincentius* ab *Haerlem*, *Dominicanus*, homo ſimpliciter ſtupidus, nullius judicii. Is quum digna atque indigna blateraret in me, conveni hominem, rogavi proferret quæ offenderent. Vix eblanditus ſum ut faceret. Deum immortalem! nulla ſcropha proferret ſtultiora quam ille tum protulit. Ne unum quidem locum intellexerat omnium quæ carpſerat. Is nunc edidit libellum adverſum me ficto quidem titulo, ſed ita tamen ut nolit eam gloriam ſibi perire. Equidem antehac peſſime ſentiebam de homine, ſed nemo perſuaſiſſet, quenquam in toto ordine tam ſtultum, tam ſtupidum, tam indoctum, tam mendacem, tam impudentem eſſe, niſi ſuo libello nobis ipſe feciſſet fidem. Non dubito quin is libellus jam ad vos tranſvolarit. Quorſum autem attinebat *Latomum* in Dialogis ſuis ſic obliquis ſtrophis in me ludere, ſcurræ quam Theologo ſimiliorem? Et hæc quum ipſi deſignent, admirantur decreſcere gratiam & auctoritatem Theologici nominis. Quod facinus non auderet is, qui iſthic corrupit mea *Colloquia*, addita præfatione mei nominis titulo? Qui rem norunt, confirmant eſſe quendam *Lambertum Campeſtrem*, *Dominicanum*: excudit quidam cognomen habens à groſſo morſu, ſeu grandi bolo. Si non vacat inſpicere nugamentum, lege Catalogum meum poſterioris editionis, & demiraberis prodigioſam hominis dementiam. Et hæc fiunt in veſtra Academia, ubi non licet excudere *Paraphraſes Eraſmi*. Jam hic libellus *Petri Sutoris* quam præ ſe fert eſſe hominis, qui magis egeat exorciſta quam medico. Et tamen ille vobis approbantibus excuſus eſt, niſi mentitur titulus. His parata eſt apud vos venia, quum in noſtris erratis, multi ex muſca faciant elephantem? An creditis tales libellos ad Academiæ veſtræ dignitatem nihil attinere? Neque vero me clam eſt, quæ probra, quæ virulenta convitia jam olim jaculantur in me quidam veſtræ ſodalitatis; nihil opus edere nomina, quæ nec te fugiunt, & multis nimium nota ſunt. Quid autem ſinceri judicii exſpectes ab iſtis, quos totos occupavit impotens odium? Quod ſi adferant ad Epiſtolas *Paulinas*, plura damnabunt in illis quam in meis lucubrationibus. Tales non ferunt alienam ſuperbiam, quod ipſi ſint ſuperbiſſimi: & quemadmodum *Diogenes* pede premens culcitram *Platonis*, & dicens ſe calcare faſtum illius, audivit, *Calcas quidem, ſed alio faſtu*: ita iſti noſtram inſectantur ſuperbiam, ſed alia ſuperbia; noſtram pertinaciam, ſed alia pertinacia; noſtram præcipitantiam, ſed alia præcipitantia. Itaque quemadmodum nos ut homines labi poſſumus in ſcribendo, ita illi labi poſſunt in judicando; imo non poſſunt non labi qui odium habeant in conſilio. Sunt enim complures, præſertim jam provectioris ætatis, quibus nihil placere poteſt, quod ſapiat aliquid politioris literaturæ, quodque diſcrepet à ſaliva, quam imbibere pueri, nec conſiderant verti ſeculum, cui par eſt ut nos accommodemus. Sunt qui natura moroſi, nec admodum felicis judicii, à caprilibus veniunt ad ludum, ac ob rei familiaris inopiam, deſtituti bonis Auctoribus & ocio, tantum ea diſcunt quæ ſolent in ſcholis tradi, quorum permulta, quam infeliciter tradantur, ipſe non ignoras: & inter pueros conſeneſcunt, apud quos regnant, & nutu ac renutu imperant quod volunt, non obtemperantes minis territant: itaque nemine reluctante, quicquid volunt rectum autumant, eoſque mores transferunt in vitam communem, alieni ab omni civilitate, ac propemodum etiam ſenſu communi carentes, ſemper imaginantes ſeſe inter pueros ac diſcipulos verſari. Tales igitur quum odium etiam ſecum adferant ad judicandum, quid unquam probaturi ſint? Præſertim quum tot ſint tituli reprehenſionis, hoc eſt derogativum honori Sanctorum, hoc eſt irreverentialiter dictum in magiſtros noſtros, hoc eſt contra laudabilem conſuetudinem, hoc eſt ſuſpectum de hæreſi *Valdenſium*, hoc eſt vicinum errori Pauperum de *Lugduno*. Quid omnes commemorem? Sexcenti ſunt, qui tot laqueos adfert ſecum, qui ingenium moroſum & calumnioſum, qui odium erga bonas literas & auctorem, quis effugere poterit illius retia? Sæpenumero ſeſe miſcet affectus humanus gloriæ, quoque videantur ingenioſi, carpunt etiam frivola, & depravant quod recte dictum eſt. Quid multis? dum colligendi articulos nullus eſt neque modus, neque finis, res plane tandem exit in morbum articularem. Atqui iſthuc non eſt hæreſes excludere, ſed hæreticos facere. Sic cœpit *Arianum* incendium, ſic *Tertullianus* egreſſus eſt ab Eccleſia. Quas tragœdias excitarunt quidam ob libellum obſcurum

*Ca-*

Digitized by Google

An. 1525. *Capnionis.* Cum *Berquino* mihi nihil est rei, sed tamen, si me pateris aliquam veri partem in sinum tuum effundere, quid opus erat hoc inter articulos notare, quod scripsit, à concionatoribus rectius invocari Spiritum sanctum quam *Mariam* Virginem? Fit, inquis, injuria laudabili consuetudini. Ut laudabilis sit hodie, certe Veteres hanc laudabilem consuetudinem nescierunt. *Hieronymus* in singulis pene præfationibus commentariorum, quos scripsit in Prophetas, meminit de invocando auxilio Spiritus divini, de invocanda *Maria* non meminit. Verum, ut donemus esse laudabilem, quid peccat qui ostendit quod sit laudabilius? Quale vero est ob hujusmodi nænias virum talem in vitæ famæque discrimen vocare? Quanto præstiterat ad talia connivere? Vos laboratis gravi odio pene apud omnes, & illi habent suos fautores: itaque res tandem exit in factionem ac tumultum. Quod si Pontifici placeret anxia talium inquisitio, non imposuisset silentium *Stunicis* & *Prieratibus*. Theologi *Lovanienses*, dum ferveret *Lei* tragœdia, varios articulos ex libris meis collectos miserant *Adriano* tum Cardinali, mox Pontifici, nec dubito quin odiose, quum in articulis etiam *Lutheri* quædam aliter recensuissent quam ille scripserat: Et tamen vir ille, mihi tum non admodum æquus, judicavit eos esse momenti levioris quam ut hinc esset suscitanda tragœdia. Sæpe fit, ut dum nimium tendimus funiculum, rumpamus. Aut ego plane fallor, aut civili modestia plus efficeretur. Nunc dum utraque pars nusquam vult alteri de suo jure concedere, dum sua quisque tuetur mordicus, & atrociter impugnat aliena, tumultu miscentur omnia. Ab articulorum censuris, à clamoribus ventum est ad Bullas, ventum est ad incendia librorum, tandem ad exustiones hominum: Quæso, quid profectum est? Agitur hic nunc cruenta fabula non sine meo periculo. Quis exitus futurus sit nescio. Amo charitatem tuam, quæ tam anxie timet animæ meæ saluti. Ego vero nullum in animo sentio scrupulum è scriptis meis, quod quidem ad mores ac fidei sinceritatem attinet, in quibus adhuc nihil video vel obscœnum, vel impium, vel seditiosum. Et tamen fieri potest, ut imprudens alicubi lapsus sim. At si tam anxie metuis illius saluti, qui quum simplici animo prodesse studeat, alicubi labitur: Cur non magis metuis illorum saluti, qui sceleratis calumniis, qui manifestis mendaciis, qui virulentis conviciis sic debacchantur in fratrem, à quo læsi non sunt? Hanc diabolicam insaniam tu leni verbo *zelum* vocas: Cur non eadem lenitate interpretaris quod accidit mihi? Illos excusas, quod sibi videantur propugnare veritatem: Cur non itidem excusas nos, qui non paulo modestius pugnamus pro veritate quam isti faciunt? Quæso, *Sutoris* libellus quid aliud spirat quam glorias, quam fastus, quam pertinaciam, quam hominem sibi supra modum humanum placentem, quam effrenem petulantiam? Cur non illum admones ut sibi vilescat, qui sic totus turget? Quantum autem aberret à vero, fortassis alias docebitur. Cur huic collegæ tuo non præstas eandem sollicitudinem, quam præstas mihi? Quod mihi præstas, habeo gratiam: quod de illo securus es, demiror. Ego scribo libros infrugiferos Ecclesiæ, & sine talibus libellis, quales scribit *Sutor*, collaberetur domus Dei? Mihi metuis ne desit ocium curandi cœlestia, & hi, qui talia scribunt, versantur in tertio cœlo. Admisces nescio quid de his qui incumbunt Poetis, quod scriba sic depravarat, ut legi non possit. Adolescens adamavi Poeticen, quam ego puto vel præcipuam portionem liberalis eruditionis. Nec me pœnitet ejus animi. Utinam quod feci, feciſſem aliquanto felicius. Nunc me non incumbere Poetis, libri mei, ni fallor, satis declarant. Quod si illis metuimus qui nonnihil ex politioribus literis admiscent studiis suis, ne desit ocium curandæ salutis: cur non magis idem metuimus iis, qui bonam ætatis partem, immo totam ætatem in *Aristotelicis* & *Averroicis*, in *Scoticis* labyrinthis, in sophisticis argutiis, in quæstiunculis supervacaneis conterunt? Sed sic est hominum ingenium, suis quisque studiis blanditur, minimum tribuens his, in quibus intelligit sibi nihil laudis esse sperandum. Hunc affectum cæteris facile ignoscimus; an Theologos deceat nescio, qui vel ipso titulo nescio quid divinum profitentur & majus humanis affectibus. Hortaris me ad exemplum divi *Augustini*. Nihil hic dicam cujusmodi sint illius *Retractationes*, certe multa prætermisit quæ non retractavit, quum sint retractatione digna. Et tamen ultro totus in hoc sum, ad quod me hortaris. Nihil deest præter regulam, ad quam mea castigem. Relegas me ad *Gersonem*, *Gratianum*, reliquosque doctores scholasticos, quos ego sane nunquam in totum contemsi. Verum in horum quoque libris non pauci deprehenduntur errores, ut jam maxime inter sese consentiant; quod dissidium quum sit insigne, tamen abs te negligitur, ut leviculum quiddam. Ne dogmata quidem scholastica censeo contemnenda, præsertim quæ in Conciliis approbata sunt. Nam quædam è scholasticis contentionibus in Concilia rejecta sunt: verum, non opinor his tantum esse deferendum, ut non liceat citra contentionem de iisdem disserere, præsertim si incidat occasio. Si de illis nemo disputasset, non fuisset sequuta comprobatio. Quid si exoriatur aliquis, qui circa eadem exploratius aliquid aut exactius adferat? Si modesta est disputatio, cur non videntur ferenda? fortasse discussa re sequetur approbatio. Loquor de his dogmatibus, quæ non ita multum attinent ad negotium fidei. Si recentioribus quædam patefacta sunt dono Spiritus, quæ tam multis seculis fugerant tot Ecclesiæ lumina, hoc est, si *Gerson* aut *Occam* vidit, quod nec *Chrysostomus*, nec *Basilius*, nec *Ambrosius*, nec *Augustinus*, nec *Hieronymus* vidit, quid obstat quo minus & hodie Spiritus idem suggerat huic aut illi quod hactenus fefellit? Cur non hic servatur illa *Pauli* lex, ut si quid cuipiam alteri revelatum fuerit, prior taceat & auscultet? Nunc velut ex insidiis proferuntur scholastica dogmata, non aliter quam *Tenedia* bipennis, nec quisquam dignatur docere simpliciter errantem. Imo quum sæpenumero fiat, ut qui carpitur, licet aliis verbis idem extulerit quod habent dogmata, tamen à quibusdam parum candidis Theologis vocetur in calumniam, quod non iisdem ac totidem vocibus dogma retulerit. Jam sunt quidam usque adeo morosi, ut nihil omnino probare queant, nisi quod ipsi faciunt. *Petrus* de his, quæ didicerat à *Christo*, rationem reddidit cuilibet poscenti, cum omni mansuetudine ac tremore: & Theologus dedignatur rationem reddere de scholasticis dogmatibus, immo nec fert de his quamvis modeste disputantem? Nulla gravior auctoritas quam Scripturæ canonicæ; & tamen de hujus sensu, quum semper disputatum sit, tamen hodie quoque fas est disputare. De hoc vero genere dogmatum non licebit hiscere, quum tamen magni referat, à quibus, quo tempore, qua occasione sint prodita? Sunt enim quædam inter hæc ejus generis, ut, in morem pharmacorum, expediat mutari pro tempore. Si ideo abstinendum est à Veterum lectione, quod in his quædam insperſa sunt, quæ recentiorum accurata discussione reprobata sunt, nec *Petrus Lombardus*, nec *Thomas*, nec *Scotus* deberent legi, quod in his quoque posteriores non pauca deprehenderunt errata. Et fortasse nos sequutura ætas, nonnulla deprehendet in *Tartareti* aut *Sutoris* libris, quæ merito damnet. An hic ad scholasticorum dogmata, velut ad sacram ancoram, confugiemus? Probarem, si sibi constarent ea dogmata, nec cum suis sectis ac seculis variarent. Regnavit aliquando *Alexander Halensis*; succesſit *Thomas*, succesſit *Scotus*; *Albertus* habuit suum seculum, *Gerson* suum; floruit aliquando factio *Realium*, ut vocant; nunc regnat fere *Nominalium*. Dices Veteres legendos quidem, sed cum judicio. Nec ego unquam aliter legi *Hieronymum*: At quid prohibet & vestra dogmata legi cum



Digitized by Google

An. 1525. judicio? Quæ ſi maxime nitantur auctoritate Concilii, ut fas non ſit refellere, certe huc profecerit diſputatio, ut eruditi provocentur ad eorum confirmationem, ſemper excludo pertinacem ac ſeditioſam contentionem. Tyrannicum eſt prodere legem, cujus aut non poſſis, aut nolis reddere rationem, præſertim docili & diſcendi cupido. Quod ſi Theologorum dogmata ſolida ſunt & inconvulſa, quorſum attinet eis tam anxie timere, ut ad omnem ſuſpicionem commoveamur? At vereor, eruditiſſime *Bedda*, nihil enim celabo ſincerum amicum, ne ſint in ſcholis, qui ſerviant laboris ſui compendio, verius quam metuant Eccleſiæ *Chriſti*. Nec enim pauci ſunt Theologi, præſertim ſeniores, qui adeo verſati non ſunt in priſcis doctoribus, ut nec *Petrum Lombardum*, nec Scripturas Canonicas unquam totas evolverint. Et tamen hi potiſſimum in ſcholis præſident: ubi ſi juniores aliquid adferant ex *Auguſtino*, *Hieronymo*, aut *Cypriano*, aut etiam ex *Græcis* Interpretibus, commoventur, quod ſibi videantur non ſine periculo famæ vocari in alienam arenam, in qua tyrones habeantur, quum in ſua ſint exercitatiſſimi. Malunt itaque damnare quod non didicerunt, quam videri hactenus neſciſſe quicquam quod dignum cognitu fuerat. Quoſdam autem non ſolum pudet, verum etiam piget hæc diſcere, quæ noſtra ætas non dicam gignit nova, ſed refert vetera, quæ eſt rerum humanarum omnium viciſſitudo. Porro qui hoc animo ſunt, iis optimo jure gratiſſimum eſt hoc compendium, ut exploſis linguis, exploſis bonis literis, neglectis priſcis Scriptoribus, tantum ea tradantur in ſcholis quæ ipſi didicerunt, ac docuerunt annis jam compluribus, nec aliunde fiat in ſcholis conflictatio, quam ex receptis in ea ſchola dogmatibus. Ac mea ſententia nihil neceſſe eſt idem fieri in ſcholis publicis, quod fit in luſu latrunculorum, chartarum, aut aleæ: nam illic niſi conveniat de legibus, non erit luſus. In Diatribis literariis nihil eſt periculi ſi quis quid novi adferat quod non ſit indignum ſtudiis. Imo in hoc inſtitutæ ſunt ſcholæ, ut ſemper aliquid compertius adferatur. Cæterum ut à junioribus non debet contemni ſeniorum auctoritas, nec oportet illos veluti ſexagenarios de ponte dejicere: ita non decet ſeniores juniorum invidere profectui, non profecto magis quam parentes moleſte ferre, ſi viderint ſuos filios forma & viribus antecellere. Sed ad noſtrum negotium redeamus: Si non eſt fidendum priſcis orthodoxis, nec medioximis, nec his qui nunc ſcribunt, ad quam regulam emendabimus quod ſcriptum eſt? Primum jubes ut deſinam ſcribere: id quidem ſi nolim, ætas ac valetudo flagitat; nec abhorret animus ab ocio. Malim eſſe ſpectator actionis alienæ, quam actor fabulæ. Et tamen interim appellor multorum flagitationibus, ut pergam in hoc ſtadio. Verum hic mihi canis Propheticam cantionem, *Populo meus, qui te beatificant, hi te ſeducunt*, hoc enim habet tua epiſtola. Si populares eſſent qui me ad ſcribendum provocant, & pro libris editis gratias agunt, etiamſi forent, ut ſunt, plurimi, tamen æquum eſſet paucorum judicium anteferre. Nunc non modo multi ſunt, verum etiam eruditi, probi, ac dignitate præminentes. Eruditorum epiſtolis habeo differta ſcrinia. *Paraphraſin* in *Matthæum* ſcripſi præter animi propoſitum hortatu Cardinalis *Sedunenſis*. Scripſit ad me non ſemel Cardinalis *Volaterranus*, excitans ſtudia mea, homo doctus. Scripſit frequenter Cardinalis *Eboracenſis*, eandem cantilenam canens. Scribit frequenter *Joannes* Epiſcopus *Lincolnienſis*, & *Cutbertus* Epiſcopus *Londonienſis*, homo, præter ſummam vitæ ſanctimoniam, egregie doctus & cordatus. Nihil interim loquor de ſummo illo *Mæcenate* meo, Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, nec eo vulgariter erudito. Nuper allatæ ſunt literæ à Rege *Angliæ*, quæ efflagitant impenſe ut aliquid ſcribam in *Pſalmos*; alteræ à Regina, quæ poſcit *Inſtitutionem Matrimonii*. Nec infrequenter ad me ſcribit Cardinalis *Campegius* nunc Legatus, longe aliam cantionem occinens quam tu. Nec ſemel huc provocatus ſum literis Pontificis, hujus, inquam, *Clementis*. Sed deſinam recenſere Principes, quum poſſim multo plures referre: verum haud ſcio an omnes cupiant in hac fabula nominari, & nihil neceſſe eſt. Tu ſcio flagitabis Theologos, alioqui non deſines occinere, *Populo meus*, & cætera. Poſſem hic nominare complures Baccalaureos, ſed inſigniter doctos: horum judicium rejicies, velut inferioris ſubſellii. Doctores haud libenter commemoro, quod videam quoſdam tam impotenti odio, ut nec illos ferant, qui melius de me ſentiant quam ipſi. Et tamen aliquot jam non admodum volens nominavi: *Joannes* Epiſcopus *Roſſenſis* jam pridem à me flagitat libros *De ratione concionandi*, minitans, obteſtans, ac propemodum cogens. Et in hoc uno tres, ut ita loquar, perſonas habes, virum inſigniter integrum, pium Epiſcopum, ac Theologum haud vulgariter eruditum, ni fallor. Eaſdem perſonas nec tu negabis in *Adriano* Pontifice fuiſſe, niſi quod eruditione ac dignitate præcelluit. Is, ut dixi, ultro adhortatus eſt Cardinalis, ut quod in Novo Teſtamento feciſſem, idem facerem in Veteri: & idem Pontifex laborem *Arnobio* impenſum collaudavit, adhortans ad ſimilem induſtriam. Nullus adhuc mortalium exſtitit qui me juberet quieſcere, præter unum te. Nunc finge mihi eſſe ingenium modeſtiſſimum maximeque tractabile: utris auſcultare par eſt, tot egregiis viris atque etiam Theologis, an uni *Beddæ*, cujus ego ſane judicium nequaquam contemno? At non arbitror te tuo ipſius judicio tantum tribuere, ut unicum horum omnium ſuffragiis anteponi poſtules. Et tamen ne hoc quidem gravabor facere, ſi mihi rationibus perſuaſeris tuum conſilium eſſe utilius. Nam contemptis omnium judiciis, unius auctoritati tam facile cedere, levitati citius quam modeſtiæ tribueretur. Hic fortaſſe dices eſſe communicandum viva voce cum Theologis. Id hactenus feci, vir egregie, cum omnibus, quibuſcum licuit. Nec enim exiges, opinor, à me, ut ad *Stunicæ Leiquæ* regulam lucubrationes meas emendem, quas nunquam non ſubmiſi judicio Eccleſiæ. Quis autem ſuſpicaturus erat *Sutorem*, hactenus ignotum orbi, è ſuo antro tales latratus editurum? Gratum eſt quod indicas locos, in quibus videor tibi periculoſe ſcripſiſſe, *De Cleri cœlibatu*, *De votis Monachorum*, *De jejuniis*, *& interdicto eſu carnium*, *De feſtorum obſervantia*, *De conſiliis Euangelicis*, *De Libris ſacris in vulgarem linguam transferendis*, *De legibus humanis*, *De horis Canonicis*, *De fidelium divortio*, *De ſymbolis Eccleſiæ*, denique de horum ſimilibus non paucis. In his quid vos offendat nondum ſcio. Certe quum illa relego, nihil video cujus me pœniteat, etiamſi mox mihi ſit emoriendum, ita me Deus bene amet. Imo torquet diverſus ſcrupulus animum meum, quod in his, quæ neceſſaria judicabam admonere, fuerim meticuloſior quam res poſcebat. Quod ſi candidus & integer noſtra legas, videbis me nuſquam contemnere ſcholaſticorum dogmata in his titulis, quos tua charitas recenſuit. Mundus prorſum indormiebat mandragoræ. Regnabat impune *Phariſaiſmus*. Summa pietas habebatur quæſtus, pro religione regnabat ſuperſtitio. Monachorum improbitas eo proceſſerat, ut orbis diutius ferre non poſſet: nec mediocriter erant prolapſa ſtudia. De Collegiis interim, de Præſulibus, de iis qui Curiæ *Romanæ* nomine celebrantur, nihil dicam, nec tua tamen prudentia neſcit quid ſuſpirem. Iſta fortaſſe poſcebant alium monitorem: Fateor. Sed quorum id maxime intererat, ad tantam Eccleſiæ perniciem conniventes, ne quid offenderent, maluerunt de *Salve Regina*, & *Regina cœli lætare*, ſuſcitare tragœdias. Et tamen in his ipſis mirum eſt ubique me moderationis meminiſſe, quum in aliis nullus eſſet modus impudentiæ. Epiſtolam ad Epiſcopum *Baſilienſem*, in qua tracto quædam ejus generis, *Lodovicus Berus* meo rogatu bis attente perlegit antequam ederetur. Quod mutari juſſit, mutavi. Rogabam ut in cenſendo deponeret amicinens quam tu. Nec ſemel huc provocatus ſum literis Pontificis, hujus, inquam, *Clementis*. Sed deſinam recenſere Principes, quum poſſim multo plures referre: verum haud ſcio an omnes cupiant in hac fabula nominari, & nihil neceſſe eſt. Tu ſcio flagitabis Theologos, alioqui non deſines occinere, *Populo meus*, & cætera. Poſſem hic nominare complures Baccalaureos, ſed inſigniter doctos: horum judicium rejicies, velut inferioris ſubſellii. Doctores haud libenter commemoro, quod videam quoſdam tam impotenti odio, ut nec illos ferant, qui melius de me ſentiant quam ipſi. Et tamen aliquot jam non admodum volens nominavi: *Joannes* Epiſcopus *Roſſenſis* jam pridem à me flagitat libros *De ratione concionandi*, minitans, obteſtans, ac propemodum cogens. Et in hoc uno tres, ut ita loquar, perſonas habes, virum inſigniter integrum, pium Epiſcopum, ac Theologum haud vulgariter eruditum, ni fallor. Eaſdem perſonas nec tu negabis in *Adriano* Pontifice fuiſſe, niſi quod eruditione ac dignitate præcelluit. Is, ut dixi, ultro adhortatus eſt Cardinalis, ut quod in Novo Teſtamento feciſſem, idem facerem in Veteri: & idem Pontifex laborem *Arnobio* impenſum collaudavit, adhortans ad ſimilem induſtriam. Nullus adhuc mortalium exſtitit qui me juberet quieſcere, præter unum te. Nunc finge mihi eſſe ingenium modeſtiſſimum maximeque tractabile: utris auſcultare par eſt, tot egregiis viris atque etiam Theologis, an uni *Beddæ*, cujus ego ſane judicium nequaquam contemno? At non arbitror te tuo ipſius judicio tantum tribuere, ut unicum horum omnium ſuffragiis anteponi poſtules. Et tamen ne hoc quidem gravabor facere, ſi mihi rationibus perſuaſeris tuum conſilium eſſe utilius. Nam contemptis omnium judiciis, unius auctoritati tam facile cedere, levitati citius quam modeſtiæ tribueretur. Hic fortaſſe dices eſſe communicandum viva voce cum Theologis. Id hactenus feci, vir egregie, cum omnibus, quibuſcum licuit. Nec enim exiges, opinor, à me, ut ad *Stunicæ Leiquæ* regulam lucubrationes meas emendem, quas nunquam non ſubmiſi judicio Eccleſiæ. Quis autem ſuſpicaturus erat *Sutorem*, hactenus ignotum orbi, è ſuo antro tales latratus editurum? Gratum eſt quod indicas locos, in quibus videor tibi periculoſe ſcripſiſſe, *De Cleri cœlibatu*, *De votis Monachorum*, *De jejuniis*, *& interdicto eſu carnium*, *De feſtorum obſervantia*, *De conſiliis Euangelicis*, *De Libris ſacris in vulgarem linguam transferendis*, *De legibus humanis*, *De horis Canonicis*, *De fidelium divortio*, *De ſymbolis Eccleſiæ*, denique de horum ſimilibus non paucis. In his quid vos offendat nondum ſcio. Certe quum illa relego, nihil video cujus me pœniteat, etiamſi mox mihi ſit emoriendum, ita me Deus bene amet. Imo torquet diverſus ſcrupulus animum meum, quod in his, quæ neceſſaria judicabam admonere, fuerim meticuloſior quam res poſcebat. Quod ſi candidus & integer noſtra legas, videbis me nuſquam contemnere ſcholaſticorum dogmata in his titulis, quos tua charitas recenſuit. Mundus prorſum indormiebat mandragoræ. Regnabat impune *Phariſaiſmus*. Summa pietas habebatur quæſtus, pro religione regnabat ſuperſtitio. Monachorum improbitas eo proceſſerat, ut orbis diutius ferre non poſſet: nec mediocriter erant prolapſa ſtudia. De Collegiis interim, de Præſulibus, de iis qui Curiæ *Romanæ* nomine celebrantur, nihil dicam, nec tua tamen prudentia neſcit quid ſuſpirem. Iſta fortaſſe poſcebant alium monitorem: Fateor. Sed quorum id maxime intererat, ad tantam Eccleſiæ perniciem conniventes, ne quid offenderent, maluerunt de *Salve Regina*, & *Regina cœli lætare*, ſuſcitare tragœdias. Et tamen in his ipſis mirum eſt ubique me moderationis meminiſſe, quum in aliis nullus eſſet modus impudentiæ. Epiſtolam ad Epiſcopum *Baſilienſem*, in qua tracto quædam ejus generis, *Lodovicus Berus* meo rogatu bis attente perlegit antequam ederetur. Quod mutari juſſit, mutavi. Rogabam ut in cenſendo deponeret amicinens quam tu. Nec ſemel huc provocatus ſum literis Pontificis, hujus, inquam, *Clementis*. Sed deſinam recenſere Principes, quum poſſim multo plures referre: verum haud ſcio an omnes cupiant in hac fabula nominari, & nihil neceſſe eſt. Tu ſcio flagitabis Theologos, alioqui non deſines occinere, *Populo meus*, & cætera. Poſſem hic nominare complures Baccalaureos, ſed inſigniter doctos: horum judicium rejicies, velut inferioris ſubſellii. Doctores haud libenter commemoro, quod videam quoſdam tam impotenti odio, ut nec illos ferant, qui melius de me ſentiant quam ipſi. Et tamen aliquot jam non admodum volens nominavi: *Joannes* Epiſcopus *Roſſenſis* jam pridem à me flagitat libros *De ratione concionandi*, minitans, obteſtans, ac propemodum cogens. Et in hoc uno tres, ut ita loquar, perſonas habes, virum inſigniter integrum, pium Epiſcopum, ac Theologum haud vulgariter eruditum, ni fallor. Eaſdem perſonas nec tu negabis in *Adriano* Pontifice fuiſſe, niſi quod eruditione ac dignitate præcelluit. Is, ut dixi, ultro adhortatus eſt Cardinalis, ut quod in Novo Teſtamento feciſſem, idem facerem in Veteri: & idem Pontifex laborem *Arnobio* impenſum collaudavit, adhortans ad ſimilem induſtriam. Nullus adhuc mortalium exſtitit qui me juberet quieſcere, præter unum te. Nunc finge mihi eſſe ingenium modeſtiſſimum maximeque tractabile: utris auſcultare par eſt, tot egregiis viris atque etiam Theologis, an uni *Beddæ*, cujus ego ſane judicium nequaquam contemno? At non arbitror te tuo ipſius judicio tantum tribuere, ut unicum horum omnium ſuffragiis anteponi poſtules. Et tamen ne hoc quidem gravabor facere, ſi mihi rationibus perſuaſeris tuum conſilium eſſe utilius. Nam contemptis omnium judiciis, unius auctoritati tam facile cedere, levitati citius quam modeſtiæ tribueretur. Hic fortaſſe dices eſſe communicandum viva voce cum Theologis. Id hactenus feci, vir egregie, cum omnibus, quibuſcum licuit. Nec enim exiges, opinor, à me, ut ad *Stunicæ Leiquæ* regulam lucubrationes meas emendem, quas nunquam non ſubmiſi judicio Eccleſiæ. Quis autem ſuſpicaturus erat *Sutorem*, hactenus ignotum orbi, è ſuo antro tales latratus editurum? Gratum eſt quod indicas locos, in quibus videor tibi periculoſe ſcripſiſſe, *De Cleri cœlibatu*, *De votis Monachorum*, *De jejuniis*, *& interdicto eſu carnium*, *De feſtorum obſervantia*, *De conſiliis Euangelicis*, *De Libris ſacris in vulgarem linguam transferendis*, *De legibus humanis*, *De horis Canonicis*, *De fidelium divortio*, *De ſymbolis Eccleſiæ*, denique de horum ſimilibus non paucis. In his quid vos offendat nondum ſcio. Certe quum illa relego, nihil video cujus me pœniteat, etiamſi mox mihi ſit emoriendum, ita me Deus bene amet. Imo torquet diverſus ſcrupulus animum meum, quod in his, quæ neceſſaria judicabam admonere, fuerim meticuloſior quam res poſcebat. Quod ſi candidus & integer noſtra legas, videbis me nuſquam contemnere ſcholaſticorum dogmata in his titulis, quos tua charitas recenſuit. Mundus prorſum indormiebat mandragoræ. Regnabat impune *Phariſaiſmus*. Summa pietas habebatur quæſtus, pro religione regnabat ſuperſtitio. Monachorum improbitas eo proceſſerat, ut orbis diutius ferre non poſſet: nec mediocriter erant prolapſa ſtudia. De Collegiis interim, de Præſulibus, de iis qui Curiæ *Romanæ* nomine celebrantur, nihil dicam, nec tua tamen prudentia neſcit quid ſuſpirem. Iſta fortaſſe poſcebant alium monitorem: Fateor. Sed quorum id maxime intererat, ad tantam Eccleſiæ perniciem conniventes, ne quid offenderent, maluerunt de *Salve Regina*, & *Regina cœli lætare*, ſuſcitare tragœdias. Et tamen in his ipſis mirum eſt ubique me moderationis meminiſſe, quum in aliis nullus eſſet modus impudentiæ. Epiſtolam ad Epiſcopum *Baſilienſem*, in qua tracto quædam ejus generis, *Lodovicus Berus* meo rogatu bis attente perlegit antequam ederetur. Quod mutari juſſit, mutavi. Rogabam ut in cenſendo deponeret amimi-

Digitized by Google

An. 1525. micum, sumeret censoris animum. Promisit se facturum. Episcopus est vir integerrimæ vitæ, nec vulgariter doctus. Ejus jussu excusa est Epistola: nam alioqui mihi non erat in animo id facere. Scripseram enim non in hoc ut ab omnibus legeretur, sed ut temperarem motus quosdam, qui tum hic exoriebantur ab istis Euangelicis, ut vocant. De jurando quid *Faber* aut *Lutherus* scripserit non observavi, nec satis habeo compertum quid damnarit *Constantiense* Concilium, ego differens nihil asseveró: certe peccare quisquis jurat, id à me nec scriptum est, nec cogitatum: hoc scripsi, ubi necessitas est jurisjurandi, ibi esse infirmitatem humanam, quod ipse, ni fallor, non negas. Si dignatus es legere *Stunicæ* blasphemias, ne graveris legere nostras *Apologias*. Exstat de cœlibatu apologia. Mihi non constabat Ecclesiæ decreto vetitum, ne sacri Libri vertantur in linguam vulgarem. Quod si verum est, hactenus ubique peccatum est adversus hoc decretum. Etenim me puero legebantur Libri sacri, versi *Gallice* ac *Germanice*. Et arbitror hujusmodi constitutiones veluti pharmacum ad temporum rationem accommodandas. Edixit Pontifex ne quis legat libros *Lutheri:* & tamen leguntur à vobis. Quanquam ego nihil sacrorum verti in linguam vulgatam, neque quenquam hortatus sum ut faceret. Cæterum qua moderatione velim id fieri, satis declaro in appendice, quam præfixi *Paraphrasi in Matthæum*. Nam quod existimas hunc rusticorum tumultum ex hujusmodi libris esse natum, res, mi *Bedda*, longe secus habet. Natus est partim ex seditiosis quibusdam concionatoribus, sed multo magis ex quibusdam susurronibus ad movendos tumultus natis. Sunt & aliæ causæ graviores, quas literis committere non expedit. De *Cantico Canticorum* vertendo, aut *Ezechiele*, miror cur memineris, quum ipse, quod quidem memini, nihil tale scripserim. Vereris autem ne mihi officiat *Berquini* studium. At quum ille me inscio verterit mea, non arbitror æquum, ut apud vos, quos oportet in judicando summam præstare moderationem, obsit mihi alterius odium. Quid autem opus erat ex aliena versione æstimare mea, quum ipsi libelli unde verterat exstarent? Potuit enim fieri ut interpres aliquid addiderit de suo, quo me pertraheret in causæ consortium. Utinam quemadmodum vertit *Encomium Matrimonii*, vertisset & diversam partem à nobis editam, quæ dissuadet matrimonium. *In Precatione Dominica*, & *in Symbolo fidei*, non arbitror ullum esse verbum, quo merito quis offendatur. Et quemadmodum libuit illi vertere *Enchiridion militis Christiani*, utinam ita visum fuisset vertere *Diatribam* nostram *de libero arbitrio*, ac libellum *de modo orandi Deum*. *Enchiridion* primum editum est *Lovanii* ante annos viginti duos. Florebat id temporis illic *Adrianus*, ejus Academiæ princeps: legit eum librum ac probavit. Neque quisquam exortus est, qui quicquam reprehenderet in eo libro, nisi quod nuper apud *Hispanos*, quum quidam *Hispanice* versum cuperent excudere, obstitit nescio quis Dominicanus, proferens duo loca, alterum in quo viderer negare ignem Purgatorii, alterum in quo scripsissem Monachismum non esse pietatem. Ad utrunque elegantissime respondit *Lodovicus Coronellus*. Responsio est apud me. *De præfatione ad Voltzium Abbatem*, audio quosdam nonnihil fuisse questos. Quum igitur *Encomium Matrimonii* nihil aliud sit quam declamatio, quæstionem tractans circumstantiis implicitam, quum in cæteris mea sententia ne verbum quidem sit, quod quenquam possit offendere, demiror quænam sint ista, ad quæ gravissimus, ut scribis, vester consessus sic obstupuerit? Ais enim, *Obstupuere omnes*. Videtis, opinor, inter *Fabrum* & me plurimum esse discriminis. Ille fortiter asseverat, ego nihil aliud quam disputo, judicium aliis ubique deferens. Quid faciam omnibus hominum suspicionibus? Tot sunt myriades articulorum damnatorum, tot dogmatum scholasticorum agmina, tot scandala, tot affinitates, tot suspiciones, tot mortalium sectæ, tot favores, tot odia, tot insana capita, ut impossibile sit omnibus placere. Hactenus animum sincerum præstiti. Hoc fatereris ipse si hic adesses. Si tam essem inanis gloriæ cupidus quam suspicantur quidam, imo nisi toto pectore odissem factiones & hæreses, poteram vel tot blanditiis allici, vel tot technis irretiri, vel tot minis ac furiosis libellis *Luthero* faventium perpelli, vel tot diversæ factionis odiis, calumniis, obtrectationibus, ac non minus furiosis libellis protrudi in castra *Lutheranorum*. Quibus si me adjunxissem, res nunc essent in eo statu, ut Theologorum censuræ non essent habituræ multum ponderis. Scio dices hoc magnificentius à me dictum. Possim aliquid dicere magnificentius, & tamen verissime. Nec me pœnitet hujus animi: & spero Deum auxilio futurum, ut sit perpetuus. Si vos putatis hunc animum dignum, quem iniquis cavillationibus insectetur *Sutor* & hujus similes, incessant, ipsi videritis. Rem facietis ut multis eruditis viris, multis Episcopis atque etiam Principibus, & summo Pontifici vehementer ingratam, ita *Lutheranæ* factioni gratissimam, quam vero commodam ordini vestro, declarabit exitus. Si maletis meminisse quid deceat Theologos universos, quam quid flagitet paucorum morositas, polliceor *Erasmum* talem, in quo nihil hominis *Christiani* & pacifici queat desiderari. Loca, quæ tua charitas indicavit relegenda, nondum relegi, mox tamen id faciam. Et si dabitur spatium, huic epistolæ subnectam quid ex his profecerim. Si quid mittes scriptorum, ne mittas, nisi per hominem egregie certum: nam in itinere resignantur atque etiam describuntur omnia. Epistola tua nullum habebat ceræ vestigium, aut signaculi. Et amanuenses qui describunt, evulgant exemplar. Hoc tibi cavendum erit, quandoquidem hæc res inter nos agitur sincera charitate. Si non contingit certus, ipse potius mittam meo sumptu, qui tuas annotationes huc adferat. Imo si se verterit horum temporum scena, ipse me conferam ad vos. Nam nulla res mihi magis cordi est, quam ut meæ *lucubrationes*, quandoquidem premi non possunt, sic elimentur, ut cum fructu *Christianæ* religionis legi possint. Nulla monendi libertate me poteris offendere. Tantum illud cavendum, ne quid per discipulos & fautores tuos, ut est hominum ingenium, hinc nascatur tragœdiæ, priusquam uterque nostrum velit. Nec integritatem, nec modestiam unquam in me desiderabis. *Sutores* non feram. Bene vale, frater in *Christo* charissime. *Basilea*, Festo Corporis Dominici, sive 15. Junii, Anno 1525.

Saluta, si commodum est, *Gervasium*. *Berus* recte valet, si quisquam nostrum recte valet in hoc rerum statu.

## EPISTOLA DCCXLVII.

*Erasmus Roterodamus Maximiliano Transsylvano* S. D.

NVPER respondi binis literis tuis, vir humanissime, sed eodem argumento & ab eodem simul redditis. Istum tuum in me animum dici vix possit, quantopere exosculer, quamque mihi videar beatus amici tam candidi accessione. Negas te passurum ut amore vincaris. At ego si nulla spes erit victoriæ, saltem illud efficiam, ne videaris vicisse non contra certantem. Verum hæc alias. Quod scribis de me actum in consilio te casu præsente, suspicor esse vetus. Nam illustrissimæ Dominæ literas pridem accepi, quæ continebant quod ais tum ibi decretum. Scripserat ad amitam suam Cæsar ex *Hispaniis*, ut mihi pensio extra ordinem numeraretur. Id consilii dederat *Ruffaltus* Cæsaris à thesauris, declarans se paratum numerare pecuniam, si D. *Margareta* juberet. Ad Calend. Septemb. debebuntur octingenti floreni aurei, hoc est pro quatuor annis. Lenta solutio nescio quid mihi profectura sit, nisi forte in campis *Elysiis* opus erit pecunia. Nam corpusculum hoc toties pulsatum ariete calculi, quotidie magis ac magis attenuatur & exaresçit. Itaque brevi futurum arbitror, ut quum abjecero σῶ-



Digitized by Google

An. 1525. φαῤ fiam nova cicada. Quo minus iſthuc advolarim, nihil aliud obſtitit, quam hypocauſta nondum refrigerata, & eſus piſcium; nam eundum erat Quadrageſimæ tempore: & ad piſcium vel odorem periclitor. Habeo diploma Pontificis, verum in diverſoriis malim vitare offendiculum. Poſt Paſcha hoc ipſum agente me, ſubito exortus eſt hic fatalis tumultus agricolarum, qui facit ut hic hæreamus, neſcio quam tuto, inter *Scyllam* & *Charybdim*, ut ajunt. Magiſtratus hujus urbis in hoc negotio prudentiſſime ſe geſſit, præcipue Conſul mihi proxime vicinus. Non fuiſſem tutus à periculo quorundam *Lutheranorum*, ni gratioſus eſſem pleriſque in magiſtratu, nec ingratus Epiſcopo. Erit *Baſileæ* conventus aliquot Principum & agricolarum, illic agetur, ſi moderatis rationibus hic cruentus tumultus queat componi. In tam incerto rerum omnium ſtatu nihil certi poſſum ſtatuere. Per *Livinum* quondam famulum meum miſeram faſciculum epiſtolarum, quas Cardinales, Reges, ac Principes, ad me dederant. Exiſtimabat enim *Cranenveldius* eam rem fore præſidio adverſus ſycophantas: has agricolæ, in quos incidit famulus, eripuerunt. Per *Gallias* diſpendioſum eſſet iter, ac totum equeſtre, quum ego jam deſierim eques eſſe, quum hactenus equitatio mihi ſemper remedio fuerit, adverſus omne morborum genus. De Præſulis Omniportuenſis in me ſtudio nihil addubito, verum utinam tam beneficus eſſet quam eſt χρηſτολόγος. Nec de *Leontini* animo multum addubito, niſi quod ſcio illum in Concilio *Wormacienſi* dixiſſe quædam in me palam inimica. Conjectas facile quorum inſtinctu hoc fecerit. Et hi habent apud eum ſibi proxima neceſſitudine conjunctos. Deinde Theologus quidam, qui *Lovanii* rerum potitur, *Dorpio* præſente, quædam effudit, quibus declarabat *Leontinum* parum amanter de me ſentire. Quanquam is dicitur hujuſmodi moribus, ut norit quædam interdum pro tempore comminiſci. Cum Comite ab *Hochſtraten* mihi non multum fuit conſuetudinis. Et videtur ſane vir humanus ac moderatus, tamen hujus quoque voces quædam ad me perlatæ ſunt parum honorificæ. Verum, ſcio non eſſe quibuſlibet delationibus credendum. De ſuperioribus illis compertum habeo. Neque me præterit hominum animos in horas mutari, nec diffiderem aulæ præſidiis, ſi per hanc valetudinem & ætatem poſſem ulla in re eſſe uſui rebus aulicis. Nunc adeo vitreum eſt hoc corpuſculum, ut quamvis levi de cauſa periclitetur, brevi, ni fallor, collapſurum. Abſque pecunia non vivitur, ſed tamen magis me commovet Theologorum quorundam ac Monachorum improbitas, quam ratio pecuniaria. Scribis hos facile compeſci poſſe. Atqui hoc non potuit Pontifex *Adrianus*, qui diplomate miſſo ſilentium indixit *Carmelitæ*. Siluit ægre, ſed à morte *Adriani* abunde penſavit hoc ſilentium, & in dies vociferatur inſanius. Nuper *Vincentius Dominicaſter* Theologus, per quendam ex *Anglia* profugum *Antuerpiæ* excudit libellum *Taxandri* titulo, indoctum, inſulſum, mendacem, impudentem, inſanum, ut à nullo talis ſcribi potuerit, præterquam ab illo *Coræbo*. Conatus eſt ante annos aliquot edere, ſed vetitus eſt à Vicario ſuo. Nullus eſt *Lovanii* doctus, quin ſciat illius eſſe partum. Hæc quum homines ſtolidiſſimi audeant iſthic impune, quæ mihi præſidia promittis ab aula? Illuſtriſſimus Princeps *Ferdinandus* ſcripſit amitæ ſuæ, ut curaret mihi ſolvendam penſionem, deinde ut *Carmelitæ* ſimilibuſque rabulis imponeret ſilentium. Et ſcripſerat ſatis accurate. Epiſtola reddita eſt Archiepiſcopo *Panormitano*. An ea per illum aliquo bono conſilio ſuppreſſa ſit neſcio. Periit *Martinus Dorpius*, qui ſolus ingenue favebat rectioribus ſtudiis, nec perinde atque cæteri deteſtabatur quicquid ullo pacto *Lutheri* dogmatibus eſt affine, ea res effecit, ut illius favor non multum adferret momenti, nec ita multum tribuebat pſeudomonachis. Emiſit & *Latomus* tres libellos ſtrophis obliquis in me ludens, quos guſtavi duntaxat. Facile divino quorſum hæc tendunt. *Lutetiæ* excuſum eſt opus cujuſdam *Petri Sutoris*, Theologi *Sorbonici*, & Monachi *Cartuſiani*, quo nihil adhuc legi dementius. Pontifices *Romæ* impoſuerunt ſilentium *Stunicæ*. Et iſti ſuſcitant nobis tales tragœdias contemptis omnibus. Optarim omnes Monachos eſſe tales, ut promererentur omnium bonorum favorem. Nunc ob quoſdam intolerabiles plerique veniunt in publicum odium, etiam boni. Hic paſſim diripiuntur & incenduntur monaſteria, diſſipantur Monachi, ſacræ virgines conſtuprantur, nullum diſcrimen eſt bonorum ac malorum. Civitates, quæ moderatiores ſunt, acceperunt monaſteria in ſuam fidem, his legibus, ut obtemperent magiſtratui, ne quem alant, niſi inibi profeſſum, ne novitios recipiant inſcio magiſtratu, ne quem detineant, qui reddita ratione velit exire, ne detineant quod illi, qui diſcedunt, intulerunt, ne ſe miſceant parochiis, aut monaſteriis virginum. Errones, qui per omnes terras vagari ſolent cum fictis Priorum ſyngraphis, excluduntur ab ingreſſu civitatis. Hæc an pia ſint non pronuncio: certe mitiora ſunt, quam quod patiuntur reliqua monaſteria. Et habemus hic hoc hominum genus mitiſſimum, niſi quod adhuc muſſant, & exſpectant *Eſdram* aliquem. Verum hæc alias, aut fortaſſe coram, ſi Deus voluerit. *Guido Morillonus* jam ſemel atque iterum ita ſcribit ex *Hiſpania*, quaſi mox repetiturus *Brabantiam*. Scire cupio an redierit. A *Cranenveldio* nihil allatum eſt literarum. Hinc non movebo pedem, niſi receptis amicorum literis, cui rei conducetur, ſi res ita poſtulet, proprius nuncius. Vellem tibi nonnihil eſſe neceſſitudinis cum *Moro*, cujus mores diſces ex *Cranenveldio*. Jam illi de te ſcripſi nonnihil. Seculum hoc habet rariſſimos amicos candidos. Hoc arctioribus vinculis adſtringenda eſt bonorum amicitia. Bene vale, *Maximiliane* chariſſime, cum tuis omnibus. Saluta mihi Principem *Haloinum*, ac reliquos amicos. Datum *Baſileæ* 2. Julii, Anno 1525.

An. 1525.

## EPISTOLA DCCXLVIII.

*Eraſmus Roterodamus Hadriano Barlando* S. D.

DORPIVM ſtudiis ereptum acerbiſſime ferrem, ſi noſtro dolore poſſit huc revocari. Nunc nos ad illum properamus, ille ad nos redibit nunquam. Mortuus eſt omnibus rebus bonis florens, & optimum putant eſſe tum mori quum dulciſſimum eſt vivere. Erat futurus magnus ſi vixiſſet; verum, nunc felicius magnus eſt apud *Chriſtum*, uti ſpero. Solus propemodum erat æquus politioribus literis, quas quidam miro ſtudio conantur opprimere, mea ſententia non ſatis recte conſulentes ſuis etiam ſtudiis, quæ ſola florere cupiunt. Siquidem, ut res ipſa docebit illos, obrutis manſuetioribus literis, etiam illa collabentur, quibus ſedulo magis, quam prudenter proſpiciunt. Res felicius ſuccederet, ſi veterum ſtudiorum proceres bonas literas, veluti poſtliminio ſeſe recipientes in priſtinum locum, comiter in hoſpitii contubernium reciperent: adferrent hoſpites aliquid bonæ rei, quid ab hoſtibus futurum ſit neſcio: ac viciſſim bonæ literæ ſeſe civiliter in contubernium diſciplinarum, quæ jam occuparunt ſcholas, inſinuarent. Nunc quorundam improbitas facit, ut utriſque ſuus pereat fructus. Per univerſam *Germaniam* ſimul cum bonis literis omnia fere ſtudia collapſa ſunt. Nulla Theologorum auctoritas. Monachi & ſacerdotes publico laborant odio. Faciunt enim mali, ut bonis etiam ſit male. Video res humanas ad *Turcicam* quandam barbariem tendere. Et fortaſſe ſunt Principes, quibus hic ſtatus non diſpliceret. Agitur hic per ruſticos cruenta fabula, quæ ſit futura cataſtrophe neſcio. Hanc epiſtolam extorſit *Adrianus* à *Rivo*, tui ſtudioſus. Ex eo cognoſces *Germaniæ* res omnes. Bene vale, *Barlande* chariſſime. Saluta *Joannem Borſalum*, ſi adeſt. *Baſileæ* 2. Julii, Anno 1525.

EPI-

Digitized by Google

## EPISTOLA DCCXLIX.

*Jacobo Sadoleto, Episcopo Carpentoratensi, Erasmus Rot.* S. D.

An. 1525. COMMENTARIVM tuum *in Psalmum quinquagesimum* nondum perlegi, sed tantum carptim degustavi, nec enim hactenus plus licuit per occupationes. Mox totum avidissime devorabo. Primo statim gustu mire me cepit candor ac facilitas simplicitasque dictionis, cum summa pietate conjuncta. Nihil abs te prætermissum, quod ad eruendos explanandosque Prophetæ sensus pertinet, qui *Græcos* etiam nonnunquam consulis, interim & *Hebræos*. Si tales libellos nobis subinde mittat *Roma*, confido futurum, ut plerique mortales aliquanto melius sentiant de vestra urbe, in qua perspiciant esse viros, qui libros arcanos non eloquenter solum, verum etiam sancte pieque tractare norint. Etenim qui isthic bonas literas profitentur, quanquam in suo genere studiorum excellunt, tamen in hunc usque diem ad rei Theologicæ cognitionem haud ita multum contulerunt. Gestio libellum hic typographis excudendum committere, quo latius per orbem sparsus plures accendat ad studium pietatis: sed scrupulum injicit libello annexa excommunicatio, quam arbitror tamen nihil aliud sentire, quam ut isthic *Calvus* à damno vindicetur. Alioqui quum officina *Calvi* non possit omnibus mundi regionibus suppeditare, videtur hoc non sine gravi studiorum jactura futurum, si liber, magnam utilitatem allaturus, sit ab uno duntaxat *Romano* typographo petendus. Arbitror *Carolum* meum re feliciter gesta sese ad reditum accingere. Hic agitur misera cruentaque fabula, cujus utinam Dominus det felicem catastrophen. Nos subita tempestate deprehensi inter sacrum & saxum, ut ajunt, hæremus, non sine gravi discrimine. Utinam nunc liceret è *Tybri* bibere. Scurræ quidam Monachi non desinunt in me libellis rabiosis debacchari, quidam etiam anonymis. De pensione Cæsaris nulla spes est, ni redeam in *Brabantiam*. Atqui hic ventus neque navigare sinit, neque ancoram figere. Mihi bona spes in *Clementis* pietate. Bene valeat tua R. D. *Basilea* 2. Julii, Anno 1525.

## EPISTOLA DCCL.

Cœlius Calcagninus doctiss. viro Erasmo Roterodamo *S. D.*

QVOM *ad* Pistophilum *scriberem de* libero arbitrio, *nihil minus cogitabam, quam ut Commentarius ille in lucem unquam prodiret: aut certe in manus tuas perveniret. Hoc enim unum tum mihi propositum fuit, grati animi testimonium dare homini de me bene merito, qui tuam* De libero arbitrio Diatriben *protinus ad me dedisset, quom eam beneficio* Floriani Montini* *viri ornatissimi ex* Germania *accepisset. Noverat enim me, tum omnium tuarum lucubrationum esse studiosissimum, tum maxime hoc genere delectari, quod ad reprimendam retundendamque insolentiam* Lutheranam *pertinebat. Quod quom multi hactenus oscitanter & quasi aliud agentes tentaverint, in eam audaciam hominem, alioqui ad turbas natum, perduxerunt, ut solus sibi sapere videatur: rejectisque in ordinem omnibus antiquis & pridem receptis Scriptoribus solus in sacras Literas censuram exerceat: damnatasque olim opiniones, & veterum Patrum decretis explosas hæreses in lucem promoveat, pertinaciter defendat, animis inculcet, ut profecto satius fuerit hanc anagyrin non attingere, quam attactu irritare. Certe* Hercules *quom in* Hydram *certamen suscepisset, non prius sibi cessandum existimavit, quam eam ferro ac flamma prorsus confecisset: ego quoque illud semper judicavi opportunum, aut* Lutherum *prorsus negligi, aut prorsus convinci oportere: nihil enim medium videbam. Comparaverat ille sibi ab initio multum existimationis, quod intrepide ac perfricta fronte mores nostra*

* *Motini* perperam editum Epist. DCCXLIV.

*ætatis perstrinxisset, quod purpuratos Patres, quod summi Antistitis majestatem fœdissime sugillasset, & quasi pudenda patris, impiorum liberorum more, retexisset. Ea res aures exspectationemque plurimorum excitarat, quasi amore virtutis ac veritatis & nimio juvandi mortales studio vir ingenuus prolaberetur: præsertim quom suis adhuc moribus modestiam prætenderet: tantum enim abest, ut sua illa placita, qua tum pariebat, quom alia multo immaniora, majoribusque monstris implicita parturiret, pertinaciter defenderet, ut ea potius meliorum judicio ac sacrosancta piorum Ecclesiæ subjiceret. Dicam tibi, vir optime: Imposuerat mihi pene vir ille, ut postea cognitum est, fucatus ac versipellis; animumque ita induxeram, bonum virum* Lutherum *esse, & qui facilius falli posset quam fallere; sed in taxandis moribus, ut ego quidem fateor, vix jam ferendis, nimis incitatum, nimis ardentem. Dabam & hoc hominis ingenio,* Christiani *nominis & nostræ pietatis immodice studioso, quem æstrum religionis & zelus Dominici cultus ita arroderet, ut Euangelici & Apostolici præcepti oblitus aliquanto plus stomacho daret quam expediret. At postquam prodigiosam illam scenam aperuit, & veterem tragœdiam* Joannis Hus, *sentinamque illam omnem* Boemicæ *pravitatis evomuit, & obsoletam in lucem fabulam revocavit, Di boni, quam diversa facies priori illa apparuit? Nam pro modestia quantum ex homine pervicacia? pro religione quantum ambitionis? pro simplicitate quantum persuasionis erupit? Imprimis, quasi à* Vesta *convellere pietatem exorsus, vim afferre Euangelio & enarratoribus omnibus fidem detrahere conatus est, ut uni sibi locus relinqueretur. Sacramentis ita auctoritatem ademit, ut vix uni aut alteri dignitatem servaverit; ordines sacerdotii omnes pares esse voluit, ut non esset ad quem provocaretur à* Martini *dictatura; defunctorum memoriam inanem & meras nugas; voluntatem mortalium necessitate obstrictam, & alia id genus innumera, quorum vel memoriam animus reformidat. Scio tamen* Lutherum *hæc commentitiis confictisque rationibus ex sacris Literis confirmare solere: quas* Zenonis *more* Achilles *putat, quod nemini sane mirum videri oportet. Neque enim defuerunt unquam antiquis hæreticis splenia, quibus ulcera sua prætegerent. Quid, quod certi homines, & ii quidem ἀξιόπιστοι, mihi retulerunt,* Lutherum *ea non semel stropha usum esse, ad aucupandam nominis gloriam, subornasse scilicet ac summisisse sibi adversarios, dicam an prævaricatores? qui deinde congressi, ingenii fasces summitterent, & se vi rationum expugnatos profiterentur, nec inviti in* Lutheri *dogma concederent. Hæc est videlicet illa* Alexandri Pseudomantis *jactatio: qui adversarios suos, quibuscum semel caput contulisset, gloriabatur à se, quantumvis ferocientes, pacatos melioresque dimittere. Scio fore qui dicant, facile esse in* Lutherum *verbis invehi & convitiis debacchari, eumque nunc seditiosum, nunc barbarum, nunc monstrum appellare, aliisque fœdissimis titulis dehonestare: sed non facile esse rationibus & argumentis hominem expugnare: id quod ego longe secus existimo: nam ἀπλᾶς τὸ ἀληθείας λέγω, τὸ ῾Ομήρου πολύμορφον. Nam ut sit* Proteus, *ut se vertat in omnia rerum miracula, hoc mihi sat est, certum & exploratum habere, hunc esse* Proteum, *& ita elabi, ut non facile nodo teneatur. Fac* Chrysippum *suos in me soritas coacervare, quos ego distinguere & dissipare non possim: Fac etiam, si lubet, aliquem sophistarum mihi tria capita, aut certe cornua affigentem: An iccirco me vel* Geryonem *vel* Cippum *putabo? certe* Diogenes, *quom eum quidam non esse hominem argumento collegisset, nec teneret, quomodo paralogismum dilueret,* A me, *inquit,* incipe. *Proinde si magnus ille argutator* Lutherus *pulverem mihi ob oculos conjecerit, vel meras prastigias fecerit, nihil est, quod eum propterea majorem melioremve putem. Quom forte quidam* Callipidem *admiraretur, ejusque artem extolleret apud* Agesilaum, Quidni, *inquit,* ego noverim *Callipidem* dicelictam? *Sic histriones appellabant Lacones. Sane non pluris fuerit apud me* Lutherus, *vel sophi-*

Digitized by Google

Au. 1525. phista, vel præstigiator. Cur enim non hac nomenclatura exornem eum, qui per fucum damnata & obsoleta olim dogmata instaurare nititur: recepta autem, & tot seculis, totque magnis assertoribus comprobata, & quasi per manus tradita, convellit? An non hoc abunde Lutherum impostorem ostendit, qui Nazianzeno, Nysseno, Damasceno, Basilio, Chrysostomo, Hieronymo, Gregorio, Augustino depulsis, se unum enarratorem Euangelii ostentet, sibique haberi uni fidem velit, ceu vero ejus lampas illorum omnium lumina præstringat. Quorum quisque quo propior fuit florenti Ecclesiæ, hoc amplius hausit ex fonte cœlestis Spiritus, sine quo nemo potest ad veritatem adspirare. Fac enim hinc stare tot tamque excellentes sanctæ pietatis proceres. Ajant illi, neget Lutherus, obsecro, quis tam cornea & prædura fronte est, qui Luthero credendum, illis fidem abrogandam censeat? Atqui aliquis dixerit, eadem sentit cum illis Lutherus, aliter potius tradunt quam aliud. At at hoc ipsum est, quod mihi scrupum facit, quod me dubium habet, quod mihi suspectum Lutherum reddit, ut non aliter, sed aliud plane dicere videatur, qui has umbras mihi objicit, qui sua hæc commenta verborum involucris contorquet, ut de eo Euripidis illud inverti possit, ἃ μὲν ζωῆκα, ἀνόσια, οἶμαι δ', ἡ ἃ μὴ ζωῆκα. Scitum est illud vetus, ἀμαθέστερον πῶς εἶπε, ἢ ζαφέστερον. Et illud Apostoli nos satis monere potuit, ut ab hoc hominum genere caveamus: Si Angelus, inquit, è cœlo aliud vobis euangelizaverit, quam accepistis, anathema esto. Ceu mihi parum constet, non aliter Synodo Ariminensi ab Arianis belle olim illusum fuisse hoc verborum prætextu, quom nefarii illi vocarent in disquisitionem, an Christus foret Patri ὁμοούσιος, rogantes bonos, sed parum cautos Patres, Christo ne an homousio fidem habendam putarent. At illi ignota voce circumscripti ὁμοούσιον palam detestabantur, Christum autem Deum profitebantur: qua res in causa fuit, ut acta in Synodo Ariminensi majore deinde & cautiore Patrum conventu rescinderentur. Proditum est memoria ex Arianis quendam fuisse invictum alioqui certatorem apud omnes, qui vel rationibus humanis, vel arte syllogistica niterentur: facile autem cessisse, si quando sibi res fuit cum eo, qui parum doctrinæ, multum autem fidei haberet, qui nihil in se, in Domino autem multum fiduciæ locasset. Hac ego ratione tam facile puto Lutheri argutationes & σοφίσματα subverti posse, ut & ipse se ultro victum fateatur, & tantum turbarum, quantum excitatum est ad hanc diem, momento resideat. Quod si tanta illa hominis temeritas per suos gradus processerit, & decretoriis periodis assurrexerit, non dubito, quin posthac Euangelii libros sit abjuraturus, quasi rem ab indoctis exscriptam, & à simplicibus receptam. Quin & Christum ipsum adserturus sit more Maomethico, non verum hominem, sed simulachrum & spectrum quoddam oculos fallens & sensibus illudens. Nam ut Cicero vere scribit, qui semel verecundiæ fines transiverit, eum bene ac naviter oportet esse impudentem. Et tamen homini tam inauspicatæ doctrinæ, si Dis placet, non desunt sectatores atque adeo admiratores in tota præsertim Germania, qui Luthero ferme acclamant, quæ suo Epicuro Lucretius:

—— Deus ille fuit, Deus, optime *Memi*,
Depulit ex animo qui monstra metusque deorum,
Quare religio pedibus subjecta vicissim
Obteritur, nos exæquat victoria cœlo.

Quom vero ex nobilissima illa Provincia clarissima semper ingenia effluxerint, quom proventus veræ religionis maximam inde incrementum acceperit, mirum est profecto, quomodo tam repente ad insanias hominis, neque docti, neque admodum acuti, ut mihi videtur, à constitutis olim & confirmatis Patrum decretis desciverit: nisi, ut suspicor, id factum sit, non tam studio & amore Lutheri, quam, ut video, abs te persæpe testatum, odio Theologorum & Monachorum quorundam, qui sibi titulo religionis regnum & tyrannidem paraverant, quorum votum fuit, in hominum æque animos & bona grassari: hoc itaque modo factum est, ut è carbonaria in calcariam præcipitaverint, quom à Monachorum avaritia ad Lutheri impietatem perfugerint, & hanc quidem multo nocentiorem: illa enim fortuna bona, hac bona animi atque adeo anima periclitantur. Puto & idcirco conatum hunc Lutheri quibusdam blandius arrisisse, quod ille ab officio & observantia Pontificis aliorumque Principum homines devocabat, & humanum quodammodo genus manumittebat: quis vero est, qui non libenter jugum excutiat, & libertatem amplexetur? præsertim quom ad libertatem etiam indulgentia accedat. Nec enim vult Lutherus quenquam de actionibus suis admodum anxium esse. Siquidem ad salutem & æternitatem promerendam fidem & sanguinem Christi sufficere. Lasciviant igitur homines, obsonentur, pergracentur, in Venerem, in cædes, in rapinas, ut lubet, efferantur; paratum tamen iis cœlum, parata immortalis felicitas, si fides inconcussa maneat, & in sanguine Christi spes certa subsidat. En qualem artificem sibi adornavit angelus nequitiæ, quam callidum, quam pellacem? Certe Maomethes non alia persuasione usus magnam orbis partem subvertit. Ab Epicuro, quo non alius Philosophorum plures discipulos in sententiam traxit, neminem unquam auditorum desciviisse accepimus, præter Metrodorum nescio quem. Illectabat scilicet ille optimus deliciarum magister advenientes: illectos autem novis semper blanditiis retinebat, utpote qui unicuique ex suæ naturæ pruritu voluptates admetiretur. Adde quod homines natura φιλόκαινοι sunt, sed & iidem ἀψίκορoι esse solent, & erunt propediem, ni me fallit opinio: nec enim quæ mala sunt diu placere possunt. Instigator ille populi Athenienſis quom bene consulenti comminaretur, eum male multatum iri, si quando populus desipere cœpisset: At tu, inquit ille, si quando resipuerit. Idem hoc videor commode in Lutherum torquere posse, cui pro ea, quam invexit, doctrina plus nimio gravem mercedem Germana natio dudum persolvit: sed illud non incommode cecidit, quod eadem Germania eadem ætate, qua nobis hoc monstrum tulit ad religionis & morum exitium, rursum ad morum & religionis instaurationem Erasmum nobis dedit, virum ea ingenii magnitudine, ac literatura, quæ non unum hoc tantum seculum possit illustrare. Habet igitur non modo quod compenset, sed quod etiam objiciat. Quo mihi improbius nonnulli facere videntur, qui viro tanti candoris, tam excellentis doctrinæ, notam inurere non erubescunt, quasi & ipse cum Luthero faciat, & sit quodammodo ejusdem factionis vel antesignanus, vel popularis. Adversus hosce homines acerrime persæpe reclamavi, & justas pene inimicitias suscepi. Quod & in libello De libero animi motu obiter feci, atque hoc libentius, quod edita Diatriba, jam locum omnem suspicionibus improborum sublatum videbam: nec enim jam te illo spectaculo, quod oppugnabas, oblectari poterant insimulare, nec furtim arma hostibus subministrare, quos recta fronte impeteres. Nam quod epistolis, & aliis tuis commentariis, Lutheri fabulam non probari abs te asseveras, & tibi votum consulendi utrique parti testabare, sic interpretabantur, quasi alia manu panem ostenderes, alia lapidem absconderes, & quod duos parietes de eadem fidelia adlinens, utrinque plausum aucupareris: qui vero vel modestissime, vel parcissime de te obloquebantur, ii te quasi cessatorem arguebant, quod tantum incendium excitatum videres, quantum non alius præter Erasmum posset exstinguere, & tamen, quasi ea res per jocum geretur, aut nihil ad te pertineret, insinuatis manibus flagrantes aras deorumque focos spectares: horum ego voculas in eo libello κατ' ἠθοποιίαν in medium adduxi, ab omni ego hujuscemodi suspicione prorsus alienus: nam mihi dii mentem meliorem, quam ut de viro tam illibatæ probitatis & tam eximii candoris, pro cujus existimatione tuenda toties acria bella depugnassem, tantum nefas aut cogitarem, aut cogitatum certe proderem. Illud itaque, mi Erasme, certum persuasumque habeto, me tua bonitate, sinceritate, pietate, nihil exploratius habere, aut testatius: si quid est tamen eo in libello, quod aut aures tuas offendat, aut quod tibi videatur malevolis

Digitized by Google

An. 1525. *lis dare ansam posse male cogitandi, expunge, dele, interline, immuta, ut lubet; fac denique ut nulla latebra supersit, in qua nævus ullus delitescat. Cæterum illud fuit permolestum, quod fato quodam tuo utrinque exercearis, &* Lutherani *&* Antilutherani *juxta in te saviant: at tu bono animo esto, & rectæ conscientiæ præmio contentus, tanti puta tum apud homines illustrem fieri, tum apud Deum cœlum promereri. Sane* Hercules *ille, tertia luna natus, non prius ad deos abiit, quam monstra illa quodam suo fato proposita vicisset. Alioqui illud nosti* βασιλικὸν εἶναι ὑπερτίλουτα κακῶς ἀκούειν. *Quod de* Pio Carpensi *significasti, non minus ingratum fuit quam novum: est omnino cum homine mihi longa & vetus consuetudo ex eo usque tempore, quo ille juvenis, ego admodum puer,* Petreto * Mantuano, *Philosopho primi nominis, operam dabamus tunc dialectica profitenti: eo Principe nihil humanius, nihil modestius agnovi, tantumque aberat, ut bene merentibus obtrectaret, ut multo sæpius vir bonus dissimillimis, id est, indignis faveret: ob id non potest mihi non mirum videri, eum adeo à suis moribus degenerasse, ut in te tam acerbe, tamque immerenter invehatur, quem qui non amat, aut invidet, aut quid amandum sit, non intelligit. Et licet mihi non plura de tua probitate quam prudentia polliceat, facit tamen singularis amor erga te meus, ut te horter & moneam, ne faciles admodum aures susurronibus & delatoribus præbeas, quos qui non castigat, irritat, ut vere prædicabat* Domitianus. *Adde, quod si quid aliquando pro vero insusurrant, id novo aliquo additamento semper augent, & exasperant. Tum magnis & illustribus viris certum est nunquam invidos & obtrectatores defuisse. Sicut enim inter aves nonnullæ sunt obscœnæ, semper male occinentes: ita quædam male nata & pessime educata ingenia, nunquam desinunt bonis allatrare: horum voces sinamus præterfluere, eaque æstuationibus suis relinquamus. Nam si iis vacare lubeat, nihil erit nobis agendum præterea. Atqui non potest hoc hominum genus à nobis liberalius tractari, quam si eos sinamus in sinu gaudere, & sine sanguine imaginarium sibi triumphum adornare. Ne tu nimium facilis sis, aut certe irritabilis, si adversus quosdam illiteratissimos homines, qui obtusissimum in te stylum perstrinxerunt, manum moveas. Sane eadem opera te putaverim asino, si in te ruditum extulerit, talionem ferre posse. Parce enim, & honor sit auribus tuis, si quid vel familiarius, vel forte licentius dixero. Multæ itaque injuriæ mussitandæ sunt, vel potius, ut tu scribis, devorandæ. Plerunque connivendum est, ne quasi in procinctu sit nobis quotidie ad arma excurrendum. Literas vero tuas non nuntius quidem ille, quem legatum abs te in* Italiam *scribis, sed nescio quis terræ filius mihi reddidit, quem tamen ego cœlo demissum putavi, quod tam grato, tam optato officio perfunctus sit. Sane mihi jucundissimam occasionem sublatam dolui, percunctandi de te, de studiis, de re familiari. Nihil enim inexploratum reliquissem, nihil suppressissem, quod ad* Erasmum *meum pertinere existimassem. Dii boni, quam blande, quam jucunde, quam delicate nuntium illum excepissem! certe ut pluisculos apud me dies foret neque pæaso, neque penulæ pepercissem. Sed postquam nescio quis deus hanc mihi voluptatem invidit, dabo operam, ut tuas legens literas, & meas ad te scribens, frequenter hoc detrimentum sarciam.* Leonicenus *medicus jam menses aliquot hunc vitæ mimum absolvit, vir ad æternitatem natus, quem ego ultimum heroum & aurei seculi reliquias appellabam. Ex illa enim ætate, quæ magnum habuit ingeniorum proventum, &* Hermolaos, Politianos, Picos, Merulas, Domitios *nobis tulit, hic ultimus decessit jam prope centenarius, integris, quod mirum videri possit, adhuc sensibus. Multa scripsit, multa vertit è* Græcis, *multa in* Sylva *medica jam conclamata nobis restituit. Adversus barbaros medicos perpetuas inimicitias exercuit: quin &* Plinium, *à quo proposito frustra hominem sæpe*

* Vel potius *Perreto*. Is est Petrus Pomponatius, Philosophiæ Professor longe celeberrimus in Academia Patavina. De eo plura Cl. Bayle in *Lexico Hist. Critico*.

*deterrui, inclementer nimis semper insectatus est. Denique, quod paucis contigit, vivens posteritatem suam vidit: ejus obitum acerbe tuli, tum privato nomine, fuerat enim mihi præceptor, tum publico: videbam enim rem* Latinam *ejus morte insignem plagam accepisse. Una res mihi solatio fuit, quod* Joannes Manardus, *vir* Græce & Latine *doctissimus, rem medicam & naturæ arcana iisdem vestigiis prosequitur, cujus rei specimen dare possunt epistolæ, quas proximo edidit: eas puto in manus tuas pervenisse, quod si nondum pervenisse significaveris, dabo operam, ut quamprimum ad te perferantur. Scripsit ille quidem alia plurima digna immortalitate, sed vir minime ambitiosus ea nondum publicam materiam fecit: hoc superstite minus* Leonicenum *desideramus. Ipse etiam* Rhodiginus *longum valere dixit rebus humanis: quom enim andisset ad* Ticinum *casum pene ad internecionem* Gallorum *exercitum, & potentissimum Regem in manus hostium venisse, ex quo spes ejus omnes pendebant, ita animum despondit, ut ægritudini impar fuerit: utinam ad ea, quæ scripsit, tantundem judicii & laboris attulisset: nam & te minus offendisset, & doctis impensius satisfecisset. Sane fuit vir ille bonus & vere* Christianus, *& multa mihi amicitia conjunctus, utpote cui unum etiam ex libris* Antiquarum Lectionum *nuncupatim dicaverit, sed qui se unum haberet in consilio, & amicorum admonitionibus ægre manus daret: cæterum in studia & lucubrationes ad pœnitentiam usque assiduus.* Paniciatus, *vir bonus & probe doctus, vivit ac valet: eum tuo nomine salutavi, is totidem verbis tibi salutem reponit. Illud non potui non mirari, quod in extrema epistola addidisti, te scilicet adhuc memoria tenere sermonem illum, quo te affatus sum in ædibus* Richardi Pacæi, *quom obiter* Ferrariam *venisses: quo loco quom de* Aspendio *citharista sermo incidisset, & quid intus, quid extra canere foret, perquireretur, tu protinus tuorum* Adagiorum *librum, tum primum* Venetiis *excusum, è sacciperione protulisti: atque ex eo tempore cœpi* Erasmi *ingenium doctrinamque admirari; nec fere unquam inter doctos de* Erasmo *incidit mentio, quin ego mutuam illam adlocutionem prope solenniter in memoriam revocaverim. Testis mihi* Richardus Pacæus *ille doctissimus, & ad doctissimorum studia provehenda plane factus, cui sæpius ejus officii gratia multam gratiam debere testatus sum. Jam mihi videor ad omnia fere capita tuæ epistolæ cumulate respondisse: illud unum reliquum est, ut memineris te habere in* Italia Cœlium, *hominem tui nominis tuæque gloriæ studiosissimum, de quo tibi omnia sine discrimine large ac magnifice polliceri possis. Bene vale.* Ferraria 6. *Julii, Anno* 1525.

*Quom scripsissem has inanissimas nugas, & certum tabellarium exspectarem, cui literæ tuto credi possent, nuntius tuus ex Urbe rediens supervenit omnium mihi optatissimus, quem quo vultu exceperim, quid de tumultu* Germanico *sentiam, quam te extra incendium istud videre cupiam, quæ mea fuerit sententia de nuperrima tuorum* Adagiorum *impressione, si modo res in hanc diem integra foret relicta, ipse locupletius coram enarrabit, quam vel ego brevi possim perscribere, vel literis audeam committere. Illud certum persuasumque habeto, me ac fortunas meas omnes prorsus, quales quales illæ sint, summota omni legitima formula atque exceptione, tui esse mancipii. Rursus bene vale.*

## EPISTOLA DCCLI.

*Erasmus Roterodamus Natali Bedda, Theologo Parisiensi*, S. D.

EGREGIE vir, Responderam epistolæ tuæ, miseram *Argentoratum*, ut illinc transmitteretur ad vos, sed quum nullus inveniretur idoneus, rediit ad me. Hunc nuncium privatim conduxi mea pecunia, qui tuas Annotationes ad me perferat. Libros *Augustini*, quibus explicat sermonem Domini in monte habitum, sciebam me legisse, quam diligenter in-



Digitized by Google

An. 1525. certus. Ubi cœpiſſem tuo hortatu legere, comperi margines omnes notulis manus meæ plenas. Deinde in Annotationibus meis, quas ſcripſi in caput *Matthæi* quintum & ſextum, frequenter hinc cito teſtimonia. Unde miror unde ſuſpicatus ſis, mihi Opus illud non fuiſſe lectum. Scripſit hos quidem libros eleganter & accurate, ſed tantum presbyter, nec adhuc perinde exercitatus in ſacris Literis, quanquam feliciter jam meditans divinæ Scripturæ tractationem. Ex hoc Opere multa corrigit ipſe, & reſident nonnulla, quæ lectorem candidum & æquum requirunt. Unde non ſum arbitratus anxie mihi laborandum, ne nuſquam ab eo diſſentirem. Relegeram pene totum, nec animadverti quicquam periculoſi lapſus in meis. *Gerſon* non eſt in mea bibliotheca, ſed aut emam, aut alicunde rogabo. Videbis me ſatis docilem, ſi contingat monitor διδακτικός. Sunt variæ dotes hominum, nec eadem via tendunt omnes ad ſcopum felicitatis. Ego me puto ſemper hoc egiſſe, quod vos agitis, licet non eadem ratione. Et niſi hæc fatalis tempeſtas fuiſſet exorta, non prorſus infeliciter conatus eram, ut reflorescerent linguæ cum bonis literis, ſimulque veteres orthodoxi cum divinæ Scripturæ fontibus revocarentur. His temporibus quoniam video nihil ſcribi poſſe, quod non offendat aliquos, decrevi quieſcere, totus in hoc, ut quæ vulgata ſunt nec revocari poſſunt, repurgentur, quo, quantum fieri poteſt, careant offendiculo. Ad hanc rem qui mihi dignabitur ferre ſuppetias, apud me ſummam inibit gratiam. Si parum videbitur proxima editione mutare quæ offendebant, non gravabor eſſe ſeverior judex in lucubrationes meas, quam *Auguſtinus* fuerit in ſuas. Tantum ne nodus quæratur in ſcirpo, ſed ea duntaxat indicentur, quæ ſunt alicujus momenti. Nec agam tergiverſatorem in explicando, aut in defendendo, nec mihi indulgebo in corrigendo. Sunt dogmata quædam controverſa, quod genus eſt, *Pontificem eſſe ſuperiorem Concilio univerſali*. Sunt quædam obſcura & incognita, quale erat illud, *De non vertendis Libris ſacris in linguam popularem*. Sunt quædam ejuſmodi, ut multis ſcrupulus torqueant ingenium, de his non videtur impium diſſerere, vel ut aliquid plenius & exactius inveniatur, vel ut ſubmotis offendiculis confirmentur quæ decreta ſunt. Ad hæc conſideranda eſt temporum ratio. Utinam non pigeret attentius legere meas lucubrationes, nec enim dubito quin id integer facturus ſis. Non potui hunc onerare graviore librorum ſarcina, tamen indicem omnium miſi. Tertiæ editioni Novi Teſtamenti addidi Apologias aliquot novas, quas facile percurres. Reſpondi *Stunicæ* concluſionibus & articulis. Ego me Catholicum eſſe puto, non tantum ob id quod pacem habeam cum Pontifice, cum *Cæſare*, cum *Ferdinando*, cum Epiſcopis meis, verum etiam quod *Lutherana* factio neminem magis odit quam *Eraſmum*. Quod ſi id eſt in fatis meis ut utrinque lapider, tamen adnitar, ut *Chriſto* prober, in cujus diem me paro toto pectore. Is te ſervet incolumem, domine & frater honorande. *Baſilea* 24. Auguſti, Anno 1525.

## EPISTOLA DCCLII.

*Eraſmus Rot. Germano Brixio Antiſſiodorenſi* S. D.

OTE terque quaterque felicem, *Brixi* chariſſime, qui te ſemper intra Muſarum ſepta continueris, nec unquam attigeris ſpineta Theologorum. Quam tibi inviderem iſtuc ocium, ni ſic mihi charus eſſes, ut tua commoda plane pro meis ducam. Hoc ſeculo nec bene ſcribere tutum eſt, nec male, & mira eſt Rabinorum conſpiratio. *Lutherus* dum omnia conatur novare, ſubvertit omnia, & pro ſiniſtre tentata libertate conduplicavit nobis ſervitutem. Videor mihi non omnino læva mente fuiſſe, quum tot modis efflagitatus abſtinerem à *Gallia*. Hunc exitum præſagiit animus. Jactantur hic blandi rumores de adamantina Regum concordia, quos equidem optarim eſſe veros, verum ut ſint vereor, quoties mecum reputo τὸ τῦ αὐτοκράτορος ἦθος ingenium. Hic agitur fabula mire cruenta, quam καθαρσίῳ habitura neſcio. Mihi res humanæ videntur tendere ad *Scythicam* quandam barbariem, & omnium liberalium diſciplinarum παιδοκτονίαν. Mihi jam ὁ βίος ἐκτετόξευται, vobis ætate florentibus τὴν διδασκαλίαν trado. Cadunt paſſim οἱ τῶν μυσῶν σοφισταὶ, *Longolius Patavii*, cujus apud me eſt oratio mire elaborata in *Lutherum*, *Romæ* nuper periit *Baptiſta Caſalius*; in *Anglia Linacrus*, apud vos *Deloinus*, *Lovanii Dorpius*, qui favorem erga recta ſtudia jam audebat profiteri: frementibus μισομούσοις omnibus, ac fortaſſis ea res illi fuit exitio. *Deloini* mentionem fecimus in libello qui brevi perferetur ad vos, quanquam elegantiſſimo carmine tu quidem optimi viri memoriam immortalitati conſecraſti. Hunc γεφυροφόρον proprie mihi conduxi, ut iſtinc amicorum literas huc perferat. Per eum tuto ſcribas licebit. Bene vale, & quid agas fac ut ſciam. *Baſilea* 25. Auguſti, Anno 1525.

*Budæum* mihi ſalutabis diligenter, ſi fors mihi non vacabit illi ſcribere.

## EPISTOLA DCCLIII.

*Eraſmus Roterodamus Ludovico Berquino* S. D.

ARBITROR te bono animo facere quod facis, *Berquine* eruditiſſime, ſed interim me plus ſatis degravatum oneras magna invidia, libellos meos vertens in linguam vulgatam, & eos ad Theologorum cognitionem referens, inter quos ſcio multos eſſe integros & candidos, ſed paucorum moroſitas ſæpenumero vincit multorum modeſtiam. Equidem quum natura abhorream à contentionibus, nunc ob ætatem ac valetudinem magis deſidero quietem, in eum diem me parans, qui jam longius abeſſe non poteſt. Video fatales orbis tumultus, video rem Theologorum & his adverſantium in manifeſtam rabiem exiiſſe. Proinde quando perſpicio me nihil profecturum, quietus meum ipſius negotium ago, *Chriſto* commendans ſuam Eccleſiam, qui ſolus novit, & poteſt hominum inconſulta conſilia in bonos exitus vertere. Fortaſſe tu rectius conſulueris rebus tuis, mi *Berquine*, ſi concertationem ſemel ſopitam non inſtaures. *Papilio* noſter nos reliquit, & ante hunc *Deloinus*. Hic agitur ſanguinaria fabula, quem exitum habitura neſcio. Nos hic hæremus incluſi, quam tuto, Deus novit. Arbitror ſororem regiam jam in *Hiſpanias* profectam. Volitant rumores aureum ſeculum pollicentes: At ego nondum video ſatis idonea procemia, nec auſim ſcribere quod mihi præſagit animus. Nihil igitur exſpectabis eorum, de quibus epiſtola bene longa mecum egeras, poſteaquam ſcena rerum inverſa eſt. Hunc juvenem meo ære conduxi; qui mea perferret, veſtra huc referret. Si quid eſt quod mea referat ſcire, ſcribe, ac bene vale, vir optime. *Baſilea* 25. Auguſti, Anno 1525.

## EPISTOLA DCCLIV.

*Eraſmus Roterodamus Joanni Selvæ, ſummo Præſidi Senatus Pariſienſis*, S. D.

VIR chariſſime, mitto libellum adverſus rabioſam debacchationem *Petri Sutoris*. Eum ut tuo nomini dicarem *Nicolaus Beraldus* in cauſa fuit, qui non ſemel in ſuis ad me literis eximias dotes tuas depingens, hortatus eſt ut id facerem. Profecto demiror tales libellos impune excudi *Lutetiæ*, præſertim ex auctoritate Senatus & approbatione Theologorum, ſi tamen non mentitur præfatio. Verum ita fit, talia per unum aut alterum geruntur, cæteri connivent, velut ad ipſos non pertineat. Quid ſceleratius eo qui corrupit mea *Colloquia*? Diſſimulatum eſt. Non obſcurus eſt auctor. *Dominicanus* eſt, nomine *Lambertus Campeſter*: qui excudit, dicitur *Petrum* à grandi morſu. Et im-

Digitized by Google

An. 1525. impunitas invitat ad audendum majora. Prodiit *Antuerpiæ* libellus quorundam *Dominicanorum*, sed ficto titulo, quo nihil fingi potest insulsius, indoctius, mendacius, impudentius, insanius. Ob hujusmodi portenta totum Monachorum genus venit in odium publicum. In *Germania* multa virginum ac Monachorum monasteria crudeliter direpta sunt. Quidam magistratus agunt moderatius. Ejecerunt eos duntaxat, qui illic non essent professi, & vetuerunt novitios recipi; ademerunt illis curam virginum, & jus alibi concionandi quam in suis monasteriis. Breviter, absque magistratus permissu nihil licet illis agere. Videntur huc spectare, ut ex monasteriis faciant parochias. Existimant enim has conjuratas phalanges & tot privilegiis armatas diutius ferri non posse. Plura scripturus eram, sed incertum erat an jam redisses ex *Hispanienſi* legatione. Commendo tibi causam bonarum literarum, & meam, si quid videor hisce studiis profuisse. Bene vale. *Basilea* 25. Augusti, Anno 1525.

## EPISTOLA DCCLV.

*Erasmus Rot. Guilielmo Budæo* S. D.

OTE superis charissimum, *Budæe* doctissime, siquidem in hisce tumultibus fatalibus ocium tueri licet. Fabulæ partes per singulos obambulant. Prima turba erat de bonis literis. Hic suas partes egit *Reuchlinus*, nonnihil etiam *Erasmus*. Mox ad fidei negotium devoluta est actio. Hic primas egit *Lutherus*, non incruentæ fabulæ princeps. Saltarunt & Reges suam portionem. Rex *Danorum* exsulat, vester, heu dolor, *Hispaniarum* est hospes. Nuper prodierunt in scenam nobiles & agricolæ. Actio fuit mire sanguinaria. Ea nunc recrudescit, quæ sit futura catastrophe nescio. A *Gallia* non sine causa sic abhorrebat animus; aliquid præsagiebat magni mali futurum. Quanquam hic hæremus non absque gravi periculo. Nec est quo fugiamus. Et si esset, hæc valetudo indicit ocium. Atque interim tamen, homo sexagenarius, cogor retiarium agere, & cum tot monstris congredi, vel casurus, vel occisurus. Hic nuncius certissimus est, à me proprie conductus: per eum scribe quid agas. De nobis ex *Beraldo* cognosces cætera. Bene vale. *Basilea* 25. Augusti, Anno 1525.

## EPISTOLA DCCLVI.

*Erasmus Roterod. Antonino Medico* S. D.

POST epistolium, quod è *Francfordia* miseras, nihil isthinc venit literarum. Librum, quem tuo jussu dicaram Thesaurario, per *Carolum* meum misi *Oenipontem*. Illinc scio transmissum *Budam* una cum literis meis. Huc aura rumoris ingrata pertulit, & istuc pervasisse fatales hosce tumultus, non absque gravi periculo damnoque Thesaurarii. Quod si verum est, multis nominibus doleo, & quod ille vir optimus sit indigna passus, & quod tui patroni calamitas ad te quoque pertineat, & quod mea dedicatio fortasse nihilo plus habitura sit gratiæ, quam in luctu musica: sed belli multa inania. Tuæ literæ, ut spero, nuncium adferent lætius. Posthac mutum habebitis *Erasmum*, posteaquam *Linguam* emisit. Spero tibi res isthic esse prosperiores, quam ut huc te debeam revocare. Et si essent minus prosperæ, vix ausim ob tumultus, qui nobis dira minantur. Erit gratum cognoscere quid valeas, agasque. *Basilea* 28. Augusti, Anno 1525.

## EPISTOLA DCCLVII.

*Bilibaldo suo Erasmus* S. P.

QUOD semper ad moderatiora consilia votum *, pars altera vocavit timiditatem; altera collusionem cum *Lutheranis:* nunc cum utraque pars mordicus tuetur sua, & adeo nihil remittit de jure suo, ut prioribus & jam occupatis nonnihil etiam addat; res eo progressa est, ut solus Deus tempestatem rerum humanarum in tranquillitatem possit vertere. Nusquam non pervagatur fatale malum. Ajunt Archiepiscopum *Hungaria* profligatum. *Carolus Campegius* sese recepit in *Italiam*, cessit & *Ennius* Episcopus *Verulanus*. Archiepiscopatus *Salisburgium* obsidetur. Hic rursus rurícolæ & nobiles in armis sunt, alter alterius internecionem minitantes. *Basileenses* conati sunt, compositis rebus, sanguinis effusionem excludere; sed inanis sumta est opera. *Ferdinandus* agit apud *Wirtenbergenses*, exspectatur *Friburgi*, an venturus nescio. Est civitas *Brabantiæ*, satis ampla frequensque, *Sylvam-Ducis* appellant, hic populus ejecit *Minoritas* & *Dominicanos* omnes. Eam nunc obsidet *Margareta* Cæsaris amita. *Antuerpiæ* quidam ausi sunt extra civitatem concionari, nec veritus est illo populus confluere, contemtis omnibus Cæsaris, *Margaretæ*, & Magistratuum edictis. Itaque tota civitas illa fervet periculoso tumultu. Aguntur excubiæ nocturnæ diurnæque. Castigatis *Buscoducensibus*, vereor ne impetatur *Antuerpia*. Utraque civitas est opulenta. Proceres invitabit prædæ magnitudo, cui nunquam non inhiant, sic ut sufficiat quævis levis occasio. Apud *Hollandos* meos aliquot damnati sunt hæreseos: in hos sævietur. *Hulstus* pridem exarmatus, denuo per Cæsarem armatus est. Is erat solus profanus Inquisitorum coryphæus. Maxima populi pars apud *Hollandos*, *Zelandos* & *Flandros* scit doctrinam *Lutheri*, & odio plusquam capitali fertur in Monachos: qui cum plerique sint mali, tamen pro his nunc belligerabimur: qui si vicerint, actum erit de bonis omnibus. Incipiunt nunc ferocire. *Lambertus Campester Lutetiæ* corrupit mea Colloquia, erro *Dominicanus*. *Petrus Sutor Cartusianus* edidit libellum in me *Parisiis*, simpliciter insanum: cui respondimus, non responsuri, ni præfatio *Gallica* testaretur, auctoritate Theologorum excusum. *Lovanii* sceleratissimus nidus est quorundam *Dominicanorum*. *Vincentius*, homo rudentibus aut stiva natus, nunc Theologiæ Doctor, ante annos aliquot scripserat librum in me, eum ut liceret edere, profectus est ad suum *Vicarium*. Is omnino vetuit, ne tale facinus auderet. Conquievit, sed ægre. Nunc tandem exiit liber, quo nil fingi potest barbarius, insulsius, indoctius, mendacius, impudentius, insanius. In eo laboratum est à quatuor: *Vincentius* addidit sua venena: *Cornelius Juvelandus* * bonam operam partis ** confecit: Tertius quidam † expolivit, additis aliquot flosculis: *Godefridus Toxander* famam Operis in se recepit. Ad hæc connivent Theologi *Lovanienses*. *Latomus* tres emisit libellos, in quibus miris strophis me petit. Huic respondit *Oecolampadius*. Ajunt titulum esse, *Elleborum:* nondum enim vidi. Vereor ne hic tumultus citius in *Italiam* transvolet, quam exspectet Pontifex. Nos interim non agnoscimus manifestam iram Dei, provocantis nos ad pœnitentiam, sed *Ægyptiorum* exemplo tot plagis admoniti, nihilo reddimur meliores. Multis in locis dure tractati sunt Monachi, verum plerique cum sint intolerabiles, alia tamen ratione corrigi non poterant. Tot privilegiis, tot exemptionibus, tot phalangibus armati sunt. Civitates aliquot moderatioribus consiliis utuntur, permittunt exire, qui reddita ratione cupiunt mutare vitæ genus, his datur aliquid unde vivant ab ipsis monasteriis, etiamsi nil intulerunt, ceu longæ servitiæ ‡ merces. Jubentur abire, qui illic professi non sint, nec licet illis suas colonias aliunde alio mittere, quemadmodum solent. Nec fas est novitios sufficere, nisi permissu Magistratus. A curandis virginum collegiis arcentur. Nec permittitur illis concionari, nisi in suis monasteriis, idque consuetis duntaxat horis. Qui simul omnes volunt



* Forsan *vocem*.

* Lege *Duvelandus*, ut habetur Epist. DCCLXI. & DCCLXVIII.
** Repone, *operis partem*.
† Is *Gualterus* dicitur in eadem Epistola.
‡ Vox nihili, *segnitiæ* omnino scribendum.

Digitized by Google

An. 1525. mutare cultum, permittitur. Qui nolunt, coguntur tamen obedientiam jurare Magistratui in his, quæ pertinent ad Reipublicæ commodum. Ita futurum arbitrantur, ut aut nullos habeant Monachos, aut habeant magis sobrios. Vacua monasteria vertentur vel in parochias, vel in pædagogeia. Nec posthac passuri sunt, ut à quoquam suscipiantur vota perpetua, quæ vocant, qui minor sit triginta sex annis. Tota cura transferetur huc, ut sint probi pastores. Quod si contingit, non erit magnus numerus Monachorum. Aliquot monasteria relinquentur, sed insignia, & extra civitatum mœnia, imo procul in agris, quo sese gnaviter exerceant opere manuario. Cultuum infinitam varietatem omnino tollendam autumant. Nec ferunt anniversaria conventicula, quæ illi *Capitula* vocant, nec exemptiones, quibus abutuntur ad impune peccandum, sed erunt subditi suis Episcopis ac Magistratibus, quemadmodum cæteri sacerdotes & laici. Hæc an probanda sint, in præsentia non disputo; certe, minore tumultu coercebitur malorum Monachorum tyrannis, & bonis Monachis consuletur; imo juvenibus omnibus, ne in talium servitutem posthac dedant sese. Quod populari tumultu geritur, infelicem habet exitum. Quod pro sua quisque libidine genus vitæ mutat, improbis fenestram aperit ad nequitiam. Si res ageretur Pontificis & Episcoporum auctoritate, rectissime fieret. Nunc certe proximum est, ut Magistratus auctoritas excludat confusionem, & ita consulat bonis, ut malis non detur peccandi licentia. Utinam omnes essemus veri Monachi, hoc est, mundo mortui. Verum, hos populos conjuratos, hos fomites mundus non videtur diutius laturus. Et quanquam immane videtur, quod rustici monasteria quædam diripuerunt, tamen huc istorum improbitas provocavit, qui nullis legibus corrigi possunt, ut ipsi inter sese connivent. Scripseras mihi de poculo, quod dono misisset Episcopus *Olmucensis*: cujus tamen in posterioribus literis non memineras. Id autem datum est, mihi quidem inscriptum, sed quoniam *Beatus* acceperat literas ab *Olmucensi* de phiala inaurata missa, & item à *Velio*, cum mihi nil esset scriptum, nec data esset Episcopo occasio, cur mihi mitteret aliquid, tradidi poculum *Beato*, suspicans *Conpergium* errasse in nomine. Si quid habes hac de re compertius, scribito. *Ptolomæum* tuum nondum vidi: sed tamen curabo ut habeam. Hic neminem invenio qui sciat ex gypso fundere imagines. Itaque maluissem archetypum apud te manere. *Linguam* emisimus, ut fatearis posthac *Erasmum* elinguem fore. Calculus jam aliquanto mitius me tractat, posteaquam assuevi vinum omne diluere aqua ex glycyrrhiza decocta. Sed tamen corpusculum hoc in dies attenuatur & exarescit. Brevi, ni fallor, abjicietur hoc syphar, & exsiliet nova cicada. *Martinus Dorpius* nos antevertit; periit & *Linacrus* in *Anglia*, *Longolius Bononiæ*, & *Baptista Casalius Romæ*, & *Franciscus Deloinus Lutetiæ*, magnus bonarum literarum patronus. Hic sesquimensem perpetua duravit pluvia, ut quasi parum sit, commaduisse imbre cœlesti; stant in procinctu nobiles & agricolæ, congressuri, quo magis madescant mutuo sanguine. Saluta *Durerum* artis *Apellæ* principem, & *Paulum Ritium*: cujus Catapotio sum usus hodie feliciter. Non sumo, nisi quantum est dimidium, nisi aut minus etiam, & tamen solvit alvum citra molestiam. Exspectamus *Erasmum*, illa felicissima *Dureri* manu pictum, simulque literas tuas. Bene vale. Datum *Basileæ* 28. Augusti, An. 1525.

*Agnoscis manum tui*, &c.

## EPISTOLA DCCLVIII.

*Erasmus Rot. Francisco Calvo, Bibliopolæ Romano*, S. D.

AGO tibi gratias publico studiorum nomine, quod officina tua jam aliquot elegantes libellos nobis dedit, exspectamus avidi reliqua promissa. Qui has perfert vir bonus est, & aliquandiu meruit apud *Frobenium*; cum tibi volui notum esse, si forte ejus opera possit tibi usui esse. R. P. *Sadoleti* libellum in deliciis habeo, verum, illius aureum dictionis flumen considerans, video quam meus rivus sit & turbidus & exilis. Posthac ad hoc exemplar, meum quoque stylum conabor attemperare. Precor ut ista molienti tibi propitius ac benevolus sit *Mercurius*. Bene vale. *Basilea* 31. Augusti, Anno 1525. An. 1525.

## EPISTOLA DCCLIX.

*Erasmus Roterod. Petro Barbirio* S. D.

VIDERIS in amicitia refrigescere, qui non respondeas. Quod ad me pertinet, nostra amicitia nunquam intermorietur. Soles polliceri montes aureos, saltem illud præsta ne me spolies mea pensione, quod mihi videris meditari, nec obsit mihi quod uni tibi toto pectore confisus sim. De fide tua nihil addubito, sed tamen vereor ne candore pecces, quo soles nimium frequenter delinquere. *Aleandrum* tum amo, tum suspicio, sed quidam illum instigant in me, suggerentes falsas suspiciones. Et absens alius est quam præsens. Tuæ igitur prudentiæ fuerit cavere ne quid apud illum effutias, quod & amicitia nostra sit indignum, & illius inimicitiam in me exasperet. Corpusculum hoc in dies collabitur, exarescit ac deficit: auguror haud procul abesse diem, quo syphar hoc abjiciam, & exsiliam nova cicada, *Christi* laudes felicius cantatura, posteaquam in aerem puriorem ac liberiorem evolarit. Tum pensio *Curtracensis* tua esto. Nunc inclementissimum fuerit *Erasmum* clientem tuum enecare fame. *Gallus*, qui has reddit, vixit aliquamdiu apud *Frobenium*, mihi videtur vir probus: *Romæ* factus est Hypodiaconus, nec ultra datum est progredi, quod titulo careat. Cupit vel absolvi, vel admitti ad ulteriora. Non onero te commendatione, si quid tamen officii collocaris in eum, videris in virum bonum collocaturus. Bene vale, patrone magne. Reliqua cognosces ex meis ad *Hovium* literis. Datum *Basilea* 31. Augusti, Anno 1525.

## EPISTOLA DCCLX.

*Erasmus Roterod. Polydoro Vergilio* S. D.

ORNATISSIME *Polydore*, Opera tua sunt eleganter ac feliciter excusa. De pacti conditionibus ideo cupiebat nosse *Frobenius*, quod nihil exspectet ab *N.* nisi meras technas. Ille artifex auferet lucrum, *Frobenio* dabuntur verba. Nec mea magnopere refert, nisi quod bene volo viro, omnium, quos unquam viderim, optimo. Et meo suasu suscepit negotium. Postremo cuperem illum sic tractari, ut ad alias lucubrationes tuas reddatur alacrior. Me certe semper habebis pro tuis in me meritis tuæ gloriæ faventem. De *Moro* quod scribis; arbitror nihil esse. Si quid offensus fuit ob nescio quas causas, levis erit offensio, & ille ne gravium quidem injuriarum solet meminisse: scripsi tamen homini diligenter, non tam ut vos reconciliem, quam ut mutuam amicitiam confirmem. Æquum est enim & vehementer cupio, ut quoniam me jam olim in amicorum tuorum numerum dignatus es recipere, communis sit inter nos etiam amicorum possessio. Si continget certus aliquis, per eum scribam copiosius. Hic agitur crudelis & cruenta fabula. Agricolæ ruunt in mortem. Quotidie fiunt conflictus atroces inter proceres & rusticos, adeo in propinquo, ut tormentorum & armorum crepitus ac prope cadentium gemitus exaudiamus. Nos hic quam simus in tuto, tu conjectato. Fatale malum est, mira celeritate pervagans omnes mundi plagas. Cardinalis *Campegius* metu tumultus cessit ex *Hungaria*. Archiepiscopus profligatus est. Cardinalis *Salsburgensis* jam pridem obsidetur. Legatus Episcopus *Verulanus* cessit metu ex *Elvetiis*. *Coloniæ* fuere motus nonnulli. In *Brabantia* malum incruduit. Principes tantum agunt vulgaribus remediis. Metuo ne magis exasperent malum, sed

*Chri-*

Digitized by Google

An. 1525. *Christus* insignis artifex solus potest hanc fatalem tempestatem vertere in lætos exitus. Sunt qui non sinunt simultatem, quæ mihi cum *Leo* fuit, consenescere, sed antiqui vulneris cicatricem refricant. Dabit operam humanitas tua, ut hoc quoque utamur, fruamur, quemadmodum scribis, amicis communibus. Bene vale. Datum *Basileæ* 5. Septembris, Anno 1525.

## EPISTOLA DCCLXI.

*Erasmus Rot. Nicolao Montensi Decano, & Cancellario Academiæ Lovaniensis, reliquisque Theologis*, S. D.

HONORANDI fratres, libellum tam indoctum editum esse non minus vestra causa doleo quam mea. Ex literis interceptis, & ex *Anglia* huc missis, compertum habemus, qui sint actores hujus insanæ fabulæ. *Godefrido Taxandro* datus est titulus: *Cornelius Duvelandus* scripsit maximam partem. Ex libro *Vincentii*, quem in me scripserat, sunt addita multa. Adjuvit & *Gualterus* quidam. Collegi LXX. manifesta mendacia in tam exiguo libello. Quid dicent docti cordatique, quum talia legent? Ego hic Pontificis & Regum hortatu belligeror adversus *Lutheranam* factionem, non minus ferocem quam potentem, haud absque mei capitis periculo, & isthic mihi suscitantur tales tragœdiæ. Habebam in manibus quædam, quæ videbantur aliquam hujus mali partem oppressura, verum edere non erat tutum, nisi loco commutato. Id quod hactenus per valetudinem & occupationes non licuit, nunc per cruentos rerum tumultus non licet, etiamsi per cætera liceret. Non possum vobis describere statum *Germaniæ*, cæterum pro rebus præsentibus gessi me sinceriſsima conscientia, sicuti decet hominem *Christianum*, qui semper exspectat supremum vitæ diem, quem mihi scio esse in proximo. Idem agimus vos & ego, licet via diversa. Quod si sic oppugnor ab his, quorum partes pro viribus adjuvo, cur me diversæ partis objicio furori? Vos fortasse speratis malum hoc suppliciis opprimi posse, utinam utcunque compositum esset. At ego nullum video finem, nisi malo minime vulgari, remediis neutiquam vulgaribus occurratur. Si meis consiliis initio fuisset obtemperatum, fortasse res non exisset in hanc rerum omnium confusionem. Quid prodest ustura & sectio, quum totum corpus occupat febris? malum in venis est, quod nisi pharmacis eluatur, nulla spes est sanitatis. Morbus oppressus ex intervallo recurret majore cum periculo. Cœperat *Ferdinandus* uti violentis remediis, mutavit sententiam. Si Cæsar adesset, fortassis idem faceret. Non hæc dicuntur in favorem *Lutheranorum*, aut plebis male tumultuantis, sed in favorem publicæ tranquillitatis. Scripsi quædam, quæ offendunt *Egmundanum*, sed utcunque habent superiora, desinat ille, ego oblivisear omnium. Hoc utrunque nostrum magis decet, me qui brevi sistendus sum ante tribunal *Christi*; illum qui Theologi ac Monachi personam sustinet, ac me fortasse brevi sequuturus, & quis novit an etiam præcursurus. Est mihi pax cum Pontifice, cum Cæsare, cum *Ferdinando*, cum Card. cum Regibus, cum orthodoxis Episcopis, cum uno *Egmundano* & *Vincentio* pax coire non potest. Est mihi bellum irreconciliabile cum universis *Lutheranis*, satis erat ab una parte impeti. Hæreses & schismata non possum amare, bonas literas non possum odisse: nec tamen inimicus sum protinus illi, cui non placent bonæ literæ, modo ne nimium obstrepat iis qui diligunt. Toties dixi & repeto, si quid offenditur in libris meis, quod merito offendit aures animosque vestros, indicate & mutabitur, & habebitur gratia. Dissentimus inter nos verbis potius quam sententiis, quod idem evenit *Stoicis* & *Peripateticis*. Ego paratus sum omnem animi rancorem deponere, non aliter quam si sim hodie moriturus. Si qui sunt inter vos qui pacem adspernantur, hæc epistola me liberabit apud *Christi* tribunal. Bene valete. *Basileæ* 6. Septemb. Anno 1525.



## EPISTOLA DCCLXII.

Vives Erasmo.

EPISTOLA *hic tanto erit brevior, quod nesciebamus* An. *an te in iter jam dedisses, ut rumor vulgarat: primum te jam esse* Coloniæ *ante Calendas Septembris. Is resedit; excitatus est alter, ex literis tuis, ut ferunt, ortus, te hic adfuturum ad Calendas Octobris: quicquid statueris, precor tibi feliciter evenire. Ad postremas tuas literas respondi, dedique epistolam* Petro Ægidio: *nil dubito quin sit reddita, duntaxat mercatu hoc* Francfordiensi. *Opuscula* Frobenius *si non statuit imprimere, velim remittat.* Augustinum *audio excudi. Velim certius id à te cognoscere. Idque si ita sit, mittam ad* Frobenium *panculas aliquot recognitiones meas in* Commentaria Civitatis *breves admodum, ut nec ternionem impleant.* Britannos *scito feciſse pacem cum* Gallis: *puto esse tempus hoc, si quod aliud, commodiſsimum tibi veteribus amicis revisendis; ego illuc non cogito ante proximum annum. Qui has ad te perferet, est* Genuensis *quidam negotiator, tui multo observantiſsimus, & cupidiſsimus videndi tui. Utinam quod commodo tuo fiat, brevi te videamus hic valentem ac latum. Vale.* Brugis 20. *Septembris, Anno* 1525.

## EPISTOLA DCCLXIII.

*Bilibaldo suo Erasmus* S. P.

ORNATISSIME *Bilibalde*, volupe est te recte valere. Scripsi per *Frobenium*, per quem exspecto tuas literas. Nullus mundus vacat ab hoc tumultu. Quo sit evasurum hoc Euangelium, nescio. Mihi certe peperit certum exitium, quod ad hujus mundi felicitatem attinet. De *Ceratino* doleo, & metuebam ne suum commendatorem pudefaceret, oblitus monitorum. Sic fere sunt novi Euangelici Professores. *Christus* omnia vertet in suam gloriam. Tuas mihi reddidit hic juvenis, mire modestus ac placidus. Saluta *Durerum*, & medicum. *Basileæ* 20. Septembris, Anno 1525.

## EPISTOLA DCCLXIV.

*Erasmus Roterod. Margaretæ Reginæ Navarræ* S.

NON semel adhortati sunt me literis suis tuarum virtutum admiratores, ut in hac malorum procella, consolandi gratia, nonnihil scriberem Celsitudini tuæ. Itaque quum hic, qui has perfert, vir doctus & nobilis, præter omnem spem esset oblatus qui recta peteret *Hispanias*, sed mox hinc avolaturus, apud me dubitavi, utrum satius esset silere prorsus, aut brevem & inconditam epistolam mittere. Vicit hunc pudorem ac trepidationem singularis quidam meus in te affectus. Jam pridem enim & admiratus sum & amavi tot præclara Dei dona in te, prudentiam vel philosopho dignam, castimoniam, temperantiam, pietatem, infractum animi robur, & mirum quendam rerum omnium fluxarum contemptum. Quis enim hæc non suspiciat in tanti Regis sorore, quæ vix reperias in sacerdotibus ac Monachis? Hæc nequaquam commemorarem, nisi certum scirem, te nihil horum tuis viribus tribuere, sed laudem omnem transcribere Domino bonorum omnium largitori. Proinde magis gratulandi studio, quam consolandi, sumsimus hanc operam. Ingentem esse calamitatem fateor, sed nihil est tam atrox in rebus humanis quod dejiciat animum vere innitentem saxo illi immobili, quod est *Christus Jesus*. Si roges unde te norim, qui nunquam viderim; ex depicta tuæ Celsitudinis imagine compluribus es nota, quibus nunquam contigit videre te: at mihi tuum animum viri probi & eruditi multo expressius suis literis depinxerunt, quam ullus pictor colorum fucis, corporis effigiem possit exprimere. De fide vero mea nihil est quod dubites, ut laudo proboque notam, ita non as-



Digitized by Google

An. 1525. sentor potenti: nihil enim ambio præter amorem mutuum. Regem *Christianissimum* jam pridem redamabam verius quam amabam, quem ille ultro tot modis ad amandum provocavit. Talem heroinam, talem viraginem non possum non amare in Domino. Cæsari non modo studium, verum etiam pietatem debeo, nec id uno nomine, primum quod sub illius ditione natus, deinde quod illi jam annis aliquot sim juratus Consiliarius, verum utinam istam victoriam potius è *Turcis* retulisset. Quanta fuisset orbis felicitas, si duo primarii orbis Monarchæ, concordibus animis junxissent arma sua in perduelliones ditionis *Christianæ*. Ardentissimis votis id optabamus, sed obstiterunt, opinor, hominum peccata, quo minus Deus nos eo favore dignaretur. Hactenus non potui toto pectore Cæsari meo gratulari victoriam quantumvis magnificam, sed bona spes est brevi futurum, ut hunc fatalem tumultum, undecunque accidit, non minus vobis vestræque *Galliæ* gratulemur quam Cæsari. Talis artifex est ille, qui res hominum arcanis quibusdam consiliis moderatur, neque raro mortalium mala, jam rebus deploratis, subito vertit in lætissimos exitus. Hanc mihi spem præbet in primis exorabilis Dei clementia, quem jam arbitror nobis factum esse propitium: deinde partim Cæsaris ingenium, cujus mansuetudo vel æquat vel superat ipsam fortunæ magnitudinem, partim *Christianissimi* Regis mira dexteritas. Imo confido jam inter eos solidam & adamantinam concordiam initam esse. Confirmarunt hanc spem meam literæ Celsitudinis tuæ, quas ad illustrem *Poloniæ* Baronem *Joannem à Lasco* miseras in *Hispaniam* adornans profectionem. Nam is mecum in unis ædibus vivit, qui cum mihi jure amicitiæ communia omnia. Declarabant enim te non solum infracto animo ferre fatorum iniquitatem, verum etiam verbis quibusdam bene ominantibus recreabant sollicitudinem nostram. Ea spes si nos non fefellerit, tum non modo Cæsari & vobis, sed universo orbi *Christiano* gratulabimur. Hic erat mihi duplici nomine petenda venia, primum quod ultro scribere sum ausus tam potenti dominæ, deinde quod ex tempore, quod vix sibi permittit plebejus amicus erga amicum: verum, hunc omnem scrupum excussit animo concepta de tui pectoris inaudita humanitate fiducia. Servet te Dominus *Jesus* & incolumem & omnibus vere bonis florentem in ipso. Datum *Basilea* 28. Septembris, Anno 1525.

## Epistola DCCLXV.

*Erasmus Roterod. Guilielmo Budæo* S. D.

Ornatissime *Budæe*, næ tu homo es crudelis, qui calamitoso insultes etiam, tantum abest, ut consolatione lenias ægritudinem. Exprobras cunctationem, tergiversationem, comperendinationes. Levius miser est, qui non sua culpa, sed fatorum iniquitate miser est. Tibi certe gratulor istud beatissimum ocium, quod precor ut aliquando plenum contingat, quo jam ex *Asse* felix sis. Hic *Petrus Tossanus* juvenis est honesto loco natus, indole felici, & ingenio perquam liberali, summæque spei. Ardet amore *Græcanicarum* literarum. *Basilea* solus profitetur *Glareanus*, sed egestas obstat, quo minus possit vel animo suo, vel hujusmodi auditoribus satisfacere. Scio tibi juvenis ingenium oppido placiturum, & si novi tuam humanitatem, vel nullo rogante facturus es quod dignum est tanto literarum antistite. Cætera cognosces ex *Tossano* nostro. Bene vale. Datum *Basilea* 2. Octobris, Anno 1525.

## Epistola DCCLXVI.

*Erasmus Roterodamus Michaeli Budæ, Episcopo Lingonensi*, S. D.

Reverende Præsul, epistola tua verbis adstricta, sed admirabilem sententiarum vim complexus, arguit mihi sanum ac integrum ingenium tuum, prudentia non vulgari præditum. Posteaquam semel emissa *Lingua* linguax esse desii, meditor *Laconismum*, idque tuo quoque exemplo. Nam hoc seculo albæ gallinæ filii sint oportet, qui scribant quod nullos offendat. Et utinam mutum esse liceret. Exortum est novum dogma, in Eucharistia nihil esse præter panem & vinum. Id ut sit difficillimum refellere, fecit *Joan. Oecolampadius*, qui tot testimoniis, tot argumentis eam opinionem communiit, ut seduci posse videantur etiam electi. Pro cithara mihi suscipienda falx est, nisi silendo velim pro illis tulisse pedariam sententiam videri. *Linguam* sane gaudeo tanto viro non displicuisse. Sed quorsum attinebat bajulum tot aureis onerare? Non erat meus famulus, sed quatuor coronatis erat conductus, ut perferret ac referret mandata. Qui has perfert, *Petrus Tossanus*, juvenis honesto loco apud suos natus, indole liberali, nec trivialiter eruditus, flagrat amore *Græcæ* literaturæ, & hic frigent studia omnia. Nihil petit, tantum volui ut eum cognosceres. Pro tuo in me studio tam propenso, sed præter omne meritum meum, alias agam gratias. Dominus amplitudinem tuam servet incolumem. *Basileæ* 2. Octobris, Anno 1525.

## Epistola DCCLXVII.

*Erasmus Roterod. Natali Beddæ* S. D.

Sane gaudeo & ipse, non redditam epistolam illam prolixam, sine altera, quandoquidem videtur offendisse animum tuum. Eam uni tibi scripseram, tantumque de tua humanitate mihi persuaseram, ut te crederem nostram libertatem, aut si mavis licentiam, boni consulturum. Est quidem præcipuum officium amicitiæ, monere, quum res poscit, amicum, verum oportet hoc officium inter amicos esse mutuum. Et tua quidem singularis eruditio me non eget monitore, tamen sæpe etiam est olitor valde opportuna loquutus. Denique qui sedulo monet, licet frustra moneat, tamen hoc nomine collaudandus est, quod prodesse voluit. Gratissimæ sunt annotationes quas mittere dignatus es; utinam misisses & illa quæ tantopere offendunt in epistola ad Episcopum *Basilienſem*: simulque librum, cujus editionem moliris. Nuncius erat certissimus, mihique proprie sat æqua mercede in hoc conductus. Quanquam & quod huic *Conrado* bibliopolæ commiseris, tuto ad me perveniet. Præstat tamen ut quæ mittes obvoluta tunica & funiculis obligata obsignes. Pauxillum est laboris. Ægre lego manum amanuensis tui, sed tamen lego. Minus esset negotii, si tantum ea notares, quæ pertinent ad negotium doctrinæ *Christianæ*, quæque credas excusari non posse. Primus articulus est, *Non omnes, quæ Paulo adscribuntur, Epistolæ, illius esse citra controversiam dicendæ sunt*: hoc non video cur debeat reprehendi, nisi forte putas Epistolas ad *Laodicenses*, & ad *Senecam*, esse sine controversia *Pauli*. Ut maxime verò detorqueamus hoc dictum meum ad *Hebræis* scriptam Epistolam, lege Apologiam, qua *Jacobo Fabro* pridem respondi, & non negabis orthodoxos multos de Auctore hujus Epistolæ vehementer dubitasse: nec ulla Ecclesiæ auctoritas vetat hactenus dubitare; nisi forte continuo *Pauli* est, quod *Pauli* titulo legitur in templis. Verum, ibi multa leguntur alia, de quibus dubitare nefas non est. Attamen si hæc quoque non pigebit annotare, mihi non erit ingratum. Quod si dignaberis tribus verbis indicare quid te moveat, existimabo conduplicatum officium. *Berus* fatetur se epistolam illam, posteaquam fuerat edita per typographos, denuo legisse, notatis aliquot locis, sed quæ nullius essent momenti, nisi accederet interpres iniquus. Oravi ut tertio relegeret, ac promisit se facturum. De pessimo consilio scribis magno cum stomacho. Quale fuerit consilium hoc non refert. Certe vides me non refugisse severa etiam judicia Theologorum, ubi contigit. *Beri* integritatem

Digitized by Google

An. 1525. tem hic norunt omnes. Fucum in eo suspicari, ne adhuc quidem possum. De doctrina si minus possum judicare, vos ipsi judicastis, qui illum habuistis dignum prima laurea. Nec video quid illa epistola suffragetur *Lutheranis*. Jam dogmata *Lutheri* regnabant. Et hic per seditiosos quosdam, summo contemtu & insultatione consuetudinis Ecclesiasticæ, inducebatur sarcophagia, ducebantur uxores, aliaque multa fiebant adversus Ecclesiastica instituta. Huic seditiosæ temeritati oppositi illam epistolam, & profeci, eaque primum excitavit fremitus *Lutheranorum* in me: quos insanisse oportuit, si epistola pro ipsorum conatibus facit. Vehementer laudo cœlibatum, sed, ut nunc habet sacerdotum ac Monachorum vita, præsertim apud *Germanos*, præstaret indulgeri remedium matrimonii. Quotusquisque est in orbe, qui jejunat? Quam multi sunt, qui vescuntur carnibus quum libet? Et arbitror plures bene jejunaturos, si jejunium persuaderetur potius quam præciperetur. Nihil tamen horum mutari volo præter auctoritatem Ecclesiæ. Nec ea mutatio damnat Patrum instituta, sed admonet, forte pro horum temporum moribus variandum esse remedium. Id si non placet Ecclesiæ Proceribus, nihil habent *Lutherani* quod erigant cristas, quum censeam nihil esse novandum, nisi interveniente Ecclesiæ auctoritate. Sed desino, ne rursus molestus sim mea copia. Quanquam solent reis plures infundi clepsydræ, quam actoribus. Expedita res est accusare, sed multiloqua defendere. Facile mihi persuades ut tibi fidam, quanquam si verum est, *Beri* consilium fuisse tam infelix, cui tuto fidendum est? Affirmas te non falsurum. At falli potes, opinor. Ego hactenus melius sensi de Theologis *Sorbonicis*, arbitrans unicuivis illorum tuto fidi, non uni cuipiam. *Jodocum Clithoveum* semper amavi: candidius tamen erat facturus, si *Dionysium* asserens, cum *Valla* potissimum dimicasset, qui hujus sententiæ primus auctor exstitit. Verum non sum is, qui talia non queam concoquere. *Petro Sutori*, si tantum tibi tribuit, utinam persuasisses, ut aut non ederet talem librum, aut moderatius scriptum ederet: nihil enim adhuc legi illo vel indoctius, vel furiosius. Respondi homini, huc adhortantibus amicis, nec ullius rei me magis pœnituit, quam illius operæ. Audio librum illius conspui ab omnibus doctis ac bonis, etiamsi nemo respondisset. Suades ne talibus respondeam, & utinam suasisses in tempore. Verum, illi prius suadendum erat ne sic indecore debaccharetur in proximum, non sine detrimento nominis Theologici, si quid mihi credis. Novam Tragœdiam cæteris omnibus atrociorem nobis hic peperit *Carolstadius*, persuasit in Eucharistia nihil esse præter panem & vinum. Eam sententiam libellis aliquot editis confirmavit *Zuinglius*: Proxime *Oecolampadius* tanto studio, totque machinis argumentorum, idem agit, & tanta facundia, ut seduci possint, ni vetet Deus, etiam electi. Hæc civitas vacillat, sed sic ut videatur sanabilis. Cogor itaque posthabitis meis omnibus in hoc certamen descendere, quanquam impar tam arduo negotio. Si liber ad vos pervenerit, intelligetis vobis expediendæ arma, nec articulis tantum agendum, sed persuasione. Misissem librum, sed unicum duntaxat habebam, nec hic palam venditur. Vale, frater in *Christo* mihi semper venerabilis. Datum *Basilea* 2. Octobr. An. 1525.

## EPISTOLA DCCLXVIII.

*Erasmus Rot. Petro Barbirio* S. D.

PATRONE magne, miseram *Carolum* meum *Romam*, is, quoniam tu aberas, literas ad te missas retulit; eas cum his accipies. Etiam atque etiam te rogo, mitte quam primum literas testimoniales de non residendo: alioqui scribit *Joannes Canius* utrosque nos futuros in periculo. Miror te in hac re sic cessare, neque id nunc primum tantum. De pensione Cæsaris nulla spes, ni redeam. Hic cara omnia, quæstus omnino nullus. Soles polliceri montes aureos è *Pariis*, sal- A tem glebam unam mittito. Novi quantus sis artifex. Fac amicitiam eloquentia tua confirmes inter me & *Aleandrum*. Admiror hominis eruditionem, ingenium amo: sed sunt in orbe tot malæ linguæ, quæ suffundunt frigidam. Ego meam emisi *Linguam*, posthac *Erasmum* habebis elinguem. Misi *Hovio* meo codicem unum. In litera *n.* pag. ultima, facie priore circa finem, pro *millia ducatorum*, legendum, *millia talentorum*. *Carolstadius* quum hic clanculum latitaret, sparsit libellos *Germanice* scriptos, quibus contendit in Eucharistia nihil esse præter panem & vinum. Persuasit ilico plerisque. Hujus sententiam *Zuinglius* jam editis aliquot libellis confirmavit. *Batavus* quidam an- B te annos quatuor egit idem epistola, sed sine nomine, quæ nunc excusa est: verum *Oecolampadius* quum eadem hic quotidie concionaretur, movit multis stomachum, etiam iis qui non oderant *Lutherum*. Tandem emisit libellum tam accurate scriptum, tot argumentis, tot testimoniis instructum, ut possit vel electos in errorem pertrahere. Liber tamen hic excusus non est, nec publice venditur. In hanc arenam ego protrudor, multo aliis rebus natus. Et interim dum omissis rebus meis hoc ago, non absque capitis mei periculo, ii pro quibus depugno, alii aliunde confodiunt me libellis furiosis. *Latomus* prælegit tres libellos *Lovanii*, subinde jaculans aliquid in caput meum, suppresso quidem nomine, sed quid referebat? citabat verba mea. Eos libellos post edidit miris strophis differtos. Eodem ferme tempore excusus est libellus in me, C plenus criminibus & scurrilibus conviciis, sed quo nihil fingi poterat stultius, indoctius, & insulsius. Hujus rei laus in multos est distributa *Dominicanos*; *Godefrido* cuidam *Taxandro* nebuloni vanissimo datus est titulus, *Cornelius* quidam *Duvelandus* composuit, *Vincentius* addidit suas nænias ex libro quem pridem in me scripserat, sed à Vicario vetitus est edere, *Gualterus* quidam addidit flosculos ex *Margarita Poetica*. Hoc facinore confecto, alius alio profugerunt, *Vincentius* ad inferos. Hæc non ex me somnio, sed mis- D sum est ad me exemplar epistolæ, quam *Cornelius* scripserat *Leo*: nam illi munus hoc præclarum dicavit, ea docet quæ dico esse vera. *Petrus Suter*, quondam Theologus *Sorbonicus*, nunc Monachus *Cartusianus*, *Lutetiæ* edidit libellum simpliciter furiosum in tralatistas & bonas literas. Ei respondi, & pœnitet tantum honoris habitum illi belluæ. Cura ut inaureris, tantumque congeras prædarum, ut nobis utrisque sufficiat. Gestiebam nunc evolare in *Italiam*, calculus enim mitius me habet, sed quædam explicari non potuerunt. Interim obrepsit hyems nunc etiam præpropera. Bene vale. *Basilea* 3. Octobr. Anno 1525.

## EPISTOLA DCCLXIX.

*Erasmus Rot. Baptistæ Egnatio* S. D.

SALVE plurimum, vir optime idemque doctissime. Doleo tibi ob meas nugas exhibitum negotium. Non eram anxius de excudendis *Adagiis*, quum hic haberem *Frobenium* semper paratum. *Franciscus* per literas crebro questus fuerat me nihil mittere lucubrationum mearum. *Adagiorum* Opus, quoniam apud *Asulanum* primum erat natum, misi ut inibi renasceretur, si modo ipsi commodum esset. Sin minus, per eundem, qui attulerat, remitteret codicem. Hic nihil erat causæ, cur vel tria commutarentur verba. Remisi *Carolum* meum, ut adferat mihi *Chrysostomi Commentarios in Acta Apostolorum*. Dignaberis pro tua humanitate dare operam, ne circumveniamur. Id fiet, si doctus aliquis exploret an codex sit plenus, & an emendate scriptus. Hic *Joannes à Lasco Polonus*, illustri loco natus apud suos, brevique summus futurus, moribus est plane niveis, nihil magis aureum aut gemmeum esse potest. Totus *Hieronymus* jam denuo excusus est; multa restitui, quæ prius suffugerant. Pauca quædam expugnare non potui; quorum illud unum est

An. 1525. est in præfatione, quam præposuit *Ezechieli* verso, de phagolœdoris & *Seneciis*. Si quid habes imperti; poterit adjici in fine, aut initio: nam Opus non est exiturum nisi post menses aliquot. Sciò te non morari gloriam, sed tamen meum fuerit curare, ne bene meritus sua laude fraudetur. *Ambrosium Nolanum* nobis ac studiis ereptum doleo, sed quandoquidem omnibus semel est moriendum, ille nec vixit incommode multos annos, nec infeliciter mortuus est. Precor illi Deum propitium, & inter piorum animas quietem perpetuam. Bene vale. *Basilea* 3. Octobr. Anno 1525.

## Epistola DCCLXX.

*Erasmus Roter. Hieroslao à Lasco, Poloniæ Baroni*, S.

VIR clarissime, quod scribis de mittendo equo, ne si *Cyllarum* quidem miseris, aut *Pegasum*, possis è limace facere equitem, ne verisimile quidem est te huc equi causa missurum famulum, posteaquam hinc avocatus est frater. Itaque divino eas literas scriptas priusquam decretum erat revocare germanum. Ejus convictus quoniam mihi tam fuit jucundus, ut vix aliud in vita jucundius, non potest non esse molestissimus illius abitus. Ejus suavissima consuetudine propemodum repubueram. Nec enim à superis optare poteram quenquam meis moribus magis appositum. Imo, ut melius dicam, ipsius mores tales sunt, ut omnibus possint congruere. Mitigat hunc meum dolorem, primum quod non omnino præter exspectationem accidit. Semper enim divinavi futurum, ut hinc cito distraheretur. Deinde quod non ignorarem fatorum iniquitatem. Si quid obtigit bonæ felicitatis, mox eripiunt. Si quid incidit mali, hæret tenacissime, nec excuti potest, nec avelli. Porro juges studiorum occupationes obstiterunt, ne quid fructus ille vicissim ex meo convictu reportaret. Minitabamur subinde, sed identidem è transverso obortum negotium interpellabat conatus nostros. Malebat & ipse diutius Musarum ocio frui, sed *Plato* putat sapientem vel invitum ad Reipublicæ commoda rapiendum esse. Magis itaque libet vestræ *Poloniæ* gratulari, quam meum privatum deplorare incommodum. *Linguam* meam non displicuisse Clariss. D. Cancellario, vehementer gaudeo ac triumpho. serio. Non miraberis autem si posthac senseris *Erasmum* elinguem esse. Propitius aliquis deus feliciter explicet tuam Celsitudinem ex istis tricis, quibus te scribis involutum. Novi quantus sis *Hercules*, sed plurium exemplis declaratum est, quam non sit tutum, hostem quamvis humilem contemnere. Bene vale. *Basilea* 3. Octobr. Anno 1525.

## Epistola DCCLXXI.

*Erasmus Roterod. Leonardo Casimbroto* S.

LEONARDE charissime, quod *Adagiorum* negotium vos omnes sollicitos circumegit, agnosco *Caroli* mei ingenium. Multum ille pulveris movere solet in quamlibet levi negotio. *Adagia* nunc excudunturin officina *Frobeniana*, quæ res hic me nunc remoratur, alioqui isthuc advolaturum cum hoc Barone *Polono Joanne a Lasco*, juvene citra arrogantiam erudito, citra supercilium magno ac felici, sed moribus adeo candidis, amicis, jucundis, ut per ejus amabilem consuetudinem pene repubuerim, alioqui jam morborum, laborum, & obtrectatorum tædio marcescens. Quid ego audio? adeone tibi sapiunt pepones & melones *Italiæ*? Vereor ne jam & affinis invideas. Ubi propius cognoris *Italiæ* dotes, fateberis esse quod sit peponibus dulcius. Sed ut memorem admoneam, memineris, optime *Leonarde*, te non ea causa istuc profectum ut hybridis locupletes *Italiam*, sed ut eam literarum opibus spolies, ea præda ditaturus olim tuam *Flandriam*. Cum Musis & Gratiis tibi nunc res est, quibus quam conveniat cum *Cypride*, tu videris. Solent *Brabæ* tuæ gignere ingenia felicissima, planeque *Atticis* similliima. Tibi vero contigerunt ejusmodi naturæ dotes, ut inter felices etiam videare felicissimus. Hæc protinus magnam de te spem concitarunt. Eam vehementer confirmasti studiis tuis hactenus feliciter tractatis. Nunc vero posteaquam adisti *Patavium*, locupletissimum ac celeberrimum optimarum disciplinarum emporium, facile divinas, quam nihil plebejum aut mediocre tui de te exspectent. Nec dubito, quin nisi parum mihi perspectum est tuum ingenium, sis omnem de te spem, licet amplissimam, amplioribus literarum mercibus superaturus. Non deerunt qui possint λεονταρδιοποιεῖν, sed illud munus est tuum, & isto dignum ingenio, ut eruditione tua quam plurimos gignas tuæ *Flandriæ* discipulos, qui te moribus inculpatis, qui doctrina singulari, qui facundia non vulgari referant. Utinam hæc liceret coram in tuis hortis, quos equidem tibi non invideo, sed doleo mihi tecum non esse communes. Quod Juris Cæsarei studium amplecteris, quum aliis multis de causis approbo, tum illa nominatim, quod longissime abest à rixis Theologorum, quibus nunc fervent omnia, sic ut me propemodum tædeat studiorum omnium. Et mihi videris ad tractandam Rempub. esse natura compositus. Commendo tibi tuam pubem omnem, id si vel impetro, vel frustra peto, quæso ut, quod tua sponte facis, me illis vicissim commendes, & horteris meo quoque nomine, ut parentum patriæque exspectationi, ut præceptoris eruditioni, studioque respondeant. Discruciavit animum meum tuus catalogus. *Lupsetus* semper fuit animus meus. *Pacæus* talis mihi perpetuo fuit amicus, qualis *Orestl Pylades*. *Petri Bembi* felicissimum ingenium, quum ex fama, tum etiam scriptis cognovi. *Reginaldum Polum* sic mihi depinxit suo calamo *Lupsetus*, ut nullus *Apelles* posset expressius. *Becichemi* nomen primum tuis è literis didici. *Baptistam Egnatium* jam olim ex familiari convictu novi, virum absolute doctum, integrum, candidum, & vere amico amicum. O te felicem, cui datum est tantis felicitatibus frui! Et me miserum, quem ætas, morbus, & ad hæc nescio quis genius malus alligat huic pistrino! Libebat diutius tecum nugari, sed cogor & aliis scribere. Onera *Carolum* huc rediturum. Bene vale. *Basilea* 4. Octobr. Anno 1525.

Miror si hæc tam extemporaria poteris legere, nisi quod agnoscis meas notulas.

## Epistola DCCLXXII.

*Erasmus Rot. Reginaldo Polo Anglo* S.

THOMAS *Lupsetus* suis literis te totum, ornatissime *Pole*, sic depinxit, ut mihi notior esse non possis, si menses aliquot domesticam tecum egissem consuetudinem. Corporis figuram effingit pictor, & auribus nonnullam hominis partem discimus; at intimæ dotes animi, multo pretiosissimæ, non nisi diutino convictu deprehenduntur. Ea pars epistolæ mihi profecto magno fuit solatio. Gaudeo enim his deploratissimis temporibus exoriri, qui bonarum literarum ac pietatis causam, & tueri possint, & ornare. Non hic occinam laudes tuas, tantum gratulor tibi tam insignia benignissimi Dei dona, quæ dignabitur in te servare, semperque in majus ac melius provehere. Quam impense te amet *Lupsetus*, satis ipsa declarat oratio, quæ nihil aliud spirat quam incredibilem quandam benevolentiam, adeo ut me quoque rapuerit in amorem tui. Miramur quum magnes chalybem ad se trahit: Quis autem tam ferreus est, quem iste tot dotium in uno concentus non ad amorem pelliciat? Si *Carolus* meus rediisset maturius, fortassis jam isthic adessem. Non poterat optari comes itineris vel dux commodior quam obtigit, hic *Joannes à Lasco* Baro *Poloniæ*; cujus quam hactenus fui convictu felix, tam nunc abitu discrucior. Amabis, sat scio, tui simillimum. Clarissimæ majorum imagines, dignitates amplissimæ, spes ampliores, ingenii mira vena, eruditio neutiquam vulgaris, ne tantu-

Digitized by Google

Digitized by Google

KONINKLIJKE
BIBLIOTHEEK

Digitized by Google

An. 1525. tulum quidem addunt illi supercilii. Et adsunt isthic quorum consuetudine possim vel rejuvenescere, *Richardus Pacæus Pyladeus* amicus, *Thomas Lupsetus*, quem semper filii loco dilexi, nunc ut patronum amo, *Leonardus Casimbrotus*, homo moribus plane niveis, doctus, & olim inter claros futurus. Tu in primis, mi *Pole*. Sed alligant hic me fata mea. Quid enim aliud incusem? Quando coram frui non licet, dulcissimum esset diutius per literas tecum confabulari, ni mihi nunc eodem die onerandi fuissent tres bajuli, quorum unus adit *Gallium*, alter *Brabantium*, tertius hic est *Carolus* meus, quem sic accepistis, ut lubenter istuc recurrat. Itaque boni consules literas sic ineptas & inconditas, quas ne relegere quidem vacat. Bene vale. *Basilea* 4. Octobr. Anno 1525.

## EPISTOLA DCCLXXIII.

*Erasmus Rot. Andreæ Critio, Episcopo Plocensi*, S. D.

ILLVSTRIS Baro, *Hieroslaus à Lasco*, quum hac iter faceret, exhibuit mihi libellum quendam tuum pedestri simul & equestri pugna cum *Lutheranorum* exercitu confligentem. Rursus ejus frater germanus, ac vere germanus, hoc est, simillimus, nuper exhibuit epistolam, rei gestæ historiam exponentem, admixtis etiam versibus aliquot, ex quibus intellexi, te simul & in Musarum pratis, & in rhetorum palæstris, & in Theologorum adytis non infeliciter versatum esse: denique tam candido præditum ingenio, ut nostras etiam lucubrationes vere *Batavas* non dedignatus sis attingere. Hoc exemplum quoniam hodie rarum est in Episcopis, misi dono librum *Cutberti Tonstalli* Episcopi *Londonensis* in *Anglia*, qui nuper Legatus ivit ad Cæsarem *Carolum*: is homo est vitæ inculpatissimæ, utriusque literaturæ ad unguem doctus, nec ullius honestæ disciplinæ rudis. Sciebam enim te gavisurum, quum perspiceres istud exemplum Episcoporum in dies ad plures dimanare. Simulque hoc agebam, ut quemadmodum illum habeo mihi faventem, sic ut non alium mortalem impensius, hac ansa qualicunque præbita, memet in tuorum etiam clientum numerum insinuarem: nam constantius diligar ab utroque, si vos quoque ambos mutua notitia, mutuaque benevolentia, ex morum & studiorum similitudine conciliata, copularit. Hæc scripsimus sic ex tempore, dum illustrissimus *Joannes à Lasco* parat equos conscendere, qui multos homines, & inter hos *Erasmum*, hic occidit, tantum sui desiderium reliquit abiens, cum quibuscunque habuit consuetudinem. Bene valeat T. R. D. *Basileæ* 5. Octobr. Anno 1525.

## EPISTOLA DCCLXXIV.

*Erasmus Roterod. Friderico Nauseæ* S.

GRATVS fuit libellus quem misisti, gratior epistola tam elaborata, non quod laudibus illis delecter, quas tu prodige verius quam liberaliter in me effundis; imo ne legere quidem eas sustinuissem, ni mihi persuasum haberem eas ab ingenii tui singulari quodam candore, & immodico nostri studio proficisci. In posterum tamen, mi *Nausea*, te rogatum velim, ut exercendo stylo quæras aliud argumentum. Scripsi de tuo negotio Cardinali *Campegio*, sed paucis; nec enim opus fuit pluribus, nec mihi vacavit plura scribere. Huc si te contuleris, invenies malum illud agreste mitius ac sanabilius. Detractione sanguinis remisit se febris. Cætera te coram, quod utinam fiat brevi. Interim bene vale, chariſsime *Nausea*. *Basilea* 9. Octobris, Anno 1525.

## EPISTOLA DCCLXXV.

*Erasmus Rot. Paulo Bombasio* S. D.

SALVE *Crœse*, nisi mavis esse *Midas*. Extra jocum, mi *Bombasi*, gratulor tibi fortunam auctam, sed magis gratulor prosperam valetudinem, quæ mihi longævam viridemque senectam *Bombasii* mei pollicetur. *Carolo* meo tam amanter datam operam gaudeo, simulque gaudeo hac occasione mihi compertum Cardinalis, patroni tui, erga me non vulgarem favorem: nam antehac vix tibi credebam. Nunc nullum erat ocium, itaque necesse est, ut mihi apud illum prolixæ epistolæ vicem commodes. Sub autumnum rursus moliebar iter in *Italiam*, sed nuncii serius redierant, & hyems ante tempus huc incubuit. Bene vale, patrone magne. *Basilea* 9. Octobris, Anno 1525. An. 1525.

## EPISTOLA DCCLXXVI.

*Erasmus Rot. Jacobo Apocello* S. D.

VIR ornatissime, si tibi videtur impudens, quod ignotus ad ignotum scribo, imputabis bonam hujus culpæ partem *Justo* consobrino tuo, qui sua facundia huc me perpulit, subornatis etiam deprecatoribus, ne detrectare possem quod rogabat. Quod si & illius improbitatem & meum obsequium boni consulis, gaudebo per hanc occasionem auctum esse amicorum meorum catalogum. Consobrinus tuus mihi videtur natus rebus gerendis, promptæ nec impolitæ linguæ, pudore sic temperato, ut non offundat dicenti tenebras. Erit aliquando magnus, si tuus favor illi fuerit perpetuus. Bene vale. Datum *Basilea* 9. Octobris, Anno 1525.

## EPISTOLA DCCLXXVII.

*Erasmus Rot. Danieli Benedicto Mediolanensi* S.

AMANTEM non redamare, *Daniel* optime, vix ferarum est. Amas *Erasmum* ex libris cognitum, ego redamo *Danielem* ex humanissimis modestissimisque literis non ignotum. Dictus est *Daniel* vir desideriorum, quid itaque mirum si desiderius *Desiderium* desideras? Sed quid narras? Cæteri quietis desiderio relinquunt Principum aulas, & tu velut è fluctibus temet in aulam velut in portum tranquillum contulisti? *Nausea* sui similis est, tantum me faciens ubique suis laudibus, quantum esse me immodice amanti persuasit amor. *Montini* lepidissimis literis nescio an vacet nunc respondere. Jocatur ille in crisim sanguinis, verum ea crisis orco dedit agricolarum plus minus centum millia. Nunc remisit se paroxysmus, & *Nausea* si venerit, reperiet malum aliquanto medicabilius. Bene vale, & noster esto, debes autem, si *Nauseam* sic diligis. Datum *Basilea* 10. Octobr. Anno 1525.

## EPISTOLA DCCLXXVIII.

*Erasmus Rot. Maximiliano Transsylvano, Cæsaris Secretario*, S. D.

ORNATISSIME *Maximiliane*, exemplar literarum, quas ais te ex *Sylva-Ducali* misisse, redditum est, priores non recepi. Quoties exosculor istud pectus in tuis literis tam amicum & candidum, mi *Maximiliane*? De pensione non sum anxius. Scio quam ista semper esuriat aula, vere pertusum dolium. Quod tu suspicaris factum, ego futurum sciebam. Novi quæ sint ista portenta. Et me miseret tum aulæ, tum Academiæ. Jam pridem hoc agunt quod agunt. Sciunt ipsi mihi nihil esse cum ulla factione, & hoc illos habet male. Legerunt *Spongiam* meam satis liberam, legerunt *Liberum arbitrium*. Et si hic adessent, audirent amicas *Lutheranorum* de me voces, quanquam legerunt *Hutteni* & *Othonis* libellos, satis testantes quanti me faciant. Demum hic si quid tumultus oriretur, primus impeterer. Verum istos nullius facinoris neque pudet, neque piget, modo lædant recta studia. Video res humanas ceu fatorum impulsu tendere ad *Scythicam* barbariem, ego quoniam opitulari non possum, quod unum possum, conscientiam hanc puram & integram approbabo *Christo*. Brevi mittam famulum proprium



Digitized by Google

An. 1525. & insigni fide, per eum scribam de singulis copiosissime. Interim vivat *Maximilianus* meus suaviter ut dignus est. *Basilea* 8. Novemb. Anno 1525.

## EPISTOLA DCCLXXIX.

*Erasmus Rot. Joanni Heemstedio, Cartusiano juxta Lovanium*, S. D.

Mox à literis tuis redditis obtigit qui peteret *Brabantiam*, itaque mitto epitaphium, ex tempore quidem, sed non absque cura factum: quod nolim adsperneris, nisi *Conradus Goclenius* judicarit rejiciendum. Si displicet, mittetur aliud elaboratius: nam *Dorpii* memoriam etiam habeo sacrosanctam. Deplorarem mortem illius præproperam, quæ tot egregias dotes, tot amplissimas spes incidit; sed nunc hujusmodi seculum est, ut nulli bono bene esse possit, & si felicissimum esset seculum, nihil tamen felicius quam vivere cum *Christo*. Ad optimi patris *Joannis Delphi* mentionem sum vehementer exhilaratus. Ut semper floret, quamvis in defecto corpore, purus & integer animus. Ei multam ex me salutem dices & amanter & diligenter. *Dorpii* memoriam non patiar intercidere, si quid mea scripta valebunt. Sancto tuo sodalitio me commendabis, cui precor omnem in *Christo* felicitatem. Habes, amice suavissime, epistolam epitaphio similem, properabat tabellio. *Basilea* 8. Novemb. Anno 1525.

### EPITAPHIVM MARTINI DORPII.

Martinus *ubi terras reliquit* Dorpius,
*Suum orba partum flet parens* Holandia,
*Theologus ordo luget exstinctum decus,*
*Tristes* Camœnæ *candidis cum* Gratiis
*Tantum patronum lachrimis desiderant,*
Lovanienses *omnis opplorans schola*
*Sidus suum requirit, ô mors, inquiens,*
*Crudelis, atrox, sæva, iniqua & invida,*
*Itan' ante tempus, floridam arborem secans,*
*Tot dotibus, tot spebus orbas, omnium*
*Suspensa vota? Premite voces impias,*
*Non periit ille, vivit, ac dotes suas*
*Nunc tuto habet, subductus ævo pessimo.*
*Sors nostra flenda est, gratulandum est* Dorpio.
*Hæc terra servat mentis hospitium pia*
*Corpusculum, quod ad canoræ buccinæ*
*Vocem, resignans optima reddet fide.*

## EPISTOLA DCCLXXX.

Vives Erasmo.

PALAESTRITAM *te fecerunt isti, volueris, nolueris; sed sic ἀνταγωνιστῶ vincis, ut spectatores cognoscant te ei parcere, quem potueris prosternere: & sic conveniebat, ne in se traherent victoriam illi, quorum plausus esset orbis gemitus. Regi est heri tuus liber redditus* De libero arbitrio: *ex quo inter sacra legit pagellas aliquot, & ostendit sibi perplacere: ait se perlecturum; indicavit mihi locum, quo dicit se impense delectatum, quum deterres homines ab immodica perscrutatione adytorum divinæ illius majestatis. Regina etiam mirifice de hoc ipso te opusculo, etiam loco, diligit; jussitque hic tibi salutem suis verbis adscribi: simul agi gratias, quod vir tantus & de tanto argumento loquuturus, ita te demiseris, & rem tractaris tanta modestia. Quid Rex cupiat te in* Psalmos *annotare, cognosces ex* Montjoio, *cui Rex peculiariter scribendum mandavit; simul significavit mihi, se expetere colloquium tecum: de quo non dubito quin egerit cum* Moro, *ut est apud eum multus & gratiosissimus: ex ejus literis id intelliges. Quam feliciter agerent literæ, si hæc procella non incidisset! O illum tuum novum collactatorem imprudenter præfervidum! dum vel ingenio, vel argutiis, vel nominis dulcedini indulget, dictu facile quantum obfuerit optimæ causæ, pro qua primum prodierat; ut non sibi solum fidem abrogarit, sed para-*

*tam objecerit invidiam iis omnibus, qui aliquid ausi sint mutare de dictis illis melioribus. Gaudeo te recognovisse Epistolas* Hieronymi; *nam in illis erant quædam* μνημονικὰ ἁμαρτήματα, *quale in tua epistola ad me,* Publium *Mimographum, pro D.* Laberio *itidem Mimographo. Sed hæc quis etsi agnoscat, non ignoscat in ista eruditione & tot elegantissimis doctissimisque ingenii monumentis: verum ego tua omnia sic vellem exacta, ut nullam reperiret ansam vel ipse* Momus: *equidem cum te admoneo, sic ipse admoneri videor, vel reprehendi potius, ut illi qui* Catonem *reprehenderunt.* Linacer *reliquit homines magno doctorum omnium mœrore, quibus omnibus bene cupiebat, & favebat ex animo, plusque apud eum valebat opinio ingenii & eruditionis, quam suspicio simultatum,* συνίεις ὅππη πάντα. *Editur liber ejus* De emendata constructione, *in quo meminit tui honorifice, ut sentias eum non amasse modo, sed etiam reveritum te.* Franciscus Berckmannus *rogarat me, ut libellos meos recognoscerem, quos cuperet apud* Frobenium *imprimi: nunc scriptum est mihi, eum nescio quid causificari,* Frobenio *non vacare. Miseret me tui, cui toties fuerit cum ejusmodi homine negotium.* καθ' ὃ οἶμαι ἔγραφας *mendacium in* Colloquiis: *quærendus mihi erit alius, ne toties cogar huic homini succensere ab eo falsus. Si* Frobenius *vult recipere mea imprimenda, libens ad eum mittam, modo ne admisceat se* Franciscus *negotio: sin secus, invenies alium. Etiam miror tam raros nunc prodire Veterum libros excusos in* Germania: *ista vel pro* Luthero, *vel in* Lutherum *excusserunt de pectoribus studiosorum omnem aliarum literarum curam, tanta est spectandæ pugnæ istius dulcedo. Vale, mi domine.* Londino 13. *Novemb. Anno* 1525.

## EPISTOLA DCCLXXXI.

*Nicolao Everardo, Hollandiæ Præsidi.*

*ORNATISSIME Præses, solent Comici tumultus fere in matrimonium exire, atque hinc subita rerum omnium tranquillitas. Verum hanc catastrophen plerumque nunc habent Principum Tragœdiæ, non admodum lætam populo, sed tamen bellis potiorem. Malebat ille compilari quam venire. Similem exitum habitura videtur *Lutherana* Tragœdia. Duxit uxorem Monachus Monacham; & ut scias nuptias prosperis avibus initas, diebus à decantato hymenæo ferme quatuordecim enixa est nova nupta†. *Lutherus* nunc mitior esse incipit, nec perinde sævit calamo. Nihil est tam ferum quod non cicuret uxor. Ego sedulo hortor utramque partem, ut æquis conditionibus jungant fœdus, & insana prælia dirimant. Vis scire quantum proficiamus? Quantum solent ii, qui inter duos armatos ira vinoque furentes intercedunt dirempturi, & utrinque vulnerantur. Opinor te legisse *Apologiam* meam adversus *Sutorem*. Quis credidisset tam stupidum animal latere inter Theologos & *Cartusianos*? Et tamen hoc portentum habet Theologos applaudentes. Si venduntur isthic * desultorii libri *Jodoci Clithovei*, quæso ut legas in *Antiluthero* 3. libri cap. primum, num. 3. nam *Bedda* literis indicavit, eum locum ad me pertinere; quod si verum, quis non intelligit in illo pediculoso capite nullam esse micam sanæ mentis? Et tamen hujusmodi nebulones *Lutherus* armavit in nos. Nullum video finem, nisi si quis Deus à machina, quod ajunt, apparens fabulam explicet. *Lutherana* factio nunquam sustulit majores spiritus: & altera pars adeo nihil remittit, ut indies adstringat priora vincula. Habent novum dogma, sed simpliciter insanum, totos hos tumultus exortos ex linguis & bonis litteris. Hoc jam Principibus aliquot persuaserunt. Quoniam te videre aliter non licet, per litteras saluto. *Dorpium* amisimus ante diem. Hic longe supra centum millia rusticorum interfecta sunt, & quotidie sacerdotes capiuntur, torquentur, suspenduntur, decollantur, exu-*

runt

† Rumorem fuisse vanum fatetur ipse Erasmus Epist. DCCCI.

* Clariss. Bayle ad oram *Dict. Crit.* T. 1. p. 649. annotat, sic se conjectura restituisse, cum in Autographo legatur *begulitarii*.

Digitized by Google

Digitized by Google

KONINKLIJKE
BIBLIOTHEEK

Digitized by Google

An. 1525. runtur. Non nego necessarium remedium, quamvis immite, sed *Germani* magis novimus malefacta punire quam excludere.

Tibi, uxori tuæ, tuisque liberis precor omnia læta. Qui has reddet est *Franciscus Dilft*, quondam victor meus; juvenis honesto loco natus, moribus mire civilibus: quem cupio ut digneris cognoscere.

Datum *Bas.* 24. Decembris, An. 1525.

ERASMVS ROT. vere tuus.

Ex tempore manu propria.

Non vacabat relegere, ignosce.

## EPISTOLA DCCLXXXII.

*Erasmus Rot. Roberto Aldrisio Anglo* S. D.

SI memor es nostræ pristinæ consuetudinis, & si mores antiquos obtines, unum officium mihi præstes velim, quod absque tuo sumtu præstare poteris. In collegio Regali sunt Opera *Senecæ* descripta in membranis. Ex his multa subnotaram in codice meo. Editionem commendaram *Germano* cuidam, quem habebam pro amico fidissimo; is absente me pessima fide se gessit in excudendo Opere. Et ne deprehenderetur, optimam exemplaris partem sustulit. Hoc dedecus mihi sarciendum est. Quare te rogo, charissime *Aldrisi*, sume volumen Operum *Senecæ* à *Frobenio* excusi, & committe aliquibus bonæ fidei, qui denuo adscribant in margine quæ discrepant. Eum codicem sic notatum mittito ad *Thomam Morum*, ut per eum ad me veniat. Libros *Naturalium Quæstionum* scio editos. Eam collationem ego peragam. Dignus est *Seneca* hoc studio, debes tu quoque nonnihil studiis publicis; mihi præter mutuum amorem debes nihil. Reponam quicquid in hoc negotium impenderis vel ad assem, & insuper dabo operam, ne prorsus in sterilem fundum istam officii sementem feciss videaris. Magnopere velim istuc quam primum fieri. Saluta mihi veteres sodales, *Phaunum*, *Omfridum*, *Vachanum*, *Gerardum*, *Nicolaum* & *Joannem Siburgum* bibliopolas. Tibi sit pax & felicitas. Datum *Basilea* 25. Decembris, Anno 1525.

Sunt istic pervetusta quædam exemplaria, præsertim in collegio divi *Petri*. Adjuva nos una cum *Frobenio*, si quid potes, non lacesses ingratos officio.

## EPISTOLA DCCLXXXIII.

*Erasmus Roterod. Petro Barbirio* S. D.

PER *Livinum* famulum meum intelligo *Joannem Molendinum* recepisse dimidium pensionis hujus anni à *Joanne de Hondt*, idque auctoritate tuarum literarum, quibus significaras te hac in re placasse animum meum. Et ni in tempore meas literas attulisset *Marcus Laurinus* Decanus *Brugensis*, devorasset totam. Et postea scribis inter nos amicitiam fore perpetuam. Vetus proverbium est, *usque ad aras*, sed vetustius exemplum, *usque ad pecunias*. Quid te crudelius si nudo vestimenta detrahis, & spoliatum spolias? Tu scis quam simplici fiducia, quam sincero pectore, totum hoc negotium tuæ crediderim fidei, cui pari fiducia crediturus eram & vitam. Inter *Lutheranos* fere qui mihi erant juratissimi, nunc sunt hostes plusquam capitales. Quod si me fallit *Barbirius*, nulli posthac mortalium crediturus sum. Atqui pollicebaris ex *Paria* glebas aureas, & nunc detrahis tantillas micas? Sed extra jocum, mi *Barbiri*, de Cæsaris pensione nulla spes, ni me domum recipiam, & si redeam, nescio an sint præstaturi quod pollicentur. Nosti Comicum illud, vel aulicum potius, *mox*, *cras redi*, *ubi eras?* Et meum ingenium non ignoras, quam non improbus sim appellator. Debetur jam in tres annos pensio. Et hic magno vivo, crede mihi, non possum minoris quam sexcentis florenis aureis. Alo familiam, famulos tres, & equos. Semper aliquis est in legatione, & valetudo in dies fit deterior. Mense Junio plane perieram, nec unquam majore desperatione sum enixus. An. 1525. Satis acciæ sunt meæ res, etiamsi nihil decidatur. Scio me debere tibi quicquid est hoc fortunæ, sed boni *Mecenatis* est augere beneficium, non eripere quod dederit. Scribunt amici parum bene consultum illi pensioni, me esse homuncionem ἐφήμερον, te isthic versari in frequentibus pestilentiis. Quod si tertium veluti tibicinem supponas rem fore firmiorem. Est apud me *Livinus* cognomento *Algoet*, id est, *omnibonus*, servivit mihi plus quinque annos, in hunc velim transferri pensionem, si quid nobis accideret humanitus. Et est alioqui juvenis bona quapiam fortuna dignus. Sic profecit in utraque lingua in bonis literis ac disciplinis, ut me præcurrat. Denique *Gandavi* natus est, ut hoc ad commendationis cumulum adjiciam. Facies mihi rem vehementer gratam, si hoc quamprimum expedias. *Morillonus* scripsit de precibus priviariis, permisi ut meum nomen transferat in fratrem tuum *Nicolaum*. Accepi proximam fœturam *Stunicæ*. Homo plane certat cum *Pasquillo*, vereque *Lutheranus* est, qui re ipsa docet, nihil habere ponderis constitutiones Pontificias, qui tot edictis vetitus, nihilo secus peragit suam fabulam. Decretum est posthac hominem negligere cum suis næniis. Hic singulis diebus Euangelici novi jaculantur aliquid rabiosi libelli in caput meum. Non possum iniquius ferre, quando nuper in Pontificem emiserunt quædam, quæ nullus scurra evomeret in lenonem. Cogor edere libellum *De libero arbitrio*, quando jam rumor sparsus est, ne putent esse aliquid atrocius. Doleo Pontificis Legatum nihil egisse apud *Anglos*. Demiror quid sibi velint Monarchæ. *Hezium* saluta mihi diligenter, ac reliquos item amicos. *Basilea*, Anno 1525.

## EPISTOLA DCCLXXXIV.

*Erasmus Rot. Natali Bedde* S. D.

EX literis, quas *Petrus Richardus* scripsit ad *Lodovicum Berum*, intelligo nescio quid siniistri rumoris isthuc delatum, de profectione mea *Bezontina*, cui videtur ille fidem habuisse. Id jam mihi novum non est, nec vobis certe debebat esse. Non tamen patiar illum, quem virum bonum arbitror & simpliciter errare, diutius errore teneri. Historia profectionis *Bezontinæ* sic habet, neque enim quicquam vel affingam, vel detraham veris: *Fericus Carondiletus*, frater Archiepiscopi *Panormitani*, & Archidiaconus Ecclesiæ *Bezontinæ*, crebro suis literis invitarat, ut ipsum inviserem, imo si videretur, ut totus ad ipsum commigrarem. Tandem cum invitaret cœli amœnitas, & verna rerum facies, conscensis equis veni *Burentricum*, ut obiter salutarem venerandum illum senem, & totius virtutis exemplar, *Christophorum* Episcopum *Basiliensem*. Ejus affectui unum duntaxat diem dedi, qui me non erat dimissurus, nisi in reditu pollicitus fuissem moram longiorem: pollicitus sum, & inde profectus, comitantibus me præter meos famulos, *Theobaldo* pastore *Burentrucensi*, *Richardo* Capellano R. D. *Nicolai* Coadjutoris Episcopi, & *Ferioto* ejusdem loci sacerdote. Ex *Clara valle* comitatus est nos etiam hospes diversorii publici. Quum jam non procul abessemus à *Bezontio*, occurrit nobis sacerdos quidam, qui deducta domina quadam, nos item comitabatur. Hunc quum viderem velle præcedere, suspicabar *Theobaldum* illi indicasse nomen meum. Jussi revocari, & mandavimus, ne spargeret rumorem me adesse, priusquam ipse vellem hoc sciri. Multis enim horis eo die federamus in equis, & erat æstus vehemens, & novi concursus illos molestos salutatorum. Cupiebam eam noctem dare refocillando corpusculo. Decubui nonnihil ante cœnam. Sub noctem apposita est cœna. Inter cœnandum supervenit Officialis Archidiaconi cum altero quodam ex Archidiaconi familia. Gratulantur adventui, & indicant Archidiaconum abesse in sua Abbatia. Cæterum mandasse suis, ut si forte venirem ipso



Digitized by Google

An. 1525. abſente, tota domus aperiretur mihi, donec ipſe accurreret. Miſſi ſunt qui Archidiacono nunciarent me adeſſe. Miſſi ſunt & inſcio me qui nunciarent idem Officiali R. D. Archiepiſcopi *Bezontini:* nam aberat & ipſe. Poſtridie aderant duo, quorum alter erat Juris doctor, mihi quondam notus in aula Cæſaris, alter ejus civitatis magiſtratus, affinis Archidiaconi. Diu hæſerant ante fores. Rogabam qui eſſent, & quid vellent. Reſponſum eſt eos veniſſe ſalutandi gratia, ſed non audere compellare me, ne quid adferant moleſtiæ. Juſſi eos accerſi, & ſalutatus reſalutavi. Mox audito ſacro adii domum Officialis Archidiaconi, ut ibi laterem, donec adveniret Archidiaconus. Eo ſtatim venit *Franciſcus*, ejus Eccleſiæ Theſaurarius, juvenis nobilis & magnificis dotibus præditus. Salutavit humaniſſime, multam alacritatem præ ſe ferens. Illic juſſi parari prandiolum, ſed cum exceptione, ne quid præter pullum gallinaceum apponeretur, aut ne quis conviva admitteretur. Hæc feci conſulens valetudini meæ. Nemo venit præter *Theobaldum* comitem, & *Deſideratum* ejus Eccleſiæ Canonicum, virum pium & doctum. Cœnavimus apud Theſaurum *, Officiali tantum & *Theobaldo* adhibitis. Cœnantibus ſupervenit ludi magiſter. Poſt cœnam ejus Eccleſiæ cantor. Poſtridie vidimus aliquam civitatis partem, & pranſi ſumus apud *Antonium* Archidiaconi procuratorem. Aderant, Theſaurarius, Officialis, *Theobaldus*, & unus ſacerdos mihi parum notus, videbatur tamen noſtri ſtudioſiſſimus. Interim venerat Archidiaconus & item Officialis Archiepiſcopi. Archidiaconus conabatur me pertrahere ad cœnam Officialis reverſi. Excuſavi laſſitudinem, & coegi Archidiaconum cœnare mecum apud ſuum Officialem. Jam rumor dimanarat ad omnes adeſſe *Eraſmum*. Magiſtratus miſit magnam vini & avenæ copiam, honoris gratia. Pranſi ſumus apud Archidiaconum, frequentiore jam convivio: nam aderat uterque Officialis, *Deſideratus*, & unus aut alter præterea ex Canonicis, ſimulque is magiſtratus, qui me primum ſalutarat. Sæpe miſſi ſunt piſces eximii, & vinum hippocraticum, nunc ab illo, nunc ab illo: xenia mihi inutilia. Sic duos aut tres dies egimus, ut nuſquam ageremus convivium, niſi vel apud Archidiaconum, vel apud Officialem Archiepiſcopi proximè vicinum. Et quanquam ſedulo clamabam non eſſe mihi ſpem vitæ, niſi breviſſima eſſent & frugaliſſima convivia, tamen dum nonnihil obſequor affectibus illorum, ſenſi obrepentem pituitulam, malum mihi nimis notum. Magiſtratus cupiebat honoris mei gratia apparare ſplendidum convivium, & feciſſet, niſi clamaſſem me ſerio periclitari. Canonici interim exhibebant quicquid poterant honoris. Exhibebant & promittebant perpetuo præbendam duplicem, & item domum, & ad hæc pecuniæ nonnihil. Magiſtratus offerebat centum coronatos annuos. Reſpondi me non minus debere illis, quam ſi accepiſſem omnia quæ offerebant. Cæterum, me non alio conſilio veniſſe *Bezontium*, quam ut inviſerem veterem amicum Archidiaconum, quem ſi certo præſciſſem eſſe in Abbatia, ne venturum quidem fuiſſe *Bezontium*. Et ſi maxime vivendum eſſet *Bezontii*, malle me illorum affectu frui, quam uti beneficio, vel quod eſſem contentus mea fortunula, vel quod charior eſſet mihi libertas, quam pecunia. Adhibiti ſunt iterum atque iterum pueri phonaſci, cum cantoribus cæteris, qui nobis eſſent ſolatio. Interim morbus paulatim eo profecerat, ut ſi vellem vivere, abſtinendum fuerit ab omnibus conviviis. Tribus quatuorve diebus cibum ſumſi in cubiculo, prandium erat unum ovum, aut paullulum pullaſtræ contuſæ. Pro vino erat aqua cum ſaccaro decocta. Ipſum etiam Archidiaconum excluſi à colloquio, ſic poſtulabat valetudo. Tandem ubi paroxyſmus febris, nam ea ſeſe adjunxerat, eſſet aliquantulum remiſſus, molitus ſum abitum, ne illic decumbens eſſem alienis moleſtus: ſciebam enim morbum fore lentum,

* Lege *Theſaurarium.*

ut ſolet. Ergo quum jam utcunque ferrem colloquium, juſſi accerſi præcipuos amicos & egi gratias. Archidiaconum negotia quædam avocarant, mandarat tamen abiens diligenter, ut tota domus mihi pateret, ſerviretque. Poſtridie mane, jubeo parari equos, ſimulque mando ut vitetur turba deducentium. Egreſſo cubiculum adſunt tres aut quatuor ſalutatores, quorum unus erat Theologus *Franciſcanus*. Conſcendo equum, egreſſo portam domus adeſt præter alios aliquot *D. Antonius* Decanus in monte *Bellicardi*, & idem Canonicus *Bezontinus* ſalutat amantiſſime. Dum prætereo domum Officialis Archiepiſcopi, adeſt ipſe in mula, ſimulque Theſaurarius. Hi fruſtra recuſantem officium per mediam civitatem proſequentes ad duo millia paſſuum deduxerunt. Inſidebam equo parum magnifico, ſed mihi tamen commodo. Officialis diligenter egit mecum, ut conſcenderem mulam ſuam, duceremque *Baſileam* uſque famulum comitem, qui mulam reduceret. Vix impetravi ne fieret. Ita perveni *Baſileam*, nec offenſus à quoquam, nec offenſo quoquam, niſi quod valetudo fuerit in cauſa, ut & amicis fuerim moleſtus, quibus volebam eſſe voluptati, & mihi non licuerit frui conſuetudine eorum, quorum gratia veneram. Habes totam rem ut eſt geſta, ne ſyllabam quidem affinximus, ne quid tamen videar ſuppreſſiſſe, ſubjiciam rumores conſequutos abitum meum. Quidam è monte *Bellicardi* ſcripſerat *Theobaldo*, neſcio quos pertuliſſe rumorem, me cum peſſima omnium gratia diſceſſiſſe *Bezontio*. Demirans quid hoc eſſet monſtri, juſſi ut inquireret. Inquiſivit, & reperit aliquos errones *Lutheranos*, qui nuſquam non vagantur, fuiſſe *Bezontii* cum adeſſem: eos offenſos mihi ob *Spongiam*, recens tum editam adverſus *Huttenum* Euangelii protectorem, nonnihil blateraſſe in me. Erant autem *Germani*, per hos ſparſum vaniſſimum illum rumorem. Deinde *Theobaldum* idem venit *Baſileam*, expiſcatus ſum quid eſſet: reſpondit nihil eſſe, niſi blateramenta quorundam abjectiſſimorum hominum, qui inter ſordidos ea ſparſerant. Paulo poſt idem *Theobaldus* adiit *Bezontium*, & negocium quoddam citra difficultatem mea commendatione impetravit ab Archiepiſcopo. Reverſus eſt, interrogavi, quid rei fuiſſet; reſpondit, nihil prorſus eſſe præter unius aut alterius *Lutheriani* ſordidi blateramenta. Excuſſi famulos & comites, ſi quid contentionis fuiſſet *ipſis* cum quoquam. Negabant ſibi quicquam fuiſſe verborum, niſi cum ſordidis illis erronibus *Lutheranis*. Atque ut nunc ſunt res humanæ, nuſquam proficiſcor, niſi rumor multos commoveat, nec diſcedo niſi magno concurſu, qua re mihi nihil eſt moleſtius. Et in tam diverſis ſtudiis, fieri non poteſt, quin ſint qui ſpargant aliquid ſiniſtri rumoris. Verum hujuſmodi rumores ut de nihilo naſcuntur, ita mox evaneſcunt. Quid autem eſt mala lingua nocentius? Ea peſtis nullo ſeculo magis regnavit, quam hiſce temporibus. Felix eſſet, qui morſus omnes poſſet effugere, hac ætate nullus id poſſet, qui jam fama celebris ſit. Hæc cum veriſſima ſint, multiſque teſtibus comprobare queam, neſcio quid ſibi velint illa verba, *quæ ipſi acciderunt* Bezontii. Mihi nihil aliud accidit quam dixi: proinde hæc verba facile declarant aliquem ſceleratæ linguæ hominem iſthuc pertuliſſe rumorem atrocem, ac mendacem. Id neque novum, neque mirum eſt. Certe Theologi non erat talibus commoveri, aut ſi quid commotus eſſet, mandare literis, veluti certum ac perſuaſum. *Baſilea*, Anno 1525.

## EPISTOLA DCCLXXXV.

*Eraſmus Rot. Germano Brixio* S. D.

IN *Chryſoſtomo* vertendo videre mihi mirificum artificem præſtitiſſe, illiuſque copiam tua copia ſuperaſſe. Proinde ſi parum faverem tuæ gloriæ, mi *Brixi*, cui, ut debeo, faveo plurimum, certe favorem hunc præſtarem vel auctori *Chryſoſtomo*, vel Operi tam ſalutifero.

Digitized by Google

An. 1525. ro. Exemplar mihi bis redditum est cum epistola tua. Verum in diariis typographorum primam occupat paginam quæstus. Et id quod vertisti, jam ante fuerat versum utcunque, quod te non opinor fugere. Ad hæc totus *Chrysostomus* hic nuper excusus est magna pompa. Et ut ingenue dicam, mihi non est visa satis idonea tui nominis celebrandi occasio; quanquam habes in te, vir eruditissime, quo non modo tibi celebritatem augeas, (jam enim peperisti) verum etiam alios ex obscuris reddas illustres. Certe efficiam ut intelligas me occasioni non defuisse. Id fiet si videtur, absolutis Annotationibus, quo in pistrino nunc versor αὖθις αὖ. Vertam, adspirante *Christo*, lucubrationes aliquot *Chrysostomi* nondum editas aut versas à quoquam. His adjungam quod misisti non sine testificatione laudum tuarum, post dabitur opportunitas ut totus *Chrysostomus* à *Frobenio* excudatur cum majestate. Hic curari poterit ne tuus labor unquam intercidat. Quod prius dixi, fiet ante Pascha, si vita dabitur. In altero tu potes auxilio esse tum mihi, tum *Frobenio*. Multa sunt parum feliciter ab aliis translata. Multa nondum prodierunt. Ego nactus sum commentarios in *Acta*, quæ plane notha sunt. Item in Epistolam ad *Romanos* γνησίως. Rursum in Epistolam ad *Hebraos* nothos & versos. Item in Epistolam ad *Philippenses Homilias* duas, sed nothas, ni fallor, quas jam edidi *Latinas* factas. Præterea contra *Judæos*, & duodecim ferme *Homilias* intactas. Postremo, in Epistolam ad *Corinthios* posteriorem. Si quid præterea nanciscì poteris nondum versum, verte, aut si quid versum, confer & adjectis scholiis annota lapsus vel interpretis, vel librariorum, ita vendibilius fiet Opus. Habes consilii mei rationem, si quid habes melius sequar. Proinde fac ut animum tuum sciam quam primum. Non desino provehere rem literariam, quanquam video seculum hoc ad *Scythicam* quandam barbariem tendere, usque adeo nulla in parte quicquam ὑγιές. Clarissimo viro *Joanni Lascari* magnopere gratulor, primum incolumitatem, deinde convictum tuum, etiamsi hunc tibi magis etiam gratuler. Si nihil scripseris, tamen faciam quod dixi, favente Domino. Querelam illam de typographis, tametsi justam, sed veterem, tibique cum multis communem, satius existimo dissimulare. Utinam liceret aliquando coram miscere fabulas, mi *Brixi*. Vale cum gratissimo tibi sodali tuo. Demiror si ille amicus noster adhuc disputat è cavea. Bene vale. *Basilea*, Anno 1525.

## EPISTOLA DCCLXXXVI.

*Erasmus Rot. Othoni Brunsfeldio* S.

NAE tu prodigiosum somnium animo concepisti. *Petrus Sutor*, quondam Theologus *Sorbonicus*, nunc Monachus *Cartusianus*, in *Campania Galliæ*, scripsit in me volumen rabiosissimum, vociferans omnes translationes novas esse hæreticas & blasphemas, linguas ac bonas literas esse fontem omnium malorum. Ei respondi, sed sic ut præter unum illum neminem lædam; ne responsurus quidem, ni liber dicatus esset sodalitati *Sorbonicæ*, & excusus ex auctoritate Theologorum *Lutetiæ*. In te vero adeo nihil meditamur, ut eruditum quendam ac facundum hominem, quem amici scribunt tuo in me libello respondere, crebris jam literis per omnia sacra sim obtestatus, ut si non orsus esset, ne ordiretur; si esset, aboleret in gratiam meam, si me vellet amicum. Utinam hujusmodi contentiones aniles, ut vocas, displicuissent tibi priusquam libellum tuum ederes, ac potius in consilium adhibuisses prudentiam, quam quosdam, qui ex alienis incommodis sua venantur commoda. Atque utinam *Huttenus* magis auscultasset meis literis, quas non unas amanter ad illum scripseram, ne tali libello edito, & utriusque nostrum opinionem læderet, & stolidis quibusdam, literarum hostibus spectaculum ederet gratissimum. Quod mihi condonas omnia, quæ habes adversum me, non video quid tibi debeam isto sane nomine. Nam à me nunquam fueras læsus, & longe alium esse judicabam, priusquam libello proderes animum tuum. Consulueris rei tuæ, si istam animi ferociam vertas ad moderationem ac mansuetudinem *Christianam*. Nam hæc ipsa tua conciliatrix epistola quantum habet minarum, ne conviciis quidem vacans, tantum concepta vana suspicione ex nomine *Sutoris* & *Cartusiani*. Erat hoc vel mediocris prudentiæ, rem certius cognoscere, priusquam ad minas aut convitia descenderes. Ego nullius amicitiam sum unquam adspernatus, neque quisquam à me lacessitus est ad inimicitiam. Cæterum difficile est amicitiam tueri cum tam ferocibus & irritabilibus ingeniis. *Christianum* animum, quem polliceris, tibi gratulabimur, si præstiteris. Officia tua nec ambio, nec adspernor. Satis amicum putabo, si tibi ipsi præstiteris amicum. Satis officiorum fuerit, si non lædas famam alienam, quod solum potes, & facillimum est, hoc præsertim tempore. Bene vale. *Basilea*, An. 1525. An. 1525.

## EPISTOLA DCCLXXXVII.

*Erasmus Roterodamus Hieronymo Emsero* S. D.

SCRIPSI nuper prolixam &, ni fallor, molestam epistolam; nunc nihil erat quod scriberem, nisi quod qui has perfert, *Jacobus* est *Ceratinus*, homo tam *Græcanicæ* literaturæ callens, ut possit vel in media *Italia* profiteri, nec seipso inferior in literis *Latinis*; ad hæc modestia pene immodica, moribusque plane niveis, & ab omni fuco prorsus abhorrentibus; hunc jussu Principis evocavi, magis optans quam sperans fore, ut conditionem acciperet. Itaque posteaquam hactenus feliciter cessit quod egimus, tuæ quoque partes erunt adniti, ne me pœniteat hac in re Principis voluntati gessisse morem. Perlegi libellum tuum, in quo quum mihi cætera placeant, tamen illud admiratus sum, cur illi tribuas suaviloquentiam, quum mea sententia nihil illius phrasi sit inamœnius. In calce præscribis Monachis ac sacerdotibus leges mutandæ in melius vitæ, quas utinam amplecterentur. Nunc neutra pars semet accommodat ad sarciendam concordiam, sed addit potius utraque tumultuandi materiam. Monui per literas non semel, tum Cæsarem, *Ferdinandum*, alioque Principes, tum Pontificem & Legatum *Campegium*, rem felicius cessuram, si subtraherentur hujus mali seminaria, verum adhuc videor mihi surdis canere. Imo propemodum ut *Lutheranus* traducitur, qui velit Pontifices, Episcopos, Sacerdotes, ac Monachos meliores esse quam sunt. Vale. *Basilea*, Anno 1525.

## EPISTOLA DCCLXXXVIII.

*Erasmus Rot. Benedicto Jovio Mediolanensi* S. D.

EQUIDEM humanitatis laudem, quam tu mihi pro tua humanitate affatim tribuis, non gravarer agnoscere, si mihi per valetudinem & assiduos studiorum labores, quos pene superant literarum officia, liceret eam præstare, quibus & vellem, & debeo. Cæterum quis posthac ut ἄτοπον admiraturus est, τὸ, ἐκ μυίας ἐλέφαντα, quum tu, si Musis placet, ex *Erasmo* vere *Batavo* facias *Varronem*? Quid enim mihi cum illo commune, nisi forte senectus & πολυγραφία; Satis feliciter excitaram apud *Germanos* linguarum ac politiorum literarum studia, nec omnino maligne respondit industriæ theatri nostratis applausus, (nec enim *Italis* agebatur hæc fabula) nisi fatalis hic tumultus ex transverso fuisset obortus, qui primum dissidiis, & insanis conflictationibus commiscuit omnia, nunc ad multam humani sanguinis inundationem progressus. Quis homo, ut nihil sit aliud, non ingemiscat tam late vagantem humanæ tranquillitatis calamitatem? Tolerabilius esset malum, nisi ruina noxiæ partis multos innoxios involveret exitio. Fit interim quod solet in publico incendio, sibi quisque quod potest rapit. At vereor ne Principes quidam hoc fatali malo abutantur



Digitized by Google

An. 1525. ad ſuam tyrannidem. Sunt populi, quos mundus jam pridem gravate fert, & ſubinde meditatur excutere. Qui primum erant pauci bonique velut *Æginetæ*, nunc plurimi ſimul & peſſimi totum orbem occuparunt, permixti ſunt plebi, invaſere magiſtratus, penetrarunt in aulas Principum. Si coneris unum quempiam ulciſci, condenſant ſeſe phalanges. Ab his primum orta eſt hæc tragœdia odio meliorum ſtudiorum. Hi nunc inſultant & jactitant, ex linguis ac politioribus literis malum hoc eſſe natum, & inveniunt Principes, quibus hoc perſuadeant. Et me clamitant novandorum ſtudiorum auctorem & anteſignanum, quod mihi quidem in totum infiçias ire nec licet, nec libet. Horum tyrannicos ſpiritus, & effrenatam audaciam, ni deus aliquis compeſcat, video bonis literis & harum cultoribus famem & exitium inſtare. Verum hanc nimis prolixam querimoniam præſtat miſſam facere. Neque *Nonnum*, neque *Germanum* illum ſcholiaſten uſquam vidi, ἀφ' ἀρχῶ apud *Græcos* uſurpari pro *prorſus*, aut *omnino*, nunquam apud me dubium fuit. Nec enim uno in loco ſic poſitum invenio, nec mihi veriſimile eſt, hoc fugiſſe *Politianum*. Verum, ni fallor, aut eam ſermonis formam apud probatum aliquem Auctorem repererat, aut viſum eſt exprimere *Græcam* figuram, quod veteres eruditi ſolent non illibenter facere. Sed non arbitror huic ſermonis tropo reſpondere τῶ ἀρχῶ. Etenim cujus rei ne initium quidem aliquod cœptum eſt, ea omnino non fit τῶ ἀρχὴν, niſi quod in *Gregorio Nazianzeno* ſemel invenio, σὺ ᾗ ἀφ' ἑμῆ τῶ ἀρχὴν, at non ſine negatione: τῶ ἀρχὴν abſque negatione, præterquam apud *Joannem*, nuſquam reperio: quod ſi recte loquitur, quod eſt extremum dicturus, τέλος, congruenter ex multis quod eſt primum dicturus, recte dicit τῶ ἀρχὴν. Neſcio an videris tertiam Novi Teſtamenti editionem. In ea paulo accuratius hiſce de rebus diſputo. De orthographia quarundam dictionum non ſoleo cum quoquam contendere, præſertim quum ea nec apud omnes nec omnibus ſeculis fuerit eadem. Verum eſt tamen eam eſſe probatiſſimam, quæ proxime refert originem, niſi publicus conſuetudinis conſenſus reclamet. *Adfero* malim quam *affero*, & tamen non auſim dicere *herpyllum* pro *ſerpillo*. Quæ diſſeris de antiquitatibus mihi quidem voluptati fuerunt, nec mihi ſolum, ſed eruditis etiam aliquot, quibus hanc ob cauſam tuas literas communicavi, præſertim *Beato Rhenano*, viro quum undiquaque doctiſſimo, tum hujus quidem generis adprime curioſo. Nobis non vacat iſtiuſmodi deliciis oblectare animum. Sane recreavit me in literis tuis *Alciati* mentio, qui, quod eſt rariſſimum, cum eruditione tam varia, tamque non vulgari, & ſingularem prudentiam & admirabilem ingenii candorem copulavit, ingens olim decus futurus & ſtudiis & patriæ, ſi fortuna dotibus illius aliqua ſaltem ex parte reſponderit. Bene vale. *Baſilea*, Anno 1525.

## EPISTOLA DCCLXXXIX.

*Eraſmus Rot. Matthiæ Laurino, Domino de Watervliet.*

EX *Marci Laurini* literis cognovi, quod mihi fuit longe gratiſſimum, te recte valere, veteremque tuam in me benevolentiam, nec locorum, nec temporum intervallo poſuiſſe. Quorundam male auſpicatorum hominum improbitate laborant bonæ literæ, & qui his provehendis navarunt ſtrenuam operam, lapidantur à picis, graculis & corvis, ego cum primis. Quod ni eſſent boni ominis aves, quæ funeſtis obſtreperent, prohibeant ſuperi, quod iſti videntur auſuri. Quare tibi, vir generoſe, non meo tantum, verum etiam literarum ac publico ſtudiorum nomine gratias ago, quod adverſus iſtos blaterones optimam cauſam & prudenter & feliciter tueris. Rurſus apud *Hiſpanos* tantos excitarunt tumultus mendici quidam, ut nec à Cæſare, nec ab Archiepiſcopis compeſci quiverint. Tantum valent clamoribus. Tota ſpes illis eſt in maledica lingua. Niſi me revocaret *Chriſtiana* modeſtia, & ni vererer, ne dum improbis digna rependo, lædam probos, ſentirent qualem artificem provocaſſent. Miror autem iſtos nullum moliendi finem facere, quum toties male ceſſerit conatus. Quid enim aliud efficiunt, niſi quod exacerbant publicum in ipſos odium. Metui volunt, non amari, quo quid eſſe poteſt magis tyrannicum? Tyrannus qui timetur à multis, multos metuat oportet, & mendici volunt & Regibus eſſe formidabiles, eo progreſſæ ſunt res humanæ. Cura ut quam optime valeas. *Baſilea*, An. 1525. An. 1525.

## EPISTOLA DCCXC.

*Eraſmus Rot. Thomæ Lupſeto S. D.*

QUID ego nunc tibi gratias agam, *Lupſete* chariſſime, pro tuis tam fidelibus officiis, quaſi vero quicquam novi feceris? De Proverbiis excudendis non eram anxius. Sed hic eſt *Caroli* mei genius, in re quamlibet levi multum pulveris movet. *Commentarios in Acta, Chryſoſtomi* deſiderabam, ſed ille maluit redire vacuus, puer tenellus, & omnis laboris impatiens. Nunc curatum eſt ut equo redeat. Tu tantum vide ne liber ſit mutilus, aut mendoſus. Spero *Pacæum* noſtrum jam convaluiſſe: male ſit iſtis legationibus ac relegationibus: illud ingenium Muſis erat natum; vereor autem ne nonnullam mali partem addiderint τὰ ἀφροδίσια. Periclitatur & *Philippus Melanchthon* eodem inſomniæ, ut ferunt, morbo, cui *Fredericus* Dux moriens legato reliquit mille florenos aureos. *Lutherus* duxit uxorem, puellam mire venuſtam, ex clara familia *Bornæ**, ſed ut narrant indotatam, quæ ante annos complures veſtalis eſſe deſierat. Quin & ipſe *Lutherus* pallium & barbam Philoſophi poſuit, fratrum hortatibus huc adactus. Vivit mecum *Thomas Greius*, una cum filio natu minimo, is negat quicquam novi fieri in *Anglia*: metus obſtat. Agricolarum tumultus utcunque ſedatus eſt, ſed cum hydra res eſt, uno malo reſecto, ſuppullulant alia. Magna rerum novarum molimina, ſed nullam video certam ſpem pacis. O te felicem, cui datum ſit, omnium rerum ſecuro, in Muſarum viretis ludere! Ego hac ætate, cui miſſio dari ſolet, cogor retiarium agere, imo cogor cum beſtiis depugnare, ſolus cum multis, exarmatus cum iis, quæ non tantum dentibus & unguibus, ſed & venenis armatæ ſunt. *Lutherum* tam ferum, ut ajunt, aprum in me provocavi. Habet ille librum ἀντίμαχον paratum, nec ſatis conjecto, quo conſilio premat tam diu. *Carolſtadius* hic clam ſparſis libellis aliquot, *Germanice* ſcriptis, perſuaſit in Euchariſtia nihil eſſe præter panem & vinum. Is error tanta celeritate corripuit animos omnium, ut ad naphtham flamma tardius tranſvolet. Eam perſuaſionem duobus libellis editis confirmavit *Hulricus Zwinglius*, nuper etiam *Oecolampadius* edito libello tam operoſo, tot machinis inſtructo, ut provinciam difficillimam tradiderit reſponſuris. In hoc certamen ego protrudor, ad quævis natus citius quam ad agones. Atque adeo dum hæc ago, nihilo ſecius ſum *Lutheranus*, & famoſis libellis proſcindor. *Latomus* edidit ſimul tres, ſed à nomine meo temperans, hæc eſt tota civilitas, verum miris ſtrophis ludit in caput meum. Rem ipſam frigidius tractat quam vellem, aut exſpectabam, nam cauſæ faveo. *Vincentius, Duvelandus, Godefridus, Gualterus*, quatuor *Dominicani*, clam eundem libellum emiſerunt, plenum conviciis pluſquam ſcurrilibus, ſed quo nihil fingi poterat indoctius, aut ſtultius. *Lutetiæ* proſiliit liber *Petri Sutoris*, quondam *Rabini Sorbonici*, nunc Monachi *Cartuſiani*, μαίνεται ἀτέχνως, cui reſpondi, ſed pœnitet operæ. In *Lutherum* nihil adhuc ediderunt præter articulos, in me libris debacchantur, ſatis declarantes, quanto pejus oderint bonas literas quam *Lutherum*. Hanc gratiam mihi retulerunt pro quorum caſtris depugno cum hoſtibus, non abſ-

* Scribendum, *Boriæ*, vel *à Bore*; ut recte monet Clariſſ. Bayle *Dict. Crit.* T. 1. p. 646.

Digitized by Google

An. 1525. absque capitis mei periculo. In cujus comitatu nunc adest *Carolus* meus, est *Joannes à Lasco*, *Poloniæ* Comes, summo apud suos loco natus, brevique ad res maximas evehendus; cæterum, præter eruditionem haudquaquam vulgarem, moribus est adeo facilibus, candidis & amicis, ut mihi jam vita cœperit adlubescere, ex ejus domestico victu veluti repubescenti. Verum hæc est fatorum invidia. Si quid mali est, hæret sine fine, nec potest excuti: Si quid obtigit boni, quæ rara avis est, ilico rapitur vix degustatum. Quidam Procerum per literas à me petiit, ut inclytæ Reginæ aliquid ederem de servando conjugio, captæ, ut scribunt, libello, quem edidi, *De comparatione virginis & martyris*. *Vives* illi dicavit, *Virginem*, *Uxorem & Viduam*, unde miror quid præterea desideret. Attamen illi geram morem, ubi pugnam hanc de Eucharistia depugnavero. *Carolstadius* post longos errores reversus est *Wittenbergam*, καὶ παλινῳδήσας receptus est in Ecclesiam illam. Vide clementiam Euangelicam. Bene vale. *Basilea*, Anno 1525.

## EPISTOLA DCCXCI.

*Erasmus Rot. Joanni Sucqueto* S. D.

DESTITVIT nos *Antonius Sucquetus* frater tuus, vir ornatissime, patronus *Erasmi* candidissimus, ac bonarum literarum invictissimus propugnator, cujus mortem, nobis alioqui multis nominibus acerbissimam, ob id aliquanto moderatius ferimus, quod confidimus te pro tua humanitate in germani vices successurum. Id ut faceres te etiam atque etiam rogarem, nisi mihi persuasum esset, tibi eam provinciam jamdudum sponte susceptam esse. Sunt complures *Lovanii*, velut in hoc conjurati, ut Collegium *Busleidianum*, unicum nostræ regionis, imo totius Cæsareæ ditionis, ornamentum, sublatum cuperent: eique miris cuniculis exitium moliuntur, unde quum omnibus publice pariter ac private proditura est summa utilitas, tum aulæ Cæsaris prodibunt eruditi Secretarii, cordati Consiliarii, Legati facundi, Proceres non tantum imaginibus nobiles; denique Principes, qui, si videatur, possint Oratoribus citra interpretem respondere; postremo gravioribus illis disciplinis, atque adeo cunctis bonis artibus plurimum lucis ac dignitatis accedet. Si non esset institutum tale Collegium, nihil prius erat curandum Cæsari, quam ut suis impendiis institueret. Nunc rem egregiam, aliena benignitate datam, non desunt qui conentur amoliri. Quosdam impellit ingenii stoliditas, alios amor quæstus, nonnullos livor, sunt qui subserviunt alienæ voluntati: quare te rogo majorem in modum, ut quod *Antonius* feliciter orsus est, tu gratia & auctoritate tua, quam tuo merito vales in aula plurimum, perficias, ut hoc Collegium sit omnibus aulæ Proceribus quam maxime gratiosum. Reditus adhuc tenues sunt: vix alunt Professores, eos augebit Principum ac divitum liberalitas, te tuique similibus rem provehentibus. Ego vero non hoc tantum mihi de te polliceor, vir clarissime, verum, nihil dubito quin totum *Antonium Sucquetum* sis nobis repræsentaturus. Quid enim illius ingenio magis niveum, quid amico amicius, quis in officio promptior, in consilio fidelior, quis justi tenacior, quis fucis, fraudibus, & injustitiæ infensior? quanta pietas citra superstitionem? quam perspicax sanumque judicium, multum abhorrens à vulgi judiciis? Quanta dexteritas in rebus gerendis, quot dotes, quot ornamenta in uno viro perdidit aula Cæsaris? quanto studio id agebat, ut liberi, quos habebat aliquot, mire patriam indolem referentes, honestissimis disciplinis jam inde à teneris instituerentur? Maximum natu destinarat Theologiæ, proximum studio Juris, tertium, admodum puerum, bonis literis dedicarat. Et hic fraternas vices geras oportet. Quum erit commodum salutabis mihi *Joannem* bombardarum opificem, vicinum tuum, veterem amicum meum, qui cum olim arma commutavi, in amicitiæ symbolum, nec id multo congruentius, quam fecerunt *Glaucus* ac *Diomedes*. Dedi *Enchiridion*, nosti librum jam olim per omnes orbis plagas volitantem, *Latine*, *Gallice*, *Germanice*, *Hispanice*, *Tusce* loquentem: ille contra dedit gladiolum, quo non magis adhuc sum usus, quam ille libro. Bene vale. *Basilea*, Anno 1525. An. 1525.

## EPISTOLA DCCXCII.

*Erasmus Roterodamus Francisco Sylvio* S. D.

JAM unis atque alteris literis me provocas, *Francisce* charissime, iisque prolixis. Et jure desideras in me tam ampliter abs te prædicatam humanitatem, ni, quod tibi nunc facio, nonnunquam facerem & Cardinalibus, non desidia, sed ocii penuria. Certe candorem istum tuum amo & exosculor. Quantum opera mea promoverint bonæ literæ nescio. Illud scio mihi per quosdam pessimam referri gratiam, id quod ego magna ex parte tumultibus hisce fatalibus imputo. Felices, quibus interim licet spectatores agere; ego hac ætate, cui conveniebat quies & tranquillitas, pertrahor in arenam gladiatoriam vel casurus, vel occisurus, imo potius simul & jugulaturus & jugulandus. Mundus parturit miram rerum immutationem, in hoc confinium mea senectus parum feliciter incidit. Quantum augurari licet, videntur omnia tendere ad *Scythicam* barbariem. Ego jam cursu defessus *Beraldo*, *Brixio*, tibi, vestrique similibus trado lampada. *Deloinus* destituit bonas literas. Nuper & *Papilio* nos reliquit. Dices male pensatam epistolam tuam, non ob id tantum quod pro copiosa recipis exilem, verum etiam quod pro tam expolita simpliciter rudem. Si spectes scriptum, non respondi *Francisco*, sin animum, plane respondeo, semperque responsurus sum. Video fere fieri, ut iis, qui ducuntur amore politioris literaturæ, parum conveniat cum Theologis, ac vicissim Theologi non satis æqui sint melioribus studiis. Principum diutina dissidia tandem matrimonio quopiam componi solent: utinam exoriretur aliqua nympha, quæ vos mutua benevolentia jungeret, magisque florerent utriusque gentis studia: nunc dum utrique alteris obstrepunt, collabuntur omnes disciplinæ. Bene vale. *Basilea*, Anno 1525.

## EPISTOLA DCCXCIII.

*Erasmus Roterodamus Cutberto Tonstallo, Episcopo Londoniensi*, S. D.

ISTVD tam pium studium, tam flagrantem erga Ecclesiam Dei zelum, non possum equidem non vehementer probare, Præsul cumprimis observande: nec dubito quin istum mentis impetum judicio susceperis: at mihi meique similibus circumspiciendum est, ne, quod scribit Apostolus, zelum habeamus, sed non secundum scientiam; ac, juxta *Parmenonis* Comici dictum, metuendum ne nimium calidum hoc sit modo. Siquidem video quibusdam usu venire, ut dum majore studio quam judicio rem gerunt, non solum una cum zizaniis evellant triticum, quod *Christus* in Euangelio fieri vetuit, verum etiam pro zizaniis evellant triticum; dum vel prius damnant quam intelligunt, vel quod pie dictum est interpretatione depravant: idque videri volunt zelum religionis, & hæreseon odium, quum hæc præcipua sit pestis & pietatis & concordiæ. Sic qui vehementer amant quempiam, nihil in eo non laudant: qui vehementer oderunt, nihil non damnant. In *Lutheri* scriptis quædam audio reprobari, quæ, si sobria collatione inter eruditos & integros disputarentur, nonnihil conferrent ad spiritualem & Euangelicum vigorem, à quo mundus nimium profecto degeneravit: idque eorum opera potissimum, qui apud *Italos* Jus Pontificium professi sunt, magna quidem cum laude, tum ingenii, tum industriæ, sed utinam pari fructu veræ pietatis. Constitutiones hominum, quoniam imperitæ multitudini fere parantur, hoc agunt,

Digitized by Google

An. 1525. gunt, ut minus peccetur: *Christi* Philosophia longe altius vocat, & aliis rationibus ingreditur. Fateor esse verissimum, quod tu non minus eloquenter quam erudite disseris, priscos Ecclesiæ proceres nusquam magis declarasse, quid ingenio, doctrina, facundiaque valuerint, quam in conflictibus adversus hæreticos, nec aliunde plus veræ laudis retulisse: & huc me provocas splendidis sane exemplis, *Origenis*, *Basilii*, *Cypriani*, *Hieronymi*, *Augustini*: verum ubi me cum his confero, me miserum, protinus, ut *Homerice* dicam, παρὰ ποσὶ κάπτεσε θυμός. Utinam eas vires, quas mihi sermone tribuunt multi, re itidem dare possint. Hoc unum polliceor, me pro mea qualicunque portione non defuturum Ecclesiæ negotio. Utinam de exitu rei tua te fallat divinatio, mihi non admodum sagaci jamdudum idem subolet: quod si eveniat, vereor ne pro excussis Pontificibus, Episcopis & Principibus, sordidos quosdam dominos recipiamus multo illis inclementiores. Nam ἀναρχίαν jampridem mussant ii quos Anabaptistas vocant: aluntur & alia dogmatum monstra, quæ, si proruperint, efficient, ut *Lutherus* propemodum orthodoxus videri possit. Mussatur & illud, baptismum nec in adultis, nec in parvulis esse necessarium. Quod si persuaserint, id quod moliuntur quidam, in Eucharistia nihil esse nisi panem & vinum, non video quid nobis reliquum faciant de sacramentis Ecclesiasticis. Exstitit aliud insaniæ genus, Prophetæ volunt videri, sed ridentur ab omnibus. Nulla quidem adhuc exorta est secta, quæ de *Christo* prædicet impie: multis tamen hic opinionum tumultus addidit animos, ut ausint non solum de *Christi* divina natura blasphema loqui, verum etiam de Scripturæ totius auctoritate dubitare. Ita fit, quoties semel effractis repagulis sese in licentiæ campum effudit hominum temeritas, nullum facit insaniendi finem, donec omnia secum involvat exitio. Istis, ut verissime scribis, omnia displicent, sed quidam è diverso omnia mordicus retinent, nec ea quidem mutari volentes quæ perperam irrepserunt in Ecclesiam, & unde scatet præcipua *Christiani* populi corruptela. Quumque dicimus illis, vehementer iniquum esse ob hominum vitia convellere quæ recta sunt, respondere solent, ut sunt linguaces, eos, quorum arbitrio gubernatur Ecclesia, nec Dei timore, nec Scripturarum admonitu, nec Principum auctoritate, tot jam seculis hactenus corrigi potuisse, nec aliam esse viam medendi, nisi perturbatis omnibus. Utraque pars ad se trahit funiculum contentionis. Malum hoc immedicabilius reddit Principum pertinax discordia, quod ita velim radicitus exstirpari, ne ad tempus repressum, paulo post majore exitio rebulliat. Restituendæ Ecclesiæ formam nobis depingit liber *Esdræ*. Bona spes esset, si Dominus nobis talem Principem mittere dignaretur, qualis fuit *Esdras*; talem Pontificem, qualis fuit *Josue*; talem Prophetam, qualis fuit *Aggeus*; talem populum, ut dum reclamat impiis dogmatibus, correcta mala vita, bonis operibus ædificet civitatem ac domum Dei: sic enim legimus, *Una manu faciebat opus, & altera tenebat gladium.* Ædificantium enim unusquisque gladio erat accinctus renes, & ædificabant, & clangebant buccina. Nunc si in clamoribus aliquot Theologorum ac Monachorum parum sobriis, si in armis & copiis Episcoporum & Cardinalium tota spes nostra est, demirabor si per ea poterit sanari malum, unde præcipua scatet occasio mali. Sed nondum promeremur, ut afflatu Spiritus expergiscantur orbis primates. *In Domino confida, qui non irascitur in perpetuum:* & nunc merito cum Psalmographo dicere possumus, *Reppulisti nos, & destruxisti nos*: utinam liceat & illud accinere, *Iratus es, & misertus es nostri.* Illud certe licet, *Commovisti terram, & conturbasti eam, sana contritiones ejus, quoniam mota est.* Sed næ ego insigniter impudens, qui hæc ad te. Dominus pietatem tuam sospitet ac prosperet in ævum, Præsul ornatissime. Datum *Basileæ*, Anno 1525.

## Epistola DCCXCIV.

### Vives Erasmo.

De Franciſco* *nimis multa: non est ille tanti.* A Frobenio *iniquum esset postulare, quod foret ei damnosum. Mea Opera non distrahi, mirandum non est; quippe non solum carent genio, sed etiam ingenio, & peritia, & nomine, denique iis rebus omnibus, quibus commendari libri solent: quaremus alium, cui minus doleamus nos imposuisse, quam* Frobenio, *excudendis monumentis tuis præclare de literis merito; mihi vero præclaram ipse videor famam consequutus, si quod in epistola tua scribis, ex animi sententia dicis, & non das meis auribus: nec aliam gloriam quæro, quam tibi & tui similibus, si qui modo sunt, placere; qua enim potest esse major? aut quid magnificentius? unus* Plato *instar est mihi totius populi* Athenienſis, (*inquit poeta ille & musicus*) *mihi cane & Musis: cujus judicio verius possint æstate hac accommodari illa, quam tuo? Quocirca supervacanea est illa admonitio in extrema tua epistola*, Nos bene fortunantibus Musis ac Gratiis, amicitiam perenniter tueamur: *non sum tam negligens, ut patiar elabi amicitiam usqueadeo decoram mihi atque honorificam; consertis eam manibus, sicut dicitur, retinebo: nam de te nihil addubito. Ante quartum diem* Christo *adjuvante dabo me in iter* Britannicum: *illinc scribam ad te longius; nunc enim nihil est scriptione dignum. De pace puto isthuc esse jam perlatum; hoc est, de quiete & vocatione ad flagitia, si qua erant per belli angustias excluſa, aut intermissa: utinam contingat pax à* Christo *animis nostris & Ecclesiæ suæ, illa quam mundus dare non potest. Dissecta omnia tanquam factionibus, sed catastrophe approbanda* Christo, *& ab illo uno exspectandus plausus: etiam χάριεν ταῦτα ἐκ ἀκινδύνου, & quod quis miretur magis, utrunque. Salutat te multo officiosissime* Fevinus *noster. Vale plurimum, præceptor optime.* Brugis 14. *Febr. Anno* 1526. An. 1526.

## Epistola DCCXCV.

### *Erasmus Roterodamus Laurentio Campegio Cardinali* S. D.

Ex literis tuis superioribus ingentem animo lætitiam conceperam, quod intelligerem *Clementem* VII. ex illa fatali Medicum familia rerum gubernaculis admotum: quem tametsi non cognorim, nisi ex tuis *Pacæique* literis, tamen mirum est quam mihi mens non læva, ut arbitror, nescio quid magnæ felicitatis præsagit. Hoc gaudium mihi conduplicarunt posteriores literæ tuæ, quæ significant te in nostram *Germaniam* delegatum, ut hos infelices temporum tumultus auctoritate tua sapientiaque componas, qui nulli bono non gravissimi sunt: mihi sane etiam usque ad vitæ tædium displicent. Quanquam autem vere provinciam susceptisti plenam difficultatis ac molestiarum, tamen bona spes est tuam istam ingenii dexteritatem & parem humanitati prudentiam, difficultatem omnem superaturam, præsertim *Christo* sanctos conatus tuos bene fortunante. Atque utinam hic modo possimus aliquid adferre momenti, nulli negocio libentius immoreremur. Verum, hoc corpusculum per se quidem imbecille, sed senectute fit imbecillius in dies. Toties impetit crudelissimus calculi dolor, ut ad quamvis occasionem periclitet de vita. Porro menſe Julio & diu & gravissime laboravi, sic ut nulla spes esset vitæ: sed multo etiam gravius ad natalem *Christi*, sic ut mors in votis esset, vita in desperatione. Nulla enim mors acerbior esse potest hoc cruciatu. Quibus malis sic afflictæ fractæque sunt hujus corpusculi vires, ut summa vitæ moderatione vix subsistam. Itaque jam pridem equos meos vendidi, desperans in posterum me laturum agitationem. Jam si quid adesset virium, hoc tempore non poteram occurrere Celsitudini tuæ, quum iter esset per

* Berckmanno, bibliopola Antuerpiensi; de quo vide Epist. DCCVI.

Digitized by Google

An. 1526. per hypocausta, ad quorum nidorem exanimor, si vel uno prandio feram. Quæ res me cogit ut *Basilea* in propriis ædibus habitem, quæ aulam habent cum fumario. Idque non sine gravi meo sumptu, nec minus gravi cura. Postremo, usque ad dimidiatam Quadrageſimam non potero abesse ab his, quæ nunc simul & scribuntur nobis, & à typographis excuduntur. Decrevi tamen hac æstate feriarum nonnihil à studiis gravioribus sumere. Itaque si valetudo fuerit mediocris, ubi desierint fervere *Germanorum* hypocausta, libens isthuc me conferam, nisi quid inciderit quod alio revocet. Nam Cæsar & illustrissima *Margareta* revocant in *Brabantiam*, ut adsim in legatione, quam adornant *Romam*, ad exhibendam obedientiam novo Pontifici. Nec interim tamen meam operam ulla in re desiderabis, quæ quidem à me præstari queat. Mihi nulla est apud *Germanos* auctoritas, gratiosus aliquando fui. Verum ea gratia tota periit, posteaquam cœpi adversari Euangelio: sic enim loquuntur isti. Tantum odii mihi conflavi, ut emori maluerim. Sed hoc quoque malim, quam à concordia Ecclesiæ in factionem aliquam me conjicere. Eruditio vero infra mediocritatem est. Et tamen non solum hoc ipsum, quod nobis domi est, libenter conferemus in hoc negotio, verum etiam doctos amicos in consilium adhibebimus, qualem hic unum habeo potissimum, *Ludovicum Berum*, præpositum in Collegio divi *Petri*, virum & corporis & animi præclaris dotibus præditum, summæ apud suos auctoritatis, & ob generis claritudinem, & vitæ integritatem, & eruditionem non vulgarem. Nam *Parisiis* in Theologorum laurea quondam primum locum promeruit. Mihi tamen interim cavendum, ne discerpar à *Germanis*, ne dicam manis, priusquam reliquero *Germaniam*. Nam sunt plurimi, qui se jactant Euangelicos, quum sint diabolici potius, parati ad omne facinus. Et nescio quo pacto in me præcipue fremunt, mihi imputant quod non triumphant, sic enim illi loquuntur. Et jam libelli aliquot provolarunt, alios habent in procinctu, quos minitantur. Non dubito quin tua prudentia sit optimis consiliis rem aggressura, quam arbitror melius successuram, si summam æquitatem præ te feras: ostendasque te magis mederi velle huic malo quam opprimere, nec sic velle revellere zizania, ut simul eradices & triticum, nec recusaturum mutare quædam, quæ sine jactura dignitatis Apostolicæ, & pietatis Euangelicæ mutari possunt ac debent. Interim conquiescent à tumultuosis libellis, ac molitionibus seditiosis, donec ex auctoritate Pontificis ac Principum statuetur quod publicam concordiam sarciat, & sartam confirmet. Late patet *Germania*; rem divinam feceris, si hanc reddideris pacatam. Hæc scripsi per eum, qui mihi literas tuas reddidit ex *Augusta:* reddidit autem pridie cathedræ *Petri*, quas dederas *Romæ* Calendis Februarii. Simul atque certum cognovero ubi fuerit tua sublimitas, scribam copiosius tua humanitate fretus, & mittam si quid erit parati, per fidum ac certum, qui si non dabitur, mittam famulum proprium. Eodem die scripsi Pontifici *Clementi*, ac misi illi suam paraphrasim. Ad quem si scribes, ut scribis sæpe, rogo moneas illum ut *Stunicæ* insaniam coerceat, qui dum suo morbo obsequitur, & quorundam privatis affectibus, lædit causam Pontificis. Te incolumem ac florentem servet Deus Opt. Max. *Basilea* 21. Februarii, Anno 1526.

## EPISTOLA DCCXCVI.

*Erasmus Rot. Joanni Henckello, Mariæ Reginæ Ungariæ à concionibus*, S. D.

QVEMADMODVM non potest animus vere *Christianus* non ingemiscere, considerans quo prolapsi sint mores *Christi* nomen profitentium, quam pene fuerit antiquatum Euangelium, quam prope nihil fidei charitatisque reliquum fuerit, præter nomen ac titulos, ad hæc quam in angustum contracta sit ea profes- A sio: ita non potest non exhilarari, quoties audit Deum in viris doctis, integris, & dignitate præminentibus, innovare spiritum suum bonum, quod ea res nobis velut ostensa luce, desperationis tenebras abigat, & in spem bonam vocet, fore ut justissima Numinis ira versa in misericordiam, exoriantur Euangelistæ, qui dissectas, palantes ac dissipatas oves revocent ad salutifera *Christi* pascua, & ad ecclesiasticæ concordiæ caulas reducant. Frequenter enim Deus in Prophetis, irritatus populi sui sceleribus, minitatur illi Principes pueros, & tales sacerdotes qualis est ipse populus, & spiritum in Prophetis mendacem: Contra propitiatus, veluti felicitatis summam pollicetur, Principes cordatos, legum ac religionis tenaces, pastores fideles, Prophetas veraces? Nec ego sane aliunde natum arbitror, quod hactenus plerisque in locis videmus solo titulo *Christianos*, adeo rudes & ignaros suæ professionis, ut ne Symboli quidem Apostolici sententias teneant, aut saltem illud intelligant quid in baptismo professi sint. A veritate aures avertimus, & ideo misit nobis Deus doctores, non qui lingua medica sanarent ulcera nostra, sed qui pruritum & scabiem affectuum nostrorum commode scalperent. Quam vero potens res & amabilis sit Euangelium, declarant hæc tempora, quibus conspicimus orbem ad auditum Euangelii nomen, velut è lethargo expergisci, ac veternum excutere. Quid si mundus videret in Euangelistis mores & animum Euangelicum? Nunc videmus multis in locis exortos novos prophetas, homines fere humiles, contemtos ac juxta mundum etiam infames, qui validis clamoribus, magnificis pollicitis *Christianum* orbem, iis, quæ carnis sunt, ceremoniis & humanis præscriptis, veluti mandragoræ, quod ajunt, altum indormientem excitarunt, excitatum bona ex parte ad se rapuerunt. Atque initio quidem ut in proscenium venit, etiam bonis viris plausibilis erat fabula, donec prædicabatur majestas & auctoritas incomparabilis Scripturæ divinæ, donec inculcabatur fiduciam omnem in Deum transferendam, damnabatur fiducia virium humanarum, præferebatur optabile nomen Euangelicæ libertatis. Quin & ea, quæ magna libertate velut è plaustro dicebantur in curiam *Romanam*, in Episcopos prophanos, in Monachorum jam non tolerabilem tyrannidem, in Theologos sophisticos, & absque *Christo* doctos, satis frequenti cum applausu excipiebantur, & impavidum hominis pectus in eos qui pro diis habentur, bonæ conscientiæ signum interpretabantur. Quin insuper addebat nonnihil læti ominis ipsum *Lutheri* cognomen, quod *Germanorum* lingua *repurgatorem* sonat. Id habet ex patris opificio, qui rudes æris massas officina sua repurgat. Augebant theatri favorem, inepti tumultus quorundam, qui protinus moliebantur exsibilare cœptam fabulam, vociferationibus apud populum, censuris, articulis ac debacchationibus in bonas literas ac linguas. Ii quoniam & ante gravi odio laborabant apud eruditos ac bonos, *Lutheri* causam reddebant favorabilem. Jam & illud arguebat, hoc negotium aliquo numine geri, quod quo magis in adversum nitebantur conjuratæ phalanges & his favens Monarcharum potentia, hoc latius serpebat malum. Exustis aliquot promittebant sibi finem totius tumultus. Hoc erat Monachorum consilium. Hic plane nobis usu venit quod *Herculi* in hydra. Damno crevit pestis, & à sævitia duxit opes animumque nostra. Ego inter applausores & exsibilatores medius ex multis conjecturis divinavi rem in seditionem exituram, nec fefellit vatem sua divinatio, multo plus vidimus malorum quam metuimus. Utraque pars tendebat in diversum funiculum contentionis. Altera Pontificum constitutiones æquabat Euangelio, altera vociferabatur esse pestem *Christianæ* pietatis. Itaque *Lutherum* ante annos quinque literis privatim scriptis admonui, ut ad tam periculosum negotium, si suo fideret spiritui, adhiberet animum modis omnibus incorruptum. Ac meo quidem hortatu



Digitized by Google

An. 1526. scripsit quædam plausibiliora, veluti in Psalmos aliquot, in Precationem Dominicam, De quatuordecim spectris; sed his incredibili celeritate perfectis, provolarunt alii super alios libelli, quorum noviſſimus quisque violentiſſimus erat. In his me vehementer offendebat, præter arrogantiam, insatiabilis quædam conviciandi libido, non absque specie scurrilitatis, & compertum habeo eum per leves quosdam homines ad hæc incitari, simpliciter indignos, quorum vel in coquendis oleribus consilium admittat. Et ad talium susurros stringit petulantem calamum in Reges, & in homines publicitus de omnibus bene mereri cupientes, velut oblitus in quo theatro quam personam sustineat, quam fabulam agendam susceperit. Hæc hominis intemperantia fecit, ut inciperem de spiritu illius vehementer esse sollicitus, mihique gratulari quod in eam factionem nec blanditiis pellici, nec odiis protrudi potuerim. Non desinam tamen optare lætum aliquem exitum hujus Tragœdiæ, undecunque natæ, quomodocunque progressæ. Videbam enim fore ut si victoria cederet quorundam affectibus, *Lutheri* ruina multas res optimas secum traheret in exitium: veluti nunc videmus ubique frigere linguas ac bonas literas, quas intolerabili degravavit invidia. Jacent prisci Scriptores, Theologia scholastica, quam correctam optabamus, non exstinctam, obsolescit. Emoriuntur fere omnes disciplinæ liberales. Denique ipsum Euangelii nomen factum est apud multos invidiosum, adeo ut vix illa profiteri liceat quæ docuit *Paulus*. Tyrannis illorum, quos videbatur oppressurus gladio spiritus, quod est verbum Dei, exasperata est, non sublata: & adeo non contigit sperata libertas, ut bonis jugum sit aggravatum, pessimo cuique laxatæ habenæ. Una spes adhuc superest. Quænam, inquis? Dicam pro mea quidem sapientia, quæ perquam exigua est. Si forte meruit hoc mortalium impietas, ut per tales homines, perque tam sævum Chirurgum curaretur, quando malagmatis, potionibus & emplastris sanari non poterat, spero futurum ut quos Deus afflixit rebelles, consoletur resipiscentes. Solet enim nonnunquam populi sui peccata per *Philistæos*, & *Holophernas* & *Nabuchodonosoras* emendare, & ut est omnipotens artifex, impiorum malitiam in Ecclesiæ suæ bonum, inque suam gloriam vertere. Sic & venena data nonnullis cesserunt in remedium, & interdum hostis gladius cum vulnere dedit sanitatem à medicis desperatam. Legimus & viperam complexu suo veterem ac deploratam podagram à morbo liberasse. Plus valet Dei bonitas quam casus. Morbus erat ingens & inveteratus, nec quicquam hic poterant levia vulgariaque remedia; datum Elleborum jam pridem torquet intestina totius orbis, adeo ut periculum sit ne pereat in remedio, quod multis accidit. Utinam cœlestis ille medicus dignetur ex his malis donare populo suo aliquid bonæ sanitatis. *Charitas* juxta *Paulum omnia sperat*. Hanc spem ego nondum omnino deposui, fretus nota Domini misericordia, qui non solet suis irasci perpetuo, sed pacisci cum tentatione exitum, ut possimus sustinere. Nam quod in me nuper tam scurriliter debacchatus est, idque sine causa, quum mea *Diatriba* civiliter absque conviciis disputaverit, leviter feram privatam contumeliam, modo publicum *Christiana* religionis negotium, ut optamus, succedat, & Euangelium *Christi* vere regnet in conscientiis omnium mortalium, ac nobis apud homines ingloriis, glorificetur, laudetur, triumphet apud universos adorandum nomen Domini nostri *Jesu Christi*: idque quo magis speremus facit, quod videmus aliquot in locis exoriri novos Euangelistas, qui placide, prudenter, & Euangelico spiritu prædicent Euangelium, nec in dextram, nec in lævam declinantes: quibus sic placet veritas Euangelica, ut displiceant tumultus, luxatæque rerum compages, quique doctrinam suam vitæ integritate, ac morum lenitate commendent, nec misceant Euangelistæ personam cum persona scurræ. Non hic te prædicamus, vir optime, sed misericordi Deo pro dotibus amplissimis, quas in te contulit, & per has in te ἐνεργοῦντι gratias agimus, ex animo gratulantes inclytæ Reginæ *Mariæ*, fœminæ, ut audio, tum piæ, tum prudenti, vel toti potius *Ungariæ*, in qua hoc impensius optamus florere *Christianismum*, quo magis patet eorum incursionibus qui *Christianæ* ditioni male volunt. Porro quod meis quoque studiis tantopere faves, (id enim intelligo ex *Antonini* mei literis) amo candorem tui pectoris, quo faves, ut ille scribit, omnibus, qui modo spem aliquam bonæ frugis de se præbeant. Ego nescio quo spiritu afflatus, pro modulo gratiæ mihi donatæ, cœperam Theologiam scholasticam nimium nimiumque prolapsam ad argutias humanas, ad fontes revocare. In hoc dedimus Novum Testamentum, & aliquot insignes Auctores. Addidimus Paraphrases, quo segnibus etiam consuleremus, & fastidiosos alliceremus obvia facilitate: nec omnino male succesſit, nisi tempestas hæc fatalis fuisset consequuta: quæ si Deo volente mota est, licet per improbos, tamen speramus futurum, ut ὁ τῆς μηχανῆς Χριστὸς præter exspectationem imponat lætam καταστροφὴν. Id citius confido futurum, si plures exoriantur Euangelistæ tui similes, & si Monarchæ suas cupiditates submiserint Euangelii gloriæ. In Paraphrasibus, quando has dignaris tua lectione, comperi lapsus aliquot typographorum incuria commissos, quos partim curavimus sarciendos, videlicet in *Matthæo*, *Luca* & *Joanne*; nam hi tres nunc rursum excusi sunt. Mitto igitur simul & quos in his deprehendimus errores, & quos in aliis, nisi quod illa minutula neglexi-mus. Tantum licuit in præsentia, vir ornatissime. Ubi tuæ literæ fuerint redditæ, pro viribus adnitar efficere, ne videaris hominem ingratum & inhumanum ad amicitiam provocasse. Dominus *Jesus* te servet in æternum. Datum *Basileæ* 7. Martii, Anno à *Christo* nato 1526. An. 1526.

## EPISTOLA DCCXCVII.

*Erasmus Roterod. Friderico Nauseæ* S. D.

QVI decoxerunt, re quidem opitulari non possunt, attamen consilio juvant alios, ne profusiores sint quam oportet: & qui diu cum tenaci morbo colluctati sunt, optime commonstrant aliis, quomodo vel vitari malum, vel sanari queat: & qui fregerunt navim, solventibus ostendunt vitanda pericula. Itidem ego *Nausea* charissime, non ignarus quam periculosus sit morbus, scribendi cacoethes, admoneo te, ut aliquot annos des evolvendis ac revolvendis bonis Auctoribus: ex his ubi jam maturuerit dictio, felicius expones teipsum nasuto fastidiosoque mundi theatro. Neque quodvis argumentum erit arripiendum, sed deligendum aptum ingenio tuo, tuisque viribus, hoc pacto continget tibi gloria, fortasse serius aliquanto, sed solidior ac vivacior. Hoc consilium si tibi placet, olim & mihi gratias ages, qui dederim, & tibi gratulaberis, qui sis obsequutus. Si non placet, tamen hunc animum tuis commodis haud vulgari more faventem non poteris non boni consulere. Magistratui *Francfordiensi* consulto non scripsi, quemadmodum volebas, vel quia mortuo patre *Cratonis* nullus in eo mihi notus est, vel quia ne levis quidem erat causa cur te illi commendarem. Non expedit autem hoc officii genus inutiliter profundere, sed in suum usum servare consultius est. Ubi tale quid inciderit, experieris *Erasmum Nauseæ* sui causa nihil recusare. Exspecto per literas tuas quid agat *Romæ* Cardinalis *Campegius*. *Florianus* abiit Legatus ad *Moscovitas*. Bene vale. *Basileæ* 8. Martii, Anno 1526.

## EPISTOLA DCCXCVIII.

*Erasmus Rot. Joanni à Lasco, Poloniæ Baroni*, S. D.

SI tibi feliciter cessit tua demigratio, clarissime Comes, est profecto cur levius doleam. Mihi sane tuus

An. 1526. tuus abitus multis nominibus fuit infelix: ut enim reliqua taceam, mensibus aliquot mihi sudandum erat, ut domum hanc, tua magnificentia corruptam, ad pristinam frugalitatem revocarem. Deinde totum pene autumnum & hyemem cum calculo mihi fuit colluctandum. His quasi parum esset, tantum molestiarum aliunde accessit, ut facile senserim genium meum bonum abesse. Non audebam te remorari, quum jussu Regis ad magna negotia vocareris, tametsi suspicabar id fore quod accidit. Certe minoris hic exspectasses literas certiores. *Carolus* huc rediit, adferens myrobalanos, sed succo jam absumto. Questus est ob eam profectionem tantum temporis periisse studiis suis. Agnoscis novam temporis parsimoniam. Ablegavi hominem in *Angliam*, ne situ torpescat. De nuncii tui reditu nihil adhuc audimus, tantum ex *Antonini* medici literis intelligo, Linguam & Supputatorium codicem redditum quibus volebamus. Quod hortaris ut scribam Regi *Sarmatiæ*, nondum decrevi an expediat. Hic ne musca quidem erat quæ peteret *Venetiam*. Et incertum quidem erat quis orbis te haberet, *Hispanus* ne, an *Gallicus*, an *Sarmaticus*. Itaque verebar ne literæ, serius redditæ, nihilo plus apud Regem haberent gratiæ, quam apud Cæsarem sera consolatio. Scribam tamen, te quidem auctore tam auspicato, si quid dabitur ocii. Semper abhorruit ingenium meum ab arena gladiatoria, nec mihi placuit unquam retiarium agere: nunc, ita fatis visum, cogor etiam θηριομαχεῖν. *Lutetia* misit nobis librum *Petri Sutoris*, quondam Theologi *Sorbonici*, nunc Monachi *Cartusiani*, in quo nihil crepat, nisi hæreses, hæresiarchas, blasphemias, & schismata. Huic respondi, pene oblitus meæ solitæ civilitatis. Et liber erat excusus cum auctoritate. Eodem tempore venit censura *Beddæ*, præcesserant tres libelli *Latomi*, mox famosus libellus quatuor scurrarum *Dominicanorum*. Denique præter exspectationem provolavit liber *Lutheri*, in quo superat se ipsum omni genere petulantiæ, cui nunc ex parte respondimus. Nam ante mercatum vix mihi dabantur dies duodecim. Videor olfacere è *Lutheri* scriptis, *Pelicanum* è nostris colloquiis quædam per literas illi significasse. Qui pene concitavit hic alteram tragœdiam. Sparserat rumorem, ipsum de Eucharistia idem sentire quod ego. Scripsi ad eum hac de re literas expostulatrices, sed absque nominis indicio; eæ *Pelicani* literæ per *Berum* & *Cantiunculam* nonnullis ostensæ sunt, quin & in senatu lectæ, tandem versæ *Germanice* longe lateque sparsæ non sine dolore meo. Respondit per literas *Pelicanus*. Rescripsi, desineret scribere, si quid vellet, adiret me. Venit. Rogabam hominem quid sibi vellet suis epistolis. Ille varie tergiversabatur. Urgere cœpi. Tandem utcunque confessus est se dixisse, quod idem sentiret quod ego. Rogabam quid igitur sentiret, quod mihi esset cum ipso commune: post multas tergiversationes, respondit in Eucharistia esse corpus & sanguinem Domini; Idem, inquit, tu sentis? Nihil amplius, inquam. Credis illic esse tantum in signo? Non, inquit, sed arbitror adesse virtutem *Christi*. Pergebam, Non credis illic adesse substantiam corporis? Fassus est se non credere. Post hæc rogabam, an eam opinionem fuisset unquam apud me professus. Fassus est id quod erat, nunquam id factum. Mox percunctabar, an unquam audisset eam sententiam ex me. Negavit audisse, & adeo non audierat, ut sæpenumero diversam audierit. Pergebam, Tu profiteris, inquam, apud alios, me sentire tecum, quumque hæc dicis, interpretaris apud animum tuum, te hactenus sentire mecum, quod credas ibi esse corpus Domini, & qui te audiunt, intelligunt me tecum sentire, quod docuit *Oecolampadius*. Nunc audio circumferri illius epistolas duas, quibus nihil insulsius vidi. Accitus est *Tigurum*, ut illic doceat literas *Hebraicas*. Is erit postremus Euangelicorum, cui quicquam sim fisurus. Quum exisset liber *Oecolampadii De Eucharistia*, senatus, rei novitate nonnihil turbatus, privatim consuluit me, præpositum *Berum*, *Bonifacium* & *Cantiunculam*. Is odor simul atque pervenit ad illos: erat autem res mire cordi, *Zwinglio*, *Oecolampadio*, *Capitoni* ac *Pelicano:* mox huc advolavit epistola *Capitonis*, quæ nobis auctoritatem adimeret. Erat paratus & libellus famosus, qui pressus est, quidam suspicabantur & illum fuisse *Capitonis*. Talibus præsidiis nititur Euangelium. *Faber Stapulensis Gallia* profugus agit *Argentorati*, sed mutato nomine, quemadmodum Comicus ille senex, *Athenis Chremes erat*, *in Lemno Stilpho*. Sed quid tuam Celsitudinem hisce næniis onero? *Beatus Rhenanus* excudit nescio quid annotatiuncularum in *Plinium*, eas, opinor, tibi dedicabit. Posteaquam cognitum erit ubi consederis, prolixioribus epistolis tecum agam. Hanc commisi ventis, si qua forte ad te transvolet. Priusquam hasce literas obsignarem, reddita est epistola tua Calendis Februariis scripta, qua significas perisse nuncium, teque in patriam revolare. Utinam apud nos tam inconstantes epistolas exspectasses à tuis. Alioqui nec abs te, nec à *Polo* quicquam est redditum, præter epistolam tuam, quam attulit *Carolus* meus, & hanc postremam. Geminum feci hujus epistolæ exemplar, quorum alterum misi *Francfordiam*, alterum *Constantiam*. Hanc artem docuerunt me Cardinales, si quid sit rei seriæ. Bene vale. *Basilea* 8. Martii, Anno 1526. Saluta *Palatinum* germanum ac cæteros amicos.

An. 1526.

## EPISTOLA DCCXCIX.

*Erasmus Roterodamus Reginaldo Polo Anglo* S. D.

ORNATISSIME *Reginalde*, ex literis *Poloni* Comitis intelligo quod jam pridem ad me scripserit, tuasque literas suis adjunxerit. Magna felicitate me fraudavit, quisquis fuit ille malus genius, per quem stetit, quo minus ad me perlatæ sint. Nihil enim isthinc allatum est, præter literas, quas attulit *Carolus Harstus* à *Polono*, & has, quas hodie recepi ab eodem scriptas Calendis Februarii. Si jam rediit *Lupsetus*, ei dices *Chrysostomum Græcum* esse redditum, sed titulo tantum *Chrysostomum*. Itaque sperato thesauro, juxta proverbium, carbones reperimus. Dices & illud, *Hieronymum* vix sub Calendas Martias fuisse absolutum, & ex illius literis videbatur *Lutetiæ* non tam diu commoraturus. Quare faciam quod volet, modo sciam ubi locorum degat. *Longolius* & *Leonicus* hic distrahuntur. Doleo *Longolium* immatura morte præreptum studiis, quanquam in me videtur iniquior, idque sine causa. Excepi eum *Lovanii* qua per occupationes & valetudinem licuit humanitate. Epistolam illius *Galliæ* Regis Orator ad me miserat: eam honoris ipsius gratia, ita me bene amet *Christus*, curaram edendam, tantum abest ut me offenderit. In his, quæ prodierunt, apparet anxia *Ciceroniana* dictionis affectatio, sed interim frigentibus interdum sententiis, subolet juvenilis quidam amor gloriæ. Malueram prodisse commentarios illius, licet minus exprimentes phrasim *Ciceronis*. Id si tu curaris, non mediocrem, mihi crede, gratiam inibis apud Senatum populumque studiosorum. *Leonardum Casimbrotum* tibi commendo. Saluta rursum *Marmeducum* meum. Has literas vento commisi, mittens *Francfordiam*. Ubi dabitur certior aliquis scribam copiosius. Bene vale, studiorum decus, *Pole* charissime. *Lutherus* offensus mea *Diatriba*, modestissime disputante, scripsit in me magnum volumen, quale nemo scriberet in *Turcam*. Huic ex parte respondimus. Nam sero volumen illius nacti sumus. Ego ille pacis & quietis semper amantissimus, cogor esse retiarius, nec hoc satis, cogor θηριομαχεῖν. Sed de his alias. Datum *Basilea* 8. Martii, Anno à *Christo* nato 1526.



Digitized by Google

## EPISTOLA DCCC.

*Eraſmus Rot. Michaeli, Epiſcopo Lingonienſi*, S. D.

An. 1526. REVERENDE Præſul, nihil erat novi quod ſcriberem, ſed qui has perfert, extorſit ut aliquid ſcriberem, expertus, opinor, tuam benignitatem. Nihil erat quod mitterem, præter aliquot libellos è *Plutarcho* verſos, & reſponſionem adverſus *Lutherum*. Totus *Hieronymus* abſolutus eſt ſatis feliciter. *Adagia* magnis ſudoribus aucta & emendata: aggreſſus eram *Præcepta connubialia*, quod à me flagitarat Regina *Angliæ*, fœmina tum pia, tum erudita, ſed eum laborem interrupit præter exſpectationem provolans liber *Lutheri*, quo reſpondet meæ *Diatribæ*, ſed tam virulente, tam ſcurriliter, atque etiam malitioſe, ut in neminem hactenus inſanius, quum mea *Diatriba* modeſtiſſime diſputarit abſque conviciis. Quicquid Eccleſia *Wittenbergenſis* potuit vel eruditione, vel maledicentia, id totum in eum librum collatum eſt. Volumen eſt pluſquam juſtæ magnitudinis, & vertitur in linguam *Germanicam*, quo cerdones & agricolas in me concitet, nam apud eos mutus eſt *Eraſmus*. Miro ſtudio curarant, ne liber ad me perveniret ante nundinas *Francfordienſes*, quo ſpatio ſine mea reſponſione *Lutheri* libro, triumpharent menſes aliquot impune. Sed forte quidam amicus è *Lipſia* miſit, verum tam ſero, ut ad legendum, reſpondendum & excudendum vix ſuperfuerint dies duodecim. Scio te non crediturum, ſed hic credunt qui viderunt. Reliquæ parti reſpondebimus accuratius. Aliis rebus eram natus, ſed ita fatis viſum eſt, ut *Eraſmus* hoc ætatis, qua ſolent gladiatores donari rude, non ſolum cogatur cum reti prodire in arenam, verum etiam θηριομαχεῖν, hoc eſt, cum beſtiis depugnare; quid enim illo *Sutore* furioſius? In *Luthero* demiror duas tam diverſas perſonas: quædam ita ſcribit, ut ſpirare videatur Apoſtolicum pectus: rurſus in dicteriis, in ſannis, in conviciis, in ſalibus, quem non vincit ſcurram? Magno animo contemnit Cæſares & Pontifices, & ad leviſſimorum abjectiſſimorumque hominum ſuſurros ſic debacchatur in quemlibet, velut oblitus quam agat fabulam, & quam perſonam induerit. Hic libellis editis docemur in Euchariſtia non eſſe corpus & ſanguinem Domini ſubſtantialiter. Ego rogatus ſententiam à magiſtratu, reſpondi me nihil aliud credere, quam quod definiſſet Eccleſia Catholica. Id reſponſum male habuit hos Euangeliſtas novos, qui miſere cupiebant ſententiam ſuam obtinere. Hic quom ſtarem à *Luthero*, qui hac in parte diſſentit ab iſtis, tamen illum inſtigarunt, ut quicquid habet veneni in me effunderet. Hæc nimirum ſunt Euangelica ſtratagemata. Et tamen quum hujuſmodi monſtris depugnantem me laceſſunt *Sutores* & *Beddæ*, videlicet utraque pars ſic agit ſuam fabulam, quaſi nolint felicem exitum. His literis ſi tibi moleſtus ſum, imputato huic juveni, quem tua liberalitas docuit, quamvis ocioſas extorquere literas. Bene valeat T. R. D. Datum *Baſileæ* 13. Martii, Anno à *Chriſto* nato 1526.

## EPISTOLA DCCCI.

*Eraſmus Rot. Franciſco Sylvio* S. D.

DE conjugio *Lutheri* certum eſt, de partu maturo ſponſæ vanus erat rumor, nunc tamen gravida eſſe dicitur. Si vera eſt vulgi fabula Antichriſtum naſciturum ex Monacho & Monacha, quemadmodum iſti jactitant, quot Antichriſtorum millia jam olim habet mundus? At ego ſperabam fore, ut *Lutherum* uxor redderet magis cicurem. Verum ille præter omnem exſpectationem emiſit librum in me, ſumma quidem cura elaboratum, ſed adeo virulentum, ut hactenus in neminem ſcripſerit hoſtilius. Quo devenit *Eraſmus* ille pacificus? hac ætate, quæ ſolet gladiatoribus impetrare rudem, cogitur in arena mirmillonem agere, & quod eſt durius, θηριομαχεῖν. O te non ſemel felicem, cui licet muſſitare cum Muſis! Datum *Baſileæ* 13. Martii, Anno 1526. An. 1526.

## EPISTOLA DCCCII.

*Eraſmus Rot. Franciſco Cigalino Medico* S. D.

EQUIDEM gratulor bonis literis ac ſacris Voluminibus, quod Medicis quoque cœperint eſſe curæ, atque iſto ſane nomine mihi charior eris, cui locum haud poſtremum in amicorum catalogo deſtinavi. Cæterum occupationes ſtudiorum, quibus obruor, in cauſa ſunt, ut ad tuam copioſam diſputationem ſtrictim ac λακωνικῶς reſpondeam. Primum, non ſtatim ſuperioris receptæque tranſlationis reprehenſio eſt, ſi quid aliter à nobis vertitur, non profecto magis, quam quum interpretes orthodoxi diverſam adferunt lectionem, quod quidem faciunt non raro, exponentes utranque, neutram re improbantes. Deinde, ſuſceperam illic vertendos *Græcos* codices, non caſtigandos, nec paucis in locis præfero *Latinorum* tranſlationem *Græcæ* lectioni. Fuiſſem autem impudens, ſi profeſſus interpretem, aliud vertiſſem quam haberet codex *Græcus*, præſertim exemplaribus conſentientibus. Multo vero impudentior, ſi id feciſſem, quum è regione *Græca* poſuerim, quæ me ſtatim coarguerent, etiamſi *Græcorum* interpretatio non coargueret. Id quod accidit frequenter ei, qui vertit Commentarios in Epiſtolas *Pauli* falſo *Athanaſii* nomine, quum ſint *Theophylacti*. Contextum enim vertit juxta Vulgatam Editionem *Latinorum*, cui ſæpe non quadrat interpretatio. Atque hoc quidem loco fateor præpoſitionem ὦν, in nonnullis *Græcorum* codicibus non addi, quum in emendationibus addatur. Atqui non poteram in verſione niſi unicam lectionem reddere. E duabus igitur eam ſequutus ſum, quæ magis arridebat animo meo, quæque codicum emendationum & interpretum *Græcorum* enarratione commendabatur, quod ſupererat in Annotationibus erat agendum. Quod ſi legiſſes ea, quæ calumniantibus hunc locum ante annos quinque reſpondi, aut ſatisfactum fuiſſet tuæ quæſtioni, aut habuiſſes uberiorem argumentandi materiam. Quæ ſcribis de pace piorum, cui comes eſt juſtitia, mihi tecum pax eſt; niſi quod *pacis* vocabulum in Apoſtolicis literis fere ſonat *reconciliationem*, & iis, qui recipiebantur in Eccleſiæ communionem, dicebatur dari *pax*. Atque hunc in ſenſum interpretantur *Pauli* ſalutationes, gratiam & pacem ſubinde precantes. Si legeris meam in *Lucam* Paraphraſim, videbis me tibi jam tum ὁμόψυφον fuiſſe. Quoniam autem in cœlis non erat peccatum, quod dirimeret amicitiam, ſed tantum laus & gratiarum actio, Angeli canunt, *Gloria in excelſis Deo*: cæterum hominibus venerat ille, qui pacificat omnia quæ in cœlis, quæque in terris, aboliturus peccatum mundi, pax canitur in terris. Hactenus, opinor, mihi tecum convenit, reſtant duo ſcrupuli, de dictione quæ facit tres partes, è duabus, & de præpoſitione ὦν. Ex *Origene*, *Latine* verſo per interpretem parum auſpicatum, nihil evincis, niſi ex ipſa enarratione liqueat quid legerit. At tale nihil habet locus, qui profertur, primo libro *Origenis* contra *Celſum*. Locum enim, quem refers ex *Origene*, neſcio unde hauſeris; nec enim quicquam habemus *Origenis* in decimum caput *Matthæi*: nam Homiliæ, quæ feruntur hujus nomine in *Lucam*, alterius cujuſdam eſſe videntur, & tamen ille locus hactenus pro me facit, quod legit *in hominibus* addita præpoſitione, & quod ſemel appellat *pacem bonæ voluntatis*. Hoc vide ut memineris. Jam ex *Chryſoſtomo* utcunque verſo quid colligis? De diſtinctione nihil meminit, legis *hominibus bonæ voluntatis*. Imo ſcias hæc verba ab interprete fuiſſe addita. Sic enim habet codex *Græcus*, πῶς ἢ ἡ οἱ ἄγγελοι ἔλεγον, δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, πῶς ἢ οἱ προφῆται πάντες τοῦτο εὐηγγελίζοντο, &c. I nunc, & crede libris in aliam linguam tranſlatis! Verum, quo perſpicuum fa-

Digitized by Google

An. 1526. faciam, *Chrysostomum* legisse quemadmodum nos vertimus, adscribam locum ex Commentariis in Epistolam ad *Colossenses*, quo declarat hæc *Pauli* verba, *Sive quæ in terra, sive quæ in cœlis*, διὰ τοῦτο διχαρισθέντες λέγομεν, δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία· ἰδοὺ φησὶ καὶ ἄνθρωποι ἐφάνισαν διαρεθέντες· λοιπὸν, τί ἐστιν εὐδοκία; καταλλαγὴ, οὐκ ἔτι μέτοιχόν ἐστιν ὁ ἀσεβής. Ad hæc *Theophylactus*, & legit, & interpretatur juxta nostram sententiam: Pacem enim hanc volens intelligi Dei Filium, de quo *Paulus Ephes.* 2. *Ipse est pax nostra, qui fecit ex utrisque unum*, subjicit hæc verba, αὕτη ἂν ἡ εἰρήνη ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ ἐπὶ γῆς γέγονε, καὶ ἐν τοῖς ἀνθρώποις εὐδοκία, τοῦτ' ἔστιν ἀνάπαυσις τοῦ Θεοῦ. Nec dubito quin plura testimonia proferre queam, si major esset *Græcorum* voluminum copia. Sed jam arbitror te placatum de lectione distinctioneque *Græcorum*, à qua non oportebat fidum interpretem discedere, præsertim quum nostra versio non sugillet publicam *Latinorum* editionem. Restat ut si quid supersit scrupulorum discutiamus. Quî factum est, inquis, ut istam lectionem nemo veterum *Latinorum* attigerit? Equidem arbitror illos idem legisse, quod nos legimus, nec illorum sententiam à nostra discrepare, utcunque verbis dissonant. Nihil hic adferam coactum aut detortum, sensus communis probabit quod dicam. Nec enim opus est commento quod adfers, ut εὐδοκία proferatur dandi casu ut respondeat nostro genitivo, qui vertitur in ablativum: quemadmodum dicimus, *mulier egregia forma*, & *mulier egregiæ formæ*: nihil enim simile est apud *Græcos*, sed *Græcorum* dativo respondet noster ablativus, quem quidam septimum casum esse volunt, per quem significamus modum aut instrumentum, ut cum dicimus, ἐπάταξέ με ξίφῳ, id est, *percussit me gladio*, aut ἐδέξατό με μεγάλῃ φιλοφροσύνῃ, id est, *excepit me summa humanitate*: proinde quod hic adfers, nullo modo consistit. Primum docui hoc loco εὐδοκίαν esse non ἀγαθὸν θέλημα, ut non ad hominem, sed ad Deum potius pertineat: quam vocem *Hieronymus* putat à Septuaginta novatam, quo commodius, quod sentiebant, explicarent, videlicet gratuitum Dei favorem erga nos. Hanc *Latinus* interpres aliquando vertit *beneplacitum*, velut 1 *Corinth.* 10. Ἀλλ' οὐκ ἐν τοῖς πλείοσιν αὐτῶν εὐδόκησεν ὁ Θεός. Et Psalmo 68. καιρὸς εὐδοκίας καιρός. Sed quid ego hæc, quum sacri Libri scateant hac dictione? Tres igitur particulæ ad eundem sensum pertinent: *Christo* in terris nato, venerat tempus, quo Deus statuerat sibi per Filium reconciliare mundum: pro hac admirabili bonitate Dei, Angeli canunt, *Gloria in excelsis*: nulla enim re magis innotuit Dei benignitas, quam quod Filium suum dederit pro nobis redimendis: per cujus mortem quoniam abolenda erant gratis peccata mundi, addunt, *& in terra pax*, jam diruta maceria, quæ separabat cœlum à terra. Cæterum ne quis existimaret promitti pacem humanam, aut hominum meritis debitam, addunt, *in hominibus bona voluntas*: ut hæc particula per appositionem referatur ad proxime præcedentem: perinde quasi roganti cuipiam, unde ista nova pax terris? responsum esset, non est pax vulgaris, nec hominum benefactis reddita, sed nihil aliud est ista pax abolens peccata, quam gratuitus Dei favor erga suos electos. *Christus* autem sic dicitur pax, quemadmodum justitia nostra, & peccatum, pro eo quod erat, pacificator, justificator, victima pro peccato, quo tropo videntur *Hebræi* delectari, quanquam & *Latini* dicunt, *Hic est mea mors*, *Hic est mea vita*. Quod autem dixit *in hominibus*, non refertur ad pacem, sed ad εὐδοκίαν, quasi dicas *erga homines favor*. Sic alibi Pater velut Angelorum cantilenam explanans, *Hic est*, inquit, *Filius meus dilectus*, *in quo mihi complacui*, ἐν ᾧ εὐδόκησα· per illum enim cœpit εὐδοκεῖν erga nos, qui *Christo* per baptismum inserimur, efficimurque cum illo filii Dei, fratres *Jesu Christi*. Et convenit sermonis tropus, in quo complacitum est mihi, & in hominibus εὐδοκία. Ostensum est, distinctionem trium particularum esse apud *Græcos*: demonstratum est, addi præpositionem ἐν, quæ si abest, idem tamen esset sensus, licet sermo durior: declaratum est, pacem Dei distinctam à pace mundi: indicatum est, eundem esse sensum, sive legas *pacem bonæ voluntatis*, sive *pacem bonam voluntatem*, quemadmodum dicimus *urbem Romam*, & *urbem Romæ*. Ex quibus probabiliter colligitur, orthodoxos *Latinos* idem legisse quod nos legimus, nec à *Græco* sensu dissidere, sed verbis duntaxat. Hæc tam evidentia, tam multa, si nondum satisfaciunt vitilitigatoribus, sequantur vulgatam lectionem, quam non sugillo, sequantur *Bedæ*, *Lyrani*, & *Hugonis* interpretationem, qui ob *Græci* sermonis imperitiam non intellexerunt quid sibi vellet vox εὐδοκία, nec mihi postulent esse fraudi, si *Chrysostami*, si *Theophylacti* piam ac probabilem opinionem communicavi, relinquens liberum suum cuique judicium. Tibi vero duplici nomine debere me fateor, primum quod tua disputatio me provocarit, ut rem attentius inspicerem, deinde quod amicorum meorum numerum auxeris nomine nequaquam pœnitendo. Supersit ut *Erasmi* quoque nomen inter eos ponas, quos ex animo tuos esse putas. Habes epistolam fortasse breviorem quam velles, sed quam fatearis prolixam, si scias quanta mihi sit ocii penuria. Bene vale. *Basilea* 15. Martii, Anno 1526.

## EPISTOLA DCCCIII.

*Erasmus Rot. Guilhelmo Budæo* S. D.

MAGNAM profecto voluptatem mihi nunciarunt *Jacobi Tussani* literæ, ex quibus cognovi, te, quod ego semper ut faceres optavi, tandem aggressum: videlicet in lucem dare *Græca Latinaque* linguæ observationes, quæ tam accurata, tamque diutina probatissimorum Auctorum lectione collectæ, non dubito quin plurimum utilitatis allaturæ sint utriusque literaturæ studiosis. Interim & *Janum Lascarem* illic adesse gaudeo, quem tamen optarim gratiore compede vinctum apud vos detineri. Audio jam ad senium vergenti rem esse cum podagra. Emisimus jam quartum Novum Testamentum cum Annotationibus, in quibus relegendis comperi me locis compluribus honorificentissimam tui facere mentionem. Scio tibi plus deberi laudis, nec ignoro nihil opus nostram lucernulam in tuæ gloriæ solem intulisse. Denique non inficiabor, aliquid lucis accessisse meis lucubrationibus ex tui nominis splendore. Quare non est quod mutuum officium abs te reposcam, optarim tamen ut in tuis lucubrationibus, præsertim iis quas cum primis immortales maximeque manibus hominum terendas auguraris, admisceas non tam laudem mei quam benevolentis in *Erasmum* animi significationem. Non enim desunt qui te parum candide de nobis sentire suspicentur. Hanc suspicionem penitus abolitam esse velim, non tantum nostra causa, sed multo magis publico studiorum nomine, ad quæ provehenda magnopere refert, ut qui huic negotio navant operam, inter sese mutua benevolentia fœderentur. Audio *Christianissimum* Regem impense favere rectioribus studiis, quem si currentem, ut ajunt, exstimuletis, confido rem feliciissime cessuram. Crede mihi, non alia res magis offuscat istius Academiæ gloriam, quam quod juventus, vix gustata grammatica, rapitur ad sophisticen, easque disciplinas, quibus armantur ad palæstram scholasticam. Sunt illæ quidem ad judicandum conducibiles, at linguarum cognitio simpliciter est necessaria. Absque dialectices peritia multi recte judicant, citra sermonis cognitionem nemo potest vel intelligere quod audit, aut legit. Initio reclamabunt nonnulli, verum is tumultus mox consilescet. Juventutem omnem habemus pronam. Seniores, qui publicitus obstrepunt, clam affectant hanc accessionem studiorum. Declarant hoc *Hoghstrati* libelli, qui prodeunt in dies cultiores, testantur & *Sutoris* & *Bedæ* scripta. Quin & ipse *Clithoveus* aliquan-



Digitized by Google

An. 1526. to politius ſcribit ſolito. Neque negligit ſtyli mundi-
tiam *Latomus*. *Longolius* ante diem nobis ereptus, præ-
claram opinionem reliquit apud *Italos*, quod fuerit
*Ciceronianus*. Et tamen neminem ex illis prodire vi-
deo, qui vere referat *Ciceronem*, niſi bractea dunta-
xat orationis, ac verbulis aliquot ſelectis. Qui mihi to-
tum *Ciceronis* pectus refert, is vere *Ciceronianus* eſt.
Eſt *Romæ* chorus eruditorum, qui vix ferunt nomen
*Germanorum*, aut *Gallorum*. Habent coryphæum &
incitatorem tibi non ignotum, cujus animo ut nulla
ſatis eſt gloria, ita non fert præter ipſum laudari quen-
quam nec deorum, nec hominum. Hos habeo ob hoc
etiam iniquiores, quod in epiſtolis ad te meis alicubi
ſcripſerim, tibi certamen eſſe cum *Hermolais* & *Bar-*
*baris*, atque adeo *Pliniis*. Verum hos quo minus ha-
bemus æquos, hoc arctioribus gratiarum vinculis inter
nos jungi decet. Bene vale. *Baſilea* 23. Martii, Anno
1526.

## EPISTOLA DCCCIV.

*Franciſco Chiregato, Epiſcopo Interamnenſi,*
*Eraſmus Rot.* S. D.

REDDITAE ſunt mihi literæ tuæ, quas è *Vatica-*
*no* miſeras Idib. Januariis, ſed reſignatæ, quod
nunc fere fit in omnibus. Ajebant id factum ab *His-*
*panis*, opinor, iis, qui juxta *Rhetos* neſcio quid arcis
occuparunt. Excuſatio diutini ſilentii tui fuit mihi
longe gratiſſima, non quod ullam officii partem in te
deſiderarem, qui præter omne meritum hunc homun-
culum ultro tot officiis oneras, ſed quod declararet ſin-
gulare quoddam erga me ſtudium ac benevolentiam,
qui nec inter tot negotiorum undas excidere potuerim
animo tuo. Publicæ orbis calamitates, quas tua de-
plorat pietas, neminem non diſcruciant, niſi plane ſit
impius, ac prorſus hominis ſenſum exſuerit. Ac de pa-
ce quidem inter Monarchas ſarcienda jampridem bona
ſpes eſt, ſed nimium lenta torquet animum noſtrum.
At fieri video quod ſolet in corporibus exulceratis, ubi
vomicam unam aut alteram utcunque ſuſtuleris, erum-
pit aliunde malum. Sed de rebus Monarcharum nec
ego quicquam ſcribere poſſum, quod te fugiat, & ſi
poſſim, non ſatis tutum arbitror. Perlongum eſt iter,
fides nulla, hominum ſtudia varia. Agricolarum mo-
tus fere coerciti ſunt, ſed immiti remedio. Sic poſtula-
bat morbi magnitudo. Quanquam ea peſtis ſubinde
meditatur recrudeſcere. Sed proviſum, opinor, ne re-
rum novarum avidis liceat quod licuit. Verum altera
lues, quæ fere jam *Europam* omnem pervaſit, multo
gravior eſt quam bellorum rabies: quod hæc tantum
graſſetur in fortunas & corpora; illa, violata pietate,
ſublata concordia, totum hominem demittit orco. Vi-
detur tamen ſolito mitior, reſipiſcunt multi, pleri-
que favent frigidius: qua quidem in re nihil laudis
mihi vindico, tametſi ſic in me fremunt, qui vehe-
menter addicti ſunt huic factioni, quaſi præcipuam
quandam ad id navarim operam. Etenim ut de cæteris
taceam, *Lutherus* nuper in me ſcripſit ingens volumen,
diu multoque ſtudio elaboratum, ſed ita fermentatum
amarulentiis, ſcommatibus, & calumniis, ut antehac
in neminem ſcripſerit hoſtilius. Meæ reſponſionis par-
tem ad te mitto; mittam & ipſius volumen, ſi quem
nactus ero, qui tantillum ſarcinæ volet ſuſcipere. Au-
get nobis ſpem finiendi mali, vehemens inter ipſos diſ-
ſidium. *Lutherus* cum aliquot ſuis defendit in Eucha-
riſtia eſſe verum *Chriſti* corpus, alii plerique fortiter
reclamant. Res agitur utrinque dentatis libellis. A-
pud *Elvetios* decreta eſt publica diſputatio ad Pente-
coſten in oppido, cui nomen à balneis, *Baden*. Quid
ea nobis paritura ſit neſcio. Quo minus ſuccedat res,
in cauſa ſunt quidam homines inauſpicati, qui tamen
ſibi videntur totam Eccleſiam ſuis humeris ſuſtinere.
Hi ſub prætextu defendendæ pietatis ſuis affectibus
morem gerunt. Quum enim linguas ac bonas literas
multo pejus oderint quam totum *Lutherum*, hoc miris
technis agunt, ut quocunque modo lædant eos, qui hoc An.
ſtudiorum genus provehunt. Interim dum ego cum 1526.
factione potenti non abſque capitis mei diſcrimine di-
gladior, *Lovanii* quidam emiſit in me tres libellos, ſed
ſuppreſſo meo nomine. Mox quatuor *Dominicani* ſcur-
ræ, meo quidem expreſſo nomine, ſed ſuis diſſimula-
tis, emiſerunt librum undique ſcatentem criminoſis men-
daciis, & conviciis pluſquam ſcurrilibus. Eo facino-
re patrato fugerunt alius alio. *Lutetia* rurſus *Domini-*
*canus* quidam corrupit mea *Colloquia*, & addidit Præ-
fationem meo nomine, in qua damno meipſum. Is
ſcurra *Lugduni* declaravit ſuam pietatem. Suffuratus,
ut ſcribunt, *Mœcenati* ſuo trecentos coronatos aureos
profugit. Deprehenſus eſt ſuaviter potans inter aliquot
ſcorta. Nuper ibidem *Petrus Sutor*, Theologus & *Car-*
*tuſianus*, emiſit in me librum juſtæ magnitudinis, in
quo nihil crepat niſi temeritates, hæreſes & blaſphe-
mias, non ob aliud niſi quod verti Novum Teſtamen-
tum, in uſum privatæ duntaxat lectionis. Idem nunc
emittit librum, cujus initium duntaxat vidi, ſed tale,
ut præ ſe ferat plane rabioſam maledicentiam. Et ta-
men nugaciſſimæ nugæ ſunt, de quibus ſuſcitat tantas
tragœdias. Per hos mihi nullum relinquitur ocium a-
gendi quod & meus optat animus, & veſtra ſuadet pie-
tas. Quanquam autem difficillimum eſt cum tam po-
tenti factione bellum gerere, difficilius autem cum u-
traque acie depugnare unum & utrinque confodi, ta-
men mihi certum eſt citius immori malis, quam ab Ec-
cleſiæ conſortio deficere. *Chriſtus* dabit & vires, &
præmium. Si coram liceret, plura effunderem in ſi-
num tuum, quod utinam aliquando contingat. To-
tum hunc autumnum & hyemem cum pituita & calculo
luctati ſumus, ſub ver cœpimus reſpirare. Tibi precor
omnia, moribus iſtis candidiſſimis digna, reverende
Præſul, mihique cum primis colende. Datum *Baſilea*,
ipſo die Paſchæ, ſive 1. Aprilis, Anno 1526.

## EPISTOLA DCCCV.

*Eraſmus Roterodamus Reverendo Guilielmo, Patri*
*Cartuſiæ magnæ*, S. D.

QVOD tua pietas, ut audio, lectione dignatur meas
lucubratiunculas, quo minus iſtuc promerentur,
hoc magis prædicandus eſt animi tui candor, qui ſem-
per veræ probitatis comes eſſe ſolet. Multum quidem
hoc nomine tibi debeo, ſed aliquanto plus, quod hunc
homuncionem, majora quam pro viribus molientem,
precibus apud Deum tuis ſubleves. Plurimum vero
debiturus, ſi non gravabitur tua charitas admonere,
ſi quid in ſcriptis meis offendit animum tuum. Equi-
dem non admodum ſoleo vel obtrectatorum conviciis
macreſcere, vel faventium applauſu pingueſcere, ta-
men olim undique meis auribus obſtrepens, illud *Δῦγε*,
quanquam non tantum valuit, ut me mihi excuteret,
tamen aliquanto ſecuriorem mintſque vigilantem red-
didit. Univerſum *Germaniæ* theatrum certatim applau-
debat & bene dictis & male dictis *Eraſmi*. Sed longe plus
attuliſſent utilitatis duo treſve fidi monitores, quam
multa laudantium millia, quorum immodicus favor
mihi præter invidiam non video quid fructus peperi-
rit: niſi quod nunc inverſis rerum humanarum ſcenis,
illi ipſi, quibus tum eram Deus, rabioſis libellis meum
nomen proſcindunt: non ob aliud niſi quod *Luthera-*
*næ* factioni nomen dare noluerim, neque cum his ſen-
tire, qui ſic inter ſe diſſentiunt. Jam enim adornabant
triumphum, ſi *Eraſmus* dux ipſorum caſtris acceſſiſ-
ſet: & quicquid malorum nunc patiuntur, mihi potiſ-
ſimum imputant, qui remoratus ſim Euangelii ſucceſ-
ſum: quum ego ſemper egerim quod nunc ago, ſi ſe
det opportunitas, ut hæc rerum humanarum tempe-
ſtas, quæ prope totam *Europam* concuſſit, *Chriſto*
moderatore pariat nobis aliquid tranquillæ ſerenitatis.
Novit enim omnipotens artifex noſtram dementiam in
bonos exitus vertere. Interim temeritatis pœnas à
meipſo exigo. In divo *Hieronymo* tantum impendi cu-
ræ,

Digitized by Google

An. 1526 ræ, ut jam existimem minimum esse, quod desideret Lector etiam parum candidus. Idem non semel jam præstitimus in *Adagiis*, in *Paraphrasibus* exorsi sumus, in cæteris item facturi. Quod si mihi solum hoc agere licuisset, tamen abunde multum erat negotii. Nunc Pontificum ac Regum auctoritate protrudor in arenam gladiatoriam, hac ætate, cui velut emeritæ rudis dari solet. Nihil profuit tot causas allegasse, senectutem, valetudinem, vires impares, testabar me nihil aliud profecturum, quam ut irritarem crabrones. Quid non? Frustra omnia. Sumendum erat rete, prodeundum in arenam, quamlibet aliis rebus nato. Sic auspicatus sum pugnam, ut civilius non possem, edita *Diatriba*. Quid profecerim, declarat *Lutheri* responsio, in qua seipsum multo superat intervallo; nihil enim unquam scripsit amarulentius, aut hostilius. Et apud diversam partem adeo mihi non profuit, factionem quum armis, tum linguis & calamis formidabilem in meum caput provocasse, ut interim dum cum hostibus pro Theologis cominus manus consero, ab iis, quos defendo, pernicioſius impetar, quam ab illis, quos oppugno. Verum ut nulli minus fuit causæ, cur impeteret me, quam *Petro Sutori*: ita nullus catholicæ professionis impotentius in me debacchatus est. Nihil opus est pluribus verbis, si librum hominis legisti. Consilium erat non respondere. Sensi protinus ingenium gloriæ famelicum, cuique non in aliud quæsitum esset ocium vestratis instituti. Et utinam hic animo meo paruissem potius, quam consilio cujusdam, cujus eruditioni prudentiæque tantum tribuebam, ut nequaquam inducerem in animum, illum quicquam suasurum, quod non magnopere, tum ad me privatim, tum ad religionem publice pertineret. Vix absolveram *Apologiam*, ita me cepit pœnitudo, quod illum dignatus essem responso, ut nunquam mihi fuerim ipse magis iratus. Quis enim alicujus precii, judiciive, dignatus fuisset talem librum sua lectione, qui quum nihil doceret, tam scurrilem haberet loquacitatem? Nunc habet ille quod unum venabatur. Volitat per orbem *Petri Sutoris* nomen, quod antehac *Lutetiæ* quoque fuit obscurum. Hoc quoniam successit ex animi sententia, scripsit antapologiam, adeo scurrilem ac rabiosam, ut in priore libro probus ac sobrius videri queat. Nondum vidi totam, quatuor duntaxat quaterniones, à typographo etiamnum excudentes extortos, quidam amicus ad me misit. Ex hoc gustu ceu Leonem ab unguibus, ut ajunt, non difficile fuerit æstimare. Multa præfatus, non ipsi vertendum esse vitio, si causam hanc verbis asperioribus & risu tractet, hoc est, si scurram agat & sycophantam, primum detrahit mihi laudem omnem eruditionis Theologicæ: quum ipse disputans apud viros doctissimos probatus sit, ego, quod sciat, nullum in ea professione gradum sim adeptus: quasi qui me excusserunt, Theologi non sint, aut quasi soli Theologi nomen promereantur, qui juxta viam, ut vocant, *nominalium* de difficultatibus quibusdam, quæ solenniter in scholis agitantur, idque magis ad ostentationem, quam ad pietatem, sint exercitati: juxta quam regulam, nec *Cyprianus*, nec *Ambrosius* in hujus cognominis honorem recipietur, quanquam ab ejusmodi digladiationibus animi judicium me subduxit verius, quam ingenii deterruit inopia. Sed tituli gloriam æquissimo animo posuerim, qui mihi non ambitus, sed obtrusus est. Certe *Sutori* debebam esse Theologus, qui tam multa docui, quæ fugerant istos subtilissimos, qui tot locis commonstro lapsos Veterum excellentissimos, *Augustinum* & *Ambrosium*? ne reliquos commemorem recentioris antiquitatis scriptores, *Thomam*, *Lyranum*, *Carensem*, &c. Verum hæc ludicra sunt; aggreditur omnem fidem mihi detrahere, si quid de ipso dicam male, perinde quasi liber, quem evulgavit, vel tacente me, non satis declaret ingenium ac mores Auctoris. Id agit his argumentis, Ait *Erasmum* esse blasphemum hominem, non tantum in omnia mortalium genera, verum etiam in divos omnes, atque in ipsum adeo Deum. Nunc audi tam nefandi criminis probationem. *Moria* (nam hoc ulcus jam olim obductum refricat) alicubi jocatur Casum, qui priscis Deus erat, fuisse repertorem artium: ast ubi Casus, ibi nulla sapientia. Hinc colligit, sibi magna ex parte deberi artium inventionem. Ex hoc *Sutor* ita ratiocinatur, *Deus scientiarum dominus est, & Erasmus harum inventionem tribuit Moriæ, blasphemus igitur est in Deum.* Mox quicquid exaggerari potest in veram blasphemiam detonat in me. Hic quam multa sunt inepta, præter hoc quod *cantici mystici* verba detorquet ad artes humanas, quum sensus sit Deo nihil occultum esse, nec quod illius scientiam fugiat. Blasphemiam in Virginem matrem sic arguit: Alicubi dixi, fuisse coitum quendam inter Deum & Virginem, & *Gabrielem* fuisse pronubum hujus conjugii. Primum hic *Sutor* non intellexit mentem meam: neque enim loquor de conjunctione divinæ & humanæ naturæ in unam hypostasim, neque de conjugio *Christi* sponsi & sponsæ Ecclesiæ: sed id significo quod subnotat *Hilarius*, Deum Patrem denuo Filium suum quodam modo genuisse ex Virgine: hic *Gabrielem* adhibitum ajo *paranymphum*, quem *Latine pronubum* appello: Spiritum sanctum hoc muneris expleſſe, quod in aliis solet actus seminis. At clamat ille, coitum in sacris Literis non aliter usurpari, quam pro carnali congressu maris & fœminæ. Esto, sed ne quis possit imaginari vulgarem coitum, addo *quendam coitum*. Hanc stultam calumniam circunfert per omnes divos & omnem hominum conditionem. Tantum ad me delatum est: hæc exordia declarant, quæ dicturus sit, posteaquam in operis progressu *Sutor* incanduerit. Nec tamen satis causæ video, cur hæc te scire velim. Etenim quod ad me quidem attinet, sera querela est: quod autem ad vos, frustranea. Jam Opus illius profatat, nec auctoritate vestra permovebitur, qui Theologorum jam bis contemsit. *Natalis Bedda* conatus est illum in editione prioris libri ab intemperantia calami revocare, non quod illi curæ sit mea fama, sed quod intelligeret magno dedecori futurum, si mundus sciret talem scriptorem è *Sorbona* prodisse. Quod de *Bedda* dico non somnio, ipse literis ad me suis perscripsit. Quanquam non ille solus est, cui displicet *Sutoris* ingenium; sunt in Theologorum ordine plurimi, quibus vehementer displicet, quosque pudet ejusmodi sodalis. Tales enim Theologi non medentur hæresibus, sed ex orthodoxis faciunt hæreticos, quod tamen illi nunquam in me licebit, etiamsi sexcentis libris in me debacchetur. An ille cessurus est auctoritati vestræ, quum sic insectetur Opus, quod *Romano* Pontifice auctore suscepi, quod eodem approbante perfeci, pro quo mihi tot Episcopi, tot Theologi gratias agunt? Et tamen hoc quicquid est rei, nolui te latere, ut si meó nomini consulere non potestis, saltem aliqua ratione, vestra prudentia, vel ordinis honori, vel ipsius saluti prospiciat. Me posthac, quoniam perspicio rem in manifestam exisse rabiem, mutum lacesset. Bene vale, & hunc peccatorculum Domino clementissimo tuis precibus commenda. *Basilea* 7. Aprilis, Anno 1526.

## EPISTOLA DCCCVI.

*Erasmus Rot. Martino Luthero* S. D.

SERO reddita est tua epistola, quæ si maxime veniſſet in tempore, nihil me commoviſſet. Non sum usque adeo puerilis ingenii, ut tot vulneribus inflictis plusquam capitalibus, placer una aut altera facetiola, palpoque deliniar. Cujus ingenii sis jam orbis novit, stylum vero sic temperasti, ut hactenus in neminem scripseris rabiosius, immo, quod est detestabilius, malitiosius. Hic videlicet tibi succurrit, te peccatorem infirmum esse, quum alias postules tantum non pro Deo haberi. Es homo, ut scribis, vehementi præditus ingenio, & argumento tam insigni delectaris. Quin igitur istam admirabilem δείνωσιν jam pridem effundebas

Digitized by Google

An. 1526. bas in Episcopum *Roffensem*, aut in *Cochleum*, qui te nominatim appellant & conviciis lacessunt, quum mea *Diatriba* civiliter disputarit? Quid autem faciunt ad argumentum tot scurrilia convicia, tot criminosa mendacia, me ἄθεον esse, me *Epicureum*, me Scepticum in his quæ sunt *Christiana* professionis, me blasphemum esse, & quid non? præter alia multa quæ reticeS. Quæ quidem hoc levius fero, quod nihil horum est, in quo mea remordeat conscientia. Nisi *Christiane* de Deo deque divinis Literis sentirem, non optarim vel in crastinum mihi proferri vitam. Si causam vehementia, qua soles, egisses, citra furiosa convicia, pauciores in te provocasses: nunc plusquam tertiam voluminis partem his occupare libuit, dum tuo morem geris animo. Quam mihi cesseris, res ipsa loquitur, qui tot manifesta impingis crimina, quum *Diatriba* nec ea voluerit exagitare, quæ mundus ipse novit. Imaginaris, opinor, *Erasmo* nullos esse fautores; sunt plures quam credis. Atqui non refert adeo quid nobis duobus accidat, mihi præsertim hinc brevi migraturo, etiamsi mundus universus applauderet: illud mecum optimum quemque discruciat, quod tuo isto ingenio tam arroganti, procaci, seditioso, totum orbem exitiabili dissidio concutis, bonos viros, ac bonarum literarum amantes, objicis furiosis quibusdam *Pharisæis*, improbos ac novarum rerum avidos ad seditionem armas, breviter sic tractas Euangelii causam, ut sacra prophanaque omnia commisceas, quasi studio tibi sit, ne tempestas hæc aliquando vertatur in lætum exitum, in quam occasionem ego semper intentus fui. Quid tu mihi debeas, quid retuleris præmii, non excutio. Privatum est illud quicquid est, publica calamitas me discruciat, & omnium rerum immedicabilis confusio, quam nulli debemus, nisi tuo isto impotenti ingenio, bene consulentibus amicis intractabili, levibus quibusdam tenebrionibus ad quidvis flexili. Quos eripueris è potestate tenebrarum nescio, in hos tamen tam ingratos debebas calami tui mucronem stringere, potius quam in moderatam disputationem. Optarem tibi meliorem mentem, nisi tibi tua tam valde placeret. Mihi optabis quod voles, modo ne tuam mentem, nisi tibi Dominus istam mutaverit. *Basileæ* 11. Aprilis, quo tuæ redditæ sunt literæ, Anno 1526.

## EPISTOLA DCCCVII.

*Erasmus Roterodamus Bernardo, Episcopo Tridentino*, S. D.

REVERENDE Præsul. Quum existimem me non minus debere tibi, quam si omnia accepissem, teneremque, quæ multa pariter ac magna, tua benignissima voluntas ultro nihil promerenti defert, quumque tu singularem istum erga me favorem in dies novis cumules officiis, non magnopere sollicitus sum, quomodo tibi gratias agam. Id enim nimis est vulgare, malim occasionem mihi dari, qua specimen aliquod edere liceat grati in te animi: eam si neque tu dederis, neque fortuna objecerit, ipse tamen alicunde accipiam, idque, ut spero, brevi. Interim te rogo ut Illustrissimi Principis erga me studium ac benevolentiam alere non graveris, atque identidem excitare. Qui has reddit, juvenis est notæ spectatæque probitatis; causam habet justissimam, quo certior mihi spes est, tuam amplitudinem illi non defuturam. Quid rei sit non prius audies quam tibi narraro fabulam, quam nuper apud *Senecam*, haudquaquam pessimæ fidei auctorem, legi; fortassis non in hac tantum causa profuerit meminisse. *Philippus, Macedonum* Rex, *Alexandri* Magni pater, sed veris animi dotibus utcunque laudato filio major, inter bonos Principes numeratur, sed nulla re celebrior, quam æquitate civilitateque morum: is habebat militem manu fortem, sed animo pravum, cujus in multis expeditionibus utilem expertus operam, subinde ex præda aliquid illi virtutis causa donarat, & hominem venalis animæ crebris auctoramentis accenderat ad rapinas, non aliter quam ex fera canibus aliquid extortum objicitur, quo sint acriores in venatu. Hunc militem, forte navi fracta, in possessionem cujusdam *Macedonis* tempestas impulerat. Quod ubi nunciatum est *Macedoni*, collegit hominem, refocillavit semianimem, multisque diebus summa cum humanitate tractavit; postremo discedentem instruxit viatico. Interea miles crebro dicebat hospiti suo, Referam tibi gratiam, videre tantum mihi contingat Imperatorem meum. Et quod pollicitus est, præstitit, venit ad Regem, naufragium exposuit, auxilium tacuit. Ac protinus petit à Rege prædium illius *Macedonis*, à quo receptus, recreatus, sanatus, & viatico adjutus fuerat; commentus est nonnihil causæ adversus hominem benemeritum. Hoc erat referre gratiam promissam. Favebat Rex strenuo militi, miserebatur naufragi, credidit ingrato. Quid multa? Donavit quod petebatur. His modis peccant & æqui Principes, præsertim in bello. Non absolvam narrationem, nisi recitaro sententias aliquot, quas hoc loco interserit *Seneca*. Multa, inquit, Reges, in bello præsertim, opertis oculis donant. Non sufficit homo justus armatis cupiditatibus. Non potest quisquam eodem tempore & bonum virum & bonum ducem agere. Quomodo tot millia hominum insatiabilia satiabuntur? Quid habebunt, si suum quisque habuerit? Expulsus *Macedo* non tulit tacite hospitis ingratissimi perfidiam. Regi per literas breves, sed liberas, rem omnem significat. At Rex optimus id factum nihilo levius tulit, quam is qui fuerat expulsus: nihilque moratus, *Pausaniæ*, id erat militi nomen, mandat, ut è vestigio restituat hominem in pristinam possessionem. Quid præmii debebatur impio militi, ingrato hospiti, avidissimo naufrago, impudenti postulatori? Inscribi oportuit fronti illius stigmata, ingratum hospitem testantia. Fortassis hoc exemplum non omnino simile est huic negotio, sed tamen hinc admonendus est optimus Princeps *Ferdinandus*, ne quis ad consimilem modum ipsius bonitati imponat. Justissimum est animadverti in eos, qui semet addixerunt impietati, quanquam qui leviter afflati sunt, magis sanandos censeo, quam puniendos. Cæterum hic prudentia Principis vigilet oportet, ne sub prætextu justitiæ, fiat injuria innocentibus: multi exorientur, qui sub titulo pietatis studebunt ulcisci quibus male volunt, plures inhiant prædæ, nec effugiet calumniam quisquis habet aliquid. Tota *Basilea* novit hunc juvenem perpetuo non solum alienum fuisse ab his factionibus, quod tamen hic rarum ac mirum est, sed semper aversatum fuisse hoc hominum genus. Et tamen duobus feudis spoliatur. Reliqua ex ipso cognosces. Non metuit sub quocunque judice causam suam dicere; tanta est innocentis animi fiducia. Reliqua non gravaberis vel ex clarissimo viro *Joanne Fabro*, vel ex ipso cognoscere. Amplitudinem tuam incolumem servet *Jesus* Opt. Max. *Basileæ* 16. Aprilis, Anno 1526.

## EPISTOLA DCCCVIII.

*Erasmus Rot. Hadriano Barlando* S. D.

PALVDANI mortem duabus de causis fero moderatius, eruditissime *Barlande*, vel quod ad eam ætatem pervenerat, cui nihil jam in hac vita dulce poterat exspectari, vel quod huic seculo subductus est, in quo optimo cuique pessime est. Porro quod in demortui locum suffectus es, non tam tibi gratulor istud quicquid est vel honoris, vel compendii, quam ipsis studiis, quibus opera *Paludani* jam olim haud ita multum accedebat, per te melius expolientur, huic rei natum. Est in quo velim operam tuam mihi commodes, nec tam studium curamve requirit causa quam fidem. Sunt *Lovanii* qui plurimum possunt apud Episcopum, cui scribo, cæterum quam amico in me sint animo nescio ob quosdam illi familiares. Divinas, opinor, quos

Digitized by Google

An. 1526. quos judicem. Hos velim celatum hoc negotium. Mitto literas apertas, ut ex his rem intelligas: eas obsignatas reddes Episcopo *Tornacensi*, simulque exstimulabis, ut quam primum id fiat. Si quid erit, quod per me fieri voles, vicissim impera. *Basilea* 20. Aprilis, Anno 1526.

## EPISTOLA DCCCIX.

*Erasmus Rot. Petro Ægidio* S. D.

JOANNES *Frobenius* à fratre tuo numeravit mihi quadringentos coronatos aureos, præterea nihil, quæ quidem moneta hic damnosa est, damnosior futura si me alio conferam. Sed nunc nulla pecunia transfertur, nisi lucro negotiatorum ac damno nostro. De reliquo facies uti scribis tibi in animo esse. Non alio animo liberavi te deposito, *Petre* charissime, nisi ut te sublevarem hac sarcina, quam mihi semper visus es gravatim ferre, nec alioqui satis callens id genus negotiorum: deinde ut nostræ necessitudinis tranquillitati simul & perpetuitati consulerem; non quod magnopere metuerem ne per ullam occasionem interiret, quanquam vitreæ sunt res omnes mortalium, nihil autem amicitia fragilius: verum, non arbitratus sum esse committendum, ut ulla nubecula nostræ familiaritatis jucunditatem contristaret. Quare te rogo ne tu aliorsum interpreteris atque ego feci. Epistolam stratagematum à multis lectam esse doleo, nam ipse diversum mandaram. Nec erat exitura, qualis missa est. Ut maxime vero talis exisset, quam tandem infamiam adspersisset tibi, si lector didicisset impositum fuisse naturæ tuæ bonitati ab eo, qui nulli non imponit? Quod negas tibi datum *Tertullianum*, nisi pro quo numeraris, plane fallit te memoria. Quum apud te pranderem, mox *Basileam* profecturus, *Pseudocheus* attulit scriniolum dulciariis refertum, & *Tertullianum* unum, dissimulans de reliquis. Ejus habendi quum uterque videremini cupidi, (nam aderat *Nicolaus Sylvaducensis*) dolebam unum tantum allatum esse, quo minus liceret utrique gratificari. Tibi tamen donavi, nisi malletis codicem inter vos esse communem. Ejus generis fere sunt, quæ respondes ad cæteras querimonias. Quare te rogo, mi *Petre*, ut omissis istiusmodi næniis, ac profundæ oblivioni traditis, ea commentemur inter nos, quæ mutuam alant augeantque benevolentiam. Ego pro virili cavebo, ne quid admittam, cur mihi jure succenseas. Tu vicissim omnes istas suspiciunculas procul ejicias ex animo. Non obsto quo minus *Polydoro* sis amicus: nam mihi hactenus animum haudquaquam inimicum præstat, tantum νῆφε καὶ μέμνησ' ἀπιστεῖν. Utcunque erunt fata nostra, tu suaviter oblecta te cum tuis, quibus omnibus una tecum precor felicitatem perpetuam. Datum *Basilea* 21. Aprilis, Anno 1526.

## EPISTOLA DCCCX.

*Thomæ Cardinali Angliæ Erasmus Rot.* S. D.

ANIMVM meum inter tot rixas ac rabiosos libellos, qui virulentiores in me provolant ab iis, quorum partes defendo, quam ab ipsis *Lutheranis*, nonnihil fatiscentem, erexerunt amplitudinis tuæ literæ tam amanter scriptæ, ut non solum favorem ac studium mihi jam olim perspectum compertumque, verum etiam pietatem in me quandam præ se ferrent. Arbitror istuc jam perlatum *Lutheri* librum in meam *Diatribam* scriptum, sed sic ut hactenus in neminem scripserit hostilius. Scripseram nihil tam indomitum esse quod non domarent uxores. Multum hic me mea fefellit opinio. In ipsis nuptiis hunc librum tam immitem scripsit; in quo sibi videtur adeo temperasse calamum, ut protinus ab edito libro, literis ad me scriptis, propemodum postulet, ut ipsi gratias agam, quod, amicitiæ nostræ respectu, tam multis in locis mihi pepercerit, dejeratque, & mihi persuasissimum esse vult, *Lutherum* in *Erasmum* candido esse animo. Sic illum



A cicuravit uxor. Opinor & nostræ responsionis partem esse perlatam, quam tum ex tempore coactus sum effundere, ne gloriarentur impune, prostratum esse *Erasmum*. Cum excetra rem habet, quisquis cum hac factione dimicat. At mihi plus negotii est cum diversa parte, cui Pontifex *Adrianus*, cui *Clemens* jam iterum indixit silentium, cui Cæsar severo ac minaci diplomate idem præcepit, sed frustra omnia. Audio isthic librum *Colloquiorum* distrahi vetitum, quod nec *Lovanii*, nec *Lutetiæ* quisquam attentavit, quum illic sint devotissimi bonarum literarum hostes, & ob has mei quoque. Quod omni remediorum genere occurritur pesti in dies magis ac magis glisceti, vehemen-
B ter probo. Verum, illud interim Principum auctoritas prudentiaque curet oportet, ne dum evellimus lolium, lædatur triticum, dumque corrupta secamus & urimus, offendatur quod sincerum est. Inter Monachos ac Theologos, qui sese ingerunt in hoc negotium, multi sunt stupidi, & adeo nullo judicio, ut propemodum sensu careant communi. Et sunt qui pejus oderunt bonas literas, jam ubique feliciter efflorescentes, quam totum *Lutherum*: sunt qui quæstum ac gloriam ex innocentium injuria non dubitent aucupari: sunt qui livori & odio privato sub plausibili defendendæ religionis titulo serviant. Hi quum pene pu-
C blico mortalium odio laborent, suis moribus causæ, quam agere se simulant, officiunt. Nihil autem minus expedit ad hoc malum consopiendum, quam linguarum ac bonarum literarum causam involvere negotio *Lutherano*, quæ nulli non placent, nisi qui vacant hominis sensu: quantum autem adferant, & utilitatis, & ornamenti, Reipublicæ jam ipsa res loquitur. Nimis magna est multitudo eorum, qui *Luthero* dedere nomen, etiamsi non protrudantur in illius castra innoxii. Plus satis est istorum, qui palam & ingenue profitentur improbatam doctrinam, etiamsi non impellantur eo vacillantes, & alienentur qui sanari poterant. Audivi provinciam hanc delegatam illi, cui tam valde displicet, *In principio erat Sermo*: quod si à talium arbitrio
D pendebit res, nullus erit *Erasmi* liber non dignus incendio, etiamsi ab *Augustino* scriptus titulum habeat *Erasmi*. Ita futurum est, ut quicquid ad politiorem sincerioremque doctrinam attinet, eximatur usui publico, ac rursus nobis obtrudantur, *Ebrardus*, *Floristæ*, *Huguitio* & *Catholicon*, ni vestra prudentia, moderatioque, quæ talium opera cogitur uti, impotentes illorum affectus coerceat. Si nihil esset in libris meis, quod nullo pacto posset reprehendi, nimirum essem omnibus *Hieronymis* & *Augustinis* felicior: præsertim quum isti tot titulos ceu laqueos habeant, quibus quotidie novos addunt, ut nihil tam pie tamque circumspecte scribi possit, quod non aliqua pateat calumniæ, si displicuerit: displicebit autem quibusdam vel
E hoc nomine, quod Græcitatem habeat, vel phraseos elegantiam. In *Colloquiis* meis nihil est, vel obscœnum, vel impium, vel seditiosum. Plurima sunt quæ refert juventutem scire, ne se temere in vitæ genus præcipitent, unde sese non queant explicare, ne cursitent *Compostellam*, domi relicta uxore ac liberis, quos curare præstiterat, aliaque innumera, quæ ipsi deberent in concionibus admonere populum. Fortassis, quæ varietas est humanorum ingeniorum, tetrico cuipiam displicebit aliquid dictum amœnius, erit quod in suspicionem rapiat morosior, verum adversus talium calumnias nulla cautio est. Indecorum est, inquiet aliF quis, seni ad istum nugari modum. Atqui laudantur vetuli literatores, qui se demittunt ad puerorum balbutiem, ut illos ad discendas literas alliciant. Committat amplitudo tua *Colloquiorum* libellum alicui perlegendum, qui *Latine Græceque* sciat: non dicam *Thomæ Moro*, aut *Cuthberto Tonstallo*, amici sunt, quanquam uterque sic est amicus *Erasmo*, ut veritatem anteponat, sed alii cuipiam, nec in odium, nec in favorem notabiliter propenso. Si deprehendantur impia, me quoque suffragante eripiatur juventuti; Sin offendunt



Digitized by Google

An. 1526. leviora quædam, poterunt ex bonorum virorum judicio corrigi, quo penes juventutem maneat utilitas. Nuper *Dominicanus* quidam tergo importavit in *Angliam* libellos famosos in me scriptos à quatuor scurris ejusdem Ordinis, sed fictis nominibus, plenos impudentissimis mendaciis; illi invenerunt emptorem, & mea *Colloquia* ejiciuntur è bibliopoliis. Venditur *Colloquiorum* meorum libellus per scurram *Lambertum Campestrem*, qui nuper compilato patrono suo fugit *Lugduno*, falsatus. Ad hæc connivent isti, quid non facturi, nisi tua æquitas eorum audaciæ frenum injecerit? Hoc autem non jam mea tantum refert, quantum ad causam, quæ nunc agitur, pertinet. De Eucharistia librum exorsus intermisi, non quod mutarem propositum, sed quod metuam, ne per occasionem recrudescat ille tumultus, quem anno superiori vidimus. Habet *Oecolampadius* plebem maxima ex parte faventem, in Senatu non paucos. Equidem gratiam habeo maximam, quod omnem benignitatem polliceris, si me reddam *Angliæ*; verum, adeo vitreum est hoc corpusculum, ut ob mutatum cubiculum, ob aurulam, aut quamvis levem occasionem periclitetur. Alioqui permulta hortabantur, ut hinc me amolirer. *Adrianus* Pontifex magnis promissis invitabat in *Italiam*. In *Gallia* quoties parata etiam fortuna sum invitatus, multis argumentis Regis singularem in me affectum testantibus? Qui me invitant in *Hispaniam*, confirmant nullam esse regionem, in qua nomen *Erasmi* sit favorabilius, vel apud Monarchas, vel apud Ecclesiæ proceres, vel apud literarum antistites. Illustrissimus Princeps *Ferdinandus*, cujus ingenium peculiari quodam affectu diligo, jam semel atque iterum literis humanissimis non sine munere ab his periculis evocat in tutum. *Andreas Critius* Episcopus *Plocensis*, vir eleganter doctus, scripsit ad me Regis & regni procerum nomine, magnisque promissis invitat ad ocium huic senectuti debitum. Idem fecere *Poloni* quidam alii, splendidis etiam muneribus honoris gratia missis. Hæc non scribo gloriose, non enim jacto merita mea, sed illorum humanitatem prædico, quorum propensissimis in me studiis, per valetudinem frui non licet. Et tamen hinc aliquo vel prorependum est. Quod scripsi de libello *Colloquiorum*, fortasse *Carolus* meus perperam ad me detulit, & tamen nihil obfuerit celsitudinem tuam super hac re fuisse monitam. Prorsus enim huc tendunt quorundam studia, ut omnem politiorem literaturam involvant huic rerum incendio. Quicquid erit elegantius, aut Græcitate conditum, suspectum appellabitur, & ad cognitores revocabitur, qui tempus extrahent & frustrabuntur venditorem pariter & emptorem. Sed adversus istorum molitiones ista tua singularis prudentia, vel nullo monente, vigilabit: & humanitatis studiis abunde magnum præsidium erit apud tuam humanitatem, quæ tam benigne sese effundit in omnes, præsertim eruditione probitateque commendatos, ut omnem invidiam, quæ semper magnæ felicitatis comes esse solet, bonitatis magnitudine superaris. Deus te nobis quam diutissime servet incolumem. *Basilea* 25. Aprilis, Anno 1526.

## EPISTOLA DCCCXI.

*Erasmus Rot. cuidam* S.

FILI chariſſime, Biennium fere est, quod mihi redditus est libellus *Hollandice* scriptus absque titulo, qui mihi suspicionem injecit esse patris tui, cui consulto non respondi, perspiciens ex ea contentione nihil boni fructus rediturum ad lectorem, ad me dedecoris nonnihil, ad patrem multo amplius. Ad hæc videbatur ineptum populi lingua scribenti respondere *Latine*, nihiloque minus ridiculum, quam si quis accusatus apud plebem, in senatu respondeat. Auspiceretur mecum amicitiam melioribus avibus, & inveniet *Erasmum* ad omnia Gratiarum munia promptissimum. Hoc nomine mihi charior erit, quod amplectitur, ut scribis, *Græcas* literas. Germano tuo gratulor, gratulor & tibi, non tam sacerdotium istud honorificum, quam ingenium, quod ex epistola tua deprehendi, sanum summæque spei. Patri tuo salutem ex me mutuam renunciabis. Bene vale. *Basilea* 29. Aprilis, Anno 1526. An. 1526.

## EPISTOLA DCCCXII.

*Erasmus Rot. Nicolao Hispano* S. D.

EGO vero, clarissime juvenis, & tuum istum erga bonas literas amorem, & animum in me tam candidum, lubens amplector atque exosculor, etiam atque etiam exhortans, & currentem, quod ajunt, exstimulans, uti qua cœpisti pergas, & priscam *Hispaniæ* tuæ gloriam instaurare, & clarissimis majorum tuorum imaginibus literarum decus nunquam intermoriturum adjungere. *Pindarus* in *Dithyrambis* studet elegantia carminum abolere probrum, quod vulgus in *Bœotos* jacere solet, φλέγομεν, inquiens, Βοιωτίαν ὖν· quo facilius erit ingenii, doctrinæ, facundiæque laudem, qua quondam *Hispania* non cessit *Italiæ*, postliminio revocare, & si quid stribiliginis invexit *Gothorum* aut *Saracenorum* incursus, abstergere. Istius regionis fertilitatem, ac temperiem, vel ex *Plinio* licuit cognoscere. Gentis humanitatem in dies experior uberius. Sed animus quidem hic per omnes terras volitare potest, corpusculum vero non solum fatiscit, verum etiam collabitur. Et tamen homo sexagenarius, tum hac valetudine, cogor novus fieri gladiator, & falce sumpta in arena, vel cadere, vel occidere, Gratiis & Musarum viretis natus potius quam gladiatoriæ. Et utinam cum *Huttenis* aut *Lutheris* tantum mihi res esset, nunc plus exhibet negotii pars ea, cui me propugnatorem pro virili præbeo. Sunt enim qui vel incolumi *Luthero* vellent exstinctas linguas ac politiores literas. Tam impio facinori prætexitur zelus tuendæ religionis *Christiana*. Tertiam sectam nobis peperit *Italia*: Magnis contentionibus depugnant quidam, submovendos ex albo doctorum omnes, qui non referunt phrasim *Ciceronianam*; quam ut fateor omnium optimam esse, ita non probo eos qui huic rei serviunt. Sanctius *Caranza* mihi copiose prædicatus est ab *Alphonso Ulmetano*: proinde quum me tam diligenter invitas ad hominis omnibus dotibus ornatissimi amicitiam, næ tu plane, quod ajunt, τὸ ἴωπτον εἰς τὸ πεδίον. Sit igitur hæc epistola, manu mea descripta, pignus ac monumentum fœderis, auspicio Gratiarum ac Musarum inter nos initi, quod nullus unquam genius malus, aut hoc etiam nocentior mala lingua, poterit dirimere. —— *Hic murus aheneus esto. Caranzam* meo nomine salutabis & amanter & reverenter, blandeque monebis hominem, amet quam volet effuse, sed prædicet parcius, ob linguas fascinatrices. In hoc certamine non cedam. Saluta *Morillonum*, *Beatum Arnoldum*, *Joannem Almanum*, quibus nunc non vacat scribere. Bene vale, *Nicolae* chariſſime. Datum *Basilea* 29. Aprilis, Anno 1526.

## EPISTOLA DCCCXIII.

*Erasmus Rot. Jo. Carondileto, Archiepiscopo Panormitano*, S. D.

FATEOR me non minus debere tibi, Reverende Præsul, quam si quicquid petebamus obtigisset. Si Cæsar pernosset totius hujus negotii circumstantias, non solum indignum me judicaret qui frauder pensione, verum etiam ultro deferret ampliſſima præmia. Declarant hoc *Lutheranorum* fremitus, declarant eorum libelli, præcipue *Lutheri* ipse fatetur ingenue, neminem magis fregisse spiritus & impotentiam hujus factionis quam hunc homunculum, senem & valetudinarium, idque in ea *Germaniæ* parte, in qua maxime regnat hæc conspiratio. Id non ignorant isti, sed tanta vis est livoris & odii, ut malint me secedere in castra *Lutheri*, videlicet telum captantes, quo me bonasque literas lædant. Atqui legimus Ethnicos homines veterem simul-

Digitized by Google

An. 1526. simultatem tantisper posuisse, donec communi magistratu perfungerentur, ne privatum odium officeret Reipublicæ commodis. At isti me summo capitis mei periculo dimicantem cum instructissimis copiis, idque in ipsorum castris, à tergo confodiunt. Arbitror prudentiam tuam non fugere, quam non simplices sint N. & N. alioqui res ipsa cogeret me illos paucis depingere. Sed qualescunque sunt, in hoc tam periculoso negotio sudanti debebant auxilio esse, quem nunc hostilius insequuntur, quam ipsum *Lutherum*. Quid isti non calumniabuntur, qui loco ex Catalogo meo prolato conati sunt animum tuum à me avertere? Et dictis, & picturis, & libellis per totam *Germaniam* sparserant *Lutherani*, me præmiis magnatum corruptum, in illorum gratiam scribere, & cauponari verbum Dei. Sic occupabant mihi detrahere fidem & auctoritatem, si quid scriberem adversus *Lutheri* dogmata. Eam igitur famam coargui, non tam mea privatim referebat, quam publicæ causæ Ecclesiæ. Quid enim profuisset adversus illos scribere, quibus persuasum fuisset me pecunia corruptum scribere? Nec insimulavi tuam amplitudinem avaritiæ. Nam quum esset necesse referre multos qui nihil dedissent, hoc pacto præfatus sum: *De Principibus illud mihi præfandum est, me quibusdam non minus debere qui nihil dederunt, quam qui dederunt:* & ad tui nominis mentionem statim subjicio, *Præstitit ille totum quod venabar, nempe favorem ac benevolentiam.* Num hæc videtur oratio suggillantis? Et tamen ut hæc dicerem coegit necessitas; nec alio consilio feci mentionem Cardinalis *Leodiensis*. Tandem ut excluderem omnem suspicionem, subjicio: Non hæc commemoro quod me pœniteat benignitatis Principum. Meis scriniis accrevisse credo, quicquid accessit honestis studiis. In horum profectum captavi Principum favorem. Non eget quidem monitore tua perspicacissima prudentia: sed tamen quoniam expertus sum quorundam in calumniando tum artificium incredibile, tum studium indefatigabile, visum est tibi vellere aurem. Si certa spes solvendæ pensionis fuisset ostensa, conatus fuissem adrepere. Nunc nihil certi promittitur. Et me jam piget istarum dilationum: quarum istos nulla capit satietas. Si valeret corpusculum hoc, non deesset pensio. Nusquam non invitor à maximis orbis Monarchis, missis etiam ultro muneribus, ceu promissorum arrhabonibus. Ego tamen excusans omnibus, Cæsaris esse persevero, valetudinarius quidem & absens, sed ea tamen in re voluntati illius inserviens, in qua & ego possum nonnihil, & ille cupit maxime. Dabit aliquando tempus occasionem, per quam hic animus plenius innotescet Cæsari, simulque quorundam perversa studia, conantium Cæsaris in me benignitatem intervertere. Quod si ne id quidem continget, nos tamen nihilo secius in officio persistemus, *Christo* agonotheta freti, qui precor ut te servet incolumem. *Basilea* 30. Aprilis, Anno 1526.

## EPISTOLA DCCCXIV.

*Erasmus Rot. Joanni, Episcopo Lincolnienſi*, S. D.

REVERENDE Præsul. Quicquid tua benignitas largiri voluit, bona fide perlatum est. Decem angelatos accepi per *Morum*, rursus alteros decem anno proximo. Hoc constat ex literis tuis, quibus tamen annum non soles adscribere. Quod *Livino* datum est, recepi, per quem miseram Epistolas *Hieronymi*. Item quod proxime *Carolo*, videlicet libræ *Sterl.* quinque. Porro quod aliquoties scripserim amplitudini tuæ, declarant & tuæ ad me literæ. Et tamen fieri potuit, ut aliquot epistolæ meæ fuerint interceptæ, aut certe non redditæ. Id hisce temporibus novum non est. Bene habet quod animum hunc gratum ac memorem nemo potest intercipere. Lubens misissem totum *Hieronymum*, verum quum hic *Carolus Harstus* istuc proficisceretur, Opus nondum erat absolutum, nec semper dantur idonei, per quos talia mittam. Si legeris librum, quem in me scripsit *Lutherus*, ac responsionis meæ partem, intelliges cum qualibus excetris mihi res sit. Sed intolerabilius, quod dum pugno cum factione non solum numero, gladiis, ac literis, verum etiam venenis instructissima, ab iis, quorum partes propugno, à tergo confodior. Quanquam hoc quoque perpeterer, nisi vererer ne victoriam hanc *Christo* partam intercipiant mali Monachi; qui veterem tyrannidem cupiunt instauratam. Quibus si res successerit, væ bonis literis & harum cultoribus, sed præcipue *Erasmo*. De *Colloquiis* quod admonet tua pietas, mihi gratissimum est. Sunt hominum variæ sententiæ. Habet *Anglia* quosdam amicos doctos juxta ac prudentes, quibus hoc Opus vehementer arrisit, quod existiment nonnihil & ad *Latini* sermonis facultatem, & ad traducenda perversa vulgi judicia conducere. Sunt alii rursus ingenio tetrico, quibus nihil placet jocosum. Si vacabit amplitudini tuæ perlegere libellum, sentiet præter eruditionem plurima illic esse quæ pertinent ad rectam adolescentum institutionem. Addita est voluptatis illecebra, ad inescandam ætatem, quæ dulcibus capitur citius quam salutiferis. Nihil illic obscœnum, nihil impium, nihil seditiosum. At lusus, inquiunt, non convenit huic ætati. Imo pietas est quum senes balbutiunt cum pueris, quo eos ad discendas literas allectent. Illud male habet pseudo-Monachos, quod monentur adolescentes ne se ante tempus præcipitent in ejus vitæ labyrinthum, aliaque quæ non conducunt ad quæstum pseudo-Monachorum, sed faciunt ad salutem juventutis. Et tamen tuo jussu à *Colloquiis* desinam, & si quid videbitur corrigendum, admonitus corrigam. Hoc tempore nihil scribi potest, quod non pateat calumniæ, nec raro fit, ut dum agis circumspectissime, utramque partem offendas, quum in utraque sint qui pariter insaniant. De *Ambrosio* nihil fiet hoc anno: res stat non per me, sed per socios *Frobenii*. Sed *Irenæum* illum vetustum dabimus, antehac nunquam excusum, & alia quædam, si Deus donaverit vires. Servet te Dominus, optime Præsul. Datum *Basilea* 30. Aprilis, Anno 1526.

## EPISTOLA DCCCXV.

*Erasmus Rot. Polydoro Vergilio* S. D.

IN excudendis ingenii tui monumentis non esse satisfactum animo tuo, vehementer dolet tum mihi, tum *Frobenio*. Id enim magnopere studebamus utrique. Literæ tuæ videbantur hoc præscribere, ne recederetur ab exemplari. Itaque diligenter hortatus sum, ut summa fide versarentur in eo negotio, ac subinde in ipso Operis progressu inculcavi eadem. Confirmabant id fieri, nisi sicubi manifestarius esset calami lapsus. Præerat castigationi *Sigismundus Gelenius*, vir utriusque linguæ non vulgariter doctus, probæque fidei. Tuum exemplar asservari jussi. Mihi nihil mandaras: & religio erat in Opere alieno vindicare tantum juris. Alioqui non piguisset hanc operam pro tanto amico sumere, etiam si quid fuisset gravius. *Basilea* mihi asylum? Monachorum ista vox est. At veniat huc ex istis quisquam, qui ausit in *Lutherum* quod ego audeo. Isti intra vallum tuti eminus convicia jaculantur in hostem, ego in ipsis hostium castris manus cum illis consero. Tua benignitas semper officia officiis accumulat, meque jam olim multis nominibus obæratum reddit obligatiorem. Dedisti quo paretur equus, utinam dare possis quo reparetur eques. Frequenter nos exhilaras, pollicens tuum adventum. Utinam quod promittis tuo commodo facias aliquando. Artificem illum nosse satis est, ne possit imponere, sed interim possis abuti. Bene vale. Datum *Basilea* 30. Aprilis, Anno 1526.

De pace hic frequens rumor, sed neminem video gratulantem, ut aut vanus sit rumor, aut pax non admodum plausibilis.



Digitized by Google

## EPISTOLA DCCCXVI.

*Eraſmus Rot. Leonardo Caſimbroto* S. D.

An. 1526. OPINOR te jam pridem effugiſſe τὸν βυλιμίαν, de qua proximis literis queſtus es. Certe minus erit tibi metuenda, quum tempus ſit peponum ac melonum. Accepi epiſtolium, quod ſcripſit *Baro Polonus* te nuncio, adeſſe qui huc adornaret iter. Alteras literas, quas prædicat ſe miſiſſe, non accepi. Qui has reddit eſt *Hieronymus Frobenii* filius, juvenis modeſtus & candidus. Venatur iſtic vetuſta exemplaria ſeu precio, ſeu precario, ſeu furto, ſeu rapto. Hac in re tu poteris illi bonam navare operam: quod ut facias, te majorem in modum rogo. Simul enim & ſtudia juveris, & officium penes homines neutiquam ingratos collocaris. Per hunc non literas, ſed volumen exſpecto. Ego totos menſes duos perdidi, dum epiſtolas recipio & reſcribo. Cupio ſcire quid agas. Si quis iſtic forte eſt, qui petat *Poloniam*, committe illi hoc epiſtolium, haud magna jactura periturum, ſi fors ita evenerit. Si juvat experiri quanta felicitas ſit verſari in officina typographica, habes qui cum agas. Bene vale, *Leonarde* chariſſime. Saluta Comitem *Germanum*, cui ſcripſi per *Carolum*. *Baſilea* 1. Maji, Anno 1526.

## EPISTOLA DCCCXVII.

*Eraſmus Roterodamus Joanni Baptiſtæ Egnatio Veneto* S. D.

IN λοιδοροφάγοις & *Seneciis* ſequutus ſum auctoritatem tuam, *Baptiſta*, vir non minus optime quam doctiſſime. Verti *Latine* priores aliquot paginas in *Galeno*. Nihil comperi mendoſius, quæ res animum meum triplici nomine diſcruciat, & ſtudioſorum, & tanti Auctoris, denique & ipſius *Aſulani*, qui in hoc male conſuluit rei ſuæ, ſi famam negligit. Qui præfuit emendationi, videtur vix ſatis tenuiſſe prima *Græci* ſermonis elementa. Pro humanitate, quam *Baroni Polono*, meoque *Carolo* exhibuiſti, gratiam habeo maximam, quanquam dum in tuis ad me literis tantopere prædicas elegantiam *Caroli*, arbitror errorem eſſe perſonæ. *Polonus* erat expolitus, in *Carolo* meo nunquam animadverti ſermonis inſignem elegantiam. Qui has reddit *Hieronymus* eſt *Frobenius*, *Joannis Frobenii* filius. Præter aliam negotiationem cuperet huc ſecum avehere ſi quid iſtic eſſet veterum codicum, quos evulgari ſit in rem ſtudioſorum. Nolim te gravari officio, poteris tuo conſilio plurimum hac in re commodare juveni, nec inhumano, nec ingrato. Doleo *Longolium* ereptum ſtudiis: quanquam in me videtur habuiſſe neſcio quid ſtomachi, certe præter meum meritum, qui de illo ſemper optime tum ſenſi, tum prædicavi. Videmus non eſſe prorſus anile ſomnium, quod *Homerus* ſcripſit de *Litis* & *Ate*. Quanta celeritate per capita Regum ac populorum cucurrit *Ate*, bellorum furiis miſcens totam pene *Europam*. Quam vero lente procedit quod agunt *Lita*? Quam diu diſputatum eſt de fœderis conditionibus. Et adhuc pendere videntur omnia. Audimus pacem, non videmus. *Lutherana* febris paroxyſmus remiſſior eſt, recrudeſcit alterius partis acceſſio. Una factio diducta eſt in quinque, aut ſex. Utinam mihi licuiſſet in Muſarum viretis conſeneſcere, nunc ſexagenarius protrudor in arenam gladiatoriam, & pro lyra teneo rete. Bene vale. *Baſilea* 6. Maji, Anno 1526.

## EPISTOLA DCCCXVIII.

*Fortiſſimæ Elvetiorum Nationi in Concilio Badenſi Eraſmus Rot.* S. D.

QVVM mihi non deeſſet animus unice propenſus ac promptus ad id, quo me quum veſtra omnium voluntas, quibus ex animo bene volo, præſertim eodem non minus amanter quam inſtanter vocante inclyto hujus urbis Senatu, cui nihil non debeo, tum ipſius negotii pietas invitabat, domini & amici mihi ſemper obſervandi: tamen ut nihil aliud fuiſſet, hæc valetudo pluſquam vitrea, & ad quamvis levem occaſionem periclitans, juſtiorem quam ipſe vellem præbuit excuſationem, quo minus iſti cœtui veſtro liceret intereſſe. Quanquam abſque me ſpiritus *Jeſu* ſuggeret cordibus veſtris ſalutifera conſilia, ut omnes ſitis unanimes in ſana doctrina Eccleſiæ Catholicæ. Unum tamen erat, de quo pietatem veſtram per literas admonere viſum eſt, videlicet, quod ea res non minus veſtra omnium referat, quam mea. Sparſus eſt ante paucos dies libellus, cui titulus *Eraſmi & Lutheri opinio de Cœna Domini*, de quo difficile ſit pronunciare, utrum plus habeat ſtultitiæ, an malitiæ. Quum in ſingulis paginis iteretur nomen *Eraſmi*, ipſe, qui ſcripſit, nuſquam eſt auſus apponere nomen ſuum, niſi quod in calce ſubjicit nomen fictitium, quod ipſum ſtatim argumentum eſt malæ conſcientiæ. Deinde vehit me magnificis laudibus, hoc eſt, afficit honorifica contumelia, ſic laudans prudentiam & eruditionem meam, ut perſuadere conetur, quaſi faveam dogmati, quod jam olim damnatum eſt ab Eccleſia Catholica, quaſi ſocietas erroris valeat adverſus veritatem. Ac plane ſtultiſſimis argumentis conatur perſuadere, me aliud celare in corde quam velim profiteri, cujus rei cauſam vult videri timiditatem: præterea colligit è libris meis loca quædam impudentiſſime depravata, & ad ſuſpicionem detorta: Sed hujus Scriptoris ſtultam inſaniam brevi libello edito depingam, fortaſſis intra ſex dies. Nunc ne quem in ruinam trahat nominis mei fumus, quem artifex iſte conatus eſt oculis ſimplicium offundere, illud modo vobis, egregii domini, teſtatum eſſe volo, me non recuſare quo minus habear omnium hæreticorum princeps, ſi in meis lucubrationibus, quas ſcripſi plurimas, vel unus locus inveniri queat, qui de Euchariſtia ſecus ſentiat, quam hactenus nobis præſcripſit ex auctoritate divinarum Scripturarum Eccleſia Catholica; aut ſi quiſquam mortalium audivit me probantem opinionem *Wiclevitarum*, quam nunc renovant quidam. Hoc mihi ſatis eſt apud homines. Teſtor autem Deum, qui ſolus novit corda hominum, atque hunc mihi precor iratum, ſi unquam deſedit in animo meo ſententia, quæ pugnat cum ea, quam hactenus magno conſenſu defendit Eccleſia Catholica. Quid aliis revelatum ſit ipſi viderint. Mihi nullæ rationes hactenus perſuadere potuerunt, ut diſcederem à præſcripto Eccleſiæ. Nec hic metus eſt humanus, religio eſt, ac metus iræ divinæ. Iſti impudenter objiciunt timiditatem, quum ipſi non audeant ſuis libellis nomen ſuum adſcribere; & fortes ſibi videntur, quod famoſis furioſiſque libellis, ac ſubinde novis opinionibus miſcent orbem diſſidiis. Si diſſentit, inquiunt, cur non ſcribit contra? Quaſi conſentiat quiſquis non ſcribit in adverſum, aut quaſi deſint qui ſcriptis repugnent. Sunt iſthic in Concilio qui viderunt quod exorſus eram ſcribere adverſus opinionem *Carolſtadii*, noveruntque cauſam, quamobrem quod cœperam intermiſerim; nec is ignorat cauſam, qui hujus libelli fuit, vel auctor, vel inſtigator. Qui tales emittunt libellos pluſquam famoſos ſine loci, typographi, auctoriſque vero titulo, nec famoſos tantum, verum etiam diſſidiorum & hæreſeων diſſeminatores, etiam apud Ethnicos puniebantur capitis ſupplicio. Et quod apud illos erat capitale facinus, nunc quorundam ludus eſt, qui ſibi videntur Euangelicæ doctrinæ propugnatores. Habetis, magnifici domini, animi mei ſententiam, bona fide declaratam. Proinde ſi quis ob ſceleratum illum libellum impegerit, mihi non poterit imputare: meo ſum officio functus. Cæterum veſtræ juſtitiæ fuerit, curare ne levibus ac fatuis impune ſit ad iſtum modum ludere cum periculo, tum vitæ, tum famæ alienæ, non ſine pernicie Reipublicæ. Precor ut Dominus *Jeſus* bene fortunet quod agitis, domini mei ſemper amplectendi. Datum *Baſilea* 15. Maji, Anno 1526.

EPI-

Digitized by Google

## EPISTOLA DCCCXIX.

*Eraſmus Rot. Hilario Bertulpho* S. D.

An. 1526. INVITAVI te proximis literis, ut ad nos te conferas, quod ſi à *Gallicis* lotis non potes avelli, ſaltem per literas inſtrue nos quomodo gratulandum ſit *Franciſco*, Regum optimo, ad ſuos reduci: idque quam primum. Facile diſces ex aulicis quæ ſcriptu digna ſunt. Multis quidem duriores videntur coiti fœderis leges, ſed Deus omnia vertet in bonum exitum. Quæſo te, pollicitator, ubi ſunt Calendæ *Latinæ*? Bene vale. *Baſilea* 16. Maji, Anno 1526.

## EPISTOLA DCCCXX.

*Eraſmus Rot. Franciſco Molino* S. D.

DISCRVCIABAR animo jam tum quum Regum optimus *Franciſcus* ſub hyemem peteret *Mediolanum*, videlicet magnum aliquod malum præſagiente. Cæterum ubi nunciatus eſt exitus belli, non aliter dolui, quam ſi meæ fortunæ meaque incolumitas cum illo periclitarentur. Paucos quidem video ſibi pacem hanc gratulantes, opinor, quod legibus durioribus coiſſe videatur, eoque verentur ne parum firma ſit. At ego ſpero Deum, admirabilem rerum humanarum moderatorem, omnia verſurum in bonum exitum. Scit ille quid nobis expediat, & illius auſpiciis frequenter proſperior nobis eſt calamitas quam ſucceſſus. Rex poſthac tenacior erit pacis, nec facile bellum admittet. Optarim tamen hanc mentem illi minoris conſtitiſſe. Certe bonitas illius erat perpetua felicitate digniſſima, niſi quod hæc quoque felix erit, ut ſpero, infelicitas. Gaudeo velut ἀπὸ μηχανῆς θεὸν exſtitiſſe, qui furiis quibuſdam, in exitium bonarum literarum ac vigoris Euangelici perniciem conſpiratis, frenos injiciat: nam *Phariſæis* iſtis ac *Romanenſibus* nulla crudelitas ſatis eſſe poſſet. Mihi ſemper pacis avidiſſimo cum tot copiis uni congrediendum. Cum hoſtibus melioris literaturæ jam olim bellum gero, non incruentum, & hanc ob cauſam cum Monachis ac Theologis non paucis, qui putant lædi majeſtatem ipſorum, ſi quis quid ſciat, quod ipſi neſciunt. *Lutherus* aliorum inſtinctu, qui tamen ab eo diſſentiunt de Euchariſtia, ſic ſcribit in me, ut nullum amicitiæ locum reliquerit. Pars *Carolſtadiana* primum rumoribus, mox etiam libello *Germanice* ſcripto inſimulant me, quod cum *Carolſtadio* ſentiam: id ſi profitear contra conſcientiam meam, hoc profitebor, quod mihi nondum ipſe perſuaſi. Sin minus, & cum hac acie dimicandum erit. Inquiſitionis ſumma apud *Anglos* commiſſa eſt *Standicio Franciſcano*, tu conjicito cætera. *Lovanii Nicolao Montenſi* Theologo, cui junctiſſimus eſt *Egmundanus*, qui nec Pontificis edicto jam bis miſſo, nec Cæſaris diplomate diligenter ſcripto cohiberi poteſt, quo minus jaculetur in me convicia, ſed levia, nimirum identidem hæreticum appellans. Nec mitior eſt excetra *Lutetia*. *Hiſpaniam* habeo ſatis propitiam exceptis Monachis. *Romæ* Paganum illud eruditorum ſodalitium jam pridem fremit in me, ducibus, ut ferunt, *Aleandro* & *Alberto* quodam Principe *Carpenſi*. Exhibitus eſt *Clementi* liber plenus furiarum in me, incerto auctore, qui tamen mihi certiſſimus eſt, in quo quædam aperit myſteria, non projicienda porcis, ex adorabili *Talmud*. Et quum *Racha* ad eum ferme modum exponat, quo ego ſequutus *Auguſtini* & *Chryſoſtomi* auctoritatem, niſi quod ille Nomen eſſe vult, quod illi vocant Interjectionem, exſpatiatur in locum communem: in quo dicit demirari ſe, quum *Germania* tot hominum millia trucidarit ob impietatem, *Eraſmum* adhuc vivere, qui ſic docuerim *Germaniam*. Ipſos *Lutheranos* nunc in me ſcribere quanquam impiiſſimos, quod meam impietatem ferre non poſſint, qui *Mariam Jeſu* matrem ſpoliarim ſua virginitate, Filium Dei ſua divinitate, quod auſus ſim ſine *Talmud* exponere ſacras Literas, quod *Romanum* Pontificem appellarim ſcortatorem, lenonem, & Antichriſtum. Diceres hominem lymphatum, adeo blaterat quicquid illi dictavit ſplendida bilis. Ad hæc, exorta eſt nova ſecta *Ciceronianorum*, quæ non minus incruduit quam *Lutheranorum*, vetus quidem, ſed per *Longolium* innovata. Tot acies mihi ſuſtinendæ ſunt, & uni, & inermi, quum ab aula ſiculnum, ut ajunt, ſit præſidium. Jam alius quidam nuper in tribus libellis, in quibus pulchre præſtruxit viam Theologicæ tyrannidi, eo deducit rem, ut dicat per baptiſmum omnes Reges veniſſe in jus Eccleſiæ, & ab Eccleſia, hoc eſt, ab Epiſcopis & Monachis regno ſubmoveri poſſe, quod tamen in Pontifice quantumvis peſtilente fieri nolunt. Eo crevit iſtorum audacia. Et tamen quoniam utraque pars habet ſuas furias, magna cautio adhibenda eſt, ne dum altera coerceatur, alteri frena laxentur ultra quam oportet. Bene vale. *Baſilea* 16. Maji, Anno 1526. An. 1526.

## EPISTOLA DCCCXXI.

*Eraſmus Roterod. Jacobo Tuſſano* S. D.

MAGNVM officium eſt, eruditiſſime *Tuſſane*, rei bonæ admonuiſſe quempiam. Itaque gratiam non mediocrem iniit apud me *Nicolaus Epiſcopius*, juvenis mire candidus, quod ſuis literis ſignificavit & eruditionem iſtam tuam *Budeanæ* proximam in utraque lingua, & candorem quendam propenſumque favorem erga noſtra qualiacunque ſtudia: nam eruditionem his temporibus gratulari licet permultis, quum candorem animi non perinde probes in omnibus, quem certe in *Longolio* nonnunquam deſidero, quum me ſemper habuerit eruditionis ingeniique ſui tum fautorem propenſiſſimum, tum præconem haudquaquam malignum. Sed undecunque concepit ille hoc in me ſtomachi, doleo virum ante diem ereptum, liberalibus ſtudiis, vel ornandis, vel provehendis. Quaſi parum ſit in orbe factionum, revixit nova factio *Ciceronianorum*, nimirum quo *Budæum* & *Eraſmum* ſubmoveant ex albo doctorum, & è manibus hominum excutiant. Ut fateor *Ciceroni* primam in dicendo laudem deberi, ita puto ridiculum, tota vita nihil aliud agere, quam ut *Ciceronem* unum exprimas. Quanquam nec hi *Ciceroniani* ſunt, qui neminem lectione dignantur niſi *Ciceronem*. *Faber Stapulenſis* hac iter faciens conſternavit animum meum, nuncians *Budæum*, *Galliarum* decus, & ſtudioſorum delicias, fato functum eſſe: quem rumorem eſſe vanum vel hinc conjicio, quod *Nicolaus Epiſcopius*, in literis ad me ſuis hujus mentionem faciens, de morte non meminit. Sit hæc epiſtola, quamvis brevis ac negligenter ſcripta, Chirographum inter nos initi fœderis nunquam interrumpendi: nam in præſentia nec plura licuit, nec aliter. Saluta mihi *Brixium*, *Beraldum*, & *Franciſcum Sylvium*, *Cyprianum* & *Badium*. Mitto ad te præludium *Galeni*, qui totus *Græcus* prodiit ex *Aldi* officina, verſum à nobis; conferes & judicabis nuncubi recte divinaverimus: nam plane divinandum erat; nihil adhuc vidi depravatius. Bene vale. Datum *Baſilea* 16. Maji, Anno 1526.

## EPISTOLA DCCCXXII.

*Matthæo Giberto, Epiſcopo Veronenſi, Datario Pontificis, Eraſmus Rot.* S. D.

AGNOSCIT trilingue Collegium, quantum debeat amplitudini tuæ, cujus favore conſequutum eſt quod optabat, & largiter & gratis. In hujus beneficii conſortium me quoque recipit, cujus commendationem exiſtimat non omnino fruſtraneam fuiſſe. Ego vero non invitus tibi & hoc nomine debeo, cui nihil non debeo. Jam me pudor hortabatur ut aliquando deſinerem te flagitatricibus epiſtolis interpellare. Verum, unum quiddam adhuc abs te petere ut debeam ſuadet mea pietas, ut auſim tua invitat humanitas. Juvenis hic *Livinus*, cognomento *Algotius*, cujus ſupplicatorium libellum mitto, inſervivit mihi fere ſeptem



Digitized by Google

An. 1526. annos, eo præditus ingenio, eoque progressus in bonis literis, ut spem haudquaquam vulgarem de se præbeat; honesto loco natus, sed in re tenui ob matris fœcunditatem, quem mihi jam olim in filii vicem adoptavi. Non ausim hoc flagitare ut gratis impetret, tametsi non gravarer hoc totum imputari mihi. Illud non dubito, quin libenter præstatura sit tua benignitas, ut res æquo precio transigatur cum his qui præsunt istius generis negotiis. Sub plumbo cupit expediri. Hæc est Pontificis Maximi *Clementis* felicitas, ut possit, bonitas, ut velit omnibus prodesse. Tandem inter Monarchas sarta concordia est, quam utinam Deus pacis velit esse perpetuam. Altera pestis remissior est, partim quod ipsi duces se vicissim bellis intestinis conficiunt, partim quod Principes atque etiam magistratus, & optimi quique cives hac in re strenuam navant operam, non jam pietatis ergo tantum, verum etiam exemplo docti, quo spectarit fucatus ille titulus Euangelicæ libertatis. Quid ego præstiterim ex aliis audire te malo, & si isthuc perlatus est *Lutheri* liber, quem in me scripsit, poterit ex parte testis esse. Scio quas excetras in me provocarim. Id facile negligerem, nisi pars altera haberet aliquot, qui pertinacioribus studiis incumbant in meam perniciem, quam quisquam diversæ factionis. Cum omnibus Monarchis, Principibus & Episcopis, mihi non modo pax est, verum etiam amicitia non vulgaris, id quod non tantum literis amantissime scriptis, verum etiam muneribus ultro missis declarant: sed sunt aliquot jam olim devoti bonarum literarum hostes, præsertim ex antiqua gente Monachorum ac Theologorum, qui hoc miris technis magnaque contentione agunt, ut elegantiores literas cum *Lutheri* negotio permisceant, simulque privatis odiis, religionis prætextu serviant. Nimirum hoc erat hujus tragœdiæ procœmium, itaque ad caput redit fabula. Atqui mea sententia magis expediebat huic negotio, non vocare in hujus causæ consortium Linguas ac politiores literas multis gratissimas, nec irritare calumniis innocentes, qui sic amant hæc studia, ut impietatem exsecrentur: denique nec impellere vacillantes, nec eos alienare, qui retineri in officio poterant. Abunde est eorum, qui factiosa dogmata palam & ingenue profitentur, ut nihil opus sit falsis delationibus innoxiorum ac suspicionis insimulationibus. *Lovanii* sic vivunt, ac profitentur Linguas ad id destinati, ut nec *Momus* habeat quod reprehendat. Atque id ipsum quosdam habet pessime. Mallent illos *Lutherissare*, quo detur occasio culpam hominum in studia conferendi. Indignantur me pugnare adversus *Lutherum*, mallent pro *Luthero* scribere, ut sit telum quo me conficiant. *Lutheri* librum rabiosa maledicentia plenum, quem nuper in me sparsit, nemo *Lutheranorum* legit avidius, quam quidam qui videri volunt Ecclesiæ nutantis atlantes, nec ullus scurra libellos edit tam famosos ac furiosos in me, quin illis probentur. A me nihil tam pie scribi potest, quod non calumnientur. Hi, quibus Pontifex imposuerat silentium, sic agunt, quasi jusserit eos magis insanire quam antea fecerant. Jactitant hujusmodi voces, *Scimus animum Pontificis, quicquid ille scribit.* Unde hæc illis fiducia nescio. Misit Cæsar edictum satis minax ac severum, quod amici me inscio impetraverunt. Tergiversantur, citius redituri in gratiam cum *Luthero* quam mecum. Multa scripsi ante *Lutherum* notum, nullum adhuc dogma possunt ostendere, in quo cum *Luthero* consentiam. Suspiciones tantum adferunt, ac depravationes, plerunque vero manifestas calumnias. Quod si quid etiam inesset incircumspectius dictum, præstiterat istiusmodi causationes in aliud tempus rejicere, & hoc, quod nunc est in manibus, agere. Non credas quanto odio laborent isti apud optimos quosque, à quibus sic timentur, ut ipsi magis timeant: nihil autem opus erat odium accersere vel ex insectatione mei, qui ut nullam habeo factionem, ita plurimos habeo faventes, præsertim magnates, vel ex insimulatione bonarum literarum, quas nemo non amat, nisi sullus generis, cui molestum est amaricinum. Arbitror has querimonias esse molestas auribus tuis. Sed quæ tibi molestum est audire, mihi longe molestius est perpeti, licet vix centesimam partem commemorem eorum quæ isti designant. Equidem spero omnia recte fore, attamen vereor ne incidant tempora, quæ sero fidem faciant, hic quoque vigilandum fuisse, ne privati quorundam mores & odia, publicum malum, cui mederi student, exasperent. Ego sane per infamiam ac bonam famam, per ignominiam & gloriam, per vitam & mortem pergam *Christo* Domino meo, & illius sponsæ Ecclesiæ, præstare sinceram conscientiam. Successum & præmium ipse dabit, qui solus potest. Reverend. Amplitudinem tuam incolumem servet Omnipotens ille custos. *Basileæ*, postridie Pentecostes, hoc est, 21. Maji, Anno 1526. An. 1526.

## EPISTOLA DCCCXXIII.

*Erasmus Bilibaldo suo* S. P.

VIR clarissime, Libellum tuum *De Eucharistia* lecturus sæpe, nunquam hactenus licuit perlegere, tot obruor undique tragœdiis. Strages agricolarum sic in spem victoriæ erexit animos omnium. Sunt *Romæ* quidam Pagani, qui pessime volunt *Germanis* omnibus: sed duo præcipue mihi peculiariter infensi, qui nunc extrema moliuntur denuo, quum id facere nunquam cessarint. Pontifex bis misit mandatum ad Academiam *Lovaniensem*, ut blaterones illos coercerent, & per Rectorem totius Academiæ nomine fieri cœptum: reversus *Latomus* cum suo collega presserunt rem. Interim is, cui commissa fuerat exsecutio, Theologus est, persuasus à *Latomi* collega, quo nullum animal sceleratius vivit; scripsit clanculum *Datario*, quod mutarit consilium, excusaret se Pontifici. *Datarius* clam missis literis probavit factum, probavit prudentiam, & promisit silentium. Venit edictum *Cæsaris* admodum severum; & hoc eluserunt. Impetrarunt ab aula edicti interpretationem, hoc est, irritationem. Habet *Jodocum* Præsidem Senatus *Mechliniensis*, hominem plusquam capitaliter infensum bonis literis. *Bedda* misit ad me plusquam ducentos articulos damnabiles, ex libris meis collectos, nullius momenti. *Lodovicum Berquinum*, Præfectum & Consiliarium regium, iterum conjecerunt in carcerem, non ob aliud, nisi quod libellos quosdam meos vertisset *Gallice*. Mater bis scripserat, ut exspectarent Regis reditum; delegati nihilo secius progressi pronunciaverunt eum Hæreticum. Articuli sunt ad me missi, qui nihil aliud declarant, quam impudentissimas illorum sycophantias, & crassissimam insciti am: quibus respondi. Rex ubi rediit, & quid esset actum cognovisset, misit caduceatorem, denuncians illis, se velle cognitorem illius causæ fieri; scripsit per alium, se vitam ac mortem *Berquini* ab ipsis reposciturum, si quid esset factum. Quid deinde factum sit nescio. *Jacobus Faber*, qui metu profugerat, non ob aliud, nisi quod verterat Euangelia *Gallice*, revocatus est in aulam. *Romæ Verpus* quidam, quem nosti, qui misere invidet omnibus doctis *Germaniæ*, exhibuit libri partem olim in me scripti, nisi quod adjecit quædam ex hoc temporum statu. Furiose nomen suum dissimulat. Inter cætera dicit se mirari, quod in *Germania* tot hominum millibus cæsis, ego superstim, qui sic docuerim *Germaniam*. Deinde dicit, *Lutheranos*, quanquam impiissimos, ideo scribere in me, quod impietatem meam ferre non possint, qui Virgini *Mariæ* detraxerim suam virginitatem, *Christo* suam divinitatem, aliaque his furiosiora. In *Hispania* Monachus quidam scripsit ad me librum plenum laudibus, sed virulentis aculeis respersum. *Lutherus* sic scripsit, ut nullum amicitiæ locum reliquerit, & tamen videtur sibi mire coercuisse stomachum. Dum adversus *Lutherum* pugno, scio me juvare partes quorundam, qui

me

Digitized by Google

An. 1526. me mallent exstinctum, quam ipsum *Lutherum*. Liber tuus *De Eucharistia* vehementer arridet Anti-*Lutheranis*, *Oecolampadianis* mire displicet. Hoc dissidium, si tantum læderet nocentes, tolerabilius esset; nunc illis dissidentibus erigunt caput quidam, qui nulli bono bene volunt. Optassem eam materiam fuisse translatam in aliud tempus, aut saltem fuissent in vero concordes. Mihi non displiceret *Oecolampadii* sententia, nisi obstaret consensus Ecclesiæ. Nec enim video quid agat corpus insensibile, nec utilitatem allaturum si sentiretur, modo adsit in symbolis gratia spiritualis. Et tamen ab Ecclesiæ consensu non possum discedere, nec unquam discessi. Tu sic dissentis ab *Oecolampadio*, ut cum *Luthero* sentire malis, quam cum Ecclesia. Citas autem illum reverentius alicubi, quam erat necesse, quum aliorum auctoritatem potuisses adducere. Ubi extricaro me aliquantulum, perlegam totum librum tuum, deinde dilucidius intelliges quid sentiam, si tamen pateris me de tuis ferre sententiam. Has literas pro tua prudentia non communicabis quibuslibet, facieisque me de iis, quæ isthic geruntur, certiorem. Vale. *Basilea* 6. Junii, Anno 1526.

*Georgius Saxoniæ* Dux crebris literis perpulerat me, ut mitterem qui *Mosellano* succederet; misi *Jacobum Ceratinum* egregie peritum utriusque literaturæ. Res non optime successit. Fortassis incidit in suspicionem, quod non satis abhorreret à doctrina *Lutheri*. Si vacat isthic profitendi locus, fac ut sciam. Nam *Sigismundo* decretum est, hinc non discedere. Pro *Ptolomæo* tuo & *Dureri* libello jam gratias egi; nunc pictum *Erasmum* exspecto.

## EPISTOLA DCCCXXIV.

*Senatui Parisiensi Erasmus Rot.* S. D.

MAGNIFICI domini, justitiæ principes, quæso ut occupationes vestras & gravissimas & sanctissimas patiamini paucis interpellari. Vivo adhuc *Francisco Deloino Natalis Bedda* notarat ex mea in *Lucam* Paraphrasi loca quædam quibus offendebatur, quæ licet mihi non communicasset, sed apud alios sparsisset, tamen pro officio gratias egi, precans ut in aliis idem faceret, me curaturum, ut nusquam in me desideraret officium hominis *Christiani*. Deinde misit alias aliquot, sed nudas propositiones; egi gratias, sperans fore ut res inter nos *Christiana* modestia transigeretur. Ad complures modestissime responderam. Mox ut ex literis deprehendi animum hominis exulceratum, misi responsiones meas ad sacratissimam facultatem, ut viris nec odio nec invidia corruptis traderent eas legendas, & si judicarent illic esse, quæ sinceritati doctrinæ *Christianæ*, aut piis moribus officerent, admonerent fraterne, me vel correcturum, vel explicatione curaturum, ne quis ad illa posset impingere. Quum autem mea responsio nihil habeat stomachi, *Bedda* hoc ipso offensus, quod ausus sim vel privatim respondere, extorto aut simulato consensu facultatis emisit librum in me & *Fabrum*. Qualis sit *Fabri* causa nescio, pro me respondeo, in censuris *Bedda*, quibus taxat meas *Paraphrases*, esse plusquam centum mendacia calumniasque tam manifestas, ut digitis, quod ajunt, sentiri possint, vel à calcearis & fabris. Saltem debebat exspectare judicium sui collegii, non præire. Sed odio præceps edidit suas calumnias, magno tam celebris Academiæ, magno Theologici nominis, magno demum suæ famæ dedecore, nec minore gaudio *Lutheranorum*, aut si qui sunt *Lutheranis* pejores. Ego cum illis, quos Theologi damnant, in acie stans depugnabam, libri testantur: & hoc agentem, idque jussu Cæsaris, Pontificis & aliorum Principum, non sine capitis mei periculo, *Sutor* & *Bedda* furiosis libellis adoriuntur à tergo. Hoc est vere favere *Lutheranis*. Emiseram unicam responsionis partem adversus *Lutheram*, alteram adornabam, quæ nunc mihi vix perfici poterit ante nundinas proximas. Quid autem dicent *Lutherani*, ubi legerint *Bedda* censuras undique scatentes impudentibus mendaciis, & *Sutoris* furias? Sunt isti, inquient, Theologi, qui damnarunt *Lutheri* dogmata? Tales sunt, quorum censuris homines adiguntur ad ignem? Talibus *Atlantibus* nititur Ecclesia *Romana*? Nam, ut sunt hominum mores, ex his qui libros emittunt, præsertim auctoritate publica, fere æstimantur cæteri. Si zelo pietatis ducuntur, cur in me, qui pro pietate depugno, longe virulentius debacchantur quam in ipsum *Lutherum*? In meis libris aliquid erroris humani deprehendi posse non nego, nullus adhuc tamen errorem damnatum potuit ostendere: & qui id hostili studio conati sunt, præter suspiciones & calumnias nihil adferunt. Certe hunc animum semper præ me tuli, qui paratus esset corrigere, si quid excidisset, quod vel pietati, vel hominum moribus officeret. Idque hactenus feci sedulo, si quis monuit, quod esset alicujus momenti. Ordinem Theologicum semper sum veneratus, eos, qui vere Monachi sunt, tum amo, tum suspicio, nec apud ullos malim ætatem agere, nisi corpusculi obstaret imbecillitas. Admonui quædam in scriptis meis ad Theologos quosdam ac Monachos pertinentia, quæ judicavi tum ad Ordinis dignitatem, tum ad omnium salutem pertinere. Et ob id quidam vociferantur schismata & scandala. Si mihi schismata placerent & factiones, non tanta perpessus essem ac perpeterer, ne essem talium rerum consors. Malui namque solus ab utriusque partis insanioribus dilacerari, quam esse tutus in parte damnata. Quid autem futurum est tandem, si tales libelli, quales scribit *Sutor* & *Bedda*, excudentur *Lutetiæ*, exclusis aliorum scriptis? Illis licebit venenum effundere, nobis non licebit adhibere antidotum? Quid fructus referat juventus, quæ *Lutetiam* confluit ut eruditior ac melior domum redeat, ex istiusmodi scriptis, in quibus nihil est præter amarulentiam, & impudentes calumnias? Scio paucos esse *Lutetiæ* Theologos, quibus *Sutoris* & *Beddæ* placeat amarulentia. Quid autem inutilius ad victoriam, quam eos in castra *Lutheri* protrudere, qui à *Luthero* dissentiunt, & si consentirent, possent totam renovare tragœdiam? Istiusmodi odiis hæresiarcha factus est *Arius*, ab Ecclesia recessit *Tertullianus*, hostis Ecclesiæ cœpit esse *Wiclevus*. Theologorum est vel mederi, vel coarguere hæreticos. At istud est hæreticos facere, non coarguere: nec hoc est sopire excitatum per *Lutheranos* incendium, sed injecto in caminum, ut ajunt, oleo magis excitare. Illud etiam magis arguit impotens odium *Beddæ*, quod quum ego privatim ad propositiones ab ipso notatas responderim, easque legerit, ille tamen non exspectato Theologorum judicio præcipitavit suas censuras: præsertim quum ad complures ita responderim, ut ostenderem quædam à me correcta proxima editione, quæ tamen typographorum errata fuerant, non mea; quædam ita refellerem, ut nihil illi supereesset nisi manifesta calumnia. Super his visum est admonere vestrum augustissimum collegium, ut cognito periculo, vestra prudentia, vestraque tum auctoritas, tum æquitas consulere dignetur vel istius Academiæ, vel Theologici nominis dignitati, vel juventutis saluti, vel studiorum tranquillitati. Satis hucusque processit maledicentiæ rabies, seditionum parens. Notavi loca quædam præcipua ex *Beddæ* censuris, quæ si manifestam habent & vanitatem & calumniam, sicut habent, aut prohibete isthic spargi venena, aut sinite nostra invehi antidota. Si veris argumentis volunt eos revincere qui defecerunt à sinceritate *Christiana*, habebunt me commilitonem: Sin odio cæci nihil aliud student quam quovis pacto lædere, modestius esse duco, à senatu juris & æquitatis principe flagitare præsidium, quam rabire cum rabientibus. Hæc de *Beddis* & *Sutoribus* duntaxat loquor, non de cæteris Theologis. Venerabile vestrum collegium servet Dominus *Jesus*. Datum *Basilea* 14. Junii, Anno 1526.

EPI-

Digitized by Google

## EPISTOLA DCCCXXV.

*Eraſmus Roterod. Franciſco Molino* S. D.

An. 1526. EXSTIMVLOR quorundam literis, ut aliquo ſcripto gratuler *Chriſtianiſſimo* Regi incolumem ad ſuos reditum. Mihi quidem animus eſt promptiſſimus ad Regi tam amanter de me ſentienti quacunque occaſione gratificandum. Cæterum nondum ſatis conſtat conſilii ratio, num expediat hoc argumentum attingere, quod vix tractari poterit, ſic ut neminem offendas: deinde ſubdubito quam hoc meum officium ſit gratum futurum animo regio. Quod ſi tua prudentia cenſet eſſe ſuſcipiendum, cautus incedam per ignes, ſuppoſitos cineri doloſo. Sed prius illud à vobis curatum velim, ut vel epiſtola de ſumma rerum edocear. Non enim tutum eſt quod populi rumuſculis jactatur in literas mittere. Si iſthic adeſt *Hilarius Bertulphus*, poteris eum ad me mittere, relaturum ad vos libellum etiam formulis excuſum, ſi videbitur: nam id mihi promptius ac facilius, quam antigraphum parare manu deſcriptum. Hoc quo fiet maturius, futurum eſt gratius. Ignoſces, in præſentia non vacabat pluribus tecum agere, cui precor omnem felicitatem. Datum *Baſilea* 15. Junii, Anno 1526.

## EPISTOLA DCCCXXVI.

*Eraſmus Roterod. Franciſco Galliarum Regi, hujus nominis primo*, S. D.

QVO gravius diutiuſque nos diſcruciavit ſuperiorum temporum calamitas, *Franciſce* Regum *Chriſtianiſſime*, hoc magis exhilaravit nos tandem reddita ſerenitas. Meum quidem animum non ſimplex habebat moleſtia, nam & publice dolebat, duos præcipuos *Chriſtiana* ditionis Monarchas inter ſeſe commiſſos eſſe, non ſine graviſſimo totius orbis malo, haud aliter quam ubi luna cum ſole commiſſa periclitatur genus mortalium: & privatim angebar, ejus Regis, cujus propenſum in me ſtudium multis argumentis cognitum ac perſpectum haberem, animo ſummiſque virtutibus fortunam non ſatis reſpondiſſe. Itaque quemadmodum erat non ſimplex dolor, ita nunc multiplici perfundor gaudio, quod divino favore receperit *Gallia* Regem, orbis tranquillitatem, eruditorum ac bonorum chorus patronum. Merebatur quidem iſta tuæ naturæ benignitas, ingenii ſimplicitas, & animi vere regia celſitudo perpetuam in omnibus felicitatem; nam tuæ Majeſtatis felicitas quum orbi publice, tum privatim multis eruditis & optimis viris felicitatem attuliſſet. Quanquam autem nonnullis pax iſta ſeveris, ne dicam iniquis conditionibus videtur coiſſe, tamen confido futurum, ut ſummus ille rerum humanarum moderator, ſuis arcanis & inſcrutabilibus conſiliis, omnia vertat in lætum exitum. Novit ille, & ſolus novit quid nobis expediat, ſolus artificio ſuo divino & poteſt & ſolet hominum inconſulta conſilia in eventus lætos ac bonos perducere. Si *Chriſtianos* Monarchas firma junget concordia, minus audebunt *Turcæ*, & in ordinem cogentur, qui nunc huic Regi, nunc illi, utcunque commodum fuerit, blandientes, non alia re magis quam veſtro diſſidio potentes ſunt. Hac ratione, ſimul & optimis ſtudiis & Eccleſiæ jamdudum malis intolerabilibus laboranti poteritis mederi. Nunc utraque pars habet aliquot cerebroſos, ac nullius judicii rabulas, qui clamoribus & furioſis libellis incendium hoc exagitant. Sunt *Pariſiis* aliquot inauſpicata ingenia, nata in odium bonarum literarum ac publicæ tranquillitatis, quorum præcipui ſunt *Natalis Bedda*, & *Petrus Sutor* Monachus *Cartuſianus*. Hi ſcriptis non minus indoctis quam virulentis propinant ſeipſos mundo deridendos, pluſquam ſcurrilibus conviciis debacchantes in *Jacobum Fabrum* & me. Ridentur à doctis & cordatis, ſed interim & apud imperitos ac ſimplices lædunt famam noſtram, & ſtudiorum fructum à nobis tot vigiliis expetitum intervertunt. *Faber* pro ſe reſpondebit. Quod ad me pertinet, in cenſuris *Beddæ* poſſum oſtendere centum manifeſta mendacia, calumniaſque tam inſignes, ut ſi res eſſet lingua populari prodita, olitores & calcearii poſſint judicare, hominem non eſſe ſani cerebri. Mitto loca aliquot paucis notata: & iſti ſunt qui pronunciant de hæreſi, ad quorum delationem boni viri pertrahuntur in carcerem, & in ignem conjiciuntur, quos quocunque modo malunt exſtinctos, quam ipſos convinci de calumnia. Si licebit illis tam manifeſte mentiri de nobis, idque libris editis: contra nobis non licebit depellere calumniam, quid erit illa quondam celebris Academia niſi ſpelunca latronum? Hæc audacia ſi *Phariſæis* illis cedat impune, nullus bonorum virorum futurus eſt in tuto. Prætexunt fidei titulum, ſed revera aliud agunt, moliuntur tyrannidem, etiam in capita Principum; huc tendunt per cuniculos. Niſi Princeps ipſorum voluntati per omnia paruerit, dicetur fautor hæreticorum, & deſtitui poterit per Eccleſiam, hoc eſt, per aliquot conjuratos pſeudo-Monachos ac pſeudo-Theologos. Hoc illos moliri per cuniculos, ipſorum ſcripta declarant. Proinde conſultum fuerit initiis ſuccurrere. Non loquor de omnibus Monachis ac Theologis, ſed de quibuſdam, quorum indocta improbitas plus valet, quam aliorum docta modeſtia. Miſſi ſunt ad me articuli, per neſcio quos delegatos ex libris meis decerpti, quos verterat *Lodovicus Berquinus*, non ita multo ſaniores quam ſint cenſuræ *Natalis Bedda*. Ob hos vir optimus periclitatur. Periit *Papilio*, non ſine gravi ſuſpicione veneni, periit *Franciſcus Molinus* ac *Dubletus*, periclitatus eſt *Michael Arantius*, bis impetierunt *Berquinum*: nunc *Fabrum* & *Eraſmum* aggrediuntur. In libris meis colligunt ſuſpiciones & calumnias, nullum adhuc locum oſtendere potuerunt, qui dogma habeat pugnans cum fide *Chriſtiana*. Pium eſt, ſeditiones & impia dogmata ab Eccleſia ſecludere; ſed impium eſt, hos in impietatis vocare crimen, qui pugnant pro pietate Euangelica, & eos in caſtra hoſtium propellere, quos vident pro ipſis adverſus hoſtes dimicare. Sed iſtorum tyrannis quomodo coerceri poterit, alias demonſtrabo, ſi tua *Chriſtianiſſima* Majeſtas id clam fieri volet: nam ita res ſuccedet felicius. Interim illud rogo, ut tuæ Majeſtatis auctoritas aut coerceat furioſos *Sutores* & *Beddas*, ne talibus mendaciis infament bonos, aut efficiat ut patiantur noſtras defenſiones excudi legique *Pariſiis*. Iniquiſſimum enim fuerit, illis licere venena ſua ſpargere, nobis non licere admovere antidota. Scripſi liberius edoctus à multis regiam Celſitudinem tuam ſimplicibus minimeque fucatis delectari. Quod ſcripſi docebo veriſſimum eſſe, ac me quoque tacente res ipſa loquitur. *Chriſtianiſſimam* Majeſtatem tuam incolumem ac florentem ſervet Omnipotens. Datum *Baſilea* 16. Junii, Anno 1526.

## EPISTOLA DCCCXXVII.

*Bilibaldo ſuo Eraſmus* S. P.

DE *Philippo* facile ſatisfactionem accipio. *Neſenus* erat vehemens & conſtans amicus, ſed mihi infeliciſſimus. Is, uti ſuſpicor, inſtigavit *Lutherum*, ut ſic ſcriberet in Regem *Angliæ*, & in *Cochleum*. *Oecolampadio* curavi protinus reddendas literas tuas. Quid ille moliatur neſcio. Quod meminiſti de literis ac munere Ducis *Georgii*; literæ jampridem redditæ ſunt ex *Baden*, ubi fuit diſputatio: de munere nihil audio. *Compergius* miſit duas pelles *Gabellinas*, ſed epiſtola *Bonifacio* miſſa mentionem facit faſciculi albarum pellium. Forte *Polonus* mutato conſilio ſervavit per alium mittendas. *Alberto Durero* quam gratiam referre queam, cogito: dignus eſt æterna memoria. Si minus reſpondet effigies, mirum non eſt: non enim ſum is, qui fui ante annos quinque. Jam fere biennium eſt, quod ſub Februarium laborans calculo ſic concuſſus ſum vomitionibus, ut ex hoc tempore ſemper decreverit corpuſ-

Digitized by Google

An. 1526. pusculum, quod ante solet post morbum sarciri. Aliquot menses sat commode valueram; sed præter exspectationem velut ex insidiis obortum est aliud malum. Mirus urinæ fluxus, primum sine dolore, mox cruciatus, velut ex locis exulceratis, cum fluxu materiæ, veluti gypsatæ, mira copia. Medici non plus adferunt spei, quam muscæ. Aut vesicæ calculus, aut exulceratio mors erit. Dabit Dominus, ut spero, tolerantiam. Memoriam mei vobis amicis commendo. Alias copiosius: hoc nunc tantum licuit. Bene vale. *Basilea* 30. Julii, Anno 1526.

In quibusdam de Eucharistia ego velut parum eruditus subdubitarem, nisi me confirmaret auctoritas Ecclesiæ: Ecclesiam autem voco, consensum populi *Christiani* per universum orbem. Literas, quas scripsi Duci *Georgio*, cuperem quam celerrime ad eum perferri.

## EPISTOLA DCCCXXVIII.

*Erasmus Roterodamus Georgio Duci Saxoniæ* S. D.

ILLVSTRISSIME Princeps, accepi literas tuæ Celsitudinis, una cum his quæ mea causa vertenda curaveras, quorum nihil non fuit gratissimum, qua de re scribam alias per ocium, nunc quod solum licuit, significare visum est Illustrissimæ Celsitudini tuæ. Sub Cal. Junias misi per nuncium hujus civitatis publicum, in hoc proprie conductum, epistolam ad concilium *Badense*, in quo nuper fuit disputatio, causam ipsa, cujus exemplum ad te mitto, declarabit epistola. Inde reversus nuncius attulit epistolas & schedas modo dictas, sed præterea nihil. Quum nihil audiremus de poculo, quod tua benignitas nec promerenti, nec exspectanti se misisse scribit, rogare cœpimus nuncium, unde recepisset eas literas, ait à quodam, ut apparebat, docto, qui venerat ad hoc concilium, alioqui prorsus ignotum. Suspicabamur venturum per *Copergum*. Is ante paucos dies misit huc xenia quædam ex *Polonia* missa, nec ullam in literis facit poculi mentionem. Si quo casu poculum apud te mansit, bene res habet. Ego enim jam ejus muneris fructum percepi, videlicet tuæ erga me benevolentiæ. Sin missum est, non committendum est ut tibi simul & mihi pereat. Si hæc epistola reddetur in tempore, poteris ad nundinas *Francfordienses* significare cui commiseris. Hoc tantum in præsentia licuit scribere, ut valetudine & laboribus oppresso. Precor ut Dominus Illustrissimam Celsitudinem tuam prosperet in omnibus. Datum *Basilea* 30. Julii, Anno 1526.

## EPISTOLA DCCCXXIX.

Vives Erasmo.

EGO *ad te literas dedi ex* Britannia *bene longas multu de rebus, more meo; dolerem, si non crederem esse ad te perlatas: tuas jampridem nullas accepimus; occupationibus id tuis adscribo. Nam tibi iter tuum recta eunti de semitis κύνες ὑλακτῶσι. Itaque cogeris paulisper deflectere, ut molestiam dimoveas, qua iter remoratur. Possem referre tibi præclara aliquot hominis illius facinora; verum malim non agi inter vos de vita, sed de sententia: reliqua κατὰ τὸ Λαθήρε ἐνδέχεται. Olim ad te destinaveram scribere, sed nescio, quemadmodum excidit, ut libros omnes tuos cures, dum vivis, redactos in certos aliquot tomos excudi. Non dubito, quin aliquid tibi tale in mentem multo antea venerit, & hoc animo moliaris: sed eo facies celerius, cum intelliges alios quoque impense cupere: multa sunt tuorum Operum editiones atque impressiones, si è vita discedas, ut tibi est, ac nobis omnibus discedendum, priusquam omnia collegeris, & qua sit postrema judicii tui mens declaraveris, qua & te profitearis stare, & alios velis idem facere, quicunque sunt tecum sensuri, magnopere timeo, ne magna sequatur Operum tuorum confusio ac perturbatio, unde periculum sit, ne pereat tibi tua gloria; sed hoc fortassis ad te leve: sed certe fructus quoque studiorum tuorum, cum hærebit Lector incertus, quid demum ipse vel probaris, vel improbaris; nam nunc qui editiones distinguunt, utcunque sensum animi tui deprehendunt: posteri vero, quibus editiones separare non licebit, confundentibus omnia typographis, maxima monumentorum tuorum utilitate frustrabuntur: adde iis, quæ ut alia alio deferuntur, complura sunt abs te edita, quorum titulos ne audiverunt quidem homines tui nominis perstudiosi, & qui plurimum se per Opera tua profeciisse sentiunt, ac præ se ferunt: inter quos sunt nonnulli, qui ex me quærunt quo fine existimem introductam abs te disputationem illam ἐχθυοφαγίας, de Voto, & Vi præceptorum in opere tituli* Puerilis, *& quod videtur pueris scriptum rem tantam neutiquam intelligunt: respondeo quædam, quis ut illis satisfaciam, nescio, mihi utique non satisfacio: nam alieniissima videtur mihi & loco & personis illis dissertatio, ἵνα δοκεῖν μὴ τὸ πρέπον τηρηθῶμι. Itaque non videtur fuisse faciendum; præsertim cum offensione multorum συνίεις τινῶν· sed nihil dubito, quin tibi facti tui pulcherrime constet ratio, quam non gravâberis primis literis, quas ad me dabis, uno aut altero verbo subjicere ad eximendum & meum & meorum amicorum scrupulum.* Curtius *venit heri* Lovanio: *narrat* Vincentium *tuum &* Gotschalcum *agere animam.* Egmundano *multa & dira esse; anginam comminatam, & comminari atrociora in dies: itaque vereor ne non tollat; tum &* Latomum Cameraci *vivere, quanta ruina Academiæ, prostratis tot & talibus columnis?* Rhenano *&* Frobenio *tuo multam ex me salutem, simul &* Cantiunculæ, *si isthic adsit. Salvebis à* Laurino. *Cura valetudinem tuam, mi præceptor, & nos ama.* Brugis 6. *Augusti, Anno à* Christo *nato* 1526.

## EPISTOLA DCCCXXX.

*Erasmus Roterodamus Guilhelmo Copo Medico* S. D.

MAGNO affectu desideravi tuam præsentiam, medicorum disertissime *Cope*, in hac affectissima valetudine. Ex quo cœperam diluere vinum aqua ex glycyrrhizo decocta, mitius me tractavit calculus, & jam mihi gratulabantur amici tanquam libero. Verum hoc Julio proximo subito obortus est fluxus quidam vehemens urinæ, non sine laceratione viarum, primum absque magno dolore, post unum aut alterum diem sequutus est cruciatus, quasi calculus hæreret in vesica, qui non posset expelli. Effluebat interim mira vis urinæ gypsaceæ, veluti pus quoddam. Territus consului medicos, quos hic habemus dignos hoc populo, qui non admodum vivit medice, nec bibit modice. Nihil adferebant spei. Alius suadebat thermas *Badenses*, alius divinabat aliud. Itaque medicos dimisi, committens me Domino. Et cruciatus quidem ille mitior est, materiæ quoque vis aliquanto minor. Apparet tamen exulcerationem aut scabiem esse organorum urinalium. Ajunt *Thomam Linacrum* hoc malo mortuum esse. Quando per valetudinem & bellorum minas mihi non licet te visere, majorem in modum te rogo, ut scripto mihi digneris succurrere. Monachi ac Monachorum similes Theologi quidam devotis animis conspirasse videntur, ut libros *Erasmi* excutiant è manibus hominum, ut posthac legamus libros *Bedæ, Sutoris*, & similium. *Leus*, ut suspicantur, apud vos & *Hispanos* ἀνθρεσκῶν, his furiis perstrenuam navat operam: nec cessat tuus *Aleander*, nisi mentiuntur multi. Quis sit horum tumultuum futurus exitus nescio. Solus cum tot monstris pugnare non possum, ni Principes interponant auctoritatem suam. Pontifex imposuerat silentium *Lovanienſibus* blateronibus. Impetrarunt clam à *Datario* veniam exsequendi suum officium, me tamen non læso. Interposuerat severissimum edictum Cæsar, eo exhibito, accurrerunt *Mechliniam*, & impetrarunt ab aula edicti interpretationem, quæ prorsus irritabat quod Cæsar scripserat. *Papilio* & *Molinus* periit. *Berquinus* in carcere dispu-



Digitized by Google

An. 1526. tat cum Theologis. Rex ſatagit rerum ſuarum, precor ut Deus omnia vertat in lætos exitus. Qui has perfert, omnino voluit tibi commendari. Quid ſit negotii melius ex ipſo cognoſces, eſt enim *Mercurialis*, ἠ φλυαρῶδης μέγας, audies quidem, ἀλλὰ μὴ πιθάνος. Gratum erit ſi miſeris remedium, & ſi quid erit in aula, quod mea refert ſcire. Bene vale cum conjuge & liberis. *Baſilea* 27. Auguſti, Anno 1526.

## EPISTOLA DCCCXXXI.

### IN IRENAEVM.

*Eraſmus Rot. Bernardo, Epiſcopo Tridentino*, S. D.

EN tuis, ornatiſſime Præſul, auſpiciis in lucem producimus magnum illum Eccleſiæ propugnatorem, ac pro ſui nominis augurio pacis eccleſiaſticæ vindicem *Irenæum*: nam εἰρήνη *Græcis* pacem ſonat, & in Euangelio Dominus beatos pronunciat εἰρηνοποιὺς, id eſt, pacificos, *quoniam*, inquit, *filii Dei vocabuntur. Deus enim non eſt diſſenſionis auctor, ſed pacis*, qui per Filium ſuum pacificavit ea, quæ in cœlis & quæ in terris. Contra, qui diſſidiis orbem concutiunt, parentem ſuum referunt, qui primus ſevit diſcordiam inter Deum & hominem, ac ſalutiferam Euangelicæ doctrinæ ſegetem vitiavit, clam inſperſis zizaniis: nocturnum opus aptumque Principi tenebrarum. Utinam in his Eccleſiæ tumultibus, quibus nec in annalibus legimus unquam exortos vel graviores, vel latius divagatos, quanquam latiſſime ſe ſparſerat *Arianorum* hæreſis, exoriantur aliquot *Irenæi*, qui ſpiritu Euangelico mundum redigant in concordiam. Nam libri, qui nunc utrinque provolant, ejuſmodi ferme ſunt, ut citius novum excitent incendium quam vetus reſtinguant. Verum, hoc per *Chriſtianos* Principes faciet Dominus, poſtquam nobis ad meliora converſis ex irato cœperit eſſe propitius. Ad *Irenæum* meum redeo. Cur enim non meum appellem, quem pene ſepultum, abſterſo quantum licuit ſitu, luci reſtituimus, indignum profecto qui perpetua oblivione obſoleſceret? Spirant enim illius ſcripta priſcum illum Euangelii vigorem, ac phraſis arguit pectus martyrio paratum: habent enim martyres ſuam quandam dictionem ſeriam, fortem, ac maſculam. Fuit vicinus Apoſtolorum temporibus, quum adhuc martyrum triumphis floreret Eccleſia: nam puer audivit *Polycarpum* in *Aſia*, *Polycarpus* autem *Joannis* Euangeliſtæ fuit diſcipulus, à quo & Epiſcopus *Smyrnæis* datus, notus & aliis Apoſtolis diſcipuliſque, qui viderant & audierant Dominum, ex quorum relatione multa ſolitus eſt commemorare, quæ literis prodita non ſunt. Hujus viri de *Chriſto*, deque *Chriſti* diſcipulis ſermones *Irenæus* puer aviditſimis imbibit auribus, ac penitus inſcripſit cordi ſuo, ſic ut ſenex etiam horum omnium vividam ac præſentem retineret memoriam, quemadmodum ipſe multis verbis teſtatur in his, quæ ſcripſit ad *Florinum*. Referuntur autem *Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ* libro v. cap. xx. Manebant eo ſeculo veterum Eccleſiæ chariſmatum manifeſta veſtigia, quandoquidem ipſe lib. v. refert ſe multos audiſſe fratres in Eccleſia, quibus eſſet donum prophetiæ, qui Dei myſteria enarrarent, qui linguis omnibus loquerentur, qui ſecreta hominum proferrent non ad oſtentationem, ſed ad utilitatem. Et alibi docet fuiſſe, qui invocato *Jeſu* nomine morbos ac dæmones profligarent. Habes *Irenæi* commendationem ab antiquitate. Accipe nunc pietatis & integritatis teſtimonia, quæ quidem hoc ſunt ſpecioſiora, quod eo ſeculo promerenti contigerunt, quo laus hæc fere ſuppliciis ac mortibus erat emenda. Nunc delicata res eſt *Chriſtiani* nominis profeſſio, quum nec facultatibus, nec corporibus ullum à perſecutore periculum eſt. *Irenæus* igitur, presbyter Eccleſiæ *Lugdunenſis*, ad componendum Eccleſiæ diſſidium *Romam* mittitur, ubi tum præſidebat *Eleutherus*; mittitur autem martyrum epiſtolis magnifice commendatus, & quod Euangelii zelo præmineret, & quod dignitati presbyterii morum integritate reſponderet: undе dignus eſt habitus qui *Photino* ſive *Pothino*, (variant enim in nomine codices) *Lugdunenſis* Eccleſiæ Præſuli, qui natus annos fere nonaginta martyrium peregit, ſubrogaretur. Eccleſiaſticæ concordiæ tam fuit ſtudioſus, ut cum *Victor Romanus* Pontifex multas Eccleſias amputaſſet à communione, quod in celebratione diei Paſchalis, & in obſervatione jejuniorum, morem obtinerent à *Romana* conſuetudine diverſum, magna libertate *Victorem* reprehenderit, quod præter exemplum eorum quibus ſucceſſerat, tam facilis eſſet ad amputandas Eccleſias, non in fide, ſed in ritibus quibuſdam diſſidentes. Refert hæc fuſius *Eccleſiaſtica Hiſtoria* liber v. cap. xxiv. Hæc *Irenæus*, quum nunc *Ptolemæi* quidam ex quamlibet frivolis nugis, hæreſeon & ſchiſmatum excitent calumniam. Sed unde pietatis illius certius argumentum proferam, quam ex ipſius ſcriptis, quæ ſpirant pectus Euangelicum, & martyrii (ut ita loquar) candidatum? Nunc de doctrina paucis accipe. Eloquentiæ nec ſtudioſum nec peritum ſeſe fatetur ipſe præfans in primum librum. Ac non affectatam quidem ab eo facile crediderim, ignoratam ne credam, facit ipſe ſermonis curſus, in rebus tam ſpinoſis ac perplexis, imo faſtidii plenis, dilucidus, digeſtus, ac ſibi cohærens, niſi quod mihi nondum ſatis liquet *Græce* ne ſcripſerit an *Latine*, etiamſi magis arbitror *Latine* ſcripſiſſe, *Græci* tamen ſermonis peritiorem. Itaque figuris *Græcis* tanquam ſuo jure abutitur *Latine* loquens, veluti *noceri* pro *ladi*, quemadmodum *Græci* dicunt βλάπτεσθαι, ἔχοντες, id eſt, *habentes*, pro *valentes*; cujus generis aliquot annotavimus in ſpaciis marginum, ne lector iis offenderetur. Certe liberalium diſciplinarum omnium peritiſſimum fuiſſe conſtat. *Tertullianus* enim in libro, quem ſcripſit adverſus *Valentinianos*, indicans quos in eo Opere ſuerit ſequutus, hunc in modum loquitur: *Ut Juſtinus Philoſophus & martyr, ut Miltiades Eccleſiarum Sophiſta, ut Irenæus omnium doctrinarum curioſiſſimus explorator.* Quin & *Euſebius Cæſarienſis* in *Catalogo Scriptorum illuſtrium*, qui circa *Soteris* ætatem Eccleſiam Dei vita ſimul & ſcriptis illuſtrarunt, quum ventum eſt ad *Irenæum*, dicit, *Et præcipuus Irenæus, quorum omnium ad nos Apoſtolicæ fidei & ſanæ doctrinæ præclariſſima monumenta perlata ſunt.* Floruit autem potiſſimum *Commodi* temporibus. Cæterum, poſteaquam ordo nos vocat ut de tam egregii viri ſcriptis aliquid dicamus, dolor quidam ſubit animum meum, quod ex tot laudatiſſimis monumentis hoc Opus ſolum, ut videtur, remanſit incolume. Scripſit enim librum ad *Blaſtum De Schiſmate*, alium ad *Florinum* presbyterum ab Eccleſia prolapſum, *De Monarchia*, ſive quod Deus non ſit conditor malorum: nam *Blaſtus* eodem errore teneri videbatur, qui prius *Polycarpi* diſcipulus, poſt in hæreſim *Valentinianam* devolutus eſt. Scripſit autem & *De Ogdoade* librum, quem eximie probat divus *Hieronymus*. Hic eſt cui affixit obteſtationem ad Scribas, quam & nos præfiximus huic Operi. Hæc tantum viderat *Euſebius*. *Hieronymus* addit volumen breve *Contra Gentes*, rurſus aliud *De diſciplina*. Item ad *Martianum* fratrem *De Apoſtolica prædicatione*. Denique librum variorum tractatuum. Ex his tam multis viri lucubrationibus ſolum hoc, quod nunc damus, ſeculorum invidia reliquum eſſe voluit. Quod utinam ſic dare licuiſſet, quemadmodum ab illo proditum fuit. Primus & ſecundus, quoniam fere occupantur recenſendis monſtroſis hæreticorum & vocabulis & opinionibus, alicubi torſerunt nos, quos nemo niſi patientis ſtomachi poterit abſque tædio pervolvere. Tribus exemplaribus ſumus adjuti, uno quod *Romæ* deſcriptum illinc ad nos miſit egregius ſtudiorum patronus *Joannes Faber*, duobus è monaſteriis commodato præbitis. Ex *Tertulliano* pauca reſtituimus, quod illic plus etiam erat depravationis in vocabulis, non pauca conjecturis ſumus aſſecuti, quæ, ſi parum certa videbantur, in margine tantum annotavimus. Solis autem Scripturarum præſidiis pugnat adverſus catervam hæreticorum, quorum prin-

Digitized by Google

An. 1526. princeps fuit *Simon* ille *Samarites*, Magiæ peritus, qui se Deum summum ausus est prædicare, & *Selenem* scortum suum persuasit esse summam mentem; & hic impostor *Romæ* statuam meruit cum hac inscriptione, *Simoni sancto Deo.* Hujus discipulus *Menander*, non in nomine *Jesu*, sed in nomine suo baptizabat; negans cum *Simone*, mundum hunc à Deo conditum, sed ab Angelis, quem errorem è *Platonis* Philosophia videntur hausisse. Post hunc *Saturninus Antiochenus* dicebat hunc mundum conditum non à summo Deo, sed à septem Angelis. Hos sequutus *Basilides Alexandrinus* in majorem erupit insaniam, præter alia dogmatum portenta, summum quendam Deum invehens, & ficto nomen æque fictum imponens, *Abraxas*, qui *Valentino* seminarium insaniæ præbuisse videtur. Nam quos ille cœlos vocabat, hic dixit ἀιῶνας. Dehinc *Nicolaus*, turpitudinis doctor, cum superioribus negat mundum hunc à Deo conditum. Quin & *Ophita* monstrosa quædam somnia de *Æonibus*, & eorum præcipuo *Jaldaboth* prodiderunt. Successit his *Carpocrates* Gnosticorum auctor, aperte magiam exercens, ac dæmones παρέδρους jactans, quale quiddam de *Socrate* legimus. Sequutus est hos *Cerinthus*, negans mundum à Deo conditum, mentiens *Christum* ex *Joseph* semine natum, Legem non à Deo, sed ab Angelis latam. Huic contrarius *Ebion* sic adstruit Legem, ut subvertat Euangelium. Talibus portentis succesit *Valentinus* omnium portentuosissimus, *Platonica* Philosophiæ sectator, vir alioqui doctrina pollens, juxta atque eloquentia. Ambiebat Episcopi dignitatem, sed indigne ferens sibi prælatum alium, qui in tormentis confessus fuit nomen Domini, ad turbandam Ecclesiam vertit ingenium, totam doctrinam *Christianam* ad confictas voces & perplexas fabulas pertrahens. Hujus impiis inventis nonnihil addiderunt *Ptolemæus* & *Secundus*, aucto videlicet *Æonum* numero, sic tamen ut in quibusdam ab eo dissentirent. Eadem cum *Valentino* docuit *Heracleon*, sed novitate pronunciationis videri studuit diversa tradere. Post hunc *Marcus* & *Colarbasus*, alioqui non degenerantes à *Valentino*, rem mirè ridiculam commenti sunt, omnia fidei mysteria ad *Græcum* alphabetum pertrahentes. Successit his *Cerdon* impietatum lernam secum trahens. Duos enim deos finxit, alterum bonum, alterum sævum, à sævo mundum creatum. Legem in totum repudiabat: solum Euangelium *Lucæ*, nec id totum, recipiebat. Apostoli *Pauli* Epistolas nec omnes nec totas probabat. *Acta Apostolorum* & *Apocalypsin* ut falsa rejiciens, docebat *Christum*, boni Dei Filium, in phantasmate tantum venisse, nec vere passum, nec vere natum, Resurrectionem animæ probans, carnis negans. Hic dum aliquando confiteretur errorem, & rursus clam, interdum & palam doceret impia, tandem convictus, veluti deploratum membrum à communione fratrum resectus est. In hujus impietatem successit *Marcion*, genere *Ponticus*, Stoicæ Philosophiæ studiosus, Episcopi filius, ob stupratam virginem ejectus ab Ecclesia, qui tamen post interdixit nuptias *Christianis*. *Cerdonis* ac *Marcionis* blasphemam doctrinam excepit *Lucanus* quidam, ob id obscurus, quod nihil innovarit ex eorum doctrina quos sequebatur. Sed *Apelles*, *Marcionis* discipulus, quo se faceret novæ factionis auctorem, multa ex magistri dogmatibus reprobavit, sed sic ut nihilo saniora substitueret. Hic allegavit nobis puellam nomine *Philumenem*, cui fingebat adesse Propheticum spiritum, quam tamen *Augustinus* scripsit à *Severo* quodam inductam, haud scio quid sequutus: nam *Eusebius* & *Tertullianus* in hoc, quod narro, consentiunt. Inter hæc portenta latuerunt *Potitus* & *Basiliscus*, qui *Marcionem* sequuti, duo rerum principia tradiderunt. *Syrenus* magis etiam delirans, tria principia sive tres naturas induxit. Hos omnes sequutus *Tatianus*, ex *Justini* discipulo factus hæreticus, *Valentini Marcionisque* pestifera dogmata revocavit; discipulum habuit *Catistionem*. In tam longam seriem se porrexit illa detestanda lues à *Simone* Mago profecta: dictuque mirum quam ægre desiit. Jam enim *Valentini* nomen erat exstinctum, quum tamen non deessent *Valentiniani*. Nec omnino finis videbatur futurus, nisi venisset *Montanus*, qui cæteris omnibus abrogavit auctoritatem, se prædicans esse Spiritum Sanctum à *Christo* promissum, qui deduceret in omnem veritatem. Quanquam & *Manichæus* nonnihil erroris ex *Basilide* videtur hausisse. Accidit autem hic, quod solet in febri vehementer tenaci, quæ nunc est remissior, nunc acrior, nunc in aliam atque aliam speciem sese vertit, nec desinere potest, donec in phrenesim, aut in aliud malum præsentius exeat. Adversus hæc portenta scripsere *Justinus*, quem aliquoties citat *Irenæus*, *Miltiades*, *Proculus*, & *Tertullianus*. Cujus libros, quos eruditissimos scripsit adversus *Valentinianos* & *Marcionem*, præterea de hæresibus & hæreticorum præscriptis, si quis legere non gravabitur, rectius intelliget hos *Irenæi* libros. Jam mihi videor satis præfatus, ornatissime Præsul, quod ad hujus Operis rationem attinet, & tempus erat finem imponere prologo. Quod quidem faciam, si paucis aperuero, quæ cogitatio subierit animum meum in hoc argumento versantis. Non enim queo satis admirari consilium inscrutabile Dei, qui miris modis sponsam suam Ecclesiam vindicarit, purgarit, erudierit, evexerit, illustrarit; in quibus omnibus nihil est non alienissimum ab humanis consiliis, quemadmodum ipse loquitur per *Esaiam* hominibus: *Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ; neque viæ meæ, viæ vestræ, dicit Dominus: Quia sicut exaltantur cœli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris.* Quemadmodum igitur ipse Dominus descendens è cœlis viam aperuit in cœlos, & accepta forma servi paravit sibi dominium omnium quæ in cœlis quæque in terris, ac per summam ignominiam consequutus est æternam gloriam, patiendo devicit hostem, morte promeruit immortalitatem: sic pusillum & imbellem gregem suum alienissimis à mundi ratione præsidiis provehit. Per imperitos confutavit mundi sapientiam, per paucos subegit omnes mundi nationes, per imbecilles prostravit tyrannorum potentiam, per imbelles expugnavit omnem munitionem attollentem sese adversus Deum, per ignotos & humiles obscuravit universam mundi gloriam, per oves domuit leones, per columbos abegit serpentes. Et passus quidem est in oviculas suas satanam & mundum hunc totis artibus ac viribus suis insurgere, verum arcanis suis consiliis omnia mala vertit electis suis in bonum. Solus enim ille Rex Regum novit & uti bonis & abuti malis in suam gloriam & Ecclesiæ salutem. Infremuit adversus paucos & humiles *Christi* discipulos *Judæorum* zelus, *Pharisæorum* supercilium, sacerdotum auctoritas, tum Regum legibus & copiis armata potentia, magorum præstigiæ, Philosophorum eruditio, hæreticorum seditio. Tot machinis satanas oppugnabat ovile *Christi*. Sed Domino temperante conatus & actiones hominum, suppliciis ac mortibus crevit & invaluit Ecclesia, impiorum Philosophorum oblatrationibus confirmata est Euangelica Philosophia, præstigiæ magorum illustrarunt *Christi* divinam virtutem in discipulis operantem, schismaticorum molimina, piorum concordiam arctius junxerunt, ac velut in phalangem redegerunt, hæreticorum impia dogmata ad scrutandum arcanas literas compulerunt. Itaque factum est, ut dum *Judæi* zelo Legis, sed non secundum scientiam, pugnant adversus Euangelium, certius cognoverimus antiquatas esse Legis umbras, & illustrata est Euangelii gloria. Rursus dum persequutor ignominiis, cruciatibus, ac mortibus conatur fidem in *Christum* exstinguere, fidem auxerit, charitatem accenderit, spem reddiderit firmiorem, & piorum tolerantiam dum exercet, illustrarit. Postremo, dum hæreticorum argutationibus agitatur, magis uti didicit armatura divinarum Literarum, & confirmata est impugnata veritas. Primus Ecclesiæ congressus fuit cum *Judæis*, quorum utinam non exstarent & hodie reliquiæ. Hic strenuum propugnatorem Euangelicæ libertatis præstitit Apo-



Digitized by Google

An. 1526. ſtolus *Paulus*. Magiæ principem *Petrus* dejecit. Secundus fuit cum Philoſophis & hæreticis, qui fere Philoſophiæ præſidiis bellabant adverſus Euangelium. Horum impreſſiones, poſt Apoſtolos exceperunt viri doctrina facundiaque præcellentes. Nec ideo damnanda eſt Philoſophiæ ſobria cognitio, quod à Philoſophis fere natæ ſunt omnes hæreſes, quum per Philoſophos item oppreſſæ ſint. *Valentinus* Philoſophus oppugnaverat Eccleſiam, ſed *Juſtinus* Philoſophus, & *Irenæus* Philoſophus defendit. *Marcion* Philoſophus impetiit veritatem, ſed *Tertullianus* Philoſophus confecit hoſtem. *Celſus* Philoſophus blaſphemias evomuit in *Chriſtum*, ſed *Origenes* melior Philoſophus ex illius blaſphemiis illuſtravit *Chriſti* gloriam. *Libanius* Sophiſta defendit idololatriam, ſed hoc facundior *Chryſoſtomus* aſſeruit verum Dei cultum. Idem fecit Orator *Symmachus* quod *Libanius*, ſed hunc confodit potentior Orator *Prudentius*. Itaque bona quædam ſpes habet animum meum, fore, ut hanc Eccleſiæ tempeſtatem Dominus inſcrutabili ſuo conſilio vertat in bonos exitus, excitetque nobis *Irenæos* aliquot, qui compoſitis diſſidiis pacem orbi reſtituant. Hunc interim *Irenæum* velut ominis fauſti loco læta fronte dignaberis accipere, Præſul optime, tui nominis auſpiciis in lucem prodeuntem. Id ut facerem non tam mihi perſuaſit ſingularis quidam, ac ut gratuitus, ita perpetuus animi in me tui favor, quam uno omnium ore prædicata morum tuorum integritas, cum admirabili prudentia pariqué humanitate conjuncta. Sed nulla laus Epiſcopo dignior, quam quod ubique ſtudes paci concordiæque *Chriſtiani* populi. Atque hæ quidem in te virtutes hoc ſunt admirabiliores, quod ætate florenti *Neſtorem* quendam, ut ita loquar, præſtas, tum illuſtriſſimo Principi *Ferdinando*, tum Eccleſiæ *Chriſti*. Nec ignota, nec tuas dotes prædico, ſed pro donis in te collatis, & Deo gratias agimus, & nobis gratulamur. Amplitudinem tuam bonis omnibus augeat is, à quo ſolo proficiſcitur vera felicitas. Datum *Baſileæ* 27. Auguſti, Anno 1526.

## EPISTOLA DCCCXXXII.

*Eraſmus Rot. Petro Ægidio* S. D.

JUVENIS ille, qui petiit abs te tuas ad me literas, ut rem certam nunciavit *Corneliam* tuam in fata conceſſiſſe. Non libuit illi credere, quantumlibet affirmanti rem tam triſtem. Si verum eſt, non dubito quin repetiturus ſis matrimonium, nec diſſuadeo, illud tamen te rogo, ſi modo tantum permittis *Eraſmo*, ut in hoc intervallo te ſerves alienum ab omnibus ineptiis adoleſcentiæ. Novi tuum ingenium, juvenis es, fateor. Nondum iſta magnopere dedecent ætatem iſtam, tametſi non ita multum abes ab anno quadrageſimo, ſed cogita, quam multorum liberorum ſis pater, & quos mores poſtulet iſta muneris publici dignitas, præſertim, cum, ni fallor, Deus te majoribus negotiis deſtinarit. Hic ego, ne quid diſſimulem, meam quoque rem ago. Malim mihi dimidium mearum rerum perire quam talem amicum. Et video quid acciderit. N. poſteaquam ex marito procus eſſe cœpit, ſic immutatus eſt, ut non credas eundem eſſe, nec amicitiæ veteris, nec ſtudiorum meminit. De *Hieronymi* libris concinnandis & Archiepiſcopo *Cantuarienſi* tranſmittendis, opinor tibi fuiſſe curæ. Neque de linteis, quæ mittit *Dilfus*, quæque tu mercatus es, quicquam huc allatum eſt, exſpectamus nunc per fratrem & hæc, & *Prudentium*, & *Senecam*, & quod ſupererat ratiunculæ. Qui has reddit, eſt is, qui me pinxit, ejus commendatione te non gravabo, quanquam eſt inſignis artifex. Si cupiet viſere *Quintinum*, nec tibi vacabit hominem adducere, poteris per famulum commonſtrare domum. Hic frigent artes, petit *Angliam* ut corradat aliquot Angelatos, per eum poteris quæ voles ſcribere. Bene vale. *Baſileæ* 29. Auguſti, Anno 1526. Saluta D. Cantorem.

## EPISTOLA DCCCXXXIII.

*Eraſmus Rot. Franciſco Aſulano* S. D.

NIHIL jam diu nobis accidit, *Franciſce* chariſſime, jucundius, quam quod totus *Galenus* ad nos venit, ex tua munificentia. Auctor per ſe gratioſus eſt, mihi vero peculiari quodam vel ſenſu vel judicio adamatus: nec omnino falſum eſt, quod Philoſophus ille dixit, *Dulciſſimam eſſe rem, accipere*: tamen hic mihi plus voluptatis attulit animus in me tuus, etiamnum memor veteris amicitiæ, quam vel donum ipſum, vel Auctoris gratia. Aut me fallit animi præſagium, aut hæc editio conciliabit tibi non parum & nominis & compendii. Æmulos non eſt quod verearis, ut ſit hic qui velit, non eſt qui poſſit. Utinam detur occaſio referendæ gratiæ, nam reponere malim quam agere. Interim adnitar, ut quicquid è tua prodit officina, quanquam nihil non eſt gratioſum apud viros eruditos, fiat gratioſius. Felix juventus, quæ in hoc ſeculum incidit: nam repubeſcendi votum mihi ſit *ἀνεμπόδιστον*. Potes & meum nomen iſthic reddere vendibilius, ſi lucubrationes meas aliquot, pias, præſertim, tua digneris officina: Quales ſunt, *De miſericordia Domini*, *De modo orandi*, *Commentariali in quatuor Pſalmos*, *Paraphraſes in Novum Teſtamentum*. Paraphraſes tamen te nolim attingere, niſi miſero quædam loca caſtigata. Mittam autem ſimul atque cognovero tuum animum. Patri, fratri, reliquæque familiæ multam ex me ſalutem dices. Bene vale. *Baſileæ* 3. Septembris, Anno 1526. An. 1526.

## EPISTOLA DCCCXXXIV.

*Eraſmus Rot. Ferico Carondeleto* S. D.

ORNATISSIME vir, quam propenſo favore ſit in me R. D. *Panormitanus* frater tuus, ex complurium amicorum literis cognovi. Verum, plus illic valet quorundam doloſa improbitas quam paucorum bonitas. Ex tuis literis, amantiſſime ſcriptis, multum accepi ſolatii. Sed hæc valetudo me reddit inutilem ad hominum convictum, & pudet etiam me quod tuis ædibus ægrotatione mea tantum attulerim moleſtiæ. Calculus verſus eſt in aliud malum, ſed immedicabilius. Nota mala levius feruntur, hoc eſt eo moleſtius quod ignotum. Deinde piſtrino typographico ſic alligatus ſum; ut pedem diſcedere non liceat. *Frobenius* rurſus orſus eſt Novum Teſtamentum. Si quid iſta bibliotheca haberet veterum exemplarium, præſertim in Euangelicis & Apoſtolicis Epiſtolis, pergratum faciet ſi miſeris. Dabitur hoc pacto occaſio celebrandi & tui collegii, & tui proprie nominis. Nunc illud quæſo fac ut abs te impetrem. Habebam tria vaſa vini *Burgundiaci*, ea rebar in hanc hyemem ſuffectura, quorum unum, unde bibo, tendit ad vappam, alterum dum aperio, comperio prorſus in vappam verſum. Servabis *Eraſmum* tuum, ſi huc vel puſillum vaſculum miſeris vini ſubrubri, non ardentis, ſed generoſi, veteris tamen. Hoc negotium dedi noſtro *Bietricio*, qui meo ſumptu curabit huc advehendum. Si quid erit, in quo viciſſim poſſim tibi gratificari, nihil ſum recuſaturus. Deus te ſervet incolumem. Datum *Baſileæ* 7. Septembris, Anno 1526.

## EPISTOLA DCCCXXXV.

*Eraſmus Rot. Hieroſlao à Laſco, Palatino Syradienſi, Polono*, S. D.

VIR clariſſime, *Matrimonium Chriſtianum*, extremam ingenioli noſtri fœturam, mitto, non fratri tuo, qui cœlibatum amplexus eſt, ſed tibi, qui das operam, ne pereat humanum genus: nec tam ob id mitto, quo te doceam quomodo debeas uti matrimonio, nihil enim addubito quin in eo ſanctiſſime verſeris: quam ut nos admoneas, ſi quid illic prætermiſſum

An. 1526. sum esti, aut aliter tractatum quam oportuit. Nam tibi fortassis non minus ineptire videbor, qui de matrimonio praecipiam, quam Philosophus ille visus est insanire *Hannibali*, qui de bello disputabat, quum belle nunquam interfuisset. Exspectabimus igitur tuum judicium, priusquam admonemus alteram editionem. Diutius tecum fabulari cupientem revocant occupationes. Precor tibi tuisque perpetuam felicitatem. Datum *Basileae* 9. Septemb. Anno à *Christo* nato 1526.

## EPISTOLA DCCCXXXVI.

*Erasmus Rot. Andreae Critio, Episcopo Plocensi*, S. D.

ORNATISSIME Praesul, quum hic γεωμματοφόρος forte fortuna fuisset oblatus, relegi tuam epistolam & prolixam, & αἰνάγνωσιν, non tam ut responderem, quum nihil daretur ocii, quam ut eam voluptatem, quam initio ex earum lectione ceperam, mihi renovarem, simul & in valetudinis, & laborum, & publicae tempestatis solatium. Sunt enim eruditae, & alacres, & candidae. Sentias illic Musas omnes conjunctas esse cum Gratiis. In carmine paritor atque in oratione soluta probari nec *Ciceroni* contigit. Tu sic pangis carmen, quasi nihil aliud agas: sic texis orationem liberam, ut quanquam ad historicam sublimitatem assurgis, nihil tamen obstrepat poeticae licentiae. Quo vero magis deploras te à literis, quibus tibi natus videris, ad Episcopi munus, reique publicae functiones pertractum, hoc nos impensius gratulamur orbi *Christiano*, cui nulli sunt magis utiles, quàm qui reluctantes à Philosophiae dulcissimis studiis, ad patriae consulendum revocantur. Et tamen inter istas quoque negociorum undas, licebit aliquoties aliquid ocii tuis Musis succidere. Ad laudes, quas tuus candor largiter nobis tribuit, nihil habeo quod respondeam, nisi me hoc plus debere tuo in me studio, quo minus agnosco quae praedicantur. Equidem admixus sum ut nostra *Batavia* miteficeret commercio bonarum literarum: nec id solum, verum multo magis ut bonae literae, quas scis hactenus apud *Italos* fere Paganas fuisse, consuescerent de *Christo* loqui. Ea res quanquam mihi peperit gravem invidiam, tamen satis feliciter successerat, nisi haec tempestas fatalis incidisset, quae nunc orbem *Christianum* versat, agitatque. Edideram *Diatribam*, quod intelligerem me non alia ratione liberari posse à tenacissima suspicione, quam isti Principum animis infixerant: sed disputavi tantum. *Lutherus* sic respondit, ut antehac in neminem virulentius, & homo suavis post editum librum per literas dejerat se in me esse animo candidissimo, ac propemodum postulat, ut ipsi gratias agam, quod me tam civiliter tractarit, longe aliter scripturus, si cum hoste fuisset res. Et interim cum tali gladiatore commissum, Theologi quidam, sed praecipue Monachi, densatis phalangibus me adoriuntur, animis tam devotis, ut *Luthero* favere coeperint, quod sic in me fuerit debacchatus. Et ut scias rem de composito geri, simul orsi sunt fabulam in *Hispania*, in *Italia*, in *Anglia*, in *Brabantia*, in *Gallia*, in *Hungaria*, in *Polonia*. *Lutetiae* quatuor libri sunt in me proditi, plane fortes, ne quid dicam gravius, vix à Rege possunt cohiberi. Eludunt edicta Caesaris, eludunt edicta Regis ac Senatus. Nulla pudoris, nulla juris ratio, quod libuit sanctum est: quorum intemperias nisi Principum auctoritas coerceat, excitabunt orbi gravius incendium, quam unquam excitavit *Lutherus*. Quod me ab his *Germaniae* fluctibus isthuc velut in portum tranquillum amanter invitas, ut licent per valetudinem, perque leges arenae gladiatoriae, in qua nunc versor novus *Mirmillo*, vereor ne isthic non reperiam omnia tam tranquilla, quam esse vel vestra causa optarim. Et tamen optimo Regi ac Reginae, quorum in me favorem & ex aliorum amicorum literis cognovi, non minus me debere fateor, quam si tota benignitate, quam offerunt, essem usus. Interim illud est molestissimum, quod literariam quoque consuetudinem nobis adimunt, partim terrarum spatia, quae nos dirimunt, partim labores mei, qui *Milonem* etiam possint delassare. Quare te rogo, vir optime, ne meum erga te animum ex his inconditis ac frigidis literis velis aestimare, cujus declarandi fortassis alias dabitur opportunitas. Interim mihi gratulor talem amicum ac patronum, tuasque literas, ceu pignus charissimum nunquam intermoriturae benevolentiae, servo reconditas inter ea, quae mihi sunt preciosissima. Dominus *Jesus* amplitudinem tuam servet incolumem, semperque in majus ac melius provehat. Datum *Basileae* 9. Septembris, Anno 1526. An. 1526.

## EPISTOLA DCCCXXXVII.

*Erasmus Rot. Christophoro à Schydlovietz, regni Poloniae Cancellario*, S. D.

NUNC demum mihi mea *Lingua* minus displicere coepit, posteaquam video tibi tantopere placuisse. Quod quidem si vir omni virtutum & ornamentorum genere absolutus, tantummodo literis testificatus fuisses, erat abunde satisfactum votis meis: nunc non hoc fuit contenta tua singularis humanitas, epistolae testimonium, munerum insignium testimonio confirmavit. Redditum enim est bona fide, horologium aureum, cochleare aureum, & fuscinula aurea; mihi congruebant lutea, sed haec erant digna tuo vere aureo ingenio moribusque candidissimis. Habeo quod ostentem; nam erunt fortassis, qui causabuntur vulgare jam esse literis efferre quemlibet: at vulgare non est, talia mittere munera, pro quibus, vir clarissime, quum, ut debeo, maximam habeam gratiam, tamen non minorem habeo, quod auctoritas tua nomen nostrum adversus quorundam male linguacium calumnias defenderit. Quo tamen officio non me solum tibi devinxisti, sed omnes etiam bonarum literarum studiosos. Adversus has belligerantur, qui male volunt *Erasmo*. Tuis auspiciis *Lingua* nostra fuit felix, *Frobenius* felicissime vendidit, quum jam ter excuderit. Et interim à multis aliis fuit excusa. Hoc non fuisset factum, nisi multis placuisset. Bene vale. Datum *Basileae* 9. Septembris, Anno 1526.

## EPISTOLA DCCCXXXVIII.

*Erasmus Roterodamus Jacobo Pisoni, Praepositi, &c. Hungaro*, S. D.

NAE tu, doctissime *Piso*, morem antiquum obtines, candidus in amiculum, nisi misericors appellari mavis. Accepi duas epistolas tuas, cum duobus nomismatibus, aureo *Gratiani* Caesaris effigiem referente, argenteo *Herculis*. Gratum animi tui symbolum, sed epistolis nihil accidere potuit suavius, jucundius, mellitius. Eas frequenter apud amiculos ac mecum relego, quoties libet taedium ex animo exspuere, quod in tantis laboribus, tantoque rerum tumultu necesse est interdum obrepere, praesertim adversa valetudine, ne quid incusem senectam. De tuo in me studio nihil dubitabam, etiamsi nihil scribebas, non potest *Piso* nisi *Pisanem* agere. Attamen gaudeo me doceri literis tuis, quot quantisque nominibus tibi debeam, cui debeo libenter. Objurgat me frequenter suis literis *Velius*, quod cessem aliquid nuncupare Episcopo *Olmucensi*, & post dicatum *Plinium* exigit libellum meo *Marte* confectum. Edidi nunc *Institutionem Matrimonii*, verum, hoc argumentum ante annum à me stipulata fuerat Regina *Britanniae*. Est animus in posterum à talibus argumentis in totum abstinere. Forsitan non conveniret tam sancto Praesuli dicare profanum argumentum. Nactus sum aliquot libros *Chrysostomi Graecos*, ex his versos illi dicabo nonnullos, si *Velius* censuerit. *Irenaum* emisi, sed per *Joannem Fabrum*, qui suppeditavit exemplar, non licuit alii dicare quam Episcopo *Tridentino*. Quare monebis *Velium*, ut me



Digitized by Google

Au. 1526. doceat quid existimet illi gratissimum, quo simul & ipsi toties me provocanti, & fratris optimi memoriæ satisfaciam, quod ego certe cupio vehementer. Quod si tales libellos boni consulet, quales sunt *De modo orandi*, aut *De misericordiis Domini*, deligetur aliquod argumentum quam minime invidiosum. Sin *Græca* mavult, dabimus volumen mediocre. Doleo res apud vos esse turbatas, eoque sum brevior. Ad reliquas literarum tuarum partes, ubi dabitur certus tabellio, simulque cognovero ubi terrarum agas, respondebo. *Ursinum* amicum tui simillimum ex me salutabis diligenter. Et fortassis hæ nundinæ *Francfordienses* adferent à vobis aliquid literarum. Bene vale. *Basilea* 9. Septembris, Anno 1526.

## EPISTOLA DCCCXXXIX.

*Erasmus Roterodamus Bernardo, Episcopo Tridentino*, S. D.

REVERENDE Præsul, ex superioribus amplitudinis tuæ erga me officiis perspexi singularem quandam naturæ bonitatem: ex proximis vero literis, quibus me tam amanter consolaris, pietatem etiam erga me tuam agnovi. Utinam & tuis dotibus & meis laboribus contigisset seculum felicius. Non eram ausurus tuo nomini dicare *Irenæum*, quamvis probatum Auctorem: nec enim hoc officium omnibus perinde gratum est, neque quicquam magis fugere soleo quam captatoris opinionem; nisi tantum apud me valeret *Joannis Fabri* tum judicium, tum auctoritas, per quem nunc mitto librum, sed rudem. Recentior enim est, quam ut compingi possit. Si gratum est quod fecimus, erit quod mihi gratuler: sin minus, mihi certe levius succensebis, qui tam insignis amici voluntati morem gesserim. Opto tibi felicitatem perpetuam, ornatissime Præsul. Hunc Laconismum me docent immensi studiorum labores. Nunc enim quartum mihi retexuntur Annotationes in Novum Testamentum. Datum *Basilea* die *Mercurii* ante *Michaelis*, sive 24. Septembris, Anno 1526.

## EPISTOLA DCCCXL.

*Erasmus Rot. Nicolao Vario Marvillano* S.

MULTA quidem nova quotidie nobis gignit hic *Africa* nostra, *Nicolae* charissime; sed quædam ejus sunt generis, ut nec tibi gratum arbitrer futurum legere, nec mihi tutum scribere. Quod nuper accidit accipe. Ad duodecimum Calend. Octobris, evocatus amœnitate cœli, secesseram in hortum, quem *Joannes Frobenius* satis amplum & elegantem meo commercatus est hortatu: nam ibi soleo pomeridianis aliquot horis, vel somnum obrepentem arcere, vel assiduitatis tædium fallere, si quando invitat aeris temperies. Post deambulatiunculam conscenderam domunculam hortensem, jamque cœperam aliquid ex *Chrysostomo* vertere, quum interim vitreas fenestras feriret fulmen, sed tacitum ac lene. Primum suspicabar oculorum esse errorem. Quum rursus semel atque iterum effulsisset, demiror ac prospicio, si se vertisset cœlum, contractisque nubibus pluviam ac tempestatem minaretur. Ubi nihil video periculi, ad librum redeo. Mox auditur sonitus, sed obtusior. Ad eum modum Poetæ narrant *Jovem* ludere, si quando est hilarior. Siquidem longe aliud fulminis genus erat, quo gigantum moles disjecit, ac *Salmonea* & *Ixionem* demisit in tartara. Paulo post emicat plus fulgoris, & audio fragorem horribilem, cujusmodi fere crepitus audiri solet, si quando fulminis ictus impegit vehementius in aliquid solidum. Etenim quum agerem *Florentiæ* eo tempore, quo *Julius* Pontifex terrenus *Jupiter* tonabat ac fulminabat adversus *Bononiam*, magnam diei partem & tonabat vehementer & fulminabat, magnaque vis imbrium ruebat. In secessu sedens ad exonerandam alvum, quum horribilis fragor insonuisset, territus subduxi me, & ad cæteros redii. Aut me plane fallit, inquam, animus, aut post hunc crepitum audietis aliquid parum læti nuncii. Et ecce non ita multo post, venit chirurgus nuncians in collegio virginum tres ictas; quarum una mox exanimata est, altera propemodum exstincta, tertia sic afflicta, ut negaret esse spem vitæ. Ad similem itaque sonitum surrexi, & prospicio, quæ sit cœli facies. Ad lævam erat serenitas, ad dexteram conspicio novam nubis speciem, velut è terra sese proferentis in sublime, colore propemodum cinericio, cujus cacumen velut inflexum sese demittebat. Dixisses scopulum quempiam esse, vertice nutantem in mare. Quo contemplor attentius, hoc minus videbatur nubi similis. Dum ad hoc spectaculum stupeo, accurrit famulorum unus, quem domi reliqueram, anhelus, admonens, ut subito me domum recipiam, civitatem armatam in tumultu esse; nam is mos est huic Reipublicæ, ut sicubi fuerit exortum incendium, confestim armati procurrant ad tuendas portas ac mœnia. Nec satis tutum est armatis occurrere: ferrum enim addit ferociam animis, præsertim ubi nihil est periculi. Hortus autem, in quo studebam, erat pone mœnia. Recurro domum, multis obviis armatis. Aliquanto post rem totam didicimus, quæ sic habebat: Paucis ante diebus in unam turrim earum, quibus mœnia ex intervallis muniuntur, delata fuerant aliquot vasa pulveris bombardici: ea quum magistratus jussisset reponi in summa camera turris, nescio quorum incuria reposita sunt in imam turrim. Quod si vis pulveris in summo fuisset, tectum modo sustulisset in aera, reliquis innocuis. Ac miro casu per rimas illas speculatorias fulmen illapsum attigit pulverem, moxque vasa omnia corripuit incendium. Primum impetus incendii tentavit an esset oneri ferendo, possetque totam molem in altum tollere. Idque testantur qui viderunt turrim juxta partes imas hiantem semel atque iterum, sed rursus in se coeuntem. Ubi vis ignis sensit molem esse graviorem, quam ut totam possit subvehere, eo conatu relicto, totam turrim in quatuor partes immani crepitu dissecuit, sed tanta æqualitate, ut amussi Geometrica factum videri posset, ac per aera aliam alio sparsit: ipse pulvis accensus in altum se recepit, qui flamma consumta cinericiæ nubis præbebat speciem. Vidisses immania fragmenta turris, avium ritu, volitare per aera; quædam ad ducentos passus deferri, qua dabatur liberum aeris spatium; alia civium domos longo tractu demoliri. Non procul à turri magistratus curarat exstruendas ædiculas, in quibus habitarent mulierculæ, quæ corpore quæstum facere malunt, quam nere aut texere. Hæ lateris unius impetum excepere. Tantus autem erat fragor, tamque subitus, ut qui erant in propinquo putarent, rupto cœlo, mundum in chaos abiturum. Nec ridiculum putabatur quod vulgo dici solet, *Quid si cœlum ruat?* In agris multi sunt ruina oppressi, multi sic membris vel truncati vel afflicti, ut miserandum spectaculum præberent obviis, è quibus ajunt exstinctos numero duodecim, misere vexatos quatuordecim. Sunt qui credant hoc ostento quiddam portendi in futurum; ego magis ἐπιφήτης quam προφήτης nihil aliud arbitror significari, quam incogitantiam eorum, qui casum eum non usque adeo rarum non præcaverint. Nec mirum si pulvis ille levissimus disjecit saxeum ædificium: etiamsi turrim eam undique ducentorum pedum cinxisset paries, ignis ille subitus ac vehemens disjectis obstaculis omnibus, erupisset in suum locum. Quid autem vento mollius? Et tamen inclusus terræ cavis boreas, nonne montes totos concutit, terram hiatu diducit, & interdum campos spacioso in collem erigit? Quis hoc machinarum genus excogitavit? Olim artes ad humanæ vitæ usum repertas diis attribuit antiquitas, veluti medicinam *Apollini*, agricolationem *Cereri*, vitis culturam *Baccho*, furandi artificium *Mercurio*. Hujus inventi laudem non puto cuiquam deberi, nisi vehementer ingenioso cuipiam, nec minus scelerato cacodæmoni.

Au. 1526.

Si

An. 1526. Si quid tale comminiſci potuiſſet *Salmoneus* ille, potuiſſet vel ipſi *Jovi* medium unguem oſtendere. Et tamen hic nunc *Chriſtianorum* atque adeo puerorum luſus eſt. In tantum apud nos decreſcit humanitas, accreſcit immanitas. Olim *Corybantes* tympanorum & tibiarum ſtrepitu homines compellebant in rabiem: habet enim ille ſonitus miram vim ad commovendos animos. At horribilius ſonant noſtra tympana, nunc anapæſtis, nunc pyrichiis perſtrepentia. At his nunc pro tubis *Chriſtiani* utimur in bello, quaſi illic non ſatis ſit eſſe fortem, ſed oporteat furere. Quid autem dixi de bello? Utimur in nuptiis, utimur diebus feſtis, utimur in templis. Ad furioſum illum ſonitum procurrunt in publicum virgines, ſaltat nova nupta, ornatur feſti diei celebritas, qui tum eſt maxime lætus, ſi toto die per urbem obambulet pluſquam *Corybanticus* tumultus. At ego arbitror apud inferos non alio organo celebrari dies feſtos, ſi modo ſunt illic ulli. *Plato* putat magni referre, quo genere Muſices uteretur civitas, quid dicturus ſi hanc Muſicam audiſſet inter *Chriſtianos*? Jam hoc Muſicæ genus, quod ſimul & flatile eſt & pulſatile, in templis ſolenne, quibuſdam non placet, niſi bellicam tubam longe ſuperet, & immanis ille ſonitus auditur à ſacris virginibus dum res divina peragitur. Nec id ſatis, ſacrificus vocem ad tonitrui fragorem effingit, nec alii magis placent aliquot *Germaniæ* Principibus. Adeo noſtris ingeniis nihil eſt dulce, quod non ſapiat bellum. Sed deſino σατυρίζειν. Bene vale. Datum *Baſilea* 26. Septembris, Anno 1526.

## EPISTOLA DCCCXLI.

*Eraſmus Roterodamus Theobaldo Fettichio* S. D.

QVO graviorem bonis literis calamitatem minitatur hoc ſeculum longe tumultuoſiſſimum, hoc impenſius adnitendum eſt iis, qui perſpectum compertumque habent, abſque linguarum ac politioris literaturæ conditura, frigidas, mutas, ac pene cæcas eſſe reliquas diſciplinas omnes, nec florere Reſpublicas, nec liberalem eſſe vitam; breviter vix hominem hominem eſſe. Accipio penes vos eſſe rarum veterum codicum theſaurum; quantopere vero vel tu, vel ornatiſſimus vir *Wolphangus* ab *Affenſtein* faveatis ſtudiorum negociis, jampridem & famæ præconiis & eruditorum hominum literis cognovi, tum quam propenſa ſit utriuſque erga ſtudiorum cultores humanitas. His rebus fretus & *Hieronymus Frobenius* non dubitavit iſthuc proficiſci, nec ego veritus ſum te meis literis appellare. Ac mihi quidem præſagit animus hanc vel audaciam, vel, ſi quis malit, fiduciam nobis feliciter eſſe ceſſuram. Nemini poteſt obſcurum eſſe, quot jam annos *Joannes Frobenius*, quantis vigiliis, laboribus, impendiis, ornarit eximios Auctores, idque longe majore ſua gloria quam lucro. Habet domi virum utriuſque literaturæ doctiſſimum, parique fide præditum, quod ego ſane non in poſtremis numero. Mihi præterea vel immori libebit huic negocio, tam utili, tamque pio. Proinde meo judicio non alius dignior veſtro favore quam *Frobenius*, nec per aliam officinam melius conſultum fuerit præclaris Auctoribus; denique, vix in alium æque gratum memoremque collocaveritis veſtrum officium. Porro, — *ſi quid mea ſcripta valebunt*, hactenus cum *Virgilio* licuit dicere, utinam & illud adjicere liceat, *Nulla dies unquam memori vos eximet ævo.* Certe dabitur opera pro viribus, ne poſteritas ignoret cui debeat hanc literaturæ vetuſtioris acceſſionem. Bene vale cum clariſſimo Præfecto *Wolphango* ab *Affenſtein*. Datum *Baſilea* 5. Decembr. Anno 1526.

## EPISTOLA DCCCXLII.

Budæus Eraſmo *S. D.*

HEVS *tu, jam primum de* Græcis *illis noſtris* Latiniſque *Obſervationibus velim imminutam opinionem. Principio quicquid id eſt, totum in* Græco *propemodum ſermone conſumitur: quo nomine dimidium ferme concepta opinionis, ut decedat æquum eſt: deinde* Tuſſanus, *homo nimium nominis noſtri ſtudioſus, ex ſui animi ſententia, & noſtra fortaſſe pollicitationis temeritate, rem mediocrem majoribus modulis metiri te voluit. Hoc capite quantum detrahere debeas, ex hominis ſtudio immodico, & ex epiſtolari licentia alienum factum pollicendi, tibi ipſi æſtimandum relinquo, ex* Tuſſani*que benignitate circumcidendum pro eo quantum eſt, quod efficere poſſe mediocritatem meam noſti. Denique id inceptum, quod in orſu ſperaveram plauſum aſſequuturum, nominiſque noſtri jam ſeneſcentis memoriam acriter refricaturum, præcipue ob hujus ætatis ſtudium, quod in literas* Græcas *propenſius jam incubuit, id nunc æquare poſſe diffido juventutis exſpectationem præcupidam, ut audio, & geſtientem. Id adeo menſes jam ut octo ſchedas meas ſitu jam ſqualidas excutere pigeat, tametſi naviter & ſtrenue primordia inchoaveram. Quas utinam ipſas habere pro derelicto poſſem ſine metu ignominiæ: profecto libentius nihil quam hujus faſcem moleſtiæ, quem imprudenter mihi collegi, in trivio aliquo in mediove reliquiſſem, ab alio tollendum, quem labor ille juvaret. Refrixit enim intercapedine non longa amor Operis, conciditque ſpiritus contentionis, qui laboris ſenſum tollebat. Ita fit ut jaceat bona pars Operis prima manu formata. Imo vero ſylva rerum, quæ copioſe inter commentandum ſubierant, nil niſi congeries ſit incondita, quam in ordinem digerere nunquam conſtitueram, ne is labor inſuper commentationi accederet. Neque id utique magnopere ad rem pertinere arbitror, ut quidem res nata eſt. Scribendi tenorem interpellavit & abrupit mea in aulam profectio. Tum inde me regreſſum una aut altera commentatiuncula, & deinde lectio non injucunda, ab ea cogitatione averterunt: & obeunda tamen aliquando hæc erit mihi functio, ſi quo pacto inertiam ſegnitiemque excuſſero. Neque vero tui ſimilis ſi cupiam eſſe, poſſim, ut ſubinde ſpiritus animique alacritatem inſtaurem ad alias atque alias arumnas hujuſcemodi exhauriendas. Neque à curis familiaribus perinde feriato eſſe licet. Nonnihil etiam temporis quotidie Reipublicæ impertiendum. Quocirca deſines non exſpectatione tua, (neque enim ea in re falli potes) ſed commemoratione prolixiore ſupra modum nos onerare. Verum, quod me parum candide de te ſentire quoſdam ſuſpicari ſcribis, non temere illi quidem fortaſſe, ſed tamen opinione falſi ſunt. Sapiuſcule enim non obſcure tuli inter homines familiaritate mihi conjunctos, me tibi id non ſuccenſere non poſſe: Quod occaſionem nactus, libenter ipſe facis, ut* Gallica *ingenia cavilleris ut tarda, ut ſtupida, ut levia, ut ſtolida. Id quod quum multis in locis feciſſe dicti teris, ignoſci tamen tibi per me quidem licebit, ſalſiſque jocis & facetiarum ſtudio condonari, niſi etiam conſulto, & meditato, & pene ex profeſſo id feciſſe videri non nolueris. Mirum quantum tibi placuiſſe tute videris in Epiſtolam ad* Galatas, *quam tibi cordi fuerit, quam ad ſtomachum tuum illa fecerit viri ſanctiſſimi reprehenſio* Galatarum, *nuſquam ut majorem fructum laboris quam in eo loco tuliſſe ipſe videare, certe quidem eum locum* ὅτως τυγχάνεις παραφεράσας, ὥσε τὰ μὲν ὑπὸ ξ ἀποσόλυ ἢ τ τλωικαῦτα Γαλατῶν εἰρημένα· ὑπὸ ἢ ξ Ἱερονύμυ ἔσιν ὅπυ ἐξηγημένα, σύγε ἐπὶ τὺς Κέλτας τὺς ἐφ' ἡμῖν χαίρεις παροχετεύσας, τῦτο δῆθεν, ὡς οἶμαι, τῷ ἄγαν Φιλοσκωπλικῷ καταχρησάμεν@ τῷ σῷ. ὡς ἢ πολλοὶ φάσκυσιν, ἐμῦ ὰ συγκατατιθεμένυ, ἐκώντε τῷ Κελτικῷ ἢ ὐκ προαιρέσεως ἀφσκεκερκκώς· ἢ τὸ Φιλαπεχθήμον ἢ ἢ τῆς ἔχθρας ὕπυλον, ἀσμένως εἰς τὺς Φεύγυς ἀπερεισάμεν@, ὅπυ ἂν τύχῃ ὑποθέσεως. *Et* Hilarii *quidem de* Gallis *elogium præclarum in monumentis tuis, ne quando interiret, conſecrare voluiſti, διγνωμόνως credo* ἢ Φιλαληθῶς. *Quod nunquam, ut opinor, faceres, niſi tam bardos adhuc* Gallos *eſſe judicares, ut figuras tuas non intelligerent. Neque enim ultro provocare noſtros & laceſſere in mentem utique tibi venit, non tantum tibi ocii eſt à ſeriis rebus ſcribendis, ab aliiſque nationibus tantum eſt requietis. Equidem quod ad me attinet, quicquid eo nomine queſtus*

Digitized by Google

An. 1526. *ſtus ſum, publicam vicem magis quam privatam queſtus ſum: qui te &* Ironem & Momum *perferre ſatis didicerim, quum interim non minus me aequo uſus ſis, etiamſi aliter aliquamdiu exiſtimaſti. Ut ad rem redeam, eatenus de te ſentire me palam non diſſimulavi, ne me nihil commoveri publica vice putes. Praterea vero quod incommodius de te dixerim nego omnino eſſe quicquam, niſi ſi quid excidit contra animi ſenſum, quod ancipitem interpretationem haberet, apud eos quidem qui caca aemulationis fomites reſidere in animis noſtris cenſent, prima quaque aura rumoris in flammam exarſuros. Hic ſi commemoranda duxiſſem quæ de te deque tuis ſcriptis teſtificari ſine fuco verborum ſolitus ſum, (idque tuo merito, & veritati potius quam amicitiæ ſerviens, ne me tibi ea velle imputare arbitreris) aut te ingratum eſſe convincerem, qui adhuc diſſimularis, aut malignum eſſe rumorem oſtenderem, qui in alteram tantum partem nuncius ad te ierit. Quid vero duæ epiſtolæ* Græcæ, *quas ad te ante biennium ſcripſi, quibus te adſciſcere, iſthincque evellere conatus ſum, in utram tandem partem ἐπισημῆναί σοι ἔδοξαν; benevolentiæ an contra? quam ego operam ad te ſcribendi ipſe mihi depopoſceram, ne ſis neſcius, verius quam imperata ultro ab Rege defunctus ſum. Quæ in re σύνοιδά σοι, ὡς οἶμαι, ἀγνωμόνως διακειμένῳ, qui ita ſuſpicioſe mecum egiſti poſtea, ut tuam voluntatem ac propoſitum per alios reſciſcerem, non per epiſtolas tuas. Et qui in aliorum ſinu arcana tua ſecure deponebas, mecum ita agere inſtituiſti, quaſi cum æmulatore. Atqui ſi τὰς ἀκκισμὰς ἐκείνους τὰς σὰς hic proferre voluiſſem, confeſſionem tibi expreſſiſſem diſſutæ amicitiæ, ut parciſſime loquar. An id erat æmulatoris factum, te in priores partes cooptare, aut minimum in æquas? A quo quis tandem præter amicum non metueret ſibi? qui quidem alieni animi probitatem non ex ſuo ipſe animo æſtimaret. At tu ancipitis me fidei amicum nimirum exiſtimaſti, aut diſcingi temere & ſæpius ſolitum, in cujus ſinu condere veritus ſis, quæ tibi tum cordi erant. Sed enim ἄλις μεμψιμοιρίας. Verum reſponſum oportuit tacitæ expoſtulationi tuæ. Hic tamen velim exiſtimes me verbis magnopere temperaſſe. Nam ſi rumoribus auſcultandum cenſerem, credo te non ignorare ultro citroque rumores commeare ſolere, nec minus hic quam iſthic loquaces eos eſſe. τὰ μὲν ἓν κατ' ἐμὲ ἅτως ἔχει ὡς ἢ τοπρῶτον, τόγε ἢ τῳ τ' γνώμης διάθεσιν. ἢ μὲν δὴ ἢ ἐμαυτόν σοι τὸν αὐτὸν παρέξομαι ἐπιεικῶς, ὅπη ἂν τύχης δεόμῳ τ' ἐπ' ἐμοί. ἐφ' ᾧ γὲ δὴ ἢ τὸν αὐτὸν ὁμοίως αὐτὸς σεαυτόν μοι ἀντιπαρέξῃ. Id quod eo pertinet quod* περὶ ἐξαλείψεως τῆς ὑπονοίας *ſcripſiſti. De* Ciceronianorum *choro ita plane tecum ſentio, ut ſubſcribere paratus ſim ſi res ita tulerit. Quam hominum conſenſionem in invidiam conjecit, offenſumque jam apud omnes reddidit illius* Coryphæi *inſolentia, quem tu mihi notum eſſe dixiſti: qui* Philalazonis *cognomento in* Italia *& ubique auctus eſt, ut audio, præſertim recenti illo cantico & parnaſſio, quod ſibi ipſe uni, quaſi philocaliæ filio, alternis vocibus cecinit perſonis ſub heroicis. Is* Gallos Germanoſque *Scriptores pro poteſtate numeris expunxit decora merentium, addito elogio.* Ciceroni *autem uſque eo ad unguem ſimilis eſſe meditatus eſt, ut eloquentiæ* Latinæ *parentem etiam ſuperaverit ac longe reliquerit, duntaxat in ea parte, quæ ad commendationem ſui pertinet.* Marcus *enim* Tullius *laudes ſuas decantavit, eamque ob cauſam ſæpe ſtomachum & curiæ, & ſubſelliis, & amiciſſimis ſuis movit, tametſi veras laudes meritaſque prædicabat. Hic longe impudentius ſuas & immeritiſſimas deprædicavit. Id quod ſane mirum eſt impune eum tuliſſe ab eorum amicis virorum principum, quorum hominem non puduit nomina ad rem tam abſurdam, tam putidam edendam utenda ſibi ſumere.* Longolium *olim noſtrum luctuoſius deſideraſſem, niſi ipſe noſter eſſe animi deſtinatione deſiiſſet. Vale.* Pariſiis, *poſtridie liberalium noſtrorum aut natalis immortalitatis noſtræ. Quo die Deum fruge colimus, Dominumque in fruge agnoſcimus ſi frugi bonæ ſumus. Epiſtolam autem tuam decimo Calendas Aprilis ſcriptam* Soteriis *accepimus. Quo die ſolenne eſt funere Servatorem noſtrum efferre, grata pia-*

*que commemoratione ab eo nobis ſalutis comparatæ. Accepi autem ad multam noctem, è caſtello ſuburbano rediens ubi tum erat Aula. Vale rurſus, & cave exiſtimes in hac epiſtola me quippiam animo exulcerato ſcripſiſſe. Ne vivam ſi tantulum ſuberat ſimultatis.* Ἀλλὰ τ ἐλθερολτῶν τυγχάνομεν ὄντες, *ut ſi quiſquam eſt alter* τ μὴ κρυψίνων ἐν ᾧ δέοντι. Pariſ. 26. *Decemb. Anno* 1526. An. 1526.

## EPISTOLA DCCCXLIII.

*Eraſmus Rot. Joanni Fabro* S. D.

EQVIDEM non poſſum non boni conſulere, quod tantus amicus bono facit animo, & jam ſera fuerit expoſtulatio, fortaſſe tamen in futurum profuerit admonitio. Tu quidem pro tuo erga me ſtudio magnifice prædicas *Eraſmum*, & hoc nomine territas novis hiſce factionibus ſtudentes: at interim duplex accerſis incommodum, ſimul & crabrones per ſe plus ſatis inſanientes irritans, & in me hominem nudum & inermem provocans potentem factionem, multis quidem aliis præſidiis inſtructam, ſed nullo formidabiliorem quam maledicis libellis. Vides quam hoſtiliter in me ſcripſerit *Lutherus*, nullo convicio laceſſitus, quid faceret irritatus? Eum librum ſtudio ſumma cura elucubravit, ne periret, ſimulque cum illo viverent mea crimina. Is liber jam decies excuſus eſt variis locis. Scio dices eſſe negligendum, quicquid à talibus impingitur. Id quum nec magnates auſint Eccleſiæ, juxta potentes ac felices, quomodo jubes hoc me facere, cui nec ea fortuna eſt, ut maledicum deterreat, nec ea vitæ ſanctimonia, ut nulla criminis ſuſpicio in me hæreat? Quid autem non audeat in me jacere *Lutherus* magis irritatus, quum placidus &, ut videri vult, amicus, non veritus ſit mihi toties ingerere, quod cum *Luciano* non credam eſſe Deum, cum *Epicuro* credam Deo non eſſe curæ res mortalium, quod irrideam ſacras Literas, quod hoſtis ſim *Chriſtianæ* religionis? Et tamen ipſe literis, quarum exemplar ad te mitto, ſic mecum agit, ut propemodum ſibi poſtulet agi gratias, quod præter morem naturamque ſuam ſic in me ſtylum temperarit. Quin & amici illius ſerio mirantur *Lutherum* tam moderate reſpondiſſe, quum eſſet tam atrociter laceſſitus, nimirum *Diatriba*, quæ nullum habet in quenquam convicium. Arbitror eſſe boni viri, etiam falſam infamiam metuere. Quid his ingeniis ſuavius? Nihil ab iſtis tam atrox confingi poterit, quod factio non ſit approbatura. Et ſunt artifices ut calumniam reddere poſſint probabilem. Nec unquam ſic eluuntur magna crimina, quin hæreat in animis hominum aliquod ſuſpicionis veſtigium, quoque gravius & impudentius eſt quod fingitur, hoc citius invenit fidem: cogitant enim multi, aliquid ſubſit oportet, quod auſus ſit illum de re tam atroci inſimulare. Verum ut maxime vita propellat ſuſpicionem, quid dicet poſteritas, quæ calumniam leget, nos non noverit? Et vident rem in eo ſtatu eſſe, ut niſi perſtiterint, incolumes eſſe non poſſint, eoque nihil non facturi, ne loco depellantur. Porro quanquam ipſi ſic rem gerunt, quaſi nolint vincere, tamen videmus hanc luem in dies longius ac latius ſerpere, ut ſi mihi ſit hinc fugiendum, non videam uſquam tutum præſidium. Jam ut ſit qui corpus tueatur, adverſus libellos rabioſos omnino nullum eſt remedium. *Lutherus* decreverat diſſimulare meam *Diatribam*, quod & ipſe fatetur, ſed amici quorundam jactantia irritati, per literas exſtimularunt hominem, ut me proſterneret, ſi vellet factionem ſubſiſtere. Inter hos fuit, ut ferunt, quidam olim tibi chariſſimus ac tuæ benignitatis alumnus. Et tamen ſi unius *Caris* jactura conſopiri poſſet hæc tempeſtas, non recuſarem meipſum Reipublicæ impendere, ac lucro ducerem, ſi privato meo malo mederi queam publico. Nunc mihi malum accerſitur, & adeo non medemur publico, ut magis exaſperetur. Nec alias ob cauſas ſcripſi *Diatribam*, niſi ut Principum voluntati morem gererem, deinde ne quem lateret,

Digitized by Google

An. 1526. ret, me à factione *Lutherana* esse alieniſſimum: id enim referebat, tum mea, tum omnium. Alioqui ſciebam me nihil aliud profecturum, niſi ut *Lutheri* calamum laceſſerem, ad confirmationem impugnati dogmatis. Statim in initio clamabam Theologos ac Monachos adjuvare cauſam *Lutheri*, non ſum auditus. Mox oſtendi viam finiendi mali, rejectum eſt conſilium. Egi tertio per literas cum *Adriano* Pontifice, conjicio non placuiſſe conſilium, vel ex hoc quia nihil reſpondit. Et videmus quo res evaſerit. In *Gallia* gnaviter inſaniunt *Beddaici* quidam, cenſuris, articulis, carceribus, incendiis, libellis: optarim vel ſic poſſe cohiberi peſtem, ſed exitus rei docebit, his modis nihil aliud quam exaſperari malum. Factio his potiſſimum præſidiis nititur: Concionibus alliciunt ac retinent populum, profeſſione linguarum ac bonarum literarum ſuam faciunt juventutem, eoſque, qui hoc genere ſtudiorum impenſe delectantur: plebem ineſcant amore libertatis; nec mediocre momentum eſt in typographis: ad omnia maximo illis adjumento eſt, odium pene publicum in quoſdam malos Monachos & ſacerdotes *Epicureos*, & Theologos cerebroſos: nam de probis non loquor. Habent ex nobilitate, præſertim inferiore, multos proniores, quod inhient facultatibus Eccleſiaſticorum: fortaſſis erunt & Principes aliquot, qui publicam hanc rerum tempeſtatem vertent in ſuum commodum, quemadmodum ſolent quidam ex naufragiis aut incendiis aliorum augere rem familiarem. Quod ſi pergamus dentatis libellis, carceribus ac mortibus exacerbare malum, vereor ne tandem ſequatur rerum omnium miſeranda confuſio. Præludia vidimus. Pontifex cohibuit ſuos, ne pergerent ſtringere calamum in *Lutherum*, & ſapit. *Itali* ſinent nos inter nos digladiari, noſtraque fruentur inſania: tempus eſt ut ſapiamus & nos, ac ſepoſito privati commodi ſtudio, Reipublicæ negotium agamus ex animo, memores nos omnes in eadem eſſe navi, quæ perire ſine communi omnium exitio non poteſt. Et gravius eſt & latius patet malum quam ut vulgaribus remediis ſanari queat. Si flagites quibus utendum cenſeam, res iſta majus ingenium meo requirit, & tamen meum conſilium, quale quale eſt, ſi ſerio poſtulent Monarchæ, non gravabor impartiri, modo id fiat occulte. Videmus qualibus libellis mundum impleant *Lutherani*. Neque multo ſaniora ſunt, quæ ſcribuntur contra à quibuſdam Theologis. Ex talium libellorum colliſione quid aliud quam gliſcit incendium. Idem fit ex concionibus utriuſque partis, ſic utrinque inſanitur conviciis, trahiturque contentionis funiculus. Si ſubmoveantur è ludis factioſi, & ſuccedant qui probatas ac neceſſarias literas dedoceant, nihil agetur. Diſputandi nullus eſt finis. Concionatores improbatæ partis eſſent ſubmovendi, præſertim aliquot præcipui, in horum locum ſuccederent integri viri, qui nihil attingerent contentioſorum dogmatum, ſed ea duntaxat traderentur, quæ ſine controverſia facerent ad pietatem & ad bonos mores. Ludi literarii, & profeſſio linguarum committeretur iis, qui liberi ab omni ſtudio partium docerent utilia pueris. At nunc quidam dum impotenti odio feruntur in *Lutherum*, moliuntur exitium & optimis literis, & harum ſtudioſis, protrudentes in caſtra *Lutheri*, quos oportebat allicere. Interim ſævitur & in innoxios ſub titulo pietatis. In ſeditionis auctores merito ſæviendum eſt, ſed ita ut quantum fieri poteſt, nec lædantur innocentes, nec alienentur ſanabiles, & multitudini parcatur. Et fortaſſe præſtiterit à civitatibus ubi malum invaluit hoc impetrare, ut utrique parti ſuus ſit locus, & ſuæ quiſque conſcientiæ relinquatur, donec tempus adferat occaſionem concordiæ. Interea temporis parata ſit atrox pœna ſeditionem tentantibus. Interim ipſi ſtatim corrigamus quædam, unde hoc malum pullulat, & reliqua Concilio generali ſerventur. Sed de his alias copioſius, vel coram potius, ſi videro tibi rem eſſe cordi. Interim hoc te rogo per noſtram amicitiam, ne pergas iſtos crabrones in me irritare, ni velis *Eraſmum* exſtinctum. Agnoſco tuam in me benevolentiam, nec inficior me debere, verum, illud adjiciet prioribus tuis in me officiis tua prudentia, ne ſtudium amici pectoris idem efficiat quod moliuntur inimici. Quidam, mei parum prudenter ſtudioſi, impetrarunt à Cæſare ſeverum ac minax interdictum adverſus quoſdam rabulas *Lovanienſes*. Atqui nulla re poterant magis in me provocari. Nec fieri poteſt ut ſubſiſtam, ni Monarcharum ſingulari perſpicuoque favore fulciar, quando cœpi prodire in arenam, nec res jam poteſt diſſimulari. Dices, quid tibi fiet, qui recuſas dignitates? Merito recuſo ſarcinas homo tam imbecillis, ut vix meipſum ſuſtineam. Sed audi fabulam: *Ruffus* quidam ordinis *Senatorii*, quum jam inter cœnam incaluiſſet vino, imprecatus eſt *Auguſto* Cæſari, ne rediret incolumis ex ea peregrinatione quam apparabat, & adjecit vocem ebrio dignam, Idem hoc optare tauros ac vitulos omnes. Servus, qui illi ſtabat à pedibus, poſtridie monuit herum quæ dixiſſet inter pocula, ſuaſit ut occuparet atque ipſe ſe deferret. Occurrit deſcendenti Cæſari, faſſus eſt ſe pridie malum in illum habuiſſe animum, nunc optare, ut quod illi precatus eſſet in ipſius caput & liberos recideret. Cæſar, ut erat mira clementia, ignovit. Tum *Ruffus*, Atqui, inquit, nemo credet te mecum rediſſe in gratiam niſi aliquid dederis: & petiit ſummam, quam vix à propitio crederes impetrandam. Cæſar dedit, & adjecit, Quod ad me attinet, dabo operam ne unquam tibi iraſcar. Nec hoc contentus, pro ſervo, qui monuerat herum, numeravit precium, ut manumitteretur. Ea quidem res feliciter ſucceſſit *Ruffo*, cui Cæſar clementiam benignitate cumulavit. Proinde non opinor improbam fore ſpem, ſi à propitio Principe mihi promitterem aliquod favoris argumentum, cujus oſtentatione fidem omnibus facerem, me *Ferdinando* charum eſſe. Nec dubito quin ille hoc pro ſua naturæ benignitate libenter facturus ſit, ſi tu modo ſubmonueris. Argumentum primum inſigne ſit oportet, deinde ejus generis, ut in uſu quotidiano poſſit eſſe. Sunt apud me jam aliquot Principum donaria, quæ mihi chariſſima ſunt, non tam ob precium, quam ob id quod teſtificantur Principum erga me ſtudium, quibus placuiſſe non infimam laudem duco. Hic *Henricus* totus ex te pendet. Scio te curaturum ne ſpes illum fallat ſua. Saluta *D. Lucam* & *Cantiunculam* ſi adeſt, & *Jacobum Spiegelium*. Illuſtriſſimo Principi precor omnia digna ipſius dotibus. Bene vale. *Baſilea*, Anno 1526.

## EPISTOLA DCCCXLIV.

*Eraſmus Roterodamus Claudio Cantiuncula, Legum Doctori*, S. D.

DISPEREAM, ni iſti tuo felici ocio invideo, cui tales epiſtolas ſcribere liceat, quum mihi ne legere quidem vacet ſcriptas. Næ tu, mi *Cantiuncula*, copioſe, ſplendide, graviter omnia; nihil deſiderari poteſt abſolutiſſimi rhetoris, niſi quod aſſumis, & ἀδύνατα prorſus, nec vera: ſive huc te rapuit calor quidam, & vehemens cauſæ ſtudium, ut id facile factu putes, quod admodum cupis factum; ſive uſque adeo cæcutis amore mei, ut muſca tibi videar elephantus. Ego nihil neſcio, quem utraque pars judicat, & vere judicat nihil ſcire? Ego ſolus poſſum quod nec Cæſar, nec Pontifex, nec tot Theologorum poſſunt examina? Meæ unius auctoritati cedet orbis, quem commingunt etiam Theologorum canes? Et ita provocas ad excludendum ſchiſma, quaſi jam dudum non regnaret incendium. Sic accuſas ſilentium meum, quaſi hactenus non ſim auſus mutire adverſus hanc orbis tragœdiam; aut quaſi non tentarim bellum hoc æquis legibus componere, fruſtra quidem, at non citra meum periculum. De Euchariſtia cœperam nonnihil antequam tuæ literæ redderentur; quas nondum legi, tanta eſt ocii penuria, ſed à prandio prælegit Comes *Laſcanus*. Librum *Oecolampadii* nondum vacavit legere. Sed tu videris



Digitized by Google

An. 1526 hoc agere, ut in me recipiam auctoritatem de causa universa pronunciandi, quum utraque pars gladiatoriis animis tendat in alteram, & utraque laboret intestinis dissidiis. Finge mihi suppetere ocium, finge non deesse doctrinam tantæ causæ parem, quam tandem fructus spem ostendis? Pronunciabo secundum Theologos? utrum Cisalpinos an Transalpinos? secundum partem adversam? utrum pro *Lutheranis* an *Zwinglianis?* Nam *Carolstadius*, ut audio, recepit palinodiam. An rebus utrinque temperatis æquus arbiter componam litem? Quid profecturus, nisi quod solent ii qui capitales hostes conantur interventu suo dirimere, ut utrinque confossus cadam? Hæc interim ad tuam declamationem, in qua probo mirorque ingenium ac facundiam tuam, & boni consulo tam amicum de me tuum errorem. Cæterum malim delegisses aliud argumentum exercendo stylo: nam istiusmodi me laudibus onerant, qui exstinctum volunt. Cætera coram ubi voles, sed horis pomeridianis, nam reliquo tempore nihil licet amicis decidere. Bene vale. *Basilea*, Anno 1526.

## Epistola DCCCXLV.

*Erasmus Rot. Conrado Pelicano* S.

Demiror quamobrem tibi visum sit istiusmodi epistolis ociose loquacibus, multaque ἀπροσδιόνυσα congerentibus, & tuum perdere ocium, & mihi facessere negotium. Lingua disertus es, non calamo: quare si quid habes, coram posthac agito. Polueram dimidium suspicionis, at tu totam eam renovas. Profiteris tibi placere sententiam *Carolstadii*, nec inficiari potes te dixisse *Polono* me tecum sentire. Id si verum esset, queri poteram violatum amicitiæ jus; nunc quum sit falsissimum, quæ potest esse injuria atrocior? Minitaris mihi calamum *Zwinglii*, quasi metuam decem *Zwinglios*, si mihi res esset cordi. Quod autem dedecus mihi narras? An mihi dedecori futurum sit, si verear oppedere decretis Ecclesiæ Catholicæ? An vos mihi præscribetis quid debeam scribere? An mihi non licet, quod licet *Luthero*, qui, nisi fallor, totis copiis vos adorietur? An creditis nullos hic in vos stricturos calamum? Si quod agitis ex Deo est, confirmabitur oppugnando: si non est, pium est pugnare cum impietate. Quorsum autem attinent minæ? Apostoli persuadebant, & vos vultis cogere ad euangelium vestrum? Jam finge, nihil me velle scribere, non poteras efficacius huc impellere, quam spargendo rumorem me vobiscum sentire, & interminando ne scribam. Vester *Pharellus* simile mendacium instillavit in aurem *Anglo* nostro, me recte sentire, sed non audere profiteri. Et hæc audet instillare auribus hominum, conscius quam acris mihi fuerit de omnibus fere *Lutheri* dogmatibus cum ipso contentio. Atqui quod *Pharellus* vocat *recte sentire*, Cæsares & Pontifices vocant *hæreticum esse*. *Lutherus* non dissentit ab Ecclesia Catholica? Quum videro aliam Ecclesiam hac, quam sequor, meliorem, desinam eam vocare Catholicam: at nondum video. Optabam ex hoc violento pharmaco aliquid nasci boni fructus, sed hunc proventum, quem hactenus vidimus, probare non possum, nec placent remedia morbo duriora. Quantum sanguinis humani jam fusum est. In *Hollandia* mire fervet carnificina per quosdam magis instructos ad exurendum quam disputandum, obambulatura per cæteras regiones. Et hæc tantum præludia sunt malorum. Cæsari pax erit cum *Gallis*. Nec ulla Principum coibit amicitia nisi hac conditione, ut exstinguatur factio *Lutherana*; & Cæsar sibi non videtur esse Cæsar, ni id perficiat. Ego decem ambiguos articulos dissimulare malim, quam tantis malis præbere ansam. *Christo* non possum præscribere quid debeat facere; si sic illi visum est punire nostram impietatem, Dominus est, faciat quod vult. Me si vellet adjutorem, aut organum, afflaret animum meum, quemadmodum olim excitavit *Pharaonem*, *Cyrum* & *Nabucedonosorem*. Doles epistolam sparsam. Malim non factum, attamen moderatius fero quod ea diluit rumorem per te sparsum, id quod abs te ipso factum oportuit, quanquam epistola non habebat tuum nomen. Posthac ne mecum agas loquacibus epistolis. Scribe *Bero* si libet, aut ipsi *Luthero*. Coram audiam te jurgantem, minitantem, conviciantem pro tuo arbitratu. Bene vale. Anno 1526. An. 1526.

## Epistola DCCCXLVI.

*Erasmus Roterodamus Conrado Pelicano* S. D.

Pro quinque ficis habeo gratiam centuplicem. Opto tibi tuos omnes amicos manere incolumes, mihi satis est, si nemini est data ansa justa in me fremendi. Mallem epistolam illam non esse sparsam, nec hoc per me factum est, & tamen quocunque pacto erat depellendus periculosus ac falsus rumor. Quidam indignantur quatuor illis consultoribus, & jam, ut audio, spargitur epistola, suspicantur esse *Capitonis*, elevans illorum auctoritatem. Ajunt & libellum famosum parari in eosdem. Hæ nimirum sunt artes Euangelicæ. Nos nulla de re consulti sumus, nisi an *Oecolampadii* libellus haberet aliquid, cur non esset publice vendendus. Ad id respondi, nulla *Oecolampadii* contumelia. Ille in his, quæ docuit, non est usus meo consilio, imo me fortiter contemsit. Quare si quos offendit, aut si quid timet, non arbitror æquum ut contra meam conscientiam pro illo depugnem. Quam autem relegationem mihi minitaris, an quia nolo discedere à publico judicio, consensuque Ecclesiæ, quum interim mihi diversa sententia persuasa non sit? Vos inter vos digladiamini. *Zwinglius* & *Oecolampadius* adversus *Lutherum* & *Pomeranum*, & rursus *Balthasarus* adversus illos, adversus te *Pharellus*, & tam discordi factioni memet adjungam periculo capitis mei; imo potius animæ? Si quid mali vobis obtigerit, vobis ipsis imputate. Ego semper vaticinatus sum fabulæ sic actæ fore parum felicem exitum. *Zwinglius* alicubi citat locum ex *Paraphrasi*. Tanti me facit nunc, qui prius scripserat me nihil scire? *Oecolampadius*, ut audio, in concione taxavit oratorem, me, sic interpretantur, notans. Notat & in libello *De Eucharistia*, quo respondit *Bilibaldo*. In præfatione vero *Esaiæ* onerat me invidiosa laude. Taxat & in commentariis in Epistolam *Joannis* suppresso nomine, sed recitatis meis verbis, quum is locus à me mutatus esset, nec mea verba sat candide interpretatur. Dixeram quantum hic est mundorum, indicans eam Epistolam esse *Joannis*, quod hujusmodi gaudeat iterationibus, ille refert, quasi damnarim ociosam polylogiam. Egregius vero amicus, in cujus gratiam profiteri debeam sententiam apud *Lutherum* hæreticam. Quam belle vero *Zwinglius* citat locum, in quo utor verbo *consecrandi*, & tamen colligit me aliud sentire quam loquor. Puto magistratum hunc non fore tam stultum, ut omnes ejiciat hinc qui dissentiunt ab *Oecolampadio*. Nihil erat in tota epistola tua, quod mihi non magnopere displicuerit. Bene vale. *Basilea*, Anno 1526.

## Epistola DCCCXLVII.

*Erasmus Rot. Conrado Pelicano* S. D.

Evangelii vigor non abolet morales virtutes, sed perficit. Nec ignoras quantum abhorreat non dicam à virtute, sed prorsus ab omni humanitate, prodere amicitiæ arcanum, quandoquidem exsecramur etiam illos, qui post diremtam amicitiam efferunt quod amicis creditum erat, & qui generosioris ingenii sunt, nec illis, quos maxime invisos habent, sustinent objicere, quod ex amicitiæ pristinæ fiducia cognoverunt. Ego te vel unum his moribus esse judicabam, ut tuto quidvis arcani possem committere, nec alium mihi delegeram cui conscientiæ meæ secreta crederem. Quo magis admiror, quid acciderit, ut ea de me sparseris,

An. 1526. ris, quæ nec dixi, nec cogitavi unquam. Instillaras clanculum in aurem optimi juvenis, me de Eucharistia idem sentire quod tu sentires. Hunc injectum aculeum ille secum ablaturus erat in suam patriam, ni forte fortuna casus injecisset inter nos hujus rei mentionem. Et haud scio an nunc quoque suspicionis nonnihil de me secum abstulerit. Ac primum quidem quum illum audirem, suspicabar te nihil aliud sentire, quam soles apud me profiteri. Damnabas eos, qui auderent profiteri illic non esse nisi panem & vinum. Nec aliud opinatus sum unquam de te, nisi proximo colloquio, quum velut afflatus & alius factus absque fuco declarabas animi tui sententiam: eam quum jam palam profitearis, spargis ac dictitas me tecum sentire, idque tam palam facis, ut tuus sermo genuerit etiam rumorem, cujus te auctorem esse, jam nulli fere obscurum est. Nec dubito quin similia scribas amicis. Ego vero ne in priore quidem sententia tecum sensi: censebas enim, profitendum in synaxi esse corpus Domini, cæterum quomodo sit illic, Deo, qui novit omnia, committendum esse. Ego vero hoc tuæ sententiæ adjiciebam, mihi istuc videri simplicius, quod ita vitarentur varii difficultatum labyrinthi, si fas esset homini *Christiano* ab eo dissentire quod Conciliorum auctoritas, quod omnium Ecclesiarum ac gentium consensus tot jam seculis comprobasset. Ad id semper negavi me posse animum inducere, præsertim quum Euangelicæ & Apostolicæ literæ tam evidenter nominant, corpus quod datur, & sanguinem qui effunditur: quum hoc mirifice congruat ineffabili Dei erga genus humanum charitati, ut quos redemit sanguine & corpore Filii sui, eos voluerit ejusdem carne & sanguine modo quodam ineffabili pascere, & hac arcana Filii præsentia ceu pignore consolari, donec rediret glorioſus & omnibus conspicuus. Hæc me redderent propensiorem ad Ecclesiæ Catholicæ sententiam, etiamsi nihil esset definitum, nec in hanc partem, nec in illam. Nunc quis furor esset, si ego non vererer pronunciare, ibi nihil esse præter panem & vinum? Soleo cum amicis eruditis, maxime quum absunt infirmi, libere commentari de quibuslibet, inquirendi studio, nonnunquam & tentandi causa, interim animi gratia, hac in re fortasse simplicior quam par est. Sed agnoscam etiam parricidii crimen, si quisquam mortalium vel serio vel joco audivit ex me hanc vocem, in Eucharistia nihil esse præter panem & vinum, aut non esse ibi verum corpus & sanguinem Domini, quod nunc quidam libellis editis propugnant. Imo *Christum* ipsum mihi precor parum propitium, si ista sententia unquam insedit animo meo. Nam si quid volatilium cogitationum aliquando tetigit animum meum, facile discussi, considerata Dei erga nos inæstimabili charitate, perpensis divinæ Scripturæ verbis, quæ *Lutherum* etiam ipsum, quem vos omnibus scholis, Pontificibus, orthodoxis, & Conciliis antefertis, coegerunt profiteri, quod profitetur Ecclesia Catholica, à qua tamen solet libenter dissentire. Scio quam levis sit apud vos Conciliorum auctoritas, ego vero nec Ecclesiam *Romanam* contemno, multo minus quum illa habet sibi consentientes omnes Ecclesias. *Paulus* nec Angelum audiendum putat qui prædicet aliud Euangelium. Ecclesia mihi persuasit Euangelio credere: eadem magistra didici Euangelii verba interpretari. Hactenus cum omnibus *Christianis* adoravi *Christum* pro me passum in Eucharistia. Nec adhuc video quicquam cur debeam ab hac opinione recedere. Nullis humanis rationibus abduci potero à concordi sententia *Christiani* orbis. Plus enim apud me valent illa quinque verba, *In principio creavit Deus cœlum & terram*, quam omnia *Aristotelis* cæterorumque Philosophorum argumenta, quibus docent mundum carere initio. Quid autem adferunt isti, cur tam impiam tamque seditiosam sententiam profitear? Rationes stupeæ sunt, semel sustulit carnem ne esset offendiculo, non admirati sunt, non adoraverunt Apostoli. Jubemur esse spirituales, quasi caro sic exhibita officiat spiritui. Caro est, sed nullis obnoxia sensibus, & tamen hoc ipsum pignus est divinæ erga nos charitatis, solatium est exspectationis. Literæ divinæ pro nobis faciunt: habemus, *Hoc est corpus meum quod pro vobis datur: Hic est sanguis meus qui pro vobis effundetur.* Ubi legunt isti, *Hoc non est corpus meum, sed signum corporis mei: Hic non est sanguis meus, sed signum sanguinis mei.* Quum maxime se torquent, ægre docent ex aliis locis rei vocabulum accipi posse pro signo rei: quanquam ne hoc quidem simpliciter. De tabula dicimus, *Hic est Hector qui occidit Patroclum*, sed nemo nescit in pictura non esse verum *Hectorem*: verum esse potest quicquid dixit *Christum* esse. Jam ut evincant quid ponderis habet hæc ratiocinatio, *Sic accipi possunt hæc verba, igitur sic accipienda sunt.* Quorsum autem proficit illis tot veterum orthodoxorum citatio? Utcunque torquent, involvunt ac fucant illorum dicta, nullum locum adducunt, qui palam loquatur, ibi non esse corpus & sanguinem Domini. Hortantur ad spiritualem communicationem corporis & sanguinis Domini, quid mirum si hoc commendant, quod in utriusque sumtione potius est, & quod nisi accedat, perniciem adfert sumtio carnalis? Obsecro te, quid hic est cur deficiam ab eo, quod tot seculis docuit & usurpavit Ecclesia Catholica? Scis me in nullo dogmate per omnia sentire cum *Luthero*, nisi quod nimium vere taxat corruptos hominum mores: & hic ob *Carolstadium*, qui à suo ipsius dogmate jam descivit, recedam à communione Ecclesiæ Catholicæ? Si tibi stuprum aut furtum confessus essem ut amico, quam esset adversus omnes amicitiæ leges, hoc cum amici periculo vel apud unum effutisse? Nunc quum apud omnes spargis crimen omnium capitalissimum, quod nec lingua mea unquam sonuit, quamvis libera, nec animus unquam concepit: quo tandem nomine donandum est quod facis amice Euangelice? An ad persuadendum quod nuper ipse cœpisti credere, visum est abuti nominis mei auctoritate? Quæso te per *Christum*, hoccine est Euangelicum, tam impium, tam atrox facinus comminisci in amicum, quo plures pelliceres in novam sectam, quasi jam sectarum sit parum? Si pium est quod asseveras, non habes quo id persuadeas, nisi vanissimo commento, *Erasmum* idem sentire quod tu sentis? Et si tanti est apud vos mea auctoritas, cur nihil valet in tam multis, in quibus à vobis dissentio? Si tuus animus vacillat, ut solebas profiteri, qui nihil tribuis auctoritati Pontificum & Conciliorum, meum animum hactenus confirmavit Ecclesiæ Catholicæ consensus. Si tibi persuasum est in synaxi nihil esse præter panem & vinum, ego membratim discerpi malim, quam idem profiteri quod tu profiteris, & omnia perpeti malim, quam tali flagitio, contra meam ipsius conscientiam admisso, ex hac vita demigrare. Nec hic justissimam expostulationem verbis atrocibus exaggero: res ipsa satis habet Tragœdiæ. Si micam ullam habes Euangelici spiritus, sanabis quos istis susurris vanissimis infecisti. Patiar apud omnes effutire te, quicquid unquam in familiaribus colloquiis vel sobrius, vel uvidus, vel joco, vel serio dixi; non patiar autem ut istius dogmatis me vel auctorem facias, vel comitem, quod mihi nunquam fuit, nec in ore, nec in corde: ita mihi contingat nunquam à *Christo* sejungi, Amen. *Basilea*, Anno 1526.

## EPISTOLA DCCCXLVIII.

*Erasmus Rot. Simoni Pistorio* S. D.

TANTVM suspicionum & querimoniarum undique nobis gignit hoc seculum exulceratissimum, ut nec vacet, nec libeat omnibus excusare. Quanquam ego Principi tam pio tamque cordato vehementer optarim per omnia satisfacere. Itaque licet obrutus laboribus ad tuam epistolam respondebo paucis, tu quod deerit, de tuo candore, tuaque facundia



Digitized by Google

An. 1526. supplebis. Epistola, *Thermopolin* missa, piis omnibus placuit, sed vehementer offendit *Leonem Judaum Tigurinum*, qui libello, *Germanice* per typographos vulgato, profitetur se auctorem ejus libelli, quem detestatur epistola mea; addidit epistolam ad me manuscriptam multo virulentiorem, qua ad pugnam gladiatoriam provocat, verum obticui. Porro quod sic meam causam apud Principem egeris, ut diceres me nunquam ex animo discessisse ab Ecclesiæ præscriptis, quid sibi velit, mi *Pistori*, non satis intelligo, qui nunquam vel ex animo, vel præter animum ab Ecclesiæ placitis diverterim. Verum, oportet distinguere constitutiones Ecclesiæ, quædam sunt Conciliorum generalium, quædam ex rescriptis, quædam Episcoporum peculiares, quædam *Romani* Pontificis, sed instar plebiscitorum, quales sunt constitutiones *Camera*. Rursus ex synodicis quædam perpetuæ, quædam ad tempus datæ. Item quædam inviolabiles, ut puta nixæ divinis Literis, quædam ejus generis, ut pro rerum præsentium statu possint mutari. Quoties autem admoneo de mutandis constitutionibus, de his sentio quæ citra pietatis jacturam mutari possunt. Nec id tamen usquam suadeo faciendum, nisi ex auctoritate Procerum. Atque ut ingenue quod res est fatear, quum incrudesceret hic tumultus fatalis, plane eram in hac opinione, ut mutatis aliquot constitutionibus, illa tempestas ad aliquam tranquillitatem redigeretur. Ne quid interim loquar de viciis quæ prætextu religionis irrepserunt in Ecclesiam, adeoque invaluerunt, ut propemodum Euangelici vigoris scintillam exstinxerint. Hoc quid sit, non omnes intelligunt. Principes recte faciunt, dum cavent ne publici status compages laxentur. Verum, hoc conscientiæ negotium est. Nunc posteaquam video neutram partem alteri velle concedere, nihil aliud quam precor, ut Dominus det felicem exitum; non enim video quis alius id possit. Multi putant suppliciis & legibus hoc malum sopiri posse, & fortasse sopietur, sed ad tempus: & si perpetuo possit, non cessabunt tamen tacita murmura, judiciaque conscientiarum. Nec vacillaret auctoritas Ecclesiæ, si quædam per Ecclesiæ Proceres ex causis gravibus mutarentur, quod jam toties factum est à majoribus. Venio nunc ad consilium hujus urbis magistratui exhibitum, cujus antigraphon ex archetypo mitto, si quid forte de suo addiderunt qui evulgarunt. Mitto simul & ad *Glareanum* literas in hoc scriptas, ut per illum excusarer Senatui, priusquam à Consulibus adirer. Nihil egi. Suspicor hoc à quibusdam *Lutheranis* subornatum, hac arte, ut si suaderem ipsis accommoda, haberent me sibi obnoxium; sin minus, conflarem mihi civitatis hujus grave odium. Summis enim viribus hoc tum contendebant quidam, ut hic omnia fierent quæ fieri videmus *Tiguri:* promissa est mihi silentii perpetua fides. Ita temperavi consilium pro civitatis præsenti statu, nam uni Reipub. datum est, ut nec excitarem hic tragœdiam, non mihi tantum periculosam, nec auctoritatem Ecclesiæ permitterem quorumlibet arbitrio. Et tamen hoc consilium utcunque temperatum adeo placuit Consuli, ut presserit tres menses, ne exhibiturus quidem, ni quidam ecclesiasticæ partis efflagitasset. Certe ex eo consilio nihil hic innovatum est, nisi quod omnia moderatius acta sunt quam cœperant. De *Lodovico Bero*, plane lapsus es in nomine. Nam is vir & pius est & doctus, ab omnibus istorum dogmatibus dissentiens, sed à nullo magis quam de Eucharistia. Nam is præsedit in concilio *Badensi* ecclesiasticæ partis nomine. *Capitonem*, opinor, volebas dicere, cujus nulla laus est in illis literis. Quod scripsi, neutram partem mihi videri sobriam, non incessitur Ecclesia, sed quidam qui plus obtrudunt nobis quam necesse sit credere. Id in quosdam Theologos ac Monachos dictum est, non in Ecclesiam. Veluti Transalpini volunt nos profiteri, Pontificem *Romanum* unum esse potiorem universis Ecclesiis ac populo *Christiano*. Habent & Cisalpini quosdam articulos, quorum aliquot ego nolim defendere, & tamen ni id face-

A rem vociferarentur. Proinde non dixi me in neutra parte esse, sed neutri addictum esse. Addictus autem est, qui servit in omnibus. Nec opinionibus tantum esset serviendum, sed moribus etiam & ingeniis, quæ comperio corruptissima in nonnullis, qui magnis clamoribus videri volunt agere negotium Ecclesiæ. De libris *Lutheranis*, non prorsus hinc arcendis, videbatur id temporis esse satis pro hujus Reip. statu. Si Ecclesia permitteret usum sacramenti sub utraque specie, ne tantulum quidem incommodi video: nam id aliquando *Bohemis* permiserat Ecclesia. Nec probo tamen, ut quisquam hac gratia turbas excitet in populo *Christiano*. Ego nec sacerdotibus permitto conjugium, nec Mo-
B chis relaxo vota, ni id fiat ex auctoritate Pontificum, ad ædificationem Ecclesiæ, non ad destructionem. Eo perpellere pueros ac puellas inhumanum arbitror, & pium eximere fraude captos. In primis optandum esset, sacerdotes & Monachos castitatem ac cœlestem vitam amplecti. Nunc rebus adeo contaminatis, fortasse levius malum erat eligendum. Hæc opinio si non placet Ecclesiæ præfectis, pro somnio ducatur. Quod scribis de quorundam impia licentia, nullus homo per me factus est ad talia animatior, sed aliquam multos coercui. Tu *Paganismum* times, ego *Judaismum* jam omnia fere video occupasse. Si sacri pariter ac prophani, si magni cum parvis sinceris animis converteremus nos ad Principem fidei nostræ *Christum*, & agnoC scentes sua quique mala, concordibus votis illius misericordiam imploraremus, brevi videremus horum tumultuum felicem exitum. Nunc dum plerique privatis commodis intenti sunt, ne publicis quidem recte consulitur. Quod ob unum aut alterum deprehensum male sentire videris de *Græcis* literis, vehementer alienum est & à prudentia tua, & ab ingenii tui candore. Eadem opera sentiendum esset de omnibus bonis literis. Quod autem inter harum professores initio complures non fuerint alieni à *Luthero*, partim in causa fuit quorundam improbitas, qui multis annis ἄσπονδον πόλεμον terra marique gesserunt adversus hoc studiorum
D genus apud nos reflorescens. Longa est fabula. De *Reuchlino* meminisli. Plura nos vidimus. De illo nostro non queo satis demirari, quid homini venerit in mentem, nec ulla res unquam æque mihi præter exspectationem objecta est. Quid hoc ad *Græcas* literas, sine quibus cæca est omnis eruditio? Quæ misi proximis nundinis, arbitror esse perlata. Scripseram enim & illustrissimo Principi, & *Emsero*, & tibi. Poculum erat gratissimum, uberius tamen delectatus sum laudatissimi Principis testimonio. Quod mihi longam vitam optas, optime *Pistori*, jam potior eo quod optas. Diu vixi, si tamen vixi. Medici nihil pollicebantur opis, & si polliciti fuissent, non admodum illis fiderem. Ita-
E que relictis illis *Christo* me commisi. Is sive longum, sive breve volet esse quod superest vitæ, æqui bonique consulam. De *Luthero* coercendo etiamsi certa spes esset, & si maxime par essem isti negotio, & si non minus liberet quam vacaret, tamen per quosdam ut video conjuratos non licebit. *Lutetia* misit nobis quatuor libros hoc anno, simpliciter famosos ac palam insanos. Res, ut suspicantur, geritur ex consensu sodalitii Theologici, non quod omnes ista probent, sed pars, ut fit, improbior vincit meliorem. Subornant ad hanc fabulam agendam aliquot glorioso, ac plane sensu communi carentes, in primis *Sutorem Cartusianum* & *Beddam*. Quidam Oratorem agens apud Cæsarem, παραπρεσβέων
F scripsit virulentissimum librum in me, ac, ni fallor, jam edidit, quum in *Britannia* nunquam præ se tulerit, quod animus esset in me scribere. Excitarant & illic tumultum Monachi *Salamantini*. Sunt aliquot etiam *Romæ*, qui scribunt in me præter *Stunicas*. Unum libellum ad me misit is qui scripsit *Albertus Pius*, alter sine titulo missus est per amicos. Nondum enim editus est, sed volitat per manus aulæ Pontificiæ, quo nec *Orestes* furiis agitatus scriberet quicquam furiosius, nec me fugit quis sit auctor. Ser-

mo

Digitized by Google

An. 1526. mo cum moribus congruit, nam mihi domestice notus est. Habet & *Hispania Stunicas* alteros, ut ne quid de *Lovanio* dicam. Omnes ad objurgandum & calumniandum diserti sunt. Sub has nundinas suscepimus laboris pensum quam pro valetudine gravius. Nam præter alia recudimus Novum Testamentum, Annotationesque magnis accessionibus locupletamus. Arbitror enim *Hieronymo*, Proverbiis, & huic Operi propemodum justam curam esse datam. Et tamen si viriculæ corpusculi sufficient, absolvemus quod orsi sumus in *Lutherum*, etiamsi nihil tam sancte tamque circumspecte scribi potest à me, quod non calumnientur quidam, devotis animis hoc agentes, ne quid fructus ex meis libris redeat ad Lectorem, nec aliud agentes quam ut victus contumeliis concedam in castra *Lutheranorum*. Quod nunquam efficient, donec propitius Dominus mihi mentem hanc esse patietur. Atque illud, mi *Pistori*, tuo Principi audacter de me pollicetor, me, quod dicere cœperam, nec ex animo, nec præter animum unquam vel accessisse, vel accessurum ulli damnatæ factioni; nec me aliud agere in meis lucubrationibus, quam ut linguas ac bonas literas gravioribus disciplinis adjungerem, ut scholasticam Theologiam, apud multos ad Sophisticas contentiones prolapsam, ad divinæ Scripturæ fontes revocarem, ut in moribus hominum minus esset ceremoniarum, in animis plus pietatis, ut Episcopi & sacerdotes sui meminissent officii, ut Monachi vere id essent quod dicuntur, denique ut perversissima de plerisque rebus judicia eximerentur ex animis hominum, quibus jam orbis instupuerat. Hæc me perspiciet agere, qui sobrius & integer mea legit. Cæterum, si isti eodem animo legerent *Chrysostomi*, *Hieronymique* scripta, quo mea legunt, plura reperirent, quæ reprehenderent, quam in meis reperiunt. Bene vale. *Basilea*, Anno 1526.

## EPISTOLA DCCCXLIX.

*Erasmus Rot. Petro Mornyeo, Abbati Sancti Sulpitii*, S. D.

An. 1527. DOLOREM, quem abitus hinc tuus nobis attulerat, tua non simplex utilitas abunde mitigavit. Primum quod mature feliciterque temet incendio subduxeris: nam hic pestilentia nemini pepercit, diuque circumsiliit ædes nostras, ac tantum non insiliit. Deinde quod in celeberrimam Academiam te contuleris, omnique studiorum genere florentem, neque dubito quin toto pectore disciplinis optimis incumbens, abunde compensaturus sis, si quid antehac per ætatis incogitantiam cessatum est, ut ad tuos velut avidus negotiator, bonarum literarum mercibus locuples redeas. Habet ista civitas ut Musas, ita & Sirenas, quemadmodum audio. Hortarer te, ut, obturatis adversus Sirenum cantus auribus, Musis virginibus adhæreres, ni mihi spectata esset tua singularis continentia. Hæc scripsi studiis enectus, & in hoc tantum, ut scires te nobis nondum excidisse. *Basilea* 11. Januarii, Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCL.

Mercurinus Gattinarius, Caroli Cæsaris Cancellarius, Des. Erasmo Roterodamo *S. D.*

HOC *nomine jam mihi placeo, quod video aliquid peculiare cum tanto viro me habere commune. Scribu enim, vir tot nominibus egregie, æquiore animo hinc decessurum, si hoc orbis dissidium in optatam tranquillitatem conversum tibi videri contigerit. Utinam hoc ipsum mihi conspicere liceat. Nihil enim jam ardentioribus votis opto, nihilque ferventioribus studiis assequi contendo. Quod si omnes omnium* Christianorum *Principum, atque etiam Pontificum animos ad id Cæsareo similes haberemus, nihil certe vera felicitatis in* Christiana *Republica esset desiderandum. Veruntamen malo quodam fato adversante, dum suis quisque privatis commodis (si tamen ea commoda dici possunt) pertinaciter studet, Rempublicam undique labefactatam videmus. Nolo tamen adhuc animum despondere. Spero enim breviter futurum, ut non modo componatur dissidium, verum & corrigantur mala, unde hic tumultus pullulavit. Quod vero ad te attinet, scio quam laboret mundus invidia, quam sit antiqua iniquorum omnium in bonos ac pios, & barbarorum in eruditos conspiratio. Tibi vero, qui prater Dei gloriam, & publicam salutem nil quæris, quid malorum lingua obesse poterunt, dummodo quod facis, perpetuo facias, hoc est, bonas literas, rectioraque studia, & veram pietatem promovere semper cures? atque utinam mihi liceret aliquo non vulgari symbolo, quis sit meus erga te animus, declarare. Videres profecto voluntatem vere sinceram, idque sedulo, ut intelligas, faciam. Ad Academiam* Lovanienſem *scribo, quod ex incluso literarum mearum exemplo legere poteris. Miror profecto tantorum virorum petulantiam, atque impudentiam: sed gaudeo tibi accidisse, quod sapius jam mihi contigit. Vidi enim quam plurimos qui me pertinacissimis odiis insectabantur, & à Cæsaris aula sublatum cupiebant, ipsos prius è vivis sublatos. Quod duobus ex adversariis tuis contigisse audio. Sic Deus suis favere solet. De libello* Eduardi Lei *nihil adhuc audivi: tametsi sciam hominem nescio quid calumnia in te jamdiu moliri. Id tamen quicquid erit, nequaquam illi in* Hiſpania *edere licebit, nisi prius mature visum, & examinatum sit. Id enim summo studio apud* Hiſpanos *cautum est, ne cuivis sua somnia excudere liceat. Utinam idem servaretur apud* Germanos. *Tu fac bono animo sis, tuaque consulas valetudini: atque ad me sapius scribas. Ex Oppido* Vallisoleti 10. *Februarii, Anno* 1527.

## EPISTOLA DCCCLI.

Vives Erasmo.

EXSPECTANTI *mihi abs te quotidie literarum aliquid, seculum pene prateriit: & multæ ad te scribendi occasiones è manibus elapsæ, dum aliquid semper puto recepturum me, cui respondeam; nam bis aut ter scripseram, & de tuo silentio suspicari cogor, vel non esse tibi literas redditas, vel occupatissimum te fuisse: sive hoc ipsum in causa fuit, cur non scripseris, sive quid aliud: ego vero æqui ac boni facio, modo & recte valueris, & nostri non omnino obliviscare; idque satis mihi est recordatione tua consignatum esse tuo in pectore. Ut id vero literis quoque ac velut syngrapha testificere, nihil laboro. Quid istuc de rebus tuis adferatur* Lutetia, *nescio: nam Decanus ait se habere tuas literas, quibus conquereris περὶ τῶν ἐκεῖ πεπραγμάτων· atqui nobis quotquot illinc veniunt scholastici, mirificum favorem nunciant omnium erga te, & eorum qui infensissime erant odisse soliti. In* Hiſpania Enchiridion *tuum cœpit loqui nostrati lingua, & quidem secunda populo, qui solebat esse in potestate τῶν ἀδελφῶν. Idem cogitant facere de* Paraphrasibus. *Vehementer mirantur quidam vel huc non redire te, vel certe in* Galliam *proficisci; ἵνα ἥδιον βίον διατελῇς, οἶδά τινὸς ἕνεκα ταῦτά μοι λέγονται. Vellem consulere quieti tua senectutis. Nam istius temporis, quod ætati tua restat, magnus erit pietati ac literis usus, te libenti ac lato; exiguus, commoto & conturbato. Amabo, mi Præceptor, si quid vidisti eorum Operum, quæ te absente edidi, perscribe ad me sententiam tuam, imo vero magistri & patris reprehensoriam admonitionem; nam nihil est quo me magis sentiam proficere, duntaxat cum reprehensio venit à prudenti amico: nec imprudentis quidem aut inimici nocet. Utinam propius adesses, & consulere liceret te ὡσανεὶ χερσιμῶν. In* Britanniam *propediem proficiscar,* Christo *secunde: si quid mandas, significa, & curabitur; & si nihil peculiarius scripseris, illa* Καθολικὰ, *quæ tu mandata cupis, non ignoro: dicta puta. Cura valetudinem tuam, & nos ama. Salvebis officiosissime ac reverendissime à* Laurino & Fevyno *tuis. Vale.* Brugis 18. *Martii, Anno* 1527.



Digitized by Google

## EPISTOLA DCCCLII.

*Eraſmus Rot. Roberto Aldriſio* S. D.

An. 1527. SUB Quadrageſimam demum redditus eſt nobis tuus *Seneca*. Non erat neceſſe mittere codicem, poterant omnia deſcribi in ſchedis. Bibliophylaces collegii Regalis dederunt tibi verba. Habent in minore bibliotheca aliud volumen in membranis deſcriptum; ut agnoſcas, habebat ſententias per ordinem literarum digeſtas, & in medio ſententiam eandem diſticho, ſed indoctiſſimo, comprehenſam. Inerant & initiales literæ coloribus & auro depictæ. Ex libro *De beata vita* plurimum emendaram. Si vacaret poſſes ex eo notare quæ diſſentiunt, notato per numerum verſu editionis *Frobeniana*, & adſcripta lectione, quam habet codex, reliqua per nos fierent. Doleo tibi tantum laboris ſuſceptum non magno fructu. Sciebam codicem, qui habebat libros *Epiſtolarum*, nihil habere frugis. Non auſim amplius abuti tua bonitate, ſi tamen poſſes hoc tædium decoquere, faceres mihi rem magnopere gratam, nec penes ingratum hominem collocaris officium, ſi viam indicaris reponendæ gratiæ. *Thomæ Moro* te commendavi non indiligenter. De quorundam ingratitudine vetus eſt querela. *Regium eſt autem audire male, quum feceris bene.* Poſteritas magis agnoſcet, quanquam nunc etiam agnoſcunt optimi quique, Cæſar, *Ferdinandus*, Pontifex, Cardinales, Reges, Duces, Epiſcopi, & literis honorificentiſſime ſcriptis, & muneribus opimis. Tenebriones modo quidam oblatrant, nihil profecturi, niſi quod ſibi malum accerſunt. Res alium habebit exitum quam credunt multi. Sed quicunque erit exitus, nos bonam ac fidelem operam literis & *Chriſto* navabimus. Bene vale. *Baſilea* 24. Martii, Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCLIII.

*Eraſmus Rot. Valentino Furſtero ſuo* S. D.

SI præſtas eum animum, quem tua pollicetur epiſtola, *Valentine* chariſſime, & tibi & tuis omnibus conſulueris. Memento nullam ætatem magis idoneam diſcendis optimis moribus ac diſciplinis, per omnem vitam uſui futuris, quam iſtam, qua nunc flores. Verum ut eſt optima, ita ſcito fugaciſſimam eſſe, nec ſemel elapſam unquam recurrere. Præcipuam ſtudiorum partem impende hiſtoriographis & ethicis. Prioris generis ſunt *T. Livius*, Vitæ *Plutarchi*, *Cornelius Tacitus*: Poſterioris, libri *Ciceronis De officiis*, *De amicitia*, *De ſenectute*, *De Tuſculanis quæſtionibus*, & *Plutarchi* libri *De moribus*. Ex his enim potiſſimum ea prudentia colligitur, quæ decet virum in Republica verſantem. Et habet ea lectio non minus voluptatis, quam utilitatis. Saluta mihi noſtrum *Eraſmium*, ſodalem tuum. Bene vale. *Baſilea* 24. Martii, Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCLIV.

*Eraſmus Roterod. Polydoro Vergilio* S. D.

QVO non penetrant linguæ faſcinatrices? Quas nos, mi *Polydore*, non alia ratione melius ulciſci poſſumus, quam ut amicitiam, quam iſti reſciſſam vellent, vinculis quam arctiſſimis adſtringamus. Videbis *Homilias* tibi dicatas, nunc rurſus excuſas cum dignitate, quo magis etiam urantur, quos cruciat noſtra concordia. Quod ſedulo agis εἰρηνοποιὸν inter *Leum* & me, pro iſthoc animo *Chriſtus* tibi referet promiſſam beatitudinem. At præſcribit ille parum æquas pacis conditiones. Oſtendat ille quæ perperam ſcripſerim in ipſum, ego viciſſim oſtendam quæ ille perperam ſcripſit in me. Tum poſt mutuam palinodiam coeat amicitia. Verum, hoc eſſet non ſarcire gratiam, ſed renovare ſimultatem. Optimum fuerit μὴ μνησικακῆσαι, ſed illa *Græcorum* ἀμνηστία prorſus omnium veterum injuriarum abolere memoriam, ac ſcripto quopiam amico teſtari poſitam eſſe ſimultatem, & animos *Chriſtiana* junctos concordia, quod factum eſt inter *Jacobum Fabrum* ac me. Quod mihi cum tot portentis dimicandum eſt, agnoſco feroque fatum meum. Cum ſummis mihi pulchre convenit. *Clemens* Septimus bis jam miſit ducentos florenos, nihil non pollicens. Cæſar nuper ad me ſcripſit amantiſſime cum ſuo Cancellario. Regum, Cardinalium, Ducum, Epiſcoporum literis honorificentiſſime ſcriptis habeo plena ſcrinia. A multis veniunt & munera nequaquam vulgaria. A tenebrionibus velut à cimicibus ac pediculis mordeor: nam his nec Cæſar, nec Pontifex poteſt imponere ſilentium. Tuti ſunt ſuis tenebris. Sed nihil aliud efficiunt niſi quod traducunt ſeipſos. Nos rectum clavum tenebimus uſque ad extremum vitæ terminum: de eventu viderit *Chriſtus*, hujus fabulæ choragus. De libello excudendo egi cum *Frobenio*, reſpondet ſe paratiſſimum, ea lege qua excudit *Adagia*. Bene vale, patrone magne. *Baſilea* 24. Martii, Anno 1527. An. 1527.

## EPISTOLA DCCCLV.

*Eraſmus Roterodamus Jacobo Fabro* S. D.

AVDIO tibi tuoque *Gerardo Ruffo* datum negotium à Rege *Chriſtianiſſimo*, ut *Chryſoſtomi* Commentarios in *Acta Apoſtolorum Latine* vertereris. At idem Opus jampridem apud me eſt è *Venetia* deportatum, eleganter deſcriptum. Rurſum idem habetur in *Anglia*. Jam annus eſt quod cœperam illud vertere. Cæterum quoniam ſubdubitabam de fide tituli, ſepoſui. Nunc quum ederem alia quædam *Chryſoſtomi* verſa, adjunxi tres *Homilias*, quas ante verteram, quo guſtum darem eruditis, ex quorum judicio vel abſolverem Opus, vel omitterem. Hoc quum eſſet jam factum, ex *Brixii* literis cognovi quod modo dixi: quæ ſi veniſſent uno menſe citius, ad te miſiſſem quod verteram, totamque provinciam vobis lubens ceſſiſſem; & nunc ſi libet hoc ipſum, quod editum eſt, veſtrum facio, ne quid hic caſus vos remoretur à bene cœptis. Præter *Homilias*, quas edidi novas, habeo Commentarios *Chryſoſtomi* in Epiſtolam ad *Romanos*, in utramque ad *Corinthios*, in Epiſtolam ad *Galatas*. Verum hæc eo minus habitura ſunt gratiæ, quod in *Theophylacto* totus fere *Chryſoſtomus* eſt, exceptis digreſſionibus. Opto tuæ ſenectuti lætam tranquillitatem. *Ruffo* tuo plurimam ex me ſalutem dicito. Optimo Præſuli cupio eſſe quam commendatiſſimus. *Baſilea* 24. Martii, Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCLVI.

*Eraſmus Roterodamus Joanni Carondileto, Archiepiſcopo Panormitano*, S. D.

REVERENDE Præſul, jam pro tuo erga me ſtudio gratias egi, quas certe debeo maximas. Nunc non ago cauſam meam, quam habeo pro derelicta, ſed ſtudiorum cauſam tibi commendo. *Mechlinia* Carmelita quidam *Paſchaſius*, ut ex multorum literis accipio, publicitus è ſuggeſto debacchatur in linguas ac bonas literas, & nominatim in Collegium trilingue, quod inſtituit *Lovanii* vir omnium ſeculorum memoria dignus *Hieronymus Buſlidius*. Agant hoc quod habent in mandatis, pugnent adverſus hæreſes: at bellum gerere cum his literis, ſine quibus omnes reliquæ diſciplinæ mutæ ſunt, mancæ ſunt, cæcæ ſunt, plurimum abeſt ab animo tum Cæſaris, tum Pontificis. At *Philippus Melanchthon*, inquiunt, & alii nonnulli *Græce Hebraiceque* periti faverunt improbatæ factioni. Iſta non ſtudiorum eſt culpa, ſed hominum, ſed longe plures favent *Luthero* qui neque *Græce* ſciunt, neque *Latine*. Multo plures his literis inſtructi pugnant cum *Luthero*. Certe *Lovanii* nullus eſt ex hoc genere non alieniſſimus à re *Lutherana*. Hæc res fortaſſe vobis levicula videtur: at periculum eſt ne, ſi Monachis liceat impune quicquid libet, res erumpat in majorem tumul-

Digitized by Google

An. 1527. multum quam quisquam credat. Per universum terrarum orbem gratiosæ sunt bonæ literæ, quarum utilitatem jam nemo non sentit, habent magnos patronos. Sint igitur isti sua contenti victoria, nec optimas literas alienæ causæ involvant. Si submovenda est professio linguarum, quod his instructi quidam faverunt improbatæ sectæ, eadem ratione submovenda est Theologiæ professio, quod multi Theologi propugnatores exstiterunt & in dies exsistunt hujus factionis. Submovendus Monachismus, quod innumeri Monachi stant à *Luthero*. Ut facillimum, ita fuerit optimum primos istorum impetus retundere. Quod si facere non gravaberis, omnes studiorum cultores tibi reddes addictissimos. Mitto ad te exemplaria postremarum Cæsaris ad me literarum, item *Mercurini* Cancellarii & Card. *Campegii*. In quem, inquies, usum? ut intelligat tua prudentia, meam fidem & studium in negotio pietatis, probari summis utriusque status Principibus, nec vel tantulum commoveare quorundam impudentissimis blaterationibus. Et confido fore, ut aliquando magis perspicuum fiat, qua sinceritate versatus sim in hoc rerum tumultu. Servet amplitudinem tuam Dominus. *Basilea* 30. Martii, Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCLVII.

*Erasmus Roterodamus Alfonso Valdesio* S. D.

VENERVNT ad me, licet sero, cum aliis literæ Cæsareæ Majestatis amantissime scriptæ: nec minus humanitatis habentes, *Mercurini Gattinarii*, cujus prudenti juxta ac fideli consilio certum est obtemperare. Tuum admirabilem in me favorem ac studium, ornatissime juvenis, tot jam argumentis habeo perspectum & exploratum: quod si mihi facultas esset par animo, sentires te tantum officiorum haudquaquam penes hominem ingratum collocasse. Hoc tantum in præsentia scribere licuit. Patronis omnibus pro me gratias ut agas, te magnopere rogo. Bene vale. Datum *Basilea* 31. Martii, Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCLVIII.

Alfonsus Fonseca, Archiepiscopus Toletanus, Hispaniarum Primas, &c. Desiderio Erasmo Roterodamo *S. D.*

ITA *est plane*, Erasme *doctissime, quemadmodum ad te amici detulerunt. Faveo laudi tuæ ex animo, idque re ipsa (quoad licuit) testatum hactenus feci: facturus item posthac, etiamsi nulla abs te mihi gratia profecta esset, nedum posteaquam brevi illo tuo autographo omnem operam nostram, quam in tui gratiam insumsexam, fere mihi pensatam sentio. Videbar antehac publicam bonarum literarum causam nullo persona respectu tueri, nunc privatam etiam tuam cogor suscipere literis tuis invitatus. Exortus erat jamdudum de libris tuis (ut scribis) apud nos tumultus, sed ludus quidem ille fuit, prout quo pacto nunc nobis omnia sursum deorsum miscet fatalis hac Erinnys: qua cum universum orbem* Christianum, *veluti dato ab inferis negotio, opinionum dissidiis commovendum suscepisse videatur: tamen nescio quo pacto provinciam adhuc nostram quiescere patiebatur, donec tandem invenirentur, qui operam illi commodantes, tibi negotium facesserent, atque ea ratione nostram nobis securitatem turbarent. Sed aderit Deus, quem spes est sinistros conatus ita repressurum, ut pacatior nobis succedat ex tempestate tranquillitas. Ita nobis & Cæsaris animus, & bonorum in te tuendo consensus certa fide spondere videntur. Tu fac eam præstes tum fortitudinem, tum moderationem, quam sublimes ista ac plane heroica dotes pollicentur, ut invictus semper & excelsus animus, firma* Christi *fide fiduciaque subnixus, nihil in suam ipsius sinceritatem ac mansuetudinem ab humanis injuriis licere patiatur. Indignum quidem est, ex iis te studiis assidue in periculum vocari, unde maximi ingenii laudem, & industriæ fructum consequi oportebat: tamen vetus jam id est suprema virtutis fatum, ut facile ubique adversarios inveniat, & quæ sedem dignitatemque in cœlis tam longe habeat, hic veluti exsul & peregrina tractetur. Nec vero est quod propterea animo dejiciaris, aut hominum de te exspectationem destituas, sed contra vehementius sanctis laboribus & lucubrationibus incumbas, ne qui signum piis* Christianisque *studiis tanta felicitate sustuleris, causam deserere per animi imbecillitatem videare. Rem omnem ut apud nos geratur, ex literis* Jo. Vergaræ *nostri fusius intelliges. Quicquid ille meo nomine ad te scribit, à me scriptum putato, id enim præstabimus multo etiam cumulatius. Cæterum de nobis non est, quod nunc tibi studium & auctoritatem nostram imposterum polliceamur, cum jam non ad rem modo ipsam, sed ad constantiam etiam nostram pertineat, ne tibi ullo loco deesse videamur. Vale.* Vallisoleto 24. *Aprilis, Anno* 1527.

An. 1527.

## EPISTOLA DCCCLIX.

*Erasmus Roterodamus Mercurino Gattinario, Cæsaris Cancellario*, S. D.

VT ad alteras quoque literas tuas tribus verbis respondeam, clarissime vir, Si quid est felicitatis, hoc optarim tibi mecum esse commune, cujus integritas, pietasque singularis digna profecto erat perpetuo rerum successu: verum non hoc tantum evenit, ut duos illos, quos Cæsaris interdictum nominatim expresserat, mors terris eripuerit: nam *Vincentius* tympanite cruciabili malo periit: *Nicolaus Egmondanus* * jam nulli tolerabilis in vomitu suffocatus est, quum paulo ante inambulans, jussisset abire mulierculam, quæ solet adesse ministerii gratia, quod diceret se velle persolvere pensum horariarum, ut vocant, precum: verum etiam *Natalis Bedda*, qui furiosum pariter ac famosum librum in me scripsit, per *Gallorum* Regem cohiberi cœpit. Illud plane prospicio, nisi Principes quorundam stolidos & impotentes spiritus auctoritate sua coerceant, excitabunt nobis novam tempestatem, quum hæc incipiat esse mitior. Non obscurum est, quæ res summorum Principum dissidia tot jam seculis vel excitet, vel alat, miror si ipsi non sentiant; & si, quum sentiant, dissimulant, magis etiam miror. Verum, his rebus cœleste Numen dabit felicem exitum. Tuum erga me studium, vir ornatissime, tam constans & candidum jam olim expertus sum, quanquam majoribus in dies argumentis declaras, quantopere faveas & optimis studiis & pietati *Christianæ*, in qua provehenda, tuendaque, si nihil aliud, certe animum sincerum fortemque præstabo usque ad extremum halitum. Exemplar epistolæ, quam misisti *Lovanienſibus*, ad me nondum perlatum est, ex amicorum tamen literis accipio quod narras: quanquam ab istis eluduntur omnia. Subornant alios, mille cuniculis rem agunt. Negotium duorum arte geritur. *Egmondano* mortuo exstitit *Lovanii Franciscanus* quidam, qui in publicis prælectionibus subinde perstringit nomen meum. Hoc genus hominum neminem metuit, & si quid immineat periculi, mutant sedem, & in tuto sunt. Quumque non in aliud proficiant, nisi quod sibi mortalium odium exasperant, tamen veluti furiis lymphati pergunt. Sed hæc quoque *Christus* Opt. Max. omnia vertet in bonum finem. Quid *Hispania Leo* permissura sit nescio, hoc unum scio, nituruſ est malam gratiam apud Regem suum, Cardinalem *Eboracensem*, aliosque innumeros Episcopos, Proceres ac doctos *Angliæ*. Et profecto fuerat è gloria regionis illius, si mundus nesciat illic esse natum tam à Gratiis alienum ingenium. Fragmentum epistolæ *Cuthberti Tonstalli*, cui *Leus* in Legatione successit, his inserui, quo magis cre-

* An non hic, de quo sequens Epitaphium?
*Hic jacet Egmondus,*
*Telluris inutile pondus;*
*Dilexit rabiem,*
*Non habeat requiem.*

Digitized by Google

An. 1527. credas meis verbis. Legem, quæ coercet edendi improbitatem, vehementer approbo: verum, illud interim cavendum, ne lex optima vertatur in exemplum peſſimum, id quod *Lutetiæ* fieri cœptum erat. Aliquot conjurati, calumniis ac mendaciis licentiſſime debacchantur in quoſlibet. Si quid reſpondiſſes, vetabatur excudi. Verum, quo minus hoc cuiquam liceat in *Hiſpania*, cavebit tua inprimis, tum Archiepiſcoporum *Toletani* & *Hiſpalenſis* vigilantiſſima prudentia. Optabam pluribus tecum agere: quandoquidem video tuam humanitatem, quamvis occupatiſſimam, adeo æqui bonique conſulere literas noſtras interpellatrices, ut horteris etiam ad crebrius ſcribendum: ſed redeo ad arenam gladiatoriam. *Hyperaſpiſten* noſtrum, & *Diatribam* arbitror vidiſſe te. In *Hyperaſpiſte*, quoniam excluſus ſpatio temporis hoc Opus intra paucos dies tumultuanter abſolvi, pollicitus eram reliquam diſputationis partem. Equidem malebam aliis in argumentis operam collocare; ſed *Lutherus* editis libellis jactat me non reſpondere, quaſi vero nihil reſponderim, geſtiuntque *Lutherani*: hortantibus igitur amicis aggreſſus ſum liberare fidem meam. Bene vale, Patrone magne, cum optimo Principe. *Baſilea* 29. Aprilis, Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCLX.

*Sereniſſimo Poloniæ Regi Sigiſmundo, ejus nominis primo, Eraſmus Rot.* S. D.

VT calamum in manus ſumpſi, *Sigiſmunde* Rex, hujus ætatis Principum inſigne decus, multa protinus occurrebant, quæ deterrerent à ſcribendo. Inprimis enim parum mei pudoris videbatur, ſi tantillus homuncio, tantum heroa, ſi ignotus, ſi ultro, ſi nullo pene argumento compellarem. Et ut ex Veterum Annalibus tradit *Plinius*, *Tullo Hoſtilio* male ceſſiſſe, quod *Jovem* evocaſſet; ita non ſemper tutum fuit appellaſſe ſummos orbis Monarchas, quos oportet adire, non ſolum in tempore, verum etiam religioſe. Ad hæc vix pium videbatur, Principem, tot, tam gravibus Reipublicæ negotiis, ſed imprimis ſarciendæ Regum concordiæ intentum, literis non neceſſariis appellare. Verum, has omnes remoras facile diſcuſſit, vel inſignis iſta naturæ tuæ bonitas, qua, meo quidem animo, non minor es, quam ipſa regni magnitudine: vel ardor quidam in te meus, ac ſingularis quædam virtutum tuarum admiratio, quam non ſolum ex famæ clariſſima buccina, verum etiam ex ornatiſſimi viri, *Joannis à Laſco*, tum colloquio, tum literis concepi; nunquam enim, dum hic ageret, illi *Sigiſmundus* Rex non erat in ore, nec aliud crepant illius ad nos epiſtolæ, quam *Sigiſmundi* laudes: vel harum denique orbis tempeſtatum tædium, & ingens tranquillitatis deſiderium, quod nos tam lenta ſpe diſcruciat, nimium expertos non eſſe vanam fabulam, qua *Homerus* depinxit *Aten*, & pedibus, & oculis celerem, *Litei* contra luſcioſas & claudas. Lubens & alacer *Simeon* ille ſenex emigrabat è vita, poſteaquam vidiſſet *Chriſtum Domini*. Videor & ipſe mihi æquiore animo relicturus hunc mundum, ſi Dei benignitate, Principumque conſiliis, publicus hic rerum tumultus ſederetur. Ad hoc negotium tam pium, tamque divinum, quoniam audio Majeſtatem tuam ſumma prudentia, parique ſtudio conniti, tanto vehementius inſtigavit animus, ut auderem currentem, quod ajunt, incitare, quanquam tua pietas, divinitus, ut opinor, afflata, non eget ullis hominum ſtimulis. Solet autem Deus plerunque in rebus deploratis, velut ex machina, ſubito proferre quempiam ſingulari virtute præditum, qui res undique turbatas reducat in tranquillitatem. Sic *Romanis* eo redactis, ut auro ſalutem redimerent, repente exortus eſt *Camillus*. Rurſus eorundem rebus ad extremam deſperationem ſpectantibus, exſtitit *Scipio Africanus*. Sic *Hebræis*, intolerabili diutinaque ſervitute preſſis apud *Ægyptios*, productus eſt *Moſes*. Sic periclitanti *Suſannæ*, præter omnium exſpectationem exſtitit *Daniel*, innocentiæ vindex, ac malitioſi facinoris coarguter. Atque utinam mea vota rata faxit Deus Opt. Max. Utinam hanc bonam ſpem velit non eſſe vanam. Titillat enim animum meum neſcio quid læti ominis, Deum tandem, ira verſa in miſericordiam, te deſignaſſe, Rex ſanctiſſime, qui tantas rerum undas, tua pietate, tua prudentia, tua auctoritate componas. Hanc ſpem auget nobis, quod in alio nemine perſpicimus tot dotes, ad tantum negotium conficiendum neceſſarias. Nam ut omittam regni vires, ne commemorem tot res arduas, velut adſpirante Deo, feliciſſime geſtas, quibus nuper acceſſit inclyta de *Scythis* victoria, tria potiſſimum requiri videntur in eo, qui tantos rerum humanarum motus ſit compoſiturus; pietas, excelſus animus, & prudentia. Pietatis nomen duo complectitur, amorem patriæ, & ſtudium religionis. In utroque genere ſumma tua laus eluxit. Siquidem in regni tui commodis procurandis, ſervandis, augendis, ornandis, & conſtabiliendis, tanta vigilantia, ſtudio, curaque ſemper es uſus, ut præter ætatis rationem, nullum unquam laborem defugeris, qui vel juvenem deterrere potuiſſet. Olim optime de Republica meritis deferebatur hic titulus, *Pater patriæ*: & habebat is titulus aliquid Regis aut Imperatoris nomine magnificentius. Hujus inſcriptionis honorem tua Majeſtas multis nominibus promeretur, ac poſſidet multo glorioſius impreſſum mentibus hominum, quam ſi columnis aut ſtatuis eſſet expreſſus. Porro non minorem tibi curam eſſe *Chriſtianæ* Religionis, declarat totius vitæ tuæ integritas. Ad hæc templa divorum ingenti munificentia ſtructa, locupletata, ornataque. Poſtremo *Pruſſia*, quoniam hæreſi corrumpi cœperat, in poteſtatem accepta, ac emendata. Tali animo non poſſunt non vehementer diſplicere hæc Principum tanta diſſidia. Qui ſi tantum inter ſe conflictarentur, eſſet tamen bellum, non dicam civile, ſed plane parricidiale. *Plato* civile bellum eſſe putat, quod *Græci* gerunt adverſus *Græcos*. At *Chriſtianus Chriſtiano* propius junctus eſt, quam civis civi, quam frater fratri. Nunc hæc Monarcharum inter ipſos conflictatio *Turcæ* viam aperuit, ut primum *Rhodum*, nuper etiam *Ungariam* invaderet. Fuitque nimium felix crudelitas, altius etiam ad nos penetratura, niſi concordia junctis umbonibus obſtiterimus. Quem *Chriſtiani* pectoris hominem non iſta diſcrucient? Verum, iis etiam atrocius eſt, quod, dum Principes inter ſe diſſidiis tumultuantur, funditus perit Religio *Chriſtiana*, laxatis etiam rerum compagibus, confuſoque publici ſtatus ordine, ut qui parere debebant, poſtulent imperare majoribus. Nec hic ſimplex diſcrimen eſt. Utraque pars ut habet quædam non adſpernanda, ita mixti ſunt etiam illis, qui ſub Eccleſiæ vexillis militare videntur, quos apparet victoriam *Chriſto* debitam ad ſe rapturos, niſi ſummorum Principum auctoritas, & illorum inſanos tumultus coerceat, & rapinam prohibeat. Ita fieri poterit, ut ex hoc amaro pharmaco, quo torquetur mundus, aliquid bonæ ſanitatis conſequatur, ac victoria cedat non hominibus, ſed Eccleſiæ Principi *Chriſto*, cui debetur omnis gloria: qui fortaſſis ideo paſſus eſt has rerum humanarum procellas incidere, ut quoſdam mundanæ proſperitatis abundantia, velut ebrios, ad *Chriſtianæ* mentis ſobrietatem expergefaceret. Hujus animi dicitur & Cæſar *Carolus*, ut ex literis eorum, qui ſunt illi proximi, cognovi. His de rebus plura literis committere, nec ſatis tutum arbitror, nec neceſſe. Quandoquidem ſingularis tua prudentia novit quid ſignificem. Hactenus de pietate. Animi vero celſitudo non tam elucet in fortiter gerendis bellis, aut proferendis regni finibus, quam in his contemnendis, quæ nemo contemnit, niſi vere ſublimi ſit animo. Quiſque ſuperior eſt eo quod poteſt negligere, quoties id ſuadet utilitas Reipublicæ. Quem ira aut vindictæ cupiditas ad bellum urget, is inferior eſt affectu ſuo. Quem

Digitized by Google

An. 1527. Quem ambitio prolicit ad pugnam, inferior est eo quod ambit. Cæterum, qui publicam utilitatem anteponit his rebus omnibus, is demum vere sublimi excelsoque est animo. In necessariis bellis, quæ multa cum *Valachis*, *Tartaris*, *Moschis*, *Prussisque*, non minus feliciter quam fortiter gessisti, plane regiam animi celsitudinem declarasti: sed longe sublimioris animi sunt argumenta, quod cum *Moschis* toties debellatis, inducias habere, quam armis regionem opulentissimam in ditionem tuam redigere maluisti, quum id esset in proclivi, quumque huc procerum cohortatio provocaret, quodque quoniam odio schismatici nominis pacem nonnulli negarent coire posse, non gravatus sis induciarum facere prorogationem. Nec tua refert, quam in partem vulgus hoc tuum factum interpretetur. Prior est apud te publica regni tranquillitas, & *Christiani* sanguinis parcimonia, quam vel armis paranda tantæ ditionis accessio, vel vulgi de te existimatio. Nam, ut eleganter dixit ille, *Vere regium est*, hoc est, excelsissimi cujusdam animi, *male audire, quum bene feceris.* Nec recusasti cum *Turcis* inducias suscipere, libenter etiam cum *Scythis* fœdus initurus, nisi feræ potius quam homines, non desinerent sceleratis incursionibus vexare ditionem tuam: quorum efferam & intractabilem immanitatem, à tuorum fortunis ac cervicibus depellere, pietas est verius quam bellum: & si bellum est, ejus est generis, ut quoniam vitari nullo modo potest, non absque nefario scelere prætermitteretur. Ad hæc quum tibi toties adversus *Prussios* bellanti, feliciter ceciderit Martis alea, tamen amore pacis, maluisti *Prussiæ* Duci nonnullam ejus provinciæ portionem concedere, quam totam armis, quod tibi facillimum erat, tuo subjugare imperio. Ejusdem celsitudinis erat & illud, quum *Germaniæ* Principes decem millia peditum, duo equitum millia misissent Duci suppetias adversus *Polonos*, non passus es tuos, longe numero superiores (erant enim equitum sexaginta millia) cum paucioribus congredi, tantum octingentis tuorum hoc negotii datum, ut qua proficiscerentur *Germani* milites, commeatum aut præriperent, aut interciperent. Ita factum est, ut & illi fame moniti, domum se reciperent, & tua clementia sanguinis humani jacturam vitarit. Quid ego nunc commemorem, quod post *Christiernum* Regem ditione pulsum, ultro delata *Norvegiæ Suetiæque* regna constanter recusasti, ne tuis, hac occasione, belli materiam accerseres? Non sunt vetera quæ narro, sed illud recentius, quod nuper exstincto *Bohemiæ Hungariæque* Rege, qui tibi fuit ex fratre nepos, cum ad te successio propinquitatis etiam jure pertinere videretur, adeo non ambisti, ut missis Oratoribus, admonueris illos, eum sibi Regem adsciscerent, quem suæ regioni maxime profuturum judicarent, te tua sorte contentum esse. Nec his contentus, simul ut intellexeras res inter *Ferdinandum* & *Joannem*, qui regni titulum usurparat, ad arma spectare, misso Cancellario tuo, spectabili ac magnifico, *Christophoro à Schydlovietz*, castellano & capitaneo *Cracovienſi*, quem virum habes unum omnium & prudentissimum & integerrimum, effecisti ne prius bellum susciperetur, quam omnibus tentatis, quæ bellum possent excludere. Hæc arguunt animum vere sublimem, & omnibus mortalium rebus excelsiorem. Quanquam ex iisdem jam arbitror perspici singularem quandam tuam prudentiam, quam in te, tum ætas, tum plurimarum rerum usus absolvit. *Dulce* quidem *bellum inexpertis*, sed ille per tenebras ac procul cernit, qui pacem iniquam anteponit æquo bello. Quod si Principes tuum exemplum sequuti, contemtis privatis affectibus, velut è sublimi quadam specula deflecterent oculos ad pietatem, hoc est, ad *Christi* gloriam, & gregis *Christiani* salutem, priusque ducerent publicam orbis tranquillitatem, quam, nescio quæ, privata commoda, quæ & crebro fallunt, & ut non fallant, nimio emuntur: primum ipsi concordia juncti multo felicius ac magnificentius regnarent, & *Turcam* facile depellerent à *Christianorum* cervicibus, & hoc exitiabile dissidium Ecclesiæ, bonis rationibus componerent. Nunc vereor ne sint, qui pietatis inopia, publicum malum conentur in suum privatum bonum vertere, aut ob animum veræ celsitudinis expertum, non possint publicæ tranquillitatis studio quicquam de suo jure concedere, aut ob rerum imperitiam, malint bellum quam pacem, quum bellum nunquam sit suscipiendum, nisi quum citra crimen impietatis vitari non potest. Quod si Principes hæc sinceris & *Christianis* agerent animis, adesset ipse *Christus* consiliorum ac fœderum prosperator, daretque rebus lætiorem eventum quam ipsi queant optare. Nunc ut pleraque bella, vel ira, vel ambitio, vel alius quispiam privatus affectus suadet potius, quam pietatis, aut Reipublicæ respectus: ita fœdera videmus infirma temporariaque, quodque gravius, sæpenumero seminarium præbent bellis. Illud optare magis possum quam sperare, quod tamen arbitror ad conservandas Principum amicitias, & rerum publicarum tranquillitatem cum primis facere, si Principibus persuaderi possit, ut ditiones procul dissitas recusent. Quantum enim calamitatum invexit *Gallis*, toties petitum ac repetitum *Mediolanum*? Quid esset eo regno florentius, si *Neapolin*, si *Longobardiam*, si *Insubriam* olim neglexisset? Ut naves quædam majores sunt, quam ut gubernari possint, ita difficillimum est ditionem ultra modum latam feliciter administrare. Id vero multo difficilius, si ditionis portiones longis intervallis distractæ sint. Jam augendæ ditionis cupiditas finem non habet, ut nonnullis tale quiddam usu venire videatur, quale solet iis, quibus studium est sacerdotia sacerdotiis accumulare. Quicquid enim emolumenti ex mediocribus corraserunt, hoc in majus aliquod absumunt, ac multorum fructus una Episcopi dignitas absorbet, & hujus quoque proventibus emitur Archiepiscopi titulus. Demum Cardinalitii nominis gloria, quot dignitatum, quot Abbatiarum census devorat! Hæc nimirum sunt argumenta parum sublimis animi, nullum posse pati se majorem. Ille demum magnus excelsusque est, qui nec inferiores fastidit, nec superioribus invidet, hoc agens, non ut quam latissime regnet, quod sceleratis etiam aliquando dedit fortuna, sed ut quod fortitus est regni, quam optime administret. Verum quoniam nunc successio regnorum, partim affinitate, partim cognatione transit ab aliis ad alios, optare, ut dixi, facilius est, quod arbitror optimum, quam sperare. Jam nec pium est, nec animi mei, quem *Christus* totius Ecclesiæ suæ præsidem esse voluit, ejus auctoritati quicquam detrahere: tamen si verum fateri volumus, & ipse felicius ageret, & summi Principes minus frequenter hujusmodi bellis inter se conflictarentur, si bona ipsius pace persuasus, cum nullo Monarcha fœdus iniret, sed ex æquo se patrem præstaret omnibus. Nunc ex hujusmodi fœderibus, toties ictis, rescissis, repetitis, relictis, quantam vidimus ac videmus exoriri materiam, vel excitandi bella, vel alendi? Quid hic attinet exempla ab annalibus repetere, quum his annis viginti, tam multa conspexerimus oculis nostris? Sed ego jamdudum abutens tua lenitate, Rex invictissime, septa, quod ajunt, transilio: itaque desinam, hoc ardentissimis votis comprecans, ut Deus nostri misertus, tuis sanctissimis conatibus det exitum, ista pietate, ista animi celsitudine, ista prudentia dignum. Tuamque Reginam Bonam, optimo Regi junctam, diu felicem servet, & regno, & Reipublicæ *Christianæ*. Datum *Basileæ* 15. Maji, Anno Domini 1527.

## EPISTOLA DCCCLXI.

*Erasmus Rot. clarissimo viro Christophoro à Schydlovietz, &c. regni Poloniæ Cancellario*, S. D.

LENTIVS inter nos commeant epistolæ, vir ornatissime, quanquam tua satis mature pervenit, scripta



Digitized by Google

Anno 1527. ad Cal. Martias reddita est ante Idus Majas : nam inspicor vos novum annum auspicari à Paschali die. Dominus in Euangelio beatos pronunciat pacificos, quo in negotio quoniam tu nunc optimi Regis jussu versaris, precor ut quod agis succedat, multosque tua prudentia reddas beatos : hac de re scripsi nonnihil & inclyto Regi *Poloniæ Sigismundo*, jam semel atque iterum ornatissimi juvenis *Joannis à Lasco* literis provocatus. Id enim tanto studio à me contendit, ut existimem eum non sine causa sic esse animatum. Hæc ætas Principes habet fere juvenes, quo magis oro, ut Deus *Sigismundum* nobis diu servet incolumem, cujus pietas, animi magnitudo, singularisque prudentia, ac plurimus rerum usus, salubribus consiliis plurimum prodesse poterit, & Principum commodis, & Reipublicæ tranquillitati. Munera tua plane tuo digna sunt animo, sed tamen in ratione tuorum in me meritorum, noviſſimam pene lineam occupant. *Antoninum* meum tibi charum esse gaudeo ; nullum adhuc ingenium expertus sum illo candidius, nisi talis esset *Joannes à Lasco* Præpositus *Gnesnensis*, ut ne fingi quidem possit quicquam amabilius, cujus equidem amicitiam in præcipua meæ felicitatis parte duco. Habes epistolam mea manu, sed vereor ut legas. Languebam adhuc à vehementissima diarrhœa. Dominus te servet incolumem. Datum *Basilea* 16. Maji, Anno 1527.

## Epistola DCCCLXII.

*Erasmus Rot. ornatissimo viro Joanni à Lasco, Præposito Gnesnensi*, S. D.

Quæ misimus bona fide reddita profecto valde gaudeo : nam ea res habebat me sollicitum, ut nunc est incredibilis hominum perfidia, dum ubique de fide disputatur. Nonnihil etiam metuebam ne quid tibi tuisque secus quam vellem accidisset. Enchiridion apud *Hispanos* vulgari sermone versum est & excusum ingenti Monachorum tumultu, verum is impegit in potentes *Erasmi* patronos, in quibus erat & *Cæsar*, cujus epistolam, ni fallor, ad te misi proximo mercatu. *Beato Rhenano* protinus tuas literas perferendas curavi : nam agit *Seletstadii* profugus hinc & pestis & diffidiorum odio. Non dubito quin & hujus & *Glareani* libellum jam acceperis. *Glareanus* suum publice prælegit. Regi, quando toties huc provocas, scripsi, sed exemplum ad verbum descriptum his incluſi, ut si videatur, premas : difficile est enim Regibus scribere, veruntamen, quod te nescire nolim, hujus rei mentionem feci in literis ad *Christophorum* Cancellarium *Cracovienſem*. Aliquot ex hostium numero perierunt ; *Lovanii Egmundanus* Carmelita vomitu præfocatus, quum ipse paulo ante publice vociferatus esset in *Joannem Naevium*, quod paralysi correptus, intra sex horas efflasset animam. Periit & *Vincentius* Dominicanus, in quem est una mea epistola, titulo pertinacissimi obtrectatoris ; periit & *Rosemundus*, vir melior quam pro vulgari sorte Theologorum, perierat ante *Dorpius* noster. *Coloniæ* periit *Jacobus Hochstratus*, coryphæus hujus Tragœdiæ, qui tamen in morte dicitur nonnullis verbis prodidisse parum sinceram conscientiam. His omnibus precor Domini misericordiam. *Jacobus Faber* hinc honorifice revocatus est in *Galliam*, cesserat enim metu, & est Regi chariſſimus. Is quoque, quem *Bedda* destinarat holocautomati, vir bonus est, ut audio, & Regi cum primis charus, quem Rex noluit vi subducere periculo, sed passus est causam agi, donec ipse veniret *Lutetiam*. Habes exemplum, quod nisi crebrius edatur, insilient tenebriones in capita Principum, fidei propugnandæ titulo. Utinam Rex in cæteris omnibus perinde felix fuisset. Cur hunc amicum Regis, absente Principe, decreverint immolare, præcipua causa fuit, quod Paraphrases, & alios aliquot libellos meos *Gallice* versos, pararet edere : sic enim sibi persuadent quidam pseudo-Monachi, si *Erasmus* cœperit vulgo loqui, retegentur nostra menda-

A cia, quibus illum apud mulierculas & idiotas hactenus invisum reddidimus. Res enim ipsa coarguet vanitatem nostram, declarans eum esse alium quam nos depinxeramus. Itaque nihil arbitror esse conducibilius, vel ad illorum prodendam malitiam, vel ad meam innocentiam approbandam, quam ut ea, quæ scripsi, de recte vivendo præsertim, versentur in populi manibus. Neque id fugit istos *Pharisaicos*, eoque magna conspiratione hoc agunt, ne qua id fiat. Verum omnes istorum conatus pene videmus in diversum cadere. Quanquam istud tuum ingenium dignum est, quod melioribus occupetur argumentis, etiamsi neminem arbitror id posse præstare felicius. Illud arguit mihi B singularem quendam animi in me candorem, quod, contemta omni invidia, cupis omnibus mortalibus esse notissimum, quanti me facias, nec recusas discipuli titulum, modo talis habearis, qui *Erasmi* causa nihil non sis tum passurus, tum facturus. Ego vero, mi *Joannes*, nimis impudens fuero, si juvenem summis natum rebus, & jam nunc nullo non doctrinæ genere me superiorem, patiar credi meum discipulum : sed tamen homo sim insigniter ingratus, si tam amantem, tam constantem, tam candidum patronum patiar oblivionis tenebris obliterari. Refert enim hoc omnium, ut tam rarum benevolentiæ exemplum ad posteros transeat, præsertim his temporibus, quando nulla sunt C amicorum juga, nisi quæ confœderaveit conspiratio. Verum utinam adesset is scriptis meis genius, ut quod tuis meritis dignum est possint efficere, vel in hunc usum optarim mihi temporariam *Ciceronianæ* felicitatis usuram. Certe deligetur argumentum per se plausibile, & addetur à nobis plusculum in expolienda dictione curæ, quo magis ad posteros transeat. Id quo minus antehac sit factum, ut ingenue dicam, religio quædam obstitit, qua me per tuas literas liberatum esse gaudeo. *Glareanus* unus sustinet hic causam disciplinarum, frequenti auditorio profitetur tuum libellum ; alii, quamvis eruditi, vix habent sex auditores, nec id constanter ; hic habet sexaginta, & in dies crescit numerus. Arbitror hoc esse tui genii, nam omnino præter hujus Academiæ morem est. Primum in D hoc gratificaberis homini, si adolescentes aliquot, alio fortassis literarum discendarum gratia profecturos, ad hunc mittas : nam quoniam inhabitat collegium, pædagogum agat oportet annis aliquot. Miror in literis tuis nullam esse *Hieroslai à Lasco* mentionem, utriquè tamen ex me salutem dices plurimam : nam & *Stanislaum* isthic adesse gaudeo è *Gallia* reducem. Cura valetudinem tuam diligenter. Datum *Basilea* 17. Maji, Anno 1527.

## Epistola DCCCLXIII.

*Erasmus Roterodamus Andreæ Critio, Episcopo Plocensi*, S. D.

Ornatissime Præsul, Libellum tuum degustavi verius quam perlegi, nec dubito quin totus sit placiturus ubi totum perlegero. Video strenuum propugnatorem Ecclesiæ, verum non arbitror tuam istam prudentiam egere monitore : alioqui vel admonerem, vel rogarem, sic depugnaret adversus hostes publicæ tranquillitatis, ut victoriæ gloria non hominibus cedat, sed *Christo* : nam quemadmodum in publico civitatis incendio multi solent esse, qui prædæ intenti commune malum vertunt in privatum bonum : ita in hoc orbis fatali tumultu, non dubito quin videas plurimos in hoc intentos, ut ad se rapiant victoriam, uni *Christo* debitam. Ex hoc tam violento pharmaco, quod fortasse Deus corrigendis vitiis nostris immisit, tantoque motu concussit totum Ecclesiæ corpus, optarim aliquid bonæ sanitatis proficisci. Nunc quis erit fructus, si qui præsunt Ecclesiæ, quorum non pauci sunt tales, ut ipso propemodum mundo videantur mundaniores, eos habeamus aliquanto quam antehac fuerunt profaniores : si Principes, præsertim hosce mi-

Digitized by Google

An. 1527. minutos, ex præda rerum ecclesiasticarum ad luxum & aleam instructiores: si Monachos, quorum tyrannidem jam olim suspirat orbis, posthac habeat ex victoria ferociores? Non quod non arbitrer inter hos esse viros pios, prudentes & eruditos, sed inter eosdem nimis multos videmus, qui ventri suo serviunt, non *Jesu Christo*; & dum suo quisque ordini valde favet, negligitur ordo *Christi*. Accidit, ut video, tibi, quod & proverbio dici solet, Dedisti malum & accepisti, qui ἀλμυρὰν γενέσιμα, nihilo commodiore permutasti. De libertate frustra tibi blandiris. Semel aulæ frenum momordisti, sessorem perferas oportet. Quanquam est istud è re publica, ut homines eruditi ad publicam auctoritatem functionemque pertrahantur. Dulce quidem est ocium studiorum, sed homo non sibi nascitur tantum, verum etiam patriæ. Habes à *Lasco* miserabile spectaculum, quod iis, qui *Erasmo* male volunt, citius possit esse in deliciis quam tibi, nisi forte pictor vestris blanditus est affectibus. Nam istam imaginem inscio me suffuratus est. Utinam imago, quam lucubrationibus meis expressi, probetur tibi tuique similium judicio. Hæc ad literas tuas, quas tu vento commiseras, quemadmodum scribis, vix aliæ celerius pervenere. Opto R. T. Amplitudini felicitatem in Domino perpetuam. Datum *Basilea* 17. Maji, Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCLXIV.

*Erasmus Rot. Francisco Hasseltensi Franciscano* S. D.

HONORANDE in *Christo* frater, Audio te frequenter in tuis prælectionibus nomen meum perstringere. Quod si verum est, moneo ut memineris quid Ordine vestro dignum sit. Scis nec Pontifici, nec Cæsari probari tales insectationes, quod uterque satis declaravit, etiam scripto. Scis inutiles esse hoc statu rerum, quo meum caput pro negocio fidei tot expono periculis. Ego nullius ordinis sum hostis, vestræ vero congregationi, quoniam cæteris est incorruptior, semper unice favi. Si quid scriptis admoneo, pro vobis facit, non contra vos, qui talia non probatis. Quod si cupitis pristinum orbis favorem vobis instaurare, his rationibus id faciatis oportet, quibus eum primum peperistis. Peperistis autem vitæ sinceritate, non conspirationibus, aut obtrectationibus. Quos tumultus tui sodales moverunt in *Hispania*? Quid profecerunt? Exacerbarunt omnium odium. Idem accidit in *Polonia* & *Ungaria*. Ego, nisi *Christum* haberem præ oculis, & si te fortassis non possum lædere, possem Ordinem tuum lædere magis quam credas. Ad quod tamen nunquam provocabor. Quo minus decet vos ad hoc lacessere. Jampridem clancularii consiliis libros meos emovistis è bibliothecis, in quibus locum habent aliorum virulentæ calumniæ. Hoc dissimulavi, nec magni facio. Si pietatis negocium agetis sincere, Dominus proserabit quod agitis: sin agetis technis & callidis conspirationibus, omnia, crede mihi, recident in diversum. Dominus tecum. *Basilea* 18. Maji, Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCLXV.

*Erasmus Roterodamus Andreæ Zebridovio* S. D.

FACIT hoc tum amicitia non vulgaris, quæ mihi jampridem cum ornatissimo Præsule *Andrea Critio*, mutuis conglutinata literis, intercedit, tum eximia quædam & tali digna avunculo indoles tua, quam mihi suis literis admodum graphice depinxit *Leonardus Coxus*, adolescentiæ tuæ formator, ut te vel salutare sim ausus, vel ad optimorum studiorum amorem incitare, licet id quidem currentem, ut ajunt, si modo vera scribit *Coxus*, cujus apud me fides est gravissima,

*Nil opus admisso subdere calcar equo.*

Verum ut in isto pulcherrimo stadio, *Zebridovi* charissime, semper teipsum alacritate superes, habes permulta, quæ debeant animum tuum accendere. Primum enim ista tam felix indoles nihil de te non eximium pollicetur: nonnihil etiam exspectationi addit *Coxus* instaurator, hoc est probæ materiæ probus artifex. Addo jam quod fortuna, quæ dum est iniqua, multorum generosos conatus retardare solet, tuo subservit ingenio, tum ampla, tum obvia. Sed illud in primis non te patietur segnescere, quod exemplar habes domesticum tibi prælucens, in quo, velut in speculo, virtutis & eruditionis absolutissimam imaginem cernis expressam, *Andreas Andreæ*, nepos avunculo respondeas oportet. Exigit, efflagitatque hoc abs te genus tuum, exposcit idem patria. Macte igitur animi *Zebridovi*, fac indefatigabili studio contendas ad hujus laudis palmam. Aderit coeptanti Deus, qui in hoc ipsum te tantis naturæ fortunæque commodis ornavit, ut opulentæ sorti dignam industria tua jungeres usuram. Memineris optimam ætatis portionem esse fugacissimam, nec unquam recurrere semel elapsam. In præsentia non licuit tecum pluribus. Bene vale. Datum *Basilea* 21. Maji, Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCLXVI.

*Erasmus Rot. Leonardo Coxo Anglo* S. D.

VTINAM, mi *Coxe*, tam esset in proclivi rescribere omnibus, quam est redamare quotquot nobis bene volunt. Verum studiorum labores plusquam totum tempus sibi vindicant, in tantum ut nec ægrotare vacet, nec mederi corpusculo, tantum abest ut liceat omnium epistolis respondere. Epistola tua, proxime scripta, fuit undique jucunda, præterquam duabus partibus, quarum altera laudibus immensis oneras me verius quam ornas, etiamsi hoc quoque molestiæ leniit animi tui candor, unde certum habeo quicquid istud est erroris proficisci: altera nuncias *Justi* nostri valetudinem adversam, cui viro, ut promeretur, optarem omnia esse prosperrima. De fracto scapulæ osse, pridem ipse mihi scripserat. An aliud accesserit malum nescio, per hunc grammatophorum nullas ab eo literas accepi. Ecclesiastæ *Cassovienses* animum satis admirari non possum, censeo fortunam amplectendam, vel ob id quo pluribus prodesse queas, vel ob hoc ne pessimo cuique sis contemtui. Etsi qui dignitate præminent non possunt omnia corrigere, quæ geri conspiciunt vel à populo, vel à Principibus, tamen non parum malorum possunt excludere. Si nos invisat, reperiet nihil aliud, quam pro thesauro carbones. *Joannis à Lasco* tale sum expertus ingenium, quotidieque experior, ut vel hoc uno amico mihi videar sat beatus. *Anianum* nostrum apud te vivere gaudeo. Habes felicem materiam, artifex probus, quem quidem ἀσπάζε ἀπ' ἐμοῦ. *Critii*, jam commutato nomine *Plocensis* Episcopi, literis respondi. Oportet istam Ecclesiam Deo charam esse, cui perpetua seric contigere tres tales Episcopi, qualis unus vix multis annis contingere solet aliis. *Copia* ante menses sex rursus edita est, multis modis à me locupletata, quam editionem ad te mittam, si hic non gravabitur sarcinulam. De *synere* quod quæris sic habet res: Ante annos ferme viginti quum *Senæ* fingerem ingenium *Alexandri* Archiepiscopi *S. Andreæ*, fratris hujus, qui nunc *Scotiæ* regnum tenet, nactus sum *Aulum Gellium* pervetustæ editionis, &, ni fallor, primæ. Mihi videbatur cæteris quas videram emendatior. Illic & *Græce* & *Latine* habebatur *synere*. Quanquam autem eæ interpretationes quæ initium habent ab Id est, non sunt *A. Gellii*, tamen ejusmodi videntur, ut arbitrer ipsum nihilo melius fuisse sua redditurum. Nunc etiam in *Aldina* editione video scripturam utranque mutatam, pro *synere* repositum συηρήνων, & metri quidem constat ratio, verum an germana sit lectio nescio. Ego suspicabar *synar* talem esse vocem qualis est piper. Nihil tamen hactenus apud Auctores comperi quod mihi satis arrideat. Nam *cynnare* naturam non describit *Plinius*, nisi quod hujus gustu cervum ait

An. 1527. mederi sibi, pabulis tonicis gustatis. *Hesychius* refert *cynarum*, quem alii κυνόδακτον appellant. Verum, hoc quoque ὐδὲν πρὸς ἐπ. Proinde mihi videtur optimum eam vocem eradere, id quod editione novissima factum arbitror. *Zebridoxio* tuo scribam, si quid omnino dabitur ocii. Datum *Basileæ* 21. Maji, Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCLXVII.

*Erasmus Rot. Medico cuidam S.*

EVM, qui tuas reddidit, nondum alloquutus sum. Quum huc veniret eram occupatissimus in *Origene* vertendo, cujus fragmentum in *Matthæum* nacti sumus: quum rediret, obortus erat intolerabilis dentium cruciatus, adeo ut nec loqui possem, nisi exasperato malo, propter haustum aerem. Media æstate passi hic sumus hyemem. Pro commonstrato remedio gratiam habeo maximam, etiamsi mihi non cum arenulis, sed cum saxis res erat, unde medici λιθοσιν appellant. Verum, hoc malum in aliud est commutatum, quod perpetuam habet molestiam, sed dolore tolerabiliore. Id ni factum esset, jam ab his tumultibus liber esset *Erasmus*. Fuit apud nos *Gervasius* Theologus vere candidus, cujus colloquium mihi magno fuit solatio. *Claudio Felici* multam opto felicitatem. Quod me amantissime consolaris adversus hominum invidiam, vel malitiam potius, scito me non tam mea causa dolere quam *Christiana* religionis nomine, quæ tales habet & doctores & propugnatores. De me meisque studiis viderit *Christus*. Et utinam præter *Beddam* ac *Sutorem* nullus esset eadem infectus malitia. Reverendo Præsuli tuo meis verbis plurimam dices salutem. Bene vale. 23. Maji, Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCLXVIII.

*Erasmus Rot. Nicolao Cannio S. D.*

QVANTA est felicitas Astrologorum, *Nicolae* charissime, qui ex astris norunt sibi dies & horas fortunatas eligere. Si biduo serius hinc abisses, habuisses facundum viæ comitem, qui tibi πεζόποντι pro vehiculo fuisset. Totus enim scatet fabulis lepidissimis, &, ut scis, maxima laboris pars, est laboris imaginatio. Extrusi tamen ocyus hominem tua causa, nec is dubitat, quin te intra triduum sit assequuturus. Novit, opinor, tuam celeritatem ubique βραδέως ἀποδύοντα. Multis de causis cuperem te, mi *Canni*, quam primum ad nos recurrere. Scis enim quam ægre caream opera tua, præsertim in describendis *Græcis*. Verum quoniam tibi res erit cum mari nautisque nihilo mari mitioribus, nonnunquam & per regiones iter futurum est latrociniis infames, nullum certum diem tibi præscripsi. Facit tamen tua mihi frequenter aliis in rebus perspecta fides, ut confidam te nusquam cessaturum, nisi si qua urgeat necessitas. Malo enim te serius, sed incolumem, redire, quam ob celeritatem vel te periclitari, vel mea negotia non recte peragi. Ita fugias, ait proverbium, ne præter casam. Et paucioribus amicis per te scripsi, ἢ ταῦτα μάλα λακωνικῶς, quod nihil fere rerum mearum tibi sit incognitum, quodque tuæ prudentiæ non mediocriter confidam: semper enim, ut nosti, te amici loco magis habui quam famuli; non falles, opinor, hanc meam de te fiduciam. In revisenda *Hollandia* nolim te profectionis dispendium facere. Quid enim eo te vocet, nisi compotationes aliquot, quæ nec ingenio tuo, nec valetudini conveniunt? Est aliquid videre illam doctorum omnium literis celebratam *Britanniam*, & ad morum civilitatem simul & prudentiam conducet, cum tot *Anglia* magnatibus, cum tot eruditissimis viris fuisse congressum, quorum tamen humanitas singularis, cave ne te reddat negligentem, aut audaculum, sed, utcunque illi se submittunt, tu semper fac ut tuæ modestiæ memineris. Heroes illi non semper hoc animo sentiunt, quod vultu præ se ferunt. Ut olim cum diis, ita nunc cum summatibus viris religiose loquendum est. In recipiendis munusculis (nam est ea gens non minus liberalis, quam parca *Arabentia*) veteris proverbii memineris, ὅτε πάντα, ὅτε μόνα, ὅτε οὐδὲ πάντων. A beatis ac sinceris amicis si quid ultro deferetur, accipito, sed cum grati animi testificatione. A mediocribus aut frigidis amicis si quid offeretur, excusato, sed civiliter. Est enim plus artis bene recusare beneficium, quam bene accipere. Sunt tamen qui quum parum sint amici, tamen palam fiunt inimici, si recuses quod offerunt. Interpretantur enim aut muneris exilitatem contemni, aut se esse invisos: horum animo cedendum est, sed oratione quam maxime plausibili. Absit autem ut usquam præ te feras sordidum animum, & hujusmodi prædularum avidum: quod nisi me prorsus fallit mea de te opinio, vel non monitus eras facturus. Alioqui malim de meo sumas decuplum. Nec convenit ut admodum horreas fretum *Caletiense*, ζωον θαλάσσιον, ac propemodum in fluctibus natum, si modo satis olim contemplatus sum tuum *Amstelredamum*. Est sane quum molesta tum sumptuosa trajectio, sed ut brevis, ita non admodum infamis naufragiis. Et si quid illic erit molestiarum, olim meminisse juvabit. Sed transmisso mari, aliud te periculum excipiet tibi fortasse gravius. Nosti proverbium, Βάταν & ἱππόν. Cæterum θάμιξ, equi sunt prudentissimi; norunt viam, nec egent calcaribus: tantum illis permitte frenum, non desinent currere, donec te quo conducti sunt, vel sarcinæ in morem, pervexerint. Cum populo facile tibi conveniet, si polypum imitaberis, aperi caput, da dextram, cede locum, arride quibuslibet, sed ita ne cuiquam fidas ignoto. Inprimis cave ne quicquam ejus regionis contemnas damnesve. Est enim ea gens mire φιλόπατρις, nec id sine causa. Habet enim eximiam regionem, quanquam omnes in admiratione rerum patriarum φίλαυτοι sumus. Solent enim quidam inciviles illico damnare, si quid insolitum viderint; ut nulla fere placet musica, nisi cui assuevimus. Hæc quum magna ex parte te monuerim abeuntem, & si non monuissem tamen sperarem te pro tua prudentia functurum officio tuo; tamen posteaquam & hic tam certus obtigit, & aliquid ocii datum est, visum est inculcare denuo, ne quid excidat. Nihil enim nocet interdum & memorem monuisse. Precor ut alacris ac re bene gesta ad nos quam primum redeas, teque tuis Musis reddas, ut hoc dispendiolum vigilantia sarcias. Bene vale, & si quem forte nactus eris in itinere certum γραμματοφόρον, fac paucis perscribas, si quid erit, quod nostra referat scire. Datum *Basileæ* pridie Ascensionis Dominicæ, sive 29. Maji, Anno 1527.

An. 1527.

## EPISTOLA DCCCLXIX.

*Erasmus Rot. Tielmanno à Fossa S. D.*

FERREIS xeniis ad amicitiam provocatus, chartaceis respondeo, non quidem æreis aurea, sed tamen accepta pensans deterioribus. Adeo vero non adspernatus sum hoc qualecunque munusculum, ut hinc etiam collegerim te sinceriissimo animo de meis moribus quam optime sentire. Alioqui solent & qui preciosa mittunt multis verbis precari veniam, quod meritis inferiora mittant. Itaque munusculi tui vilitas, mihi precium ipsius auxit, & isti tam benevolo pectori me profiteor adstrictissimum esse, id quod hoc epistolio, veluti syngrapha legitima, singulis & universis contestatum esse volo. Opto tibi prosperam valetudinem. Datum *Basileæ* pridie Ascensionis, hoc est, 29. Maji, Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCLXX.

*Guilhelmo Waramo, Archiepiscopo Cantuariensi, Erasmus Roterod. S. D.*

VERERE ne tuam reverendam amplitudinem literis ac nunciis meis obruam: sed præter exspectationem

Digitized by Google

An. 1527. nem incidit quiddam, ut hic famulus meus *Nicolaus Cannius*, mihi maxime neceſſarius ac fidelis, fuerit iſthuc mittendus, non ſine gravi meo incommodo. Scripſi nuper miſique *Hieronymum* inauratum, quæ volumina ſi perlata ſunt, vehementer gaudeo. Toties enim experior ſummam in hujuſmodi rebus hominum perfidiam. Hic omnia videntur ad res novas ſpectare, ac metuo cruentos tumultus, tam late radices agunt hæ factiones, nemo credat, niſi viderit. Mea ſenectus in hæc tempora ſatis infeliciter incidit. Ab Eccleſia non poſſum recedere. Et diverſa pars habet populum, cui fœderatus eſſe nolim. Monachi ferocientes exaſperant hanc Tragœdiam in ſuum malum. Et ille veſtras in *Hiſpania* ſtrenue navat operam, oblitus ſuæ legationis: quum ſciat me gratum Cæſari & *Hiſpaniæ* primatibus. Mala mens, malus animus. *Romæ* turbatiſſima ſunt omnia: nec epiſtolis patet iter: putant fœdus Cæſari cum Pontifice coiturum. Hoc quam diu permittunt Principes, ut Pontifex nunc cum hoc, nunc cum illo pangat ac repingat fœdus, vereor ne nunquam futura ſit pax in orbe. Pontifex deberet eſſe pater æquus omnibus. Sed Principum ambitio, odiaque, hæc aut non vident, aut ſi vident, affectibus ſuis obtemperant potius quam rationi. Vereor ne non liceat hic diu ſedere: verum hæc *Chriſto* ſunt committenda. Cætera, ſi vacabit, cognoſces ex hoc *Cannio* famulo meo, quem experieris minime vanum, aut futilem. Dominus te conſervet incolumem. *Baſilea* pridie Aſcenſionis, ſive 29. Maji, Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCLXXI.

*Eraſmus Rot. Ludovico Vivi* S. D.

VIDEO te factum ζῶον ἀμφίβιον, niſi mavis dici *Mercurium* ſuperis deorum gratus & imis. De ſilentio meo multas tu quidem cauſas recte conjectas, unam addere debueras, quod aliquoties data non reddantur. De Colloquiis demiror tanto patrono vel in peſſima cauſa deeſſe rationes, nunc inter pueros talia diſputantur, & ὁ χωλὸς ſua pueris ſcripſiſſe videtur, tam ſcripſit pueriliter, poſtremo grandeſcunt pueri. Itaque jam adultis magis feria conveniebant. Verum, ut ingenue dicam, perdidimus liberum arbitrium. Illic mihi aliud dictabat animus, aliud ſcribebat calamus. Tua mihi valde probantur, maxime quæ de matrimonio. Sed affectas extemporalitatem, quæ tibi ſane felicior eſt, quam multis exactiſſima cura. Si tamen eum impetum velles moderari, magiſque ſervire judicio Lectoris, cui agitur fabula, quædam eſſent molliora. In matrimonio durior videbaris in uxores, opinor in tuam te magis comem eſſe. Et de ſcabie nimis multa. Quod tuorum libenter facis mentionem, habes cum *Cicerone* commune, & ſane pietatis eſt; ſed invidum eſt hominum ingenium, alienos laudari ferunt lubentius. Habes meum judicium, ſed de quo tibi viciſſim liberum eſt facere judicium; obſequium certe probes oportet, qui juſſeris. Per hunc reſcribes quæ voles. Bene vale. *Baſilea* pridie Aſcenſionis, ſive 29. Maji, Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCLXXII.

*Eraſmus Rot. Germano Brixio* S. D.

OFFICIVM meum tibi tantopere probari ſane majorem in modum gaudeo. Id enim non ſegnibus votis optabam, verum haud ſine metu. Bene cecidiſſe volupe eſt. Commentarium in Epiſtolam ad *Galatas* jam abſolvi; addam fragmentum *Origenis*; neque plura licebit hiſce nundinis, eo quod non parva temporis portio deciditur in abſolvendo *Hyperaſpiſta*. Obſtrinxi fidem meam, & hanc magnis convitiis efflagitant amici, non ferentes adverſariorum inſolentiſſimas inſultationes. Nonnihil etiam operæ dandum *Ambroſio*, qui nunc totus prodit emendatior. Veniet ad te *Babylas*, ſed *Græce* loquens, ut per te diſcat *Latine*. *Oecolampadius* ſatis novit *Græce*, *Romani* ſermonis rudior, quanquam ille magis peccat indiligentia quam imperitia. Quod de illo tibi narravit *Lupſetus*, per alios quoſdam audaculos factum eſt, in uno duntaxat Opere, cui titulus, *Commentarius in Matthæum imperfectus*, per hunc factum non eſſe compertiſſimum habeo. Hoc facinus per me traducetur, tacitis Auctoribus, ne ſimili fide tractent cæteros Auctores, quos multos excudunt. Iidem excuderunt *Prudentium*. Nunc adornant *Ciceronem*. Me quidem applauſorem habiturus es, non concertatorem. Ad id præſtandum in vertendis *Græcis* quod tu præſtas, etiamſi mihi non deeſſet eruditio, deeſt ocium, deſunt qui recognoſcant, qui hallucinantem admoneant. Miror in poſtremis tuis literis nullam eſſe *Laſcaris* mentionem. Si recte valet, facile ponam meam ſuſpicionem. Tantum in præſentia licuit, alias prolixius confabulabimur. Bene vale. Datum *Baſilea* poſtridie Pentecoſtes, ſive 10. Junii, Anno 1527. An. 1527.

## EPISTOLA DCCCLXXIII.

*Eraſmus Rot. Friderico Nauſea Eccleſiaſtæ* S. D.

MIHI jam pridem exciderat datus annulus, quanquam non exciderat animo, *Fridericus*. Næ tu dignus es maximis, qui ſic attollis minima, rectiſſime judicans, ſi munuſculi precium animo utriuſque metiaris. Opto ut in omnium ſanctiſſimo negotio feliciter verſeris, nuſquam oculos à *Chriſto* dimovens, ut illi ſoli tota cedat victoria. Nec enim magni refert opprimi *Lutherum*, ſi victoriam intercipiant *Phariſaici* quidam, qui gloriæ ventrique ſuo ſerviunt, non *Jeſu Chriſto*. De *Roma* diri rumores adferuntur, qui ſive veri ſunt, ſive falſi, nullam video ſpem pacis inter Monarchas. Sed *Chriſtus* omnia vertet in bonum exitum, utinam mature. Hoc ſcripſi, ne diceres nihil eſſe reſcriptum: non enim vacabat pluribus. Bene vale, *Nauſea* chariſſime. *Baſilea* poſtridie Pentecoſtes, ſive 10. Junii, Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCLXXIV.

*Eraſmus Roterod. Henrico Caduceatori à Sthaffenburgio* S. D.

SI Medicus eſſem, mihi primum eſſem, cui nunquam non res eſt cum immaniſſimo calculi malo. Quum legamus multos eruditiſſimos viros plane cæcos fuiſſe, demiror te levius incommodum tam impotenti animo ferre, quod non cernas niſi propius admota; quod vitium ſi verum eſt, comperi in pleriſque qui ingenio præcelluerunt, quanquam alii levius, alii magis obnoxii ſunt. *Alexander, Jacobi Scotorum* Regis filius, quem, opinor, noſſe te ex Adagiis, adeo laboravit hoc malo, ut ni naſo contingeret librum, nihil cerneret. Proinde ſi naturæ vitium eſt, noli pugnare pharmacis, ſed adhibe vitrea conſpicilla in hoc attemperata, ut qui pene cæci ſunt, cernant etiam procul diſſita. Nec tamen omnia congruunt omnibus oculis. Eligenda ſunt è multis, quæ conveniant. Sin caſus adduxit vitium, leniri poteſt variis remediis, quæ norunt & Chirurgi. Sed præcipuum eſt fuga eorum quæ lædunt oculos, inter quæ eſt ſtudium à cœna, & ad lucernam. Proderit aſſueviſſe, ut, quum licet, auribus ſtudeas potius quam oculis. Tantum nunc licuit ad tuas literas. Bene vale. *Baſilea* poſtridie Pentecoſtes, ſive 10. Junii, Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCLXXV.

*Eraſmus Roterod. Guilhelmo Budæo* S. D.

QVOD polliceris de *Græci* ſermonis Obſervationibus, quanquam de ſpe dimidio decidimus, tamen hoc ipſum cupide exſpectabimus. Illud te latere nolui, huc allatos Commentarios eodem argumento: mihi nondum videre contigit: *Rentinus* habet, & aſſeve-



Digitized by Google

Au. 1527. rat esse non vulgariter eruditos, nomen Auctoris suppressit, negat tamen esse *Budæum*. Vide ne quis tua scrinia compilarit: nam ea suspicio mihi protinus incidit in animum. Orta est nova quæstio, cui locum dedit libellus *Leonardi Portii*, opinor, cujusdam *Vicentini*, *De ponderibus ac mensuris*, adeo consentiens cum *Asse* tuo, ut nemo dubitet quin alteruter alterum compilarit. Quod te scribis offensum ob *Gallos* parum honorifice attactos, nihil unquam magis accidit præter omnem exspectationem meam. Ego fere ergà nationes omnes alba, quod ajunt, sum amussis: attamen si qua est in quam sim animo propensiore, *Gallia* est. Atque hoc nomine non semel male audii, tum apud nostros, tum apud *Anglos*, tum præsertim, quum vobis male conveniret cum *Julio*, patrocinantibus summo pastori *Britannis*. Lege *Panegyricum*, quo *Philippo* Principi ex *Hispaniis* reduci gratulor. Et tamen hic affectus naturæ videtur, non judicii. Nulla siquidem natio mihi fuit æque sterilis atque *Gallia*, si liberalem amicorum benevolentiam submoveas ab hac ratione. Quod præfatus in Epistolam ad *Galatas*, attingo *Gallos*, non affectatum esse docet illud, quod rem paucioribus verbis ac mollioribus propono quam fecit *Hieronymus*. Et hoc retulisse faciebat ad indicandum quid illa Epistola haberet peculiare. Deinde quod nostri ἀνοήτους verterunt, *insensati*, ego mitiore verbo reddidi. Nec prorsus exspectabam, ut ea res ullum offenderet *Gallum*, nedum te, quem à teneris unguiculis cum Philosophia versatum, oportebat ab istis vulgaribus affectibus esse liberum. Et etiamsi quid esset dictum durius in *Gallos* horum temporum, quæ natio est non aliquo notata proverbio? *Pindarus* & *Plutarchus*, proverbio de sue *Bœotica*, videntur etiam delectati, quum uterque *Bœotus* esset. Nunc annos, opinor, ferme esse mille sexcentos, quum *Galli* migrantes in *Asiam* fecere *Gallo-Graciam*: & incertum è qua *Galliarum* parte venerint. In illorum temporum *Gallos* si quid dictum est, an videbitur hoc ad universam *Galliam*, quæ tam late patet, pertinere? An non & hodie, *Normani*, *Cenomani*, *Britones*, & *Picardi* vulgo male audiunt apud vos? An putas eos, qui nunc *Romam* incolunt, esse priscorum illorum *Romanorum* posteritatem? Magis arbitror *Gottos* esse ac *Vandalos*. Tanta proluvies incursionum confudit omnia. Et quisquam hoc ad hujus seculi *Gallos* pertinere credit, quod olim dictum est in *Gallos*? Hæc si tibi non satisfaciunt, saltem illud vel injurato mihi credas velim, nihil minus in animo fuisse, quam ut *Gallicam* nationem attingerem. Cætera tu, ut voles, interpretaberis. Cæterum, hic te serio stomachari majorem in modum admiratus sum. Ut alibi sim *Iron* ac *Momus*, hic saltem non fui. Quod commemoras tua in me officia, præsertim ea quibus conabaris nos hinc evellere, ego te quæ plurima fando

*Enumerare vales nunquam*, Budæe, *negabo*
*Promeritum*, *nec me meminisse pigebit amici.*

Cæterum, mihi nunquam fuit in animo commigrare in *Galliam*: si fuisset, accepissem conditiones, quas præsenti præsens obtulit non semel *Stephanus Poncherius*, mihi commodiores quam si Rex dedisset thesaurarii munus, quam provinciam an tibi depopoposceris nescio. Certe de Regis animo fueram edoctus, priusquam verbum ad me scriberes. Quem ἀκκισμὸν mihi narras nescio. Si quis fuit, nulli fuit detrimento. Nec obscure tamen indicavi animum meum, sed mihi non credebatur. Et vertere solum, non erat in rem meam, sollicitari per tantum Regem erat honorificum. Postremo, nolim *Budæi* opera in ejusmodi negotiis humilioribus abuti, quantumvis ista vulgo splendida videntur. Non sum tam levis, ut ob quorumlibet sermones animum mutem erga tales amicos; novi quanta sit aliorum futilitas, aliorum invidentia, qui nullos bene concordes ferre possunt. Unus est, quem si nominem, ipse fateberis esse candidum ac sincerum. Is audivit te in convivio aulico, multis audientibus, dedisse significationem nonnullam stomachi in me tui.

A Desiderabas in me constantem in amicitiis tuendis animum. Verum ea vox non erat inimici, sed amici expostulantis. Quanquam hoc laudis, si qua laus est, mihi videor jure vindicaturus, quod vix alius, amicitiæ semel initæ, tenacius adhæret, quæ res mihi sæpenumero luculentæ fraudi fuit. Ænigma de *Philalazonia* non satis intelligo, nisi quod suspicor aliquem libellum ab *Italia* venisse præconem militis glorioši. Ad nos nihil istiusmodi perlatum est. Allatus est tamen libellus *Nazarii* cujusdam *Neapolitani*, mire ornatus testimonio duorum Pontificum, sed multo magis *Ægidii* Cardinalis *Viterbiensis*. Illic agnovi phrasim *Philalazonos*. *Georgius Sauromanus*, juvenis egregia B indole, parabat excudere nescio quid scripti. *Albertus Carpensis*, nam is ejus sodalitatis princeps, expunxit quicquid erat additum in laudem *Erasmi*. Non hoc imputo *Alberto*, sed illi, qui nec Deum, nec hominem quenquam laudari patitur præter seipsum: nam hunc *Albertus*, ut audio, facit plurimi. De *Longolio* miror si potuit ab amicitia tua discedere. Sed ille satis magnam laudem tulit, periit *Ciceronianus*. Et tamen illius *Ciceroniani* lucubrationes pauciſſimi legunt; nostras nænias *Batavas* nemo non legit. Quod scripsi περὶ τῆς ἐξαλείψεως, communium studiorum causa potissimum scripsi, quod ut pergratum erit si feceris, ita si quid obstiterit quo minus fiat, me amico prætermittes. C Hæc ægre in summo dentium cruciatu. Bene vale. *Basilea* 22. Junii, Anno 1527.

Au. 1527.

## EPISTOLA DCCCLXXVI.

### Vives Erasmo.

ALIQUANDO *tandem literarum aliquid abs te; quæ ut exspectatissima ac desideratissima, sic etiam gratissima fuerunt; & hoc gratiores multo, quam admonitio illa, imo verius scribendi institutio, geminam mihi ob oculos personam posuerit, præceptoris eruditione, patris affectu. De* Colloquiis *recte habet, mihi plane jam pridem satisfactum abunde est, vel ipso facto tuo, quod* D *mihi & aliis plurimis majoris erit momenti ac roboris, quam multa aliorum & accurata rationes. Illudque à primo valere apud me debere existimavi, quod* Pompejo *scribit* M. Tullius: Nec si ego quid tu sis secutus, non perspicio, idcirco minus existimo te nihil nisi summa ratione fecisse. Ἀλλὰ τί μοι τῷ Λατόμῳ, *aut quorsum de illo? Liberum arbitrium non perdidimus, quod tu asseueris: non facile credas, quantopere sentio adjuvari me admonitionibus tuis, quantamque de eis ipsis tibi gratiam habeam; & etiam atque etiam te rogo, ut ita pergas facere, cum quid aliud meum videris: nihil ego beatius esse censeo, sive in hoc scriptionum genere, sive in reliqua universa vita, quam admonitorem aliquem habere amicum & prudentem;* E *utinam esses frequentior. Sed ut consilii mei rationes & causas cognoscas, scito fessum me ab* Augustino *venisse ad Opus illud conscribendum, cum omnino statuissem aliquid Regina mittere: itaque non vacavit stylum expolire, si modo expolire potuissem, quantumlibet essem conatus. Tum rationem habui quibus scribebam, nempe fœminis, & potissimum cui dicabam; ita enim demisi me, ut illa me intelligeret, cui Opus concinnabam; & cui me studebam approbari. Sed vere illud dicit* Horatius *ac scite*, Tres mihi convivæ: *ita nulla est phrasis nec bona adeo, quæ non alicui displiceat; nec mala, quæ non placeat: permulti ita censuerunt probare se vehementer in eo Opere simplicitatem dictionis,* F *& inaffectationem; nam sic loquebantur: verum ego, neque enim aliter fas est, malim me* Erasmo *approbari ut athletam* Herculis, *quam universo consessui spectantium. Itaque parebo posthac consilio tuo. Mitto ad te libellum quendam meum, in quo insunt nonnulla magis aliquanto à cura scripta; & de hoc sententiam ad me tuam perscribes, cum vacabit, cum licebit: oportet me semel verecundiæ terminos transgressum, bene ac suaviter esse impudentem. Fœminas ais à me durius tractatas: hoc tu dicis, homo qui nobis* Hieronymum *restitueris? quid mu-*

Digitized by Google

An. 1527. *mulsere effrenius? Si paulum modo habenas remittas, ibi vero multus erit modus, aut moderatio. Sed patrocinabitur eadem oratione* Cato *& mihi, & Legi* Oppiæ. *Neque vero illa sunt mihi vel exempli causa, vel rei augendæ dicta. Sed quod eum ad modum existimem illis vivendum; & indubie facient, si duarum rerum meminerint,* Christianas *esse se, ac eundem hominem unamquamque ipsarum, & suum maritum esse. De scabie quanto* Hieronymus *plura, & apertiora? si modo qua de scabie loquaris, intelligo; nam non satis assequor, uti nec illud* περὶ ἀμφιβίου ζώου. *Meorum libenter facio mentionem: quotusquisque non facit? An non* Seneca? *non* Quintilianus? *non* Cæcilius? Tacitus *etiam soceri vitæ justum volumen dicavit. Ter omnino, ut arbitror, meorum memini, bis matris, semel socrus. Sed nec socrum dico esse, neque tum adhuc erat: in hac veritate sum adductus, & mea sententia digna historia, non minus quam permulta, quæ ab aliis memoriæ sunt tradita: in matre excusat pietas; & id feci modice, veritus invidiam; & non ignarus hominum fere ingenia libentius maledicentiam audire, quam laudes. Communionem illam cum* Cicerone *risi suaviter: protinus venit mihi in mentem illa quoque apud* Martialem,

Quod scribo carmen Musis & Apolline nullo.

*Itaque habeo duas. Hactenus ad tuam epistolam. Jam de actis* Hispaniæ *in rebus tuis. Misi ad te nuper, quæ mihi erant illinc ab* Alphonso Vervèsio *scripta: credo esse tibi reddita; nam data fuerunt* Erasmo Esqueto, *qui solet ad te alia, sicuti audio, permulta transmittere: quæ, si non accepisti, longa esset retexenda fabula? Summa tamen hæc erat, delatum esse nomen tuum à mendicantibus ad summum Quæstorem, Archiepiscopum* Hispalensem, *itum esse in consilium & disquisitionem in Quadragesima: ibi nihil esse aliud actum, quam audita contra te fratrum crimina: pro te vero Orationes duorum* Benedictinorum, *& fratris* Dionysii Augustiniani, & *mediam quandam* Castelli *cujusdam* Minoritæ. *Itaque ampliatum esse te in diem postridie Ascensionis Domini. Huic consilio erant designati ex universa* Hispania *selecti doctissimus quisque, & minimum corruptus affectu: inter eos,* Vervesius *homo γνησίως Ἐρασμικός. Puto* Coronellum, Lermam, Dionysium *non defuturos studiosissimos tui, hoc est, veræ pietatis, atque eruditionis. Aderunt etiam Episcopi, quos eo mittet Cæsar. Hæc tibi fusissime exposui. Postea accepi literas à* Vergara, Scepero, *&* Vervesio: *quæ in illorum literis ad te pertinent, ea curavi tibi in hac epistola describi.* Sceperus *hæc: Hic magno animo Monachi bellum adversus* Erasmum *susceperc. Id moliuntur, in id vigilant, ut omnium* Erasmi *librorum lectio* Hispanis *interdicatur. Obstamus interea studiosi aliquot, qui Cancellarium precibus fatigamus, ut doctissimi & optimi viri patrocinium suscipiat: & facit id sane, sed aliorum id munus est. Præest inquisitioni (ita vocant) reverendissimus D.* Hispalensis, *vir sane bonus, & qui horum impetum aliquandiu compressit; sed satisfacere omnibus nequit, & mira est illorum rabies. Jam aliquot diebus publicè quoque legi in cœnobiis desitum est, ut in* Erasmum *singuli quid excuderent. Prolati sunt aliquot articuli, quos illi hæreticos & schismaticos vocant. Tuetur* Ludovicus Coronellus, *adest* Canariensis *Episcopus, & alii aliquot. Nos interea dolemus, opem quod ferre afflictis rebus minime queamus: nam confestim magnum audentibus periculum immineret. Sed quid ego hoc apud te hominem* Hispanum, *qui hanc tyrannidem satis cognitam habes? Nolo ergo ad te longior esse; nam abunde tibi omnia narrabit D.* Ludovicus Pratensis. Vergara *vero est recentior, nempe ex ante diem pridie Idus Aprilis cum* Sceperi *literæ datæ sint mense Februario. Is ergo ad hunc modum: In* Erasmum *conspirarunt nuper Monachi nostri, non omnes quidem, sed plerique. Quo enim quisque istorum ordo longius abest à mendicitate, hoc minus illi est iniquus. Res ad magistratus relata est, atque hactenus quidem summo cum* Erasmi *favore procedit. Princeps meus hominem sibi penitus tuendum suscepit. Favet illi etiam Cæsar apertissime. Favent magistratus ipsi, favent denique boni omnes. Adversarii quoniam vident nihil sibi hac contentione nisi commune odium quæri, paulatim jam frigere incipiunt, libenterque, quantum existimo quod cum bona omnium pace fieri liceret, factum mutarent.* Vervesius *incluso fasciculo meo hasce omnes literas, quas ad te transmittam, ut intelligas non eum esse, qui tibi in suspicionem venire debeat, tanquam non satis bona fide tibi faveat, aut causam tuam prævaricabundus susceperit, de quo narrant mihi omnes qui ex* Hispania *veniunt atrocissimas simultates susceptas illi esse cum fratribus tua causa: nec ullum simplicius, aut sincerius, doctrinam tuam vel amplecti, vel tueri: & est alioqui concionator, uti ajunt, primi nominis, mira gravitate morum, & vita inculpatissima, homo dignissimus; quem propius cognoscere & amare velis, & referre, sicut amicus noster solet dicere, in Calendarium amicorum tuorum, illorum, inquam, selectissimorum, ac præcipua nota; & quidem loco honestissimo: adducitur ad venerationem tui, & ad te defendendum ornandumque, quantum pro virili potest; non alia utilitate aut ratione, quam quod doctrinam tuam censet derivatam ex vero ac puro fonte* Christianæ *pietatis. Noli, quæso te, spernere tales patronos optimæ illius causæ, quam suscepisti. Recentissimæ sunt* Alvari *literæ negotiatoris illius, qui tibi pensiones tuas ex* Anglia *solebat mittere: is nunc duxit uxorem* Burgis Hispaniæ; *scribit pronunciatum iri ante quindecim dies, ut est hominum opinio ac spes, pro te ἡ κατὰ τῶν ἀδελφῶν· & eos, qui doctrinæ tuæ favent, postulasse à Quæsitore, ut in* Thomæ *ac* Scoti *Opera inquiratur: velle se horum placita ad examen revocare, sit ne aliquid contrarium vel mysticis Literis, vel veteribus nostræ religionis Scriptoribus: postulant de eo sibi jus dici, & ut hæresin damnari; quæ hac de re accipiam ab aliis certiùs atque explicatius, faciam te certiorem. Simul misit mihi* Alvarus Hispanam *epistolam* Vervesii *ad Minoritam quendam magnæ in* Hispania *auctoritatis ac nominis: ea epistola circumfertur per* Hispaniam, *& legitur cum maxima omnium approbatione; est elegantissimè scripta nostra lingua: eam ego in* Latinam *converti, tantum intelligi ut abs te possit. Vale plurimum, mi præceptor & pater.* Brugis *Festo* Margaretæ, *sive* 13. *Julii, Anno à* Christo *nato* 1527. An. 1527.

## EPISTOLA DCCCLXXVII.

*Serenissimo Principi Ferdinando, Pannoniæ Bohemiæque Regi, &c. Erasmus Roterodamus* S. D.

SI Principis sic de me meriti, sic in me affecti, successibus non toto pectore gratularer, *Ferdinande* Rex inclyte, merito dicar homo hominum ingratissimus: rursus si illius prosperitas mihi non esset vehementer jucunda, à cujus felicitate magna ex parte pendet totius rei *Christianæ* felicitas, plus quam impius haberi debeam. Quanquam enim omnis humana felicitas ab auctore Deo proficiscitur, tamen plerunque per bonos Principes recreat, sublevatque populum suum propitius, per malos affligit offensus. Hic igitur nihil promereor laudis, si facio quod non feciſse summum scelus sit. Hoc mihi dolet, quod Celsitudini tuæ quid ultra vota propensamque animi voluntatem præstare queam, non videam, nimirum hac ætate atque hac etiam valetudine, quæ per se onus esset intolerabile, etiamsi senectutis incommodum non accederet. Certe quicquid his ingenii viriumque reliquiis præstari poterit, id constanter ad extremum usque vitæ diem præstaturus sum, opitulante Deo, qui pro sua bonitate, & sine nobis, Majestatis tuæ res actionesque in *Christiana* ditionis commodum & Ecclesiæ concordiam prosperare dignabitur, id quod nos votis ardentissimis optare non desinimus. Pro favore, quem per literas amantissime scriptas defers, quanquam tu quidem hic nihil facis novi, gratiam habeo maximam. *Basilea* 16. Julii, Anno 1527.

EPI-

Digitized by Google

## EPISTOLA DCCCLXXVIII.

### IN AMBROSIVM.

*Def. Eraſmus Roterodamus Joanni à Laſco, Archiepiſcopo Gneſnenſi*, S. D.

An. 1527. PRISCI mortales, ornatiſſime Præſul, quod æternum cunctiſque venerandum eſſe volebant, numini cuipiam dedicabant, ut vel religio petulantiam hominum deterreret ab injuria. Exemplum hoc à lucis ac templis paulatim demigravit ad ſtudia, ut ſi quid novi operis pararetur editioni, celebri cuipiam gratioſoque nomini conſecraretur. Id tot jam ſeculis adeo receptum eſt, ut adverſus rationis exactores, vel ſola ſufficiat præſcriptio. Illud tamen ineptum videri poteſt, quod quidam aliena dicant viris primatibus, nec aliena modo, verum etiam ea, quibus ipſorum opera nihil prorſus acceſſit, niſi forte quod eadem depravatiora reddiderunt. Alioqui quum nunc novorum librorum γάργαρα, ut habet vetus Comœdia, pene nos obruant, mihi præclarius eſſe facinus videtur, veterum Auctorum monumenta, temporum injuria ſcribarumque temeritate collapſa, reſtituere, quam nova cudere volumina; præſertim quum quod ſua ætate vere dixit *Eccleſiaſtes*, *nihil eſſe novum ſub ſole, & ſcribendi plures libros nullum eſſe finem*, in hoc ſeculum multo verius dici poſſit: Inter priſcos autem Eccleſiæ doctores *Latinos*, vix alium arbitror eſſe digniorem, cujus exſtent integræ lucubrationes, quam divum *Ambroſium*. Hoc & ex animo dictum videri velim, & citra cujuſquam contumeliam. Sit linguarum ac ſcripturarum peritior *Hieronymus*, ſit elaboratioris phraſeos *Hilarius*, ſit in quæſtionum nodis explicandis argutior *Auguſtinus*, aliis item dotibus excelluerint alii, ſed quem mihi dabis, qui pari ſinceritate tractet ſacras Literas, qui cautius vitarit ſuſpecta dogmata, qui ſic ubique gerat *Chriſtianum* Epiſcopum, qui ſic ſpiret paterna viſcera, qui ſummam Præſulis auctoritatem cum ſumma manſuetudine conjunxerit? Ubique ſentias illum hoc affici quod loquitur, & adeſt dictioni modeſta quædam ac pia jucunditas, grataque civilitas. Eſt quem non omnino ſine cauſa *Doctorem mellifluum* vocant. At hic, juxta nomen ſuum, vere cœleſti manat *Ambroſia*, dignus qui ſit quod dicitur *Ambroſius*, hoc eſt, immortalis, non ſolum apud *Chriſtum*, verum etiam apud homines. Quantum autem ſudoris exhauſtum ſit in hoc reſtituendo, dum collatione veterum codicum emendantur depravata, reſtituuntur amputata, reſecantur aſſuta, reponuntur *Græca*, quæ vel aberant prorſus, vel figuris nihil ſignificantibus fuerant addita, tuæ prudentiæ fuerit æſtimare. Ut autem tam inſignem Eccleſiæ doctorem tui nominis auſpicio potiſſimum veluti renatum in lucem prodire vellem, cum primis in cauſa fuit *Joannes à Laſco*, te patruum non minus morum ornamentis quam nomine referens: nam juvenis ſenem ſic exprimit, ut in eo veluti renatus videri queas. Is tui ſimulachrum quoties mihi depingebat oratione, toties agnoſcebam in narrante imaginis expreſſæ antitypon. Adeo dum patruum depingit, ſeipſum depingebat imprudens. Hunc mihi convictorem pauculos licet menſes contigiſſe, non in poſtrema felicitatis parte pono. Utinam mihi liceret per adulationis invidiam prædicare Dei dotes, quas in illo & amavi, & veneratus ſum. Illud non poſſum non fateri, ſenex juvenis convictu factus ſum melior, ac ſobrietatem, temperantiam, verecundiam, linguæ moderationem, modeſtiam, pudicitiam, integritatem, quam juvenis à ſene diſcere debuerat, à juvene ſenex didici. O gentem pietati natam! Nec alio nomine mihi videtur felicior *Polonia*, quam quod talem Regem, talem ſortita ſit Archiepiſcopum, quorum inſignis pietas pari ſtudio certat hos fatales bellorum & opinionum tumultus componere, prolapſoſque *Chriſtiani* populi mores inſtaurare. Quumque eo proceſſerit tua veneranda ſenectus, ut merito poſſit à negotiis impetrare dimiſſionem, tamen ad Eccleſiæ patriæque commoda procuranda juvenis es. Hic igitur veteris Proverbii venit in mentem, ὡς φίλει τ' ὅμοιον ἄγει θεὸς ὡς τ' ὅμοιον. Itaque viſum eſt pulchre congruere ut proficiſceretur *Ambroſius* Præſul ad Præſulem, claris natalibus inſignis ad nobiliſſimum, pius ad pietatis antiſtitem, eruditus ad eruditionis eximium patronum, virgo & virginitatis præco facundiſſimus ad omnis pudicitiæ exemplar incomparabile, denique pacificator ad Epiſcopum pacis ac tranquillitatis publicæ ſtudioſiſſimum, cui rei dicas *Ambroſium* divinitus fuiſſe datum. Hoc agebat illa facunda lingua quum *Liguriæ* conſularem ageret Præſidem, ſedabat tumultus, ſarciebat concordiam non minus accurate quam dextre ac feliciter; nec id ſolum in his regionibus, ubi fungebatur magiſtratu, verum etiam quoties res apud alios ſpectabant ad ſeditionem, *Ambroſius* veluti peritus ac felix nauclerus ad ſedandam tempeſtatem accerſebatur. Ac, ne multa commemorans, plus æquo præfationem extendam, Quum exſtincto *Auxentio*, qui foverat *Arianos*, *Mediolani* per Epiſcopos ageretur de Præſule ſubrogando, tantaque ſtudiorum variantium contentione flagrarent comitia, dum pars *Arianæ* factionis, pars orthodoxorum flagitat Epiſcopum, ut res ad extremos tumultus tendere videretur, *Theodoſius*, Cæſarum piiſſimus, eo legat *Ambroſium*, ut rerum exitiales motus componeret. Is dum pro delegato munere templum ingreſſus, ſingulari facundia ſuadet concordiam, ſubito cuncta populi modo diſſidentis ſtudia in unum converſa ſunt, jamque junctis vocibus ſuffragiiſque concordibus, *Ambroſium* Epiſcopum flagitant. Multa cauſatur ille, ſe prophanæ functionis hominem eſſe, ſacrarum rerum imperitum, nondum ſacro lavacro renatum, quum *Paulus* vetet etiam neophytum ad Eccleſiæ gubernacula admoveri. Sed hic fruſtra facundus erat. Quo vehementius ille detrectat, hoc magis accenduntur populi ſtudia. Quid multis? Imperator perſpiciens divinitus geri negotium, populi conſtantem approbat voluntatem. *Ambroſius*, fruſtra reluctans, pro Præſide conſulari ſit Præſul infulatus, pro faſcibus ſumit pedum, ante præfectus gregi Dominico, quam in gregem Dominicum cooptatus: exitiabile diſſidium exſtinguitur, & Eccleſiæ ſua redditur concordia. Sed quod *Inſubrium* uni gratulamur Eccleſiæ, hoc jamdudum optamus Eccleſiæ Catholicæ, videlicet ut exoriatur aliquis *Ambroſio* ſimilis, qui paribus auſpiciis hunc miſerandum orbis tumultum, quo nulla ætas vidit quicquam pernicioſius, redigat in tranquillitatem. Saltem talis quiſpiam nobis exoriatur ex Pontificum, Theologorum, aut Monachorum ordine, qualis tunc prodiit *Ambroſius* è claſſe catechumenorum, éque prophano magiſtratu. Magnum pondus habet morum integritas, magnam habet auctoritatem conjuncta manſuetudine conſtantia, denique plurimum valet eloquentiæ copulata prudentia. Sed hoc malum non ſimplex, hæc lues, quæ non ſolum Eccleſiam tot opinionibus diſcidit, verum etiam Principum animos implacabili diſſidio committit, hominem requirit datum cœlitus, cujus auctoritatem revereatur populus, cujus conſtantiæ cedat & Principum ſublimitas. Nulla ex victoria armis parta plus laudis tulit *Theodoſius*, quam quod ab *Ambroſio* ſe vinci paſſus eſt. *Babyla* parum feliciter ceſſit, quod Imperatorem, impia cæde funeſtatum, templo prohibuit; imo feliciter ceſſit ipſi, qui Præſulis auctoritatem ſua morte confirmavit. At *Ambroſio* ceſſit felicius, qui ſumma conſtantia ſuam tuens auctoritatem ipſum etiam Cæſarem *Chriſto* lucrifecit, ac pulcherrimum exemplum omnibus Monarchis edidit, quanta ſit Epiſcoporum dignitas, ſi modo vere ſint quod audiunt. Nec dubito, quin tales ſimus habituri Principes aliquot, qualis fuit *Theodoſius*, ſi tales haberemus Epiſcopos, qualis erat *Ambroſius*; & haberemus, opinor, niſi populi mores alienarent benigni Numinis favorem. Quoque magis liqueat quod dicimus, primum rem, deinde perſonas expendamus. *Theſſalonica* qui-

An. 1527.

An. 1527. quidam è comitatu Cæsaris, per populi tumultum fuerat interfectus: Cæsar, ira dissimulata, plebem ad ludos *Circenses* evocat; ibi repente circumfusa militibus inermi multitudine, promiscue sævitum est in noxios juxta & innoxios, pœnaque non meritis est data, sed furori. Id factum hodie justum videri posset. Quoties enim in bello trucidantur, quibus, ex pacto deditionis, erat promissa incolumitas? Quoties oppido capto, sævitur propemodum atrocius in immerentes, quam in nocentes? & sævitiam excusat odium criminis. Hæc de re. Jam mihi cogita *Ambrosium* unius civitatis Episcopum, quæ tum, ut opinor, minus erat ampla, minusque frequens, quam nunc est, nullis aliis armatum præsidiis, quam quæ decent Episcopum, lingua, precibus, & vitæ sanctimonia: ex adverso considera Cæsarum illius temporis potentiam, cui si conferas horum temporum ditionem, eam duntaxat, quam Cæsaris titulus addit electis, (nam *Carolus* & sine Cæsaris titulo Principum maximus est) rem vix seriam esse dicas: & tamen talis Episcopus talem Cæsarem, ob præcipitatum vindictæ jus, ab ecclesiæ foribus submovit, exprobrans crudelitatis immanitatem, docensque illum à consortio *Christiani* gregis alienum esse. Reversus est in regiam Cæsar, agnoscens æquissimum esse, ut *Christi* legibus cedat humanæ potentiæ fastigium. Ibi post sex menses, mœrore lachrymisque transactos, per *Ruffinum* aulæ præfectum agit, ut anathematis vinculo solveretur, quo saltem feriis natalitiis, nam instabant, liceret interesse. Nihil agit *Ruffinus*, ipse Cæsar impatiens non iræ, sed mœroris, adit *Ambrosium*, non in templum, ne iterum repelleretur, sed in locum, quem *Græci* domum salutatoriam appellant: nam ibi forte tum sedebat Episcopus omnibus expositus, si quis quid vellet consulere. Patienter fert objurgantem, nec prius absolvitur, quam, præter solennem pœnitentibus satisfactionem, etiam legem adversus edictorum Imperialium sævitiam polliceretur. Illico prodita lex, ut si qui per edictum Cæsaris juberentur occidi, in triceſimum usque diem proferretur exsecutio, quo spacium esset cognoscendi, locusque daretur vel *Christiana* clementiæ, vel necessariæ severitati: mox posito Regis diademate, Cæsaris personam exsuit, pœnitentis susceptit, humi prostratus, ac lachrymis ubertim effusis rigans solùm, supplici voce precatus est Domini misericordiam. Cui hæc non viderentur in Cæsare plusquam-satis? Sed mane dum audituruś, quod & invictam Episcopi constantiam, & Cæsaris non fucatam pietatem magis illustret. Quum ex more munus detulisset ad altare, rediens constitit intra cancellos. Id videns *Ambrosius*, per diaconum percunctatur, cur ibi moraretur. Respondenti, Ut videam peragi mysteria, rursum misso diacono renunciavit, ut agnosceret suum locum, nam eum, in quo consisteret, esse sacerdotibus designatum. *Purpura*, inquit, *Imperatorem facit, sacerdotem nequaquam.* Quid exspectas? ut Cæsaris victa lenitas tandem excandescat? Nequaquam, verum excusat se quod non in contemtum loci restiterit illic, sed quod quoniam *Constantinopoli* reperisset hunc morem, ut Cæsar intra cancellos videret peragi mysteria, credidisset idem esse receptum *Mediolani*. His placide dictis, abiit in locum præscriptum. Nec eo contentus, ubi reversus est *Constantinopolim*, etiam quum invitaretur ut intra cancellos ex more consisteret, dum peraguntur mysteria, negavit se facturum, addens, se neminem nosse, qui vere sciret Episcopum gerere præter unum *Ambrosium*. O nostri seculi prolapsos mores! Si nunc dignetur Princeps quilibet templum adire, exstruitur illi tabernaculum altari sublimius: & intra cancellos non modo consistunt Proceres aulæ, verum etiam sordidi negotiatores, quos *Cicero* vix recipit inter honestos cives; decanos & ecclesiæ primores è sellis suis deturbant. Quanto minus fastus addebat *Theodosio* sceptrum ac diadema, quam istis addit, sordido quæstu, nec semper justo, pauxillum partum pecuniæ? Simili constantia restitit *Justinæ Augustæ*, minitanti ut aut *Arianos* reciperet, aut iret in exsilium. Ille vero nihil pavefactus, *Non prodam*, inquit, *lupis gregem mihi commissum.* Hic occide si libet. Sed nemo potest *Ambrosium* agere, nisi qui pro pietate mori paratus est. Imo difficillimum est cuiquam vere sacerdotem agere, qui libenter aliud est quam sacerdos. Onera sunt verius quam ornamenta, quæ libertatem adimunt cum dignitate; fitque nonnunquam, ut dum utrunque volunt esse, nec Principes sint, nec sacerdotes. Sed desino, ne Vitæ *Ambrosianæ* videar historiam texere. In hoc diverticulum me deduxit horum temporum miseranda calamitas. Nunc ad institutum revertimur. Quemadmodum singularis quædam hujus viri integritas, cum summa constantia parique mansuetudine conjuncta, fecit, ut nec regali fastigio cederet, nec malorum improbitati succumberet, gratus autem esset ac venerandus etiam alienis, ac parum amicis; ita nullius unquam scripta latius inclaruerunt, aut minus obnoxia fuerunt invidiæ quam hujus. Quibusdam sero contigit sua gloria, nonnullis diu luctamen fuit cum æmulis, complurium labores penitus interciderunt. Ne quid horum accideret *Ambrosio*, causam ego præcipuam arbitror, perpetuam quandam in scriptis omnibus moderationem, quæ nec in redarguendis hominum vitiis oblivisci tur *Christianæ* mansuetudinis, (dicas eum dolere, non irasci) nec usquam excurrit in levitatis aut ostentationis speciem, ut ubique pectus vere *Romanum*, imo *Christianum* agnoscas. Erant qui *Cyprianum* verterent in *Caprianum*; *Origenes* ne mortuus quidem hydram invidiæ potuit effugere; *Hieronymo*, ad extremum usque vitæ diem, amarulenta cum æmulis rixa fuit; *Tertullianus* bis perierat, primum depravatione, deinde situ, nisi nuper *Beatus Rhenanus* eum luci reddidisset. Idem evenerat propemodum *Irenæo* tam indigno qui periret. *Ambrosius* à nemine non honorifice citatur, etiam ab hæreticis: tanta erat nominis auctoritas vivo, quæ vix aliis à rogo contigit. Alius fortasse disertius laudavit Virginitatem, sed hujus mellita facundia virgines ex ultimis mundi regionibus, hoc est, è *Mauritania Mediolanum* pellexit, ambientes illic sacro velo decorari. Alius fortasse vehementius disputavit, sed hic grandem illum cetum in ecclesiæ sagenam pertraxit, *Augustinum*. Unus *Hieronymus*, quanquam illum aliquot locis multa cum honoris præfatione citat, tamen alicubi minus candide de libris ejus sentire videtur. Siquidem in Præfatione in *Didymi* librum *De Spiritu sancto* ab ipso versum, taxat libellos cujusdam *De Spiritu*, ex *Græco* bonis *Latinos* non bonos; in quibus nulla vis sit argumentorum, sed tantum orationis facies exquisitis hinc inde coloribus pigmentata. Rursus, in Præfatione, qua præfatur in Homilias in *Lucam*, recitante *Ruffino*, (nam Opus hoc intercidit) taxat illum in Commentariis in *Lucam*, ut verbis ludentem, sententiis dormitantem, denique *Græcorum* plumis sese venditantem. Verum sive hoc vere scripsit in *Ambrosium*, ut inimicus hoc exprobrat *Ruffinus*, sive in alium, certe à nomine temperavit, quod ipsum venerandæ cujusdam auctoritatis est argumentum. In *Catalogo Scriptorum*, nec laudat eum, nec vituperat; *Ne in alterutram*, inquit, *partem aut adulatio in me reprehendatur, aut veritas.* Ac ne lucubrationes quidem illius recenset, quod tamen in aliis solet. Ex quo divinare licet *Hieronymo* quædam in *Ambrosii* libris displicuisse, quæ ob singularem hominis auctoritatem supprimere maluerit quam evulgare. Nec ea res quicquam officit gloriæ sacri doctoris. Nam & *Hieronymus* erat homo, & nihil est humanum ex omni parte beatum, nec eadem placent omnibus. Illud confitendum, at non improbandum, quod pleraque, quæ scripsit *Ambrosius*, hausit è *Græcorum* Commentariis, præsertim *Origenis*; sed ita, ut quod sanum esset excerperet, quod à sinceritate doctrinæ catholicæ alienum, aut contentiosum, dissimu-

Am. 1527. simularet, nec errorem proferens, nec auctorem prodens, quorum alterum non erat tutum, alterum invidiosum. Quod in illo comprobat etiam divus *Hieronymus* Epistola ad *Pammachium* & *Oceanum*: *Nuper*, inquiens, *sanctus Ambrosius sic Hexameron illius compilavit, ut magis Hippolyti sententias Basilique sequeretur.* Rursus ad *Pammachium* & *Marcellam*: *Habuit*, inquit, *Ambrosium, cujus pene omnes libri Origenis sermonibus pleni sunt.* Nec *Ciceroni* quisquam vitio vertit, quod in philosophicis argumentis *Græcos* sequeretur, non ut interpres, sed ut imitator. Nec erat corniculæ furtum, quod *Græcorum* nomina, quæ pleraque tum apud *Latinos* magna laborabant dogmatum improbatorum invidia, pressit, sed cauti pastoris omnem offendiculi dissidiique materiam excludentis. Porro, dicendi character nec flaccidus est, nec humilis, quo nomine taxare videtur libellos *De Spiritu Sancto Hieronymus*, excusante *Augustino*, quod rem licet grandem, tamen subtilem docenti, non laudanti conveniret oratio demissior: sed habet interim suos aculeos, ubi res postulat, propius tamen accedens ad argutam jucunditatem, quam ad δείνωσιν illam & affectus pene tragicos, in quos interdum exardescit *Hieronymus* & *Hilarius*. Ac plerunque totus fere sermo ex variis sententiarum generibus, velut ex tessellis, contextus est, quo dicendi genere supra modum delectatus videtur *Seneca*. Hoc non minus creber est *Ambrosius*, sed tamen mollior, ut frustra reclamante *Fabio*, qui vult orationem esse veluti luminibus distinctam, non velut emblematibus compactam, frequenter & divisionem, & argumentum, & transitum, & conclusionem sive clausulam argumentationis per sententiam efferat. Interdum totus apparatus collectionis, hoc est, propositio, assumtio, ratio, confirmatio, expolitio meris constat sententiis. Passim acuuntur epiphonemata, vixque alius crebrius aut frequentius utitur sententiarum genere, quas appellant κύμασι, in quibus latet aliquid arguti sensus, quod quum non exprimatur, intelligitur, ob hoc ipsum gratius, quia dictum obscurius. Porro, densitatis satietatem ac tædium excludit varietas, tam felix, ut naturæ rem esse dicas, non affectationis, quod hoc dicendi genus à puero imbiberat. Nonnunquam eandem sententiam aliter atque aliter variatam repetens, velut infigit animis, quod elabi non vult. Interim plurimum addit jucunditatis, illa paucis verbis modulata brevitas. Nusquam enim sermo longis ambagibus vix tandem absolvens periodum, obscuritate molestus est, quod in *Augustini* scriptis offendit *Hieronymum*; sed commatibus & colis, concentu nonnunquam, numero plerunque jucundus, tinnulus, & compositus incedit. Horum omnium non pigeret ex ipsius libris exempla proferre, nisi non solum perlongum videretur, verum etiam hic intempestivum. *Augustinus* in libris *De doctrina Christiana* quædam hujus generis commonstravit. In summa, hæc rhetorices imperitis frustra dicerentur, peritis in proclivi fuerit animadvertere, præsertim si legant hujus libros *De Virginibus & Viduis*: nam hic velut in argumento plausibili magis expromit, ne dicam ostentat, dictionis ornamenta. Igitur *Ambrosium* si minus omni ex parte restitutum, certe multo minus depravatum dedimus. Superest ut huic conatui faveat *Roma*, quæ genuit *Ambrosium*, faveat *Liguria*, quæ Præsidem meruit; faveat *Insubria*, quæ Præsulem adscivit, denique faveat quacunque patet orbis *Christianus*, insigni *Christiana* pietatis doctori. Vixit *Insubribus*, sed scripsit omnibus. Proinde hoc quicquid est studii nostri, Præsulum sanctissime, si tua celsitudo comiter approbarit, alios, qui plus quam ego præstare valent, ad similem industriam exstimulabit. Bene vale. Datum *Basileæ* 13. Augusti, Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCLXXIX.

*Erasmus Rot. Margaretæ Reginæ Navarræ* S. D.

Am. 1527. OBTVNDOR quorundam objurgationibus verius quam exhortationibus, Regina pietate morum quam generis stemmatibus ac diademate clarior, quod homo plusquam obrutus negotiis, non appellem meis literis Majestatem tuam, præsertim quum nulla scribendi detur occasio, nec arbitror tibi per occupationes dari otium, ut legas supervacaneas epistolas. Nam ad epistolam, quam eorundem impulsu pridem misi, præter unam salutationem nullam omnino responsum accepi. Narrant te nuper scripsisse per quendam *Polonum*, quem in itinere mors intercepit: quod an verum sit nescio. Optarim rerum prosperitatem quorundam pietati respondere: sed novit ille, qui moderatur omnia in bonum eorum quos diligit, quid expediat nobis, & quum illi visum fuerit, omnia repente vertet in lætum exitum: quumque maxime desperabit humanum consilium, tum maxime sese aperiet inscrutabilis Dei sapientia. In quo qui fixerit ex animo spei suæ ancoram, huic nihil accidere potest quod non sit vere prosperum. Hæc igitur Deo committamus oportet. Tibi vero magis convenit gratias agere quam exhortationis admovere stimulos, ut quod facis, bonas literas, ac viros sincere *Christum* amantes, adversus quorundam malitiosam improbitatem tueri pergas, qui jam nunc profecto plurimum debent & vere *Christianissimo* Regi fratri tuo, & religiosissimæ pariter & prudentissimæ dominæ hujus matri. Quibus omnibus precor multam à Domino *Jesu* felicitatem. Si quid erit quod per me fieri voles, equidem nullum defugiam laborem. Datum *Basileæ* 13. Augusti, Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCLXXX.

### IN BABYLAM CHRYSOSTOMI.

*Des. Erasmus Rot. Nicolao Marvillano, Collegii Busleidiani apud Lovan. Præsidi*, S. D.

MERITO mihi Proverbium illud ingesseris, *Nicolae* doctissime, θαλάττῃ ὕδωρ, qui tantillam ceu guttam mittam ad fontem linguarum, nisi nos moneret Euangelium, habenti dandum esse quo magis exuberet. Visus est autem mihi hic *Chrysostomi*, quamvis exiguus, libellus multis nominibus dignus, qui tuo Collegio prælegatur; adeo singulari quodam artificio summam pietatem cum admirabili copulat eloquentia, ut non aliud exemplum accommodatius mea sententia adolescentibus, tractatione thematum exercendis proponi queat. Quid enim habent *Aphthonius*, *Lysias*, aut *Libanius*, quod cum hoc argumento, non dico pietate, quam habet propriam, sed vel elegantia dictionis, vel argutia rationum, vel copia denique conferri possit? Quid autem utilius isti ætati, quam ut linguam simul & eloquentiam protinus imbibant ex his Auctoribus, quorum oratio non minus *Christum* spirat quam *Demosthenem*? Argumentum simplex est: *Babylas*, Episcopus *Antiochenus*, à Cæsare, quod eum impia cæde contaminatum conatus sit à templi penetralibus arcere, occisus est, sepultus extra civitatem, ac multo post tempore in urbem translatus. Hoc thema, quod nec varium est, neque quicquam habet amplum aut insigne, mirum est quibus depingat eloquentiæ coloribus, quibus ingenii opibus locupletet hic vere aureus artifex. Novi multos huic literarum generi deditos, quibus nihil arridet, nisi quod à *Christo* sit alieniissimum, quanquam Ethnicos Auctores ob sermonis elegantiam professoribus legendos arbitror, potius quam adolescentibus prælegendos. Qua quidem in re semper exosculatus sum animum tuum, cui studio fuit, hac quoque ratione, linguarum peritiam doctis pariter & indoctis commendare. Quanam, inquies? ut ex isto celeberrimo Collegio parentes reciperent suos libe-

Digitized by Google

An. 1527. liberos, non ſolum linguaciores, verum etiam magis pios meliuſque moratos. Siquidem ut optimarum etiam rerum novitas non caret invidia, vulgus hominum ſolet mores imputare ſtudiis, etiamſi non hinc proficiſcantur. Eodem nomine vix dici poſſit quantum amem & profeſſores, qui ſedulo cavent, ne quam anſam calumniandi porrigant τοῖς μισογλώττοις. Quid illorum moribus incorruptius, aut modeſtius? Religionis profeſſores eſſe dicas, non linguarum. Nullius profeſſionem ſuggillant, quod à nonnullis fieri videmus, gravi literarum detrimento, quum non in hoc inſtauratur linguarum peritia, ut hactenus receptæ diſciplinæ profligentur, ſed ut purius faciliuſque diſcantur; nec ideo diſcimus linguas, ut loquamur tantum, ſed ut eruditiſſimos Auctores rectius intelligamus. Ad id quantopere conducat exacta linguarum peritia, jam olim ſatis cognitum habens, nuper compertius habere cœpi. Nam res ipſa me docuit, quod nunquam eram crediturus, haſce calumnias, quibus nuper inauſpicati quidam tumultuati ſunt, maxima ex parte profectas ex inſcitia *Latini Græci*que ſermonis. Id protinus agnoſcet, qui legerit ea, quæ *Natali Beddæ* reſpondimus. Quum igitur tam ingens utilitas à vobis omni ſtudiorum generi conferatur, prudenter & illud curæ habetis, ut commode dextreque detis beneficium. Perit enim frequenter dantis vitio beneficium, quia dare neſcit. Quanquam autem æquiſſimum erat, ut velut in pilæ luſu, ſic etiam in beneficio, dantis & accipientis mutua commoditas ſibi reſpondeat; tamen ut parentum ita doctorum eſt, aliquamdiu ferre eorum, quos inſtituunt, vel faſtidium, vel ingratitudinem, donec ætas & rerum uſus illos doceat, quantum munus acceperint. Hoc pacto futurum eſt, ut qui nunc oblatrant his ſtudiis, poſt utriſque manibus applaudant. Omnium autem peſſime de ſtudiis merentur, qui ad novitatis ac petulantiæ invidiam addunt etiam impietatis ſuſpicionem, quales aliquot habet *Germania*. A quibus omnibus quoniam hactenus ſingulari vigilantia abſtinuiſtis, favore divino Collegium habetis longe florentiſſimum, florentius etiam habituri, ſi, qua cœpiſtis, perrexeritis. Nec dubito, quin hujus pulcherrimi fructus gratiſſimus quidam cenſus, ad ſanctam illam *Hieronymi Buſlidii* mentem perveniat, qui nihil dubito quin propitii Numinis afflatu hujus præclari muneris auctor fuerit noſtræ patriæ. Neque nihil hic attulere momenti tua monita. Profeſſoribus optimis, cum toto φιλογλώττων choro, meis verbis ſalutem dices. Datum *Baſilea* 14. Auguſti, Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCLXXXI.

*Eraſmus Rot. Maximiliano à Burgundia* S. D.

CLARISSIMVM Principem patrem tuum, *Maximiliane* chariſſime, admodum puerum & novi jam olim & amavi, eo quod præ ſe ferret indolem eximiæ manſuetudinis, minimeque ferocis, ac viciſſim illum ſemper expertus ſum animo in me propenſo. Ea benevolentia mutua una cum annis accrevit in utroque noſtrum. Proinde mihi gratiſſimum erat, paterni erga me favoris memoriam tuis amantiſſimis literis refricari. Sed vehementius etiam gaudeo, quod intelligo te patri etiamnum ſuperſtiti in hunc affectum ſucceſſiſſe. Siquidem epiſtola tua, neutiquam impolita, ſpirat non ſolum benevolentiam erga me minime vulgarem, verum etiam pietatem quandam, qualem vel filius debet patri, vel diſcipulus præceptori. Hanc opinor ex utriuſque parentis affectu traditam, nam & aviæ fui chariſſimus, auxit *Joannes Borſalus*, vir juxta morum integritate ac literatura commendabilis. Quo certe nomine mihi videre felicior etiam Regibus nonnullis. Habes enim domi, unde duo quædam præcipua bona conſequi poſſis: Pietatem erga Deum, quæ vel ſola beatum reddit hominem, ac liberalem eruditionem in omnem uſque vitam magno tum uſui tum ornamento futuram, non tibi modo, verum etiam genti tuæ licet imaginibus clariſſimæ, totique patriæ. An. 1527. Non parum decoris addes generi tuo, ſi huc contenderis, ut pietate boniſque literis nobilior ſis, quam majorum ſtemmatis. Lucubrationes meas, quibus oblectari te ſcribis, optarim eſſe tales, ut harum lectio tibi tantum adferat utilitatis, quantum iſta tua meretur indoles. Certe hoc conatus ſum, an aſſequutus neſcio, ut rudem ætatem non minus ad pietatem allicerem, quam ad eruditionem. Sed quod meis lucubrationibus deeſt, hoc facile exæquabit ſarcietque doctiſſimi præceptoris induſtria. Precor autem *Chriſtum* Opt. Max. ut iſtam generoſam indolem tuam, jam nunc velut in herba nihil mediocre pollicentem, omnibus dotibus *Chriſtiano* Principe dignis inſtruat ac locupletet. Hoc interim habe mei in te amoris chirographum, quo me convenire poſſis ſi quid fefellero. Ubi ſcribes patri, quæſo ut illi meo nomine ſalutem adſcribas, & diligenter & amanter. Datum *Baſilea* 23. Auguſti, Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCLXXXII.

*Eraſmus Roterodamus Roberto Aldriſio, literis ac moribus ornatiſſimo*, S. D.

SIGNIFICATVM eſt mihi per homines minime vanos, ἀλλὰ πάνυ ἀξιοπίστους, *Londini* quendam non Theologum, ſed Tyrologum opinor, è ſuggeſto cumprimis celebri, quod vulgus appellat *Crucem divi Pauli*, ſeditioſa temeritate lapidaſſe nomen *Eraſmi*, impietatis ac falſi crimen impingentem, quod in Euangelio *Joannis cap.* VII. pro eo quod Eccleſia legit, *Nondum enim erat Spiritus datus, quia Jeſus nondum erat glorificatus*, verterim, quod habent *Græci*, ſubtracto Participio, *Nondum enim erat Spiritus Sanctus, quia Jeſus nondum erat glorificatus:* idque non abſque ſummo catholicæ fidei diſcrimine, ne rurſus incipiant omnes credere Spiritum creaturam, qui non fuerit ab æterno, ſed in tempore cœperit eſſe. Hæc ille blatero ſumma petulantia, parique ſtoliditate detonabat apud eruditos viros, apud primores urbis, ac frequentiſſimam civium multitudinem. Nec dubito quin ipſe adfueris, ut ſoles à tali menſa, quod dici ſolet, non libenter abeſſe. Ego ſane lubens tam impii facinoris immanitatem rejecerim in errorem, aut inſcitiam, niſi non quadraret hoc excuſationis genus, Primum in Theologum, deinde in Eccleſiaſten, poſtremo in eum locum, quem nemo conſcendit, niſi præmonitus ac meditatus tali digna auditorio. Certe priuſquam illic proſiliret, debebat inſpicere, quid ſuper hac re ſcripſiſſem in *Annotationibus*. Illic oſtendo *Græcos* omnes ſummo conſenſu legere quod ego verti, & indico ſenſum orthodoxum, ne quis labi poſſet. Jam finge, quod nec verum eſt, nec veriſimile, vocem illam, *datus*, à *Græcis* malitioſe detractam, quum nullum ſuppeteret exemplar, an volebat, ut ego, *Græcorum* voluminum interpretem profeſſus, adderem de meo quod *Græci* non habebant? Si detractum eſſet, utique detractum eſſet ab *Arianis*, nunc in eorum libris hæc reperimus, qui ſumma vi pugnant adverſus *Arianos:* nominatim de *Chryſoſtomo* loquor & *Theophylacto*. Et ſi quid tale fuiſſet depravatum ab *Arianis*, orthodoxi non hic ſiluiſſent tam impiam fraudem, quemadmodum alias diligenter produnt corruptelam; ſi quid tale deprehenderint. Quis autem unquam *Arianus* protulit hunc locum ad defenſionem ſui dogmatis? Et ſi quis protuliſſet, nonne ſtatim fuiſſet exſibilatus? nam locus ipſe ſui interpres eſt. Præceſſit enim, *Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes.* Et mox ſequitur, *Nondum enim erat Spiritus, quia Jeſus nondum erat glorificatus.* Vides hic non de natura Spiritus, ſed de dono & de energia loqui Euangeliſtam. Nec enim aliter dictum eſt, *Nondum erat Spiritus*, quam ſi dicas, Nondum erat dies. At nunquam non eſt dies, ſed intelligimus illic non fuiſſe diem. Quid autem hoc tropo vulgatius, ut dicamus non eſſe



Digitized by Google

An. 1527. solem, quoties obtectus nubibus non apparet nobis? Item quum negamus esse aquam, quoties nondum in tantum accrevit, ut sit navigandi facultas? Sic Euangelista de discipulis loquitur, *Nondum erat Spiritus*, id est, nondum acceperant exundans illud donum Spiritus, de quo loquitur Propheta. Hæc omnia declarat annotatio, docens & ad sensum minimum interesse utrum addatur *datus*, an non addatur. Nec his contenta, declarat certissimis argumentis etiam *Augustinum* legisse, quemadmodum legunt *Graci*. *Augustini* verba, quæ illic recito, sunt hæc: *Sed quid est, quod ait, Non erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus? In evidenti est intellectus. Non enim non erat Spiritus Dei, qui erat apud Deum, sed nondum erat in eis qui crediderant in Jesum.* An ex his verbis non satis liquet, *datus*, non ab *Augustino* lectum, sed à scriba additum? Si nihil hujus admonuissem, tamen, si vel micam habuisset *Christiani* pectoris Ecclesiastes, debebat inspicere paratum locum, priusquam tam atrocem calumniam evomeret in fratrem suum, & tot millium animos vipereo toxico inficeret, quibus etiam si vellet in posterum mederi non posset. En habes auctorem insignem & ὀρθοδοξότατον *Augustinum*. Quid si idem legit *Hieronymus*, cujus hæc verba referuntur in glossa ordinaria, *Non quod nunc non esset Spiritus Sanctus, dicente Salvatore: Si autem in Spiritu Dei ejicio dæmonia: sed qui erat in Domino, nondum notus, in Apostolis morabatur.* Hic *Hieronymus* non repetit *datus*; & si repetisset, non erat locus quæstioni. Nam non datum fuisse discipulis Spiritum signo visibili, quemadmodum post resurrectionem insufflavit in eos, & post adscensionem misit illum in linguis igneis, extra controversiam est. Sed quoniam dixit *non erat*, videlicet in discipulis, periclitabatur ne discipuli viderentur caruisse Spiritu Sancto, usque ad *Christi* resurrectionem. Eam absurditatem amolitur, interpretans *non datus*, pro eo quod erat, palam & exundanter effusus. Et aliquanto post in eadem glossa, *Nondum ergo erat Spiritus in Apostolis, nec de ventre eorum fluebant gratiæ spirituales, quia nondum fuerat Dominus glorificatus.* Nec hic additur *datus*. Habes, præter *Græcos* omnes, duos præcipuos Ecclesiæ *Latinos* doctores. Et sane quum illa proderem, nondum eram nactus *Latinum* exemplar, quod cum horum *Græca*que lectione consentiret. At nuper nactus sum ex bibliotheca *Constantiensis* Ecclesiæ duos codices, in quorum altero habebatur *Græca* lectio sincera, in altero scriba quispiam manu recentiore *datus* addiderat in spatio, quod versus dirimit. Nec dubito quin centies germana scriptura reperiri queat, si quis excutiat vetustos codices. Nec id mihi fuisset difficile factu, sed non exspectabam exoriturum qui hinc moveret calumniam. Adjeceram in *Annotationibus* & illud argumentum, quod apud *Græcos* hac sermonis parte non additur articulus, tantum est πνεῦμα, & apud nos non est *sanctus*, quod indico apud *Græcos* adjectum à scribis, quemadmodum apud nos Participium *datus*: ut hinc liqueat illic fieri verba, non de natura Spiritus, sed de dono sive gratia; nec de quavis, sed de illa largissima effusione, qualis nec in Prophetis fuerat. Nec causari possunt hic *Græcorum* codices depravatos, quum hæc, ut dixi, legantur in libris orthodoxorum. Porro, ne quis perfricta fronte dicere posset hos quoque depravatos, obstat illorum interpretatio, quæ declarat quid legerint. *Theophylactus* sic inter cætera loquitur: *Quia igitur tunc quidem non erat operatio Spiritus, sed erat danda, propter hoc*, inquit, *quia nondum erat Spiritus Sanctus, hoc est, non versabatur in Judæis, nec apparebat per operationes.* Et aliquanto post: *Erat & in Prophetis Spiritus virtus, & in Apostolis ante crucem, sed non sic, ut post assumptionem largius & copiosius, ut fluminibus comparari debuerit.* Itaque merito Euangelista dixit, quod *nondum fuerat Spiritus Sanctus*, hoc est, nondum ita largiter effusus. Hæc palam arguunt quid ille legerit. Nec mirum si semel atque iterum inter exponendum dicit *Spiritum datum*, quum id serit Euangelista. Certe contextus non habet *datus*, & in his verbis recitat contextum absque *datus*. *Chrysostomus Græcus* apud me non erat, & in hujus Commentariis interpres constanter addidit *datus*; nec id hoc tantum loco fecit, verum ubique insulcit *Latinorum* editionem. Sed quid attinet hujus citare verba, quum *Theophylactus* ex hujus fontibus hauserit quicquid commentatus est in hunc locum? Porro, si scriptura fuisset ab *Arianis* depravata, nequaquam dissimulasset *Chrysostomus*, qui nullam prætermittit occasionem refellendi illorum dogmata. Sed quid tandem erat cur *Arianus* quispiam locum viciandum putaret? An ut persuaderet Spiritum Sanctum post *Christi* mortem demum fuisse creatum? Nullus hæreticorum unquam sic insaniit; erant qui quum maxime blasphemiis furerent in Deum, dicerent Filium esse creaturam Patris, Spiritum Sanctum creaturæ ministrum, sed utrunque fatebantur esse creatum ante omnem creaturam reliquam. Nec *Ariani* negabant Prophetas afflatu Sancti Spiritus futura prædixisse. Atqui hoc illis negandum erat, si sensissent Spiritum Sanctum creatum post *Christi* mortem. Nullus igitur hæreticus ex hoc loco poterat sui dogmatis confirmationem arripere: quod si potuisset, haud dubie non defuisset qui hoc tentaret, quum illi nihil non soleant ad impiæ causæ victoriam pertrahere. Quod autem est istud horrendum discrimen, quod hic metuebatur? Nihil oriri poterat, nisi quod studiosi quidam erant intellecturi Participium *datus* apud *Græcos* non exprimi, sed subaudiri. Nos enim publicam Ecclesiæ lectionem intactam reliquimus, nec ullus codex habet nostræ rasuræ vestigium. Et si quid hic discussione dignum erat, non conveniebat hæc fabula tali theatro. Sed quid magni tandem confectum est, quod *Latini* scribæ addiderunt Participium *datus*? Ademerunt ansam *Arianis*? Docuimus, hunc locum illorum dogmati non posse patrocinari. Sed dum hoc vitant unde nihil erat periculi, in aliud verum majusque discrimen devoluti sunt. Quodnam illud? Ne labascat totius Testamenti Veteris auctoritas. Quî fic? Quod non sit ab auctore Spiritu Sancto profectum. Quî potuit enim, si Spiritus non erat cuiquam datus ante *Christi* mortem? Quanto igitur præstiterat scripturam germanam ut erat, & apud *Græcos* in fontibus, & apud *Latinos* in rivulis, relinquere, quam privata auctoritate, ne dicam temeritate, addere vocem, quæ tanti discriminis præbere posset occasionem. Ut autem intelligas esse verum quod dico, periculum, quod isti jactant, nullus Veterum metuit, quia nullum erat: & de hoc, quod ostendo, solliciti sunt omnes, & *Chrysostomus*, & *Theophylactus*, & *Augustinus*, quod ex ipsorum liquet Commentariis. Minor autem erat occasio *Manichæis*, Veteris Testamenti libris auctoritatem detrahentibus, si legissemus, *Nondum enim erat Spiritus*, & subaudissemus *in discipulis*; ille, inquam, copiosus Spiritus, qui fluminis ritu exundavit, juxta *Jobelis* testimonium, quam quod legimus, *Nondum erat datus*. Si interpres, explicandi gratia, Participium addidisset, haberent quod utcunque causarentur, si modo tradidissem Ecclesiæ novam lectionem: nunc hic quoque impudenter calumniantur, quum, intacta vulgata lectione, bona fide vertendum susceperim quod in Novo Testamento legunt *Graci*, sive recte legant, sive non recte: nisi forte succensebunt & illis, qui nuper Vetus Testamentum *Latine* verterunt è *Græcis*, quod *Græcorum* exemplaria, plurimum à nostra lectione dissonantia, quam *Latinos* codices sequi maluerunt. Cæterum quando constat hoc scribarum temeritate factum, non auctoritate publica, neque per interpretem, multo impudentior est calumnia. Si sic vertisset interpres, aut si Ecclesiæ consensu fuisset additum Participium, nimirum ita legeret *Augustinus* & *Hieronymus*, & consentirent vetusti codices. Utinam autem in hoc tantum loco possemus scribarum audaciam in jus vocare. Nimis compertum est, quantum

Digitized by Google

An. 1527. tum sibi permiserint in divinis Libris. Proinde nemo mihi objiciat, in *Didymo* ab *Hieronymo* verso, aut in *Chrysostomo Latine* loquente, frequenter addi *datum*, quum videamus id constanter ab interpretibus aut scribis factum, ut vulgatam infulciant lectionem, crebro reclamantibus commentariis, & ἄλλον μὲν ἐστὶν ὁ λαλῶν loquentibus, ut dicas aliud sonare citharam, aliud cantoris vocem. Jam fingant me tradidisse *Latinis Theodotionis* editionem, num falsi crimen intenderent, si multa dissentirent ab Ecclesiastica lectione; an potius malæ fidei dicam scriberent, qui quod ille *Græce* vertit, non reddiderim *Latine*, quamvis eum auctorem non agnoscat Ecclesia, quum agnoscat eos, quos sum sequutus? Postremo, cur hunc unum locum incessendum putarunt, quum innumera sint loca, in quibus *Græcorum* orthodoxorum codices à nostris dissentiunt? Immo in hoc ipsum hic mihi labor sumtus est, ut ex dissonantia codicum studiosi vel deprehenderent germanam lectionem, vel dilucidius intelligerent quod scriptum est. Jam cur magis accusatur qui vocem subtraxerit, quam qui addiderit? Utrunque pari severitate vetuit Spiritus Sanctus, ne quid vel adderemus, vel detraheremus. Itaque qui de Participio *datus* subtracto calumniantur, cur silent de addito nomine *sanctus*? Porro, cur existimem hanc vocem *sanctus* adjectam à scribis *Græcorum*, illud me movet, quod priore loco, *Hoc autem dixit de Spiritu*, apud *Græcos* additur articulus τοῦ πνεύματος, ut non possit accipi nisi de Spiritu Sancto, etiamsi non adjunxeris *sancti* cognomen, quumque bis legatur apud *Græcos sanctus*, *Latini* codices summo consensu, neutro loco addunt epitheton. Et convenientius erat non addere. Quamobrem? Quia non loquitur hic proprie de natura aut sanctimonia Spiritus, ut sanctum distinguat ab impio spiritu, sed de modo donati Spiritus. Et tamen ne quis de alio spiritu, quam de unico illo Dei Spiritu posset accipere, priore loco additus est ab Euangelista articulus, quem secundo non addidit, quum de eodem loquatur Spiritu, ἔτω γὰρ ἦν πνεῦμα, quo clarius demonstraret modum donandi Spiritus. Ad id declarandum, adeo nihil conducebat articulus, ut officeret etiam nonnihil. Facile quæ dicimus intelligent *Græce* periti, si locum attentius expenderint. Rem paucis habes, mi *Roberte Aldrisi*. Nunc mihi considera quanta fuerit istius Ecclesiastæ stoliditas. Utinam hanc solam liceat incusare. Primum, quid attinebat apud promiscuam multitudinem refricare, fuisse quosdam impios, qui dicerent Spiritum Sanctum non fuisse ab æterno? is enim error mille jam annis adeo sepultus est, ut vel in Theologorum scholis hæc agitare supervacaneum videri queat. Multo minus id congruebat apud multitudinem illiteratam, ex variis etiam nationibus conflatam, in qua potest fieri ut sint, qui ne de Deo quidem admodum magnifice sentiunt. Verum, illud etiam stupidius erat, quod non intellexit hunc locum nihil facere ad *Arianorum* impium dogma, quum hinc neque confirmarint unquam quod docent, neque confirmare potuerint: nec videt se, dum inanem metuit umbram, in veram foveam incurrere. Quid igitur isti credemus in mentem venisse, ut sic proderet eruditis omnibus suam stultitiam? Existimabat hoc postulare loci celebritatem, ut aliquid novum minimeque protritum adferret in medium: nam id fere solet esse studio, quibus delegatum est ex eo suggesto dicendi munus, præsertim qui recentes è schola tument persuasione scientiæ. Mihi vero probabile est illum ne legisse quidem locum, sed à combibone quopiam fuisse submonitum, ut hac calumnia sibi pararet opinionem singularis doctrinæ. Si falsi crimen est, ex *Græcorum* libris vertere quæ dissident à nostra editione, cur hunc unum locum impetiit, quum tot locis idem potuisset objicere? Minus impudenter reprehendere poterat, quod Novum Testamentum è *Græcis* Voluminibus translatum prodiderim. Id si donat, justius eram accusandus falsi crimine, si aliud, quam *Græci* codices habent, vertissem: si hoc quoque reprehendit, quod *Græcorum* lectionem prodiderim *Latinis* qui *Græce* nesciunt, præterquam quod declaravimus alias hoc multis de causis utile fuisse, dicam etiam necessario factum, ob *Chrysostomi*, *Basilii*, *Athanasii*, *Cyrilli*, *Gregorii*, aliorumque Commentarios, qui crebro non congruunt nostræ lectioni. Et quod à me factum est in Novo Testamento ex auctoritate *Romani* Pontificis, idem factum est apud *Hispanos*, impendio curaque *Francisci* Cardinalis *Toletani*, in Veteri Testamento, ex ejusdem Pontificis auctoritate: quibus quum esset exemplar eximiæ vetustatis, spectatæque fidei, exhibitum è bibliotheca *Vaticana*, à quo jussi sunt non recedere: idem habebat ille codex probatus, quod omnes mei, quos non paucos habebam in consilio quum illa scriberem. Eligat nunc iste calumniator, utrum malit *Romanum* Pontificem in jus trahere, an mihi dicam scribere, quod bona fide reddiderim quod habent incredibili consensu codices *Græcorum* omnes. Ac, ne vel imperitus quispiam novitate sermonis possit offendi, in Annotationibus submovi scrupulum. Hæc quum ita habeant, hoc est, quum *Græcorum* codicum summus sit consensus, quum ita legant *Augustinus* & *Hieronymus*, quum eadem lectio exstet in vetustis aliquot *Latinorum* codicibus, quærendum an Ecclesiæ jus sit aliquid addendi detrahendive sacris Voluminibus, etiamsi quid occurrat quod hæreticis ansam præbeat. Hoc si semel recipitur, quam multa fuerant addenda, detrahenda, mutanda? Delendum erat apud *Joannem*, *Pater major me est*, aut addendum erat, *secundum humanam naturam*. Delendum & illud, *Ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*, aliaque complura, quæ rapiunt *Ariani* ad impietatis suæ defensionem. Item, quoties in Scripturis fit mentio de Spiritu Sancto, addendum Dei cognomen, quod in sacris Voluminibus nusquam evidenter apponitur. Rursum quum Dominus dicit, *Ne Filium quidem hominis diem extremum scire*, addendum est, *secundum humanam naturam*, aut aliquid simile. Breviter, hic erat evidens ab *Arianis* periculum, in *datus* omisso nihil erat periculi. Quum omnes hæreses sua dogmata asserant ex sacris Literis perperam intellectis, quis erit mutandi finis? Quid autem hac cautione profecerimus, nisi ut ex divina Scriptura faciamus *Lesbiam* regulam, ad nostras opiniones flexilem, potius quam coarguentem, si quid à vero discrepat? Et id juris si sibi sumant orthodoxi, aut idem concedere cogentur hæreticis, aut nihil agent Scripturarum testimoniis. Proinde, quemadmodum Ecclesia non habet jus instituendi nova sacramenta, ita multo minus jus habet condendi novam scripturam. Quod si negatum est hoc jus Ecclesiæ, uter falsarius est, qui id bona fide reddit, quod habent & Orientis & Occidentis Ecclesiæ, an qui mutat germanam scripturam? Levissimus scrupus est in *Nondum spiritus erat*, sed in mutanda scriptura summum est discrimen. In scribas igitur, qui locum hunc auctoritate privata vel temeritate potius depravarunt, vociferari debebat potius quam in me. Dicet, absque sensus detrimento poterat addi verbulum *datus*. Immo nec omnino sine detrimento, ut jam demonstratum est, & aliam foveam periculosiorem aperuissem. Jam quum nullum crimen sit atrocius, quam si quis prudens vitiet Scripturam Canonicam, non oportuit apud tam celebrem conventum præcipiti lingua quicquam effutire, quod non haberet compertum. Locus ipse *Paulo* sacer, præ se fert majestatem quandam. Semper adsunt ex more urbis præfecti, quos illi *Majores* vocant, adsunt doctores, nonnunquam & Episcopus, præter numerosam promiscuæ multitudinis frequentiam: hæc, si quid habuisset humanæ mentis, monere debebant hominem, ne cum loci tam celebris contumelia, simul & eruditis proderet suam malitiam, ne dicam stoliditatem, & imperitorum animos lethali veneno inficeret: nam qui seps, quæ aspis, quæ vipera lethalius habet venenum, quam lingua calumniatrix,



Digitized by Google

Au. 1527. trix, inflammata, ut ait *Jacobus*, igne gehennæ? quod semel infusum in animos nulli *Psylli* possunt exsugere, nulla *Marsorum* incantamenta possunt educere. *Scorpius* post vulnus inflictum, si admoveas, resorbet suum virus; hic etiamsi quis velit, non idem licet. Ex viperæ carnibus conficitur theriaca, præsens adversus venena antidotum: at si omnes maledicorum linguas contundas, nihil adferent remedii. Age, si ex eo suggesto venerando apud splendidissimum hominum cœtum dixisset *Erasmum* vinosum, nonne cuncti, quibus erat aliquid sobriæ mentis, detestati fuissent hominis intempestivam petulantiam, etiamsi credidissent esse verum? Quanto magis id fecissent, si scissent illum mentiri? Quid igitur putas secum cogitasse doctos, qui sciebant eo loco tam atrox crimen impingi falso, quod si vel in convivio fecisset, scelus erat piaculare? Et fortassis ille sibi blanditur, putatque se clarum facinus designasse: & haud scio an eodem ore, quo venenum efflavit, & Euangelium prædicavit, eodem die contigerit sacrosanctam *Christi* carnem & sanguinem. Ipsa sceleris cogitatio mihi horrorem incutit. O miserum hominem, si non veretur cum tali conscientia ad sacratissimam mensam accedere, miseriorem, si sic excæcatus est, ut suam non cernat miseriam! Inhorrescimus, crucis imagine nos ipsos munimus, si quis nominet diabolum. At qui talibus calumniis & proximum rodit, & auditorum conscientias inficit, & fraternam charitatem exstinguit, is vere diabolus est, & quovis satana nocentior, id agens unde, velut ex eo quod habet pessimum, ille nomen invenit. Quid tali linguæ cum Euangelio? Quid tali ori cum *Christiana* concordiæ symbolo? Quid tali pectori cum hospite *Christo?* Fortasse negabit, ut solent quibus quicquid volunt sanctum est, sibi reclamare conscientiam. Quasi non & adulteri, & sicarii suis vitiis blandiantur. Olim qui sacris concionibus fungebantur apud populum, suo periculo dicebant. Applaudebatur & acclamabatur recte dicenti, jactatione manuum significabatur auditorii favor. Contra, suppłosio pedum, sibila, sannæ, tumultus præsto erant, si quid secus quam oportuit dixisset Ecclesiastes. Nam hi mores olim à theatris profanis in Ecclesiasticas conciones demigrarant. Nunc populus tacitus & quietus audit quicquid adfertur. Quo gravius peccant, qui *Christiani* cœtus abutuntur patientia, digni nonnunquam qui non sibilis, sed ruderibus ac putribus ovis è suggesto deturbentur. Certe tales oportebat Episcopis ac Principibus publicitus dare pœnas, in aliorum exemplum. A quibus ubi populus discet pietatem, si à talibus tali loco discit quod est omnium sceleratissimum? Si quid levioris offensæ inciderit cum proximo, Euangelium jubet dilato donario properari ad reconciliationem, & isti talis facinoris sibi conscii accedunt ad longe sacratius altare, quam erat illud *Mosaicum*. Iidem exigunt ab aliis restitutionem, si quis in pauxillo nummorum fraudavit proximum: & qui proximi famam tali loco, tali auditorio, tali calumnia sauciavit, securus accedit ad illud etiam Angelis horrendum mysterium. Quis enim unquam istius generis vel dicto, vel scripto placare studuit eum, quem læsit, etiamsi compererit, & omnibus notum sit, esse manifestam calumniam? Metuunt ne quid decedat auctoritati si fateantur errorem. At istuc metuendum erat quum properarent ad calumniam, quum suam malitiam vulgo prodere cogitarent. Qui privato convicio contristavit fratris animum, jubetur cum illo redire in gratiam; quique privatim dicit fratri, Fatue, reus pronunciatur concilio: & is, qui tanta hominum frequentia, in loco tam celebri, in concione sacra detonat in proximum, hæreseos & sacræ Scripturæ falsatæ crimen, quasi purus putus accedit ad synaxim, nec errore cognito, cogitat de eximendo veneno, quod tot hominum auribus infudit. Talibus ingeniis quid esse potest deploratius? Quam adferent excusationem? Inscitiæ? Profitentur se doctores Euangelicos. Et ut maxime sint imperiti literarum, norunt hoc & idiotæ, non esse pronunciandum de iis quæ non intelligunt: nec temere credendum calumnianti, nec ad effutiendam calumniam oportere esse præcipitem. Verum in hanc profundam cæcitatem traxit miseros livor & odium, & inscitiæ comes arrogantia. Hæc ad te scribere visum est, *Aldrisi* charissime, quo tuis fiam literis certior, quis fuerit ille tam impudens rabula, quo nomine, quo cognomine, quo statu, quo die gesta res. Quorsum, inquies? Dicam. Est animus edere catalogum hujusmodi nominum aliquot, qui tam insigniter suæ stoliditatis ac malitiæ dedere specimen, non solum ut intelligat mundus, quæ portenta nonnunquam sub illo tragico cultu lateant, fruantur nominis immortalitate quam ambiunt malefactis, & omnibus sint exemplo: verum etiam ut editis singulorum nominibus, in neminem alium prorogetur invidia suspicionis. Id enim nonnulli morosiores queruntur suis ad me literis, dum, suppressis nominibus propriis, Theologi aut Monachi factum refero, totum adspergi ordinem, quum nominibus editis soli gravarentur, qui sua stultitia meruissent, nunc & ad immerentes devolvi suspicionem. Horum sententiæ tametsi non accedo, neque enim apud æquos imputatur ordini, si quid hic aut ille commisit indignum ordine, & apud iniquos edito nomine plus ordini conflatur invidiæ: neque quisquam veterum ab infectandis clericorum, sacerdotum, monachorum ac virginum vitiis abstinuit, ne gravaret ordinem invidia, quanquam hic quoque censeo servandam modestiam: tamen hactenus illorum voluntati sum obsequutus, ut brevi libello suis coloribus depingam nonnullos, & publicitus & insigniter insanientes, nec ullum facientes modum. Dabo gustum argumenti, quo magis intelligas quid dicam. In *Colloquio De fide*, in quo committitur Orthodoxus cum quopiam suspecto de hæreseos crimine, habentur hæc verba sub Orthodoxi persona: *At religio est tecum mensam habere communem.* Suspectus respondet: *Atqui id solent medici, quo melius observent, quid affectent aut peccent ægroti.* Rursum Orthodoxus: *Sed vereor ne videar favere hereticis.* Ad hoc Suspectus, *Immo nihil est sanctius, quam favere hereticis.* Hæc postrema verba decerpta proferunt quidam, ut doceant *Erasmum* hæretica scribere. An non hoc horrendum dogma, nec uno puniendum incendio? Quis hæreticus tale quicquam ausus est proferre, quis tyrannus ausus est profiteri? nam nec ipsi hæretici docent hæreticis esse favendum, sed negant sese esse hæreticos. Idem ajunt qui favent impiæ factioni, Solus *Erasmus* docet hoc esse sanctum, adeo ut nihil sanctius. At homines omnibus pecudibus stupidiores, si parum animadvertunt quæ præcedunt de medicis, saltem illa poterant intelligere quæ sequuntur sub persona Orthodoxi. Quî sic? Respondet Suspectus: Nonne *Paulus* optavit anathema fieri pro *Judæis* plus quam hæreticis? An non favet ille, qui studet, ut quis ex malo fiat bonus, ex mortuo vivus? Ad hæc Orthodoxus, Maxime. Tum Suspectus, Sic fave, nec erit quod metuas. Hæc quum sint tam dilucida, ut vel cæco possint esse perspicua, tam crassa, ut vel à suibus queant intelligi, tamen ab istis non percipiuntur. Ne vero me putes hic conviviorum narrare fabulas. Imo tales articulos Proceres duorum ordinum publicitus detonant in sacris concionibus, proferunt scriptis, jactant publicis disputationibus, exhibent condemnandos, & his nugis facessitur negotium Archiepiscopis, ac Cæsari. Quumque hæc ipsi magno tumultu moliantur in diversis regionibus, contemto doctorum ac bonorum omnium judicio, tamen meis scriptis imputant, quod minoris fiant apud vulgus, quam vel solent, vel cupiunt. Absit ut ego in quenquam ordinem stringam aciem styli. Verum si mihi esset is animus, ut omnes ingenii facundiæque vires in rem tam sceleratam intenderem, ne centum quidem invectivis tantum dedecoris conflarem ordini, quantum isti suis intemperiis conciliant. Quis enim

Au. 1527.

non

Digitized by Google

An. 1527. non crederet à me talia confingi, nisi ipsi suis factis fidem facerent, quum ipse, ita me bene amet *Christus*, nec de inimicis prædicata fuerim crediturus. At interim quam male sentiunt isti de Episcopis ac Principibus, deque populo, quibus audent hæc tam stolida ingerere? Nonne videntur totum populum habere pro fungis, quibus omnino nihil sit humanæ mentis? Episcopos autem ac Principes, aut tam injustos arbitrantur, ut protinus in ipsorum gratiam non cognita causa damnent ea, quæ pie scripta sunt: aut tam indoctos, ut hæc qualia sint non perspiciant: aut tam timidos, ut mendicantium aliquot metu, simul & *Christum* offendant, & se toti mundo reddant invidiosos. *Pilatus* diu restitit *Judæorum* flagitationi, quum ibi Pontificum, Scribarum, Pharisæorum, Seniorum ac promiscuæ multitudinis concors esset insania: & *Christiani* Præsules, *Christiani* Principes cedent aliquot male auspicatorum hominum improbitati? Habes unum articulum plus quam hæreticum; audi similem, apud eosdem publico tumultu jactatum. In *Enchiridio militis Christiani*, declarans quantum valuerit Apostolorum simplex, sed virtute Spiritus efficax, prædicatio, scribo hunc in modum: *Hæc est illa vera germanaque Theologia, quæ olim Philosophorum supercilia, & Principum sceptra Christi jugo subjecit.* Vides hic quicquam non pie dictum? Scio non vides, nimirum lusciosus. At isti *Lyncei* viderunt exsecrandam impietatem. Quam, inquies? Scribit, inquiunt, nusquam esse veram Theologiam nisi in *Germania*, quæ maxime omnium scatet hæresibus. Non intelligunt *germanam* esse dictam pro γνήσιον, nec animadvertunt quum illa scriberem, scripsi enim ea ante annos viginti quatuor, nullam hæreseos mentionem fuisse apud *Germanos*. Nimirum hoc est fieri Theologus absque Grammatica. Nihil hic fingo, acta sunt hæc publicitus in concionibus, & scriptis in publicum datis; scio locum, tempus & personam. Edentur ubi tempus erit; interim rogo lectorem ne ob hujusmodi facta de quoquam bono *Franciscano* aut *Dominicano* pejus sentiat. Quibus hæc placent, boni esse non possunt, & scio multis displicere. Accipe tertium articulum ab iisdem exagitatum. In *Enchiridio militis Christiani*, admonens, ne quis se temere præcipitet in aliquod vitæ genus, cui non sit idoneus, sed prius exploret, & quale sit institutum, & qualis sit ipse tum animo, tum corpore, scribo hunc in modum, *Monachatus non est pietas, sed vitæ genus, pro suo cuique corporis ingeniique habitu, vel utile, vel inutile.* Quid hic est, quod vel *Momus* possit carpere? At isti viderunt errorem hæreticum. Scilicet sic loqui debueram: *Quicunque vult esse salvus, fiat Monachus: omnis enim Monachus pius, nec impius esse potest qui sit Monachus, quum plerique Christianorum sint impii.* At quo sermo magis pateret calumniæ, Monachatum verterunt in religionem: tam enim sunt imperiti, ut *religionis* vocabulum existiment idem declarare quod *Monachismi*: ut quoties in Literis sacris prædicatur religio, & religiosi probantur, videantur ipsi celebrari. Si dixissem, matrimonium non est pietas, virginitas non est pietas, sacerdotium non est pietas, sed est vitæ genus quod huic convenit, huic non convenit, pie fuissem loquutus, sed impium est idem de Monachismo dicere. Imo si dixissem *Christianismum* non esse pietatem, æquis animis tulissent, & faterentur plurimos esse *Christianos* impios, quum tamen nulli liceat non esse *Christianum*, solum Monachi nomen non patiuntur attingi. Si *Christianismus* est professio vitæ *Christianæ*, *Christianismus* non est pietas: alioqui quisquis baptizatus esset, idem esset pius. Sin *Christianismus* est ea præstare, quæ profitemur in baptismo, summa pietas est *Christianismus*. Ita si Monachismus est observatio trium votorum, supra *Christianismum* communem, magna pietas est Monachismus. Sin est professio tantum eorundem votorum cum his quæ adhærent voto obedientiæ, cujusmodi sunt lana, linum, color, cingulum coriaceum, aut cannabeum, calcei aperti, aut integri, pisces, ova, legumina, Monachismus nec est pietas, nec à *Christo* institutus. An. 1527. Quid autem erat periculi Ecclesiæ, quia scripsi genus esse vitæ, non temere cuivis suscipiendum? Ne pauciores essent Monachi? Faxit hoc *Christus*, modo sint meliores: nullum enim vitæ genus optabilius ex animo *Christum* diligentibus. Sed, proh dolor, eo prolapsi sunt hodie mores, ut nullis fere cedat felicius hoc institutum, quam quibus pietas cordi non est; & illic mundum inveniant, quibus in mundo mundanis esse non licuit. Si quis huic nomini favet, optima atque adeo unica ratio est, & placandæ invidiæ, & pristini favoris recuperandi, si se totos conferant ad studium veræ pietatis. Quartum addam. In Academia quadam cum primis celebri, quidam inter Theologos præcipuus jactabat se reperisse telum, quo conficeret *Erasmum*. Diximus alicubi, *Hieronymum* caruisse gloria perpetuæ virginitatis. Idque ex ipsius scriptis liquere. At ille protulit locum ex libello *Hieronymi* ad *Eustochium* de custodia virginitatis; *Virginitatem non tantum efferimus, sed servamus.* Hic exsultabat victor. Quid habent, inquiens, *Philerasmii*, quod ad hæc respondeant? Ipse *Hieronymus* fatetur se servare virginitatem, at nemo servat quod non habet. Applausere combibones aliquot ejusdem farinæ, docti cachinnum vix tenere potuerunt: nam constat *Hieronymum* illic non loqui de sua virginitate, sed de pudicitia sacrarum virginum, quam negat se suscepisse prædicandam in eo libro, quod id à multis aliis esset factum, quos inibi recenset nominatim; sed præcipuum esse propositum ostendere, quibus modis debeat servari ne pereat. An non ille Theologus, qui nondum didicerat quid *Latinis* sonaret *servare*, dignus erat qui servaret porcos? Servat qui eripit periturum: servat qui custodit etiam res alienas: servat fidem, aut præceptum, qui non violat: denique servat qui cavet. Ita *Flaccus*:

*Hic fossa est ingens, hic rupes maxima, serva:*

sed *Græce* loquens magis quam *Latine*. Jam quemadmodum pictor dicitur eos committere, quorum conflictum pinxit, & scriptor aut narrator hoc facere, quod oratione repræsentat; ita *Hieronymus* ait se servare virginitatem, cujus servandæ rationem ostendit. Audio quendam alium de nihilo gravem suscitasse Tragœdiam, quod pro *Veteri Testamento*, scripserim *Vetus Instrumentum*, quod arbitror in meis scriptis ad summum bis inveniri. Hic metuunt ne posthac pereat è mundo Vetus ac Novum Testamentum. Nec intelligunt ad eum modum aliquoties loqui divum *Hieronymum*, nec legisse videntur *Augustinum*, qui docet aptius dici *Instrumentum* quam *Testamentum*. Idque verissimum est, quoties non de re, sed de Voluminibus verba fiunt. Nam Testamentum esset, etiamsi nullum exstaret scriptum: quum enim Dominus diceret, *Hic est calix Novi Testamenti*, nullus erat liber Novi Testamenti proditus. Itidem Testamentum Vetus erat prius quam *Moyses* conscriberet *Pentateuchum*. Porro tabulas & codicillos, in quibus pacta descripta sunt, *Instrumenta* vocant. De quo si quis dubitat, legat *Pandectarum lib.* XXII. illic inveniet titulum *De fide Instrumentorum*: nec tamen reprehendendus qui codices appellat *Testamentum*, videlicet per figuram Synecdochen. Non animadvertunt autem se, quum hic in me debacchantur, in *Hieronymum* & *Augustinum*, Ecclesiæ columnas, debacchari. Hæc ad gustum satis sunt. Sed heus! pene fugerat quod est omnium gravissimum. In *Colloquio De fide* dicuntur bruta fulmina, quæ montes & maria feriunt, sed irritis ictibus. Hic sublimes quidam brevi nominandi, dicunt contemni Pontificis excommunicationem, nec animadvertunt hæc dici ab hæretico, qui sibi videtur non recte excommunicatus: quem tamen corrigit Orthodoxus, respondens ad jocum de fulgure ex vitro, certe territat & hoc: subindicans etiam injustam excommunicationem formidandam homini pio. Deinde quum sub hæretici persona dicitur, *solus Deus habet fulmen quo feriat animam:* id sic corrigit Orthodoxus, *quid si Deus est*

An. 1527. *est in suo Vicario.* Et hæreticus nihil aliud respondet, quam *utinam sit.* Hic nec sub hæretici persona quicquam dicitur, quod idem non possit ab Orthodoxo dici in sententiam excommunicationis non recte latam. Hujus generis habeo permulta, ac præterea non pauca, minus quidem evidentis stultitiæ, sed quæ nihilo minus habent malitiæ. Ubi interim fraterna charitas, ubi pudor humanus, ubi sinceritas *Christiana?* Si talia nobis exempla produntur ab iis qui profitentur Philosophiam Euangelicam, quid exspectabimus ab imperita multitudine? Si sal insulsum est, imo si versum est in venenum, unde condietur populi stultitia? Unde petetur antidotum, si medici porrigunt venena? Ego profiteor & semper professus sum honorem suum deberi Theologis, summo in precio fuisse jam inde ab Ecclesiæ primordiis Monachos, idque jure optimo. Quis enim non veneretur eos, qui nobis ex sacris Literis commonstrant iter ad æternam felicitatem? Quis non exosculetur eos, qui nobis inter tot veteris Paganismi vestigia, puriorem *Christianismum* exhibent? Verum ista facta Deum immortalem quantum absunt ab illis favorabilibus titulis? Tolerabilius erat, si me tantum læderent: nunc & fructum pietatis intercipiunt, quem multi se fatentur ex meis capere lucubrationibus, & auditorum animos exitiali calumniæ veneno inficiunt, & pernicioso exemplo sollicitant ad rem omnium maxime nefariam. Denique, non sibi modo conflant odium apud eruditos quosque ac pios, verum etiam, ut sunt nunc hominum judicia, ordini suo non parum invidiæ lucrifaciunt. Quorum improbitas, si nec lenitate mea, nec tot apologiis placari potest, efficiam tandem ad quod me compellit *Christiana* Lex, depellam à me calumniam, & seniores sine fine peccantes coram omnibus coarguam, declarans & meam innocentiam, & illorum plus quam *Judaicum* malitiam: postremo, ordinis invidiam in ipsos auctores avertam. Si, nullo læso, queam meis mederi vulneribus, nihil magis optarim: verum quando hoc per istos non licet, æquum est eis imputare, qui nos huc compulerunt. Bene vale, mi *Roberte* in *Christo* charissime. Gaudeo tibi contigisse patronum, ingenii candore, vitæque sanctimonia tui similem: cujusmodi Præsules utinam plurimos haberet orbis *Christianus.* *Basilea* 23. Augusti, Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCLXXXIII.

*Erasmus Roterodamus Joanni Borsalo, Decano Zaudeburgensi,* S. D.

AMORIS in me tui, non exstincti quidem, sed tepidioris suspicionem conceperam ex literis *Martini Dorpii,* & arbitror te scire, de quo sentiam. Verum ea suspicio non descenderat alte in pectus meum, & homo quum sim, istiusmodi humanis affectibus facile ignosco. Certe voluptati est te convaluisse, vel revixisse potius. Scripsi *Maximiliano* sicuti volebas, tametsi parum certus, an is esset filius *Adolphi* Principis *Veriani.* Opto te quam prosperrime valere. Datum *Basilea* 24. Augusti, Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCLXXXIV.

*Erasmus Rot. Guilhelmo Waramo, Archiepiscopo Cantuarienſi,* S. D.

VNICVM meum in *Christo* decus ac præsidium, partim ex literis tuis, partim ex his, quæ famulo mihi narranda commiseras, dilucide perspexi plusquam paternam tuam erga me pietatem. Idem utriusque votum est. Verum obstat præsens temporum conditio. Nondum ab acie licet discedere. Sed brevi fortasse licebit, ut minore intervallo dirimamur. Interim jubeo te bono esse animo. Tumultus hi plane fatales sunt. Me non citius deficiet animus, quam vita. Is, quem nosti, totius hujus Tragœdiæ, & quæ mota est *Lutetiæ,* & quæ nunc fervet vel furit potius in *Hispania,* auctor est, homo natus ad hujusmodi sycophantias, nec alia re celebris inter mortales. Verum apud *Hispanos* præcipue mendicantes agunt hanc fabulam, faventibus mihi Episcopis ac doctis præcipuis, præter aulæ studia. Res habebit, ut spero, prosperum exitum. Pecunia pensionaria nondum pervenerat ad *Petrum Ægidium* circa finem Julii, nunc arbitror redditam. Amplitudinem tuam incolumem servet Omnipotens. Datum *Basilea* 24. Augusti, Anno 1527. An. 1527.

## EPISTOLA DCCCLXXXV.

*Erasmus Rot. Richardo Sperchefordo* S. D.

EX *Linacri* Syntaxi, quam dono misisti, curabo ut fiam bene Grammaticus, tu cura ut ex *Chrysostomo,* quem tibi vicissim dono mitto, fias bonus Ecclesiastes, & certemus inter nos, mi *Richarde,* uter suo munere dexterius utatur, hac lege, ut is plus alteri debeat qui plus fructus ex accepto munere tulerit. Bene vale in *Christo,* cui me tuis interpellationibus commenda. Datum *Basilea* 24. Augusti, Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCLXXXVI.

*Erasmus Rot. Joanni Cochleio* S. D.

SCIEBAM errore factum de mutato editionis ordine, & si studio factum esset, res levioris est momenti, quam ut ob id minus jucundus sis amicus, tantum abest ut sim offensus. *Thomam Morum* tibi factum amicum gaudeo. Decet enim, ut, si juxta proverbium amicorum communia sunt omnia, sint amicorum & ipsi communes amici. Quod peninsulam *Cymbricam* cogitas, precor ut bene vertat. Iter perlongum est, & gens fera dicitur, & instat hyems, præterea Cæsar molitur generale Concilium. Habeo libellos, quibus continentur omnia acta inter Cæsarem, *Gallum, Venetos,* & Pontificem, excusa *Compluti* per *Cancellarium Mercurinum.* Verum si te urget res & allicit bona spes, mitius feram tui desiderium, quem tamen mallem abesse propius. Si Episcopi pugnarent pro regno *Christi,* non pro suo, alacrioribus animis capesseremus hanc militiam. Et tamen interim compescenda est improborum seditiosa temeritas, donec Deus afflet Principum animos. Horum tumultuum nullus unquam erit finis, nisi quædam mutentur, sed ea sunt ejusmodi, ut nulla spes sit fore, ut recipiant. Quare tibi nihil in isto negotio possum consulere, nisi ut spectes non hominum, sed *Christi* negotium, magisque sis intentus servandis hominibus, quam puniendis. Plura literis committere nec vacat, nec tutum est. Bene vale, frater & commilito in Domino charissime. Datum *Basilea* 25. Augusti, Anno 1527.

Optimo *Nausea* multam ex me salutem dicito.

## EPISTOLA DCCCLXXXVII.

*Erasmus Roterodamus Joanni Canio, Canonico Curtracensi,* S. D.

PRO tuo solito in me studio gratiam habeo maximam. Quod pecunia tamdiu mansit apud *M. Laurinum* mihi luculento damno fuit, quod tamen nulli possum imputare, nisi moribus aulæ. Si fuisset apud *Schetum,* ille curasset ne quid detrimenti caperem. *Petrum Barbirium* arbitror irato *Mercurio* natum, qui tot annos versatus in aulis Monarcharum, Cæsaris, *Romani* Pontificis, idque apud *Hispanos,* ubi glebæ fluviique ferunt aurum, tamen nudus ad nos redierit. *Nicolaum Barbirium* enatasse salvum non mea tantum causa gaudeo: nam scribis hoc mea quoque referre. Tibi precor omnia tuis digna virtutibus. *Barbirius* mihi debet bonam pecuniam, optarim ut mature ditescat, quo posset solvere. Datum *Basilea* 25. Augusti, Anno 1527.

Posthac, si commode potes, ne cui des pecuniam, nisi cui jussit *Erasmus Schetus.* Is rectius curabit, ut quam

Digitized by Google

An. 1527. quam minimo dispendio ad me perveniat, homo non optime *Latinus*, sed tamen optimæ fidei.

## EPISTOLA DCCCLXXXVIII.

*Erasmus Rot. Tielmanno à Fossa* S. D.

DEXTRO *Mercurio*, pro tam neglecto brevique epistolio, duas epistolas accepi, alteram justam, alteram, quæ breve volumen videri posset. Utraque mihi fuit gratissima, multis quidem nominibus, sed præcipue ob sincerum pectoris in me tui candorem, imo non in me, sed in eas potius dotes, quas in me credis esse, non meas. Quid enim est nostrum, sed si quid est, Dei est. *Heliam* optimum senem nobis ereptum doleo, cœlis redditum gaudeo. Quid enim illo candidius aut integrius? Proximis suis ad me literis subscripserat, *Helias tuus*, *barbarus*, *decrepitus*, *vivum cadaver*, quasi præsagiens imminere mortem. Illud *vivum cadaver* mihi displicuit, eaque gratia novissimis literis objurgavi hominem, qui templum sancti Spiritus appellaret cadaver, quum nulli magis vivant quam qui sic moriuntur. Respondit ille non calamo, sed re. Gratum est quod mihi depinxisti tuæ familiæ simulacrum, gratius quod fortuna tuo respondet animo, qui liberos tuos cures sancte educandos, sed ita ut unum duntaxat dicaris negotiationi. Quare quum octo liberos habeas, eosque tam sancte instituas, frustra mihi offers tuas fortunas communes, non enim sum tam impius, ut tam pie collocandis facultatibus quicquam detraham, animum totum amplector atque exosculor. Supereſt ut hanc amicitiam, è ferreo munusculo natam, adamantinis vinculis adstringamus. Dominus *Jesus* bene fortunet res tuas cum tota familia. *Basilea* 27. Augusti, Anno 1527.

*Sobio* ex me salutem plurimam.

## EPISTOLA DCCCLXXXIX.

*Erasmus Rot. Georgio Duci Saxoniæ* S. D.

ILLVSTRISSIME Princeps, lubens accepi libellum, lubentius tuæ Celsitudinis literas. Mitto nunc alterum librum *Hyperaspistæ*, si quis erit qui tantum velit suscipere sarcinulæ. An pro suo merito tractaverim *Lutherum*, tuum esto judicium. Illud possum vere dicere, mihi jamdiu nihil fuisse molestius, quam istius hominis glorioſas nænias perlegere. Nam hoc tædium erat devorandum, si voluissem illi serio respondere: neque me clam est, quos fremitus ille liber sit excitaturus, quod hæc ausim in ipsorum regno. Itaque ni me Principes suo favore sublevent, vereor ut subsistam, non tantum ob *Lutheranos*, quantum ob quosdam titulo *Antilutheranos*, re *Lutheraniſſimos*, qui victoriam *Christo* debitam conantur ad se trahere. Opto sereniſſimæ Celsitudini tuæ perpetuam felicitatem. Datum *Basilea* 1. Septembris, Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCXC.

*Erasmus Roterodamus Marco Laurino* S. D.

PRO officiis in me tuis studioque si gratias agerem, viderer arbitrari novum aliquid accidisse, quum tu, mi *Laurine*, quod olim facere instituisti, nunquam non facias. An isthic sileant Monachi nescio, certe in *Hispania* tantos excitant tumultus, eosque subinde novos, ut nec à Cæsare, nec Archiepiscopis *Toletano* & *Hispalensi* compesci quiverint, liberum genus, quod nec sacris, nec prophanis, nec divinis, nec humanis legibus parere novit. Soli rustici potuerunt illos hic in ordinem redigere, quorum tumultus tam mihi semper displicuit, quam ipsis male cessit, eumque exitum semper divinaram. Fratri tuo scripsi ut volebas, de pensione Cæsarea nullam video spem nisi rediero. Nam res semel acta est in concilio, & mihi ex eo concilio D. *Margaretæ* nomine responsum est, & pensionem & alia me digna parata, si rediero. Quare non arbitror fratrem tuum, quamvis vocalem & strenuum patronum, hac causa fatigandum. Cæsar bis jussit numerari pensionem nobis extra ordinem, sed facilius illi paretur jubenti fieri exactionem quam solutionem. Sorores tuas incolumes esse gaudeo, sed miror quid cogitent. An decreverunt perpetuam viduitatem? Si quando nupturæ sunt, nunc nubent tempestivius, nisi fortasse tu meditaris novum collegium *Brigidensium*. Monetæ mutata æstimatio conflavit mihi non mediocre dispendium. *Livinus* frequenter ad me scribit. Tibi cum sororibus tuis precor omnem in Domino felicitatem. Datum *Basiloa* 1. Septembris, Anno 1527. An. 1527.

## EPISTOLA DCCCXCI.

*Erasmus Rot. Georgio Duci Saxoniæ* S. D.

ILLVSTRISSIME Princeps, quum hanc responsionem apparārem, Celsitudinis tuæ literæ, multum diuque quæsitæ, noluerunt ad manum venire. Ita fere fit, ut quod maxime quæritur, fugiat maxime, & interdum diligentius seponendo perdimus quod in primis ad manum esse volebamus. Proinde ex his, quæ memoria teneo, respondeam oportet. Scripseram ante dies aliquot de literis tuis redditis sine poculo, sed paulo post civis quidam *Basilienſis* mihi reddidit, ex fide cujusdam negotiatoris *Argentinenſis*, quod & chirographo meo testatus sum. Erat profecto munus & magnificum & elegans, verum eo non perinde sum delectatus, atque animi in me tui jam ab omni suspicione defecati, vereque benevoli tam insigni testimonio. Nec mediocre solatium in his fatalibus turbis attulit illa Celsitudinis tuæ epistola, tam amica, tam alacris & candida. Nec semel legi literas, quibus *Luthero* provocanti respondes, mire festivas, ingenuas, ingenioſas, & quod est *Christiano* Principe dignum, severitatis habent satis, sed longe plus clementiæ. Utinam Dominus immutet mentem illius, & obtemperet admonitioni tuæ saluberrimæ, qua claudis epistolam tuam. Ego profecto nunquam satis demirari potui hominis spiritum & ingenium. Si malo perverſoque spiritu ducitur, quid unquam exortum est exitiabilius Ecclesiæ Catholicæ? Sin bono, in multis desidero fructus euangelici spiritus, ne dicam in omnibus. Sin mixto, quî potest duorum spirituum tantus esse vigor in eodem pectore? Multa quidem irrepserunt in vitam *Christianorum* vicia, jam non ferenda, quædam sic abierunt in consuetudinem, ut pro virtutibus habeantur. Itaque piis hominibus multa displicent, quæ mutata vellent, si citra tumultum orbis fieri queat, cujus animi scio Cæsarem esse. Sed *Luthero* displicent omnia. Verum ista factio, etiamsi nemo scriptis oppugnet, etiamsi Pontifex & Cæsar conniveant, ultro dissipabitur, tanta est inter ipsos discordia, ne commemorem mores hujus populi, quem nobis gignit hoc euangelium, minime euangelicos. Supereſt ut Principum auctoritate pollens sapientia, sic coerceat seditiosam *Lutheranorum* licentiam, ne altera ex parte surgat periculosius incendium, de malis Monachis loquor, & nonnullis ejusdem farinæ Theologis, qui quales apud vos sint nescio, apud *Hispanos*, *Ungaros*, *Polonos*, *Anglos*, *Brabantos*, sed præcipue *Gallos* ex conspiratione miram orsi sunt tragœdiam, adversus bonas literas, & me per quem putant hæc studia vel excitata, vel adjuta. Vicissent clamoribus & libris sycophanticis, nam hisce præsidiis fidunt, ni Principum ac Præsulum auctoritas impotentes illorum & centauricos motus cohibuissent. Quod idem ante paucos dies Rex *Christianissimus* fecit in *Gallia*, cujus fabulæ si tua Celsitudo partem aliquam volet cognoscere, poterit ex his quæ misimus *Hieronymo Emsero* tuæ benignitatis alumno. Non enim ausus sum Illustrissimam Celsitudinem tuam, Reip. negotiis occupatissimam, tam loquacibus nugis obtundere. Quam instructus sim adversus *Lutherum*, aut quid simus profecturi libellis nescio. Nam *Diatriba* mea quid aliud



Digitized by Google

An. 1527. effecit, nisi ut ille suum dogma magis etiam confirmaret? Certe pro meis quantulisçunque viribus non deero Catholicæ concordiæ, cui & vitam debeo. *Hyperaspista* pars altera jamdudum exisset, sed oborta quorundam, de quibus modo dixi, per omnes mundi plagas, conspiratio coegit, relictis, quæ erant in manibus, libris & epistolis, præsenti malo occurrere: nam hac tempestate *Lutetia* misit nobis quinque volumina in me scripta, furiosis calumniis plena. Idem in aliis quoque regionibus adornabant. Et tamen utrique negotio satisfeciſſem, ni mense Junio talis morbus occupasset hoc corpusculum alioqui caducum, ut medici nihil vel opis vel spei sint ausi polliceri. Itaque solius Dei præsidio fretus vivo, victurus donec illi visum fuerit. Recipiam nunc in manus quod cœptum erat, &, si Dominus dabit aliquid virium, absolvam brevi. Exemplar literarum ad tuam Celsitudinem *Lutheri*, & tuæ Celsitudinis ad illum, misi in aulam *Anglicam*. De Professore quem miseram, scripsi rem omnem *Emsero*. Quod tua benignitas studio provehit linguas ac bonas literas mihi longe gratissimum est, quod ut perpetuo facias te majorem in modum rogo. Illustrissimam Celsit. T. incolumem ac bonis omnibus florentem servet Omnipotens Dominus, qui per vos sedatis hisce tumultibus, Ecclesiæ suæ pacem & tranquillitatem restituere dignetur. Datum *Basilea* 2. Septemb. Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCXCII.

*Erasmus Roterodamus Alfonso Archiepiscopo Toletano* S. D.

IPSA re comperi verissimum esse, reverende Præsul, id quod scribit Apostolus *Paulus Corinthiis*, Deum, qui toties in Scripturis pollicetur se non defuturum iis, qui spei suæ sacram ancoram figunt in ipso, esse bonæ fidei, ac præstare quod promisit. Quanquam enim patitur suos variis afflictionibus exerceri, variis improborum infectationibus vel purgari, vel explorari, tamen ita temperat afflictionum magnitudinem, suamque vicissim gratiam opitulatricem, ut non sinat eos opprimi malorum undis, sed rebus etiam deploratissimis addit lætum exitum. Et in ipso interim certamine pro sua bonitate, laborum asperitatem solatiolis quibusdam admixtis subinde lenit mitigatque: quo pondus tentationis humana imbecillitas possit sustinere, quod significanti verbo dixit ὑπομενεγκεῖν, quasi dicas *tolerando vincere*. Alioqui qui posset hæc animula, hoc corpusculum natura tenerum, nunc etiam senio, morbis, &, quæ maxima malorum pars est, tædio fractum, tot tumultibus & infectationibus par esse, nisi divina bonitas crebris lenimentis fatiscentem humanæ naturæ infirmitatem sublevaret. Præcipuum quidem in rebus adversis solamen est, bene sibi conscia mens, & æterni præmii spes. Verum ille frequenter & per homines pios suggerit aliquid solatii. Hujus enim benignitati acceptum fero tuam, eximie Præsul, epistolam humanitatis & *Christiana* pietatis plenam, ex qua tantum cepi voluptatis, ut quum me reperisset laborum ac malorum tædio prope delassatum, tamen omnem molestiæ sensum repente absterserit ab animo, vigoremque & alacritatem reddiderit. Porro quemadmodum minus me discruciat privatus dolor, quam publica rei *Christiana* calamitas, ita magis me recreat communis populi felicitas, quam mea, si qua est, commoditas. Quantula est enim hujus homuncionis jactura, quod ad corpusculum & famam attinet, præsertim si spectes rerum omnium universitatem? Profecto non multo major, quam apud nos unius culicis. Sed quis ex animo favens *Christi* gloriæ non vehementer doleat, eo recidisse rem *Christianam*, ut qui tot modis profitentur perfectum *Christianissimum*, tam impudentibus calumniis, tam evidentibus mendaciis, tam malitiosis artibus, tanta pertinacia debacchentur in eos, qui pro suo modulo dimicant pro vera pietate? Si hæc faciunt qui se jactant mundo mortuos, quid exspectandum à cæteris? Quo magis autem gratulor *Hispaniæ* studiorum ac religionis profectibus feliciter efflorescenti, hoc acerbius fero publicam felicitatem istis tumultibus contaminari, quam ego solidam ac perpetuam esse cupiebam. Quin videre videor periculum, utinam me fallat animi præsagium, ne ista velitatio exeat in bellum cruentum. Novimus enim artes Satanæ, qui nunquam gravius lædit *Christianam* religionem, quam quoties transfiguratus in angelum lucis, religionis fuco grassatur in publicam concordiam, quam utinam liceat vel hujus capitis jactura redimere. Cæterum ex adverso recreor animo, quoties reputo talibus tantisque viris esse cordi *Christi* sinceræque pietatis negotium. Quanquam enim tuus animus, quem mihi tua depinxit, expressit, ac repræsentavit epistola, sic placuit, ut vix alterius magis; sunt tamen alii complures tuæ sublimitati, si non pares, certe similes, à quibus frequentes ad me convolant epistolæ: quorum primus est *Guilhelmus Waramus*, Archiepiscopus *Cantuarienſis*, qui sic angitur meis malis, sic recreatur successu, ut pro se sit minus sollicitus. Quicquid ille habet, tam mihi commune est, si velim uti, quam est quod domi in scriniis habeo conditum. Id mihi pluribus experimentis cognitum est, & objurgor, quod non utar ipsius benignitate. Proximus est *Laurentius* Cardinalis *Campegius*, quo nihil optari potest sincerius aut amantius. Tertius *Joannes* Episcopus *Roffensis*, quem arbitror è scriptis tibi notum esse. Quartus *Joannes* Episcopus *Lincolnienſis*, cujus amantissimas literas quotannis bis accipio. Quin & ipse Cardinalis *Eboracenſis* non raro literis suis humanissime scriptis me dignatur. Porro *Cuthertus Tonstallus*, nunc Episcopus *Londonienſis*, vobis, opinor, non ignotus, ut qui nuper istic legatione functus sit, animus meus verius est quam amicus. Nec hic mea merita prædico, sed illorum potius admirandam humanitatem. Similes horum habet & *Gallia*, sed præcipue *Michaelem Bodetum*, Episcopum *Lingonienſem*. Ab Rege *Gallorum*, à Rege *Britanniæ*, à Duce *Georgio*, aliisque Principibus tantum redditur epistolarum, ut aliquando respondere non vacet. Porro literis eruditorum hominum, quorum permulti dignitate quoque præminent, vix sufficiunt scrinia. Ne quid interim commemorem de Cæsaris ac *Ferdinandi*, nunc *Ungariæ* Regis, amantissime simul & honorificentissime scriptis epistolis. Hæc me vocant in optimam spem, fore ut hi fatales rerum tumultus aliquando consopiantur, atque hæ tragœdiæ in lætam exeant catastrophen. Talis nimirum artifex est *Christus*, qui novit sponsam suam dejectionibus erigere, angustiis dilatare, oppugnationibus communire, mortibus vivificare, ignominiis glorificare. Quod si me vivo continget, libentius & alacrius hinc decedam. Sin aliter visum est illi, non dubitabo quin optimum sit quicquid illi placuerit. Proinde quod me tua hortatur pietas, ut in his, quæ patior, constantem & infractum animum præstem, quanquam eram id mea sponte facturus, adspirante *Christo*, tamen tanti Præsulis voce confirmatus idem faciam posthac & diligentius & alacrius. Quæ defers per eximium Theologum *Joannem Vergaram*, hoc mihi sunt gratiora, quo minus promereor, eoque magis istam tuam inauditam benignitatem exosculor. Ea quoniam scio à sincera promtaque benignitate deferri, arbitror me nihilo minus debere quam si quicquid oblatum est accepissem. Nec dubito quin pari candore meum quoque animum sis æstimaturus, ut quicquid à me gratiæ referri poterat si liceret, id relatum existimes. Certe si quid exstiterit occasionis, qua tibi meo vel officio vel industria gratum facere queam, nihil fecero lubentius. Dominus *Jesus* amplitudinem tuam servet incolumem. Datum *Basilea* 2. Septembris, Anno 1527.

An. 1527.

EPI-

Digitized by Google

## EPISTOLA DCCCXCIII.

*Erasmus Rot. Francisco Vergarae* S. D.

An. 1527. IN præsentia, *Francisce* chariſſime, vix tantum erat ocii, ut te vel reſalutarem, pro tam copioſa, docta, amica, feſtiva epiſtola. Et ſi maxime fuiſſet ocium, poterat me ſic undique ſcatens omnibus Muſarum & Gratiarum ornamentis oratio à ſcribendo deterrere. Quis credidiſſet huc uſque progreſſuras *Gracanicas* literas, ut adoleſcentes ſcriberent epiſtolas tam feliciter ἑλληνιζούσας; an exſpectas ut ſenex invideam juvenibus? Adeo non invideo, ut vix aliunde capiam plus voluptatis. Qui erga juventutem ſuboleſcentem paternos gerunt affectus, iis ad hunc modum obſcurari vincique gratiſſimum eſt. Hujus ſane gaudii ſenſum toto pectore percipio. Viſum eſt epiſtolæ tuæ exemplar mittere *Lovanium* ad Collegii trilinguis, quod ibi florentiſſimum eſt, profeſſores, quo magis illos exſtimularem. Gratulor tibi, ornatiſſime adoleſcens, gratulor veſtræ *Hiſpaniæ*, ad priſtinam eruditionis laudem, veluti poſtliminio refloreſcenti. Gratulor *Compluto*, quod duorum Præſulum *Franciſci* & *Alphonſi* felicibus auſpiciis ſic effloreſcit omni genere ſtudiorum, ut jure optimo πάμπλουτον appellare poſſimus. Hoc tibi perſuade, mi *Francisce*, nihil iſtoc tuo in me animo gratius, nihil epiſtola jucundius accidere potuiſſe. Habet, ut jocaris, *Hiſpania* & nunc ſuum *Geryonem*, monſtrum τρισώματον, ſed habet eadem auſpicatiſſimum *Geryonem* in tribus ornatiſſimis fratribus μίαν ψυχήν. Hoc tantum licuit in præſentia. Nolim exiſtimes tibi reſponſum eſſe, ſed tantum ſalutationem redditam. Bene vale, μετὰ τῶν φιλολόγων ἁπάντων. Datum *Baſileæ* 2. Septemb. Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCXCIV.

*Erasmus Rot. Joanni Vergarae* S. D.

ABSOLVIMVS ſecundum *Hyperaſpiſtæ* librum, quod facere non poteramus, niſi prius diligenter perlectis *Lutheri* ſcriptis, in quibus tantum eſt ſcommatum, ſannarum, conviciorum, gloriarum, inſultationum, ovationum, ac triumphorum, ut me minimo minus tædio enecarint & priuſquam chartæ calamum admoverem. Prorſus illic ſenſimus ἀλμυρὸν λόγον, ut habet proverbium, nec ullum abſinthium amarulentius. Dedimus *Ambroſium* totum cum majeſtate excuſum, multoque caſtigatiorem. Addidimus Commentarios *Chryſoſtomi in Epiſtolam ad Galatas*, *Latine* per nos loquentes. Præterea Homilias aliquot *Origenis* in *Matthæum*, partem ejus Operis, quod nos habemus ἀκέφαλον, imo vix dimidiatum. Dedimus & alia quædam minutiora. Hos labores exantlatos excepit alius labor, reſpondendi amicorum & inimicorum epiſtolis, quæ faſciculatim ex omnibus propemodum orbis regionibus huc perferuntur. His tædiis, his laboribus, *Vergara* dulciſſime, tantum non enecto, tandem & tua reddita eſt epiſtola, tam amica, tam elegans, tam candida, tam feſtiva, ut omnem laſſitudinem è corpore pariter atque ex animo depulerit. Juncta erat epiſtola Archiepiſcopi *Toletani*, quo patrono te vel inprimis felicem judico, licet alioqui tot egregiis dotibus feliciſſimum. Utinam noſtra *Germania* multos tales haberet Epiſcopos. Qui ſplendor orationis, ſed inaffectatus, quæ ſententiarum gravitas, ut tota ſpirat heroicam majeſtatem cum modeſtiſſimi Præſulis humanitate conjunctam? Ex animo loquor, neque convenit ut apud te fucis utar, cujus ingenio nihil eſt ſimplicius candidiuſque: ſed utraque jam ſarcinas adornante *Frobenio* reddita eſt. Quare carptim ad aliquot epiſtolæ tuæ partes reſpondeam oportet, alias libenter tecum quam loquaciſſime confabulaturus. *Alphonſum Verveſium* ex amicorum literis intelligo longe alium virum quam liber ille præ ſe ferebat. Itaque ſatius reor totum hoc quicquid eſt querelæ conſopire, & *Chriſtianam* amicitiam melioribus auſpiciis inter nos jungere. Næ tu mihi τὴν πτωχοτυφίνων Tragœdiam luculenter depinxiſti, quæ nunc à turbulenta protaſi ad turbulentiorem ἔκτασιν incaluit, ſupereſt καταστροφή, quam opto felicem non tam mihi quam *Chriſtianæ* pietati. Non enim dimicamus pro privatis hominum commodis, ſed pro *Chriſtiani* gregis publico bono: neque ventribus quibuſdam improbis ſuam tyrannidem aſſerimus, ſed hoc molimur, ut in omnibus regnet ac triumphet *Chriſtiana* charitas: nec id facere deſinemus, quando negotium, recto ut arbitror judicio ſuſceptum, ſincera conſcientia facere pergimus. Quod iſthic nunc agunt, conati ſunt ante annos undecim, & non ſucceſſit. Atque adeo pridem ſimul in omnibus mundi partibus, ut intelligas de compoſito rem geri, tentarunt eandem fabulam, ſed nuſquam non exploſa eſt, præterquam iſthic. Demiror huic hominum generi tantum licere, ut & Cæſari, & Pontifici, & Archiepiſcopis auſit oppedere. Et interim jactatur illa ſacroſancta obedientia, tertium votum, quum ſoli nec divinis nec humanis legibus pareant, ſed quod volunt ſanctum haberi poſtulent: de improbis loquor, atque utinam in pauciores hæc competant. Jactatur vox Apoſtolica, *Oportet obedire Deo magis quam hominibus*, ſed eadem nunc eſt *Lutheranorum*. Et revera iſti religioſe Deo ſerviunt, ſed illorum exemplo, de quibus ſcribit *Paulus*, *quorum Deus venter eſt*. Qui libros meos iſthic *Hiſpanice* loqui doctos excudunt, utrum ſtudio mei faciant, an odio, parum liquet, mihi certe movent gravem invidiam. Ex hoc fonte nata eſt & *Lutetia* non levis Tragœdia, quam ex aliis amicis partim, partim ex libro, quem ad te mitto, cognoſces. Id cur tantopere horreant non difficile eſt conjectu. In concionibus, in conviviis, in colloquiis, in navibus, in vehiculis, in ſutrinis & textrinis, in ſacris confeſſionibus deprædicare ſolent *Eraſmum* eſſe hæreticum longe peſtilentiorem *Luthero*, ac perſuaſerunt multis idiotis, adoleſcentibus, ſeniculis, ac mulierculis. His præſidiis promittebant ſibi certam victoriam. Quod ſi *Eraſmus* incipiat loqui populari lingua, detegetur iſtorum malitioſa vanitas, & tales habebuntur quales ſunt: Hinc nimirum illæ lachrymæ. Porro quod fingunt me colluſiſſe aut colludere cum *Luthero*, contra ſuam ipſorum conſcientiam impudentiſſime mentiuntur. Sciunt enim neminem inviſiorem *Lutheranis* quam *Eraſmum*. Quod ſi pernegarint, coarguet illos ſervum Arbitrium *Lutheri*, quo nihil unquam ſcripſit hoſtilius: rurſum duo libri *Hyperaſpiſtæ*, quorum poſteriorem nunc emiſimus. Certe in hac *Germania* parte, nullus adhuc auſus eſt adverſus iſtos calamo χεύζειν, quod utinam mihi vertat bene. Ubi vident utrinque fuſum ſanguinem, & ademtam fœderis ſarciendi ſpem, ubi vident meo partim periculo rem *Lutheranam* inclinare, me conjuratis phalangibus adoriuntur in ipſo conflictu periclitantem. Hæc eſt τῶν ψιλοδομονάχων civilitas. Qua re ſciunt *Luthero* nihil accidere poſſe gratius, nec Eccleſiæ tranquillitati peſtilentius. Hæc eſt illorum pietas. Poſtremo, ſciunt hos tumultus diſplicere *Romanis* Pontificibus, Cardinalibus, Archiepiſcopis, tot Principibus, tot eruditis, atque ipſi demum Cæſari: Hæc eſt iſtorum obedientia. Quod ajunt meos libros *Lutetiæ* publico judicio damnatos, aut legi prohibitos, impudens eſt mendacium, quum omnia mea proſtent *Lutetiæ*, & nuper *Colloquia* ſint illic excuſa à *Colineo* typographo, quum nulli libro ſint magis infenſi. Sed librum, quem ſcripſit in me *Bedda*, Rex edicto publico vetuit diſtrahi: tametſi Rege deluſo clam diſtractus eſt. Et ob eandem cauſam quum *Bedda* veniſſet in aulam regiam, neſcio quid agens almæ facultatis nomine, juſſus eſt illic manere donec reſponderet ad ea quæ ſcripſiſſet: ille multa cauſans, ac in omnia ſe vertens, vix poſtridie dimiſſus eſt, ſed hac lege, ut quandocunque vocaretur ſiſteret ſeſe. Ex eo libro quidam eruditus ac probus Regi chariſſimus decerpſit duodecim propoſitiones, eaſque cum mea reſponſione *Gallice* verſas exhibuit; quæ quam



Digitized by Google

An. 1527. Regi placuerint declarabit exemplar epistolæ, quam mitto. Is, quem pene ad ignem adegerant, quod quædam mea vertisset *Gallice*, causam agit adversus *Beddam*, tres priores Monachos, qui in innocentem, ut scribunt, pronunciarant sententiam hæreseos definitivam: & exustus erat, nisi Senatus, mater regia, & Rex ipse forte tum appellens in *Galliam*, furoris incursum inhibuissent. Is, inquam, quem destinarant mactationi, nunc apud Judices à Rege delegatos reos peragit, *Beddam* hujus sceleris satellitem, & priores ad hoc facinus subornatos, & ipsam denique sacratissimam facultatem, quæ clam, ut rumor, inservivit huic negotio: Actor ex reo promittit sibi certam victoriam, quamvis habet gravem adversarium atque immortalem, ut plane verear tandem hominis fortitudo in nervum erumpat. Hoc tamen in exemplum putavi referendum, alioqui, mihi crede, si tantum istis liceret ad lædendum bonos, quantum libet, brevi futurum, ut in ipsos Principes & Episcopos insiliant. Et si quid esset agendum de componendis Ecclesiæ rebus, illud in primis esset agendum, ut Mendicantium ordines subjicerentur suis ordinariis, quemadmodum cæteri Clerici, mox omnes ad unum genus redigerentur. A multis illud jam olim, utinam vane, prædictum est, ex illis orituram Ecclesiæ perniciem. Jam enim quot tumultus excitarunt, nunc dissidiis, nunc conspirationibus. Verum de his alias. Etsi tum gratius esset animo meo, tum huic ætati ac valetudini congruentius, & fortassis conducibilius studiis, ab istis gladiatoriis pugnis feriatum esse, tamen quando video hoc esse fatum meum, boni consulo, quod hi tumultus me vivo exoriuntur, qui post obitum meum exorti gravius læsissent & famam meam & publica studia. Itaque mihi persuadeo hæc *non sine mente geri, nec sine numine Divum*, ut ait ille: si duntaxat hactenus favebunt Primates ne tumultu conjuratorum obruar, reliqua facile expediam, modo detur respondendi facultas. Et hoc animo sum, ut nolim in libris meis residere, quod pugnat cum *Christiana* pietate. Quod si Monachi rem gerent ea qua decet modestia, maximam à me inibunt gratiam: sin, quod scio factum & futurum, suo more peragent, tamen hostium animo malo abutar bene, & illorum maleficium vertam in publicum beneficium. Novi quanta sit istorum γαστροδουλία improbitas, & ipse scis *Hispanos* vehementi fervidoque præditos ingenio. Itaque spero Primatum prudentiæ futurum curæ, ne quid ex studiorum collisione nascatur dissidii, quod vestræ regionis tranquillitatem felicissimam minuat. Experientia docti sumus ex quam frivolis initiis aliquando nascantur sævissimæ tempestates. Tota hæc *Lutherana* tempestas ex levioribus initiis huc usque increvit. *Dominicani* commendabant impudentius Indulgentias Pontificias. *Lutherus* oppositi articulos. *Sylvester* inepte respondit: *Lutherus* acriter restitit. Mox Monachorum aliquot, quibus hinc opima messis, clamores ad populum, me ne id facerent reclamante: pro bono consilio, audivi male. *Lutherani* lapidabantur, & linguæ cum bonis literis. Decreverant enim eodem fasciculo complecti quicquid oderant. Quo processerit Tragœdia videmus. Adeo mihi non placent ejusmodi turbæ, ut malim unius mei, si fieri queat, jactura, redimi serenitatem, quam mea causa suscitari tempestatem, tantum abest, ut mea culpa velim. Satius arbitror Pontificis auctoritatem huic negotio non admisceri. Quis enim magis timet Monachos quam *Romani* Pontifices? Aut quis Pontificem animosius contemnit, quum ipsis visum est, quam Monachi? Hactenus habui *Romanos* Pontifices & Cardinales aliquot satis faventes. Sed ὁ ἀρχιερεὺς habet suas excetras, qui nihil non audent, & plurimum valent apud Pontificem. Præterea fervet illic Paganismus quorundam, quibus nihil placet nisi *Ciceronianum*: ac non *Ciceronianum* appellari, multo probrosius esse ducunt quam appellari hæreticum. Hos dictu mirum quam infensos habeam, quod non exprimam *Gieronem*, quem haud scio an quisquam istorum exprimat. Ego certe nec affecto, & si affectarem tractans rem *Christianam*, ridiculus essem. Jam non semel istos placavi, nec gravabor iterum placare. Bonos fere placatos habeo, tametsi quorundam simplicitati imponitur, quidam metu vel silent, vel cum cæteris vociferantur, ne veniant in suspicionem. Malitiosi quidam nunquam placabuntur. Si hoc est bellum cum istis gerere, ea monere quæ pertinent ad veram pietatem, ad mortem usque gessero bellum. De memoria mei, deque lucubrationibus, viderit *Christus*. Intercidere multa meis immortalitate digniora. Si mundi finis instat, ut Prophetæ quidam affirmant, non est tanti pro tantillo spacio depugnare: si mentiuntur Prophetæ, tamen arbitror instare tempus, quo minus est futurum licentiæ personatis quibusdam, quam hactenus fuit. Mihi quidem adversus omnes casus sufficit bona conscientia. Hæc nonnihil habent austeritatis. Reliqua tua epistola tota melle saccaroque scatet, eruditissime vir. Quanta cum animi voluptate legi, linguas ac bonas literas tam feliciter in *Hispania*, quondam fœcundissima magnorum ingeniorum genitrice, efflorescere, quum apud *Germanos* refrixerint, adeo ut professores salario publico conductos nemo velit audire? Quanto gaudio sum exosculatus omni decorum genere cumulatissimi Præsulis erga me studium ac benevolentiam, atque adeo benignitatem tam effusam & obviam, in hominem nihil promeritum? Quoties gratulatus sum vestræ regioni tales religionis antistites, talem studiorum successum, tam felicem eruditorum proventum? Equidem non teneor vitæ cupiditate, tamen quum hæc animo contemplor, lubet interdum repubescere. Nihil addubito quin ista polliceatur ex animo, benigniora præstaturus quam pollicetur, sed immensum est iter, & valetudo plus quam vitrea, nec video cui vobis usui esse possem hac ætate, atque adeo hac valetudine. Crebris epistolis invitor nunc huc, nunc illuc, non adspernandis conditionibus, sed ut olim mihi fortuna defuit, ita ego nunc desum fortunæ. Ad hæc in acie stanti moriendum est, ad eam rem accommodatissimus mihi est *Frobenius*, arma pugnanti suppeditans. Epistolam tui fratris adeo feliciter ἀναλωίζουαν & ipse legi libenter, & eruditis, qui mecum habitant, legendam tradidi, missurus eam & *Lovanium* ad Collegii trilinguis Professores, quo sic illis addam calcar. Nec dubito quin illos sit reddituta alacriores; cavebo tamen ne excudatur ejus injussu qui scripsit. Non vacabat nunc illi rescribere, nisi forte salutatiunculam. Et *Bernardo Tovari* video quantum debeam. Salsissime jocatur *Franciscus* in *Geryonem* quendam in *Hispania*, tricorporem, unico animo, sed pessimo in *Erasmum*. Valeat ille portentosus *Geryones*. Istius *Geryonis* omnine delector, quum video tres ornatissimos fratres eundem animum habere ἐν τοῖς ἔνδοθεν ἱεροῖς. *Tovari* multam ex me salutem dicito: nam *Franciscum*, si nihil aliud licebit per occupationes, certe salutabo. Habes carptim ad præcipuas epistolæ tuæ partes: verum in tantis occupationibus malim sic scribere quam nihil omnino scribere. Bene vale. *Basilea* 2. Septembris, Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCXCV.

*Erasmus Rot. Carolo, Romanorum Imperatori semper Augusto*, S. D.

Ut fateor me tuæ Majestati plurimum debere gratiam, Cæsar invictissime, quum privatim meo, tum publice studiorum nomine, quod me suo favore benigniter sublevare non est gravata: ita vehementer optarim, ut ista tua virtus, quæ potentissimos Reges domat, subigitque, parem habeat vel auctoritatem, vel felicitatem in domandis quorundam improborum tumultibus. Ego Pontificum ac Principum, sed præcipue tuæ Majestatis præsidio fretus, *Lutheranam* factionem, quæ utinam non tam late pateret, totam in me concitavi; ma-

Digitized by Google

Digitized by Google

KONINKLIJKE
BIBLIOTHEEK

Digitized by Google

An. 1527. magno sane capitis mei discrimine: cujus rei si quis fidem requirat, testabitur *Lutheri* servum Arbitrium, quod in me plusquam hostiliter scripsit; testabuntur *Hyperaspistae* libri duo, quibus illi respondeo. Nunc quum *Lutherana* res incipit declinare, idque ex parte mea opera meoque periculo, cooriuntur isthic quidam simulato religionis prætextu, ventris tyrannidisque suæ negotium agentes; nos enim pro *Christo* pugnamus, non pro commodis hominum: & *Hispaniam* tot alioqui nominibus felicissimam incompositis tumultibus reddunt irrequietam. Ex istiusmodi præludiis videmus aliquando gravissimas oriri tempestates. Certe *Lutheranum* hoc negotium ex multo levioribus causis ortum est. Quod ad me pertinet, non desinam usque ad extremum halitum *Christiana* pietatis causam tueri; tuæ vero Majestatis ac pietatis fuerit constanter ac perpetuo favere iis, qui sinceriter ac fortiter propugnant Ecclesiam Dei. Sub *Christi* tuisque signis milito, sub iisdem moriar, sed æquiore moriar animo, si prius videre liceat tua potentia, tua sapientia, tua felicitate, tranquillitatem redditam tum Ecclesiæ, tum universo populo *Christiano*. Quod ut per te nobis largiatur *Christus* Opt. Max. orare non desino, qui tuam Majestatem servare dignetur, semperque in melius provehere. Datum *Basilea* 2. Septemb. Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCXCVI.

*Erasmus Rot. Stephano Gardinario* S. D.

GRATISSIMVM fuit, mi charissime *Stephane*, mihi per literas refricari tui memoriam, non opus erat tot indiciis, hærebat animo illa imago quam *Lutetia* videram, adeo ut nunc pene coloribus possim exprimere: agnosco nunc eandem ingenii dexteritatem & in literis & in gravioribus negotiis obeundis, quam *Lutetia* præstabas in œconomicis. Nec tuæ literæ minus recrearunt meum animum abs te scriptæ, quam tum lactucæ delectabant palatum meum arte tua decoctæ. Gaudeo nobis patronum esse communem, & hoc magis tibi pariter ac mihi gratulor, quod intelligo cum primis te apud illum esse gratiosum. Nunc erant onerandi literis qui peterent *Saxoniam*, *Poloniam*, *Hungariam*, *Italiam*, *Hispaniam*, *Brabantiam* & *Angliam*, quare paucis tecum agere oportuit. Quoniam autem vix paucis licebat scribere, onerabo te negotio salutandi omnes, *Franciscum* medicum, *Tonesium*, *Burbancum*, *Petrum ab arenis*, cum cæteris qui nobis bene volunt. Bene vale, & auspicio tui nominis ad æterni præmii coronam emerendam enitere. *Basilea* 3. Septembris, Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCXCVII.

*Erasmus Rot. Rutgero Rescio* S. D.

RES erat levior quam ut ejus gratia negotium facesseres exsecutoribus. Ab illis nihil erat perscriptum, & bene tibi volebat qui significarat, nimirum hoc agens ne loco movereris; quod quidem à me curatum est. Nec tamen ea causa tam nullius est momenti, quam tu vis videri. Non admodum prolixa vox est *uxorcula*, verum ea vox multa secum trahit. Omitto affectus uxorios, curam liberorum, studium augendæ rei, aliaque permulta, quæ profitendi intentionem remittunt ac refrigerant, etiamsi non exstinguunt; certe à collegii contubernio te semovet uxor; ad quod exemplum si cæteros item invitet quæstus, quo proclives sumus omnes, jam collegium non erit collegium, sed sordida quæpiam schola. Uxorem fortasse duxisti inconsultis exsecutoribus. Dices, Cur non protinus amoverunt? Non erat paratus qui succederet, & prudentes haud facile novant, ubi res est tolerabilis. Hæc civilitas illorum benignitasque, mi *Rescî* charissime, magis exstimulare debet animum tuum, ut & susceptæ professioni, & talium virorum judicio simul & exspectationi respondeas. Habes, ut audio, frequens auditorium, hoc nomine tibi gratulamur, verum & optamus, & speramus tua diligentia futurum, ut habeas multo frequentius. Offeruntur aliunde magnificæ conditiones. Quid, quod isthuc ipsum quodammodo debes, non solum exsecutoribus, verum etiam ipsi professioni, quæ te ornavit, quæ tibi clarum celebreque nomen peperit, & fortasse uxorem dedit? Nec hic tantum spectandus est quæstus, sed multo magis honesta fama, quæ multa commoda, quamvis non affectes, secum trahit. Quod amplissimis promissis invitaris in *Galliam*, scis qualia vulgo ferantur *Gallorum* promissa, nec ignoras quid acciderit *Æsopico* cani. Sed donemus conditiones non minus certas esse quam magnificas, memineris hujus etiam commodi portionem non minimam te isti debere collegio. Quare te rogo, mi *Rescî*, literas, quæ te ornarunt, vicissim ornare contende diligentia dexteritateque profitendi. Certa cum *Goclenio*, certa tecum. Id magis tua refert quam studiorum, sive perseveras isthic, sive quo alio te vocat aura fortunæ. Epistola tua sapiebat nescio quid ἐριστικὸν καὶ δικανικόν. Si delectat litigare, cum improbis potius & Musarum hostibus litigandum censeo. Tibi cum humanissimis viris res est, quibuscum nemo potest litem suscipere, nisi difficilis & iniqui lucrifaciat opinionem. Illi te non movebunt loco, nisi gravis aliqua causa urgeat, idque multo minus facient, si non tantum vigilantia docendi, verum etiam morum integritate professionem & collegium honestes. Nec tu, quæ tua est probitas, deseres illos temere. Quod si quid inciderit quod merito vos dirimat, id fiet & amicitia nostra & fama tua incolumi. Quod ego sane spero non futurum. Concordia mutua, studio profitendi, & morum civilitate vincetis quicquid est hostium felicissime. Hæc ut ab amantissimo tui profecta, tu simili accipies animo. Dulcissimam conjugem tuam resalutabis ex me diligenter, ac pubem honestissimorum studiorum alumnam. Bene vale. Datum *Basilea* 7. Octobris, Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCXCVIII.

*Erasmus Rot. Joanni Bibliopego Dano* S. D.

VIDES *Homerum* esse vatem minime vanum. Si fluctus & matrimonium sunt tibi prospera, est quod vehementer gaudeam. Vix credas quantum tuo *Dilfo* debeas, adeo sincero affectu, primum missis literis, mox præsens re, honoris tui rationem habuit. Quo magis debes illi benevolentia fideque respondere. Agit apud nos, cum Musis agitans consuetudinem. Placavit propemodum omnes, apud quos tui desiderium reliqueras, haud dubie placaturus omnes, si tam præsto fuisset facultas quam adest voluntas. Exhaustus huc venit, adeo ut ipsi propemodum opus sit benigno creditore, tantum abest ut illi possim aliquid detrahere. Proinde tuas literas exspecto ἐ κενὰς, sed te meque dignas, quæ simul & *Bibliopegum* & *Dilfum*, & *Roterodamum* omni sollicitudine liberent. Id eo facies copiosius, si perscripseris vitæ fabulam, idque quam primum. A *Christierno* δῶρον δωρεὰν exspectavi, imo nihil exspectabam. Hic *Dominicanus* quidam palam duxit uxorem, instigante, ut ajunt Decretales, diabolo, adeo vetulam, ut *Hecuba* soror esse possit. Quin & *Suffraganeus* ille *Augustinensis* cascus cascam ambit, procus septuagenarius. Ni te hinc propere abripuisses, erat & de me nonnihil spei, te quidem conciliatore. Verum alias plura nugabimur. Vale & scribe. Datum *Basilea* 7. Octob. Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCXCIX.

*Erasmus Rot. Francisco Vergarae, Graecarum literarum apud Complutum Professori*, S. D.

NAE tu, charissime juvenis, *Virgiliani Daretis* imaginem nobis refers, *Entellum* jam senio fessum ad certamen provocantis, qui me literis & jucunde



Digitized by Google

An. 1527. prolixis & feliciter græciſſantibus, ad reſpondendum, quo verecundius invitas, hoc acrius impellis, non alia re magis violentus, quam quod vim admovere times: ut hoc minus mihi liberum ſit tibi negare, quod pro tua ſingulari modeſtia pateris me tibi, quamvis avide cupienti, negare, videlicet amorem amore ſuperans. Quanquam hæc ſimilitudo plurimum habet diſſimilitudinis. Neque enim *Eraſmus* hoc unquam fuit in literis quod *Entellus* in ceſtibus: neque res hæc fuſtibus nodoſis geritur, ſed amœnis Muſarum floſculis, & levibus calamis: neque qui vincitur atrum vomit ore cruorem, ſed amabilem haurit eruditionem: neque liventia vibicibus, tumentiave plagis membra refert, ſed animum acceſſione doctrinæ ornatiorem. Hoc certe convenit, quod ſenex à juvene florentiſſimo provocor, licet quidvis potius quam ſedens & ocioſus, ſed plane deſudans tumultuanſque licet in diverſiſſimo ſtudiorum genere. Quanquam ut video me ad triplex vocari certamen, amoris, laudis, & eruditionis: ita perſpicio mihi cum tergeminis fratribus rem eſſe, hoc magis invictis quod diſtrahi nequeant: nam hac arte tres *Curiatios* fratres unus vicit *Horatius*. *Joannes* frater tuus in ſuis ad me literis, jocatur quidem lepidiſſime, ſed nihil vetat jocando dicere verum, rurſus *Hiſpanias* habere ſuum *Geryonem*, ſed auſpicatiſſimum, tricorporem quidem, ſed unanimem. Primum igitur quod ad eruditionis laudem attinet, adeo non venturus ſum tecum in certamen, ut etiamſi detur ocium, reddatur juventus, nihil aliud quam gratulaturus ſim, & tibi privatim iſtam felicem indolem, omnia ſumma de ſe pollicentem, & publicitus *Hiſpaniæ* veſtræ, tanto ſucceſſu, priſcam eruditionis gloriam ſibi poſtliminio vindicanti. Quæ quum ſemper & regionis amœnitate fertilitateque, ſemper ingeniorum eminentium ubere proventu, ſemper bellica laude floruerit, quid deſiderari poterat ad ſummam felicitatem, niſi ut ſtudiorum & religionis adjungeret ornamenta, quibus adſpirante Deo ſic paucis annis efloruit, ut cæteris regionibus quamlibet hoc decorum genere præcellentibus vel invidiæ queat eſſe, vel exemplo. Quod autem in hujus laudis portionem aliquam & me vocat tuus candor, mi *Vergara*, non ſum tam impudens, ut agnoſcam quod tribuis. Noſtratium ingenia fortaſſe nonnihil, vel juvi, vel excitavi, quanquam hoc ipſum excitaſſe nonnunquam juviſſe eſt: Vos iſtam felicitatem ſecundum Deum debetis laudatiſſimæ Reginarum *Eliſabetæ*, *Franciſco* Cardinali quondam, *Alfonſo Fonſecæ*, nunc Archiepiſcopo *Toletano*, & ſi qui ſunt horum ſimiles, quorum auctoritas tuetur, benignitas alit fovetque bonas artes. Proinde in ſupputatione debitæ gratiæ non patiar hic mihi ullum poni calculum, in gratulationis conſortium perquam lubens veniam, & quidem ex æquo, ſi pateris. Siquidem hic animus propemodum *Stoicus* mihi ſemper adfuit, ut non multo propenſior fuerim in unam regionem quam in aliam, ſed univerſum mundum mihi patriæ loco duxerim: & ſic affectus ſum erga rectiſſimas literas, ut quoſcunque ſenſero his vel deditos, vel præditos, eos proximo cognationis habeam gradu. Cæterum ut peculiariter me recreet hæc *Hiſpaniarum* felicitas, duo præcipue faciunt; alterum quod communi Principe gloriamur *Carolo* rerum domino, alterum quod tot jam argumentis compertum habeam, quam candide, quam amanter meis commodis faveant *Hiſpanorum* ingenia. Quo quidem nomine hoc magis illis debeo, quo minus agnoſco me promeritum. De meis videor mihi nonnihil certe meritus: nam ſunt quibus videar eximie meritus. Sed de patria queri, ac veluti parentem in jus trahere fortaſſe pium non ſit, etiamſi jure poſſis. Illud certe, quod ſcribis, dilucidius eſt, quam ut inficiari poſſim, *Hiſpaniam*, imo quamvis aliam nationem gratiorem experior quam meos, de quibus tamen queri non libet. Non eſt novum exemplum, vetus eſt, mi *Franciſce* vetus, ut qui laboribus *Herculanis* magnam aliquam Reipublicæ conferunt utilitatem, cum excetra colluctentur. Quicunque tale quippiam animo concipit, immortalitatem ſpectet oportet. Quanquam hæc hydra ſolet acrius in illos ſibilare, qui vel novam, vel inſolitam aliquam commoditatem adferunt, vel veterem inſtaurant, ac revocant. Hanc igitur belluam nos vobis tradimus aliquanto mitiorem, etiamſi quo magis inclareſces benefactis, ut pulcherrime cœpiſti, hoc infeſtius, mihi crede, ſenties *Lerneum* monſtrum. Cæterum ne nobis hæc gratulatio de veſtris *Hiſpaniis* nulla ſit ægritudine vitiata, curatum eſt pridem à *Stunica*, mox ab iſtis qui novam orſi ſunt iſthic tragœdiam. Nullus enim adhuc exſtitit, vel *Hollandus*, vel *Brabantus*, vel *Flandrus*, vel *Zelandus*, qui nomen meum cruento ſtylo peteret, quod toties fecit amarulente *Stunica*, ne verbo quidem unquam à me laceſſitus, & ægre Pontificum & Cardinalium auctoritate coercitus, neque quiſquam apud ullam nationem auſus eſt, quod audio, quoſdam iſtius regionis πλεχοτυφίνες moliri. Atqui hoc ipſum arguit iſtic eſſe fautores *Eraſmi*, quales alibi nuſquam. Quæ res enim iſtos tumultus excitat, niſi vehemens amicorum ſtudium? Frequenter enim gravius me lædunt amici ſupra modum laudantes, quam inimici detrahentes. Priuſquam *Hiſpanice* loqueretur *Enchiridium*, minus quidem celebris ac plauſibilis erat apud *Hiſpanos Eraſmus*, ſed minus invidioſus. Ac meo quidem commodo neglecto, facile tulero invidiam; ſed illud vereor, ne quorundam improbitas iſtam *Hiſpaniæ* veſtræ tranquillitatem ſerenitatemque aliqua turbationis nube ſuffuſcet. Tantum de certamine eruditionis. Venio nunc ad certamen laudum, quas tuus candor hic certe immodicus, tam largiter in me profundit, ut ſi agnoſcam, ſim impudentiſſimus: ſi referam, quamvis inferiora meritis tribuero, tamen verear ne mea prædicatio fide careat, ſi ſic laudatus laudem, potiuſque videar par pari referre voluiſſe, quam admirari virtutes tuas. Ne tamen fruſtra me laudaſſe videaris, non me mihi, ſed teipſum, mi *Franciſce*, laudibus iſtis non mediocriter commendaſti. Declarant enim te vehementer amare res honeſtiſſimas, quas in me putas eſſe, & aut iiſdem dotibus eſſe præditum te, quas de me prædicas, aut earum ingenti teneri ſtudio. Superet ut tibi primum gratias agam, quod ſic amanter erras de me: deinde gratuler juveni, jam nunc tot ornamentis decorato: denique currentem, ut ajunt, excitem, ut in iſto pulcherrimo ſtadio gnaviter currens quotidie teipſum ſuperes. In tertio porro certamine, nimirum benevolentiæ, non patiar me ſuperari, quando hic vinci nulli non turpiſſimum eſt, eo quod nulli non eſt in manu vincere. Prorſus *Eraſmi* nomine ſim indignus, ſi tam amabilis ἐρασσῦ poſſim non ἀντερᾶν. Quid enim aliud tota illa tua ſpirat epiſtola, niſi meram benevolentiam, meros amores, meras gratias? Quid enim referam quantopere me delectarit facundus ille veſtræ *Hiſpaniæ* genius? Quam pulchre depinxit iſtum prodigioſum *Geryonem*, è ſophiſta, pſeudotheologo & leguleio conflatum? Mihi quidem jam vel ætas ab iſtis gladiatoriis concertationibus miſſionem impetrare debebat, verum aliter viſum eſt ſuperis. In arena moriendum *Eraſmo*, ad quidvis nato potius quam ad conflictum. Jam olim haud incruentum bellum nobis eſt cum phalangibus eorum, qui in ſuæ tyrannidis exitium arbitrantur efflorescere politiores literas. Nec enim ſimplex eſt exercitus. Alii prorſus nolebant quicquam politioris literaturæ reviviſcere, ne quid ipſi neſcire viderentur. Rurſus alii mitiores *Romanam* linguam utcunque laturi videbantur, *Græcam* & *Hebraicam* nullo pacto recipiendam arbitrabantur. Eſt & illud hoſtium genus, quod nuper cœpit ex inſidiis erumpere. Hos male habet, bonas literas ſonare *Chriſtum*, quaſi nihil ſit elegans, quod non ſit Ethnicum. Iſtorum auribus lepidius ſonat, *Jupiter optimus maximus*, quam *Jeſus Chriſtus redemptor mundi*: & *patres conſcripti* jucundius ſonat, quam *ſancti Apoſtoli*. *Pontanum* in cœlum tollunt

Digitized by Google

An. 1527. lunt laudibus, *Auguſtinum* & *Hieronymum* faſtidiunt. At ego malim unam odam *Prudentii* modulantis *Jeſum*, quam navem onuſtam verſibus *Pontanicis*, cujus alioqui nec eruditionem, nec facundiam contemno. Apud hos prope turpius eſt non eſſe *Ciceronianum*, quam non eſſe *Chriſtianum*, quaſi vero ſi *Cicero* nunc reviviſceret, de rebus *Chriſtianis* non aliter loqueretur, quam ætate ſua loquebatur, quum præcipua pars eloquentiæ ſit appoſite dicere. Nemo negat *Ciceronem* dicendi virtutibus excelluiſſe, quanquam non omne dicendi genus convenit perſonis vel argumentis quibuſlibet. Quid ſibi vult iſta *Ciceroniani* nominis tam odioſa jactatio? Dicam paucis, ſed velut in aurem. Hoc fuco tegunt Paganiſmum, qui charior eſt illis *Chriſti* gloria. Me non admodum pœnitet è *Ciceronianorum* albo eradi, modo ſcribar in albo *Chriſtianorum*. Si quis nobis virtutes *Ciceronianæ* dictionis cum *Chriſtiana* pietate conjunxerit, hunc ego vel decem præferam *Ciceronibus*. Ego tantum abfui ſemper ut *Ciceronianæ* phraſeos figuram exprimerem, ut etiamſi poſſim aſſequi, malim aliquod dicendi genus, ſolidius, adſtrictius, nervoſius, minus comtum, magiſque maſculum. Quanquam alioqui leviter mihi curæ fuit verborum ornatus, etiamſi mundiciem, quum ultro præſto eſt, non adſperner. Nunc adeo non vacat expolire quod ſcribo, ut crebro nec relegere liceat. Sint germani ſi libet *Ciceroniani*, quibus per ocium licet trimeſtrem operam unis, nec his prolixis, literis dare. Mihi nonnunquam uno die liber abſolvendus eſt. Illis itaque probro dent iſti, quod non exprimant *Ciceronem*, qui id ſedulo quidem, ſed parum feliciter affectant. Poſtremo, ſi fas eſt fateri verum, nec iſtorum, qui nihil mirantur præter *Ciceronem*, quiſquam adhuc *Ciceronem* feliciter nobis refert. Nihil enim moror inanem orationis bracteam, & decem verba hinc atque illinc ex *Cicerone* emendicata: totum *Ciceronis* pectus requiro. Hæc, mi *Franciſce*, non eo ſpectant, ut alius ſit magis proponendus eloquentiæ candidatis quam *Cicero*, ſed ut iſtos rideam ſimios, quibus nihil pulchrum, niſi quod *Ciceronem* refert, quum nulla fuerit unquam forma tam felix, in qua nihil deſideres. Ut formæ pictor, ita dictionis rhetor abſolutum exemplum à multis petat oportet. Verum hæc fortaſſe rideri poterant; hos novi Euangelii tumultus, quis abſque ſummo dolore, ſuo cum animo reputare queat? Et in tantis rerum omnium diſſidiis, non ſolum non ſumus ingenioſi ad excogitandas componendi hos miſerandos ac nefarios motus, rationes, quin potius ad ſe quiſque nitentes contendimus funiculum donec rumpatur, & repertis ſubinde novis diſſidiorum ſeminariis, oleum, quod ajunt, camino ſuggerimus. Si ſaltem Monarcharum animos jungeret *Chriſtiana* concordia, utcunque ſpes eſſet, Eccleſiæ tempeſtatem poſſe ſedari: nunc quid nobis ſuperſit non video, niſi divinas aures aſſiduis fatigare precibus, ut ipſe velut ἀπὸ μηχανῆς exortus, his tragœdiis lætam addere καταστροφὴν dignetur. Si noſſe cupis, quam ſim ſtrenuus retiarius, lege duos *Hyperaſpiſtæ* libros; dices *Eſernium* commiſſum cum *Pacidiano*. Epiſtolæ finem imponam, ſi te paucis, licet memorem, admonuero, non alia re melius *Geryones* iſtos ſuperari poſſe, quam perpetua docendi vigilantia, morum civilitate, & concordia. Sunt enim qui gravem invidiam conflarunt bonis literis linguæ petulantia, graviorem τῶν καινῶν τούτων δογμάτων ἐπιτομίαν, dum & majore ſtudio profeſſiones alienas inſectantur, quam ſuam exornant, ἢ τῇ ἀσεβείᾳ prætexunt τὴν φιλολογίαν. Emicante politioris literaturæ gloria, ultro evaneſcent iſtorum inanes fumi, & experti linguarum fructus, mitigabunt invidentiæ ſibila, quique nunc obſtrepunt, paulatim in ſtudiorum ſocietatem coaleſcent. Si ſcire cupis quid agamus, præter alia totus *Auguſtinus* in manibus eſt, in quo vix credas, quantum portentorum comperimus: exibit, ut opinor, alia facie. Lubens miſſurus eram tibi dono *Paraphraſes*, ſed hæ niſi per bibliopolas mitti non poterant, quorum in præſentia nulla data eſt copia. Quin & has literas ventis committo. *Bernardino Tovari* multam ex me ſalutem viciſſim dicito. Audio *Sanctium* oblitum veteris contentionis, amico in nos animo eſſe. Quod ſi verum eſt, ei me diligenter commendabis. Si certum cognovero verum eſſe quod ad me ſcripſit quidam, dabitur à me opera, ut & monumenta priſcæ conflictationis aboleantur. Imputabitur hoc *Ate*, quæ, ut ſcripſit *Homerus*, πάντας ἀᾶται. De cætero nullum officium ſinceri amici in me deſiderabis. Datum *Baſilea* 13. Octobris, Anno 1527. An. 1527.

## EPISTOLA DCCCC.

*Eraſmus Roterodamus Carolo Duci Sabaudiæ* S. D.

SICVTI vehementer diſcruciant animum meum, illuſtriſſime Princeps, hi furioſi & bellorum & opinionum tumultus, à quibus vix ulla *Chriſtianæ* ditionis intacta eſt portio: ita magna cum animi voluptate gratulor tuæ *Sabaudiæ*, quæ primum Dei favore, deinde tua ſingulari tum pietate, tum prudentia, ſic ab horum malorum contagio manſit hactenus immunis, ut vicini quoque veſtro fruantur bono. Cæterum hanc felicitatem vobis gratulari, vulgaris fortaſſis, at non prorſus ingrati officii fuiſſet, opinor: nunc his literis appello Celſitudinem tuam illuſtriſſimam, non ob id tantum ut illi gratuler, verum etiam ut quod illi gratulor perpetuum eſſe poſſit. Non morabor autem te longa præfatione, rem paucis expediam. Ex crebris amicorum literis cognovi iſtic eſſe quendam ordinis *Franciſcani*, multis egregiis dotibus præditum, ad prædicandum Dei verbum, quo ſane nomine & veneror hominem, & illi gratulor: ſed eundem non tantum in conviviis & colloquiis, quod fortaſſis erat negligendum, verum & in ſacris concionibus petulanter debacchari in nomen meum, nec ullum hujus rei vel modum facere, vel finem. Primum iſta facit præter exemplum ſanctiſſimi viri *Franciſci*, qui non maledicendo, ſed bene vivendo laudem aſſequutus eſt, & apud Deum & apud homines. Deinde præter meritum meum, qui conſtantiſſime perſtiterim in parte Eccleſiæ Catholicæ, magno etiam capitis periculo conſerens manus cum *Luthero*, quod iſtis ignotum eſſe non poteſt, quum exſtet *Diatriba* noſtra, & huic reſpondens *Lutheri Servum Arbitrium*: rurſus huic reſpondentes duo libri mei, *Hyperaſpiſtæ*. Inſuper, præter ſententiam Pontificum ac Cæſaris, qui non ſemel ſuis edictis ac literis iſtiuſmodi clamoribus impoſuere ſilentium, meamque pietatem & honorificentiſſimis literis teſtati ſunt, & muneribus etiam ampliſſimis, ultro delatis, honorarunt. Verum ſi ſibi quidam valde *Franciſcani* videntur, quod nudis pedibus, cingulo cannabeo, cinericea veſte *Franciſcum* referunt, ſi Pontificum & Principum auctoritatem pro nihilo ducunt, ſi leve crimen apud eos videtur, quod commilitonem in eadem acie cum hoſte fortiter pugnantem linguis confodiunt: ſaltem illud perpendere debebant, quam inutile ſit quod faciunt, & ad publicam Eccleſiæ tranquillitatem, & ad ordinis ipſorum commodum, cui mire ſibi favere videntur, & fortaſſe plus ſatis, licet ſedulo magis quam prudenter. Homo ſum, & dono Dei hactenus nec illectamentis, nec odiis, ab Eccleſiæ conſortio depelli potui. Sed quid ſi victa tam pertinacibus odiis humana imbecillitas ſe deflectat in partem deteriorem, non cogitant quas procellas illis poſſim excitare? Quid magis optant addicti *Luthero* quam exſtinctum *Eraſmum*? Quod ſi *Lutherum* iſti putant capitalem hoſtem, ſicut eſt, ordinum ſuorum, cur id agunt, quo nihil illi poſſit accidere gratius? An non oppugnat Eccleſiam, qui propugnatorem Eccleſiæ, cui ſuppetias ferre par erat, in ipſo conflictu, linguarum ſpiculis à tergo confodit? Porro quod diu conati ſunt mundo perſuadere, mihi clam cum *Luthero* convenire, ut ſemper fuit falſum, ita res ipſa nunc declarat eſſe falſiſſimum. Sed æque falſum eſt quod ja-

Digitized by Google

An. 1527. jactant, in libris meis esse, quæ pietati adversentur. Nullus adhuc exstitit qui vel unam sententiam impiam ex meis libris proferre potuerit, quum id aliquot inimico studio conati sint. Et si quid excidisset istiusmodi, quod nec ab *Hieronymo*, nec ab *Augustino* vitari potuit, quum animus vacet impietate, monendus eram, non apud populum traducendus. Nullus autem istorum unquam vel dicto vel scripto monuit. Quod si, dum in *Lucubrationibus* meis ago negotium sinceræ pietatis, per occasionem admoneo quædam, quæ ipsi interpretantur officere suo instituto commodisque, vel ipsi judicent, utrum æquius sit, *Christi* negotium cedere commodis & institutis humanis, an contra. Ista ratione & Sacerdotes, & Episcopos, & Cardinales, & Pontifices, & Principes, denique *Christianos* omnes oportebat mihi infensos esse, quum nullum sit hominum genus, quod non interdum admoneam. Quî fit autem ut cæteris placatis, plerisque etiam gratias & agentibus & referentibus, isti soli vociferentur? Nullus ordo unquam meis scriptis attactus est. Tantum indico præpostera vulgi judicia, commonstrans, quibus in rebus sita sit germana pietas, nullius perstringens nomen, quum ipsi sic debacchentur in nomen meum; damno nonnunquam eos qui fidunt humanis ceremoniis, neglectis iis quæ juxta *Christi* doctrinam vere faciunt ad pietatem. Taxo fortassis eos, qui pluris faciunt regulam *Francisci* quam Euangelium *Christi*. Moneo quosdam, qui pueros simplices, artibus illectant ad professionem instituti sui, insciis & invitis parentibus. Noto eos qui se tutos arbitrantur ab unguibus dæmonum, si sepeliantur in cuculla *Francisci*, etiamsi nunquam studuerint imitari vitam *Francisci*. Hæc sunt quæ quosdam illorum urunt, quum sint & ad pietatem conducibilia, & admonitu necessaria. Jam fingant quod non est, me petulantius aliquid in eos dixisse, quî convenit ut ad ultionem privati doloris abutantur & verbo Dei, & auctoritate loci, & gregis *Christiani* patientia? Sunt leges, sunt judices, sunt mille modi, quibus liceat injuriam, vel depellere, vel rependere. Iste locus longe aliis rebus consecratus est, quem non decet humanis, ne dicam improbis, affectibus contaminare. Quum meæ lucubrationes toto volitent orbe, quum omnium in manibus versentur, quis Pontifex, quis Episcopus, aut quis omnino auctoritate præditus pronunciavit in me sententiam damnantem, quum eas laudarint aliquot, quorum est *Leo* decimus, *Adrianus* sextus, *Clemens* septimus? Id quum constet esse verissimum, undenam istis hæc auctoritas, ut pro suo arbitratu in quemcunque libitum fuerit pronuncient apud imperitam multitudinem, quam & fallunt mendacio, & inficiunt odii, livoris & obtrectationis contagio, pro salutifero doctrinæ Euangelicæ pabulo, simplicium animis inserentes dissidiorum & malevolentiæ venenum? Ex talibus initiis oriuntur interdum gravissima rerum incendia, quæ quidem hoc difficilius restinguntur, quo levioribus exordiis paulatim obrepserunt; quemadmodum medici prædicant febres insanabiliores esse, quæ sensim ex minutissimis causis invaluere. Primum enim res agitur clancularis obtrectationibus, deinde publicis clamoribus, mox hinc atque hinc glisscentibus studiis erumpit incendium. Talibus ac prope levioribus initiis ortum est hoc *Lutheranum* incendium, quo nunc bonam orbis *Christiani* partem conflagrasse videmus, ingenti cum animi nostri dolore. Quod si istis licebit quicquid libet, quo tandem eruptura est impunita maledicentia? Vereor ne tandem insiliat & in Episcopos, & in Principes. Proinde non hic meam tantummodo causam ago, Princeps illustrissime, sed pietatis etiam & auctoritatis Euangelicæ, quæ talibus blateramentis labefactatur, sed publicæ tranquillitatis, quam initio literarum tuæ Celsitudini, tuæque *Sabaudiæ* gratulabar, & perpetuo gratulari cupio. Quod si tua prudentia judicat hoc ad se nihil attinere, non gravabor hoc beneficium in solidum illi debere. Sin perspicit, non minus ad Euangelii sinceritatem ac publicam tranquillitatem referre, quam ad meam privatam existimationem, per geminam pietatem tuam, & quam habes in Deum, & quam geris erga patriam, rogo, ut re ex his qui norunt exacte cognita, tuæ Celsitudinis auctoritas admoneat Ecclesiasten, ut, memor suæ professionis, ea qua decet sinceritate prædicet Euangelium *Christi*, nec illud improbis in proximum immerentem, imo benemerentem, vociferationibus profanet, violetque. Si quid habet adversum me, moneat, doceat, convincat; deinde, si videbitur, vociferetur apud populum. Neque vero hæc mihi temere credita sunt. Quod iste facit istic, illius sodales fecerunt apud *Hispanos*, *Polonos*, *Ungaros* & *Gallos*, ut obscurum non sit rem de composito geri. Rectius & suæ famæ & pietati consulent, si me pro re *Christiana*, quantum *Dominus* dedit, laborantem adjuvent, potius quam incessant maledictis, & commilitonem suum, cominus consertisque manibus cum hoste communi dimicantem, protegant clypeis suis, potius quam telis confodiant. Optabam amœniore quopiam argumento scriptionis ad tuam Celsitudinem illustrissimam initium auspicari: verum hanc materiam nunc nobis præbuit *Franciscanus*; commodiorem aliquando dabit Dominus, si quid exstiterit, in quo liceat illi quovis modo gratificari, quod ego sane tam cupide facturus sum, ut nihil libentius. Eandem Illustrissimam Celsitudinem tuam cupio quam optime valere, cui me totum dedo, dedicoque. Datum *Basilea* 14. Octobris, Anno 1527. An. 1527.

## EPISTOLA DCCCCI.

*Erasmus Rot. Ludovico Viveti* S. D.

FASCICVLVS literarum, inter quas erant unæ *Verveti* ad te, quem miseras Calend. Junii, mihi redditus est sub Calend. Octobris. Fortasse commiseras *Francisco* bibliopolæ: nam is solet res amicorum ad eum curare modum. Te mihi inter certissimos amicos numerari recte conjectas. Verum quo rarius scribam quam tu velles, non id tantum in causa est. Frequenter aberrant literæ, intercipiuntur, hærent alicubi, ut nihil referat scripsisse, dum aut non redduntur, aut sero redduntur. Nec te semper idem orbis habet ζῶον ἀμφίβιον, nunc natans apud *Britannos* τὸ νομῆς χάριν, nunc nidulans τὸ ὠογονῶν apud *Brugenses*. Porro scribendis epistolis enecor, aut si quod est verbum atrocius. Libellos tuos inter immensos labores vix degustavi, adeo subinde excutiuntur è manibus. Alias scribam certius judicium, quandoquidem ταύτλῳ λεοντὴν imponis *Erasmo*, pene dixerim asino. *Augustinus* excuditur cum dignitate summa. Negant tamen tuum volumen hoc tempore excusum iri, quod omnes socii abundent libris. Si quid correctum velis, aut adjectum, poterit adjici. Verum hic, mi *Vives*, nolim te superfluis onerare volumen. *Alardus* clamat in textu multa parum attente recognita, sed hominem novi. Sunt in quibus ipse dormitasti, sed admodum pauca. De typho meministi. Ea potes resecare, nec addere nisi digna cognitu & ad rem pertinentia. Hoc & typographis erit gratius, & lectori jucundius, & tibi gloriosius. Sat maturaris si miseris ad nundinas *Argentinenses*. *Laurinorum* consuetudinem tibi quamvis amicissimo, propemodum invideo. Nos in hoc pistrino consenescimus, vel immorimur potius, tametsi subinde meditantes fugam. Bene vale. *Basilea* 15. Octobris, Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCCII.

*Erasmus Roterod. Monacho cuidam* S. D.

MVNVSCVLA tua mihi fuere gratissima. Ego valeo quantum valere potest senex valetudinarius, & immodicis obrutus laboribus, quantis vix & juvenis & validus sufficeret. De corporis tui bona valetudine non tam gratulor, quam doleo te de animi va-

Digitized by Google

An. 1527. valetudine queri. Non enim in nobis situm est, quomodo valeamus corpore, cæterum ut recte valeat animus, magna ex parte in nobis situm est. Vereor ne imponant tibi quorundam præstigiæ, qui jactant hodie splendidis verbis libertatem Euangelicam. Crede mihi, si rem propius nosses, minus tæderet te istius vitæ. Video genus hominum exoriri, à quo meus animus vehementer abhorret. Neminem video fieri meliorem, deteriores omnes, quotquot ego sane noverim, ut vehementer doleam me quondam in libris meis prædicasse libertatem spiritus, quanquam id bono animo feci, nihil minus suspicans quam hujusmodi populum exoriturum. Optabam sic aliquid decedere ceremoniis humanis, ut multum accresceret veræ pietati. Nunc sic excutiuntur illæ, ut pro libertate spiritus, succedat effrenis carnis licentia. Civitates aliquot *Germaniæ* implentur erronibus, desertoribus monasteriorum, sacerdotibus conjugatis, plerisque famelicis ac nudis. Nec aliud quam saltatur, editur, bibitur, ac subatur; nec docent, nec discunt; nulla vitæ sobrietas, nulla sinceritas. Ubicunque sunt, ibi jacent omnes bonæ disciplinæ cum pietate. Plura tibi super his scriberem, si tutum esset literis committere. Tot annos laudabiliter in isto sodalitio vixisti, jamque, ut scribis, ætas tua vergit ad vesperam, fortasse me novem aut octo annis minor. Agis in loco commodissimo, cœlo saluberrimo, multum solatiorum adfert eruditorum hominum confabulatio: nec deest bonorum librorum copia, nec deest ingenium. Quid in hac vita potest esse suavius quam in hujusmodi pratis ociantem, jam veluti prægustare vitæ cœlestis felicitatem, præsertim hac ætate, hoc seculo, quo nihil potest fingi turbulentius, aut calamitosius. Novi quosdam, qui fumo libertatis decepti deseruerunt suum sodalitium. Mutato cultu duxerunt uxores, interim egeni, exsules, suis, quibus erant chari, detestabiles: tum in eo statu rerum, ut etiamsi qui sint qui illis bene velint, tutum non sit benefacere. Jam quomodo sit affecta illorum conscientia, novit Deus, & quomodo intus placeat nova sodalitas, ipsi viderint. Quænam est hæc libertas, ubi non licet dicere preces? non licet sacrificare? non licet jejunare? non licet abstinere à carnibus? Cogita quid talibus possit esse miserius, etiam in hoc seculo? Si quis sit juvenis, si dives posset, aliquot annis frui commodis hujus mundi, si quid tamen est hic commodorum. Nunc aliena ætate hæc facere, dementia verius est quam stultitia. Sed onerant constitutiones, invidiæ, & similia. Quicquid istius generis est, leviſſimum est, si bonus adsit animus. In altera parte plus malorum perpetiendum fuerit. Itaque Deus det meliorem mentem istis, qui fabulis hujusmodi turbant animi tui tranquillitatem. Emoriar si vel tantillum roboris haberet hoc corpusculum, ut saltem vivere possit, ni malim isthic tecum agere quam in palatio Cæsaris esse primus Episcopus. Sed ignoras pariter & tuam felicitatem & hujus seculi miseriam. Nec est quod spectemus Concilium. Sero veniet, obstante Principum dissidio, & si fuerit institutum, sedecim annis agetur de rebus longe aliis quam de ceremoniis. Proinde, mi chariſſime in Domino frater, & per veterem imo perpetuam amicitiam nostram, & per *Christum* oro, obsecro, obtestor, ut istud tædium penitus excutias ex animo, nec aurem præbeas exitialibus hominum fabulis, qui nihil opitulaturi sunt tibi, sed irrisuri potius, ubi te in foveam pellexerint. Si toto pectore contemseris hujus mundi fallaces præstigias, totum te *Christo* dedideris, in sacris Libris, in meditatione vitæ cœlestis totus verseris, crede mihi, abunde multum solatiorum invenies, & ista tædiola, quæ commemoras, non aliter quam fumus evanescent. Si monitorem audieris, nisi comperieris esse verum quod dico, mecum expostulato. Dominus repleat cor tuum omni consolatione spirituali, amice & frater in Domino chariſſime. Datum *Basilea* 15. Octobris, An. 1527.

## EPISTOLA DCCCCIII.

*Erasmus Roterod. Alfonso Manrico, Archiepiscopo Hispalensi*, S. D.

REVERENDE Præsul, mitto responsionem typis quidem excusam, at non editam, nisi quid aliud censuerit auctoritas tua, cui per me licebit & istic edere, si videbitur. Videbam opus aliquot exemplaribus, quo certius judicarent ad hoc delegati, nec mihi suppetebat tanta scribarum copia. Multorum igitur amanuensium vice, sum usus uno typographo. Non queo satis admirari quid istis hominibus venerit in mentem, ut hujusmodi rationibus & meis studiis & Celsitudinis tuæ negotiis molesti sint, turbentque *Christianam* tranquillitatem: non poterant alia via magis seipsos traducere. Ante paucos dies scripsi copiosius. Opinor jam redditas literas, quandoquidem eas exemplari gemino misimus. Quin & illud demiror, Cæsarem, quum ipsius auctoritate fretus meum caput omnibus periculis objecerim, nunc permittere, ut pro officio, tantum non bestiis objiciar. Mihi per Cæsarem non licuit timere factionem revera formidandam, & nunc Cæsar eos metuit, quibus ego meo periculo præstiti, ut minus metuant. Verum, ego non desinam quod homine *Christiano* dignum est agere. Tua Celsitudo faciet, quod *Christianæ* pietati maxime videbitur conducere, cui precor omnem in *Christo* felicitatem, me totum illi dedicans. Verbis consequi nequeam quanto cum animi dolore videam Regum iras increscere, quorsum evasuras incertum. Agnosco divinam iram per Monarcharum æstus in nos sævientem, nec respiscimus. Hæc res magis discruciat animum meum, quam stolidi Monachorum tumultus. Dominus omnia vertat in bonum exitum. Datum *Basilea* 15. Octobris, Anno 1527. Au. 1527.

## EPISTOLA DCCCCIV.

*Erasmus Rot. clarissimis fratribus Amblardo & Lodovico Alardetis* S. D.

ARDORI quidem animi vestri, Juvenes ornatissimi, sat scio, literæ quamlibet prolixæ, perbreves videbuntur: at meis occupationibus epistola quamlibet brevis, non potest non esse prolixa. Sane pudet me jam semel atque iterum tam neglecte, tamque paucis scripsisse, haudquaquam ignarum quid debeatur, & isti vestro in me tam singulari studio, & ingenii fortunæque ornamentis, quibus pariter estis cumulatissime locupletes. Ac plane vereor, ne quoniam vix quisquam crediturus sit, quantis distringar laboribus, quanquam vix supersit tantillum temporis, quod valetudini corpusculi, jam non senio tantum & valetudine caduci, detur, tam malignas tamque inconditas epistolas, vel fastidio meo, vel ingratitudini, vel desidiæ tribuatis. Illud certum scio, si cognitum haberetis, quas studiorum moles hic homunculus sustineat, admiraremini me quicquam omnino scribere. Mihi non admodum probatur vestrum consilium, ut illustrissimi Principis auctoritatem adversus Ecclesiastæ petulantiam implorem: vel quia res videtur levior, quam ut hinc sollicitandus esset Dux tantus: vel quia solet istorum hominum improbitas, si obnitare, veluti torrens injectis obicibus altius intumescere, quum neglecta citius conquiescat, vel ipsis vociferando delassatis, vel defessis auditoribus. Multo minus autem arridebat consilium de Ecclesiasta longa epistola compellando. Jam expertus sum hinc illos cristas tollere, si quis eos dignetur scripto. Quippe rati se formidabiles esse, magis ferociunt. Si placide modesteque scribas, formidini tribuunt, & tollunt animos. Sin pro illorum dignitate, quid aliud quam crabrones irritaris? Veruntamen quando mihi persuadeo, vestram prudentiam hoc non sine causa tantopere velle, scripsi utrique, sed ita ut



Digitized by Google

An. 1527. vobis in manu sit, epistolam utramque vel reddere, vel premere. Vos enim hoc certius quid hic expediat, statuere potestis, quod omnes negotii personarumque circumstantias, utpote præsentes, optime nostis. Porro meis ad illustrissimum Principem literis, quoniam Laconicæ sunt, si quid deest, vestra supplebit eloquentia. Nam mihi etiamsi fuisset ocium, tamen congruentius ac tutius esse judicavi, cum Monarcha paucis agere, ne bis offendam, si illum & ingratis & verbosis onerarem literis. Quum enim ἥκισα per vos, ἥδισα per causæ naturam non liceat, saltem ἐλάκισα cum heroe colloqui visum est: cujus singularem prudentiam, quum ex multorum prædicatione, tum ex illo potissimum perspicio, quod in tantis rerum undis undique circumfrementibus, perpetuo suam ditionem, tranquillam quietamque servarit, ut nec bellico furori, nec impietatis contagio locus iste hic patuerit. Hanc tantam felicitatem magnopere gratulor vestræ *Sabaudiæ*, *Christum* Optimum Maximum comprecans, ut eandem liceat & orbi *Christiano* toti gratulari. Sed plane video futurum, ni Principum auctoritas quorundam coerceat improbitatem, ut isti κραγέται κολοιοὶ, graviores excitent tumultus quam hactenus excitarint isti novi Euangelii præcones. Ab insectandis politioribus literis primum exorta est hæc tragœdia, & si pergunt ut instituerunt, videtur ad caput rediturus circulus. At qui rectiora studia diligunt, mea sententia magis illa promoverint, si quod operæ sumunt in rixando cum amusis blateronibus, impendant excitandis, expoliendis, erudiendis, fovendisque spei melioris ingeniis. Nam isti numero, phalangibus, syncretismo, improbitate, clamoribus, adde si libet fucis ac malis artibus, prorsus invicti sunt: nec alia re quam fustibus ac fame domari queunt. Sic vir clarissimus *Hermannus* à *Novaquila* Comes adegit *Jacobum Hochstratum* ad abjectam & scurrilem palinodiam, cujus exemplar apud me est. Quibus, inquies, præsidiis? Non argumentis, non æquis rationibus, non monitis, non minis, non conviciis; nihil enim horum non frustra tentatum fuit: sed quibus præsidiis? Caseis & ovis, quorum in ditione Comitis colligendorum jus istis ademtum fuerat. Itidem donec suam fabulam agerent rustici, mirum quam se contraxerint intra testam, qui nunc feroces exserunt cornua. Principum auctoritatem adeo non agnoscunt, ut illis imperent citius quam pareant. Ab Episcoporum jure multis bullis exemtissimi sunt, & horum tamen functionem usurpant, excipiendis Confessionibus, ac prædicando Euangelio. Uni *Romano* Pontifici nonnunquam auscultant, sed quum est commodum, quoties id non est, à nullis fortius contemnitur quam ab istis. Et interim jactant nobis illam sanctam obedientiam, quum nec divinis, nec humanis legibus obtemperent. Hæc, fateor, non in omnes competunt. Sunt & inter illos probi, sed ut nimium pauci, ita sic aliorum tyrannide pressi, ut quod sunt, esse non liceat. De his coercendis alii viderint: certe nostrum est pro viribus instaurare puriorem *Christianismum*, una cum optimis literis; quas res si nobiscum amplectentur, & suis commodis & publicæ tranquillitati consuluerint: Sin existimant cum iis, quæ sunt optima, suum institutum parum convenire, vel ipsi perspiciunt, opinor, æquum esse, ut deteriora cedant melioribus, humana divinis. Isti malunt esse formidabiles quam amabiles, & certe sunt quod optant; & hinc ferociunt, haud reputantes, quam infidus sit diuturnitatis custos, metus. Me mirum quam contemnunt, quidni contemnant *Erasmum*, qui Cæsaribus & Archiepiscopis audent oppedere? Verum si mihi tanta esset libido referendæ contumeliæ, quanta istis adest inferendæ, fortasse satius erat illis provocasse Monarcham aliquem quam μονόγραμμον *Erasmum*. Sed de his fortasse nimis multa, quæ tamen mihi pluribus non sine causa differta sunt, quo vestra prudentia rectius consultet, quibus rationibus cum Græcis sit agendum. Precor ut Dominus tam amabile jugum fratrum, ad optima concordium, perpetuo servet incolume. Datum *Basileæ* 18. Octobris, Anno 1527. An. 1527.

## EPISTOLA DCCCCV.

*Erasmus Roterodamus Bilibaldo Pirckheimero* S. D.

ATuo, mi *Bilibalde*, calamo nunquam metui, jam pridem expertus & prudentem tuam civilitatem, & animum in amicitia tuenda constantissimum, verum, illud me male habebat, *Oecolampadium* meum nomen præter causam suis libris admiscere, quum ex me sciat, mihi ingratum esse ab eo nominari, ingratius vituperari, ingratissimum laudari. Nec tamen ille finem ullum facit. Hujus rei nihil unquam imputavi meo *Bilibaldo*: nam multa dolent, quæ nulli possumus imputare. De silentio tuo præter solitum, si nonnihil dubitavi, mirum videri non debet, quum & ipse scias quantæ sint humanorum animorum mutationes, *Euripum* dicas, quot artes, quæ improbitas linguarum, præsertim hoc seculo. Hujus tamen suspiciunculæ, quamlibet levis, non omnino me pœnitet, quæ literas tuas desideratissimas extorsit. Quod me revocas ab *Apologiis*, agnosco prudens & amicum consilium, nec id tuum unius est, sed omnium fere cordatorum, qui mihi bene volunt. Verum, hoc est fati mei, pluribus tamen obticui quam respondi. Certe *Sutori* respondisse semper pœnitet, quod tamen magni amici impulsu feci. *Dorpium* toties ad ingenium redeuntem vici. Si *Lei* tragicas molitiones, & *Stunica* fumos ex *Hispaniis*, quia parum succedebat, *Romam* translatos pernosses, minus improbares factum. A *Luthero* quietem agere per Principes non licuit. *Lutetiani* Theologi quidam per eum quem nosti olim orsi sunt suam fabulam, quam nunc eodem impulsore renovarunt subornato *Bedda*, cui respondi. Qua de re mihi omnes amici gratulantur, hæc esse prodita me vivo: nam exspectabant in dies mortem meam. Ubi videre vivaciorem quam vellent, impatientia victi prosilierunt in proscenium, impune, ut putabant, peracturi suam fabulam, *Erasmo* sepulto. Idem quidam in *Hispaniis* conflato rursus libello sycophantico tantum tumultus ibi concitavit, ut res & Cæsarem, & aulam, & Archiepiscopos, & Academias exerceat. Tantum valet illud stolidum animalculum ad dissidia natum. Quanquam nec hic illi res succedet, licet habeat septem Monachorum ordines ab ipso stantes. Nec ita multum temporis operæve in his rixis colloco. Longe plus datur epistolis, interdum nec jucundis, nec necessariis. Facile credo quod scribis de Ecclesiastis: nam video populum exoriri, à quo vehementer meus abhorret animus: de catastropha magnopere metuo. Perit concordia, charitas, fides, disciplinæ, mores, civilitas. Quid supereſt? Juvenis ille glorioſus, de quo scribis, magnum malum accersit sibi, nec facit finem. Quum totius *Huttenicæ* tragœdiæ fuisset auctor, abusus familiaritate nostra, miratur si Principi scripsi, ut illud ingenium ab illis nugis ad honestam aliquam functionem avocaret. Calculum tibi mitiorem gratulor. Meus mutatus est in aliud morbi genus perpetuum, sed tolerabilius. Ego medicis valere jussis, Deo me commisi. De *Alberti Dureri* nomine celebrando mea sponte cogitabam. Tamen admoneri gratum est. Jam isti podagræ mea quoque causa male precor, per quam tibi non licuit epistolam tuam absolvere, quum tuarum prolixissima quæque mihi soleat esse jucundissima. Cæsarem ornare te pro tuis meritis sane gaudeo, utinam & morbum queat auferre. Hæc ad tuas ad me literas. Nunc ad epistolam, qua veluti θριαμβεύων de *Oecolampadio*, cujus negotii me judicem esse noluisti: nihilo secius tamen licuit ex ea summam capere voluptatem, non tantum ob id quod lepidissimis scateat jocis, sed quod te quoque hilariter vivere declaret. Ex ea didici, quod nesciebam, me rursus ab illo attactum. Opinionem illius longe meliorem nunquam dixi. Illud inter amicos

Digitized by Google

An. 1527. cos dixi, me posse in illius sententiam pedibus discedere, si probasset eam auctoritas Ecclesiæ; sed adjeci, me nullo pacto ab ea posse dissentire. Ecclesiam autem voco totius populi *Christiani* consensum. An idem dixerint Hypocritæ, quorum meministi, nescio. A me certe sine fuco dictum est & ex animo, nec unquam de Eucharistiæ veritate vacillavi. Quantum apud alios valeat auctoritas Ecclesiæ, nescio, certe apud me tantum valet, ut cum *Arianis* & *Pelagianis* sentire possim, si probasset Ecclesia quod illi docuerunt. Nec mihi non sufficiunt verba *Christi*, sed mirum videri non debet, si sequor interpretem Ecclesiam, cujus auctoritate persuasus credo Scripturis Canonicis. Fortasse plus vel ingenii, vel roboris est aliis, ego nulla in re tutius acquiesco, quam in certis Ecclesiæ judiciis. Rationum & argumentationum nullus est finis. Agnoscit tua prudentia, quibus epistolæ tuæ verbis per hæc responderim. Plura tecum libebat quidem, sed minime licebat. Excuditur totus *Augustinus*. Hoc oneris quum semper recusarim, tamen obtruditur humeris meis. Bene vale. Datum *Basilea* 19. Octobris, Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCCVI.

*Erasmus Rot. Martino Bucero* S. D.

SATIS tu quidem rhetorice causam agis *Capitonis*, verum, video te, licet alioqui facundum causidicum, non satis instructum ad hoc patrocinium. Si conjecturarum & argumentorum aciem proferrem, intelligeres tibi meditandam aliam orationem. Verum ego jam rixarum sum satur, & in eos, quos ex animo dilexi, non facile moveor. Quid eques glorioſus ausit, aut non ausit, ipse viderit, nisi quod nimium subinde redit ad hunc ludum. *Capitonem* ei fabulæ non admiscebo, nisi seipsum rursus admiscuerit, nec arbitretur me tam stupidum ut non intelligam quid agatur: sed his de rebus ipsi scripsimus. Porro, quod tuam vestræque Ecclesiæ causam agis, arbitror satius esse nihil respondere, quod res, etiamsi vacaret discrimine, verbosissimam orationem desideret. Tantum ad quædam carptim & paucis accipe. Qui de linguis detulerat, is est, cujus fidem ne tu quidem contemneres, nec male de te sentit. Verum, in te nihil unquam concepi siniſtri animi, quod quidem attinet ad privatos affectus. Agunt isthic qui blaterabant, omnes disciplinas esse repertas à cacodæmonibus. Certe ubicunque regnat hoc hominum genus, quocunque nomine censendum, jacent, frigentque studia omnia. *Norenbergæ* conducti sunt ex ærario civitatis qui profiteantur, non est qui audiat. Colligis tu quidem mille conjecturis, cur Ecclesiæ vestræ non dederim nomen. Verum, scito primum ac potissimum omnium, quod me ab isto consortio revocavit, fuisse conscientiam, cui si persuaderi potuisset à Deo proficisci quod agitur, jam olim in vestris castris militarem. Proximum est, quod videam in isto grege multos alienos ab omni sinceritate Euangelica. Mitto rumores & suspiciones, de compertis experimento loquor, atque adeo meo malo compertis, nec in vulgo tantum, verum etiam in his qui videntur esse aliquid, ne dicam proceres. De ignotis non est meum judicare, mundus late patet. Novi quosdam optimos, priusquam huic professioni sese adderent, quales nunc sint nescio: certe aliquot comperi factos deteriores, nullum meliorem, quantum humano judicio perspici potest. Tertium, quod animum meum deterruit, est ista tanta inter primores negotii dissentio. Ut enim omittam prophetas & Anabaptistas, quam amarulentis libellis inter se conflictantur, *Zwinglius*, *Lutherus* & *Osiander*? Principum sævitiam nunquam probavi, sed hanc quorundam mores irritant, quum oportuerit sanctitate commoditateque morum commendare Euanlium, si apud vos esset quod jactatis. Ut enim de aliis taceam, quorsum attinebat, ut *Lutherus* ad eum modum scurraretur in *Angliæ* Regem, quum negotium tam arduum susceptisset favente mundo? Non cogitabat quam personam sustineret, non reputabat totius orbis oculos in unum conjectos? Et hic est hujus negotii coryphæus, cui non admodum succenseo, quod me tam scurriliter tractavit, quod Euangelii causam prodidit, quod Principes, Episcopos, pseudo-Monachos, pseudo-Theologos in capita bonorum virorum immisit, quod servitutem, quæ jam erat intolerabilis, conduplicavit, id vero discruciat animum meum. Et videbor mihi videre seculum cruentum ac sanguinarium, si pars irritata respirarit, quod plane nunc facit. Dices nullam esse turbam, quæ non habeat admixtos malos. Certe Procerum erat præcipuam de moribus curam agere, mendaces, perjuros, ebriosos, scortatores, nec alloquio dignari. Nunc longe secus fieri audio, ac propemodum video. Si maritus comperisset uxorem magis morigeram, si præceptor discipulum magis obsequentem, si magistratus civem magis tractabilem, si conductor operam fideliorem, si emptor venditorem minus subdolum, erat magna Euangelii commendatio. Nunc quorundam mores faciunt, ut & qui primum amore pietatis & odio Pharisaismi favebant huic negotio, nunc frigeant, & Principes dum vident subnasci populum ἄτακτον, ex erronibus, profugis, decoctoribus, nudis, miseris, plerisque etiam malis collectum, exsecrantur, & ii qui initio bonam spem conceperant. Hæc non sine gravi dolore commemoro, non solum ob id quod prospiciam rem siniſtre tractatam in pejus cessuram, verum etiam quod hæc faba tandem in meum cudetur caput. Quidam enim iniquiores, meis imputant scriptis, quod Theologi scholastici, quod Monachi nonnullis in locis minoris fiant quam vellent, quod jacent ceremoniæ, quod negligitur regnum *Pontificis Romani*, quum non sit obscurum, quo fonte malum hoc prosilierit. Illi nimium tendebant funiculum, qui nunc rumpitur. Pontificis auctoritatem propemodum anteponebant *Christo*, ceremoniis metiebantur totam pietatem, confessionem in immensum arctabant, Monachi regnabant impune, jam manifestum Pharisaismum meditantes. Evenit tandem ut, juxta proverbium, ruptum sit τὸ καλώδιον τεινόμενον. Nec aliter evenire potuit. Ac misere metuo ne idem eveniat olim Principibus, si pergant & ipsi suum funiculum plus æquo tendere. Rursus ut altera pars instituebat actionem suæ fabulæ, non potuit alius exitus esse, quam videmus. Et utinam non videamus atrociora. Oportebat autem hujus negotii duces, si *Christum* pro scopo haberent, non solum à vitiis abstinere, verum etiam ab omni specie mali, nec ullum offendiculum dare Euangelio, & illa studiose vitantes, quæ, quanquam licent, non tamen expediunt. In primis ab omni seditione cavendum erat. Si rem sincere ac moderate tractassent, accessisset Principum & Episcoporum favor: nec enim omnes deplorati sunt. Nec erat quicquam temere convellendum, nisi parato quod melius succederet in locum deterioris. Nunc qui abjecerunt preces horarias, nihil orant. Multi qui posuerunt vestem Pharisaicam, in cæteris deteriores sunt quam antea fuerant. Qui contemnunt constitutiones Episcoporum, nec Dei præceptis obtemperant. Qui negligunt delectum ciborum, gulæ ventrique indulgent: longa tragœdia est, quam partim audimus quotidie, partim accipimus ab aliis. Missam abrogari mihi nunquam placuit, etiamsi sordidum hoc & quæstuarium sacrificulorum genus semper displicuit. Et erant alia quæ citra tumultum mutari poterant. Nunc quibusdam nihil omnino placet quod receptum est, quasi subito novus mundus condi posset. Semper erunt quæ sint piis hominibus ferenda. Si quis ideo putet Missam in totum abrogandam, quod complures hac abutantur, tollenda est sacra concio, quam prope solam recipitis. Idem sentio de Invocatione divorum, deque Imaginibus. Exigebat epistola tua prolixiorem responsionem, sed hoc ipsum meis occupationibus perlongum est. Audio te præclaris dotibus præditum ad prædicandum Euangelii verbum, ac moribus etiam civilioribus quam sint mul-



Digitized by Google

An. 1527. ti. Quare velim tuam prudentiam vel nunc dare operam, ut constantia moderationeque doctrinæ, & morum integritate res utcunque cœpta perveniat ad exitum Euangelio dignum. Ad hoc habebitis me pro viribus adjutorem. Nunc tametsi machinis omnibus impetunt Monachorum phalanges ac Theologi quidam, nulla tamen res efficiet, ut hujus animulæ jacturam sciens faciam. Erit tuæ prudentiæ non spargere hanc epistolam, ne quid hinc tragœdiæ nascatur. Si liceret coram, plura commentaremur. Bene vale. *Basilea* 11. Novembris, Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCCVII.

*Erasmus Rot. Collegio Sorbonico* S.

EQVIDEM expertus novi quam non sit tutum rumoribus credere, celeberrimi Patres; sed pariter expertus novi, quam non sit tutum rumores subnascentes negligere. Erit igitur hoc æquitatis vestræ, ut si falsum est quod huc fama pertulit, existimetis hanc epistolam vobis scriptam non esse. Sin verum est, roganda est mihi vestra sinceritas, ut sepositis interim affectibus privatis, non gravemini scriptum hoc attente legere: quod nisi me prorsus fallit animus, non tam ad me privatim pertinet, quam ad vestri collegii dignitatem, ac publicam etiam studiorum religionisque tranquillitatem: res adeo non est clam, ut vulgo quoque jactatam *Lutetiæ*, complures amici perscribant, nonnulli isthinc huc profecti voce referant, *Natalem Beddam* ingentem articulorum acervum ex omnibus meis lucubrationibus collectum ad vestram cognitionem detulisse, quorum aliquot jam vestra sententia percussos ferunt. Primum illud testor coram Deo, qui scrutatur cordis humani sinus, mihi invisam esse omnem impietatem, & quicquid discindit concordiam gregis *Christiani*, totoque pectore abhorrere ab his qui sibi contrahunt discipulos, quos non agnoscit Ecclesia *Christi* sponsa. Id & constanter & sat idoneis argumentis arbitror me declarasse. Siquidem hoc seculo non defuissent mihi vel sodales, vel discipuli, nisi toto pectore detestarer omnem hæresim ac schisma. Jam ut ne commemorem quid operæ præstiterim in hoc negotio privatim Ecclesiæ Catholicæ, nulli potest obscurum esse, quod libris editis declaratum est, me sincerum & constantem militem præstitisse negotio fidei. Clamitant hoc *Alberi*, *Othonis*, *Leopoldi*, & ipsius *Lutheri* libri in me virulentissime scripti. Contra meus *De Eucharistia* libellus, & duo libri *Hyperaspistæ*. Qui demiror si vos lateant, quum prostent & isthic venales. Itaque jure quis miretur & illud, me factionum omnium adversarum odium meruisse, si vestrum favorem emereri nequeam. Adversus malitiam calumniandi nihil est tutum, & fieri potest ut in scriptis meis aliquid impium exciderit. Certe animus vacat impietate, paratus jugulare quicquid officit sinceritati religionis. Proinde qui conspirant in me devotis animis, in quem conspirant nisi in commilitonem suum, & causæ, quam tueri se prædicant, propugnatorem? Cui gratificantur? nisi his quos ipsi judicant Ecclesiæ perduelliones, cujus causam produnt privatis affectibus. Porro, quum vestra prudentia norit, quanta sit humanæ linguæ vanitas, quantumque venenum, præsertim hisce temporibus, magis credere debet ipsis factis, quam delatorum susurris; aut si testes quærit, eos potius audire, qui me propius norunt, quorum est *Ludovicus Berus*, mihi quidem non inimicus, qui nulli mortalium est inimicus, sed vestræ sodalitati addictissimus: ad hæc vir doctus juxta ac pius. Is è propinquo novit, & quid agam, & quo sim animo. Cæterum, quo gravior est istius ordinis auctoritas, hoc oportet in judicando majorem esse tum æquitatem, tum mansuetudinem: minimeque decet, ut ista dignitas serviat privatis hominum vel stultorum, vel improborum affectibus. Mihi cum nullo unquam ordine bellum fuit, nec, ut spero, futurum est, tantum abest, ut adversus eum Senatum, cujus oraculis prima semper tributa est auctoritas, arma moveam. Quod *Natali Bedde* respondi, nunquam existimavi ad vestram sodalitatem pertinere; verum ita mihi persuaseram, & adhuc arbitror, illum utcunque extorta edendi libri potestate, vobis insciis suos affectus admiscuisse. De cujus animo quid querar? Primum literis meis humanissime provocatus, ut res inter nos *Christiana* moderatione transigeretur, emisit librum plenum evidentibus calumniis, mendaciis & blasphemiis: res in aperto est, dissimulari non potest. Jam hoc ipsum facinus quam indecorum ei qui Theologi & cognitoris personam gereret? Quem si mea urit responsio, sibi debebat imputare, qui ne monitus quidem, atque etiam rogatus, à tali scribendi genere temperarit. Indocti, stupidi, fatui convitium feram, impius nisi sim, dici non patiar, nec adeo pati debeo, ne quis exemplo meo fiat impius. Verum, utcunque poterat hoc factum primo calori, ceu furori cuipiam condonari: ubi mea responsione commonitus est, quantum aberrasset ab officio hominis *Christiani*, quæso, num ullum pudoris aut pœnitentiæ signum dedit? num fratrem sic traductum studuit reconciliare? Quicum si vel levis offensa intercederet, juberetur munus ante aram relinquere, ac prius habere reditum in gratiam quam sacrificium. Nunc quum talibus libellis impetere proximum, nihilo levius sit homicidio, & aliquot circumstantiis etiam gravius, quum frequenter interim accedat ad sacrosanctam Domini mensam, adeo non cogitat de reconciliando fratre, ut calumnias addat calumniis, vestram etiam auctoritatem in suarum intemperiarum consortium pertrahere moliens, quasi parum hactenus peccatum sit, nisi suum dedecus adspergat pluribus. Atqui vestræ gravitatis est, ô viri præclari, talibus ingeniis mederi, non favere; nisi quod hoc ipsum est vere favere, mederi. Quum igitur *Bedda* præceps feratur ulciscendi studio, videtis cujusmodi sit hujus negotii fons. Neque me clam est, isti camino unde addatur oleum. *Edvardus Lews* in *Hispania* sparsit librum in me scriptum, multo indoctiorem, magisque sycophanticum quum fuit ille prior, quem *Lutetiæ* quondam edidit, non absque *Bedde* præsidio, ni fallor. Ea res addit animum Monachis quibusdam, qui me sibi stultissime fingunt hostem, quum ipsi sibi sint hostes acerrimi. Primum orsi sunt Tragœdiam in aula Cæsaris. Is impetus facile coercitus est. Rursus eandem furiosis apud populum clamoribus instaurarunt *Salamancæ Franciscani*. Motus hic Præsulum auctoritate vix sedatus est. Tandem exstitit *Petrus à Victoria*, *Dominicanus*, qui *Burgis* concionatur, habet fratrem in vestro Collegio. Is tantum excitavit tumultum, ut se jactarent nec Cæsaris, nec Præsulum edictis obtemperaturos, illo fretos, oportet obedire Deo magis quam hominibus. Itaque Principes quum viderent rem spectare ad seditionem, nec aliter posse componi, permiserunt ut Archiepiscopo *Hispalensi* exhiberent articulos, per viros eruditos minimeque suspectos discutiendos. Exhibiti sunt aliquot ex libro *Lei* decerpti, sed quibus nihil potest esse stultius aut malitiosius. Misissem illos cum meis responsionibus, ni prorsus judicassem indignos vestris auribus. Et hic est *Lews*, quem *Bedda* pronunciat absolutum Theologum, quum, quod constat, nunquam pedem posuerit in schola Theologica. Id nec ipse *Leus* potest inficiari, & si inficietur, scripta satis arguunt. Hujus insulsis conviciis, quæ me dehortante prodidit, quoniam respondi, licet longe moderatius, quam ille provocarat, hoc agit, ut quovis pacto dolorem ulciscatur suum, non se purgans, quod non potest, sed ad lapides provocans. Ingenium videtur concitandis dissidiis natum. In primo tumultu, quem excitavit *Levanii*, nec meis inimicis placuit, & suis amicis apud *Anglos* vehementer displicuit. Talis fuit illius fabulæ catastropha. Hujus tumultus quis sit exitus futurus nescio, certe complures ex *Hispania* scribunt. Monachos illos nihil aliud

Digitized by Google

An. 1527. aliud proficere, quam quod sibi lucrifaciunt plurimum odii apud eruditos ac Principes, meumque nomen reddunt celebrius & gratiosius: quanquam nec ego moror hanc celebritatem, & istos cuperem omnibus suo merito quam gratiosissimos esse. Verum, ita visum est illis, vi, clamoribus, improbitate, sycophantiis, conspirationibus rem gerere. Ego fiducia bonæ conscientiæ securus, tantum hoc doleo, me si non causam, certe occasionem dare *Christianorum* dissidiis: quæ si mea culpa nascerentur, gravi cum onere conscientiæ diem supremum exspectarem, qui non potest abesse longius, cuique me quotidie paro. Nunc quum hæc, me renitente pro viribus, aliorum vitio contingunt, non possum quidem non dolere malum publicum, sed moderatius fero, reputans hæc ex Dei voluntate fieri, qui & me talibus modis purgari velit, & illorum improbitatem mundo innotescere, quo facilius liceat illis mederi. Interim ego quod Deo gratum esse judicabo, præstabo, eventum illius arbitrio committens. Non itaque dubito, quin illorum auctores tumultuum *Beddam* & hujus sodales instigent, ut susceptam fabulam adjuvent. Videtis, sapientissimi viri, fontem & seminarium hujus negotii, unde quid potest scatere dignum pietate *Christiana*? Atqui hactenus ea fuit istius fama collegii, ut mundus longe aliud exspectet judicium, quam *Leus* aut *Bedda* prodidit. Nec arbitror mihi tale quicquam à vobis metuendum, nisi prorsus me mea de vobis fallit existimatio. At è diverso dum reputo quale sit hoc seculum, quantum nunc liceat audaciæ linguisque maledicis: ad hæc quum probabiliter conjecto & in isto senatu sedere, qui *Bedde* vel opinioni consentiant, vel odio subserviant; rursus alios invidiæ metu, alios odio turbarum conquiescere, itaque fieri frequenter, ut pars deterior vincat meliorem: non abs re visum est his literis & vestræ dignitati, & meæ quieti, quantum in me est, consulere. Quod si hic metus vanus est, tamen vobis ingratus esse non potest, ut qui partim ab odio dissidiorum, partim ab ordinis istius reverentia proficiscitur. Etiam atque etiam rogo, boni consulat vestra sinceritas, si videor liberius quod sentio proloqui. Vestrum erit, hoc non arrogantiæ, sed simplicitati bonæque conscientiæ signum interpretari. Absit hoc consilium à tam gravi collegio, ut in gratiam *Beddarum*, *Sutorum*, aut pseudo-Monachorum (nam probos unice semper amavi) cogitetis me turba articulorum obruere, nec recta responsione mea, nec expenso loco, nec habita personæ, quam loquentem facio, ratione, nec collatis quæ præcedunt aut sequuntur, nec ulla reddita ratione, quare videatur impium quod scriptum est. Non enim hoc judicium est eruditorum, sed potius lapidationis genus. Et si id jus esset auctoritatis vestræ, longe tamen aliud est jus *Christianæ* charitatis, quæ vasculum confractum non comminuit, nec linum fumigans exstinguit. Videtis qua mansuetudine sit usus *Augustinus*, etiam in deploratos hæresiarchas: in eos qui vel à majoribus traditum errorem acceperunt, vel arte in fraudem illecti, vel persuasione in impium dogma inducti sunt, vult omnem exhiberi lenitatem, docendos arbitrans, non objurgandos. In me vero, qui pro meis viriculis studui prodesse studiis bonarum literarum, ac profectui religionis, qui constanter ab omnibus abstinui factionibus, qui pro Catholica Ecclesia eos in me provocarim, quos habebam addictissimos, qui corpusculum hoc & animum hunc omnibus exposui periculis, talibus debacchari modis, qualibus jam cœpit *Bedda*, aliique nonnulli moliuntur, pape quantum abest ab exemplo *Christiana* lenitatis! quantum ab opinione, quam hactenus orbis *Christianus* habuit de vestro collegio! Hujusmodi tumultu divus *Augustinus* nec hæresiarchas opprimi vult, ne se prædicent vi victos, non veritate convictos. Fortasse nihil facilius quam *Erasmum* obruere, nec hinc vobis continget admodum splendidus triumphus, si tot heroes conjuratis animis culicem unum oppresseritis, etiamsi non sum usque adeo destitutus amicis, quam opinantur quidam: at res invicta est veritas, & inexpugnabilis *Christus* veritatis patronus, adversus quem stimulum jactare calces durum est. Ista auctoritas, ista eruditio, iste consensus in eos potius expromendus est, qui vestra dogmata palam detestantur, qui civitates & regiones vobis adimunt, sibi adjungunt: à quibus demiror vobis esse tantum ocii, ut sententiolis vel ambigue prolatis, vel recte propositis, nisi quod aliter quam solent hodie loqui scholastici, plerisque depravatis etiam vacetis excutiendis. Imbecillis est *Erasmus*, fateor, sed est potens veritas, contra quam absit ut vester consensus aliquid moliatur. Quod si fieret, majore periculo vestræ existimationis fieret quam meæ. Etenim si sexcenti Judices pronunciarent, poculum esse æreum quod esset aureum, Judicum auctoritas non efficeret, ut aurum verteretur in æs, nec jacturam sentiret poculi dominus, sed ipsi Judices auctoritatis suæ jacturam facerent. Ne quæso commoveamini, non tam male de vobis sentio, ut existimem adversus evidentem veritatem prolaturos sententiam. Quanquam sunt in vestro consessu *Bedde* similes aliquot, qui vel imperitia sermonis quod dictum est non intelligunt, vel odio corrupti credunt esse falsum quod est verissimum: sed arbitror & integros & eruditos falli posse, si de nuda sententia, alicunde decerpta, sine collatione locorum pronunciare conentur. Dabitur exemplum, Pro suo quisque corporis affectu, vescatur quibus velit modo sobrie parceque, super omnibus gratias agens Deo. Hanc sententiam si quis ita proponat nudam, velut ex *Erasmi* libris, Primum imperitus *Latini* sermonis offendetur, existimans me *affectum corporis* dixisse *libidinem*, ut quisque vescatur, quod corpus appetit, quum ego affectum dicam habitum ac valetudinem corporis. Id esse verum declarat quod sequitur, pro commoditate corporis. Ad hæc in eodem capite multis verbis excipio fratris offendiculum. Hoc ignorat ille qui de nuda sententia pronunciat. Ad hæc non *Erasmus* ista dicit, sed *Paulus*. Hoc qui nescit, existimat me damnare constitutiones Ecclesiæ de discrimine ciborum. Hic etiam quamlibet doctus, deceptus damnabit quod non intelligit. Atqui ea sententia temporibus Apostolorum usque ad ætatem *Augustini* pie dici poterat quum, ut opinor, Ecclesia nullum eduliorum genus cuiquam interdiceret. Itaque quum lector intelliget sub persona *Pauli* dici, nec ad hæc tempora pertinere, quum videbit idem ab Apostolo locis compluribus tradi, quod ego explano, nonne dicet absurde mihi velut impium impingi, quod ab Apostolo pie dictum est, ac sentiet æquum, ut aut absolvar cum Apostolo, aut mecum damnetur Apostolus? Hoc autem quum tam crassum sit, ut etiam nauta possit intelligere, quid sentient de illo judice? Quid? Nisi illum insigniter aut indoctum fuisse, aut improbum. *Paulus* de se & *Christianis* dicit, *Miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Idem scripsit, *Faciamus mala ut eveniant bona.* Rursus, *Inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides nostra.* Quid his vocibus magis impium, si separatim proponantur, non habita ratione personarum, nec collatis his unde ea pendent? At nihilo verecundius quædam è meis scriptis decerpi jam evidentius est, quam ut quisquam ignoret. Et sane miror quid isti cogitent. An credunt in mundo pro hominibus esse fungos, prorsusque periisse mortalibus sensum communem? Non vident quale sit hoc seculum? An putant omnes ilico pro cœlesti oraculo habituros, si audierint, *Bedda* Theologus sic judicavit? Fortassis ita cogitant, Vociferabimur omnes simul, & clamoribus obruemus homunculum. Monachorum genus non aliter per orbem sparsum est, quam humor per corpus humanum: hi publice, privatim, clam, palam, fingent, obstrepent, obtrectabunt, ille unus est, nec quicquam potest nisi *Latine*, & si quid respondebit, opprimemus, si quid legetur, à paucis legetur: Nos,



Digitized by Google

An. 1527. paucitate contemta, turba numeroque ſuperabimus. At ego favente *Chriſto* efficiam, ut iſtam malitioſam iniquitatem etiam vulgus hominum pernoverit, ut jam noſſe cœpit. Sed fingant oppreſſum *Eraſmum*, an putant neminem exoriturum, qui adverſus tam tyrannicam malitiam tueatur innocentiam? Ut ceſſent homines, non cogitant Deum hæc videre, qui malitioſa conſilia plerunque vertit in capita molientium? Abſit ut hujuſmodi cogitatio exſecrabilis corripiat ſacratiſſimam facultatem, tantum admoneo, ne talia cogitantium affectibus ſerviens elevet auctoritatem ſuam, quæ ad ædificationem valere debet, non ad deſtructionem. Doctores eſtis, Theologi eſtis, nihil à vobis exſpectatur, niſi vere doctum ac Deo dignum. *Joan. Gerſonenſis* recte monet *Romanum* Pontificem, ne paſſim, ne temere vibret fulmen anathematis, ne duobus modis veniat in contemtum, vel aſſuetudine, ſi nimium crebro fulminet; vel judicio, ſi feriat immerentes. Hactenus multum ponderis habuit hæc vox, *Sic judicavit facultas Theologica Pariſienſis*. Verum hæc auctoritas gravitate æquitateque judiciorum tuenda eſt, idque eo diligentius, quo ſeculum hoc proclivius eſt ad auctoritatis humanæ contemtum. Per me quidem ſi liceat, nihil decedet iſtius ſenatus majeſtati, malim aliquid accedere: qui ſi quid notabit quod vere ſit impium, ipſe confodiam errorem meum: Sin talia proferet judicia, qualia ſunt pleraque *Beddæ*, indocta, iniqua, cæca, nihil ſpirantia, niſi odium impotens & deſtinatam lædendi malitiam, exiſtimabo non facultatis eſſe ſententiam, ſed *Beddaicorum*. Hæreticus eſſe non poſſum niſi velim. Porro quum nec ſim, nec eſſe velim, enitar efficere ne habear, confidoque *Chriſtum* adfuturum certiſſimum innocentiæ vindicem. Si junctis ſtudiis pariter negotium pietatis egerimus, favebit conatibus noſtris immortalis Eccleſiæ Sponſus: Sin mutuo contemtu, mutuis obtrectationibus, nos invicem laceraverimus, quid ſupereſt, niſi ut, juxta *Pauli* dictum, mutuis morſibus conſumamur? Abunde ſatis tumultuum eſt in orbe, ſatis diſſidiorum, & articulis calumnioſis plena ſunt omnia, adeo ut illa quoque veniant in contemtum quæ contemnere fas non erat. Quanto rectius vertemus nos ad *Chriſtianam* ſinceritatem, ſufferentes invicem, & adjuvantes potius infirmos, quam opprimentes? Quibuſdam hoc unice ſtudio eſt, è meis decerpere lucubrationibus, ſi quid ad *Lutheri* dogmata queat detorqueri, ac perverſis artibus etiam illa depravant, quæ ex diametro pugnant cum illius dogmatibus: quanto fuerit utilius ad *Lutheranam* factionem exſtinguendam, ſi decerpant quæ palam illius dogmatibus contradicunt, quorum ingens ubique turba in ſcriptis meis obvia eſt: tum ea quæ ſic dicta ſunt, ut ancipitem habeant ſpeciem, in diverſam interpretentur partem? Fortaſſis expediret ad quædam per incuriam elapſa connivere. Sunt quæ neglecta non lædunt, exagitata graves ſuſcitant tragœdias. Hoc ſi non putatis dandum meritis meis, ſaltem detis cauſæ, quæ nunc agitur, detis auctoritati veſtri ſenatus, detis hominum de vobis exiſtimationi, ut ſi fieri non poteſt quin iſtic ſedeant *Bedda*, ſaltem fiat, ut mundus intelligat, non omnes eſſe *Beddas*: quanquam & ipſum *Beddam* lubens recipiam in amicitiam *Chriſtianam*, ſi ſe conferat ad magis ſobria conſilia. Satis ſuperque hactenus datum odiis eſt, & gloriis. Quoniam igitur quæ peto, pertinent non ſolum ad exiſtimationem meam, verum etiam ad publicam Eccleſiæ cauſam, & ad veſtræ facultatis auctoritatem, non committetis ut plus apud vos valeant quorundam impotentes affectus, quam ſincera bonorum & eruditorum judicia. Quod autem peto hoc eſt, ut, ſi fieri poteſt, res inter nos privatis ac fraternis admonitionibus tranſigatur. Etenim ſi quid in ſcriptis meis ineſt erroris, nemo poterit efficacius mederi quam ipſe, ſi fuero commonitus. Id ſi fieri non poteſt, ut in judicando abſint privati affectus, ſed *Chriſtiana* charitas adhibeatur in conſilium, veſtraque auctoritas *Chriſto* ſerviat potius, quam hominum odiis & compendiis. An. 1527. Ne gravemini legere locum unde decerpuntur quæ *Bedda* nimium articulifex defert. Ne pigeat circumſpicere, ad quod tempus, ad quam perſonam pertineant quæ dicuntur: deinde ne ſit moleſtum evolvere quæ reſpondimus, hoc eſt, cognoſcere penitus rem priuſquam edatis ſententiam, ne cæcum prodeat judicium, quod vobis majori dedecori ſit futurum quam mihi. Si quid erit vere impium, habebit impietas me cum primis vindicem. Ita nec ego lædar, & cauſæ pietatis recte conſuletur, nec veſtra auctoritas exponetur linguis hominum. Videtis quam rem non iniquam petam, haud petiturus, ſi veſtram contemnerem auctoritatem, quemadmodum faciunt iſti qui favent novis dogmatibus. Rurſum non petiturus, niſi ſcirem quantum valeat, etiam inter probos, improborum pervicacia. Si Monachis bene conſultum vultis, conſulite illis, ut omiſſis iſtis malitioſis molitionibus, conferant ſeſe ad eam vitæ ſinceritatem, qua tantum orbis favorem promeruerunt. Nulla re citius mitigabunt invidiam, quam iſtis tumultibus magis exaſperant. Si contemtis hominum judiciis rem gladiatoria vi gerere deſtinant, cogitent hujuſmodi conſilia nec Monarchis fuiſſe proſpera. Miſi reſponſiunculas ad quoſdam articulos, quos audio jam veſtro judicio periclitatos, quo de cæteris certius judicetis. Eas legere non gravabimini. Miſi & libellum *Suppputationum*, indicatis locis, quo vobis quærendi laborem adimerem. Precor ut Dominus *Jeſus* animis veſtris inſpiret ea conſilia, quæ & digna ſint iſto Collegio ſacratiſſimo, & Reipublicæ *Chriſtianæ* ſalutifera. Repetam quod initio dixeram: Si rumor vanus hæc pertulit, exiſtimetis hæc vobis ſcripta non eſſe. Officio meo non defui: ſi quid orietur tumultuum, aliis imputabitur. Datum *Baſilea* 12. Novemb. Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCCVIII.

*Eraſmus Rot. Senatui Pariſienſi* S. D.

SI negotium hoc privatum ad me tantum pertineret, ornatiſſimi Judices, jure fortaſſis alicui viderer improbus, qui & tantillus homunculus, & nullo officio vobis commendatus, Senatum ut multo omnium auguſtiſſimum, ita plurimis graviſſimiſque negotiis occupatiſſimum, non verear interpellare. Verum, quoniam arbitror & veſtram prudentiam *facile* perſpecturam, id, de quo ſcripturus ſum, magis ad publicam ſtudiorum ac religionis tranquillitatem, & ipſius Theologicæ facultatis dignitatem pertinere, quam ad meam unius exiſtimationem, non arbitratus ſum alio magis confugiendum eſſe, quam ad veſtram auctoritatem, velut ad ſacram ancoram, extremumque juſtitiæ præſidium. Ne vero vos longiore morer procemio, *Natalis Bedda*, qui nuper & impotenter & infeliciter edito libro ſic debacchatus eſt in me, ut *Rex Chriſtianiſſimus*, mox ubi rem cognovit, vetuerit codices divendi, haud dubie vetiturus excudi, ſi tempeſtive monitus fuiſſet, majore etiam ut accipio impetu, ſed alia via cœpit agere male auſpicatam fabulam, impotenter iratus quod ad tam impudentes calumnias auſus ſim reſpondere: quaſi in illius gratiam debuerim agnoſcere opiniones & blaſphemias, quæ mihi ne per ſomnium quidem unquam venerunt in mentem, quum ſumma ſit impietas impietatis crimen agnoſcere, niſi culpam agnoſcas. Nec hic tamen inſimulo facultatem, cujus permiſſu liber excuſus eſt: non enim dubito quin *Bedda* poſt inſciis illis ſuum ſtomachum admiſcuerit. Sic autem temperavi reſponſionem, ut ſciens nec verbum ullum protulerim adverſus meam conſcientiam. At ſi non potui meam tueri innocentiam, niſi illius in calumniando vanitatem & impudentiam aperirem, ſibi debebat imputare qui provocarit, non mihi, cui liberum non erat obticeſcere: præſertim quum ego literis amantiſſime ſcriptis hominem ad negotium *Chriſtiana* mode-

Digitized by Google

An. 1527. destia transigendum toties invitarim, omnia pollicens quæ sunt viro pietatis & concordiæ studioso digna. Nunc quum illius calumniæ sint evidentiores quam ut dissimulari queant, nova via molitur vindictam, & hominem plus satis concitatum instigant quidam, ut hoc organo suum dolorem ulciscantur. Congessit ingentem acervum articulorum, talium plane, qualibus scatebat ille liber à Rege damnatus, quos non ipse decerpsit è libris meis, sed à magistellis aliquot decerptos accepit: nam ipse mea nunquam legit, quantum sane divinare licet. Eos ad facultatem Theologicam detulit condemnandos, & jam accipio periclitatos aliquot. Equidem hoc animo sum, ut si quid impie dictum comperiatur in scriptis meis, nolim mihi gratiam ejus erroris fieri. Verum, quid est tam circumspecte scriptum, quod non depravare queat calumnia, dolis & odiis armata? Hæc felicitas nec *Augustino*, nec Apostolis contigit. Porro, nisi *Bedda* prorsus diffideret suæ causæ, responderet saltem ad quædam loca, tam impudenter calumniosa vanaque, ut res manibus, quod ajunt, sentiri possit. Nunc hoc omisso, quod in primis curatum oportuit, vim parat, concitat facultatem, ut articulorum turba, suffragiis & auctoritate me opprimat. Nec tam male vel de meipso, vel de sacratissima facultate sentio, ut illius judicium pertimescam. Cur enim id facerem, quum hoc pridem ab illis flagitarim? Sed *Bedda* judicia quam cæca sint odio, satis declaravit ipse. Et is in eo consessu habet multos ipsi addictos, quosdam vel invidiæ metu, vel quietis amore obticescentes; si quis quid æquius adferat, mox audit, *Lutherano* pejor: nonnullos politioris literaturæ rudes, qui nostra non intelligunt. Jam qui & integri sunt, & docti, tamen falli possunt. Decerpitur sententia nuda, quæ sola videtur impia, cui si jungerentur quæ præcedunt ac sequuntur, esset pia. Proponitur sub nomine *Erasmi*, quæ dicitur sub persona *Pauli*, aut Euangelistæ; confertur ad hujus temporis Ecclesiam, quum congruat Ecclesiæ priscæ. Exempli causa, *Paulus* dicit de se & *Christianis*, *Miserabiliores sumus omnibus hominibus*. Quid magis impium, si nihil addas? Verum, si addas, quod addit *Paulus*, *Si non est resurrectio mortuorum*, pia vox est. Item *Paulus* dicit, *Esca non commendat nos Deo*. Hoc pie dicebatur ab Apostolo illis temporibus, quibus *Christianis* erat periculum à *Judaico* delectu ciborum, & quibus nondum Ecclesia ullum cibi genus interdixerat. Hanc sententiam aliis verbis sub persona *Pauli* in Paraphrasi explanatam sic interpretantur, quasi nunc *Erasmus* doceat, contemtis Ecclesiæ constitutionibus, cuivis licere vesci quibuslibet, quod ego ne somniavi quidem hactenus. Hæc qui nescit, damnabit eam sententiam, quæ mea non est, sed *Pauli*, simulque pro me damnabit Apostolum. Ex hoc exemplo cætera conjiciet vestra prudentia. Harum molitionum, quoniam fons ac seminarium est odium, ira, livor, & ulciscendi cupiditas, quid aliud hinc nasci poterit, nisi tumultus ac dissidia, quum horum malorum in orbe sit jam plus satis: magisque conveniret, ut me pro viribus tuentem Ecclesiæ concordiam suo favore sublevarent, ejusque Collegii, quæ semper hactenus summa est habita, auctoritas serviret gloriæ *Christi*, non affectibus *Beddarum*, *Sutorum*, & quorundam falso nomine Monachorum; qui quum in sola improbitate fiduciam collocarint, nihil respondent ad ea, in quibus tam insignis calumniæ redarguuntur, sed improbis conspirationibus ac tumultibus rem aggrediuntur, non ob aliud magis infensi nobis, quam quod nolumus in castra *Lutheranorum* discedere? Quicquid hactenus per *Beddas* ac *Sutores* insanitum est, non arbitratus sum ad Theologicam facultatem pertinere, cujus auctoritati semper detuli plurimum, semperque delaturus sum, si modo liceat. Verum si talibus modis pergant obruere, non dicam me, qui nihil sum, sed veritatem ac pietatem, qualibus olim *Judæi* oppresserunt *Jesum*, efficiam ut mundus intelligat, ea, quæ velut impia, damnantur ab istis, esse *Christiana* pietatis, & aut non fuisse intellecta, aut malitiose depravata: rusticanam ac simplicem veritatem sic exponam oculis hominum, ut textoribus etiam ac textricibus sit conspicua. Qua ex re quantum illis sit accessurum gloriæ nescio. Optarem negotium hujus esse generis, ut meam innocentiam salva illorum auctoritate tueri possim. Impietatis crimen nemo pius debet agnoscere. Etsi mihi liceret agnoscere, non expedit aliis, quos hæc opinio vel in errorem illiceret, vel in errore confirmaret. Hic igitur si vestra auctoritas, qua major secundum Regem in isto regno non est, molitionibus istis tumultuosis ac malitiosis imponat silentium, primum consuluerit & studiorum quieti, & religionis *Christiana* tranquillitati, denique Theologicæ facultatis dignitati, si vestro hortatu se digna gesserit. Jam quo minore negotio rem omnem cognoscatis, mitto responsiunculas ad articulos aliquot, qui jam in consessu *Sorbonico* dicuntur periclitari: simulque mitto librum, quo *Beddæ* calumniis respondeo, locis indicatis, quo magis sint in promtu. Si vestra auctoritas incompositos tumultus cohibuerit, erit magnopere gratum. Sin & illam negligent, hujus calumniæ malitiam suis coloribus accuratissime depingam, ac Regi *Christianissimo* mittam. Nec dubito quin is, ut est veræ pietatis sinceriſſimus amator, ac dissidiorum osor, sit aliqua ratione quietem indicturus istis, qui in gratiam quorundam stolidorum pseudo-Monachorum, sub titulo religionis ac pietatis, veros hostes agunt religionis ac pietatis. Augustissimum vestrum Senatum incolumem florentemque semper tueatur ille *per quem Reges regnant, & Judices justa decernunt*. Datum *Basileæ* 14. Novembris, Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCCIX.

*Erasmus Rot. Natali Bedda* S. D.

VEREOR ne hoc operæ sumam inaniter, tamen charitas, quæ, juxta *Paulum*, omnia sperat, hortata est, ut vel sic experiar, an lucrifacere possim fratrem meum. Jam enim, mi *Bedda*, libet in te contemplari, non quod tu factis ac scriptis expressisti, sed quod *Christianus* frater es, quod sacerdotio ac Theologiæ professione Collega. Obsecro te, quis spiritus agitat animum tuum, ut in gratiam *Lei*, qui similem telam orsus est in *Hispania*, & in doloris tui vindictam, redeas ad veterem fabulam, & improbitate tua tuorumque, etiam Collegio tuo, quod semper hactenus habitum est venerandum graveque, labores tuæ temeritatis labem affricare? Patent omnibus tot insignes tuæ calumniæ, tot manifesta mendacia, tot impudentes blasphemiæ, quibus proximum tuum immerentem & ad amicitiam provocantem impetisti. Et hujusmodi flosculis ornatus incedis, nec te abdis, nec pudet in publicum prodire, nec cogitas de reconciliando fratre, & fortassis audes etiam cum isto animo, horresco referens, parricidiali, ad sacrosanctam illam Eucharistiam ac synaxim accedere, & illo ore sumere cœleste symbolum pacis, qui tale suscitas dissidium. Quî convenit Eucharistiæ cum tanta maledicentia? Quî synaxi cum tam impotentibus odiis? Humanum est, inquit ille, peccare; quanquam sic peccare, an humanum dici possit, nescio. Humanum est in mediocria prolabi mala. Hoc quod tu sciens, prudens, perverso & obstinato animo facis, sceleratius est homicidio, exsecrabilius est veneficio. Sed sit humanum semel vel temulentia, vel furore, sic in fratrem tuisse debacchatum, certe diabolicum est perseverare. Jam mala malis addere, pessima pejoribus aggerare, obsecro te per baptismum tuum, quo nomine donabimus? Si quid in te frontis esset, certe prius à calumniis ac mendaciis te purgare debebas, notioribus quam ut dissimulari possint, quam ad novas calumnias accingereris. Nunc adeo tibi non displices, ut ultro etiam supremam potestatem, hoc est, regiam incuses, per quam non liceat

Digitized by Google

An. 1527. ceat administrare justitiam. At si justitiam administraret tibi Rex, vir egregie, tu præmia ferres, quæ solent calumniatores & sycophantæ, quæ publicæ tranquillitatis hostes. Mi frater, misere timeo saluti animæ tuæ. Et quanquam me tibi fingis hostem, te certe plusquam hostem experior; tamen, ita me *Christus* bene amet, hostis & talis me miseret. Redi ad cor, mi frater, resipisce; præstat recurrere, quam decurrere in præcipitium. Si contemnis hominum de te judicia, si me spernis, de tua salute sollicitum, saltem reverere Deum, cordium inspectorem, & omnium perversarum molitionum ultorem. Utinam mihi esset exorcismus, aut incantatio quæpiam, qua tibi istum spiritum detestabilem queam excantare. *Saulum* agitabat spiritus Domini malus, sed ex intervallis, & incinente cithara *David*, discedebat. Tu sic perseveras, ut semper ruas in deterius, ut metuam ne vel *Davidica* cithara animi tui furor non possit deliniri. Certe optarim mihi citharam insigniter efficacem, ut isti tanto malo tuo mederi queam. Video enim te in felle amaritudinis, & in obligatione iniquitatis esse. Quando unquam *Augustinus*, quem tu videris magni facere, sic debacchatus est in *Donatistas*, aut *Circumcelliones*, ut tu debaccharis in *Erasmum*, amicum, fratrem, denique sui capitis periculo dimicantem adversus eos, quos ut hostes Ecclesiæ detestaris? In cujus scriptis nihil adhuc inveniri potuit, quod esset impium. Tantum de ratione loquendi, aut de verbis non intellectis, aut ex malitiosa depravatione calumnia est. Et hic tibi placet exemplum *Lei*, qui primo suo favore nec meis inimicis placuit, & iis magnopere displicuit, quos habebat in *Anglia* amicissimos. Nec adhuc satis quisquam credat apud *Anglos*, illum hoc agere quod agit in *Hispania*. Et eum vocas absolutum Theologum, qui nunquam attigit limen Scholæ Theologicæ. Tantus est tibi, non ob aliud, nisi quia odit *Erasmum*. Et suspicor priorem illum librum bona ex parte fuisse tuum, quem *Parisiis* excudit. Blandire tibi, voca quam voles zelum fidei, crede mihi, manifestus furor est, *Satanæ* est energia: *Christi* Spiritus longe alia profert, charitatem, gaudium, pacem, patientiam, benignitatem, bonitatem, longanimitatem, mansuetudinem, fidem, modestiam. Quî possit ab hominis pectore tantum calumniarum, tantum mendaciorum, tantum blasphemiarum proficisci, nisi *Satanæ* spiritu esset occupatum? Tantum ad cor redi, mi *Bedda*, *Misericors est Dominus, & multæ miserationis:* si clames ad illum, impartiet tibi spiritum suum bonum, qui deducet te in terram rectam. Ego quod admissum est, facile condonabo, sic interpretans tibi Dominum præcepisse, ut mihi malediceres, quemadmodum olim præceperat *Semei*, ut malediceret *David*. Sic fortassis illi visum est purgare me. Et si quid forte acerbius in te scripsi, non gravabor petere veniam, & sarcire pro mea virili. Omnes boni uno ore profitentur, se ex nullo libro plus cepisse fructus, quam ex meis Paraphrasibus. Id Opus tu maxime impetis. An non sentis hanc esse suggestionem illius Serpentis, qui invidet hominum saluti? Quin potius te præbes organum Spiritui *Christi*? Jactas te propugnatorem Ecclesiæ. At quibus tandem modis possis vehementius Ecclesiam oppugnare, quam eum calumniis opprimendo, quem adversariæ factiones ducunt pro hoste capitali, & nova dissidia in orbe suscitando? Scio quod tibi blandiantur affectus tui. Sed crede mihi, nihil est mendacius odio, nihil vanius ira, nihil fallacius invidia. Crede mihi, inquam, mi *Bedda*, pessimis consultoribus auscultas. Sobrius charitatem, & *Christi* Spiritum in consilium adhibe, & perspicies in quod barathrum te rapere laboret *Satanas*, falsa pietatis imagine deludens animum tuum. Nonne vides quantum sit in orbe dissidiorum? Et tu, quasi parum sit, tam atrocem ordiris Tragœdiam. Si victus injuriis deficerem ad hostes Ecclesiæ, unde repeteret Deus hanc animulam nisi abs te? Quod hactenus perstiti, non est mearum virium, sed divini muneris: & ejusdem præsidio perfistam usque in finem, uti spero. Quis autem tam atrocibus contumeliis tamque perpetuis non delassaretur? Id si fieret, nonne vides quem tumultum excitare queam? Nec reputas quam late pateat hoc malum, quod nunc suscitas? Non est tam inops amicorum *Erasmus*, quam tu credis. Et ut maxime sit imbecillis, non cogitas quam sit res potens & invicta veritas? Non perpendis quam plerique sint propensi ad contemtum auctoritatis & conciliorum *Romani* Pontificis & vestræ? Quid isti dicent, quum viderint prodire examen articulorum, ad quos jam respondi, perinde quasi nihil sit responsum? Quum videbunt argutationes de verbis, depravationes ac malitiosas suspiciones? Equidem dabo operam, ne sim causa tanti mali, ac ne occasio quidem, si queam. Eoque rursus me offero ad omnia quæ *Christiana* lenitatis sunt ac modestiæ. Quod si surdus ad omnia monita pergis hoc incendium excitare, ego, qui mihi nullius impietatis sum conscius, impietatis calumniam fortiter à me depellam. Eventus mihi non poterit imputari. Hæc epistola me liberabit, & apud Deum, & apud homines. Orabo Dominum, ut det tibi mentem meliorem, qui si meas preces exaudierit, & illius bonitati gratias agam, & tibi gratulabor, nec libebit superiorum malorum meminisse. Vale. Datum *Basilea* 16. Novembris, Anno 1527.

An. 1527.

## EPISTOLA DCCCCX.

*Erasmus Theologo cuidam Hispano Sorbonico S.*

RECTA consilia Deus suo favore prosperat, perversas hominum molitiones plerunque vertit in capita molientium. Jam multi sunt anni, quod Monachi quidam titulo, quum re nihil sint minus, me sibi fingunt hostem, non ob aliud, nisi quod ex reflorescentibus bonis literis, éque *Christianismo* spirituali, pristinum vigorem meditante, sibi persuadeant nonnihil decedere vel commodis suis, vel auctoritati, quum vix alii chariores sint veri Monachi, hoc est, purissimi *Christiani*, quam mihi. Isti jam pridem mihi male cogitabant, nec deerat, juxta proverbium, improbis aliud omnino quam occasio. Hanc illis porrexit apud *Hispanos*, ut significant amicorum literæ, *Eduardus Leus*, illic Regis *Anglia* nomine pacis legatione fungens, & præter sui Regis animum excitavit exitiosissimum incendium. Idem olim egit *Lovanii*, totam illam, quod quidem in ipso fuit, Academiam discordiæ veneno inficiens, re tam infeliciter gesta, ut nec meis inimicis placuerit, & suis etiam amicissimis supra modum displicuerit, exceptis pauculis idiotis, qui studio non judicio ducebantur. Nec ad aliam rem ingenium illius natum, factum, sculptumque videtur, quam ad serenda dissidia. Quoniam autem meis Apologiis necessario declararam hominis malitiam cum insigni inscitia conjunctam, annis aliquot ille pressit dolorem, tamen interim moliens librum in me: non quo sua defenderet, nec enim potest, sed quo novas ingereret calumnias, idque adeo clam, ut apud *Anglos* nunc nemo mihi credat hæc scribenti quæ gerat in *Hispania*. Nec dubito quin per *Gallias* iter faciens virus suum apud malitiæ socios sparserit. In *Hispania* vero quum reperisset Monachos quosdam mihi male cogitantes, communicare cœpit librum sycophanticum, multo stolidiorem quam fuerat ille prior: & fingit se velle edere, quod nunquam tamen facturus est; optarim factum. Illic erant tituli terribiles, *contra sacro-sanctam Dei Trinitatem*, *contra Christi divinitatem*, *dignitatem* & *gloriam*, *contra Spiritus Sancti divinitatem*. Erant indices rem miris præstigiis ob oculos ponentes. His rebus Monachi sustulerunt animos. Et primus impetus factus est in aula Cæsaris per *Dominicanos*. Is auctoritate Procerum pressius est. Rursus *Salamanca* per *Franciscanos* vitæ, ut habentur, probatioris renovatus, tanto tumultu, ut aut victuri, aut in pugna occubituri viderentur. Clamatum in concio-

Digitized by Google

An. 1527. cionibus, blateratum in privatis colloquiis, publicitus affixi articuli, provocatum ad disputationem, nosti ejusmodi tragœdiarum actus. Is motus ægre per Cæsarem & Archiepiscopos aliquot temperatus est verius quam cohibitus. Tandem exstitit *Petrus Victorienſis Dominicanus*, qui *Burgis* præsidens suo sodalitio concionatorem agit, tuus ut audio germanus. Is tanta vehementia orsus est fabulam, ut clamarent, *hic non audiendos neque Cæsarem, neque Præsules, sed Deo obediendum potius quam hominibus.* Quid multis? Res omnino spectabat ad seditionem. Itaque visum est Cæsari ac Præsulibus, ut vociferari desinerent, articulos exhiberent, si quos haberent adversantes fidei. Interim abstinerent à publicis clamoribus. Ægre obtemperatum, sed illud silentium privatis obtrectationibus abunde pensabant. Ibi conspirant septem Monachorum genera. Exhibiti sunt articuli, non solum impudentes & vanissimi, verum etiam tractatu periculosi ob imbecilles, qui nec apud *Hispanos* desunt, vel ob *Judaismum*, vel ob *Paganismum*. Res agi cœpit, sed mox negotium in furiosum exiit tumultum, tandem pestilentia subito oborta diremit synodum. Nec tu mihi pilo minus charus es, quod habes fratrem hujus negotii ducem. Ex amicorum enim literis intelligo, te virum esse singulari & doctrina & æquitate præditum, speroque futurum, ut fratrem ad saniora consilia revoces. Porro, non dubito quin qui in *Hispania* hanc ordiuntur tragœdiam, istius Collegii clam implorarint auxilia, quo conjunctis copiis vi opprimatur *Erasmus*. Hoc consilium inprimis quam non sit animi *Christiani* perspicit tua prudentia. Ac de me quidem levis fortasse jactura fuerit. At vereor ne hinc novum aliquod oriatur dissidium, quum ego semper pacis concordiæque fuerim & patronus & hortator. *Sutor* & *Bedda* sibi persuadent *Erasmum* hominem esse nihili. At is in omnibus regionibus habet sibi plurimos etiam potentes studiis suis devinctos. Ineptum quidem dictu, tamen dicendum, habeo scrinia plena Regum, Cæsaris, Card. Archiepiscoporum, Episcoporum, Ducum, Magnatum & eruditorum literis amantissime scriptis. In *Hispania* vero quosdam adeo fervidos patronos, ut coactus sim illis scribere, ne contentione studiorum moveant exitiale dissidium, sinant potius *Erasmum* fluctibus dedi, fortassis à cœto quopiam excipiendum. Ex quantulis initiis quanta videmus oriri incendia! In *Hispaniis* hactenus tranquilla res erat, & summo otio florebant studia. Nunc hanc tempestatem per *Leum*, ut scribunt, invexit Monachorum improbitas. Nec interim aliud lucrifaciunt quam odium bonorum & risum. Ex tam malis fontibus, quid boni potest oriri rei *Christianæ? Leus* quovis pacto molitur vindictam. Idem eodem spiritu agit *Bedda*. Non respondet ad quæ oportuit, sed ad eosdem articulos aliter digestos redit, credens omnia fore prospera, si vestra censura damnarit aliquot: nec cogitat quam parum nunc orbis tribuat istiusmodi censuris, multo minus tributurus, si perspexerit tam malitiosa judicia, quam sunt *Lei* & *Beddæ*, cujus furori Collegium vestrum mederi decuit magis quam inservire. Quid enim illum pudet, qui talem librum dedit orbi legendum, non exspectato Collegii judicio? Nec jussus premere pressit, sed elusit Regis edictum, curans ut in *Germaniam* spargeretur, & isthic clam distraheretur. Ad hæc, quum meæ supputationes ob oculos omnium posuerint hominis insciti am cum pari malitia conjunctam, non cogitat de purgando, sed articulos aliquot decerptos ex acervo calumniarum, & *Gallice* versos, misit in aulam regiam, quos in hoc delegerat, ut proceres, mulierculas, denique totam *Galliam* in me concitaret, quemadmodum calumniatus antea fuerat titulum *Angliæ* Regi tributum. Nunc eosdem articulos vobis ingerit, scilicet in ordinem digestos, ut novi videantur, perinde quasi nihil sit responsum. Hæc quum malitiosis artibus ac perversis animis gerantur, quid obsecro possunt gignere nisi magnum malum? Quod ne oriatur, sedulo quidem enitar, certe illud effi-

A ciam ne mihi possit imputari: non enim rependam malum malo, nec meum privatum dolorem, publico Ecclesiæ detrimento ulciscar. Impietatis uti crimen non admittam, ita calumniam non feram. At finge me nec velle, nec posse quicquam contra niti; non deerunt tamen qui rem hanc rapturi sint in occasionem ac materiam contentionis. Quid autem est *Christianismus*, si pax absit? Ubi vero pax, si absit charitas? Quæ porro charitas, ubi cuncta tantis odiis, tantis conviciis, tam impudentibus & indoctis calumniis geruntur? Videmus ex quantulis initiis quantæ tempestates exoriantur, quam facile jacens malum moveatur, quam B difficile motum consopiatur. Hoc gravissimum *Lutheri* incendium unde natum, unde huc progressum, nisi ex *Beddaicis* intemperiis? *Martinus* proposuerat Aphorismos disputandos de Condonationibus Pontificiis: eas non minus impie quam impudenter deprædicabant ptochotyranni quidam, qui spe lucri nihil non audent: horum intemperiis *Lutherus* opposuit sua problemata. Indignabantur, quorum res agebatur. Missa sunt ad *Leonem* X. Respondit *Sylvester Prieras* tam feliciter, ut ipse Pontifex indixerit illi silentium. Succesſere quorundam Monachorum vociferationes apud populum, nihil habentes in ore præter hæreses, blasphemias & schismata. Visa narro. Nulla res magis conciliavit omnium favorem *Luthero*. Quod si de Condo- C nationibus sobrie, sicut erant propositæ, disputatum fuisset, nunquam hæc lues sic occupasset orbem. Quid autem tam pie, tam circumspecte scriptum est à quoquam, quod non queat calumniari, qui mentem habeat, qualem spirant scripta *Beddæ?* Nos scripsimus stylo non Rhetorico, sed paulo mundiore, non quod scholasticum damnemus; habet & ille suum usum; sed ille nec ubivis congruit, nec omnibus arridet. Studuimus & politioris literaturæ studiosos, velut esca quapiam, ad amorem sacrarum Literarum allicere. Jam *Beddæ* talem phrasim non intelligit: hoc ipsa res clamitat. Non est opus argumentis. Deinde in Paraphrasi servamus decorum personæ loquentis, nec respicimus ad D hæc tempora, sed quod *Christus*, aut Apostoli suis temporibus docuerunt, conamur explanatius dicere. *Beddæ* quæ rhetorice dicta sunt examinat ad dogmata scholastica, imo *Sorbonica*, quæ illic quotidie nascuntur nova; nec agnoscit tropos, nec personas, nec tempora. Quid hoc calumniandi studio perversius? Sceleratius etiam est, quod decerpit hinc atque hinc mea verba, prætermissis arte, quæ meam sententiam explanant, & excludunt calumniam. Interdum pro meis verbis supponit sua, prætermittit, addit, utcunque visum est appositum ad calumniam. Verbi causa, Divus *Hieronymus* exhortans Clericos ad contemtum divitiarum, in hanc loquitur sententiam, *Partem cum Domino non potest habere, qui aliquid possidet præter Dominum.* Si maligne E quis interpretetur, nonne prorsus Clericis omnibus adimit proprietatem? Rursum, quid odiosius illo de matrimonio? *Quale bonum hoc est, quod comparatione deterioris probatur?* Quas hic blasphemias intonaret, si quid tale reperiretur in scriptis meis? Item quum *Basilius* exhortans divites ad liberalitatem, ait, *illos rem alienam occupare;* quid seditiosius dici poterat, si hoc examines non ad exhortationis legem, sed ad dogmatum vigorem? Hujus generis sententias ter mille colligerem è probatis auctoribus, si res ita postularet. Sed omnium impudentissimum est, quod impingit mihi, quæ nec scripsi, nec somniavi. Et vides quam sint ex- F citata mortalium judicia: periit illa populi simplicitas. Quondam satis erat, *sic judicavit alma facultas:* nunc utinam saltem rationibus & scripturis auscultarent. Dices, cum talibus non argumentis, sed fasciculis agendum. Fortassis istud dictat lex humana, sed lex charitatis aliud dictat. Illa de nemine facile desperat. Multi simpliciter errant, multi sic leviter afflati sunt, ut facile possint sanari. Et si ducum nulla spes esset, tamen ob alios nondum deploratos expediret, illos certis & evidentibus argumentis, & scripturis ef-



Digitized by Google

An. 1527. ficacibus coargui. Equidem optarem *Romani* Pontificis auctoritatem plurimum habere ponderis ad ædificationem Ecclesiæ, sed vides quo sit prolapsa. Nec ulli magis offecerunt illius auctoritati, quam qui nimis impudenter illius auctoritatem exaggerarunt. Idem dicere licet de Monachis. Ipsi sibi detraxerunt quod æquum erat, dum plus æquo tribui postulant. Ita, juxta proverbium, *Rumpitur dum nimium tenditur funiculus.* A vobis mundus aliquid eximium & homine majus exspectat. Eam opinionem omnibus impressit primum istius Collegii celebritas, deinde tot anni in studio Philosophiæ sacrisque Literis desudati. Nunc vero, ô viri divini, depromendum est illud eximium, & homine majus. Requirit hæc tempestas insignes nauclcros; poscit hic morbus eximios medicos; ne in frivolis consumatis operam vestram. Ista facultas *Christo* militare debet, non servire privatis hominum affectibus. Artem & auctoritatem vestram adversus eos expromite, qui vestræ dignitatis arcem ex professo palam oppugnant, & apud multos jam labefactarunt, qui vestra dogmata libris editis detestantur: non in eum qui suis vulneribus pro virili tuetur eadem quæ vos, qui paratus est confodere, si quid vere impium in scriptis ipsius comperiatur. In bellis militi, ob bene navatam operam, præmium à ducibus esse solet: Mihi in hoc bello, ob sedulo navatam operam, à vobis, qui hujus militiæ duces estis, hoc erit præmium, ut calumniis ac mendaciis *Sutorum* ac *Beddarum* opprimar? Euangelico gradu & spiritu *Christi* res hæc agenda est, non arte sycophantica. Sapientia vincit malitiam. Malitia nihil aliud quam propagat malitiam. Absit autem ut vestra auctoritas cujusquam malitiæ serviat adversus piam sedulitatem. Jam mundus & Principes magna ex parte intelligunt hunc esse pseudo-Monachorum tumultum, hoc agentium ut simul cum *Luthero* linguas ac bonas literas obruant, quas ut non didicerunt, ita & discere piget; & nescire pudet. Etiamsi pium sit utrunque, tamen ad alterum ante tempus properant. Spirat adhuc ille, ne dicam regnat in animis plurimorum. Habet qui profiteantur, qui propugnent, qui vestram auctoritatem elevent ac traducant apud omnes, nihil libentius amplectentes quam quod vestris suffragiis damnatum est. In hos estote viri potius quam in *Erasmum*, qui in castris vestris sub iisdem signis militat, qui non sine sanguine cum his dimicat, quos vos pro capitalibus ducitis hostibus. Et tamen fieri potest, ut adversus impietatem pugnans ipse alicubi labar in impium dogma: nam id usu venit, & *Hieronymo*, & *Cypriano*, & *Ambrosio*, & *Augustino*, si quis exactius exquirat. Tale si quid accidit, vel inscitiæ, vel imprudentiæ potest adscribi, malitiæ non potest. Id ego, si quis commonstraverit, docueritque, veluti partum suppositititium lubens jugulabo. Si quid parum intellectum, interpretabor. Id fiet primum inconvulsa *Christiana* charitate, deinde majore cum fructu, postremo cum vestri ordinis dignitate, cujus existimationem undequaque sartam tectam haberi prorsus est è re *Christiana*: eam oportet rectis rationibus commendare, non odiis aut calumniis. Sunt qui fingant me parum faventem dignitati ordinis Theologici, quod alicubi revocem ab immodico studio quæstionum non necessariarum, quod adhorter ad fontes divinorum Voluminum, ad cognitionem linguarum, & *Bedda* scilicet consulit illius dignitati, qui talem librum emisit in lucem. Loquor enim proprie de libro, quem in me scripsit, de cæteris alii judicent. Erat è dignitate vestri Collegii, primum in eo non esse *Beddas*, proximum non tantum valere. Quod si decretum est illius omnia, seu recte, seu perperam facta, tueri, jam omnes intelligent studio non judicio rem geri; quod absit ut eveniat. Jurata est vobis concordia, sed in honestis. Jurata est mutua dignitatis defensio, sed istis rationibus maxime læditur vestra dignitas, quæ si tyrannica est, non Theologica, quidvis est potius, quam dignitas. Ac fortasse res non est omnium communis, fama tamen erit communis omnium. Quo magis advigilandum integris, ne quid Collegii nomine prodeat, quod illius parum respondeat existimationi. Mihi quidem ignotus est istius Collegii status, sed partim ex horum temporum habitu, partim ex aliis facile conjecturam facio: in omni consessu semper fuerunt, qui studiis & improbitate rerum summam sibi vindicant, nec temere fit, ut melior pars vincat. Per illos primum res privatim decernitur; mox excluduntur integriores, adhibentur idonei; præfatio commendat concordiam, adduntur minæ; *hic*, inquiunt, *apparebit*, *qui sint Lutherana factionis.* Si quis dixerit aliquid æquius, mox audit à frementibus, *Luthero* pejor. Sunt ingenia modesta, quæ malunt quiescere quam cum talibus contentionem suscipere: Sunt qui in gratiam privatam deflectant à sua sententia: Sunt qui metuant aut sperent aliquid, eoque premant quod judicant optimum: Sunt qui non intelligant, quod nude proponitur? Sunt qui iisdem affectibus excæcati sunt, quibus *Bedda*: Sunt quos utcunque sanos clamor ac tumultus aliorum, ita ut fit, agit in furias. Ita non fit, sed extorquetur senatus consultum. In quo prodendo rursus qui extorserunt, admiscent affectus suos, aliis vel inscüs, vel conniventibus. Et hoc dicitur Collegii decretum. Hæc nequaquam ad te scriberem, nisi mihi doctorum hominum literis persuasum esset, te virum esse magno rectoque judicio præditum, eoque curaturum, ne quid isthic geratur secus quam oportet. In me certe nullum hominis *Christiani* desiderabitur officium. Malitiosas calumnias non feram, etiamsi sex *Romani* Pontifices subscribant vestræ sententiæ. Nec enim Pontificum, nec vestra auctoritas valere debet ad opprimendam veritatem & innocentiam. Idem ages apud *Petrum Victorienſem* fratrem tuum. Ita continget vobis speciosa victoria, si vincat *Christus*, si superet charitas, multoque melius mereberis deque Collegio tuo, deque fratre, quam de *Erasmo*. Spiritus cœlestis inspiret animis vestris quæcunque pia, quæcunque sancta, quæcunque ad *Christianam* amicitiam conducibilia. Bene vale. Datum *Basilea* 29. Novembris, Anno 1527. An. 1527.

## EPISTOLA DCCCCXI.

*Erasmus Roterod. Joanni Card. Lotharingiæ* S. D.

NE sublimitatem tuam præfatione morer, Dum nos hic pro viribus agimus ut exstinctis dissidiis Ecclesiæ sua restituatur tranquillitas, *Natalis Bedda* novos molitur tumultus. Urit hominem primum quod liber, quem in *Jacobum Fabrum* scripserat, edicto regio suppressus est, etiamsi non est suppressus: deinde quod ego respondens & meam innocentiam & illius impudentiam sic omnibus ob oculos posui, ut in speculo non possit evidentius. Itaque prorsus animo gladiatorio parat vindictam, non se purgans, quod non potest, sed easdem calumnias alia specie rursus ingerens. Habet in *Sorbonico* Collegio quosdam ipsi addictos, nusquam enim non habent similes labra lactucas; alii vel territantur minis, vel odio contentionis quiescunt. Interim *Bedda* cum suis satellitibus rem gerit ex animi sui sententia. Agitur fabula, *Erasmi* nomine, non *Fabri*, quum uterque petatur. Habet sexcentas propositiones è Paraphrasibus decerptas, quod Opus non ob aliud sic odit, nisi quia plurimos excitat ad pietatem: eas, ut narrant, ad facultatem defert, & in aliquot jam audio pronunciatum. Sed quomodo proponit artifex? Omittit quæ rem explicant, quæ calumniam excludunt, addit de suo quæ faciunt ad calumniam: proponit velut à me dicta hoc tempore, quæ dicuntur ab Euangelistis aut Apostolis, & ad Ecclesiæ primordia pertinent. Ita sub meo nomine damnantur quæ *Christus* & *Paulus* docuerunt. Nec immerito. Nihil enim magis adversatur *Bedda* similium studiis, quam Euangelicæ doctrinæ sinceritas. His fucis imponi potest etiam eruditis & integris. Quumque ad pleraque responsum sit evidentissime, tamen ille sic proponit, quasi ni-

Digitized by Google

An. 1527. nihil omnino sit responsum. His artibus sperat futurum, ut exclusis libris meis, ipse Deus habeatur. Hujus energia mysterii proficiscitur à pseudo-Monachis, qui bonas literas pejus oderunt, quam ullam hæresim aut magiam, utcunque dissimulant. Ex his autem molitionibus, pessimis è fontibus originem ducentibus, pessimis artibus tractatis, quid aliud nasci potest, quam ingens orbis malum? Qualis est arbor, tales sint fructus oportet. Radix hujus arboris est pessima, livor, odium, ulciscendi rabies; Rami, improbitas, malitia, calumnia, impudentia, vanitas. Hi quos fructus porrigent, nisi venenatos? Id ut tuto faciat, admiscere conatur suis intemperiis auctoritatem Collegii Theologici, quum saniissima pars ejus Collegii damnet & improbet hominis tumultuosam impotentiam, si liberum cuique sit quod sentit dicere. Et si totum Collegium talia judicia proferret qualia sunt *Bedde*, non sine gravi auctoritatis suæ jactura id faceret. Nec lubens elevarim ejus Collegii dignitatem, sed impietatis calumniam nemo pius debet perpeti. Proinde si Regia Majestas istiusmodi malitiosis conspirationibus indicat silentium, simul recte consuluerit & regni sui, & studiorum & Ecclesiæ tranquillitati, quam non alia ratione melius tuebuntur, quam si proferant judicia doctissimis & optimis Theologis digna. Et ego sane malim bonas horas, & operam, aliis in rebus collocare. Sudamus enim in *Augustino*, ut emaculatior justaque cum dignitate prodeat in manus hominum. Hoc officium si tua Celsitudo præstiterit, maximus tamen hujus beneficii fructus ad Rempublicam pertinebit. Regia Majestas sic instrui poterit; nunc orbem undique dissidiis esse sectum, etiamsi nihil accersamus: id potius agendum, ut æquis rationibus hæc mala sopiantur, quam ut privatis affectibus excitentur novi tumultus; magisque convenire ut tam celebris facultas vires suas expromat in professos hostes, quam in commilitones suos, & medeatur omnibus quibus potest, potius quam ut sanos alienet; & hujus auctoritatem oportere servire *Christi* gloriæ, non *Beddarum* privatis affectibus. Id nulli magis expedire quam ipsi facultati. Calumniandi nullum esse finem, præsertim si ira & livor adhibeantur in consilium. Postremo, non statim damnandum librum, in quo erroris aliquid inveniatur, quum in probatissimis Ecclesiæ doctoribus complures inveniantur. Ad quosdam lapsus humanos præstat connivere, ex quibus agitatis crebro major lues nascitur. Jure mihi succenseret tua sublimitas, si meum privatum negotium ageretur. Commodum publicum, sat scio, non negliget tua singularis pietas, cui precor omnia prospera. Si plenius super hisce rebus edoceri voles, ex *Gervasio* Theologo poteris rem omnem cognoscere, cui & doctrina non vulgaris & judicium integrum adest. Datum *Basilea* 30. Novembris, Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCCXII.

*Erasmus Rot. Antonino Medico* S. D.

QVVM animus iste tuus pluspuam *Pyladem* superet omnia Regum munera, tamen tu non desinis novis subinde certare muneribus, & minitaris nescio quid tale, tantumque, ut à me contemni non possit. Hoc mihi credas velim, *Antonine*, istud tuum pectus mihi tribus regnis esse pretiosius. *Georgius* bona fide reddidit omnia. *Hieroslao à Lasco* precor ut felix sit tua fortitudo, cui tamen nonnihil metuo, ne in nervum. *Alexius Turzo* mihi abunde satisfecit, si provocationem meam æqui bonique consuluit. *Severinus Olpejus* hinc discessit mense Septembri, onustus meis literis, quanquam & per *Frobenium* scripseram in mercatum, quæ perlata sint, nec ne, nondum habeo certum. Regi cordatissimo non displicuisse literas, gaudeo; editas esse, nec probo, nec improbo: opinor vobis constare consilii vestri rationem. Mallem præfationes & versiculos omissos, non ob aliud, nisi quod laudant invidiosius. De munere extorquendo nolim agi: videbor enim hoc aucupatus, quum nihil minus cogitarim. Hac in re sum obsequutus animo *Joannis à Lasco*, iterum atque iterum eadem ad me scribentis. *Joanni Henkello* nunc consulere serum est, superest precari ut quod factum est feliciter cedat. *Pauli Crescentii* nihil ad me pervenit, præter animum, quem è tuis cognitum literis lubens amplector, sicut & *Samborkii*, & *Hosii*, & *Georgii Werneri* & *Langi*, quorum nonnullos mihi commendavit *Lascanus*, quibus omnibus alias mutuum animum declarabo. Nunc nec vacabat, nec expediebat plura scribere; iter longum, nuncius nescio quam certus. Vix credas, mi *Antonine*, quam tibi gratuler tam benignum, tam candidum patronum, præsertim hoc rerum statu turbulentissimo. Ei scripsi tribus verbis, reclamante pudore meo. Impudentiæ causam in te transferas oportet. *Beddam* adeo non pudet suæ vesaniæ, ut ordiatur Tragœdiam multo hac insaniorem. Nisi istos urget extremum fatum, nescio quid sibi velint. *Joannis Leopolitani* candorem exoscular, quem utinam plures imitarentur. De funere vertendo vereor ne non succedat. Irritabuntur quos non possumus compescere. Quicquid est Tragœdiarum, vel in *Gallis*, vel in *Hispaniis*, hoc fonte nobis scatet. Quin & illud videndum, ne quid hinc discriminis ad eos redeat, quibus auctoribus aut consciis hoc procuratum est. Optimæ conjugi tuæ precor omnia læta. Linteum dono missum auro gratius est, quod præter mittentis affectum, commendat etiam ipsa novitas. *Josephum* tuum, si veniet, cupidissime videbimus. Hic pestis recruduit: reliquit nos nuper *Joannes Frobenius* paralysi correptus. Dederat morbus quædam sui præsagia, sed puduit virum nimium fortem ægrotare. Bene vale, mortalium charissime *Antonine*. *Basilea* 9. Decembris, Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCCXIII.

*Erasmus Rot. Christophoro à Schydlovietz, Palatino, & Capitaneo Cracovienſi, regni Poloniæ Cancellario*, S. D.

NON caret quidem egregia virtus vel laude, vel præmio suo, etiamsi præclaris conatibus non respondent eventus, qui soli Deo est in manu; nos tamen eramus feliciores futuri, nisi plus valuisset regnandi dulcedo, quam æqua rectaque consilia. Prorsus experimur esse verissimum, quod ante tot annorum millia scripsit *Homerus*, *Cibi, potus, cantionum, chorearum, & omnium rerum quamvis natura dulcium, homini satietatem oboriri; solius belli, rei omnium tristissimæ, nullam esse satietatem.* Quid hoc aliud esse dicam, vir eximie, nisi Deum à nobis aversum, Principum quorundam animis insedabilem ardorem pugnandi immittere? Quid autem malorum abest huic seculo? Quæ mundi regio non aut patitur bellum, aut parat? Ubi non sævit pestilentia? Ubi non laboratur inopia? Nec tamen tot afflicti modis agnoscimus Deum, flagellis ad resipiscentiam provocantem; sed perinde quasi rebus integris, epulamur, jungimus matrimonio, digladiamur, & de proferendis regni pomeriis contendimus: spero tamen opera tua, ac tui similium, optimique Regis *Sigismundi* dexteritate res humanas in tranquilliorem statum aliquando reponendas. Quod scribis, epistolam meam, tum ipsi Regi, tum regiis proceribus omnibus magnopere placuisse, gaudeo sane, nec *Joannis à Lasco* consilium, nec meum obsequium successu caruisse. De munere non est quod satagat tua benignitas. Jam dudum teneo quod captabam, si placuit, si pacis studium commendavit. Pro tuo erga *Antoninum* meum studio gratiam habeo maximam. Sic enim is vir me suis virtutibus sibi devinxit, ut quod officii tua sublimitas in illum contulerit, lubens passurus sim imputari mihi. Dominus te servet incolumem, vir modis omnibus clarissime. Datum *Basilea* 12. Decembris, Anno 1527.



Digitized by Google

## EPISTOLA DCCCCXIV.

*Eraſmus Roterod. Petro Tomitio, Epiſcopo Cracovienſi,* S. D.

An. 1527. NEC ocium, nec argumentum ad te ſcribendi ſuppetebat, ampliſſime Præſul, pudor etiam dehortabatur: ſed tuus *Antoninus* tam graphice tantoque affectu mihi depinxit effigiem pectoris morumque tuorum, ut ſi dicam te mihi ignotum eſſe, plane mentiar: ſim autem ab omni pietatis & humanitatis affectu alieniſſimus, ſi talem Præſulem non venerer, ſuſpiciam, & amem ex animo. Cæterum *Antonino* meo non minus gratulor, quod patronum nactus eſt, cujus auſpiciis poſſit in his rerum humanarum undis & honeſtam & tranquillam vitam degere. Sic enim amo pectus hominis longe candidiſſimi, ut magis hilareſcam ſi quid illi bonæ rei obtigerit, quam ſi mihi obtigiſſet. Leve eſt, ſi jam gratuler tibi dignitatem iſtam, quam fortunæ tuæ non debes, ſed præclaris animi tui dotibus; nec te dicam hoc nomine felicem, quod ſereniſſimo Regi ſis inter primos, & gratus & charus, quandoquidem hoc ille judicio facit potius quam affectu. Seculo noſtro reique publicæ *Chriſtianæ* gratulor, cui ſi tui ſimiles multi contingerent Epiſcopi, citius hæc rerum tempeſtas in ſerenitatem verteretur. Habet tua Celſitudo epiſtolam pluſquam *Laconicam*, quam tamen fatereris eſſe prolixam, ſi noſſes, quibus diſtringar laboribus. Precor amplitudini tuæ Rever. proſpera fauſtaque omnia. Datum *Baſileæ* 12. Decembris, Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCCXV.

Carolus divina clementia Romanorum Imperator, deſignatus Auguſtus

*HONORABILIS, *devote, dilecte: Fuerunt nobis tuæ literæ duplici nomine jucundiſſimæ, & quod tuæ erant, & quod ex his intelleximus,* Lutheranorum *inſaniam declinare: quorum alterum debes tu quidem ſingulari noſtra erga te benevolentiæ: alterum vero non tam nos tibi debemus, quam univerſa Reſpublica* Chriſtiana, *quum per te unum id aſſequuta ſit, quod per Cæſares, Pontifices, Principes, Academias, atque per tot viros eruditiſſimos hactenus obtinere non valuit. Unde tibi & apud homines immortalem laudem, & apud ſuperos perpetuam gloriam nequaquam defuturam, & quam lubentiſſime videmus, & hanc tibi felicitatem contigiſſe ex animo gratulamur. Supereſt, ut provinciam hanc, feliciter à te ſuſceptam, pro viribus ad finem uſque perducere adnitaris: nos enim tuis ſanctiſſimis conatibus omni auxilio & favore nunquam defuturi ſumus. Cæterum, quod ſcribis de his, quæ in tuas Lucubrationes apud nos tractari cœpta ſunt, moleſte admodum legimus: nam videris noſtro in te animo ac voluntati quodammodo diffidere: quaſi nobis præſentibus quicquam adverſus* Eraſmum, *cujus* Chriſtianam *mentem exploratam habemus, eſſet ſtatuendum. Ex inquiſitione enim, quam in tuis libris permiſimus, nihil eſt periculi, niſi ut ſi quid humani lapſus in his inveniatur, tu ipſe amanter monitus, id vel corrigas, vel ita explanes, ut nullum offendiculum puſillis relinquas, & hac via tuis Scriptis immortalitatem pares, & obtrectatoribus ora occludas. Si vero nihil calumniæ dignum repertum fuerit, vides quantam gloriam tibi, tuiſque Lucubrationibus aſſequuturus es. Bono itaque animo te eſſe volumus, tibique perſuaſum, ſummam nos tui honoris atque exiſtimationis rationem nunquam non habituros. Pro quiete Reipublicæ, quod in nobis fuit, hucuſque nos ſtrenue præſtitiſſe, non eſt cur aliquis dubitare debeat. Quid in præſentia præſtemus, quidve deinceps præſtituri ſumus, ea malumus operibus declarare. Hoc unum a te petimus, ut tuis precibus actiones noſtras omnes* Chriſto *Optimo Maximo ſemper commendes. Vale. Ex Civitate noſtra* Burgenſi, *die* 13. *Decembris, Anno Domini* 1527. *Regni noſtri* Romani *nono.* An. 1527.

CAROLUS.

Inſcriptio à tergo hæc erat, *Honorabili, docto, devoto, nobis dilecto Def. Eraſmo Roterodamo, Conſiliario noſtro.*

ALPH. VALDESIUS.

## EPISTOLA DCCCCXVI.

*Eraſmus Roterod. Alphonſo Verveſio* S. D.

SI mea cauſa tantum laboris, tantum invidiæ ſuſciperes, frater in Domino honorande, optimo jure te plurimi facere deberem, ni vir eſſem inſigniter vel excors qui non intelligerem, vel ingratus qui non agnoſcerem tam ſingulare tuum in me ſtudium; nunc quum omnia tum facias, tum patiaris, non tam mea cauſa, quam ſtudio pietatis ac veritatis, multo pluris te facio, mi *Verveſi* chariſſime, fateorque me tibi longe plus debere, quippe qui ſic affectus ſim in hoc negotio, ut malim pietatem vincere quam *Eraſmum*. Si *Chriſto* ceſſerit victoria, me victorem eſſe judicabo, poſteaquam vicerit ea pars, cui toto pectore faveo. Itaque gratias ago duplici nomine, quum meo cui tam amicam navas operam, tum pietatis cujus cauſam gnaviter ac dextre propugnas. Quin & recreor tuo de me judicio, quod falli, ne poſſim ſuſpicari, vetat iſta tua ſingularis vel integritas, vel eruditio. Utinam ordinis tui modeſtiam imitarentur & cæteri, qui ſibi perſuadent, ſeſe & *Chriſtianam* religionem & exiſtimationis ſuæ dignitatem improbis obtrectationibus, ſcurrilibus conviciis, ac ſeditioſis vociferationibus tueri poſſe, quaſi non ſedeat in cœlis qui talia mortalium conſilia deridere ſoleat atque ſubſannet. Ad articulos jam ante menſes ſex erat parata reſponſio, cujus aliquot exemplaria miſimus amicis. Inimicos ut modeſtia quoque ſuperem, admones tu quidem amanter, ac mihi viſus ſum pulchre moderatus ſtylum, primum qui nullius ediderim nomen, deinde nuſquam debaccher conviciis, niſi forte convicium non eſt, quum illi nominatim impingunt, quod pugnem adverſus divinitatem, dignitatem & gloriam *Chriſti*, & convicium eſt, quum eam appello impudentem calumniam. Iſtiuſmodi portenta nihil omnino civilitatis merebantur. Quod datum eſt, datum eſt partim amicorum affectibus, partim modeſtiæ *Chriſtianæ*. Et tamen arbitror futuros, quibus hæc Apologia videatur dentatior: tantum honoris ſibi deberi putant. A nominibus edendis & ipſe abhorreo, nec me fugit quibuſdam id optabile eſſe, quovis pacto innoteſcere. Sed interim impune debacchantur in nomen meum in publicis prælectionibus, in quibus effutiunt tam inerudita, ut ab adoleſcentibus rideantur. Monui literis unum atque alterum, ſancte dejerant à ſe nunquam niſi honorifice factam mei nominis mentionem. In hoc negotio ſic vigilant in multis regionibus *Franciſcani*, qui ſe vocant *Obſervantes*, ut ſatis appareat rem de compoſito geri. Nec tamen proficiunt, niſi quod cordatis ac bonis in dies redduntur magis inviſi, non ſine meo dolore, qui ſemper illorum integritati faverim. Hoc conſilium videtur illis mire callidum. Clanculum ſubmovent libros meos è bibliothecis, etiam quos illis dono dederam, clanculum obtrectant, in prælectionibus ſubinde perſtringunt, à ſcriptis abſtinent, ſcientes & mihi calamum eſſe. Nunc non eſt qua illos ulciſcar. Si urgeantur, negant ſe dixiſſe, aut aliter dixiſſe dejerant; quid illis facias? Poſtremo, qui non poteſt excuſari, aliquo relegatur ubi dicat atrociora, nec ullum tamen illorum unquam offendi in vita. Ex multis malis, quæ *Lutherus* invexit *Germaniæ*, ſaltem hoc decerpit boni, quod hoc hominum genus habet aliquanto moderatius. Quod ſcribis *Hiſpaniam* à ſectis immunem vivere ſub *Romano* Pontifice, vehementer gratulor, & hoc magis quod experiar, quanta ſit infelicitas tot opinionibus diſſecari. Quod ſi quemadmodum vos vivitis ſub Pontifice, ita Pontifex

cum

Digitized by Google

An. 1527. cum suis viveret sub *Christo*, optarem omnibus eandem felicitatem. Nunc multa vident, qui *Christi* gloriam vere diligunt, ad quæ suspirent. Quid enim aliud nunc licet? *Enchiridion* ab Archidiacono *Alcorano* versum antehac ignorabam. Nec est scrupus eximendus. Idem ille sentit quod ego, licet aliis utatur verbis. Fatetur eos fremere ne comperiantur mentiri de me, si *Hispanice* loqui cœpero. Hoc est quod ego voco invidiam. Vellem idem factum in *Misericordia Domini*, in *Commentariis in Psalmos quatuor*, in *Matrimonio Christiano*, & in *Paraphrasibus*, quæ non tractant contentiosa. *Declamationem in laudem Matrimonii* lusimus in exemplum generis Deliberativi. Quædam eruditis tantum scripsimus, quæ verti nolim; sed ipsi scripsimus Archidiacono. Hæc ad epistolam 13. Decemb. Anno 1527. scriptam.

## EPISTOLA DCCCCXVII.

*Erasmus Rot. Henrico Botteo, LL. Doctori, Officiali Burgensi*, S. D.

VIR in Domino charissime, quemadmodum de tam singulari vestro in me amore gaudeo, ita vos inani mœrore contristatos doleo. Toties efferor, toties mihi supersum, interim paratus ad utrunque quum Domino visum fuerit. *Joannes Frobenius*, vir ornandis studiis natus, nos reliquit, non sine dolore meo: sed tamen dum morbi genus, (erat enim paralysis) dum hoc seculum turbulentissimum cogito, magis gratulari libet erepto, quam deflere abreptum. Orsus erat ingenti sumtu totum *Augustinum*, nec optabat longiorem vitam, quam donec absolvisset. Sed Deus illi, ut spero, melius aliquid providit quam optabat. Officinæ tamen molem *Hieronymus* filius & ego sustinemus. Non excidit liber *De ratione concionandi*, sed semper aliquid transversum incidit, quod alio propellat animum. Et vix credi potest, quantum negocii nobis faceſſat *Augustinus*. Jam non solum cum *Hispanicis* phalangibus mihi res est, verum multo capitalius bellum cum aliis, *Bedda* nullum non movente lapidem, ne videatur vir bonus. Attamen admoneri me gaudeo. Te cum omnibus, qui mihi bene volunt, in *Christo* quam optime valere cupio. Datum *Basilea* 22. Decembris, Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCCXVIII.

*Erasmus Rot. Georgio Smotzero, J. V. Doctori*, S.

ORNATISSIME Doctor, Ut quod accidit non mediocriter doleo, ita gaudeo casum incidisse, per quem id, quod accidit, resciscerem. Scripsit ad suos veteres sodales *Ruffus Guardianus Franciscanorum*, apud *Rubeacum*, fasciculum literarum mearum, *Thannis* in diversorio publico repertum, eumque traditum in manus senatus ejus oppidi. Hoc cognito misimus eo proprium nuncium. Per eum didicimus eas literas à senatu Præposito traditas, qui inspiceret si quid inesset quod ad Rempublicam attineret. Is Præpositus, nam hic adest, fatetur nihil omnino in eis repertum, quod ullo modo contingeret Principum negotia. Nihilo secius literas ad Concilium *Ensishense* fuisse missas; sive hoc odio mei, sive nimia quadam diligentia, sive insciti factum est, in præsentia non disputo. Tot fasciculos epistolarum ac libellorum, & in *Angliam*, & in *Galliam*, & in *Hispaniam*, & in *Poloniam*, & in *Brabantiam* mitto quotidie, ac vicissim accipio à Cæsare, qui me agnoscit pro suo Consiliario jurato, à Rege *Ferdinando*, à Rege *Angliæ*, ab Archiepiscopis & Card. nunquam tamen incidit casus tam inauspicatus: non enim soleo literis committere, quod ullo modo turbet Reipublicæ commoda. Proinde quando nec ignotus ipse, nec ad ignotos scribo, erat hoc civilitatis, ubi literas à me profectas vidissem, ad me remittere, non quibuslibet inspiciendas exhibere. Sal-

tem quum singula excussissent, nihil erat opus ad vos mittere, non solum cum injuria mea, verum etiam eorum, ad quos scribo. Res enim ejusmodi sunt, ut mea magnopere retulerit perlata fuisse scripta, nec ullum commodum hinc illis proficisci posset, mihi vero summum esset incommodum, si per aliorum manus aberrarent. In mediis etiam bellis aliquid datur religioni literarum, præsertim si nihil est quod ad hostem pertineat. Sed utcunque hæc acta sunt à *Thannensibus*, te majorem in modum rogo, curet humanitas tua, ne hic nuncius istic diutius hæreat, sed quicquid est chartarum, diligenter obsignatum ad nos referat, ut per alium eo perveniant quo volo. Ex oratione Præpositi *Thannensis*, non satis liquet quæ fuerint, sed tamen conjicio esse fasciculum, quem proxime commisi cuidam *Antonio Bletz Elvetio*. In eo erat epistola una ad Senatum *Parisiensem*, una ad facultatem Theologiæ, una ad *Natalem Beddam*, una ad *Theologum Hispanum Sorbonicum*, una ad *Gervasium Theologum*, una ad *Card. Lotharingiæ*, una ad *Lodovicum* Dominum *Berquinii*, una ad *Germanum Brixium*, una ad *Livinum* quondam famulum meum, una ad *Archiepiscopum Cantuariensem*: erat libellus typis excusus ad *Archiepiscopum Hispalensem*: erant duo codicilli eodem argumento, alter ad Senatum *Parisiensem*, alter ad facultatem Theologicam, & aliquot exemplaria alienarum epistolarum, si recte divino. Precor ut huc omnia redeant, saltem illud quod in manibus vestris residet. Sin est aliud quippiam, quæso ut huc remittatur, quando scio nihil à me scriptum quod ad vos pertineat. Hoc officio reddes me tibi devinctissimum. Et si quid inciderit, in quo tibi vicissim queam gratificari, senties hominem nec immemorem, nec ad referendum officium segnem. Hanc epistolam alteri addidi, quod acceperam, Præfectum istinc jam discessisse: quod si verum est, confido rem tua dexteritate facile perfectum iri, præsertim quod, quantum ad vos attinet, nullius sit momenti. Bene vale. *Basilea* 27. Decembris, Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCCXIX.

*Erasmus Rot. Georgio Saxoniæ Duci* S. D.

ILLVSTRISSIME Princeps, Nihil erat hoc tempore magnopere dignum, de quo tuam Celsitudinem interpellarem, sed ad scribendum invitavit opportunitas tabellarii, tum certi, tum huc mox recursuri. Quæ commoditas nobis nimium raro contingit, quo minus amittendam existimavi. Proximis autem nundinis misimus Illustrissimæ Celsitudini tuæ, secundum *Hyperaspista* librum, una cum literis, quæ an perlata sint necne, nondum certo cognoscere licuit. Vix enim dici possit quanta nunc sit hominum in hujusmodi negotiis tum improbitas, tum perfidia. Quare si tuæ Celsitudini non erit molestum, mihi magnopere gratum fuerit, si dignabitur tribus verbis indicare, num reddita sint quæ misimus, deinde an probata sint tuo judicio, quod apud me plurimum habet ponderis. *Non* enim *ejusdem est parere & judicare*, quemadmodum ait *Socrates* ille *Platonicus*. Hoc unum scio, nihil unquam mihi fuisse molestius, quam tam prolixæ conviciorum & gloriarum rhapsodiæ respondere, cujus vel lectionem devorare, patientis erat stomachi. Hæc tam nova tempestas desiderat aliquem insignem artificem, qui prudentia, auctoritate & ingenio tantos componat motus. Qualem adhuc prodire neminem, & miror & doleo. Theologi tot syllogismis, tot problematibus instructi, tantum, ut apparet, intra scholæ parietes Theologi sunt. Nunc certe, si unquam alias, tempus erat, reconditam illam & humana majorem sapientiam proferre. Porro, Episcopi quidam videntur aliud agere, Monachi plerique de ventre solliciti sunt magis quam de Euangelio. Cæsar & *Ferdinandus* videntur ad severitatem velut ad sacram ancoram spectare, & profecto huc provocant qui sub



Digitized by Google

An. 1527. Euangelii nomine quicquid libet, ſibi licere volunt; at vereor ne res cadat in deterius. Prædandi ſtudium multos excitabit etiam in immerentes, & quiſquis habet aliquid, affinis erit periculo. Qui nihil habent, his erit bene, nimirum ex malis alienis, ut ſit in bello. Atque hinc exſiſtet omnium rerum confuſio. Si malum ſubito tolli nequit; ſaltem arte mitigandum eſt ad tempus, donec morbus admittet medicantis manum. Durum eſt ſectionibus & cauteriis uti, quum pene major corporis pars occupata morbo eſt. Damnoſa medicina eſt, quæ plures perdit quam ſervat. Si quod in utraque parte vitioſum eſt, prudenti moderatione tolleretur, auctoritate conſenſuque Principum, res, opinor, haberet minus cruentum exitum. Oro ut is, qui novit quid expediat generi mortalium, Principum animis inſpirare dignetur ea conſilia, quæ nobis veram pietatem cum ſancta concordia reſtituant, quando præter vota nihil aliud nobis ſupereſſe video. Agit hic *Chriſtophorus Carlevitzius*, juvenis præter imaginum commendationem, & eruditione non vulgari, & morum ſenili quadam maturitate ornatiſſimus, ut præter ætatem & faciem nihil habeat juvenile; ſic addictus honeſtiſſimis ſtudiis, ut quicquid voluptatis adoleſcentes alii ſolent ex conviviis, alea, & amoribus venari, hic totum ex libris petat. Quibus rebus, quoniam ſingularem quandam ſpem de ſe præbet, lubitum eſt tuæ ditioni gratulari. Ab hoc miſſus eſt, qui has perfert, per quem tua illuſtriſſima Celſitudo dignabitur ſignificare ſi quid me ſcire volet, quam incolumem ac florentem tueatur Deus. *Baſilea* 30. Decembris, Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCCXX.

*Gulielmo Waramo, Archiepiſcopo Cantuarienſi, Eraſmus Roterodamus* S. D.

AMPLISSIME Præſul, ac benigniſſime ſtudiorum meorum *Mæcenas*, erupit tandem in apertum vetus illa in me conjuratio Monachorum ac pſeudo-Theologorum, hoc agentium ut libros meos excutiant è manibus hominum, ſed mihi crede, non habebit ſucceſſum. Multis regionibus ſimul aggreſſi ſunt hoc negotium, devotis animis; ſed ubique repererunt potentes, qui conatibus illorum furioſis obſiſterent. Habeo ferme quicquid notarunt in libris meis, & ſane gaudeo non alia poſſe produci ab his, qui pluſquam hoſtilibus animis ad calumniam detorquent omnia. Si vacabit legere libellum, cognoſces quibus mendaciis & ſycophantiis mecum agant. In hoc tumultu vetus ille tragœdiarum artifex velut *Androclides* fortem agit virum, oblitus ſuæ legationis, idque quum non ignoret me Archiepiſcopo *Toletano*, præter alios aliquot Epiſcopos, multis Aulæ Proceribus, atque ipſi etiam Cæſari non ingratum eſſe. Demus aliquid in libris meis eſſe, quod poterat dici circumſpectius; certe nihil impium poſſunt oſtendere. Quod autem exemplum hoc eſt, ex malitioſa conſpiratione per univerſum orbem, clamoribus inſanis & furioſis libellis unum hominem aggredi? Hoc non eſt defendere fidem, quo titulo iſti ſe venditant, ſed novos tumultus excitare, quum turbarum undique ſit plus ſatis. Excitavi plurimos ad bonarum literarum ſtudium, quin & Theologorum ſtudia tot lucubrationibus meis, vel excitavi, vel adjuvi. Si quid ineſt humani lapſus, poterat dari negotium aliquot integris ac doctis viris, ad quorum judicium corrigerentur ea quæ jure offenderent. Verum non offenduntur erratis; aliud eſt quod illos urit. Ex linguis ac bonis literis, undique feliciter efflorescentibus, vident ſuam opinionem apud omnes decreſcere; nec mirum, qui tot jam annis adverſus optima ſtudia ſumma vi belligerantur, quæ ſi voluiſſent amplecti, nec aliorum dignitatem obſcuraſſent, & ſuam illuſtraſſent etiam; nunc torquet illos invidia. Per omnes orbis nationes *Eraſmi* qualiacunque ſcripta teruntur manibus, *Sutorum* & *Beddarum* libri ridentur à pueris. Eſt & aliud ulcus. In libris meis nonnunquam admoneo Theologos, ut omiſſis quæſtionibus ſophiſticis adeant fontes Scripturarum, evolvant ſanctos Eccleſiæ doctores, & indico loca quædam, in quibus lapſi ſunt ob linguarum ac vetuſtatis inſcitiam. Similiter & Monachos admoneo, quibus in rebus ſita ſit vera religio. Id iſtos male habet, malebant antiquum Theologorum ac Monachorum regnum manere, verum, hoc non expediebat populo *Chriſtiano*. Ex meis libris nec hæreſis, nec diſſidium ullum eſt natum, iſti ſuis clamoribus ſuſcitant hos tumultus. Sed intra paucos annos videbis ſcenam rerum humanarum inverſam, & eam moderationem, quam perpetuo ſequutus ſum in ſcriptis meis, amplectentur. Vociferantur iſthic in *Colloquia* mea, quum vix alius liber ſit conducibilior ad eximendas animis hominum ſtultas de rebus opiniones. Erit autem illud prudentiæ Principum, hos tumultus inconditos auctoritate ſua compeſcere, alioqui in gravius incendium exituros quam hactenus excitatum eſt à *Lutheranis*. Habent titulos honeſtos, quibus hoc faciant. Satis eſt turbarum in Eccleſia, etiamſi non quæramus novam turbationum materiam, & abunde eſt nobis negotii cum iis, qui palam profitentur ac ſcriptis defendunt ea, quæ docet *Lutherus*, etiamſi non faceſſamus negotium iis, qui nobiſcum pugnant adverſus *Lutherum*. Deinde, quoniam Cæſar habet in animo quædam in Eccleſiam recepta in melius reſtituere, quod abſque frequentiſſimo Principum concilio fieri non poteſt, præſtat, ſi quid eſt ejuſmodi rerum, *in illud* differre tempus. Nunc, quantum licet, paci ſtudendum eſt, & excludenda diſſidiorum materia. Poſtremo ſi maxime ſcriberem ſecus quam oportet, non expedit iſtiuſmodi clamoribus, calumniis, conſpirationibus, libellis rabioſis, mederi lapſibus hominum: nam talibus modis *Lutheranum* negotium ex minimis initiis ad hoc incendium, quod nunc late per orbem divagatur, exacerbatum eſt. Hujuſmodi titulis ſi Principes iſtorum impetus fregerint, mox conſileſcet eorum tumultus; Sin indulſerint illorum impotentibus odiis, res eo proficiet, ut quum Principes volent eos compeſcere non queant. Hi fatales orbis motus non abſque numine videntur orti, modiſque non credendis huc uſque progreſſi. Arcanum eſt Dei conſilium, quid moliantur homines ſtudiis videmus, quid moliatur Deus nobis incertum: novit malitiam ac ſtultitiam mortalium in ſuam gloriam & in bonorum ſalutem vertere. Proinde mihi ſemper erit curæ, ut illi præſtem ſinceram conſcientiam; de exitu viderit ipſe. Si tua ſublimitas cupiet amplius de iis, quæ hic geruntur, cognoſcere, ex his quæ miſi *Bedyllo* ſecretario tuo licebit. Dedi negotium *Petro Ægidio*, ut ad te mitteret divi *Hieronymi* volumina poſterioris editionis pulchre concinnata, an fecerit neſcio. *Baſilea*, Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCCXXI.

*Eraſmus Rot. Antonino Medico* S. D.

VT tu candore temet uſque ſuperas, qui ſic exaggeras tantilla mea in te officia, tua longe majora diſſimulans. *Urſinus* aliquam partem ſuæ tragico-comœdiæ, ſeu potius comico-tragœdiæ, pridem ad nos perſcripſit, bonam partem rejiciens in *Joannem Fabrum*, qui cum hactenus mihi non contigit colloqui. Nec interea ſcire potui, quo ſe contulerit: nam videbatur ancipitis eſſe conſilii. Res *Ungaria* tam eſſe turbulentas, vel tua cauſa doleo, cui cupio, ſicuti mereris, fauſta tranquillaque eſſe omnia. Quoniam meum requiris conſilium, dum res Principum in ancipiti ſunt, nulli me vehementer addicerem, certe neminem offenderem. Scribunt huc *Beddam* cum pſeudo-Monachis aliquot gnaviter rem gerere. Quendam in ignem pertracturus erat, ni Senatus ac Rex interceſſiſſent. Verterat is quædam *Gallice* ex meis Lucubrationibus, adeo putant actum de majeſtate ſua, ſi *Eraſmus* loquatur lingua vulgari. Nunc apud mulierculas, quas de-

Digitized by Google

An. 1527. dementarunt, & apud idiotas blaterant quæcunque lubet. Quod si vulgus legeret mea, perspiceret illorum insignem impudentiam. A *Turzone*, significas opinor *Alexium*, nihil accepi neque boni, neque mali; nisi quod arbitror hominem meum studium boni consulere. Ab *Henkello* per hunc nullas accepi, ne in nundinis quidem proximis. Quod Episcopen recusat, non dubito quin illi constet sui consilii ratio, tamen ut nunc res sunt mortalium, præstat esse subulcum quam suem. Rogo, quid erat seriæ rei, ut huc tanto itinere profectionem adornaretis? An ut *Erasmum* videretis morientem? Morior enim, mi *Antonine*, quotidie. In *Galeno*, etiamsi maxime possem quod cupis, non vacat. In arenam gladiatoriam retrahor. *Hippocratem* male versum non est quod imputes *Calvo*: nam is nihil aliud est quam typographus, alioqui indoctus. *Martino Dobregasto* precor omnia læta, cui si quid à me præstari queat officii, non gravate fecero. Fucatis amicis fidendum quidem non est, sed tamen abutendum censet *Cicero*, saltem ut parcius lædant. Nec omnino vanum est quod scripsit *Ovidius*,

*Sæpe etiam vere cœpit simulator amare.*

*Andreæ Critii*, mutato nomine, nunc *Plocensis* Episcopi, libellum accepi, cum ipsius literis, tametsi brevibus. Optimæ conjugi tuæ felicitatem opto plurimam. Pestis aliquot ex medicis nostris absumsit, & in his *Sylverbergium*. Vale. Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCCXXII.

*Erasmus Rot. Joanni Emstedio Cartusiano* S. D.

QVVM huc ætatis pervenerim, vir integerrime, tamen ipsa re comperi, me mihi nondum satis notum esse. Siquidem existimabam me tum Philosophiæ præceptis, tum diutina peneque perpetua malorum ferendorum assuetudine, satis instructum adversus istos vulgares, ac prope quotidianos casus, quos à mulierculis etiam videmus moderate ferri. Cæterum, amici *Joannis Frobenii* mors inopinata sic afflixit animum meum, ut mœrorem nullis avocamentis potuerim eximere præcordiis. Jam tempus, quod acerbissimis etiam doloribus mederi solet, adeo non leniit ægritudinem, ut paulatim magis ac magis increverit dolor, quemadmodum solet lentum & insidiosum quoddam febris genus obrepere, quo non aliud ajunt immedicabilius esse. Exedebat me reluctantem cura, penitus medullis insita. Tanto potentius est quod conglutinavit animi inductio, mutuaque benevolentia, quam quod natura conjunxit. Quam hic mecum litigavi, quibus conviciis meam mihi mollitiem exprobravi? Ubi nunc est, inquam, ille rhetor, qui splendidis dictis solet aliorum mœrorem vel eximere, vel objurgare? Ubi Philosophus ille *Stoicus*, domitor humanorum affectuum? Ubi Theologus, qui docere consuevit, piorum hominum mortem non luctu lachrymisque, sed gratulationibus plausuque prosequendam esse? Quid multis? Nusquam me magis puduit mei. Nunquam enim antehac expertus sum quantam vim haberet sincera amicitia, ac mutuus animorum nexus. Fratris germani mortem moderatissime tuli, *Frobenii* desiderium ferre non possum. Non irascor dolori meo nimirum justissimo, sed immodicum nimisque diuturnum esse indignor. Porro, quemadmodum non erat simplex amor, quo vivum prosequebar, ita nec erepti simplex me cruciat desiderium. Magis enim amabam illum ob liberalia studia, quibus ornandis provehendisque vir ille fatorum providentia datus videbatur, quam ob animum in me propensum, moresque candidissimos. Quis enim tale non amet ingenium? Solus erat amico amicus, tam simplex ac sincerus, ut etiamsi quid voluisset simulare aut dissimulare, non potuisset repugnante natura: tam promtus & alacer ad benemerendum de omnibus, ut indignis etiam ex ipso beneficii quippiam accessisse gauderet. Unde & futacibus ac decoctoribus erat & gratus & idoneus. Erepta furto, aut à malæ fidei debitoribus interceptam pecuniam, ea solet alacritate commemorare, qua lucrum præter spem objectum, alii. Fide tam incorrupta, ut in neminem magis congruat illud, *Dignus qui cum in tenebris mices*: atque ut ipse fraudem nemini machinabatur, ita de nullo tale quicquam suspicari poterat, tametsi non raro delusus. Quid esset invidiæ morbus, nihilo magis imaginari potuit, quam ii, qui cæci nascuntur, animo fingere possunt, quid sit color. Offensas, quamvis capitales, prius condonabat, quam rogaret is qui offenderat. Nec ullius omnino injuriæ poterat meminisse, contra nullius quamlibet vulgaris officii poterat oblivisci. Atque hic sane, mea sententia, melior erat interdum, quam expediebat vigilanti patrifamilias. Admonebam interdum ut in sinceros amicos esset qualem esse deceret, in impostores verbis duntaxat benignus esset, interim sibi cavens, ne damnum cum ludibrio lucrifaceret. Arridebat humaniter, sed surdo canebam fabulam. Vicit omnia monita naturæ candor. Mihi vero quas non tendebat insidias, quas non venebatur occasiones, ut aliquid obtruderet muneris? Nec unquam vidi lætiorem, quam quum vel dolo perfecisset, vel precibus impetrasset, ut aliquid acciperem. Hic adversus hominis captiones erat opus cautione maxima, nec usquam magis opus erat mea Rhetorica, quam ad excogitandum colorem, quo citra molestiam amici, recusarem quod ingerebat: tristem enim illum videre non sustinebam. Si forte pannus ad vestem erat emtus per famulos meos, ille suboloratus, me nihil suspicante jam solverat. Nec ullis precibus adigi potuit ut reciperet. Arte simili fallendus erat, si voluissem illum eximere damno. Tale certamen inter nos fuit assidue, longe diversum à vulgi moribus, dum alter hoc agit ut abradat quamplurimum, alter agit ut det quam minimum. Ne quid omnino daret, efficere non potui; certe moderatissime illius benignitate usum esse me, testabitur, ut arbitror, omnis illius familia. Mihi quicquid laborum suscipiebatur, amore studiorum suscipiebatur. His cum ille cohonestandis, illustrandis, provehendisque natus videretur, nec ullum defugeret laborem, nullas vigilias, satis magnum quæstum esse ducens, si bonus Auctor cum dignitate prodiret in manus hominum, qui potuissem in hominem sic animatum prædonem agere? Si quando nobis ac cæteris amicis ostendebat primas paginas magni cujusdam Auctoris, ut gestiebat gaudio, quæ vultus alacritas, qui triumphi? Dicerres illum jam tum totius operæ fructum cumulatissime percepisse, nec aliud exspectare præmium. Non hic attollam *Frobenii* laudes aliorum vituperatione. Nimis notum est, quos Auctores quam mendose, quam sordide excusos nobis typographi, quidam etiam è *Venetia Romaque* miserint. Ex hujus autem domo paucis annis, quæ volumina, quanta cum dignitate prodierunt? Eoque suam officinam à contentiosis libellis, unde quæstum haud mediocrem fecerunt alii, semper immunem servavit, ne literas ac disciplinas aliqua contaminaret invidia. *Hieronymum* bis excuderat. Ab *Augustino* pari cum dignitate rursus excudendo, quum amici complures, in quibus & ipse, deterrerent, tamen totum animum sic huc appulerat, ut inter familiares subinde dicere solitus sit, se non optare longius vitæ spacium quam quod absolvendo sufficeret *Augustino*. Primum ac secundum Tomos vidit absolutos; pium erat hominis votum, & erat animus ille dignus immortalitate, sed aliter visum æterno Numini, cujus in abdito sunt consilia, quæ nobis scrutari fas non est, reprehendere nefas. Ætas erat provectior, sed valetudo ita prospera, vegeta, ut per omnem vitam nunquam morbo decubuerit. Ante annos sex è summis gradibus in solum lateritium decidit, casus erat plus quam lethalis, convaluit tamen, sed ut solet, mali reliquiis in corpore residentibus, utcunque dissimulabat ille: tam erat animi generosi, ut puderet dolere. Anno priusquam moreretur, corripuit illum gravissi-

Digitized by Google

An. 1527. visſimus cruciatus circa talum dextri pedis. Ibi præſto erant Medicorum officia, quæ nihil aliud quam exasperabant malum, dum de morbi genere diſſentientes, alii aliud admovent remedium, nec deerant qui auctores eſſent pedem reſecandum eſſe. Tandem aliunde venit Medicus, qui dolorem hactenus ſedaret, ut & tolerabilis eſſet, & ſomni cibique ſumendi permitteret facultatem. Demum ita confirmatus eſt, ut bis equo proficiſceretur *Francfordiam*, malo in dextri pedis digitos relegato, quos ſolos flectere non poterat, cætera valens. Tum à me, tum à Medico frequenter monitus, ut rarius prodiret in publicum, aut veſtitu contra frigus munitior prodiret: non obtemperavit, pudendum eſſe ratus, ſi quicquam omnino priſtinæ conſuetudinis omittens, morbi ſpeciem præ ſe ferret. Jam & duos manus dextræ digitos ſtupor occuparat, morbi imminentis præludium. Diſſimulavit & hoc, parum virile ducens quicquam morbo concedere. Denique dum in ſublimi agit neſcio quid, correptus, ut eſt probabile, vi morbi, in pavimentum decidit pronus, non ſine gravi cranii vulnere. Delatus in lectum nec oculos attollebat, nec ullum ſenſus indicium dedit, nec ullam omnino vitæ ſignificationem, niſi quod manum ſiniſtram movebat, nam dextrum latus omne diſſimulata paralyſis ſtupefecerat. Ita biduum conſopitus, ſub mortem experrectus eſt, ægre paulum diductis oculi ſiniſtri genis, lingua tamen immobili, nec ſupervixit ultra ſex horas. Ita noſter *Frobenius* rebus humanis exemtus, ad vitam tranſiit feliciorem, uxori, liberis, amicis, acerbo luctu, toti civitati notiſque omnibus gravi ſui deſiderio relicto. Ob hujus mortem decebat omnes, qui colunt bonas literas, pullatos, lachrymas & luctum ſumere, apio, floſculiſque ſepulchrum ornare, lymphas adſpergere, odores adolere, ſi quid talibus officiis proficeretur. Certe illud erit gratitudinis, ut omnes defuncto bene precemur, memoriamque laudibus debitis celebremus, Officinæ *Frobenianæ* faveamus, quæ non ſolum non ceſſabit ob heri ſui deceſſum, ſed ſumma vi adnitetur, ut quod ille inſtituit ſemper in majus meliuſque provehatur. *Baſilea*, Anno 1527.

### EPITAPHIVM
### JOANNIS FROBENII
Per Deſ. Eraſmum Roterodamum.

ARIDA Joannis *tegit hic lapis oſſa* Frobeni,
*Orbe viret toto, neſcia fama mori.*
*Moribus hanc niveis meruit ſtudiiſque juvandis:*
*Quæ nunc mœſta jacent orba parente ſuo.*
*Rettulit, ornavit veterum monumenta ſophorum,*
*Arte, manu, curis, ære, favore, fide.*
*Huic vitam in cœlis date numina juſta perennem,*
*Per nos in terris fama perennis erit.*

Ejuſdem in eundem Græce.

Ὧδ' Ἰωάννης καθέδῃ τυπογράφος Φροβένιος,
Οὐδὲν ἄλλῳ πλέον ὀφείλῃ τῶ λόγων ἀτιθάσματα.
Μὴ νεκρὸν θρηνεῖτε, ζῇ γὰρ κἀ πνέῃ, πονέσων ἀεὶ
Τῇτε ψυχῇ, τῇτε φήμῃ, τοῖς τε βίβλων λειψάνοις.

### EPISTOLA DCCCCXXIII.
*Eraſmus Hieronymo Emſero* S. D.

NON tam gaudeo meam excuſationem à vobis recipi, quam hoc, quod recuſavi, fuiſſe poſtulatum. Senectutem & morbos tibi mecum communes eſſe doleo, quanquam longe crudelius malum eſt calculus ſorore podagra. De nomine tuo præterito jam putabam tibi ſatisfactum eſſe. Sic res habet ut ſcripſi: quum ſcriberem *Spongiam*, prorſus ignorabam abs te quicquam in *Lutherum* editum. Et ſi ſciſſem, non protinus odi, quorum non facio mentionem. Quamquam hoc ſeculum tale eſt, ut interdum mihi ſane non ſatis tutum ſit, etiam amiciſſimos prodere ſcriptis, propter linguas faſcinatrices. Miror ubi ceſſarit tuus cognatus: nam librum cum literis 10. Januarii ſcriptis, reddidit 14. Cal. Aprilis. Redditus erat caſu liber *Lutheri*, ſed adeo ſero, ut ante nundinas, ad legendas illius loquaciſſimas nænias, ad relegendam Diatribam meam, ad ſcribendum & ad antigrapha recognoſcenda, ad excudendum & caſtigandum vix ſuperfuerint dies duodecim. Incredibile dico, niſi quod multis teſtibus res acta eſt. *Frobenius* ſex prælis excudebat ſingulis diebus tres ogdoadas paginarum. Et tamen *Lutheri* codex offendit me jam diutinis laboribus delaſſatum, præterea ex perpetua pene ægrotatione languidum. Nullum enim cœlum inimicius huic corpuſculo, quam quo vix unquam caruimus à fine Julii ad hunc uſque diem. Cur ita properarem, in cauſa fuit, quod quum idem Opus ſimul excuderetur & *Auguſtæ*, & *Argentorati*, & *Noremberga*, tamen incredibili ſtudio curabatur ab iſtis ne quid ad meas manus perveniret. Videlicet hoc venabantur, ut ad proximas uſque nundinas triumpharent impune. Id ne fieret, reſpondi Operis dimidio. Reliquum nunc eſt in manibus. Quod abſolutum eſt ad te mitto, in quo reperies nomen tuum, ſed abſque præfatione honoris, quam illic ob certas cauſas nulli tribuo. Si amicitiam æſtimas amore mutuo; non patiar me abs te vinci; Sin prædicatione nominis, ne hac quidem parte defuturus ſum officio meo, ſimulatque ſe dederit opportunitas. In carmine tuo mihi placuit & perſpicuitas & ſplendor non ſine nervis. In uſurpandis *Græcis*, uteris magna libertate, corripiens ultimam in diſdiapaſon, producens primam in Catholico, quanquam idem aliquoties facit *Prudentius*. Nec hujuſmodi libellis, nec ſævitia quicquam profecturi ſumus. Hic me verum fuiſſe vatem, rei declarabit exitus; adeo late ſerpſit malum. Laudo tamen quod Principes gnaviter coercent ſeditioſos. Quid mea *Diatriba* civilius? Quid profecit tamen, niſi quod *Lutheranos* excitavit ad majorem inſaniam? Id non ignarus futurum, tamen morem geſſi Regi & Card. *Angliæ*, Pontifici & doctis aliquot amicis, non tacens interim quid eſſet ſequuturum. Nihil exſpectabam à *Luthero* moderatum, tantum malitioſæ calumniæ non exſpectabam. Occupant ſibi paſſim bonas literas, quo videlicet hoc prætextu conſtabiliant ſuam factionem, & tandem obruent hæc quoque ſtudia. Quales furias habeat *Lutetia*, declarabit Apologia, qua *Sutori* reſpondeo. Et *Natalis Bedda* notavit pluſquam ducentos articulos in *Paraphraſibus* meis, quorum hic eſt periculoſiſſimus, quod exponens angeli verba, *Inveniſti gratiam*, ſcripſerim, non eſt hoc tui meriti, ſed favoris divini. Mitto carmen *Andreæ Critii* Epiſcopi *Poloniæ*. De *Ceratino* miror te nihil ſcribere. Audio Duci non perinde fuiſſe gratum atque ego ſperabam: eſt tamen vir egregie linguarum peritus ac bonus, nec ſine meo ſumtu fuit evocatus, quod tamen non eram facturus, niſi Princeps toties efflagitaſſet. Cupiebam plura in ſinum tuum effundere, ſed cum *Luthero* rixandum eſt, quæ res illi vertat male. Demiror quid ille ſibi propoſuerit, ſimul & ſcurram agens & Euangeliſtam. *Baſilea*, Anno 1527.

### EPISTOLA DCCCCXXIV.
*Eraſmus Roterodamus Joanni à Laſco, Præpoſito Gneſnenſi*, S. D.

AMO tuam iſtam prudentiam, vir ornatiſſime. Non mediocris eſt malis ingeniis bene uti, & ex noxiis animantibus utilitatem capere. Habeo quoſdam, qui vehementer amant, interdum meo magno malo. Malim qui prudenter amant. De regia epiſtola gaudeo tuum conſilium mihi fuiſſe felix, uberius gaviſurus ſi felix fuerit & Reipublicæ. Animus iſte tuus mihi tam addictus non poteſt mihi non eſſe gratiſſimus, haud tamen deſinam te monere, videas ne quam tibi ſtudium mei vehementius conciliet invidiam. *Glareanum* exhi-

Digitized by Google

An. 1527. exhilaravi commonstrata literarum tuarum parte. Satagit, ut nunquam alias æque, proinde munus hoc non male collocavit tua benignitas. De *Beato* ne sis sollicitus: est quod dicitur, quanquam amoris erga se tui μνημόσυνον non adspernabitur. Libellum isthic excusum vix credit, adeo misere cupit quod scribis esse verum. *Hieroslai* fortitudinem objurgarem, nisi jam ferum esset. Congeminavit sollicitudinem meam tua quoque valetudo non satis prospera: nec hanc positurus sum, donec tuis literis cognovero lætiora. Quemadmodum mihi gratissimus futurus est tuus conspectus, ita nonnihil sum sollicitus, quomodo te tractatura sit *Hispania*: non paucos enim absorbet. Nec mirum videri debet, si tam preciosæ, tam charæ, tam raræ possessioni anxie metuo. Nollem cum Rege improbius agi de munere, ne cui videar hoc venatus: nam hoc intelligo quibusdam esse cordi. De ducentis florenis facies quod tibi commodum judicabis. Ad me nihil dum perlatum est. Literas & isthic refrigescere doleo, quum apud *Brabantos* & apud *Hispanos* felicissime floreant. Bellorum nullum video finem, adeo crudescunt Principum iræ. De *Roma* rursus capta crudelis ad nos adfertur rumor. Opto vanum esse. Hic pestilentia rursus aliquot abripuit, mitior tamen quam autumno proximo. *Joannem Frobenium* amicum incomparabilem paralysis nobis ademit. Primum dextri pedis gravissimo cruciatu diu torquebatur, sic ut nulla mors crudelior: eo per medicum audacem magis quam eruditum consopito verius quam profligato, cœpit esse feroculus, & amicis admonentibus, ut domi se contineret, vitaret frigus, arrisit, non obtemperavit. Ita ex alto nescio quid tollere parantem morbus obortus in humum dejecit. Casus ipse ad mortem satis erat, post biduum ægre alterum oculum sustulit, jam agens animam. Hujus viri decessus me non vulgariter affecit, præsertim quum *Augustinus* totus ferveat sub prælis non paucis. *Hosio* lubens bene faxim si quid queam. Nunc tamen non erat scribendi ocium. Opinor cæteros amicos ad te scripturos. Quæ misi proximis nundinis, videntur ad te nondum perlata. Item quæ scripsi per *Severinum Olpejum*, qui se prædicabat istuc proficisci. Dicavi tuo patruo *Ambrosium*. An hic mihi mens læva fuerit, ex te scire cupio: nam diu fluctuabam anceps animi. Quam tragœdiam mihi quidam, quavis vipera nocentior, orsus sit in *Hispania*, cui præluſit *Bedda*, & nunc cupit catastrophen addere, discès ex epistolis & libello, quem addo. Harum rerum nihil spargat tua prudentia ante tempus. Suaseram huic nuncio *Georgio* ut hic maneret, verum, maluit isthuc recurrere, quam hic ociosus terere tempus. Bene vale. *Basilea*, Anno 1527.

## EPISTOLA DCCCCXXV.

*Erasmus Hermanno Comiti à Nova aquila* S.D.

An. 1528. QUAM male timui ne te absorberet *Hispania*, tam vehementer gaudeo quod nobis redieris, non solum incolumis, verum etiam prosperiore valetudine: sic enim accipio, quanquam quod accidit juxta *Caletium*, si tamen accidit, permolestum est. Libellum tuum à me diligenter lectum opinor tibi redditum una cum literis meis: nam tu quidem fueras ingressus iter, tamen famulus tuus ajebat se celeriter sequuturum. Non dubito quin apud *Hispanos* acceperis pseudo-Monachorum tragœdiam, de qua scire cupio si quid habes. Per hunc poteris tuto scribere: est enim à nobis proprie missus ut eat *Antuerpiam* & huc recurrat. Absit siniſtrum omen, sed tamen quæ videmus hic rerum præludia, nescio quid tempestatis minitantur. Nec video quo fugiam. Et Regis & Archiepiscopi literis amantissime scriptis invitor in *Angliam*; sed illic non video mihi sedem commodam. Hoc vere fortassis vos invisam. Si fors aberis *Colonia*, cura ut illic tuas hic reperiat literas, neque enim diu commorabitur in *Brabantia*. Rex *Ferdinandus*, ut fertur, evulgavit edictum, non dicam injustum, sed certe severum. Opto quidem ut optimo Principi sit felicissimum. Sed opto magis quam spero. Bene vale, vir clarissime. *Sobium* exoculatum valde doleo. *Basilea* 3. Januarii, Anno 1528. An. 1528.

## EPISTOLA DCCCCXXVI.

*Erasmus Roterod. Maximiliano à Burgundia* S. D.

CLARISSIMVM virum Principem *Veriensem* patrem tuum, *Maximiliane* charissime, dum adhuc inter nutricum sinus reperet, & nosse cœpi & amare: jam tum enim in illo relucebat generosa quædam indoles, ac placidum minimeque ferox ingenium. Atque ille vicissim non obscuram benevolentis in me animi significationem dabat. Is affectus inter nos cum ætate semper accrevit. Non esse vanum quod narro, satis, opinor, declarabit epistola puero scripta, quæ tot jam annis in hominum manibus versatur; nec dubito quin eam studiose legeris, nec legeris modo, verum etiam igniculos quosdam ad bonas literas ac pietatem ex ea conceperis. Quo mihi jucundius fuit ex optimi viri *Joannis Borsali*, tuæ pueritiæ formatoris, epistola cognoscere, te sic affectum tum erga literas honestissimas, tum erga me measque lucubrationes, ut videare non minus in paterni erga me animi, quam in paternæ ditionis hæreditatem successor esse paratus. Hoc certe nomine gratulor optimo Principi, gratulor tibi, gratulor optimis studiis, quæ claris ingeniis cordi esse cœperint, vicissim & vestras imagines illustraturæ, & illarum ornamentis illustrandæ. Nunc enim licebit eam sperare felicitatem, quam *Plato* solet optare, quum Principum filii, prius educantur philosophiæ quam imperio. Precor ut *Christus* Opt. Max. istam egregiam tuam indolem servet illibatam, semperque provehat ad feliciora. Scripseram ante complures menses, eæ literæ siniſtro casu interciderunt nescio quorum perfidia. Quam jacturam audio te permoleste ferre. Accessit hoc infelicitatis, quod hic periit archetypum. Occupatissimus itaque vix hæc ex tempore scripsi, superioris argumentum ex memoria retexens, brevi daturus copiosiorem epistolam, si hanc velut arrhabonem boni consulueris. Vide ne aulicæ deliciæ tibi studiorum & integritatis amorem excutiant. Bene vale. *Basilea* 4. Januarii, Anno 1528.

## EPISTOLA DCCCCXXVII.

*Erasmus Roterodamus Georgio Duci Saxoniæ* S. D.

SERENISSIME Princeps, Librum *Hyperaspistæ* secundum una cum literis redditum esse gaudeo, magis autem gaudeo tuæ illustrissimæ Celsitudini non displicuisse. Nec laborum, nec contumeliarum me tæderet, si viderem aliquem eximium fructum exoriri. Mihi sufficit *Christus* ad omnium compensationem, quæ possunt in hac vita accidere. Accepi *Lutheri* literas ad illustrissimam Celsitudinem tuam, & illius ad illum Latine versas. Rursus *Emseri* responsionem adversus *Lutherum* Latine versam. Nullas accepi literas, ad quas non responderim. Sed non omnia perferuntur, quæ traduntur: id quod nimium sæpe experior, non sine gravi meo incommodo. Qui has reddidit, habebat epistolam tuæ Celsitudinis ad *H. Epphendorpium*, cujus inscriptio habebat *Basileæ* nomen, quum ille jam annis aliquot agat *Argentorati*, nec unquam interim viderit *Basileam*, id quod te fugere demiror. *Emserum* nobis ereptum doleo, ad feliciora translatum gaudeo. Scripsimus ante paucos dies, sed paucis: premit enim nos præter alia divus *Augustinus*, qui nunc totus excuditur cum summa dignitate. Nascuntur in dies novæ tragœdiæ, quis sit exitus futurus nescio. Licet optima precari, nec quid aliud nobis superſit video, rebus undiquaque turbatissimis. Illustrissimam Celsitudinem tuam cupio quam optime valere, cui me totum addico dedicoque. Datum *Basilea* 16. Januarii, Anno 1528.



Digitized by Google

## EPISTOLA DCCCCXXVIII.

*Eraſmus Rot. Hieronymo Viromando* S.

An. 1528. EPISTOLA tua, *Viromande* chariſſime, mihi longe fuit gratiſſima, quippe quæ nihil haberet non lætum ac feſtivum. Hoc ipſo ſtatim nomine mihi jucundus eſſe cœpiſti, quod te *Hieronymi Buſlidii* profiteris alumnum. Deinde non vulgariter me delectavit ipſa literarum elegantia, ſanitas & argutia, ſed multo magis amicus animus, quem in illis ſpirantem ſenſi. Sed multo jucundiſſimum fuit, quod ex his intelligo clariſſimum juvenem, in quo *Maximiliani Cæſaris* erga ſtudia favor ac liberalitas quodammodo ſuperſtes eſt, ad *Brixinenſem* diœceſim eſſe deſignatum, præſertim quum eo ſit in nos animo, quo tu mihi perſuades eſſe. Qualis patronus utinam hic alicubi vicinus eſſet. Nam hinc jampridem cogito, quanquam hæc valetudo manere non ſuadet modo, verum etiam cogit propemodum. Hactenus hic fui utrique civium ſtatui gratiſſimus, nunc ſentio me quibuſdam ad novas res nimium ſpectantibus obolere. Sed terret me primum itineris longitudo, deinde locus nimium alpeſtris, quæ porro vina gignat neſcio. Nam mihi cum acribus iſtis villis ob calculum peſſime convenit, *Burgundiacis* utor, iiſque ſubrubris. Scripſi reverendo Præſuli, ſed aliquanto ſerius. Tot enim labores, tot tragœdiæ interciderunt, ut ipſe mihi pene exciderim. Cupio te quam optime valere. Datum *Baſilea* 3. Februarii, Anno 1528.

## EPISTOLA DCCCCXXIX.

*Eraſmus Roterodamus Georgio Duci Saxoniæ* S. D.

SERENISSIME Princeps, nec mihi vacabat ſcribere, (minus fortaſſe vacat Celſitudi ni tuæ prolixas epiſtolas legere) nec erat magnopere quod ſcriberem. Cæterum, quoniam hunc nactus eram *Franciſcum Dilfum*, juvenem apud ſuos non ſolum claro & opulento, verum etiam honeſto genere prognatum, cujus ingenium ſincerum vereque generoſum diutino convictu cognitum ac perſpectum habeo, viſum eſt per eum ſaltem illuſtriſſimæ Celſitudini tuæ ſalutem adſcribere. Quem ſi dignaberis tuo colloquio, poteris ex eo de rebus meis omnibus certior fieri, quas ille melius novit quam ego ipſe, & eſt ſummæ fidei, minimeque vanus. Meo malo ſum expertus, quam non ſit tutum omnia literis committere. Dominus ſervet felicem ac florentem illuſtriſſimam dominationem tuam, cui me totum offero. Datum *Baſilea* 5. Februarii, Anno 1528.

## EPISTOLA DCCCCXXX.

Sigiſmundus, Dei gratia Rex Poloniæ, magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, ac Maſoviæ, &c. Dominus & hæres.

REDDITAE *nobis fuerunt literæ tuæ*, Eraſme *doctiſſime, Calend. Junii ſcriptæ, ex quibus facile perſpeximus te vere eum eſſe, qui diceris, hoc eſt, virum præter ſummam eruditionem ac prudentiam, tum integerrimum, tum publicæ tranquillitatis concordiæque* Chriſtianæ *ſtudioſiſſimum; quod etſi nobis dubium nunquam fuit, vehementer tamen apud nos confirmavit eam de te opinionem epiſtola hæc tua, in qua plane agnoſcimus animum iſtum tuum vere* Chriſtianum, *nec dubitamus quin ubique ſis tui ſimilis, ſeu ludicra tractes, ſeu ſeria. In primis vero tibi gratias agimus non vulgares, quod nos tali ornaveris elogio, quale veremur ut in nos tam plene quam tu videri vis competat. Nam etſi nobis maxime cordi eſt, ut & Rempublicam* Chriſtianam, *adeo inclinatam, pro virili noſtra juvemus, & regna noſtra tranquilla atque ab illa diſſidiorum lue, qua nunc ſurſum ac deorſum fertur* Germania, *incontaminata ſervemus: tamen quod hactenus id nobis feliciter ceſſerit, Deo potius acceptum ferimus, quam ut inde nobis laudem aliquam aut arrogemus, aut petamus. Imo etiam hoc ardentioribus votis Domini miſericordiam imploramus, ut quemadmodum nos, regnaque noſtra hactenus integra illæſaque ſervavit, ita adhuc ſervet in poſterum, quouſque illius viſum fuerit voluntati: alioqui nobis fruſtra facturi videmur omnia, niſi ille cœpta noſtra fortunet. Non poteſt autem hoc tuum erga nos officium nobis non eſſe gratiſſimum, qui quum ſemper alioqui magnifice de te ſenſerimus, tum vero hac humanitate tua provocati, tanto etiam libentius tibi, ſi quo modo poſſimus, gratificabimur, quanto tu nos literis tuis feciſti apud omnes homines commendatiores: quod equidem præſtare poſſumus multo cumulatius, ſi forte adduci poſſis ut te huc ad nos conferas: ſed quum ex tui ſtudioſis intelleximus, fruſtra idem tentaſſe alios Principes, qui magnis hactenus, tum precibus, tum præmiis, te ſibi adjungere cupiebant, veremur ne & nobis fruſtra ſumeretur hac opera. Ut tamen interim habeas aliquod noſtræ erga te benevolentiæ gratique animi argumentum, mittimus honorarium munus, quod in preſens grato animo ſuſcipias: deinceps uberiorem ex nobis fructum benevolentiæ & favoris noſtri habiturus. Vale. Datum in oppido noſtro* Pijotrcono 19. *Menſis Febr. Anno Domini* 1528. *Regni noſtri vigeſimo ſecundo.*

An. 1528.

## EPISTOLA DCCCCXXXI.

Petrus Epiſcopus Cracovienſis Eraſmo Roterod. *S. D.*

ETSI *mihi jamdudum ante cum ex tuis perdoctis lucubrationibus, tum etiam ex* Antonini *medici relatione, & notus eras, & chariſſimus, nunc tamen literis tuis ultro in amicitiam tuam provocatus, tanto te impenſius amare cœpi, quod nullis meis de te meritis, ſed ſola humanitate tua adductus, non gravatus ſis inter tot labores & vigilias tuas incomparabiles, non minus eleganter quam humaniter ad me ſcribere, unde quantum tibi debeam, quanti hanc tuam amicitiam faciam, non facile dixerim. Accipe igitur,* Eraſme *doctiſſime, hoc à me homine occupatiſſimo Laconicum quidem, ſed integerrimum animi erga te mei reſponſum, nempe, eum eſſe me & futurum ſemper, qui nulli in te amando, & tuam iſtam eruditionem ſuſpiciendo, cedat: quique felicitatis loco habeat, ſi qua in re gratificari tibi poſſit. Tu modo ea benevolentia, qua cœpiſti, me complecti non deſinas, & munuſculum hoc, quod tibi mittimus in pignus & teſtimonium amoris noſtri mutui, grato accipias animo. De* Antonini *tui adverſa valetudine, equidem moleſtum eſt ſcribere, id malim ut ex aliis cognoſcas. Vale optime, vir eruditiſſime, & ſis felix. Ex conventu generali* Piotrocovienſi 20. *Feb. Anno Domini* 1528.

## EPISTOLA DCCCCXXXII.

*Eraſmus Roterodamus Richardo Paceo* S. D.

VIX me capio præ gaudio, vir ornatiſſime, quod audio te ex turbulentiſſimis illis negotiorum undis, patriæ dulciſſimæ, Muſiſque patria dulcioribus eſſe redditum. Gratulor autem priſtinis tuis ſtudiis & Hebraicas acceſſiſſe literas. Nunc te non morabor pluribus. Hunc *Quirinum* meum, quo nemo alius mihi ſervivit amantius, ob certa negotia emandavi in *Angliam*, quorum duo præcipua ſunt: Alterum, ut ſceleratiſſimi impoſtoris rapinis aliquando finem imponam, Alterum, ut quoniam *Archiepiſcopus Cantuarienſis* ſimulque Regia Majeſtas literis amantiſſime ſcriptis me invitant in *Angliam*, diſpiciat cum amicis, an id commode fieri poſſit: nam hinc fortaſſis migrandum erit, velim, nolim. Utrunque cognoſcere poteris ex hujus juvenis narratione, quem tibi commendo, mi *Pace*, non ut famulum, ſed ut filium mihi chariſſimum, ſi qua forte in re fuerit opus officio tuo. Opto tibi perpetuam felicitatem. Datum *Baſilea* 20. Februarii, Anno 1528.

EPI-

Digitized by Google

KONINKLIJKE
BIBLIOTHEEK

Digitized by Google

Digitized by Google

## EPISTOLA DCCCCXXXIII.

*Eraſmus Rot. Felici, LL. Doctori*, S. D.

An. 1528. MIHI quidem gratiſſimum fuit tuæ vocis patrocinium, celeberrime Doctor, eoque nomine me plurimum debere profiteor humanitati tuæ: ſed vehementer admiror unde iſta linguarum petulantia, ſeu verius peſtilentia? Ego *Burgundiones* ſemper judicavi viros graves & integros: unde iſtuc hominum loquacium lolium? niſi quod ſuſpicor Pſeudeuangelicos, qui nuſquam non oberrant, & iſtic tales rumores ſerere. Res ſic habet: Eram valetudinarius ut fere ſemper, tum etiam itinere feſſus & calculo gravidus: corpuſculi imbecillitas abhorrebat ab eſu piſcium, animus tamen cupiebat vitare omnem offenſionem proximi. Id ſignificans aliquoties inter amicos dixi per luſum, ſtomachum quidem eſſe *Lutheranum*, animum vero *Chriſtianum*. Ab homine ſic affecto, ut tum eram, nec Deus nec Pontificum leges exigunt eſum piſcium. Et ad hæc habeo diploma Pontificis, quo mihi liceat ſine omni exceptione veſci carnibus diebus quibuſlibet. Quod ſi non haberem, tamen edendi cauſam habeo juſtiorem quam vellem. Nihilo ſecius, quum iſtic graviſſima febri tenerer, à piſcibus quidem & vino abſtinui, nec tamen uſus ſum carnibus, ne quem offenderem. Hic erat ille animus *Chriſtianus*. Stomachi tantus erat cruciatus, ut ſubinde vomitu levandus eſſet. Hic erat ſtomachus *Lutheranus*, ut jocabar. Itaque cum morbo conſcendi equos, & hic decubui fere menſem. Tantum à me tributum eſt ſtultorum maledicentiæ. De viſceribus beatæ Virginis ſic habet res: Prandebam apud procuratorem Archidiaconi; à prandio famulus hoſpitis dixit gratias bene longas, poterant videri brevis Miſſa. Ibi *Kyrie eleeſon*, ibi *De profundis*, ibi *Pater noſter* aliquoties. Quid non? Tandem videbatur finiſſe, noſque reſpondimus, *Amen*. Quum interſiluiſſet, ego putans nihil ſupereſſe, verti me ad convivas & hoſpitem, acturus gratias, quum præter ſpem famulus addidit, *Et beata viſcera Mariæ Virginis*. Ibi pudefactus, indicans gratias fuiſſe vel abſque illa coronide ſatis longas, ludens dixi, Hoc deerat, *beata viſcera*, haudquaquam in contemtum Virginis, ſed ſignificans eam gratiarum actionem ex farragine quadam diverſarum rerum eſſe conflatam. Quam pius cultor fuerim Virginis declarant orationes duæ olim editæ, *Pean* & *Obſecratio*. Item *nova Miſſa*, quam nuper edidi ab Archiepiſcopo *Beſontino* comprobatam. Et hæc ſunt argumenta, quibus me faciunt *Lutheranum*: nam is rumor etiam *Lutetiam* perlatus eſt, ut *Bedda* mihi ſuis literis ſignificavit. Neque quicquam addubito quin ab iſtis Pſeudeuangelicis ſit ortus, qui nihil in me non moliuntur, quod cum ipſis nolim inſanire. Officium tuum ex nobili doctoque juvene *Chriſtophoro Carlebitzio* cognovi, qui ſi huc rediſſet, per eum ſcripſiſſem accuratius. Hæc ex tempore ſcripta commiſi quibuſdam mihi forte oblatis. Res non aliter habet quam ſcripſi. Id te ſcire volui, quo ſis inſtructior adverſus linguaces. Opto te quam optime valere, vir egregie. Datum *Baſilea* 21. Februarii, Anno 1528.

## EPISTOLA DCCCCXXXIV.

*Eraſmus Rot. Petro Bembo* S. D.

GRAVI profecto ſollicitudine liberarunt animum meum, ornatiſſime *Bembe*, R. Præſulis *Jacobi Sadoleti* proximæ literæ, quibus ſignificavit te multo antequam oriretur illa *Romæ* procella, *Patavium* velut in portum quietiſſimum confugiſſe, atque iſthic inter Muſas honeſtiſſimo ſimul ac jucundiſſimo frui ocio. Qua quidem felicitate digniſſimus erat & *Sadoletus*, nec male congruebat, ut quorum eſt unus animus, eſſet communis item tranquillitas. Sed aliter viſum ſuperis. Ille tamen putat ſe parvo decidiſſe cum fortuna, quod omnium facultatum, in quibus nihil erat bibliotheca neque precioſius, neque charius, jactura redemerit incolumitatem. Nos hic urget tempeſtas nihilo mitior *Romana*. Siquidem illa rapuit opes, nos ſpoliamur his, quæ piis omnibus ſunt, ut eſſe debent, omnibus pecuniis chariora. Verum ſiant Tragœdiam te malim ex hoc grammatophoro cognoſcere. Is eſt *Carolus Utenhovius*, juvenis mihi domeſtico convictu eoque diutino cognitus penituſque perſpectus. Nihil illo comperi multis annis ſincerius, modeſtius, aut amico amicius. Hunc literarum amor & coram exoſculandi viros tui ſimiles cupiditas pertraxit in *Italiam*. Quare te rogo, quod alioqui ſcio te tua ſponte facturum, ut pro tua ſolita in omnes humanitate, ſi quid opus erit, illi commodes, vel conſilio, vel auctoritate tua: nam pecunia non eget. Et tamen hoc ipſum, quod peto, nullo tuo incommodo feceris. Opto te quam proſperrime valere. Datum *Baſilea* 22. Februarii, Anno 1528. An. 1528.

## EPISTOLA DCCCCXXXV.

*Eraſmus Rot. cuidam* S. D.

QVEMADMODVM natura nullum creavit venenum, quin appoſuerit remedium, vir clariſſime: ita Deus improborum conatibus ſemper objicit aliquem, per quem non ſtatim liceat illis quicquid libet: ſunt enim aliquot eo ingenio, ut non in aliud natos dicas, quam ut bonis faciant male. Ex amici noſtri literis intellexi quam amanter quamque prudenter adfueris meo negotio; quod officium ſi mihi tantum præſtares, ingratiſſimus eſſem, ni tuam iſtam humanitatem & amplecterer & prædicarem. Nunc quum hoc operæ non tam mihi, quam ſtudiis publicæque tranquillitati tribuas, etiam pietatem tuam exoſculor. Atque utinam contingat aliquando cum opportunitate facultas, ut tuis in me meritis aliqua ex parte reſpondeam. Bene vale. Datum *Baſilea* 26. Februarii, Anno 1528.

## EPISTOLA DCCCCXXXVI.

*Eraſmus Rot. Thomæ Moro* S. D.

IN tot moleſtiis, quibus undique circumvallor, plurimum attulit ſolatii ſereniſſimi Regis epiſtola humaniſſime ſcripta, qua me invitat in *Angliam*, omnia pollicens benigniſſimo digna Principe. Admonet quod olim ſcripſerim, in *Anglia* ſenectuti meæ ſedem delegiſſe. Nunc vero, mi *More*, res in eo ſunt ſtatu, ut mihi ſepulchri locus ſit circumſpiciendus, ubi vel mortuo liceat quietum eſſe, quando, ut video, non continget hoc unquam vivo. Omnes divinant magnos rerum motus imminere. Anabaptiſtarum hæreſis meditatur erumpere, quæ latius ſparſa eſt quam quiſquam credat. Tragœdias meas cognoſces ex hoc *Quirino* meo, juvene mihi perſpectæ fidei, quem, quoniam novit omnia mea, in *Angliam* præmittendum arbitratus ſum, ut per eum diſpiciam cum amicis quid fieri poſſit, aut quid expediat. Egiſſem gratias Regiæ benignitati, ſed quoniam tot laboribus pene exanimato nihil erat ocii, malui ad tantum Principem nihil ſcribere quam negligenter. Si videbitur, tu melius illi declarabis animum meum, nec ignarum, nec immemorem tam eximiæ benignitatis, quam mihi toties offert, nihil promerito. Opto te cum tibi chariſſimis quam belliſſime valere. Datum *Baſilea* 28. Februarii, Anno 1528.

## EPISTOLA DCCCCXXXVII.

*Eraſmus Roterod. Catarinæ Reginæ Angliæ*

GAVDIVM & pacem à Domino noſtro *Jeſu Chriſto*, Regina clariſſima, multo tamen pietate, quam regni, licet ampliſſimi, conſortio felicior, præclara quædam felicitas eſt apud homines ex nobiliſſimis



Digitized by Google

An. 1528. simul & potentissimis Regibus prognatam esse, Regi florentissimo matrimonio junctam esse, verum hæc nihil sunt, si ad eximias animi tui dotes conferantur. Illa contigere non solum multis, verum interdum & malis. Hoc rarissimum exemplum, fœminam in deliciis aulicis natam & educatam, ea fortunæ indulgentia, quæ solet etiam bene institutos mores corrumpere, spem omnem, omne solatium, in sacris precationibus, in divinorum Voluminum lectione reponere. Hæc sunt vere clara stemmata: hoc diadema quod te glorioſam reddit coram angelis Dei. Utinam hoc exemplum à Regina petant saltem viduæ, quæ dum oblitæ præcepti *Paulini* in deliciis agunt, *viventes mortuæ sunt*. Quid memoro viduas? Utinam imitentur virgines, quæ mundi pompis ac voluptatibus omnibus repudiatis totas sese *Christo* sponso dedicarunt. Utraque debes ei, qui fons & auctor est bonorum omnium, quique pro sua ineffabili benignitate facit, ut ea, quæ nobis videntur mala, quia naturæ molesta sunt, juxta *Pauli* doctrinam cedant in bonum iis, qui diligunt Deum, secundum propositum illius vocati sancti. Quin interdum & animorum vitia, quæ vere mala sunt, divina quadam arte vertit vel in tutelam, vel in argumentum pietatis. Quisquis autem vere diligit Deum, spei totius ancoram fixit, non in sterilibus rerum fluxarum arenis, sed in solida nullisque rerum undis mobili petra, qui est *Christus Jesus*, sponsus piarum animarum, sic communis omnium, ut nulli nuptæ suus sponsus tam sit proprius ac certus, quam ille est proprius ac præsens singulis: in hujus sinum quisquis se plena fiducia conjecit, omnemque solicitudinem in illum unum transtulit, cui scit se curæ esse, is in mediis rerum tumultibus & quietus est, & deliciis fruitur: Deliciis, ad quas collata quæcunque mundus hic habet suavia, nautea mera est, ut ait ille. Igitur anima, quæ se totam tradidit huic sponso, non minus agit gratias in adversis, quam in prosperis. Quanquam si vera loqui velimus, quid est adversum, nisi quod nobis obstat ad æternam felicitatem properantibus? Quid prosperum, nisi quod eo conducit? *Christus* nobis & sponsus est, & dominus, & medicus. Sponsus, quia charitate nostri pertractus in mortem, æterno fœdere nos sibi, se nobis devinxit: Dominus, quia sanguinis sui precio nos asseruit à tyrannide satanæ: Medicus, quia servator est, & solus efficaciter medetur malis hominum, mortem depellens, vitæ restituens. Sæpe magis propitius est, quum immittit amara, quam quum delinit dulcibus. Novit ille, quid expediat nobis, nec cessat, nec dormit in cura suorum. Nos sæpenumero prospera judicamus, quæ sunt adversissima: pro adversis ducimus, quæ sunt prosperrima. Nostrum est obsequium, sponsi judicium. Omnis prosperitas ab hoc est, à quo nisi proficiscitur, prosperitas dici non potest. Ab eodem piis venit adversitas, hanc nobis vertit vel in remedium, vel in pietatis lucrum: illa solatur infirmitatem nostram ut possimus sustinere, hac explorat coronatque fidem nostram. Humano quidem sensui blandior est prosperitas, sed sæpenumero salubrior est atque etiam lucrosior adversitas. Non est aditus ad cœlestem gloriam nisi per crucem. Communis est omnium via: sive Reges, ut ait poeta Lyricus, sive inopes sumus coloni. Sua cuique crux tollenda est. Hæc eo mihi scribuntur, inclyta Regina, ut de his tibi magis gratuleris, quæ ut sunt longe preciosiora, ita nec eripi possunt invitæ. Oportet virtutem sibi notam esse. Quum enim omnis virtus sit gratuitum Dei donum, quomodo tuebitur quod accepit, aut quomodo gratias aget divinæ benignitati, qui nescit quid acceperit? Sponsus in *Canticis* minatur sponsæ, ni se cognoverit. Non se cognoscit anima, quæ sibi tribuit quod non habet; non se cognoscit, quæ suis adscribit viribus, quod sponsi liberalitati ferendum erat acceptum; non se cognoscit, quæ se feliciorem putat hisce commodis externis, quam arcanis illis Spiritus Sancti donis; quæque gravius angitur ereptis opibus corporeis, quam thesauri cœlestis amissione. Sed quo dilabitur calamus? gratulari decreveram, & admonitor fio, quum sciam ultro currenti in pietatis stadio, & in sacrarum Literarum campis assidue versanti, nihil opus esse vel calcaribus, vel monitis. Si liber, quem tuæ Majestatis nomini dicavi, promeruit, ut ipsum digneris auribus oculisque tuis, laboris hoc mihi feliciter susceptum interpretabor. Sin est quod offendat, non gravabor hoc editione proxima corrigere. Dominus *Jesus*, fons omnis lætitiæ, perpetuo & incontaminabili gaudio serenet animum tuum, inclyta Regina, & unicum pietatis exemplum. Datum *Basileæ* 1. Martii, An. 1528. An. 1528.

## EPISTOLA DCCCCXXXVIII.

*Erasmus Rot. Joanni Valdesio S.*

ORNATISSIME juvenis, tantum officiorum in me contulit & confert germanus tuus *Alphonsus Valdesius*, ut amare debeam quicquid quocunque modo ad illum pertinet. Tu vero, ut audio, sic illum refers & corporis specie, & ingenii dexteritate, ut non duo gemelli, sed idem prorsus homo videri possitis. Itaque æquissimum arbitror; ut ambos pari prosequar amore. Audio te deditum liberalibus disciplinis, ut istam indolem virtuti natam omni genere ornamentorum expolias, ad quod sane quid attinet hortari te, quum tua sponte curras in hoc pulcherrimo stadio? Gratulari magis convenit & applaudere. Illud habeto pro certo, me nullius magis esse quam germani tui, nec minus esse tuum quam illius. Bene vale. *Basileæ* 1. Martii, Anno 1528.

## EPISTOLA DCCCCXXXIX.

*Erasmus Rot. Lazaro Baysio S. D.*

ONERARE laudibus immodicis, si cui bene volunt, adeo doctis solenne est, mi *Bayfi*, ut refellere, sit agnoscentis. Itaque statui posthac quicquid est istiusmodi, silentio concoquere. Gratus tamen est mihi tuus candor, quem olim literis suis *Hermannus Phrysius* mihi depinxit. Quoniam recusas quod abs te peto, recuso vicissim quod à me petis, ut in turbam eorum, qui studiorum meorum æmuli sunt, recipiaris. Imo inter amicos primarios primas tenebit *Baysius*. Nos nostro seculo fabulæ partem egimus, nunc æquo animo cedimus felicioribus. Theologorum inconditos tumultus non queo satis admirari. Scripsi super *hac re* Senatui Parlamentari & sacratissimæ facultati. Quod ajunt, apud me *Christum* damnare vota, nil mirum, quum *Bedda* tot evidentissima mendacia mentitus sit in uno libello. Si mavis istic edi libellum tuum *De vasculis culinariis*, eo quod adsis, & frons occipitio sit prior, probo. Sin isti cessant, curabimus hic excudi, modo mittas exemplar abs te recognitum. De vasculis amplector bonam voluntatem Reverendissimi Cardinalis. Cæterum, quæstor obliviscetur, accusabit aurifices qui fefellerint. Hic certe solent παιδίον βασιλέως Principum famuli. Ne pilus quidem vasculorum acceptus est. Scribam ubi recepero. *Michael Bentinus* præmissa uxore, uxoris matre, & hospite quodam, adhæc & puero, quum paucis diebus in solis ædibus versaretur, eadem pestilentia sublatus est. Sequutus est illum protinus is, qui in castigandi vices successerat. Nos vero reliquit & *Joannes Frobenius* mœrore meo immedicabili, nam uxor jam alteri nupsit. Gratulor tuis studiis istum *Mecenatem*, non minus benignum quam potentem; quem mihi tecum communem esse factum gaudeo. Tuum erit submonere si quid erit in quo possim illi gratum facere. Bene vale. *Basileæ* 1. Martii, Anno 1528.

## EPISTOLA DCCCCXL.

*Erasmus Rot. Quirino Talesio suo S. D.*

CURAVIMUS ut has literas reperires apud *Marcum Laurinum* ex *Anglia* reversus, in qua non dubito, quin

An. 1528. quin ea fide, ſtudio, curaque rem geſſeris, ut & tui ſimilis fueris, *Quirine* chariſſime, & meæ de te fiduciæ reſponderis. Fallere præceptorem turpe eſt, ſed turpius fallere amicum fidentem. Scis ut tibi nihil unquam apud me, nec occluſum fuerit, nec obſignatum, ne earum quidem rerum, quas alii non unis clavibus à famulorum, imo non à famulorum tantum, verum etiam à filiorum oculis ſubmovent. Facile conjecto te diutius hæſiſſe apud *Britannos*, novi quam ubique cunctator ſit *Montjoius* meus, non tantum in ſimilibus negotiis, & quam ægre dimittat clientem ſummus ille purpuratus: ὁ δᾶ μὴν θεομαχεῖν. Verum eam moram faç ut nunc celeritate ſarcias, niſi ſi quid exſtiterit novæ rei quod te remoretur in *Flandria*. Jamdudum enim & mea ſtudia, & domus in te inclinata recumbens, deſiderant tuam præſentiam. Ne tamen uſque adeo properes ad nos, ut non amanter ſimul, ac diligenter ſalutes amicorum meorum vetuſtiſſimum *Antonium Clavam*, candidiſſimum *Guilielmum à Vala*, fortiſſimum patronum *Jacobum à Prato*, quem tamen ut opinor apud *Anglos* reperiſti. Paucioribus enim ſcripſi, partim quod nihil rerum mearum te latet, partim quod confiderem te mihi apud amicos epiſtolæ quamlibet loquacis loco futurum. *Hollandiam* interea non ſecus ac littus Sirenum fugito. Difficile eſt lotum ſemel guſtatam relinquere. De penſione *Curtracenſi* diligenter explora rem omnem, & quodcunque conſilium tibi tempus & occaſio ſuggerit, ſequitor. Negotii ſummam tuæ fidei prudentiæque permitto. Illud cave, ne præter viaticum neceſſarium, quicquam pecuniarum, aut annulorum deferas per viam, ſed quo tutius ad nos redeas, deponito tuas quoque, ſi quas habebis, pecunias apud eos quos deſignavi, niſi forte mihi quoque diffidis. Non ſum *Trapezita*; recipies à nobis ſummam integram minimeque arroſam ſolita fide, tibique jam ſæpenumero perſpecta. Bene vale. Datum *Baſilea* 12. Martii, Anno 1528.

## EPISTOLA DCCCCXLI.

*Eraſmus Rot. Archidiacono Alcorano* S. D.

ETAM longinquo non perferri quæ mittuntur nihil miror, vir ornatiſſime, quum frequenter intercipiantur, quæ mittuntur è proximo. Nullas abs te literas accepi præter has *Palentia* ſcriptas quinto Cal. Decembris, Anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſeptimo, quod certe meminerim: unum atque alterum tuarum ad alios literarum exemplum recepi, ex quibus abunde cognovi & quanto *Chriſtianæ* pietatis amore flagrares, & quam candide nobis faveres, quod idem tamen ex amicorum literis compluribus didiceram. Pietatis in te ſtudium exoſculor, pro ſingulari tua in me benevolentia gratiam habeo, ut par eſt, maximam. Quod ſi judicio facis, ut facere non dubito, bona ſpes eſt te perpetuo tui ſimilem futurum. *Enchiridion* noſtrum perquam eleganter *Hiſpanice* loqui multorum literis cognoveram, cujus opera id factum eſſet nunc primum didici. Nonnihil mihi hoc nomine placeo, quod opuſculum illud vir tantus tua cura dignatus ſis. Utinam autem tantum utilitatis adferret, quantum optamus utrique, non me pœniteret invidiæ, quæ ſemper bonarum rerum comes eſſe ſolet. Quod ſi vera prædicant tuæ ſimul & amicorum literæ, non ſolum non doleo, verum etiam gaudeo, tibique gratiam habeo, non pro celebritate mei nominis, cui ſtudere te ſcribis, (malim enim omnium ignotiſſimus eſſe, quam habere famam invidiæ fermento temperatam, & abſque invidia, quanta ſit ſarcina gloria, ſi tamen hæc eſt gloria, ac non potius celebritas, plus ſatis expertus ſum) ſed pro favore pietatis. Cæterum quando bene ſucceſſit, optarim juxta *Græcorum* proverbium, quod monet, *Teſtudines aut non edendas eſſe, aut edendas*, ut & alia quædam mea loquantur *Hiſpanice*, duntaxat ea quæ conducturа videntur ad pietatem: quod genus opinor eſſe librum *De miſericordia Domini*, *De matrimonio Chriſtia-*

A *no*, *Paraphraſes*, *Commentariolos in quatuor Pſalmos*, & ſi qua ſunt hujuſmodi, quæ per commodum interpretem tractata poſſunt conducere moribus hominum: nam hic quoque nonnihil habet momenti interpretis dexteritas. Quædam ſcripſimus excitandis ſtudiis, nonnulla corrigendis vulgi judiciis, multa doctis tantum legenda dedimus. De te nihil reſciveram, niſi quod modo dixi. Tamen rumor adferebatur & ſcriptis & voce quorundam, iſtic excudi *Colloquia*, & *Linguam*, & neſcio quæ alia, in quibus ut nihil ſit impium, quemadmodum arbitror non eſſe, tamen ſuum quæque locum ac tempus habent. Veriſſimum eſt quod ad amicum quendam prudenter ſcribis, quoſdam, qui victoriæ ſpem collocarunt in maledicentia, nolle *Eraſmum* loqui vulgata lingua, ne deprehendatur illorum vanitas, qui clanculum & apud idiotas facundi ſunt. Et hinc illorum fremitus. Igitur in re conſentimus, quanquam auctorem verſionis antehac non noveram. Et ſi noviſſem, non dubitaſſem de ſtudio. In *Gallia* quidam vir bonus, doctus & magnus, idem tentavit, ac prorſus eodem, ni fallor, animo, ſed parum bene ceſſit tum illi, tum mihi: nam ille bis periclitatus eſt de capite, ac plane perierat Monachorum clementia, ni Rex illi ſubveniſſet: ego adhuc cum Theologis, imo potius cum *Beddaicis* gladiaturam exerceo. In uno *Bedda* ſunt tria Monachorum millia. Nuſquam non ſunt improbi Monachorum greges, nuſquam tamen hoc potuerunt, quod potuerunt in *Hiſpaniis*. Quæ res facit, ut non liceat vobis abſolutam gratulari felicitatem, cætera ſat fortunatis. De exomologeſi quod mones amanter, recipio me facturum prima quaque occaſione, quanquam id jam toties à me factum eſt, & priuſquam exiret ille libellus, & poſteaquam editus eſt. Non conſiderant homines quid illic ſuſceperim tractandum, nec quibus, quo tempore, qua regione ſcripſerim. Quid autem proficiet appendix, ſi non legetur, aut ſi ſtudio calumniandi legetur? Quid iſtic agatur neſcio, hic plures ſanavit ille libellus, quam aliorum ſcripta, qui ſibi videntur impenſiſſime favere confeſſioni. Morem tamen geram tuo conſilio. Dominus te ſoſpitet in omnibus, vir clariſſime. Datum *Baſilea* 15. Martii, Anno 1528.

## EPISTOLA DCCCCXLII.

*Eraſmus Rot. Joanni Maldonato* S. D.

SCITO tuam epiſtolam prolixam menſe Septembri, Anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſexto ſcriptam, qua rerum iſtic geſtarum texis hiſtoriam, mihi redditam eſſe, ac fuiſſe multis nominibus gratiſſimam, cui reſponſum eſt à me copioſe. Verum, intelligo tibi querelam iſtam, de non perlatis quæ traduntur, cum multis eſſe communem. Miſiſſem rurſus exemplar, ni jam ſerum eſſet, & fortaſſe jam recepiſti. Mittam tamen ſi poſtulas. Depingis unum veteratorem, quales utinam eſſent pauciores; nunc hominum iſtiuſmodi nuſquam non abundant γάϱγαϱα. Iſtud demiror, iſtic illis tantum licere, quantum adhuc alibi nuſquam licuit. Nos pietatis cauſam animo ſincero peragemus uſque ad extremum halitum, de exitu viderit *Chriſtus*. Nos hinc adornamus ſarcinas. *Jacobum Oſorium* pariter redamare poſſum, quid præterea gratiæ poſſim reponere non video. Eſt autem non meo tantum ſed omnium amore digniſſimus, qui majorum ſtemmatis, & literarum & pietatis ſtudium adjunxerit, & his omnibus pulcherrimum impoſuerit colophonem, gloriæ contemtum. Habes epiſtolam αὐτόγϱαφον, pro utriuſque noſtrum animo perbrevem, pro meis occupationibus ſatis prolixam. Bene vale. Datum *Baſilea* 15. Martii, Anno 1528.

*Oſorio* amabili ſalutem ex me plurimam.



Digitized by Google

## EPISTOLA DCCCCXLIII.

*Eraſmus Rot. Gratiano Hiſpano* S. D.

An. 1528. EODEM tempore duas epiſtolas tuas accepi, *Gratiane* gratiſſime, ſed perbreves & eadem ferme ſententia. Altera diem habebat Calend. Decemb. altera v. Idus Januar. Duas illas priores ſcito mihi nondum eſſe redditas: opinor venturas. Clariſſimum virum *D. Joannem Emanuelem* jam pridem fama mihi commendavit, prudentia ſingulari præditum, ſuoque merito, tum gratia, tum auctoritate, plurimum in aula Cæſarea valentem: cujus in me favorem animumque propenſum libenter amplector. Si quid erit in quo putabis me poſſe illi quicquam gratum facere, non gravaberis ſubmonere, ſenties voluntatem certe paratam. Quod ſcire cupis de ætate, arbitror me nunc annum agere, in quo *M. Tullius* deceſſit. Valetudo mediocris eſſet, ni tot annis res eſſet cum calculo. In diem vivo, paratus de præſidio decedere, quandocunque vocarit Imperator. Herum tuum ex me ſalutabis & amanter & reverenter. Bene vale. *Baſilea* 15. Martii, Anno 1528.

## EPISTOLA DCCCCXLIV.

*Eraſmus Roterodamus Franciſco Dilfo* S. D.

SI tua *Uliſſea* peregrinatio tibi feliciter ceſſit, qua πολλῶν ἀνθρώπων ἴδες ἄστεα καὶ νόον ἔγνως, eſt quod tibi magnopere gratuler. Hiſtoriam omnem exſpecto per *Hieronymum Frobenium*, per quem tuto poteris quidvis. Certum eſt omnia tentare cum *Berckmanno* prius quam aggrediar extremam tragœdiam. Si dabitur opportunitas, hic exſeras tuam rhetoricam, hominique perſuadeas ut malit mecum officiis certare quam malefactis. Noſti locos & tractandi rationes. *Petrum Ægidium* ſalutabis meis verbis diligenter, nihil enim erat quod ſcriberem, præſertim quum tu multarum epiſtolarum inſtar eſſe poſſis. Reverſo meo *Quirino Taleſio* ad iter accingar. Exſpectabis hoſpitem, ſed minime gravem. Matri, fratribus tuis ac ſororibus precor læta omnia. Tu cura ſciam quid valeas. Datum *Baſilea* 18. Martii, Anno 1528.

*Eraſmo Scheto* me diligenter commendabis: ei dabis libellum *De Pronunciatione* meo nomine. Quod ſcriberem nihil erat.

## EPISTOLA DCCCCXLV.

*Hermano Archiepiſcopo Colonienſi Eraſmus Roterodamus* S.

QVVM multæ me res crebro ſunt hortatæ, clariſſime Princeps, tum ornatiſſimi viri *Hermani à Novâ Aquila* Comitis ſemel atque iterum exſtimulavit oratio, ut te ſtudiis meis vel omnium potius impenſe faventem, quoniam coram non dabatur, ſcripto aliquo compellarem. Verum, id meditantem retrahebat pudor, interpellabant occupationes, deterrebat tuæ dignitatis ſplendor ac majeſtas. Nunc quoniam paululum ab occupationibus reſpirare dabatur, & pudorem, & reverentiam excuſſi contemplatione ſingularis iſtius humanitatis, quam ipſe quidem expertus non ſum, ſed ex multorum, minime levium, hominum prædicatione cognovi: eam ſi mihi proprie præſtares, tamen ingratiſſimus eſſem, niſi tanti Præſulis benevolentiam agnoſcerem: nunc quum faveas ne de facie quidem noto, neque quicquam unquam promerito, ſic interpretor, celſitudinem tuam non *Eraſmo* favere, ſed quum optimis ſtudiis, tum *Chriſtianæ* pietati: quod illis reſtituendis ac provehendis, huic tranquillandæ ſtabiliendæque, videar aliquam operam impendiſſe, quam felicem neſcio, certe ſedulam: nam & bonæ literæ propemodum exſpectatione felicius per omnes orbis regiones efloruerunt, & complures, qui prius fuerant à ſacris ſtudiis alieniſſimi, correpti ſunt horum amore.

A Quid multis? Res pulchre ſuccedebat, niſi quorun- An.
dam ſeditioſa improbitas, dum repente novum mun- 1528.
dum dare nobis conatur, diſſidiis opinionum, & contentioſis dogmatibus pene luxaſſet rerum publicarum compages, & Eccleſiæ totius concordiam labefactaſſet. Atque hic mihi quidem pene periit tot vigiliarum, tot ſudorum, tot annis exhauſtorum fructus & gratia. Sed leviter angeret privatum incommodum, ſi publico bono penſaretur, præcipue vero *Chriſti* gloria, qui ſcopus eſſe debet unicus omnium actionum noſtrarum. Nihil enim eſſe poteſt in rebus humanis vere proſperum ac felix, niſi quod *Chriſtus* operatur in nobis, ſic ut, affectibus humanis quieſcentibus, no-
B ſtra voluntas illius ſerviat voluntati. Jam plus ſatis erat eorum malorum, etiamſi Monarcharum implacabiles iræ non acceſſiſſent, quæ quum tantum calamitatum invexerint orbi, tamen in dies magis ac magis incrudeſcunt, ſummam omnium rerum confuſionem minitantes, niſi deus aliquis, velut ex machina derepente apparens, tumultuoſæ Tragœdiæ dederit inſperatum exitum. Nos interim in tanta tempeſtate, rebus pene deſperatis, quoniam præter vota pene nihil ſupereſt, fragmenta navis amplectimur, ſicubi *Chriſtus*
C multum diuque jactatis portum aliquem oſtendat. Nec prorſus abjicio ſpem, ſi Dominus, in cujus manu ſunt corda Regum, dignetur Principum animos huc inflectere, ut exiſtiment longe ſpecioſius iram vincere quam hoſtem: multo tutius benevolentia conſtabilire regnum, quam viribus. Et ad proferenda ditionis pomeria plus habere momenti clementiæ quam fortitudinis opinionem. Pax rebus omnibus turbatis ſubito coire non poteſt, induciæ poſſunt, ſaltem in annos aliquot. Interim de ſarciendis rebus per ocium deliberare liceret. Nunc vereor ne nobis contingat *Cadmea*, quod ajunt, victoria, quæ non minus luctuoſa ſit victoribus quam victis. Verum hic, ut dixi, nihil poſſum ultra vota. Hortatus ſum ſemel atque iterum Cæſarem ad amorem pacis, at ille proximis literis ita reſpondet*: *Pro quiete*, inquit, *Reipublicæ, quod in nobis fuit, hucuſque nos ſtrenue præſtitiſſe, non eſt cur aliquis dubitare debeat. Quid in præſentia præſtemus, quidque deinceps præſtaturi ſimus, ea malumus operibus*
D *declarare*. Hæc verba non admodum ſapiunt pacem. Quanquam autem bellum ingens omnium malorum agmen ſecum trahit, ea tamen reddunt afflictos magis quam impios: gravior eſt opinionum calamitas, quæ, quod eſt omnium precioſiſſimum, bonam mentem nobis eripit. Atque hic prope major eſt pervicacia contendentium, quam Monarcharum bellantium; fitque, neſcio quo fato, ut nulli magis lædant cauſam vel hanc, vel illam, quam qui ſibi videntur fortiſſime tueri. Quidam enim ſic diverſum trahunt funiculum
E contentionis, ut, juxta proverbium, rupta, dum plus ſatis tenditur, reſte, utrique concidant in tergum. Non eſt neceſſe de omnibus quærere, multo minus pronunciare. Satius eſt ea tractare quæ proprie faciunt ad doctrinam Euangelicam. Habet mundus ſua quædam jura, habent ſcholæ ſuas exercitationes: nihil autem tradatur populo niſi quod & indubitatum eſt, & ad fidei negotium neceſſarium, & ad pie vivendum conducibile. Quidam, ut exempli cauſa loquar, confeſſionem nimium arctarant: contra, alii tollunt totam, quum eſſet quiddam inter utrunque medium. Item, quidam Miſſam eo provexerunt, ut fere ſit indoctorum ac ſordidorum ſacerdotum, vel ſacrificorum
F magis, quæſtus, & hominum male viventium fiducia: rurſus, alii Miſſam totam abrogant. At erat & hic locus moderationi, qua fieret ut Miſſam haberemus ſacratiorem purioremque, neque tamen nullam. Similiter quidam immodico ſuperſtitioſoque divorum cultu, pene *Chriſti* cultum obſcurant; ex adverſo, alii damnant omnem divorum cultum ut impium. Quidam funditus evertere nituntur omnem Monachorum ſtatum; alii contra plus ſatis tribuunt humanis conſtitu-

* Supra ad calcem Epiſt. DCCCCXV.

tio-

Digitized by Google

An. 1528. tionibus, ceremoniis, titulis & veſtium formis. In his aliiſque rebus, temperamento prudenti fieri poſſet, ut fidei dogmata certius meliuſque teneremus, ut confeſſio ſincerior eſſet, ac minus anxia: ut Miſſa ſacratior eſſet ac venerabilior, ut ſacerdotes ac Monachos haberemus, ſi pauciores, certe meliores. Quanquam autem me vehementer diſcruciat hæc mundi tempeſtas, tamen nonnihil adhuc ſpei reſidet apud me, fore ut divina providentia tumultus hos vertat in bonum exitum. Ad id plurimum conducet Præſulum prudens moderatio, quæ ſic coerceat ſeditioſam impietatem, ut ſemper habeatur ratio veræ pietatis, hoc eſt, ſic evellantur zizania, ut non eradicetur triticum. Id facilius eſſet factu, ſi ſemotis privatis rationibus ad unum ſcopum ſpectaremus omnes, hoc eſt, ad *Chriſti* gloriam. Nunc plerique ſuum agunt negotium, itaque fit, ut nec privatim nobis bene ſit, nec publice. Alii in alios culpam rejicimus, quum hæc mundi calamitas manus ſit Dei cunctos homines ad vitæ correctionem invitantis. Ad quem ſi confugiamus omnes, ipſe tempeſtatem hanc rerum humanarum facile verteret in ſerenitatem. Verum his de rebus nimis multa ad tuam Celſitudinem, quæ multo rectius iſta perſpicit, quam ego poſſum, cujus moderatiſſimam prudentiam, & prudentiſſimam moderationem mihi videor non ſolum ex hominum prædicatione, verum etiam ex ipſa re cognitam habere. Quod autem vir iſta dignitate præditus, noſtros libellos auribus oculiſque tuis dignaris, ſi negem me gaudere, plane mentiar: ſed tamen huic voluptati junctus eſt pudor, ut qui mihi conſcius ſim, in meis lucubrationibus, quas fere ex tempore, & alendis adoleſcentiæ ſtudiis dedimus, nihil eſſe quod tui ſimilium animos morari queat. Optarim autem vehementer tantum ætatis, tantam ingenii vim ad omnia mihi dari, ut aliquid elaborare poſſim, quod à tam eximio Præſule, & tam eximii Præſulis nomine, legi mereretur. Interim hac epiſtola tuæ Celſitudini teſtatum volui, mihi & notum eſſe & ſummopere gratum ipſius erga me favorem, pro mea virili daturus operam, ne prorſus eo videar indignus. Dominus eam nobis diu ſervet incolumem. Datum *Baſilea* 19. Martii, Anno 1528.

## EPISTOLA DCCCCXLVI.

*Eraſmus Roterod. Nicolao Vario Marvillano* S. D.

NEGABAS eſſe quod ſcriberes, imo multum eſt mihique gratiſſimum quod ſcribis iſtic fauſta feliciaque eſſe omnia, quodque ſummo conſenſu negotium literarum gnaviter agitis. De diſſidio nihil eſt, neque delationis, neque ſuſpicionis, niſi quod ex veſtris literis conceperam. Subvereor tamen nonnunquam, ne tua libertas, quam tibi natura inſitam eſſe video, præbeat aliquam offenſionis anſam iis, quibus ad lædendum nihil deeſt præter occaſionem, ut habet vetus proverbium. Audio & *Joannem Campeſtrem* ſimili candore præditum. Hic eo ſum timidior, quod toties expertus ſum quantum malorum animi mei ſimplicitas, linguæque libertas, mihi conflaverit. Cæterum, hanc meam ſollicitudinem vanam eſſe gaudeo. Euangelicos iſtos, quum aliis multis, tum illo nomine præcipue odi, quod per eos ubique languent, frigent, jacent, intereunt bonæ literæ, ſine quibus quid eſt hominum vita? Amant viaticum & uxorem, cætera pili non faciunt. Hos fucos longiſſime arcendos cenſeo à veſtro contubernio. Satis jam diu audivimus Euangelium, Euangelium, Euangelium, mores Euangelicos deſideramus. Quam iſtic Monachi muti ſint neſcio. In *Hiſpaniis* vocales ſunt plus ſatis, nec deſunt alibi qui blaterent, præcipue nudipedes quidam; quid illos ſtimulet neſcio. Sed ſibi ſuo jumento accerſunt malum. Bene vale. Datum *Baſilea* 19. Martii, Anno 1528.

Saluta *Mierbekanum*, *Reſcium* & *Campenſem*, ipſum etiam *Goclenium*, ſi forte non vacabit ſcribere.

## EPISTOLA DCCCCXLVII.

*Eraſmus Rot. Joanni Ulatteno* S. D.

QVOD pro *Pronunciatione* dicarim *Ciceronianum*, conſilio id factum eſt; id arbitror tibi probari: quod autem ſeparatim excuſus non eſt, incuria typographorum factum eſt, ſed nihil refert. Opinor enim hos libellos frequenter ab aliis excudendos, tum id poterit corrigi. Hoc ſtudium noſtrum tibi gratum eſſe ſummopere gaudeo. Sed quid eſt obſecro quod minitaris, te poſthac non fore pollicitis divitem? Quem quum totum amicitiæ jure poſſideam, pariter omnia mea eſſe duco, quæcunque domi poſſides. Ego, mi *Ulattene*, iſtum animum cuivis auro, gemmis omnibus antepono, quare non eſt quod iſta te cura ſollicitum habeat. Mittam libellum, ſi queam commode. Sin minus, facillimum erit unde libet parare, quod commune eſt omnium. Humaniſſimis proceribus amicis tuis, ac per te meis, fac me diligenter commendes. Tibi precor omnia læta fauſtaque. Datum *Baſilea* 19. Martii, Anno 1528. An. 1528.

## EPISTOLA DCCCCXLVIII.

*Eraſmus Rot. Joanni Cochleio* S. D.

QVOD tua ſedulitate curatum eſt abs te de *Tertulliano* & *T. Livio*, ſtudium tuum & animi promtitudinem exoſculor, quanquam jam de utroque certum reſponſum acceperamus. Hinc enim colligo, quanta cum alacritate ſis obiturus ſi quid incideret, ut tuo opus eſſet officio. *Emſerus* mihi ſemper præſtitit ingenuum amicum, in cujus locum quando ſuccedis, confido fore ut in uno te *Emſerum* & *Cochleum* habeam. Illuſtriſſimi Principis erga me favorem non deſines alere: eſt enim ut humaniſſimus, ita judicii non vulgaris. Quoniam interdum ad moderationem invito, viſus ſum illi nonnunquam parum fortiter *anti-Lutheranus*. Verum aliter ſentiret, ſi penitus noſſet conſilii mei rationem. Et fortaſſis rerum exitus docebit, me *Chriſti* negotium animo ſincero tractaſſe, pro mea quidem ſapientia. Si quid illinc ad me ſcribis, etiam atque etiam vide cui committas literas: ab iſtis enim erronibus Euangelicis intercipitur quicquid ad me ſcribitur. Imo quidam fingunt ſe recta ire *Baſileam* ad *Eraſmum*, & ultro offerunt perferendi officium; mox acceptis literis abeunt in malam crucem. Proinde ſi quid eſt rei ſeriæ, fere mitto famulum, aut alium bene notum in hoc ære conductum. *Simoni Piſtorio*, viro pio, candido & amico, multam ex me ſalutem dices. Bene vale, frater & amice in Domino chariſſime. Datum *Baſilea* 19. Martii, Anno 1528.

## EPISTOLA DCCCCXLIX.

*Eraſmus Roterod. Hermanno Phryſio* S. D.

GRATVLOR tibi incolumem ex *Italia* reditum, gratulor felix conjugium, ut utrumque perpetuum ſit vehementer optans. Dialogis meis de *Pronunciatione* & *Ciceroniano* adjeci orationem *Rodolphi Agricolæ*, *Mediolani*, ſicuti videtur, habitam. Nihil ab illo viro proficiſcitur, quod non divinitatem quandam ſpiret. Itaque nolim quicquam illius intercidere. Hoc ſtudii, mi *Hermanne*, debes vel patriæ, vel affinitati. Quare te rogo ut in hoc incumbas. Nulli magis congruit hoc munus quam tibi. Opus de *Inventione Rhetorica* quidam oneravit Commentariis, juvenis, ut apparet, nec indoctus, nec infacundus; ſed inſunt multa παίζεγα, quædam etiam odioſiora, juveniliterque deſtomachata. Malim ſcholia docta, & ad rem facientia. Ni tot oneribus eſſem oppreſſus, non gravarer hanc ſuſcipere provinciam, adeo faveo *Rodolphi* memoriæ. Hanc operam ſi ſumſeris, ſimul & tuum nomen reddes illuſtrius. Feret hæc aliquam tibi fama commoditatem. Socerum tuum *Pompejum Occonem* ſalu-

Digitized by Google

An. 1528. luta meis verbis diligenter. Tu vale quam optime. Datum *Basilea* 20. Martii, Anno 1528.

## EPISTOLA DCCCCL.

*Erasmus Roterodamus Alphonso Manrico, Archiepiscopo Hispalensi*, S.D.

ORNATISSIME Præsul, Testis est mihi Dominus, quod magis sollicitus fuerim, ne quid tumultus Monachorum improbitas apud vos excitaret, quam de causa mea: nam me quidem hæc Ecclesiæ dissidia sic discruciant, ut mihi propemodum optabilior mors sit quam vita. Si vere spectarent *Christi* gloriam, ac pietatis negotium, nequaquam ad istum modum publicam tranquillitatem inquietarent. At vereor ne complures istorum transversos agat gloriæ sitis, ac gulæ ventrisque negotium. Dolet minoris fieri quam solent aut vellent, dolet minus licere quam liberet, dolet pleroque resipiscere, quorum simplicitas hactenus illis lucro fuit. Magis autem gaudere debebant de lucro pietatis, deque gloria *Christi*. In hoc uno oportebat & gloriam, & opes, & auctoritatem, & voluptatem omnem collocare, qui se mundo mortuos profitentur. Ago gratias Domino, qui per tuam auctoritatem inconditos istorum tumultus mitigare dignatus est. Neque me clam est, quantum debeam absolutissimo Theologo *Ludovico Coronello*. *Christus*, qui per vos hæc operatur, rependet vobis præmium, nunquam auferendum. Ego patienter omnia tolerans, quæ Dominus immittit, seu læta, seu tristia, bonas literas, ac pietatem pro mea virili provehere conabor, usque ad extremum animæ. Erupit in vulgus Apologia nostra, quam ego magnopere premi cupiebam, non tantum eo quod suspicabar amplitudinem tuam id malle, verum etiam quod mea referret hoc negotium non spargi latius; quæ res & adversarios plus satis irritatos acrius exacerbaret, & mihi non mediocrem invidiam conflaret apud plurimos. Verum, hujus casus veniam deprecor in priore præfatione, quam alteri præposui. Dominus amplitudinem tuam servet incolumem, eximie Præsul, qui per te, tuique similes, Ecclesiæ suæ pacem ac tranquillitatem restituere dignetur. Datum *Basilea* 21. Martii, Anno 1528.

## EPISTOLA DCCCCLI.

*Erasmus Rot. Adriano à Rivulo* S. D.

SILVERVNT epistolæ, at non siluit amor; interrupta est literarum vicissitudo, at non intermissa est tui memoria, cujus erga me pietatem plenius etiam ex *Francisci Dilsi* prædicatione cognovi. Hujus convictu mihi fortunatus videbar, nisi necessitas illum distraxisset à nobis, vereor ne simul & à Musis. Quæ hic gerantur omnia cognosces ex *Dilso*, quo mihi licet esse breviorem. Si tuæ res secundis ventis succedunt, est quod summopere gaudeam: certe meretur iste mentis tuæ candor fortunam prosperrimam. Nuper *Oecolampadius* duxit uxorem, puellam non inelegantem. Vult, opinor, affligere carnem. Quidam appellant *Lutheranam* Tragœdiam, mihi videtur esse Comœdia: semper enim in nuptias exeunt tumultus. Si quid habes bonæ rei, scribe per *Quirinum Talesium* meum. Bene vale. *Basilea* 21. Martii, Anno 1528.

## EPISTOLA DCCCCLII.

Philippus Melanchthon Erasmo Roterod. *S. D.*

ETSI *mihi semper alias literæ tuæ gratissimæ fuerunt, tamen proxima epistola multo fuit jucundior, quam ulla unquam antea: nam cum aliquandiu de tua erga me voluntate dubitassem, quia in priore* Hyperaspiste *exstant quædam animi subirati signa, exemerunt eam mihi sollicitudinem hæ literæ, tam amanter, tamque honorifice scriptæ: neque enim obscure perpetuam tuam erga me benevolentiam ex eis cognovi. Itaque* Dilso *magnam gratiam habeo, qui & testimonium tuæ voluntatis & amoris mihi attulit, & optatissimam occasionem ad te scribendi prabuit. Longum esset recensere causas omnes silentii mei, quo hactenus usus sum. Verum, illud te oro, quamvis ut causam potius suspiceris fuisse, quam mutationem voluntatis erga te mea. Ego enim quantum tibi privatim prater alios debeam, memini, & libenter prædicare soleo. Et cum fieri nequeat, quin illi ipsi etiam, nobis charissimi sint, quorum ingenia studiaque miramur, rapiunt me, vel si repugnarem, in amorem tui excellentes ingenii tui dotes. Quod cum ita sit, non existimes futurum, ut cujusquam immodico studio adducar, ut tecum inimicitias exerceam. Hac de meo officio putavi esse ad te scribenda, quæ si tibi probabuntur, facile liberabis me suspicionibus illis, quæ sparsa sunt in priore* Hyperaspiste: *in posteriore enim animadverti me clementius tractatum esse. Quanquam enim non soleo dissimulare, quid de controversia illa sentiam, tamen nunquam ita amavi* Lutherum, *ut veluti instruxerim ejus in disputando vehementiam; tantum abest, ut nunc adjuvare velim, & ut ita dicam, oleum igni addere. Atque hujus mei judicii ipse mihi* Lutherus *optimus testis est. Utinam vero non esset tam atrox certamen inter vos susceptum. Neque satis enim habuit fortasse tua dignitatis rationem* Lutherus. *Et tu vicissim illum mirifice deformasti, quem quidem virum ego meliorem esse judico, quam qualis videtur facienti de eo judicium ex illis violentis scriptionibus ipsius. Plus profutura erant Ecclesia utriusque vestrum studia, si ad sananda hac dissidia conferrentur. Et faciat* Christus, *ut consilescat hac inter vos contentio,* ὡς ἔδῃ ἀγωνοθέτας εἶναι, ὑ τῶν διχοστασιῶν, ἀλλὰ τῶν καλλίστων ἐπιτηδευμάτων. *Video te* Neseno *etiam succensere. De quo velim mihi credas, fuisse eum ad extremum usque spiritum tui studiosissimum: nunquam enim non honorificentissime de te loqui solebat. Neque dubitem vel juratus affirmare, semper illum singularem in te colendo pietatem præstitisse. Non est autem vel prudentia, vel humanitatis tua de amico mortuo diversam opinionem temere concipere. Et exstinctus est tali mortis genere, ut etiamsi quid in aliqua vita parte peccasset, oblivisci conveniret, ne quid miseris manibus oneris accederet. Quod pergis studia literarum juvare, precor* Christum, *ut tuis laboribus faveat, pro quibus etiamsi hac ætas parum grata est tibi præclare merenti, tamen, ut spero,*

Judicium melius posteritatis erit.

*Ego quoque has literulas, & hac studia conterrita tumultu horum temporum utcunque propugno, tanquam gregarius aliquis miles, tua signa sequens. Articulorum* ἐξηγησιν, *de quibus scribis, optarim tibi non displicuisse. Hic in magnam reprehensionem incurrit, quia moderatior fuit, quam quidam voluerint. Sed mihi nihil unquam erit antiquius publica pace, cui cum servirem, adhortatus sum eos, qui in Ecclesiis docent, & quidem de Principis mandato, ad moderationem. Vale feliciter. Ex* Jena Duringorum 23. *Martii, Anno* 1528.

## EPISTOLA DCCCCLIII.

*Erasmus Rot. Georgio Saxonia Duci* S. D.

TVA singularis humanitas, illustrissime Princeps, hanc me docuit fiduciam, ut ex tempore & incogitantius scribam ad tuam Celsitudinem, quam video nonnihil offensam epistola mea, quam scripseram 3. Cal. Junias, An. 1527. sinceriissimo quidem animo, sed, ut apparet, incircumspectius, quam decuit, ad talem tantumque Principem. Et tamen similia scripsi non semel Cæsari & *Ferdinando*, qui cognoscentes sinceritatem animi mei, in bonam partem accipiunt meam simplicitatem. Cæsaris literas postremas ad te mitto. Absit ut ego Cæsarem aut *Ferdinandum* sævitiæ insimulem, quibus omnia debeo, & quorum favore subsisto adversus insultus quorundam, qui miris cuniculis mihi jam olim moliuntur exitium. Quod consiliis & incruentis rationibus malo sanari pestem hanc, quam tot hominum millia occidi, mihi commune est cum

An-

Digitized by Google

An. 1528. *Augustino*, *Hieronymo*, breviter cum omnibus illis *Christianæ* fidei propugnatoribus. Nec hic ago negotium hæreticorum, sed Principum & orthodoxorum. Videmus quam late serpserit hæc lues. Si tantum ferro res agatur, multos bonos ac pios involvet ea tempestas, & bellorum incertus est exitus. Si indulgerem humano affectui, hoc est, si tam male vellem *Lutheranis*, quam male volunt mihi, exhortarer summis viribus Principes ad sævitiam, sed aliud suadet *Christiana* charitas, aliud consulit humanæ conditionis respectus. Non semper spectandum est, quid mereatur hæreticorum impietas, sed quid expediat Reipublicæ *Christianæ*. Certe nostrum est semper ad meliora vocare consilia, nec ideo tamen minus licet Principibus uti suo jure. *Augustinus* toties sollicite intercessit ne occiderentur *Donatistæ* plusquam hæretici. Et tamen ea pestis non transierat *Africam*. Hic igitur nihil opus est, ut quisquam sævitiæ calumniam à Cæsare & *Ferdinando* depellat, quum in iisdem literis fatear hæreticorum improbitatem ad sævitiam provocare. Dignus igitur sævitia, qui huc provocat. De sævitia bellorum nihil sensi, quanquam, si fieri posset, optarem & Monarcharum animos jungeret *Christiana* concordia, & huc frequenter sum hortatus Cæsarem. Id si fieri non potest, illud precari non desinam, ut Cæsar ac *Ferdinandus* vincant quam minimo sanguinis humani dispendio. Opto ut felicior sit exitus quam polliceri videntur procœmia. Si sciret illustrissima tua Celsitudo quas turbas Monachi concitarint in *Hispania*, frustra prohibente Cæsare, Archiepiscopo *Toletano*, & *Hispalensi* cum optimis quibusque, quidque moliantur *Beddaici* quidam *Lutetiæ*, non miraretur, quod aliquid desiderem in Monachis ac Theologis quibusdam: nec enim omnes insimulo. Certe multorum inconsulta improbitas plurimum obfuit Ecclesiæ tranquillitati. Si Episcopi cum sacerdotibus, imo si omnes nos ex animo converteremus nos ad Dominum, intelligentes hanc esse manum Dei, ipse tolleret à nobis iram suam, & sua misericordia lætum exitum daret his tumultibus. Pium est votum malle mederi seductis quam occidere: & timere, ne severitas Principum adferat gravius morbo malum, non est faventis hæresibus, sed Principibus ac Reipublicæ metuentis. Hæc est affectus mei summa, quam obsecro ut tua illustrissima Celsitudo in bonam partem interpretetur; quæ si dignabitur meam epistolam relegere, fortasse rectius perspiciet quid senserim. *Christophorum Carlevitzium* illustrissimæ tuæ Celsitudini commendavi, spe quidem optima, sed tamen non absque metu, qui semel atque iterum hujusmodi commendationibus fueram pudefactus. Adero tamen juveni monitor & exstimulator sedulus, ut & tuæ exspectationi & meo testimonio respondeat, quod illum ut facturum confidam multis adducor argumentis. Is *Dolam* concessit, partim ob dissidia factionum, partim linguæ *Gallicæ* discendæ studio. Curabo tamen ut accipiat quæ misisti. Mitto exemplar epistolæ Cæsareæ, quam proximam ad me misit. Hæc raptim & ex tempore, quod is, qui fasciculum pertulit, mox accingebatur ad iter. Opto tuam Celsitudinem illustrissimam quam optime valere. Datum *Basilea* 24. Martii, Anno 1528.

## EPISTOLA DCCCCLIV.

*Erasmus Rot. Henrico Botteo* S. D.

SI hoc est temporis jacturam facere, utinam liceret perpetuo cum candidis amicis miscendo sermones bonas horas transigere. Nunc plusquam dimidium temporis datur legendis ac scribendis epistolis, & multis & prolixis, & fere inamœnis. Unde statuarius iste nactus sit effigiem mei demiror, nisi fortasse habet eam, quam *Quintinus Antuerpiæ* fudit ære. Pinxit me *Durerus*, sed nihil simile. *Hispanienses* Monachi tantum improbitate valent, ut ipsi etiam Cæsari, quem orbis Monarcham esse volunt, sint formidabiles, sed apud eruditos nihil lucri referunt præter risum & odium. An. 1528. Qui fuit hujus tumultus antesignanus ex nudipedum & funigerorum genere, cum primis damnavit quod in *Enchiridio* laudarim Apostolorum germanam Theologiam, quæ & Regum sceptra, & Philosophorum supercilium sub *Christi* jugum miserit, sic interpretans, quasi senserim in sola *Germania* esse veram Theologiam. Nuper alius Monachus apud Archiepiscopum *Toletanum* accusavit me, quod non probarem eos, opinor *Cartusianos*, qui ob esum carnium negatum sinant proximum venire in capitis periculum, interpretans capitis periculum, levem capitis dolorem: Ventres nec *Græce* sciunt, nec *Latine*, & volunt esse judices scriptorum meorum. Apologia jam exiit. Nec minus stolide furit *Bedda* cum aliquot suis, dissimulans quicquid illi responsum est. Nuper hac de re scripsi Senatui, & sacratissimæ facultati. Si hæc non est fatalis insania, nescio quid sit. Sed *Lutheri*, Monachorum, Theologorum tumultus minima pars est meorum malorum, clancularіæ insidiæ longe magis excruciant. Verum quando hæc aguntur arte divina, certum est omnia boni consulere. Bene vale. *Basilea* 29. Martii, Anno 1528.

## EPISTOLA DCCCCLV.

*Erasmus Rot. Petro Decimario* S. D.

QUAMDIV corpusculum hoc suffecturum sit laboribus, novit in cujus arbitrio sunt res mortalium omnes. Qui jactant vires attritas, ut scribis, aliquanto clementius me tractant illis, qui me solent quotannis bis efferre. Nunc gratia *Christi* valetudo paulo prosperior est quam fuit annis superioribus. Ventres ac mali ποιμένες nihil aliud lucrifaciunt quam odium ac ludibrium, nec satis mirari possum hominum stoliditatem. Quum hanc tempestatem nobis immiserit Dei manus, vitiis hominum exacerbati, culpam in alios rejicimus, & canum more lapidem projectum mordemus, non attendentes ad eum qui projecit. Dominus est, qui nos omnes vocat ad vitæ correctionem, nec audimus admonentem, sed frivolis causationibus ipsi nobis blandimur. *Guilielmum Carmelum*, & *Stephanum Florimundum*, meo nomine vicissim salutabis amanter. Cum ventribus non est admodum verbis decertandum, modestia rectеque factis eos ulcisci pulcherrimum est. Mittam tibi duos libellos recens excusos, alterum *De recta Pronunciatione*, alterum *De phrasi Ciceroniana*; si modo negotiator non gravabitur hoc oneris suscipere. Geminum tetrasticon non gravabimur addere *Copiæ*, aut simili libello. *Proverbiis* non item quadraret. Bene vale. *Basilea* 29. Martii, Anno 1528.

## EPISTOLA DCCCCLVI.

*Erasmus Rot. Clementi Septimo* S. D.

VT omittam brevitatis studio *Romanæ* calamitatis deplorationem, quæ nulli pio non acerbissima fuit, beatissime Pater, non tantum suspicor, verum etiam propemodum habeo compertum, partim ex vocibus tuæ Sanctitatis, quas Oratores quidam retulere, partim è libellis duobus, quorum alterum ad me misit *Albertus Carporum* Princeps, alter inter tua famulitia versabatur, nullo quidem titulo, sed evidenter stylo referens auctorem suum, nonnullos *Erasmum* apud *S. T.* insimulare conatos, quasi vel clam faveam *Lutherano* negotio, vel certe præbuerim occasionem. Ut ad prius illud respondeam, quam mihi conveniat cum *Luthero*, satis, opinor, arguunt quæ in me tam amarulente scripsit ut in neminem hostilius; rursus duo mei *Hyperaspistæ* libri, quibus illi sic respondeo, ut nemo suspicari possit collusionem, quum pugna prorsus sit gladiatoria. Id multo minus suspicantur hic, qui norunt experimento, quam penitus me ode-



Digitized by Google

An. 1528. rint omnes his & his addicti factionibus, quantumque moleſtiarum ab illorum inſidiis perpetiar. Cuperem hic meam conſcientiam æque *T. S.* probatam eſſe, atque eam *Chriſto* me probaturum confido. Tantum illud optarim, ut hæc victoria cedat *Chriſto*, & pietati, reique publicæ *Chriſtianæ*, non privatis horum aut illorum cupiditatibus. Atqui frequenter uſu venire videmus, ut in tali rerum tumultu, ad ſuum quiſque commodum pertrahat victoriam. Quod hic ne fiat, ſpero *T. S.* pro ſua prudentia pietateque advigilaturam. Ad alteram partem reſpondere perlongum ſit, atque ideo neutri libello reſpondi, quod perſpicerem fieri non poſſe, ut me ſic purgarem, ne quenquam alium læderem, ſimulque verebar, ne res ea renovaret incendium jam aliquanto mitius. Si dediſſem occaſionem huic malo, & hoc objicerent *Lutherani*, qui nihil non objiciunt. Verum iſta ſuſpicio non jactatur niſi inter Monachos & ſacerdotes quoſdam, non minus bonis literis infenſos quam factionibus. Atque adeo nemo cordatus non perſpicit hanc tempeſtatem eſſe fatalem, ob populi ſcelera terris immiſſam: quam vix arbitror finem habituram, niſi pariter omnes confugiamus ad Domini miſericordiam: ille medebitur qui plagam inflixit. Suam quiſque vitam prius corrigat, tum ad proximo medendum ſeſe accingat *Chriſtiana* charitas, quæ nunquam deſit ſeveritati, ſi forte quorundam improbitas ſeveritatem poſtulet. Quod ſi in hoc negotio *T. S.* laxabit habenas iſtis, qui nec tuam, mihi crede, nec *Chriſti* rem agunt, ſed ſuis privatis cupiditatibus conſulunt, utinam vanus ſim augur, at vereor ne male curatum ulcus aliunde erumpat, majore publicæ tranquillitatis periculo. Satis perſpecta eſt omnibus animi tui ſinceritas, ſed qui mali ſunt, nunquam gravius nocent, quam quum aliena bonitate abutuntur ad malitiam. Cæterum ut multum nos terret quorundam improbitas, ita ſpem optimam præbet, ad inſtaurandam religionem, tua pietas, ad arcendos aut cohibendos humanos affectus, ſingularis tua prudentia. Animum meum ſimpliciter aperui *S. T.* tanquam coram *Chriſti* vicario, atque ipſo etiam *Chriſto*, quem mihi ſic opto propitium in extremo judicio, ut hic nihil ſimulo. Antehac non dabatur per quem ſcriberem. Nunc audio *S. T.* nobis eſſe viciniorem, cui precor ut *Chriſtus* adſit in omnibus ad publicam Eccleſiæ ſuæ tranquillitatem. Mihi ſi quid imperare volet, habet oviculam, etiam ad victimam paratam, ſi ipſius juſſerit auctoritas. Datum *Baſilea* 3. Aprilis, Anno Domini 1528.

## EPISTOLA DCCCCLVII.

*Bilibaldo ſuo Eraſmus* S. P.

REDDITAE ſunt epiſtolæ tuæ, ſuper alias aliæ, quæ mihi magno fuere ſolatio. Quid attinet *Dureri* mortem deplorare, quum ſimus mortales omnes? Epitaphium illi paratum eſt in libello meo. Allatus eſt huc rumor, qui mire doctos exhilaravit, ſed præcipue *Bonifacium Amerbachium*, iſthic ſumtu & auctoritate Senatus excudi *Pandectas:* optarunt & *Græca Juſtiniani* excudi. Opinor *Dilfum* tibi narraſſe de reatu meo. Ego hac in re obſecundavi conſilio *Beati Rhenani*, & *Lodovici Beri*. Alioqui ſciebam illum nihil acturum. Fumos hominis jam olim novi. Sed *Beati* ingenio ſemper abuſus eſt ad hujuſmodi dramata. Turbam amoliti ſumus qualibuſcunque conditionibus, pacem iniquam æquo bello præferentes. Nihil omiſſum eſt, compromiſſum eſt. Adhibiti duo teſtes. Arbitri datis dextris ſtipulati ſunt obſequium. Pronunciatum eſt de ſcripto arbitrium. Aſſenſimus utrique. Subſcripſimus manu utrique. Deinde bibimus ex eodem poculo, fracto inter nos pane, datæ dextræ. Ominatus ſum amicitiam fore perpetuam. Annuit ille, & comprobavit. Exhibitum eſt omnibus convivium φίλιον. In abitu petiit epiſtolam ad Ducem. Id præter pacta præſtiti, ne quam darem occaſionem. Petiit præfationem in librum ipſi dicandum. Id, quanquam abſurdum & ineptum, tamen auctore *Bonifacio* feci. Quid conſecutum eſt? Mox dicitur miſiſſe famulum proprium, qui ſub nundinas vulgaret atrocem rumorem, *Eraſmum* eſſe damnatum *Baſileæ*, conditionibus graviſſimis, ut ſcriberet librum & epiſtolam contra ſeipſum, deinde daret pecuniam: & hic ante abitum jactaret ſe adegiſſe *Eraſmum* ad conditiones, ad quas ipſe nollet deſcendere pro tribus millibus aureorum. Hic rumor mirum quantum exhilaravit pſeudo-Euangelicos. Qui triumphi? Quæ exſultatio de nihilo? Hæc ego ſuſpicabar futura, ſed neque *Beato*, neque *Bero* potui perſuadere, qualis eſſet artifex. Et eram plus quam occupatiſſimus, præſertim in novis libellis. Quæ eſt hæc *Germaniæ* levitas? Omnes Euangelici ἐς κόφινας exſultabant *Eraſmi* auctoritatem ſepultam, amici metuebant. Et hæ fabulæ de *Hutteno*, de *Othone*, de hac lite aguntur per quendam Euangeliſtam *Argentinenſem*, qui ſe fingit amiciſſimum, & putat me non intelligere; ego cogor diſſimulare. Semper provocavi Principes à ſævitia, quo ſtudio concitavi mihi quorundam iras. Poſthac nec compeſcam illos, nec incitabo, ſed relinquam illos ſuo ingenio. Nec enim ullum finem fore video, niſi ſævitia, quam ad multos pervenire miſerandum eſt. Sed hæc *Chriſto* relinquam. Mitto ad te poſtulationes illius, meam reſponſionem, & arbitrorum ſententiam, ut rem omnem cognoſcas, & amicis communices.

Libelli inſcriptionem promitto, jam amico, & amicitiæ nomine. Nec eſt præſcriptum tempus, nec ſemper natant libelli, & multi ſunt, quibus hoc officium debeo pro meritis.

Epiſtolam ad Ducem promitto civilem, & quatenus licet cum tali Principe agere. Fortaſſis odit *Epphendorpium* ob alias cauſas mihi incognitas. Neque enim ſine cauſa eſt, quod ſeptem annis hic agens ocioſus, nunquam interim inviſit patriam. Arbitrium nominatim dicit, ad evitandam moleſtiam, & citra notam alterutrius. Ac præſcribit, ut utrinque offenſæ & querelæ aboleantur. Primos duos articulos ita mihi præſtandos dixi, ut ſcripto præcepi. Scriptum vides, quod legit & probavit *Epphendorpius*.

De eleemoſyna non gravor: nam arbitrium Judicum facile cum meo conſentit, nec eſt præſcriptum tempus, & plus largior mea ſponte.

Fortaſſis negabit ſe ſparſiſſe hos rumores: quod ſi facit, quid hac perfidia deteſtabilius?

Dixit apud me, te ſibi ſcripſiſſe, *Tuere famam tuam, ſtringe calamum in Eraſmum.* Sciebam rem ſe aliter habere. Dixit *Melanchthonem* ſibi reſpondiſſe, quod ſcripſerat, de alio quodam ſcripſiſſe. At *Melanchthon* affirmavit, nec ſe ſcripſiſſe quicquam unquam *Epphendorpio*, nec illum ſibi. Optarim, mi *Bilibalde*, horum exemplar communicari amicis, atque etiam mitti in conſilium ad amicos, præſertim ad *Hermannum Novæ Aquilæ* Comitem, & *Joannem Ulattenum* omnium mortalium candidiſſimum. Tibi precor proſperam valetudinem. Nos tenuiter valemus, ſed interim ſufficientes immenſis laboribus. Nam *Auguſtinus* quatuor prælis excuditur, *Adagia* duobus, præter alia. De *Pandectis* quæſo ut nos reddas certiores. *Baſilea* 24. Aprilis, Anno 1528.

Non relegi, ignoſce.

*Agnoſcis tuum.*

## EPISTOLA DCCCCLVIII.

*Eraſmi Epiſtola contra rumores ad Bilibaldum Pirckheimerum.*

* QVI tandem obſecro ſunt iſti, male linguaces, qui, ut ſcribis, per omnem pene *Germaniam* ſparſere, me modis atrocibus tractatum ab *Henrico Epphendorpio*, fœdiſque conditionibus cum illo rediiſſe in gratiam? Quod etiamſi ex parte verum eſſet, quid eſt hic quod geſtiant, quod exſultent, quod triumphent ii, qui ſe titulo Euangelii venditant, qui nuſquam non

Digitized by Google

An. 1528. non præfantur pacem & gratiam: Fingant me læsisse *Epphendorpium*, fingant ab illo læsum, fingant utrumque ab altero læsum, denique fingant nihil interceſſisse offensarum, suspicionibus humanis ac sycophantarum delationibus diremtam amicitiam; utrum hic insultare mihi par est, an potius utrique resarta concordia gratulari? Ubi hic est ille spiritus Euangelicus, qui semper illis natat in labiis, qui pingitur in epistolis? Ubi *Christiana* charitas, quæ nullius gaudet malo? Sed applaudunt *Epphendorpii* victoriæ. Erant qui *Huttenica* temeritati plausum darent, nec immerito, si successum habuisset audacia. Profitebatur enim sese veritatis Euangelicæ propugnatorem, quum nemo magis offecerit istorum Euangelio. Cum *Epphendorpio* vero quid istis tandem est rei? An credunt illum in *Hutteni* locum successisse? An id fecerit nescio, profiteri non arbitror; &, si profiteretur, quid qua causa facit ad veritatem Euangelicam? At sine causa malis alienis delectari ferinæ cujusdam malitiæ, tantum abest ut sit Euangelicus spiritus. Nunc aperiam quam frustra semet ista voluptate titillarint. Non hic refricabo causam, quæ inter nos versabatur, ne quam stipulati sumus præteritarum offensarum ac suspicionum oblivionem oblitus videar. Illud tamen dicam, mea in ipsum merita nec ipsum *Epphendorpium* inficiari. Cæterum, nihil esse in quo illi præstiterim animum minus amicum quam innumeris argumentis declararit hostilem in me animum, ut quam ille justam habuit causam mihi gratias agendi, tam ego justam haberem causam expostulandi cum illo, si contendere vel libuisset, vel vacasset. Sed, ut inquit *Paulus*, *Servum domini non oportet litigare*, & si non id prohiberet pietas, expertus sum quam bene tolerantia redimitur animi tranquillitas. Sed mea in illum merita non commemoro: quid illum offenderit dicam. Scripseram semel atque iterum Duci *Georgio*, ut juvenem, alioqui bonis naturæ dotibus præditum, ab ocio vitaque voluptaria, quam tot annis agit, ad functionem aliquam honestam avocaret. Atque huc & præsens dictis & absens literis ipsum aliquoties sum hortatus? Quod consilium si sequutus esset, jam fortasse pro * famulis gloriolarum, quibus apud leves juvenes nunc ludit, nec raro eluditur, apud principes viros & homines eruditos solidam veramque gloriam obtineret. Et in eam rem pollicitus sum operam meam. Audiebam quotidie voces ac susurros hominum, Cur hic tot annis hæret, nec revisit suos? Quid rerum gerit? Unde suppetit illi res tantis impendiis? Unde illius stemmata? Ubi habet arces suas? Cur eas deserit? Quid illi cum *Hutteno*; cui ob manifesta facinora nullus jam locus erat tutus? Quî dissolvet æs alienum, quod nusquam non contrahit? Hæc, aliaque multa, quæ nunc referre non libet, occinebantur à cordatis, etiam ab his qui videbantur illi vehementer amici. Et interim non desinebat meis studiis facessere negotium, subinde schedas extrema minitantes huc mittens. Appellavi Ducis prudentiam, quæ simul & illius saluti & meæ quieti consuleret, meo quidem commodo, sed *Epphendorpii* majore bono. Hoc animo quid esse potest amicius? An non idem frater pro fratre, pater scriberet pro filio? Hoc, quod factum sciebam, non sum inficiatus, epistolam, quam proferebat, quoniam nesciebam, nolui agnoscere. Erat barbarica descripta manu, sine consule, ut ajunt, ac die: nullam habebat subscriptionem, nullum symbolum. Fieri potuit ut aliquis eam finxerit: fieri potuit ut aliquis ea, quæ voluit, admiscuerit. Quid me stultius, si talem epistolam, quam volebat ante complures annos esse scriptam, agnovissem? Nisi forte putant me memoria tenere, quicquid unquam scripserim, quum præter libros, interdum uno die quadraginta scribam epistolas, quarum vix ullam relego. Quamquam illius etiam hæc summa fuit, ut Dux juvenem pertraheret ad aliquod honestum munus, in quo omissis voluptatibus, ingenii sui dotes exerceret. Atqui hæc erat summa *Epphendorpii* querimoniæ. Finge hoc à me factum acerbius, certe scopus erat, ut ille ab ocio, vitaque multorum fabulis obnoxia, revocaretur ad opes ac dignitatem. At mihi suppetebant multa alia querimoniarum argumenta, quæ malo premere, quam ullam rescindendæ concordiæ materiam præbere. Jam non immitis eram hostis. Agnoscere de quo dubites, extremæ stultitiæ est; Favere sic minitanti adversus te ipsum, summæ dementiæ est. Jam si protulisset epistolam, quæ manus meæ similitudinem præ se ferret, nisi mihi constitisset à me scriptam, stultum fuisset protinus agnoscere, quo lædereris: sunt in hoc quidam exercitati, ut manum exprimant alienam, tanta similitudine, ut nec is, qui luditur, possit deprehendere. Fecit hoc animi gratia *Alexander* Archiepiscopus D. *Andreæ*, filius *Jacobi* quondam *Scotiæ* Regis, ejus, qui nunc regnat, frater, ostendit mihi codicem quendam typis excusum, quem certo sciebam nunquam à me lectum, multa annotarat in spaciis marginariis, protinus agnovi manum meam. Rogo unde nactus sit eum librum. Agnosco, inquam, figuras meas, verum codicem hunc nec legi unquam, nec habui. Ille contra, legisti olim, sed excidit, alioqui unde hæc tua scriptura. Tandem cum risu fassus est dolum. Ac pridem is, qui *Argentorati* dissectus est infœlix, non ignotus *Epphendorpio*, quas Tragœdias excitarat multorum manus effingens? Nonne D. *Hieronymum* olim æmuli conati sunt fictis literis, velut ab ipso scriptis, infamare? Vetus hic ludus est aliquid facinoris molientium. Non hæc eo dico, quod tale quiddam ab *Epphendorpio* factum videri velim, sed quod ab alio fieri potuerit. Itaque quum nec ego literas agnoscerem, nec ille posset ullo argumento convincere, nihil illi restabat, quod de me quereretur, mihi potius erat quod de illo quererer, qui illa de causa non solum atrociter expostularet, verum etiam leges ac tribunalia minaretur. Ad hæc fingamus ea omnia à me scripta, quæ recitabat, non negavi me scripsisse, sed negavi me agnoscere: & si negassem eam epistolam à me scriptam, quam ostendebat, nihil mentitus fuissem: non enim erat manus mea. Hic subclamabitur, dolus malus. Imo dolus bonus est, quoties scopo bono fallitur, qui falli dignus est. Sic Medicus fallit ægrotum: Sic *Christus* interdum fefellit *Judæos*, quia merebantur, sic Apostolos, quia expetebat. Hæc tamen ex superfluo mihi dicuntur. Certe Principis epistola, qua jussit *Henricum Epphendorpium* à me impetendo quiescere, docebat, me talia non scripsisse, qualia habebat illius epistola. Illud ingenue citra illius contumeliam fateri possum, præter amicitiam, quæ *Christianorum* inter ipsos omnium debet esse communis, nihil esse rei, cur *Henricum Epphendorpium* visum aut auditum velim: nam interius illud & sanctius amicitiæ genus, quam inter bonos conciliat studiorum similitudo, nunquam mihi cum illo intercessit, & si intercederet, facile renunciaturus sim. Non quod obsistere studeam, quo minus illum quilibet tanti faciat, quanti ipse haberi postulat, sed quod seni, longe aliud agenti, tam juveniliter amantis amicitia nec usui possit esse, nec honori. Hujus concordiæ caput erat, ne obturbaret, ne maledicentia læderet, quod cuivis etiam scurræ in manu est. Sed ille, inquiunt, præscripsit conditiones, tu accepisti. Accepi conditiones, fateor. Sed culpam non agnovi: itaque pacis amore superior fui, non causa inferior. An non suadet nobis Euangelium, ut cum adversario controversiam finiamus, priusquam veniamus ad judices. Non statim inferior est, qui leges accipit: nam boni viri sæpe malunt improbo litigatori causam cedere, quam experiri legibus, neque raro numerant turpi sycophantæ, quietem pecunia redimentes. Res preciosa est tranquillitas. Hanc parvo comparavit qui pecunia redemit. Quid, quod viator interdum à piratis, latronibus, ac sicariis conditiones accipit & gratias agit: sic ocium redimerem, à lenone, à scurra, ab ebrio, à furioso, de-

* Forsan *fumulis*.

Au. 1528. nique à *Turcâ*. Quid, quod à molesto cane nonnunquam objecto osse quietem emimus, etiamsi confabulantibus oblatret, tantum mordendi impotens? Hæc in *Epphendorpium* dicta videri nolim, sed in istos qui talia jactitant, dum me lædere student, amasium suum denobilitant. Postremo, si extorsisset à me bonam pecuniæ summam, nemo prudens, cui nostrum uterque fuisset notus, aliud suspicaturus erat, quam me rem charissimam viliore redemisse. Siquidem ocium, quod mihi semper charum ac dulce fuit, tum multis variisque laboribus distento, sic erat necessarium etiam, ut nunquam magis. Ego ad hunc usque diem nec in jus vocavi quemquam, nec à quoquam postulatus sum. Et adeo nihil est ocii, ut ægre tuear vitam in his laboribus, quos publicis studiis juvandis perfero. Et *Germanice* litigandum erat, utique per advocatos. Quem autem amicum sustinuissem tali onerare negotio? Adde quod rebus humanis ad hunc modum exulceratis nullum animal tam vile est, tam abjectum, tam nihili, quod non posset cuivis bono viro negotium facessere. Id itaque delectum est, quod & nobis & amicis erat commodius, quodque *Christianis* dignius. Hæc dicere potueram, etiamsi leges mihi graves accepissem. Nunc quid habent justæ conditiones, cur debuerit per *ambasios* ac veredarios circumferri? Neque enim animum possum inducere, *Epphendorpium* vel tam nullius esse fidei, ut post junctas dexteras, post pactam omnium offensarum ac suspicionum perpetuam oblivionem, post susceptum certamen officiorum & benevolentiæ, post commune poculum ac φιλοτησίαν, post mensam hospitalem, hæc procurarit in meam ignominiam; vel tam stultum, ut existimet tales præscriptiones jactandas, ex quibus homines cordati facile colligerent opinionem de homine siniſtram, qui ventilet præfationem cujus liber non exstet: nam quæ hic sparserat *Epphendorpius*, se adegisse me ad conditiones, ad quas ipse nollet pro multis aureorum millibus descendere, sic interpretor, ante sartam concordiam esse factum, quamquam & illam vocem complures, qui propius noverunt hominem, exceperunt cum risu. Non possum igitur mihi persuadere, hæc operâ *Epphendorpii* fieri, nisi mihi prius persuasero, eum hominem esse insigniter perfidum, nec minus stultum quam malitiosum. Quod absit ut de illo sentiam, nisi ipse fidem fecerit, quod absit ut faciat. In his igitur qui spargunt, non solum *Christianam* mentem, sed omnino prudentiam desidero, qui dum hæc faciunt, plus labis adspergunt *Epphendorpii* nomini quam meo. Exigit enim hoc à me fœdus amicitiæ, ut illius famam æque ac meam tuear. Quid enim dicent homines cordati, quum in primo statim articulo legent hæc verba, *Apud Principem, cui jus vitæ ac necis in me esse videtur?* An aliquid commisit morte plectendum? Ne illa quidem epistola, quam proferebat, tale quicquam habebat. Quid autem veniet in mentem, qui vitam illius ut demus immunem à scelere, certe, quod nec ipse dissimulat, ociosam ac voluptuariam noverunt? Et hic postulat meis curari scriptis, ne quid siniſtræ suspicionis de ipso nascatur. In secundo articulo petit, *Ut literis meis de integro veteri apud Principem exspectationi restituatur.* Quid hic dicent nasuti? Num ego novi quid Princeps ab ipso exspectet, nisi quod ab ipso cognovi, Principem in hoc juvisse studia illius, ut absolutus scientia Juris aut profiteretur *Lipsiæ*, aut aliquo munere fungeretur. Jam constat Principem illi fuisse infensum, etiam tum quum illum meis literis commendarem, & mihi quoque subiratum, quod illum sic viventem tam magnifice prædicassem. Nec mihi, si maxime velim, in manu est, illum de integro restituere, nisi ea præstet, quæ Princeps exspectabat. Quid autem exspectet, facile conjectandum est. Hoc ipsum si præstet, non est nostrum defuturum officium. At quomodo postulat, ut ipsum restituam in pristinam Principis gratiam, quum hanc ipsam Tragœdiam moverit in me contra Principis literas? nam ille vetuit ne

A mihi negotium exhiberet, hic, perinde quasi jussisset, orsus est Tragœdiam. De tertio quid suspicaturi sunt qui nasum habent? *Ducenterum ducatorum ipse postulat esse dispensator*, & hoc postremo loco positum suspicabuntur esse totius causæ caput. Notum est illum sumptuose vivere, non pauca debere, nec prorsus ignorantur illius reditus. Quorsum attinebat hanc suspicandi ansam præbere multis, præsertim quum, ut dixi, sæpe voces audiam rogantium, unde suppetat *Epphendorpio* pecunia quam profundit? Nec illa fortassis sine roncho legent quidam, quod homo tam licenter vivens tam de fama sollicitus est, ut vita sit citius periclitaturus, quam passurus illam contaminari, quod toties prædicat simplicitatem & innocentiam suam. Si vero favent *Epphendorpio* prudentiam in eis desidero qui disseminant; Si non favent, desidero *Christianam* charitatem. Lædere nihil commeritum, malitiæ est, lædere cui studes prodesse, non vulgaris est stultitiæ. Jam hoc quoque nomine prudentiam in istis desidero, qui jactant illius postulationes, quasi non soleat iniquum peti, ut æquum impetretur: aut quasi non liceat cuivis quidvis à quovis petere. Nihil refert quid ille postularit, sed quid ego receperim, & quid arbitri præscripserint: nam arbitrii bona pars ex meo pendet responso. Primum epistolam non agnosco. Hic protinus ille non habet quod postulet, ego habeo quod expostulem, qui mecum litiget, quum ipse Dux ad eum scripserit, me talia non scripsisse qualia objiciebat, sed id tantum, quod ego me scripsisse non nego. Quod si ex illis literis meis sparsis in aula male audit, Duci imputet, aut *Othoni* Equiti, cui cum ipso necessitudinem arctissimam ipsorum literæ testantur: nam hujus opera factum audio, quod epistola venerit ad manus multorum. Quanquam hoc agunt isti, ne quisquam hoc nesciat. His justius indignetur quam mihi, qui epistolam obsignatam uni misi. Porro libellum quomodo promitto? Non quod agnoscam culpam, sed amicitiæ nomine, si fenero illum posuisse hostilem animum & induisse amicum. Ejus rei nec verbis, nec uno die mihi poterit fieri fides, quum divinæ quoque Literæ, quæ probant reconciliationem, admoneant ne securi simus ab amico reconciliato. Nec alia ratione præscribit arbitrium de libello, quam ego recepi: citat enim meum rescriptum. Atqui libello dicando nullum est præscriptum tempus: nec enim mihi vacat semper, & sunt quibus hoc officium jam annis aliquot debeo, nec quodvis argumentum convenit *Epphendorpio*. De reconciliando Principis animo quid polliceor? si Princeps meis scriptis factus est ab illo alienior: nam quod ille jactabat esse periculum, ne Princeps reverso in patriam amputaret caput, ut demus non esse convictum, certum est ex meis literis ortum non esse. Nec ego Principem quicquam novi docui. Non ignorabat quomodo viveret *Epphendorpius*, tantum ostendi viam, qua posset ingenio juvenis mederi. Nec promisi nisi literas civiliter scriptas: nec hoc contentus addidi, *quatenus licet cum tantis Principibus agere:* nam si magnifice prædicassem *Epphendorpium*, Princeps non ignarus rerum, quas fortasse nec ipse scio, crederet se mihi esse ludibrio. De eleemosynis nil pollicitus sum rescripto. Habes postulata & responsa, nunc arbitrium vide. In arbitros compromissio facta est, in quibus ille nec excepit quicquam, nec potuit excipere. In arbitrio præfantur sibi jus datum dissidii amice componendi: præfantur ea quæ præscribunt, non præscribo mihi, nisi ad evitandam molestiam & alendam *Christianam* concordiam. Nec aliter præscribunt duos primos articulos quam scripto recepi. Scriptum exstat quod me refellat, si quid mentior. De tertio articulo quid præscribunt? *Eodem*, inquiunt, *animo non gravabitur*. Quid est *eodem animo?* Nimirum ad evitandam molestiam. Nec his contenti addunt, *citra notam alterutrius*. An hic non satis declarant viris cordatis, quo consilio res sit acta? Quid est igitur quod isti gloriantur, *Erasmum* atrociter tra-

Au. 1528.

An. 1528. tractatum? Et ubi sunt illæ terribiles conditiones, ad quas *Henricus Epphendorpius* noluisset pro multis aureorum millibus descendere? Quid, quod pecuniæ dandæ nullum tempus præscriptum est, & remitti poterat ab arbitris, quamquam quid opus remitti, quum ego mea sponte plura dem interdum paucis diebus, quam ibi præscriptum est. Et à me majorem summam tribus verbis amice dictis impetrasset *Epphendorpius*. Rursus ubi præscribunt oblivionem offensarum, querelarum ac suspicionum utrinque, nonne pares nos faciunt in causa. Quid igitur hic est, quod isti jactent, qui nomen Euangelii jactant; An quod gratis meas offensas condonavi; hoc pietatis laudem merebatur. An quod per arbitros rem transigi malui, quam occupatissimus, linguæ ignarus, rudis fori, cum homine ociosissimo nec elingui litigare? Hoc erat prudentiæ tribuendum. Verum utcunque hæc habent, si favent *Epphendorpio*, quod *Hutteni* causam persequitur, hæc in bene merentis gratiam cum primis erant premenda: nec enim deerunt, qui suspicentur, immo non desunt qui prædicent, hos rumores *Henrici Epphendorpii* operâ spargi, jactarique. Siquidem illud constat, famulum illius protinus cum litteris in *Saxoniam* ablegatum fuisse. Quod si verum esset, quæ rogo *Pœnorum* perfidia, quæ *Cecropum* malitia possit cum hac comparari? Bene meritus fueram de illo, nihil exprobro, habebam gravissimas expostulandi causas, amore quietis & concordiæ accepi conditiones. Nec enim mihi *Epphendorpii* amicitia usquam est opus, nec est, ut jam dixi, cur illum visum aut auditum velim, nisi me moverat studiorum amor & *Christiane* concordiæ.

Res acta est præsentibus testibus, viris gravissimis, *Ludovico Bero*, & *Henrico Glareano*. Arbitri, datis dextris, stipulati sunt obsequium. Promisimus utrique. Pronunciatum est de scripto arbitrium. Comprobatum est ab utroque, primum voce, mox etiam subscriptione. In signum amicitiæ porrectum panem altrinsecus fregimus, mox ex eodem bibimus poculo, quod *Georgius* Dux dono miserat. Rursus stipulatus sum perpetuam amicitiam: asseveravit *Epphendorpius* fore perpetuam. Datæ sunt dextræ rursus. Postridie omnes accepi cœna. Nihil omisi quod erat viri obliti omnium offensarum. Dicas satis religionis adhibitum, etiamsi fuisset occisus homo: post cœnam *Epphendorpius* cœpit efflagitare epistolas ad Ducem, in postridianum mane. Quamquam illi suo scripto mihi liberum fecerant vel Duci scribere, vel in Aulam: nec erat præscriptum tempus, tamen quoniam instabat, ne dissiliret gratia, priusquam satis coiisset, supra quam debui sum obsequutus. Flagitabat & præfationem. Id non solum erat iniquum, verum etiam ineptum, quum liber nondum esset natus. Ægre quidem illud, sed tamen hortantibus arbitris, vel rogantibus potius, & sum hic obsequutus. In Epistolam inserui locum ipsius arbitrio, nec illud erat pacti me ex illius arbitrio scribere. Flagitavit & aliud quiddam, quod arbitri mihi non sunt ausi proponere, nec à me dicetur in præsenti, ne & hoc jactent cum illius dedecore. Post hæc ita gesta si *Epphendorpius* curasset fabulam per *Germaniam* spargendam, quid dici potest sceleratius aut perfidius, si rem spectes? aut quid stultius, si gravium virorum spectes judicium? Quid enim cogitabunt homines cordati, quum audient jactari præfationem, cujus nullus est liber? An Dux *Georgius* adeo stultus creditur, ut non intelligat ex epistola me quietem ab ociofo redemisse? Tam insignem perfidiam, tantam malitiam, tantam stultitiam ne tum quidem *Epphendorpio* tribuebam, quum illi irascebar: tantum abest ut nunc illi tribuam post fœdus initum. Sed quo magis illum libero, hoc magis eos gravo, quorum arte hæc procurantur. Ille se læsum putabat. Isti nunquam à me læsi sunt, nisi lædere est, quod nolo profiteri, quæ mihi non possum persuadere. Etiam de præteritis hoc æquior sum *Epphendorpio*, quod multis argumentis colligo, illum quod fecit aliorum instinctu fecisse. Neque me latent hujus artificii machinæ, quanquam mire se credunt omnes fallere. Iidem instigarunt miserandum *Huttenum*, ut in me stylí mucronem stringeret. Iidem impulerunt *Othonem*. Sic, inquiunt, elevabimus auctoritatem *Erasmi*. O consilia Euangelica! Fingite *Erasmi* auctoritatem apud omnes extinctam, quæ jam nunc vel nulla est, vel quam minima, continuo ne vos eritis dii? Quanto rectius vestram auctoritatem muniretis, non per calumniam infamandis aliis, sed moribus Euangelio dignis, quos mundus in vobis jam pridem desiderat. Istiusmodi technis nil agetur, & si stultis imponatur ad tempus, erumpet aliquando fucis proditis veritas. *Turcæ* non magis officiunt Euangelico negotio, quam isti seditiosis, corruptis, minimeque Euangelicis moribus. Per istos non solum non reparatur Euangelica libertas, sed conduplicatur servitus: per quos enim invecta est dura servitus, nisi per homines intractabiles & nulli quamvis bene monenti morigeros, per quos inducta est tyrannis, nisi per cives, nec legibus æquissimis obtemperantes? Si quid sanæ mentis est *Luthero*, & si qui sunt alii, quibus hoc negotii curæ est, nullos magis odisse par est, quam istos tumultuarios & prorsus ἀνόμους, quos nec Episcopi, nec Principes, nec Magistratus, nec ulla Resp. ferre possit. Hanc istorum jactationem mox excepit alius rumor. Jactabant *Epphendorpium* mihi dictis ac litteris objicere perfidiam, qui libellum promissum non præstiterim. Quid ille dixerit, aut fecerit, alii viderint, certe ad me nulla pervenit littera. Quid autem poterat in illum fingi probo viro indignius? sub nundinas ictum est fœdus, protinus à Pascha jactatum est de perfidia, quasi libros, ut mucum è naribus, emungeremus. Sed demus annum præteriisse, fortasse poterat amice expostulare, perfidiæ crimen impingere quî potuit, quum nullus esset præscriptus dies, qui si ex æquo & bono præscribendus erat, judicum arbitrio fuerat præscribendus. Sed demus fuisse præscriptum, an continuo perfidiæ reus est, qui promissum ante diem constitutum non præstat? Ita perfidiæ tenebitur qui creditori pecuniam non reddit ad diem præscriptum; qui commodatum non reddit ad tempus designatum; tenebitur faber & vestiarius, qui ad diem promissum non absolvit opus, itaque perfidiis plena erunt omnia. Si in contractibus civilibus locum habet excusatio, si non licuit, si commode non potuit, quanto magis valere debebat in hoc negotio, quod amicitiæ legibus peragitur? Rursus donemus fuisse præscriptum diem, non erat simplex promissum, sed additæ sunt duæ conditiones, amicitiæ nomine, & si compertum haberem, illum mihi ex animo factum amicum, jam ut vana sint quæ jactat rumor, illum frequenter totis convitiis in meum nomen destomachare, scriptum in me nescio quod famosum hospitibus recitare, litteras nihilominus hostiles quam antea scribere, quod specimen dedit, unde certum habeam illum mihi ex animo factum amicum? Per quem jussit salvere? Apud quem amanter de me loquutus est? Atqui his officiis nihil est vulgarius, nec ex hujusmodi possis habere perspectam hominis in te benevolentiam, quam nisi certis declararit argumentis, ne debetur quidem libellus. Tametsi non illud actum est per arbitros, ut ille sic à me libellum exigeret, quemadmodum miles pactam pecuniam exigit à rusticis, incensurus horrea, ni statim numeretur, sed ut sartæ jam & coalescentis amicitiæ hoc adversus calumnias hominum quasi testimonium esset. Id autem officiis ambiendum erat potius quam conviciis efflagitandum. Vides quam nihil est in quo mea fides possit desiderari, qui tam multa præstiterim ultra præscriptum arbitrii. Primum exegit, idque nec civiliter nec amice, ut ipsi Duci scriberem, quum ipsius postulatio mihi liberum faciat, Utrum vellem ad Principem, aut alteri cuipiam ex aulicis scribere, hoc extorsit ultra præscriptum. Deinde quum litteras eas non aliter pollicitus essem, quam ut civiliter, & quatenus tanto Principi scribere liceret, denique quatenus liceret sine mei honoris detrimento, ille postulavit, ut



Digitized by Google

An. 1528. certas aliquot ſententias adderem. Et hoc impetravit ultra pactum. Tertio poſtulavit, veſperi circa nonam horam, ut poſtridie mane habeat litteras paratas, ut mihi noctu fuerit in lecto ſcribendum. Quæſo te, an homini quicquam ſomniaret arbitri? Quarto flagitavit eadem hora præfationem: ad quid? niſi ut jactaret, ſi libuiſſet eſſe ſuſpicioſo. Datum eſt & hoc illius improbitati.

Quinto voluit epiſtolam ad Ducem ſibi tradi legendam, ipſoque præſente per famulum meum obſignari, ne quid fraudis admiſceretur. Quam ſtatim non amicum erat ſic diffidere? Tametſi quid ſtultius etiam? Si libuiſſet fallere, an *poteram alias litteras per alium mittere? Quod ſi hoc ipſum applauſu dignum putant, tantum potuiſſe extundere, gratulentur eadem opera prædonibus, qui bonum virum, ſic animatum, ut nec occidi velit, nec occidere, huc adigunt interdum, ut crumenam deponat, & inſuper abjuret omne jus ulciſcendi. Uter magis recedit à pactis, qui plus exigit quam habet contractus, an qui minus præſtat?

Statim quum amanuenſis adferret epiſtolam, cœpit illum objurgare quod ſcripſiſſet epiſtolam, quam à me ſcriptam ne minimo argumento probare poterat. Et ubi hic promiſſa ſuſpicionum & offenſarum omnium oblivio?

Ad hæc an verus ſit rumor, illum in conciliabulis & conviviis remis veliſque in meum nomen invehi, melius norunt illius compotatores. Si verum eſt quod iſti jactant, ea demum vera perfidia eſt, non dicam, non præſtare aliquem fœderis articulum, ſed adverſum id facere, quod eſt totius fœderis caput. Nam hic non criminor *Epphendorpium*, ſed illius cauſam ago. Certe hic me adactum ad conditiones, ad quas ipſe pro multis aureorum millibus nollet deſcendere, apud plures jactant†, quam ut arbitrer ipſum inficiaturum.

Quis ex hiſce conjecturis non collegerit, illum fucato animo rediiſſe in gratiam? ſed ubi de pecuniæ ſpe decidiſſet, aliud vindictæ genus quæſiiſſe? Ego tamen omnia candide ſum interpretatus. Et illius jactatur ſimplicitas, fides & integritas, ego perfidus violavi fœdus, qui tam multa præſtiterim ultra præſcriptum, qui tot argumenta malæ mentis interpretor in bonam partem. Nondum enim *Epphendorpio* fœdus renuncio, ſed adverſus iſtos pugno, qui dum nuſquam non nugantur de negotio, quod non intelligunt, magis ejus famæ nocere, cui volunt videri ſtudere, quam meæ. Hæc igitur pro *Epphendorpio*, non contra *Epphendorpium* ſcripſerim. Arbitror enim jam ex fœdere mei eſſe officii illius honorem ac famam pro mea virili ſartam ac tectam habere, quatenus per illum licebit.

Tibi vero, vir ornatiſſime, ſcriptum hoc miſi, ut habeas quod blateronibus iſtis reſpondeas, qui ſimulatque ventrem & ea quæ ſub ventre expleverint, nihil habent quod agant, niſi ut omnibus maledicant, atque ita fruuntur Euangelica libertate. Bene vale. Datum *Baſileæ* 1. Maji, Anno 1528.

## EPISTOLA DCCCCLIX.

Hermanus, Dei gratia Archiepiſcopus Colonienſis, Princeps Elector, Weſtvaliæ & Angariæ Dux, &c. Eraſmo Rot. *S.*

VENERABILIS, *ſincere dilecte, ante paucos dies reddita ſunt nobis literæ tuæ, quibus perhumaniter quidem ac etiam erudite, ad amicitiam tuam nos invitare viſus es; quædam inſuper nobis pro tua humanitate tribuens, quæ tamen ex amoris affectu potius quam recto judicio profecta ſuſpicamur. Nihilominus, velut* Cyrum *quendam à* Xenophonte, *laudari nos abs te libenter patiemur, ut ſaltem quales eſſe erga Rempublicam* Chriſtianam, *ac nos etiam ipſos debeamus, vel te monitore clarius perſpicere poſſimus: unde non eſt ut tantopere nos ad amandum te provoces. Nam audito nomine tuo, quo tu bonis ſtudiis non parum ornamenti attuliſti, ſtatim ad amorem tuum velut impetu quodam rapti ſumus. Enimvero ea nobis adeſt voluntas, quæ tibi optima quæque precetur, etiamſi facultas fortaſſe non adſit, ut tibi continuo illa præſtemus. Illud tamen certo tibi perſuadere potes, nos nihil antiquius ducere, quam ut* Chriſtiana *Reſpublica, ſimulque & bona ſtudia, evulſis ſpinarum radicibus, libere & ſecure floreant. Id quod à ſtudioſis hominibus quotidie laboratur, ſed frequenter etiam ſine fructu, contra ſemper adnitente illo, qui per noctem zizania interſerit, & quo plus noceat, etiam ſpineta creſcere facit, quibus opprimatur bonum Dei ſemen. Tu vero perge pro tua virili, ventilabro doctrina Euangelica, purgare aream plenam jamdudum loligine & paleis. Quantum noſtra intereſt, libenter etiam operam noſtram ad id negotii accommodabimus, ſperantes Domini Dei noſtri affulgente gratia pacem aliquando inter* Chriſtianos *Principes conventuram, ſine qua fruſtra laborat, quiſquis laborat errorum radices evellere. Interim vero precibus tuis adjuvari petimus, ut officio nobis commiſſo fideliter ac etiam utiliter incumbamus. Vale. Ex arce noſtra* Brulenſi 25. *Maji, Anno* 1528.

## EPISTOLA DCCCCLX.

*Bilibaldo Pirckheimero, Cæſarea Majeſtatis à Conſiliis,* S. P.

OPINOR tibi redditas literas, quas ante dies aliquot miſi, quibus inſtruxeram te adverſus rumorem, quem *Epphendorpius* videtur per totam *Germaniam* ſparſiſſe, non minus atrocem quam vanum. Nunc quid velim, paucis expediam. *Opſopœus* edidit Epiſtolas *Baſilii* & *Gregorii Nazianzeni Græcas*, quas in manus ſumſi verſurus, quo *Polono* Epiſcopo *Cracovienſi*, qui me ultro honorario munere ſexaginta ducatorum provocavit, gratificarer. Sed comperi, depravatiſſime editas. In ipſo ſtatim titulo eſt, πάλεῶν pro πάλεός· nam πάλεῶν apud *Græcos* non dicitur. In prima epiſtola conjicio fuiſſe ſcriptum βαθεῖ πάῃ. Is fecit βατλαπάῃ, pro *gravato crapula*, quod nec *Græcum* eſt, nec *Latinum*. Ex his conjectans cætera, abſtinui à vertendo. Proinde te rogo, ut ſi exemplar manu deſcriptum eſt apud *Opſopœum*, jubeas mihi communicari. Id ſi in tempore fiat, ante autumnum emittam. Sin minus, primo quoque tempore. Simul non eſt committendum, ut tantus Auctor ita depravatus maneat. Hujuſmodi juvenes audaciores quam eruditiores, & avidiores rei quam commodi publici, magnam peſtem invehunt literis. Opto te quam belliſſime valere. Datum *Baſileæ* 28. Maji, Anno 1528.

*Eraſmus & nexu & mancipio tuus.*

## EPISTOLA DCCCCLXI.

*Eraſmus Roterodamus Henrico Angliæ Regi* S. D.

ÆTERNI Numinis providentia, ſereniſſime Rex, quanquam ſuos variis afflictionibus exercet probatque, tamen ejuſdem benignitas ita temperat acerbitatem remedii, ſubinde triſtibus intermiſcens lætiora, ut humana imbecillitas poſſit ſuſtinere: *faciens*, ut ait *Paulus*, *cum tentatione proventum*; ita ſalubriter ſecans & urens, ut admixtis ſolatiis cruciatum clementer leniat, ita vulneribus noſtris infundens vini acrimoniam, ut nihilo ſecius addat oleum. Quum enim & laboribus, quos in ſtudiis juvandis ſupra vires ſuſtineo, & afflictiſſima valetudine, etiamſi ſenectus abeſſet onere graviſſimo, ſed multo magis immedicabilibus Eccleſiæ diſſidiis, ac malorum furioſis inſectationibus vexatus pene deficerem, ecce præter omnem exſpectationem reddita eſt tuæ Majeſtatis epiſtola, quæ me tam amanter in *Angliam*, velut è ſæviſſima tempeſtate naufragio proximum, in tranquilliſſimum portum invitaret, omnia pollicens, non quæ meis meritis, nulla ſunt enim, ſed quæ clementiſſimo Principi congruunt. Ex his literis tam comiter ſcriptis, eloqui vix poſſim, Rex inclyte, quantum roboris, quantum hilaritatis conceperim.

* Inſere *non*, ut ſenſus conſtet.
† Reponendum, *jactavit*.

Digitized by Google

An. 1528. perim. Favebam opinioni, quam tua Majestas de me concepisse videtur. Etiam atque etiam exoptabam esse talis, qui meis vel consiliis vel obsequiis alicubi possim tam *Christiano* Principi gratificari: sed concidit animus, quoties intueor, quam facultas nec exspectationi tuae, nec meis optatis respondeat. Et tamen animus, tot causis reclamantibus, in *Angliam* gestiebat. Dehortabantur aetas in dies ingravescens, valetudo plusquam vitrea, quam aegre tueor domi latitans, iter prolixum, nec jam à latrociniis tutum, ad haec mare nulli non grave, bellorum atroces rumores, & fere solet augere fama quicquid accepit. Haec aliaque nonnulla, quae literis committenda non sunt, quum deterrerent ab itinere, tamen hoc consilio famulum emandavi in *Angliam*, ne ad rem venirem imparatam. Ab illius discessu sub Paschae festum adortus est morbus, qui me sic afflixit, ut in vitam feliciorem transmissurus videretur. A quo sic tamen sensim revixi, ut multo fractioribus viriculis sim quam ante fueram. Post haec redit famulus, nuncians eum rerum statum in utraque *Germania*, ut si nihil obstaret eorum, quae paulo ante commemoravi, si maxime tranquillae essent res *Angliae*, tamen nullam itineris partem usquam esse tutam. Nusquam non regnant militum catervae, qui nec amicis parcunt, nec inimicis. Et *Geldrius* imminet undique. Itaque quod unum potui praesto, Regum optime, pro tam insigni in me studio gratias ago, nec me minus obstrictum fateor, quam si omnia percepissem quae detulit tua benignitas, & hoc amplius debeo tuae bonitati, quo minus agnosco meritorum. Non hic precabor, ne feras iniquius quod tam amanter invitatus non accesserim: nota est mihi naturae tuae bonitas, quam adeo scio nihil succensere, ut doleat potius mihi tam justas excusationis esse causas. Fatis agimur, fatis cedendum. Si quid tamen aliis in rebus potero tuae gratificari Majestati, quod scripto peragi queat, nihil recusabo, quod quidem in me situm erit. Interim optare tibi non desinam eam rerum tranquillitatem, quam tua pietas ac virtus promerentur. Non scripseram per famulum, quoniam satius esse judicabam silere quam ambigua scribere. Datum *Basileae* 1. Junii, Anno 1528.

## EPISTOLA DCCCCLXII.

Alfonsus Fonseca, Archiepiscopus Toletanus, Hispaniarum Primas, &c. Des. Erasmo Roterod. Theologo *S.*

*QVOD literas tu meas*, Erasme, *inter laborum & insectationum, quibus exerceris, solatia numeras, esset sane quod ex animo gauderem, tum mea tum nonnihil & tua causa; ni vicissim dolori esset, ita per quos minime decebat tecum agi, ut id genus egeas lenimentis, homo recreandis demulcendisque solido ac vero solatio animis natus & occupatus. Quanquam autem sic rationes tuas instituisse te jamdiu arbitror, ut nec istiusmodi casibus magnopere quidem permoveri, nec eorum, si urgeant, levamen aliunde quum ex recta sinceraque conscientia petere soleas; tamen facis pro tua humanitate & animi gratitudine, dum amicorum studia tanti apud te esse pateris, ut ea nominibus ejusmodi cohonestes. Atque utinam aliis etiam officiorum generibus, non tantum literis, molestia te prorsus ista eximere liceret*, Erasme, *crede mihi, non amplius laborares: quanquam alioqui causa tua data est hactenus opera non usquequaque poenitenda, ut videatur jam exorta superiore anno procella non modo mitius saevire, sed paulatim etiam consilescere. Quod si omnino, uti spero, resederit, est quod juvet fuisse suscitatam. Certe quod in hoc genere seditiosarum concertationum praecipuum est, ut intelligant adversarii legitimo sibi judicio agendum, non vi & oppressione grassandum: id tu hactenus videris abunde consequutus. Defensionem tuam legimus, sed ut in aliis occupationibus tumultuarie. In ea jucundum imprimis fuit, eam te animi moderationem, magna quidem ex parte (nam ex omni non licet per quosdam dicere) modestiamque praestitisse, quam ipse uti abs te in hoc genere praestaretur, tum optabam, tum & admoneri te curaveram. Reliquum non est quod judicem, semper sui similis est* Erasmus. *Perge igitur, id quod facis, de* Christiana *Republica melius in dies mereri, simulque tibi laudem parare immortalem; de qua tantum abest ut aliquid sit amulorum improbitate delibatum, ut contra potius ejus fulgor hoc attritu nitidius splendescat.* Augustinianarum *lucubrationum repurgatio, cui te operam dare audio, provincia videtur plane te digna. Solus enim is Auctor ex classicis reliquus videbatur, qui nobis* Erasmo *obstetricante renascereatur: quemque adeo ipse unum ex omnibus maxime restitutum cuperem, ob insitum animi affectum, quo in ejus herois cultum & admirationem jam inde ab ineunte aetate feror. Verum in tot laboribus tuis, cur non ego ad id te pro virili mea horter, ad quod perficiendum scio te à multis jamdiu summa contentione invitatum, quodque adeo tu sponte jam tua & quidem felicissime coeperis: ut qui in asserendis vindicandisque* Christianis *studiis tantum adhuc operae posueris, tantundem posthac in confutandis novis, aut antiquis potius, sed denuo subolescentibus erroribus ponas; quos in dies videmus seu noxias herbas plus nimio sylvescentes Dominicam vineam, in qua tu pro viribus operam exerceas, infestare: adeoque jam gemmis ipsis palmitibusque officere, ut periculum sit, ne si amplius coaluerint, legitimas stirpes perurant vitio suo atque enecent. Feceris tu quidem rem ista doctrina, ista pietate dignam, tum* Germaniae *tuae tot sectis infectae, tot erroribus occupatae, tot denique dissidiis ac seditionibus labenti jam & inclinanti opem tuleris; ut si* Christianae *pietatis minime ratio habeatur, (cujus alioqui scimus primum apud te esse calculum) tamen eximia Imperii istius majestas & pulchritudo debeat non te modo, sed optimum quenque civem ad occurrendum ei malo permovere: quod si praevaleat, haud dubium quin Rempublicam vestram propediem habituri sitis è florentissima omnium miserrimam ac perditissimam. Frustra vero hic tu mihi, vulgari illa causificatione, virium & eruditionis tenuitatem excuses: nemini non persuasum est*, Erasmum *non modo esse, sed unicum ex omnibus esse huic tanto negotio parem, non eloquentia modo doctrinaque praesidiis, quibus alioqui novit orbis quantum valeat, sed fidei apud omnes & auctoritatis: qua plurimum pollere in hac causa oportet hominem, qui nullis antehac optimatum beneficiis nullus, omni etiam in posterum aditu ad ampliorem fortunam suapte sibi sponte praecluso, in id certaminis non adulandi morbo, non avaritia ambitioniseve vitio illectus, sed studio pietatis adductus, descendisse credendus sit: quo vix alius quispiam sit descensurus, qui non vel ordinis sui causam agere, vel paucorum potentiae servire, atque illis demum vitiis indulgere putetur, qua huic potissimum incendio fomitem ministrarunt. At plenum periculi est negotium, plenum difficultatis; aut enim optimatibus foede assentandum, aut eorum moribus convitium odiose faciendum. Quid ergo? ob eam difficultatem vera pietatis patrocinium deseremus, & Ecclesiae puritati hominum vitia fraudi esse patiemur, ut quod nos peccamus, illa luere videatur? Quin ita potius negotium temperare licebit, ut & adversariorum falsa dogmata, & nostrorum corrupti mores gemino industriae fructu taxentur; ut his ad saniorem, illis ad sanam omnino mentem redeuntibus, pace aliquando inter Principes firmata, incipiat tandem nullo tumultu, nulla rerum perturbatione, constitui, componique Respublica. Sed quid hac ego ad te, qui ea omnia multo teneas melius? Excusationem tuam, qua iter ad nos deprecaris, quando aliud fieri nequit, libenter accipimus: & alioqui sat scio tam honesti otii rationem, multo tibi melius, quam peregrinationis constaturam, tum ejus consilii fructum ad plures permanaturum ista studiorum assiduitate. Cui aliqua ex parte juvandae, syngraphum telonicam ad te mittendam curavimus: dabitur aliquando occasio benignius tecum agendi. Vale & nos ama.* Madrito 29. *Junii, Anno* 1528.

EPI-

## EPISTOLA DCCCCLXIII.

*Theologis Lovanienſibus Eraſmus Rot.* S. D.

An. 1528. PROSILIIT tandem libellus *Vincentii*, quem jam pridem parturiens non permiſſus eſt per Vicarium eniti. Nihil proficit fictus titulus. Nemo potuiſſet tam inſulſum & indoctum librum ſcribere, niſi unus *Vincentius*. Abuſus eſt, ut ajunt, opera cujuſdam Dominicani ex *Anglia* profugi. Ego ſane libellum, quamvis atrociter in me deſcriptum, abſque riſu legere non potui, nec legi tamen niſi carptim. Deum immortalem, quantum ibi eſt manifeſtorum mendaciorum! Ego illic damno cultum Divorum, quum duobus libellis editis aſſeram cultum & invocationem Sanctorum adverſus dogma *Lutheri*; & ſolum *Lutherum* adorari volo, qui collatis ſignis cum illo bellum gero: ego modis omnibus ſubvertere conor Confeſſionem, qui *De recte confitendo* libellum edidi: & in *Colloquiis* palam damno Confeſſionem, quum illic duplicem aſſeram Confeſſionem, unam quæ fit Deo, alteram quæ fit apud ſacerdotem, utramque probans: ego ſum magiſter *Lutheri*, ego damno cœlibatum, ego volo à ſubactionibus, ſic enim ille ſcurra loquitur, iri ad ſacrificandum. Jam quam in toto libello nihil cohæret! Dicas in febre ſcriptum, cum affectatione eloquentiæ, nam & Poetas citat. Ad hæc quanta ſermonis ſpurcitia! Tum quam impotens odium, quam evidens invidentia! Tolerandum, ſi tales qui ſunt, ſe ſolos exponerent omnium odio riſuique. Nunc ob paucorum dementiam, infamatur ordo. Neque nulla mali pars, ſi permittitis me vera loqui, in vos recidit. Olim veſtrum plerique conveniebant ad clamores Dominicalium. Carmelitam palam inſanientem toleratis. Nec dubito quin hic libellus apud vos diſtrahatur, quum in titulo habeat cognomen *Theologi*, quum fiat mentio *Lovanii*. Noluit enim in totum *Vincentius* perdere hujus libelli gloriam, quum illic toties laudetur *Vincentius* ab *Haerlem* eximius Theologus, cum *Jacobo Latomo*. Bellum vero jugum Theologorum *Lovanienſium*, ut talem aliquis judicet *Latomum* qualis eſt *Vincentius*. Formica camelus, ut ajunt. Mundus adhuc habet multos doctos & cordatos viros, quorum tacita judicia non oportet contemnere. Quid iſtos cenſetis cogitare, quum tales legunt libellos? Hujuſmodi ſcurræ faciunt, ut paſſim nunc perdantur monaſteria, collabantur Academiæ. Mundus diutius iſta portenta ferre non potuit. Et quod à paucis malis commiſſum eſt, confertur in univerſos, iniquiſſimo quidem judicio, ſed ſic ſunt hominum mores, ſuſpicantur vos illorum factis favere, quorum intemperias non cohibetis quum vobis in manu ſit. *Adrianus* Pontifex impoſuit ſilentium ſtolidis vociferationibus *Egmondani*, vos diſſimulatis. *Aleander*, quum iſthic adeſſem, meo admonitu indixit ſilentium *Laurentio Phryſio*, vos negligebatis. Cardinalium collegium ac tres Pontifices impoſuerunt ſilentium maledico *Stunicæ*, qui tamen doctius magiſque ſobrie debacchatur, quam vel *Egmondanus*, vel *Vincentius*, vel *Phryſius* ille. Vos quam ſitis ſecuri neſcio. Ego non mediocriter metuo; ne tempeſtas, qua hic laboramus, aliquando demigret ad vos. Quid autem ſtultius aut inſanius libro *Petri Sutoris* Theologi? Is an vobis diſpliceat neſcio, certe diſplicuit Patribus ejus ordinis, non quod illis curæ ſit *Eraſmus*, ſed quod intelligant quantum ipſis ex unius hominis inſania tum dedecoris, tum periculi immineat. Sunt fortaſſis inter vos, qui putent me non poſſe, ſi velim, lædere. At longe diverſum ſentiretis, ſi mihi tantum eſſet perverſæ mentis, quantum iſti ſe declarant habere. Ego me ſedulo paro ad ſupremum illum diem, nec unquam committam ſciens, quod conſcientiam hinc demigrantis oneret. Oneratur collegium veſtrum indoctis quibuſdam ac ſtupidis. *Vincentius* attrahit *Vincentium*, Carmelita Carmelitam. Vereor ne quorum gaudetis conſortio, eorum metatis & meſſem. Optarim autem Academiam veſtram & eruditis ac bonis viris, & omni ſtudiorum genere florentiſſimam eſſe. Nunc videmus paſſim diripi monaſteria, Theologiæ ſtudia prorſus exſtingui, Academias collabi. Et ſerpit in dies malum, fatali quodam ſucceſſu. Jam ſi quid in ſcriptis meis deprehenderetur incautius effuſum, quanto civilius atque etiam conſultius erat, vel admonere privatim ſcriptis literis, vel diſſimulare, quum non ignoretis quantum invidiæ, quantumque periculi ſuſtineam, ne me jungam alicui factioni. At eum, qui ſic tunditur ab una parte, rurſus ex altera lapidibus impetere, quid aliud eſt, quam protrudere in hæreſim? Quod tamen à me nullius improbitas impetrabit. Præfationem *Latomi*, quam addidit libello in *Lutherum* ſcripto, diſſimulavi. Neque me clam fuit unquam, quæ dixerit in me in conviviis ac prælectionibus; diſſimulavi. Nunc rurſus emiſit libellos, in quibus mira arte conatur, ut diſputationes quoque meas faciat hæreticas, novaque vafricie mea conjungit cum opinionibus *Lutheranis*. Libellos guſtavi tantum, nam recens allati ſunt. Rogo quorſum attinet iſta calumniandi diligentia? Quod ni ſatur eſſem talium contentionum, videret, quam mihi non deeſſet quod reſpondeam. Sunt qui totis viribus hoc agunt, ut opprimant linguas ac bonas literas. At res ipſa docebit iſtos, ſimul cum bonis literis & illa ſtudia collabi, quæ ſtudent ut ſola habeantur in precio. Quanto conſultius eſſet politiores literas comiter in veſtrum contubernium admittere, ornarent veſtram ſupellectilem, mihi credite, ac vobis multorum Principum favorem conciliarent. Audio exomologeſim meam quibuſdam diſplicere. At eadem magis diſplicuit *Oecolampadii* diſcipulis. Et pro ea mihi docti quidam gratias egerunt, etiam ex *Anglia*, quod Confeſſionem jam nutantem reſtituerim. At non pronuncio illam à *Chriſto* eſſe inſtitutam. Id faciam ubi mihi plane perſuaſum fuerit. Agit hoc quidem *Henricus Angliæ* Rex probabilibus argumentis. Et ſequor hactenus ut probabilem opinionem. Quos autem tumultus excitaſſem, ſi & hoc & cætera pronunciaſſem tantum, nec argumentis comprobaſſem. Comprobare etiamſi fuiſſet mearum virium, perlongum erat; & aliud tum inſtitueram. Hoc tentavi quod ſperabam impetrari poſſe. Et videtis quo loco illa ſcripſerim, ſitus inter *Tigurum* & *Argentoratum*, & in civitate, in qua *Oecolampadius* publice docet Confeſſionem non eſſe neceſſariam, quidam affirmant perniciosam. Si hæc tam certa ſunt, ut mors ob horum profeſſionem ſit oppetenda, cur iſtorum nullus huc ſe confert, & fortiter docet quod ſentit? Si vobis eſſet cognitus harum regionum ſtatus, fateremini me pro rebus præſentibus ſatis audacter ſcripſiſſe, utinam æque feliciter. De eruditione mea ſtatuetis quod voletis. Pacificum eſſe me ſatis declaravi: moderatis delector. Qui ſuum jus mordicus tenent, fortaſſis rumpent funiculum dum nimium tendunt. Mihi tumultus hi nunquam placuerunt, & ſemper dedi pacifica conſilia. Sed quid facias furioſis pſeudo-Monachis? Nihil non audent facinoris. Exemti ſunt ab omnibus bonis legibus, errones ſunt, nec ullo loco conſiſtunt. Nec ferri jam poterant, nec moderatis remediis corrigi. Huc iſti provocarunt. Quare veſtram prudentiam appello nominatim, magnifice Decane, *Vianenſis*, *Roſemonde*, *Turenholte*, cæterique, quorum æquitas mihi perſpecta eſt, ut conſulatis tranquillitati ſtudiorum, conſulatis veſtræ dignitati, & iſtis ſeditioſis clamoribus aliquando finem imponatis. Me reperietis & *Chriſtianæ* concordiæ, & ſinceræ religionis ſtudioſum. Bene valete, domini & præceptores honorandi. *Baſilea* 1. Julii, Anno 1528. An. 1528.

## EPISTOLA DCCCCLXIV.

*Eraſmus Rot. Joanni Cardinali Lotharingiæ* S. D.

CLARISSIME Princeps, quum ex amicorum literis intellexiſſem, Amplitudinem tuam impenſe favere

Digitized by Google

An. 1528. vere ſtudiis literarum optimis, & harum gratia *Eraſmo*, ut aliquod grati animi ſpecimen darem, hortantibus eodem amicis, dicavi tuo nomini libellum, non pro tua dignitate, ſed qualis tum forte erat paratus, & abunde magnum officii mei fructum mihi percepiſſe videbar, ſi noſtrum ſtudium boni conſuluiſſes. Nunc quum non minus præter exſpectationem meam quam præter meritum, tua ſingularis benignitas detulit munus, tam ſupra meam dignitatem quam ille libellus erat infra dignitatem tuam, multo gratius erat ornari tanti Præſulis teſtimonio quam ditari munere. Ac ſane quod attinet ad animum meum, abunde fruor tua benignitate, datum exiſtimans, quicquid datum eſſe volebat illa; cæterum apud alios quod exhibeam teſtimonium non habeo: quid in mora ſit neſcio. Quæſtori tuo ſcribebas datum negotium, atque ejus ordinis homines fere putant non optime collocatum, quod datur ſtudiis. Et hic certe habent multam cauſandi materiam. Exciderat, non vacabat aliis occupato, verba dederunt aurifices, non contigit per quem mitterem. Utcunque res habet, hactenus de vaſculis ne rumor quidem huc advolavit, quid inciderit neſcio. Fortaſſis eſt aliquis, qui credit abunde penſatum officium, quod objecta ſpe tam diutinam voluptatem accepi: qua ſi me voles eſſe contentum, facile fecero, quum ante promiſſum mihi felix viſus fuerim, quod amplitudo tua ſtudium meum boni conſuluiſſet. Nihil enim dubito, quin tua benignitas ex animo promiſerit quod obtulit, nec appellata, nec exſpectanti. Sed de his frivolis plus ſatis ad tantum Principem. Habeo gratiam quod hactenus apud omnes me tuo favore ſublevaris, quod ut facere pergas, te etiam atque etiam rogo. Dominus proſperet res omnes tuæ Celſitudinis, cui mancipiolum hoc opto eſſe commendatum. Datum *Baſilea* 16. Julii, Anno 1528.

## EPISTOLA DCCCCLXV.

*Eraſmus Joanni Fabro, Ferdinandi Regis Conſiliario*, S.

De perpetua tua in me benevolentia nunquam dubitavi. Principis animum amplector atque exoſculor. Iſtorum cuniculos novi, fugam meditor, ſed portum non video. Valetudo in eo ſtatu eſt, ut in ſolo Deo ſpes ſit. Nec mortem horreo, ſed diutinos cruciatus: nam hoc mali, aut veſicæ calculus eſt, aut exulceratio veſicæ. Utrunque malum multis mortibus gravius. Scis quid ſit veterem arborem tranſplantare. *Viennam*, hoc eſt, in novum mundum me vocas jam morientem. Sunt & illic, opinor, cerebroſi Theologi, perverſique Monachi, qui nec Pontificibus auſcultant, nec Principibus. Noſti Tragœdiam *Hiſpanicam*. *Lutetiæ* Rectoris edicto vetiti ſunt magiſtri mea *Colloquia* prælegere pueris in Collegiis, quum nullus adhuc oſtenderit ullam ſententiam minus piam. Rabiunt illic quidam fortiter duce *Bedda*. Sola conſcientia me revocat à *Lutheranis*, alioqui declararem illis Furiis, quales ſint. De emolumentis leviter laboro, jam hinc migrare meditans. Linguarum Profeſſores & alibi magnis ſalariis conducuntur, ſed non ſunt qui audiant. Tantam ignaviam invexit hoc novum Euangelium. Jam ut nihil deterreat à *Vienna*, quis Deus me illuc perferet? Huic veſicæ malo agitatio mors eſt, & in victu vel minima novitate periculoſe offendor. Quid autem faciam *Viennæ*, in civitate ſuperba, ut audio, planeque *Germanica*? Ne ſalutationibus quidem eruditorum excipiendis ſufficit valetudo. Poſtremo, non magni refert ubi hoc corpuſculum poſuero. De *Vienna* adeunda votum eſt potius quam ſpes. Bene vale. *Baſilea* 21. Julii, Anno 1528.

## EPISTOLA DCCCCLXVI.

*Eraſmus Rot. Urſino Velio* S. D.

PARAPHRASIS *in Joannem* exiit autumno ſuperiore, eam quum *Ferdinando* nondum Regi dicaſſem, tamen mea ſponte mutavi titulum, & Regis nomen adſcripſi, idque nondum certus quomodo res procederet. *Heſychius* ille Theologus, de quo ſcribis, jam excuſus eſt. Abſit ut tibi leges præſcribam, ſed amor interdum monet & memorem. Video nihil eſſe tutius quam nihil ſcribere. Geſtiens ſignificabas tibi delegatum hiſtorici munus, nec ulla ſyllaba ſignificabas id te clam haberi velle; res autem eſt ejus generis, ut prædicari nec Regi ſit indecorum, tibi vero etiam honorificum, & nunc deploras orbi proditum quod minime volebas. In *Ciceroniano* non erat propoſitum omnes recenſere. Sat erant decem exempla, magiſque peccavi, quod tam multos nominarim, quam quod aliquot præterierim. Nec eos illic ſuſcepi laudandos, ſed *Noſoponos* omnes ſubmovet à laude *Tulliani* cognominis, licet obiter aliquid laudum adſperſerim. *Beatum* ut meretur candidiſſime tractaram, non editurus tamen niſi prius oſtenſo loco. Novi delicias ingenii illius. Poſt venit ad me quaſi conſultans num expediret nominari. Reſpondi me facturum quod ipſe mallet. Fortaſſis, inquit, præſtiterit omitti mentionem. Ita fiet, inquam; atque ita abiit. Sunt quos nolim attingere niſi volentibus ipſis. In hoc numero propemodum pono *Vivetem*. *Hermannus Phryſius* nihil edidit, nec quicquam illius præter unas atque alteras ad me literas vidi, quibus vere ſcribis nihil eſſe ſuavius. *Sauromani* plane meminiſſem, ſi veniſſet in mentem. *Braſſicanus* num in vivis eſſet neſciebam, neque quicquam ille ſcripto edidit memorabile, quod equidem ſciam. Quid multis? Ineptii tam multos referendo, multo futurus ineptior ſi hoc egiſſem, ut ne mediocrium quidem atque humilium quenquam præteriſſe viderer. In quibuſdam tamen aliquid datum eſt affectui. Et quum hæc meditarer, imo quum hæc excuderentur, venit huc meus ille *Thraſo*, dira minitans. Sciebam eſſe fumos. Tamen nec amicis perſuadere potui, donec ipſi re comperta ſentirent hominis præſtigias. Vereor ne *Viennæ* veniat uſu quod *Noribergæ*. Sunt Profeſſores magno conducti, ſed deſunt auditores. Et neſcio quo fato fit, ut qui eas literas profitentur, fere ſpirent nonnihil *Lutheraniſmi*. Verum hac de re ſcripſi *Joanni Fabro*. *Gabrieli Saucio* quæſo ut meis verbis dicas ſalutem & amanter & diligenter. Bene vale. Datum *Baſilea* 26. Julii, An. 1528.

O te crudelem, qui tot Reges, tot Cæſares, tot Pontifices ſic in arctum compegeris!

## EPISTOLA DCCCCLXVII.

*Eraſmus Rot. Mercurino Gattinario, Cæſaris Cancellario ſummo*, S. D.

VIR clariſſime, nos licet ſummo in periculo verſantes, onuſti calculo veſicæ, quo dudum periit *Fericus* Archidiaconus *Beſontinus*, frater R. D. Archiepiſcopi *Panormitani*, tamen adhuc ſpe pacis trahimus animam, ſcientes quod *corda Regum in manu Dei ſunt*, qui ſubito poteſt ea flectere quocunque viſum eſt. Hic *Franciſcus Dilfus* juvenis eſt honeſto apud ſuos loco natus, & indole ſingulari, planeque, mea quidem ſententia, digna quæ in aula Cæſaris, ſtudiis optimis exerceatur, moribuſque generoſis formetur: nam diutino convictu domeſticoque mihi cognitus eſt. Candidum & felix ingenium, ſed indignum quod in ocio & compotationibus conteratur. Quod ſi tua prudentia non improbat meum judicium, quod ſpero futurum, vehementer optarim, ut illi locum in aula aperias, quod tua auctoritas facillime poterit, & aliquid muneris committatur, in quo iſtam ætatem exerceat. Spero ipſum juvenem ſuis moribus abs te impetraturum. Scio quot examina conentur irrumpere in aulam Cæſaream. Sed hic genere, forma, eruditione, probitate talis eſt, ut non debeat ex vulgi cenſeri moribus. Me certe iſto officio tibi multo reddideris adſtrictiorem, tametſi multis nominibus jam olim obſtri-



Digitized by Google

An. 1528. ctiſſimum. Opto clariſſimam celſitudinem tuam quam optime valere. Datum *Baſilea* 27. Julii, Anno 1528.

In dies miteſcit febris *Lutherana*, adeo ut ipſe *Lutherus* de ſingulis propemodum ſcribat palinodias, ac cæteris habeatur ob hoc ipſum hæreticus ac delirus. Sed vereor ne quorundam Monachorum ſtolida improbitas excitet nobis aliam tragœdiam. Rurſum vale.

## EPISTOLA DCCCCLXVIII.

### EPISTOLAE FRAGMENTVM.

Germanus Brixius Eraſmo Rot. *S. D.*

VENIO *ad epiſtola tua partem, qua ad te magnopere pertinens, mihi tecum quodammodo communis eſt. Facere enim non poſſum pro neceſſitudinis noſtræ jure, quin ipſe ſtatim exiſtimationis iſtius tum commodi, tum incommodi particeps fiam. Equidem magnopere optarim,* Eraſme *amiciſſime, ſanctius verbum uſurpare hic non poſſum, nullam nubeculam, hoc præſertim tempore, alioqui ſtudiis humanioribus ſatis infeſto, ſubortam fuiſſe, per quam amicitia cum* Budæo *tua ſplendor obſcurari poſſet. Eſt* Budæus, *quod tu non neſcis, noſtris omnibus ſic admirabilis, ut eum tanquam pro numine aliquo ſtudioſi omnes hic colant. Hoc non ſolum obtinuit hominis fides, probitas, auctoritas, verum etiam ætas, ingenium, doctrina, qua talis quidem eſt, ut nihil ſit, quod diſcere velis, quod ille docere non poſſit. Mihi certe id ille eſt, ſemperque fuit, quod* Plinio Ariſto *ſuus erat: nam quoties aliquid abditum quæro, mihi* Budæus *theſaurus eſt: & ut ſummatim dicam, talis eſt* Gallis *ſuis* Budæus, *qualis* Germanis *ſuis* Eraſmus: *quo major indignatio noſtrorum omnium animos ſubit, quod hac in opinione, juſta de cauſa, quum ſint, exiſtiment illum abs te non tantum* Badio *collatum, ſed & poſtpoſitum. Scio* Badium *non eſſe prorſus ἄμυσον. Verum qualis qualis eſt, talem ſe certe hominibus noſtris hactenus probavit, ut quoties de doctis ſermo inter doctos incidit, de* Badio *plane ἀδεὶς λόγος. Illi, quod non inficiaris, quæſtus tantum, non eloquentia ſcopus eſt. Mihi porro epiſtola πρὸς τὸν δεῖνα tua exemplo opus non erat, ut ad cauſa tua patrocinium inſtructior fierem. Nolim tamen multis de cauſis non lectam mihi epiſtolam. Sciunt noſtri omnes quid ſtatim aperto ore dixerim, quum apud me plerique graviſſime quererentur, poſt* Ciceroniani *editionem, ob multa in eo libello, quæ non omnibus arriderent; ſed præſertim ob perſtrictum, ita enim loquebantur,* Budæum: *qui iidem ut me ſecum ſentientem facilius invenirent, quam poterant, invidioſiſſimum mihi reddebant* Noſoponi *tui latum de me judicium. Apagete, inquam ego, non attenditis in* Ciceroniano, *quod ante omnia attendendum fuerat,* Eraſmum *diverſum ſentire, quum* Noſoponus, *diverſum item, quum* Bulephorus *loquitur; præterea toto in Opere auctori unum hoc fuiſſe propoſitum, non quidem ut* Tullianam *eloquentiam vellicet, (id enim factum plane inſani hominis factum fuerit) ſed ut ſuperſtitioſam quorundam* Tullianæ *dictionis affectationem, quam ipſam nemini Antiquorum curæ fuiſſe videmus, rideat, deteſteturque; quod argumentum feliciter, niſi me meum judicium fallit, atque adeo* Ciceroniane, *hoc eſt, magna arte, pari eloquentia, nec minore copia ab* Eraſmo *tractatum inveniet, quiſquis hactenus prudens, patienſque fuerit, ut* Ciceronianum *ipſum prius attente totum legere, quam de eo minime lecto pronunciare maluerit. Nam qua, malum, animi perverſitas, aut judicii præpoſteritas illa eſt? damnare non dico quæ minus recte intellexeris, (id enim levius malum) ſed quæ prorſus nunquam legeris, ac quæ ne in animo quidem unquam legere habeas? memineram enim,* Eraſme *optime, damnandis præſertim ſcriptis tuis aliis atque aliis antehac multos hac eadem temeritate tranſverſos actos. Omnia porro, quæ tum pro cauſa tua tuitione à me in medium allata ſunt, tibi hic recenſere nec poſſum, nec libet: ſed tamen quod ad animi erga te mei ſignificationem pertinuit, equidem refellendis à me illorum rationibus benevolentior tibi, quam antea eſſem, nihilo ſum factus, diligentior ad declarandam benevolentiam multo. Ego enim tametſi nihil videbatur ad meum erga te amorem addi poſſe, tamen tali inter noſtros tumultu ob* Ciceroniani *editionem oborto, non majore quidem ſtudio, ſed acrius, apertius, ſignificantius dignitatem defendi tuam, atque ita demum defendi, ut ipſe ego jam defenſore aliquo indigeam, qui cauſam apud illos meam tueatur. Vocor enim ab illis in jus, quod* Eraſmo *plus æquo propenſus ſim. Hujus rei teſtis mihi locupletiſſimus apud te eſſe poteſt* Thomas Lupſetus *communis amicus, qui & ipſe conſtanter una mecum à partibus tuis ſtat, ægerrime ferens, exiſtimationem tuam tali de cauſa in ejuſmodi incommodum hic incurriſſe. Sed ut ad illorum ſermones queſtuſque redeam, me certe illos audientem ut vetus noſtra amicitia ſtimulabat, ut caverem ne cui ſuſpicionem animi, ex ea, quam dixi,* Noſoponi *tui de me ſententia offenſi, darem: ſic tumultus idem, ſeu ſimultas potius, majorem mihi curam afferebat cavendi, ne quid cui de ſummo meo erga te amore detractum eſſe videretur: quem & alioqui tali ingenio præditum me agnoſcerem, ut me intra me tantum quæram, externarum laudum minime ſollicitus, ambitioſusve. Meminimus enim quanto majore cum voluptate, ingenii ac doctrinæ fructus in conſcientia, quam in fama reponatur. Enimvero,* Eraſme *ſuaviſſime, ut te à me apud alios defenſum, apud te nonnihil accuſem, (facit autem tum παῤῥησία apud omnes mea, tum amor erga te meus, ſingularis ille quidem, & eximius, ut hoc mihi juris apud te ſumam) ut ergo te apud temet nonnulla ex parte reum agam; equidem quod tu mihi videris ad collationem eam, qua de agitur, paulo inconſideratius deſcendiſſe, optarim vel exiſtimationis meæ detrimento aliquo redemtum eſſe, te, vel* Budæi *nomen in* Ciceroniano *tuo prorſus ſuppreſſiſſe, vel de* Budæo *ſeorſum quid ſentires enunciaſſe, vel eundem cum alio quovis potius quam cum* Badio *commiſiſſe; ea enim una commiſſura adeo noſtris omnibus invidioſa eſt, ut multorum tibi benevolorum animos à tui ſtudio abalienarit: ob id quod exiſtimant* Budæum *cum* Badio *commiſſum perinde eſſe, ac ſi quis* Achillem *cum* Therſite *committeret. Talem illi de* Budæo, *talem item de* Badio *opinionem unanimes imbibere, quum tamen* Budæus *ipſe mihi viſus ſit totam hanc fabulam, quum de ea primum inter nos ſermo incidiſſet, ſuſque deque ferre: ea eſt enim tum prudentia, tum animi magnitudine præditus* Budæus, *ut ſua omnia ad conſcientiam, non ad oſtentationem referat; ſtudiorumque ſuorum non ex illius, vel illius ſermone mercedem, ſed ex ipſiſmet ſtudiis petat. Non deſunt tamen qui mihi narrant illius animum nunc hac de cauſa eſſe nonnihil offenſum, ſed quod multis jam diebus hominem non viderim, id mihi plane compertum eſſe non poteſt. Proinde tametſi multorum affectum ut rectum judicium reſpiciendum haudquaquam puto, tamen non negaverim dandum eſſe aliquid hominum opinioni: præſertim qui videam vos magnos oratores ſolere ſolicite operam dare, ut oratio veſtra audientis vulgi animis ſeſe gratioſa inſinuet: deſiderareque ut à populo plauſum, acclamationem, nonnunquam & aſſentationem magis quam exſibilationem ac cachinnum excipiatis. Itaque non parum de exiſtimatione apud noſtros tua bene meriturum te opinor, ſi præſtiteris, ut vel loco ad* Budæum *pertinente immutato, vel appendice ad Opus attexta, vel epiſtola aliqua ad hunc, vel illum ſcripta, eaque poſtea edita, id* Gallis *noſtris probatum fiat, quod revera omnibus probatum eſſe pervelim, quodque mihi, atque adeo, niſi fallor,* Budæo *ipſi, cujus unius cauſa agitur, abunde probatum eſt; te videlicet neque* Budæi *gloriæ invidere, ut omnino non invidere mihi facile perſuaſi: pares enim eſtis, qui autem invidet, minor eſt: neque quum de* Budæo, *&* Badio *ſimul verba faceres, te id de doctrina, atque adeo eloquentia* Budæana *ſenſiſſe, quod ſenſiſſe multi falſo (maligne enim dicere nolim) interpretati ſunt: ad tuam autem gloriam pertinet, quam maximum videri eum, quem exaquat. Hic*

mihi

An. 1528. *mihi causa totius status esse videtur. Tu videbis causa ne ea tibi in forum deducenda agendaque, an potius deserenda sit: nam ego hac tibi à me simpliciter atque amice scripta esse volui, quia aequum erat te pro amore mutuo, non solum meam causa tua defensionem, verum etiam consilium in causa tua meum cognoscere; neque enim solum studio erga te meo, verum etiam judicio de te meo satisfaciendum putavi: videbam enim non tam mihi considerandum esse, quid vir optimus in praesentia probares, quam quid semper esses probaturus. Tuum nunc est,* Erasme *optime, eadem simplicitate atque amicitia rescribere, consilium meum sequi, an ab illo dissentire malis. Qui si tibi erroneus consultor esse videbor, amabo te erroris mei rationem ut explices: quanquam enim auctoritati tua cedere nulla non in re, nullo non in loco sum paratus; tamen in ea causa, in qua minus apud me affectus, quam apud te valere potest, rectius arbitrabor ratione abs te, quam auctoritate superari. Confido tamen omnino accessurum te sententia mea, effecturumque ut neque me consilii dati, neque te accepti poeniteat. Quod ad edictum, cujus postrema epistola tua meminit, pertinet, quidnam ego aliud dicere hic possum, nisi quod edicto cautum esse hostes tui voluere, scripta tua senilia esse, non puerilia, posteaquam pueros solos ab illorum lectione summovendos sanxere? Sed extra jocum, quanquam jocus hic non est, miseret me profecto Scriptorum seculi hujus, quibus haud satis esse video ad arcendum existimationis, nonnunquam & capitis, periculum, quod sani ad scribendum accesserint, nisi & sanos ubique Lectores nacti fuerint; plane enim aliena vel malignitatis, vel delirationis, vel utriusque potius poenas luunt. Hujus indignitatis recordatio, in animum meum identidem influens, facit,* Erasme *doctissime, ut qui alioqui assiduus meditor, si qua me quoque possim tollere humo, animo tamen nonnunquam despondeam, mihique reliqua vita ad* Harpocratem *relegato silentium indicere perpetuum proponam. Sed de hoc plura alias. Perturbat me magnopere adversa tua valetudo, in hoc maxime (auribus hic ego tuis,* Erasme, *nequaquam blandior) quod mihi non unus homo, sed litera ipsa, omnesque bona artes in uno homine summum periculum adire videantur. Itaque oro te, & obtestor, ut tum animi mei perturbationi crebris literis consulas, tum valetudini curandae diligentissime atque accuratissime inservias. Erit tam hoc studiosis omnibus fructuosum, quam animo meo jucundum. Sed jam finem facio, ne epistola modum, quem jam supergressus sum, supra modum excedam. Tu vero nisi aeque longam epistolam reddis, si modo id per valetudinem potes, non est quod postea nisi brevissimas exspectes. Ex hortis nostris* Gentiliacis 12. *Augusti, Anno* 1528.

## EPISTOLA DCCCCLXIX.

*Bilibaldo suo Erasmus* S. P.

EXISTIMO tibi redditas literas, quibus rogabam, ut codicem calamo descriptum Epistolarum *Basilii* & *Nazianzeni* ad me mitteres. Vehementer enim hoc cupio: nec levibus de causis, & fiet absque tuo detrimento. Sed exspecto his nundinis scripta tua. *Ferdinandus* honorificentissime scripsit ad me, invitans *Viennam*, salario quadringentorum florenorum, tantum ut illic vivam. Sed non est animus in alium migrare mundum. Si cognovero te recte valere, erit longe gratissimum. Bene vale, vir ornatissime. *Basilea* 25. Augusti, Anno 1528.

## EPISTOLA DCCCCLXX.

*Erasmus Rot. Justo, Regis Poloniae Secretario,* S.

AMICORVM commodis incommodisque non aliter affici soleo quam meis. Anxium habebat me tuus casus, nunc plane restitutum summopere gaudeo: nam ego *Justum* meum inter candidissimos amicos numero. Nunc eloqui vix possim quantopere discruciet animum meum *Antonini* valetudo. Quid illius pectore candidius? Quid amico amicius? Moderatius dolerem, si vitam morte commutasset. Simile malum corripuerat *R. P.* in *Italia* legatione Regis sui nomine fungentem. Desperantes Medici suaserunt coeli mutationem. Rediit in *Angliam*, sero, sed tandem revaluit, sibi redditus. Hoc impensius gaudebam, quod praeter omnem spem tantum amicum recepissem. Sed ecce aliud malum. Opera cujusdam Magnatis conjectus est in carcerem, quod in hunc quaedam liberius pro suo ingenio scripsisse feratur. Sed arbitror illum nunc esse liberum. Utinam audiam & *Antoninum* nostrum nobis sibique restitutum esse. Proximis literis minitabatur nescio quid muneris, quod ipse non possem contemnere. Id ajebat se missurum per eum, quem hic habuerat famuli loco, *Josephum*, ni fallor. Utinam multorum munerum jactura talem amicum queam recuperare. Videtur malum fatale. Hic in aedibus cujusdam amici mei correptae sunt puellae quatuor, & aliquot famuli, quorum unus interiit. *Joannem Frobenium* immortalitate dignum hominem nobis ademit paralysis. Poterat annos aliquot vivere, nisi tantopere puduisset aegrotare. *Andreas Zebridovius* bona fide reddidit quicquid accepit. Eo domestico convictore nunc consolor valetudinem, ac labores meos. Istam sententiam precor ut obtineas, ne nostrum animum aestimes officio literarum. Bene vale, amice singularis. Datum *Basilea* 26. Augusti, Anno 1528.

## EPISTOLA DCCCCLXXI.

*Erasmus Rot. Christophoro à Stadio, Episcopo Augustano,* S.

QVANDO coram non licet, in epistola digitis tuis descripta sacram istam dexteram osculatus sum, ornatissime Praesul. Sed multo reverentius osculatus sum pectus istud tuum pium, sincerum, & candidum, quod tuae licet perbreves spirant literae. Verum, idem mihi copiosius, velut in tabula quadam depictum, oculis animi subjecit *Augustini Marii* sermo, quem sane virum pietati tuae reverendae, quum innotuisse, tum placuisse non mediocriter gaudeo: quandoquidem hic ob eruditionem *Christianam*, ac morum singularem quandam humanitatem, candoremque, nulli bono non gratissimus est, sed nullo certiore pietatis argumento commendatus, quam quod pessimo cuique quam maxime invisus est. Is mihi quidem facile persuasit, quam paternum affectum, quae charitatis viscera gerat erga nos tua R. pietas, eumque sermonem cum minime vulgari mentis alacritate suscepi. Sed hoc gaudii abunde temperavit admixtus dolor atque etiam pudor, videlicet dum tuam istam de me existimationem, dum tuum istum favorem cum meis confero meritis. Et tamen meam pusillanimitatem utcunque consolor, tam integri, tam eruditi Praesulis judicio, sic mihi blandiens: non prorsus hallucinatur vir tam oculatus, nec verba dat tam integer. Hic Ecclesiae tumultus, supra quam credi possit, discruciat animum meum, non quod hic accuset me mea conscientia, sed quod doleat publica religionis *Christiana* calamitas: nam ipse primus omnium ac pene solus restiti suppullulanti malo, fuique vates nimio quam vellem verior, fabulam eam quantovis orbis applausu coeptam hunc habituram exitum. Ac prorsus eveniisse videmus quod in periculosis morbis partim inscitia Medicorum, partim intractabilitate laborantium solet, ut hucusque malum incruduerit, ut jam propemodum sit immedicabile. Atque interim orbis Monarchae sine fine conflictantur inter sese, & animis morem gerunt suis. Monachi fere suum agunt negotium, non *Jesu Christi*, nec hoc habent in votis, ut in animis hominum regnet *Christus*, sed ut ipsi suum regnum tueantur, praecipuam victoriae spem collocantes in tumultuosis apud populum clamoribus, ac procaci maledicentia, qua profecto quidam valent plurimum. Theologi



Digitized by Google

An. 1528. quidam odio *Lutheri* damnant, & illa quæ pie sunt dicta, nec à nobis reperta sunt, sed ab Apostolis & *Christo* prodita. Itaque per istorum stolidam improbitatem fit, ut multi hæreant in factione, qui fuerant alioqui recessuri, & accedant, qui non erant accessuri. Quem autem non moverunt, & hodie movent, lapidem, ut me tandem injuriis delassatum protrudant in castra *Lutheranorum?* Porro quum ipsa res loquatur, hanc tempestatem nobis immissam divinitus, à Deo nostris offenso sceleribus, quemadmodum olim *Ægyptiis* immisit ranas, locustas, & cyniphes, aliasque pestes: nemo tamen agnoscens sua commissa inclamat Domini misericordiam, sed sibi quisque blanditur, & alius in alium culpam rejicit. Si quæruntur occasiones humanæ, nihil est facilius quam indicare per quos hoc malum ortum est, per quos incruduit. Jam audio multis persuasum, ex meis scriptis exstitisse totam hanc Ecclesiæ procellam: cujus vanissimi rumoris præcipuus auctor fuit *Hieronymus Aleander*, homo, ut nihil aliud dicam, non superstitiose verax. Ejusdem sententiæ videtur *Albertus Carporum* Princeps, *Aleandro* junctissimus, magis quam simillimus: at interim nullus exstitit vel *Lutheranus*, vel *Antilutheranus*, qui liquido vel unum improbatum dogma potuerit in libris meis ostendere, quum tot greges coorti sint hoc summo studio molientium: tantum adferunt affinitates, congruentias, scandala, suspiciones, interdum splendida mendacia: neque raro fit, ut quod carpunt non legerint, aut si legerint, non intelligant: quasi quicquam omnino tam circumspecte scriptum sit, ut his rationibus non trahi possit ad calumniam, si accedat interpres iniquus, vel æquum sit me hæreticum judicari, quod ipsi nec *Græce* nec *Latine* didicerunt. Quod loquor, non esse vanum ex Apologiis meis tua prudentia potuit cognoscere. Sed quo sit quod rideas, addam quod nuper accidit in *Hispania: Madriti* Medicus quidam nomine *Xuares*, utriusque literaturæ peritissimus, nobis favet: ad hunc *Dominicani* subornarant quendam sui gregis, qui hominem à lectione meorum voluminum deterreret: quum nihil proficeret, tandem pronunciavit meos libros indignos qui legantur à piis, quod obscœnissimis convitiis adspergant Ecclesiæ proceres. Id ut ostenderet, jussit proferri libellum *De matrimonio Christiano*, in quo dicebat Episcopos à me vocatos *draucos*, & notatos quod haberent quatuor aut quinque concubinas. Prolatus est liber, ostendit locum, qui sic habet, *Qui imprudens duxit corruptam pro virgine, dicitur divisisse corpus suum: & qui cum tot meretricibus habuit consuetudinem, non divisit corpus suum, sed tanquam purum putus, &, ut Graci dicunt, τέλιον recipitur ad quatuor aut quinque, si libet, Episcopas.* Primum mirari Medicus, mox ridere cœpit hominis stoliditatem. *Purum putum* Veterum leges vocabant, quod vehementer esset purum: *putum* enim *purgatum* sonat, unde & putare vitem dicimus, & putamina repurgamenta. Atqui *Hispani* cum *Italis* vulgo *putum* appellant *puerum obscœni obsequii.* Deinde quoniam *Episcopatus*, nec *Græca* vox est, nec *Latina*, malui dicere *Episcopas*, qua voce usus est *Paulus*, *Qui Episcopatum desiderat*, &c. Ἐπισκοπήν. At ille putabat *Episcopum* & *Episcopam* dici, quemadmodum dicimus, *dominum* & *dominam.* Quid stupidius? Et tamen hunc *Dominicani* suspicere ut hominem eruditum. Atque hujus farinæ sunt fere omnes, qui publice simul ac privatim debacchantur in nomen *Erasmi*, tanta pervicacia, ut nec Cæsar, nec Archiepiscopi, *Toletanus* & *Hispalensis*, quos habeo pro sua æquitate satis faventes, potuerint illos compescere. De me levis est jactura, quicquid est mearum lucubrationum prorsus exstinctum velim, si sciam ex his impietatem hauriri. Illud doleo, talibus belluis velut atlantibus fulciri domum Dei. Ex his, quæ offert tua benignitas, agnosco præcipuum quoddam animi in me tui studium, & omnino gestio hinc aliquo avolare, sed alligat afflictissima valetudo. Cæsar invitat in *Hispaniam*; *Ferdinandus Viennam*; *Margareta* in *Brabantiam*; Rex *Anglus* in *Angliam*; *Sigismundus* in *Poloniam*; *Franciscus* in *Galliam*, & obtulerunt satis ampla salaria, quæ ut dare possunt, utinam ita possint dare juventutem ac valetudinem prosperam. Hæc scripsi occupatissimus ex tempore, quæ vereor ut legas, quo vel hoc argumento cognoscas, me quæ de tua singulari humanitate prædicavit *Augustinus Marius*, toto pectore credere. Dominus *Jesus* tuam Amplitudinem reverendam servet incolumem. Datum *Basilea* 26. Augusti, Anno 1528. An. 1528.

## EPISTOLA DCCCCLXXII.

*Erasmus Roterodamus Andreæ Critio Episcopo Phocensi* S.

HABET hoc literarum tuarum genius, ornatissime Præsul, ut omnem ab animo meo mœstitiam dispellant, & alacritatem quandam adferant. Nec obscura est causa: spirat enim in illis animus iste tuus unice candidus & amicus. Astrologi quærunt in cœlis prospera & adversa sydera. Magi bonis ac malis geniis attribuunt, si quid feliciter secusve obtigerit. At ego magis arbitror fatum hominis in hominibus esse: quosdam enim videmus in quorundam perniciem veluti natos. Hic erat adhibendum astrolabium, ut resiliamus ab inauspicatis hominibus, jungentes nos benignis & amicis. Quod ita debacchantur in me, quos ego laboribus meis non mediocriter juvi, neminem læsi; primum demiror hominum stolidam impudentiam, quos toties victos non pudeat sui: nec ullum faciunt calumniandi modum, quum videant se nihil aliud proficere, quam quod suam malitiam, cum pari stoliditate conjunctam, magis ac magis traducunt, jam plus satis orbi notam. De me levis est jactura. Illud ex animo doleo, talibus atlantibus niti Ecclesiam, imo tales vomicas ferendas, atque etiam alendas populo *Christiano*. Plane sici sunt oculis incumbentes. Me sic consolor, ut exiftimem Deum his afflictionibus purgare me velle, si quid forte inanis gloriolæ subrepsit animo meo. Age, *Dominus est*, *faciat quod bonum videtur oculis ipsius*: plus enim videt quam nos. Pro vestro in me studio, non me clam est quantum debeam: quod quoniam judicio facitis, non ego solus debeo vobis, sed & religio *Christiana*, & bonæ literæ, quibus juvandis pro mea quantulacunque portione desudo. Nepos tuus *Andreas Zebridovius*, mecum sub eodem tecto degens, eadem utens mensa, mihi commodum & jucundum præbet convictorem; cujus commodis utinam tantum adjungere possem, quantum & debeo, & cupio. Attamen quod per valetudinem & iniquissimos labores, quibus distringor, licet, non desum officio meo. Commonstro viam, addo currenti licet stimulos, nonnunquam & colloquiis exerceo. Navat strenuam operam in utriusque literaturæ stadio, ut bona spes sit eum vobis talem rediturum, qualem pariter optamus. Habet ad literas hortatorem me, sed multo magis frugalitatis magistrum, adeo tenui frugalique victu à nobis accipitur. Me vero sic observat ut parentem, ac magnam tædiorum partem adimit mihi comi jucundaque sua consuetudine. De munere mihi narravit qua occasione perlatum non sit. Verum ego sic interpretor, te mihi preciosum misisse munus, qui mihi nepotem chariffimum miseris, utinam æque illum non pœniteat hujus profectionis, ac me non tædet illius convictus. *Ungaria* calamitatem doleo, quanquam *Bernardus* Episcopus *Tridentinus*, *Ferdinandi* Regis summus Cancellarius, mihi nuper scripsit res adeo succedere feliciter, ut plane liqueat adesse numen propitium. Sed quæ pars hodie non concutitur bellicis tumultibus? Et in dies increscunt iræ Monarcharum, nec agnoscimus iratum nobis Deum. Pontifex dicitur esse *Nicea*, ea est *Sabaudiæ* civitas maritima: ajunt enim moliri concordiam inter *Gallos* & Cæsarem. Utinam hic saltem sit summus Pontifex, vel, ut melius dicam, Optimus Maximus. Sed *Julio* ad bella

Digitized by Google

An. 1528. la provocanti facile obtemperatum est, vereor ne non perinde mos geratur huic ad pacem hortanti, si tamen hoc agit quod jactatur. Epistola, quam Regi *Sigismundo* scripseram, excusa typis, haud mediocrem invidiam mihi conflavit in regia *Ferdinandi*, ob unam voculam, quod *Joannem* nominans addiderim *Regem*, quam tamen in literis meis esse nesciebam, nec eram crediturus esse, nisi consuluissem archetypum. Jam quosdam mihi substomachari sentio, quod passim detester hæc bella, ad pacem adhortans. Nimirum hoc deerat malis nostris, ut in tanta calamitate ne gemere quidem liceat. Ut ad *Getam* tuum veniam alio munere feriendum, illud metuo, ne si consilescat hæc rerum tempestas, duplicentur quas vocant *annatas*, quas in triennium impetratas urgent sine fine, magno Ecclesiarum gravamine, tum ipsius etiam malo, cui hæc deciduntur. Tranquillius enim ac decentius ageret, si non haberet unde aleret satellitium & armatas copias. Sed dum Episcoporum fere suum quisque negotium agit, parum habetur utilitatis publicæ ratio. Verum hujusmodi multa defert rerum humanarum torrens, quæ reprehendere proclivius est, quam corrigere. Regi scribam, sed paucis, quem ut ad hanc benignitatem oratione tua excitasti, ita non gravaberis meo nomine gratias agere, si meis scriptis parum assequutus sum vel muneris magnitudinem, vel animum meum. Dominus Amplitudinem tuam servet incolumem, ornatissime Præsul. Datum *Basilea* 26. Augusti, Anno 1528.

## EPISTOLA DCCCCLXXIII.

*Erasmus Roterod. Sigismundo Poloniæ Regi* S.

IN tot sudoribus, quos præter valetudinis atque ætatis sortem sustinemus, in tot molestiis ac tædiis, quibus hinc atque hinc tundimur, non mediocre solatium nobis attulit tuæ Majestatis epistola, *Sigismunde* Rex cum primis inclyte, tota spirans, & admirabilem quandam humanitatem, & haud mediocrem erga nos favorem. Etenim, ut, auctore *Solomone*, *Indignatio Regis nuncii mortis sita*, secundum ejusdem sententiam, *in hilaritate vultus Regis, vita*. Eum vultum hilarem, ac benevolum, tuæ mihi literæ exhibuerunt. Quanquam autem in me nequaquam agnosco dotes, quæ tuo erga me favori respondeant, tamen, ut ingenue fatear, juvat interim laudari à Rege laudatissimo, meæque, qualis qualis est, industriæ stimulos addi. Equidem mihi videbar abunde magnum officii mei fructum recepturus, si tua Majestas boni consuluisset audaciam nostram: nunc eam video felicissime cessisse, quippe per quam factum est, ut istam vere regiam tum humanitatem, tum pietatem, quas multorum prædicatione cognoveram, experimento compererim: humanitatem quidem, qui tam amanter sentias de *Erasmo*, tamque gravi testimonio nostram mediocritatem ornare dignatus sis, idque testimonium non modo literis amantissime scriptis, verum etiam amplissimo munere proditum & confirmatum esse volueris: Pietatem vero, quod omnem regni tui felicitatem, nec viribus, nec consiliis tuis arroges, sed divinæ tribuas bonitati. Quis vocem tam piam, tam *Christianam*, non exosculetur, à tanti Regis pectore profectam? Vere scripsit *Salomon*, *Cor Regis in manu Dei est, & quocunque voluerit inclinabit illud:* sed ea demum vera laus bonorum Regum est, si ipsi vicissim inclinent cor suum Deo, Regum omnium Regi, semper ab illius nutu pendentes, sine cujus auspiciis nihil efficit hominum conatus, & omnes actiones suas ita componentes, ut qui sciant, meminerintque, sese, quicquid gerunt, coram illius oculis gerere, qui judex est non minus Regum quam plebejorum. Verum ista *Christiana* tua modestia, Rex inclyte, non perdis laudes tuas, sed eas potius tibi facis proprias, perditurus, nisi agnosceres cui debeatur omnis gloria. Nihil vere prosperum, nihil felix dici potest, quod non fortunarit ille totius felicitatis auctor. Optimis avibus, secundissimis auspiciis geritur, quicquid ad illius geritur præscriptum, qui dixit, *Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt: per me Principes imperant, & potentes decernunt justitiam.* Dixit autem hoc æterna Sapientia, qui est Filius Dei. Quid autem præscribit Sapientia Regibus? *Misericordia*, inquit, *& veritas custodiunt Regem, & roboratur clementia thronus ejus.* Misericordiam præstat in sublevandis oppressis, veritatem in integre judicando, clementiam in temperanda legum severitate. Ea prima Regum est functio, quam etiam jurejurando solent profiteri quum Principatui inaugurantur, opitulari viduis, succurrere pupillis, & ab omnibus, per injuriam oppressis, vim depellere. Veritas autem duas habet comites, sapientiam & constantiam. Sapientia illuminat oculos, quibus perspicitur quid rectum sit, quid secus, quid utile Reipublicæ, quid contra. Constantia præstat, ut animus, omnibus superior cupiditatibus, nec ira, nec amore, nec odio dimoveatur ab honesto. Clementia necessariam severitatem lenitate temperat. Lex enim æqua præscribit omnibus, at non omnibus omnia congruunt: hæc publici juris moderatio, quam æquitatem vocant, à pectore regio velut ab oraculo petitur. Siquidem recte dictum est à sapientibus viris, Regem esse vivam legem. Lex paucíloqua est, at infinitæ sunt rerum & personarum circumstantiæ. In his igitur Rex pro lege loquitur, nec aliud tamen pronuntians, quam lex ipsa diceret, si nobis ad omnia respondere posset. Clementia est non statim bellum suscipere, quum data est belli causa, sed nullam rationem intentatam relinquere, si res absque bello componi queat: & interdum consultius est dissimulare injuriam, quam armis persequi. Clementia est, si bellum nulla ratione vitari possit, ita gerere, ut & quam minimo sanguinis humani dispendio fiat, & quam celerrime finiatur. Hanc sapientiam, quæ secum omnia bona defert, orabat *Salomon*, ut suo throno semper assisteret, fidissima certissimaque consiliaria. Tale quiddam & à Veteribus quasi per nebulam visum est: legimus enim *Ægyptios* literis hieroglyphicis ita solere Regis imaginem exprimere, ut sceptro adderent oculum: sceptro rectum, integrum, & inflexum animum indicantes; oculo prudentiam, quæ commonstrat, quid honestum, quid contra. Easdem virtutes aliis symbolis commendabant, summo sceptri fastigio imponentes aquilam, imo hippopotamum: aquila perspicientiam ac humilium rerum contemtum significantes; hippopotamo ratione compressam iram ac feritatem: est enim hoc animal indomitum ac ferum. Nec enim potest rectitudo consistere, nisi adsit animus vere sublimis ac perspicax, superior omnibus humanis affectibus, qui rationi solent obstrepere. Hæ dotes quum in te reluceant, *Sigismunde* Rex invicte, ita demum vere tuæ sunt, si eas, ut facis, Deo transscribas, unde fluit quicquid in nobis est boni. In corporalibus bonis nostrum esse desiit, quod alteri transscripsimus: in animi bonis contra fit, vere nostrum incipit esse, quod Deo tribuimus. Sed longius feror, quam epistolæ modus patitur. Superest orare *Christum* Opt. Max. ut hæc sua dona tueatur in te, semperque novis successionibus augeat, cunctisque Principibus eandem mentem inspiret: ut illis inter se concordibus & cœlestis sapientiæ consilio, quæ Reipublicæ salutifera, quæque *Christo* placita sunt decernentibus, tandem hæc rerum humanarum tempestas aliquando vertatur in tranquillitatem. Favorem, quem præter meum meritum tam benigniter offert tua clementia, lubens amplector, habeoque gratiam quantam possum maximam. Quid autem vicissim pollicear non invenio, nisi animum memorem & gratum: & si quid ab infimo mancipio Regi potentissimo præstari potest obsequii. Dominus *Jesus* bene fortunet omnia tua consilia. *Basileæ* 28. Augusti, Anno. 1528.



Digitized by Google

## EPISTOLA DCCCCLXXIV.

*Eraſmus Rot. Jo. Epiſcopo* S. D.

An. 1528. ORNATISSIME Præſul, *Quirinus* meus reddidit abs te duas epiſtolas, quarum altera recinis veterem cantionem de querelis quorundam Theologorum, quam admonitionem ſcito mihi longe gratiſſimam fuiſſe, quippe quam perſpiciam ab amantiſſimo pectore proficiſci. Quod me tua pietas hortatur ad exemplum *Auguſtini*, id jam pridem ultro facio, delens aut corrigens quicquid deprehendero corrigendum, quum *Auguſtinus* poſt editas Retractationes multa reliquerit ſimpliciter hæretica, ſi quis ea nunc velit tueri. Et ſunt tam varia mortalium judicia, ut vix invenias tres ejuſdem ſententiæ: quoſdam autem videas tam perverſo judicio, ut ſi illos in conſilium adhibeam, optima quæque & ad pietatem inprimis conducibilia ſim deleturus. Ad articulos, quos ab illis objici ſolitos recenſes, póſſem ſimpliciter reſpondere, nihil eſſe tale in *Colloquiis* meis, nec ullos pueros fieri deteriores illorum lectione. Sed iſta ſunt commenta quorundam, quos ad nihil aliud dicas natos quam ad calumniandum. Quod tamen in ordinis contumeliam rapi nolim. Sed in rebus humanis nullum eſt corpus, quod non ſuas habeat vomicas. Hactenus exercuerunt tyrannidem in ætatem rudem ac ſimplices idiotas, nunc hoc urit eos, quod juventus aliquid diſcit, quod ipſi neſciunt. Hinc illæ lachrymæ. In *Colloquiis* meis adeo nihil eſt obſcœnum aut laſcivum, ut caſte tractent etiam illa quæ natura laſciva ſunt: velut in Colloquio *Proci* & *Puellæ*, *Scorti* & *Adoleſcentis*: & hoc arbitror ubique à me diligentiſſime cautum, ne quid tenera pubes è ſcriptis meis hauriat laſciviæ. De peregrinationibus obſecro quid doceo, niſi ut in his ſuperſtitionem fugiant homines, qua mundus undique plenus erat uſque ad inſaniam, majore lucro ædituorum quam pietatis? Confeſſionem approbant *Colloquia*, frementibus iis qui ſe venditant Euangelii titulo. Ridetur ibi quidam miles, ſic adiens confeſſionem, ut fere ſolet vulgus: nec aliud illos offendit, niſi quod alicubi dico, confeſſionem, quæ fit Deo, præcipuam eſſe: & ſubindicat adoleſcens, hanc ab hominibus inſtitutam, non tamen aſſeverat. Loquor autem de hac forma confeſſionis, quæ nunc in uſu eſt, quam nuſquam non probo. Eam à *Chriſto* inſtitutam fuiſſe nec eſt veriſimile, nec quiſquam adhuc docere potuit: ſi quis doceat, me quidem habiturus eſt applauſorem. Quam tamen interim ita doceo ſervandam, quaſi *Chriſtus* inſtituerit. In libello *De modo confitendi*, non hoc ago, ne confiteamur, ſed ut utiliter confiteamur. Id efficere non poteram, niſi propoſitis quibuſdam incommodis, quæ non adſcribo confeſſioni, ſed vitio confitentium & audientium. Jam quum totus mundus plenus ſit fabularum de flagitiis ac ſceleribus, quæ ſub umbra confeſſionis admittuntur, indignantur mihi quod moderatiſſime quædam attigerim: nec reputant, quam multa pudore *Chriſtiano* ſiluerim ejus generis, ut vel ſola commemoratio poſſet lectoris animum inficere. Verum Monachi complures non amore pietatis urgent hanc confeſſionem, ſed quod hinc auferant luculentam meſſem, dum regnant in ædibus divitum, quorum ſecreta norunt, dum adſunt morientibus, dum arrodunt teſtamenta. Conſiderent lernam malorum, quæ hactenus orta eſt ex confeſſionibus, & mirari deſinent, ſi quid admonui de recte confitendo. Conſiderent item quanta fuerit ſuperſtitio in cultu Divorum, quanta peſtis ex ceremoniis humanis, & videbunt noſtram admonitionem maxime neceſſariam fuiſſe. Gratiſſimus Divis cultus eſt, ſi quis illorum vitam imitetur, tametſi à nullo certius exemplum vitæ petitur, quam ab ipſo *Chriſto*. Ad verum cultum provoco. Sed ſuperſtitioſus cultus iſtis erat utilior, & hinc vociferatio. Eccleſiaſticas ceremonias, nec ibi, nec uſquam damno, ſed quomodo illis utendum ſit indico, & ad meliora provoco. Hoc idem ſi docet *Chriſtus*, ſi beatus *Paulus*, ſi pium & ſanctum eſt, cur in me clamatur? An. 1528. At quidam clamant, Quis neſciebat in ceremoniis non eſſe conſtituendum finem pietatis? Imo quis neſcit totam religionem hactenus fuiſſe redactam ad ceremonias, ac vigorem illum Euangelicum fuiſſe per eas propemodum antiquatum? Verum, id erat utilius ad quorundam dignitatem & quæſtum. Sed *Chriſtus* aliud ſitit lucrum, cujus dignitatis oportet primam eſſe rationem. Commendent ſe vera pietate, quæ ſi abſit, ceremoniarum pompa quid aliud eſt, quam hypocriſis? De delectu ciborum abunde reſpondi *Natali Beddæ*, ſi quid pudoris eſſet in homine. Nullus eſt vere pius, quin ſi rem attente conſideret, mallet in his rebus obligationem verſam ih exhortationem: ut nunc quidem ſunt tempora, minus eſſet laqueorum, & plus eſſet ex animo jejunantium, maxime ſi in vita ſacerdotum reluceret exemplum abſtinentiæ temperantiæque *Chriſtianæ*. In *Gallia*, ut ſcribunt, duo periclitantur, non ob aliud, niſi quia duobus Quadrageſimæ diebus comederunt carnes, coacti morbo. Vide quid faciunt ceremoniæ, nimirum ut ob hominum conſtitutiones violemus præcepta Dei, levius ducentes parricidium, quam præterire conſtitutionem Pontificum: quanquam hoc nullus Pontifex vetuit, ne ægrotus ea ſumat quæ poſtulat valetudo. Immodicam feſtorum multitudinem non ego ſolus improbo, præſertim quum hodie nullis diebus plus peccetur quam feſtis. Moderata feſta valde probo, ſed ea velim ſacris rebus, quibus inventa ſunt, non voluptatibus & ſceleribus dari. Non pendet hodie religio *Chriſtianorum* à miraculis, nec obſcurum eſt quot opiniones invectæ ſunt in orbem per homines ad ſuum quæſtum callidos, confictorum miraculorum præſidio. Quæ ſunt in ſacris Literis tanto firmius credemus, ſi non quibuslibet hominum fabulis crediderimus. Atque adeo jam nunc exoriuntur qui vetus artificium revocant. Alibi viſum eſt ſpectrum, quod à presbytero flagitaret abſolutionem, quia citra confeſſionem deceſſerat, non quod deeſſet voluntas, ſed quod negata fuiſſet ſacerdotis copia. Quid hic diſcimus, niſi abſolvi poſſe qui non confitentur, & poſt hanc vitam opus eſſe presbytero iis, quibus volentibus defuit confitendi facultas? Alibi parochus quidam ſub diem Paraſceves clam immiſit in cœmeterium vivos cancros, affixis ad latus cereolis ardentibus; qui quum reperent inter ſepulchra, viſum eſt noctu terribile ſpectaculum, nec quiſquam auſus eſt accedere propius. Hinc rumor atrox. Conſternatis omnibus, parochus è ſuggeſtu docet populum, has eſſe defunctorum animas, quæ Miſſis & eleemoſynis flagitarent à cruciatu liberari. Fucus ita proditus eſt, reperti ſunt tandem unus & alter cancer inter rudera, facem exſtinctam geſtantes, quos parochus non recollegerat. Idem aliud machinatus eſt. Convivebat illi neptis, mulier bene nummata: in hujus cubiculum profunda nocte ſolet irrepere, lineo involucro umbram mentiens. Emittebat voces ambiguas, ſperans fore ut mulier accerſeret exorciſtam, aut ipſa loqueretur. Verum illa nimis maſculo animo, clam rogavit cognatum quendam, ut unam noctem ſecum eſſet tectus in cubiculo. Ille vero fuſte armatus pro exorciſmis, ac probe potus, quo minus expaveſceret, occulitur in lecto. Adeſt ſpectrum ſolito more, neſcio quid triſte mugiens. Excitatur exorciſta: proſilit nondum ſobrius, aggreditur; ibi ſpectrum voce geſtuque deterrere parat. At ebrius ille, Si tu es, inquit, diabolus, ego ſum mater illius, & correptum impoſtorem fuſte dolat, occiſurus, ni mutata voce clamaſſet, Parce, non ſum anima, ſed ſum dominus *Joannes*. Ad vocem agnitam, mulier exſilit è lecto, pugnamque dirimit. Hæc præludia. Equidem ut ſemper pium exiſtimavi pro defunctis vel orare, vel ſacrificare, ita talibus terriculamentis haud ſane multum tribuerim, etiamſi fucus abſit, qui vix unquam ſolet abeſſe. Certe *Chryſoſtomus* putat hæc omnia dæmonum eſſe ludibria. Jam

ſi

An. 1528. si juventus propensior est ad istarum rerum neglectum, quas nos non negligi, sed sanctius observari cupimus, quin potius hoc haurire creduntur ex libris ac sermonibus *Lutheranorum* quam ex meis lucubrationibus? Denique quum his temporibus exulcerata sint omnia, quis possit tam circumspecte quicquam scribere, quod non ab aliquibus rapiatur in occasionem blandiendi suis cupiditatibus? Multa delenda sunt ex sacris Literis, si paramus tollere quicquid multis fuit occasio mali. Proferat aliquis unam sententiam male *Christianam* ex omnibus libris meis, primus eam jugulabo. Theologi quidam aliquot loca damnarant, privatis duntaxat judiciis, sed ea omnia fuerunt ejus generis, ut aut non intellexerint, quod à me fuerat scriptum, aut attulerint insignem calumniam. Nonnullas Euangelicas sententias ex *Paraphrasibus*, velut à me dictas, improbarunt. Quot mendacia demonstravi in libro *Beddæ*, quot calumnias, quot delirationes? Perfricant faciem, & perinde, quasi nihil responsum sit, pergunt facere quod faciunt. *Faustinas* elegias, & *Poggii* facetias in omnem linguam versas, atque adeo priapeias obscœnitates per istos licet prælegere pueris: *Colloquia* mea, linguæ puerorum expoliendæ paratum opus, & *Encomium matrimonii*, thema fictum, & in exemplum declamatoriæ scholæ tractatum, ferre non possunt, nec ullam gravem causam adferunt cur id faciant. Ad auctoritatis ac turbæ præsidia confugitur. Prætexitur sacratissima facultas, & alma universitas, quasi nesciamus quibus technis soleant interdum ejusmodi senatusconsulta condi. Plus ubique valet quorundam improbitas, quam cæterorum integritas. Dux aliquis, & choragus talium fabularum, habet sibi juratos aliquot, horum quisque trahit quoscunque potest, prece, precio, pudore, vi. Et huic gregi forte contigit Rector, qualem optat: quæritur tempus idoneum, curatur ut adsint quos vel assensuros, vel certe cessuros, putant, exclusis his, quorum judicia sciunt honesto servire potius quam hujus aut illius pravæ cupiditati. Ita fit edictum ipsis bonum atque commodum. Reliqua transiguntur per juratos amicos & Rectorem adscititium. Euge, sic vincit pietas, sic triumphat Ecclesia catholica. Quin & Principum ac Pontificum auctoritate, ad opprimendas hæreses data, abutuntur ad ultionem privati doloris, & ad obruendas literas quascunque ipsi non didicerunt, idque præter Monarcharum ac Pontificum mentem votumque: quibus hoc propositum est, ut qui legitime convicti sunt impietatis, *Christiana* lenitate sanentur, si modo sanabiles sunt, nec nisi tentatis omnibus veniatur ad extremum supplicium, maxime quum hoc fatale malum tam late se sparserit. Cæterum iis, qui rectioribus studiis in lucem revocandis, qui bonis Auctoribus vel à situ, vel à mendis asserendis, quique mentibus hominum ad sinceram pietatem inflammandis sedulo navant operam, honorem etiam & gratiam haberi volunt, sicuti complures non habent solum, verum etiam referunt. Verum, istos hoc male habet, quod scholasticæ subtilitates minoris fiant quam solent. Quid autem obsecro est in rebus humanis perpetuum? Olim nullæ erant Theologorum scholæ, & *Augustinus* habebatur inexpugnabilis dialecticus, quod legisset *Categorias Aristotelis*. Tandem res Theologica pervenerat ad summum, ne dicam ultra summum, Scriptura sacra cum vetustis Auctoribus frigebat. Nec *Petri Lombardi* Collectanea legebantur, nisi à pauciſſimis. Bona pars ætatis sophisticis & non necessariis quæstiunculis terebatur. Nunc alio se vertit scena rerum humanarum, & isti mordicus tenent assueta, debacchantes in omnia, quæ non didicerunt. Monachis quis nescit deberi plurimum honoris? Sed da vere Monachos, non deerit honos. Verum ubi sunt isti, aut quid habent præter vestem & rasuram? Excipio perpaucos, nam nullos dicere religio est. Obsecro te, vir pietatis amator, obambula per tuæ regionis monasteria, & vide quantulum illic inventurus sis veræ *Christianæ*que pietatis, quantulum sacræ eruditionis, quantulum vigoris spiritalis, præsertim apud eos, qui se vocant *Mendicantes*. Apud nos vero tyrannidem etiam mirificam obtinent. Etiam atque etiam mihi testandum est, hæc non dici in ordinis cujusquam contumeliam, sed in eos, qui de suis ordinibus pessime merentur. Perspiciunt quas ob causas sint invisi pluribus, nec tamen ea corrigunt, sed improbitate, violentia & conspiratione contendunt vincere. Utinam tibi tantum esset ocii, ut ea legeres, quibus respondimus *Beddæ*, & Monachis *Hispanicnsibus*; videres ob quam frivolas nugas quantos excitarint tumultus. Nec quicquam illos pudet insciticæ, vanitatis, calumniæ, malitiæ. Ita conspirarunt, Clamemus omnes apud populum, quicquid in sceleratissimum hominem dici potest; ne sileamus in conviviis, in secretis confessionibus, in arcanis colloquiis, apud aulicos, summos & infimos, præsertim idiotas, qui libros *Erasmi* non possunt legere. Illud inprimis caveamus, ne quid illius vertatur in linguam popularem, nam ea res illico proderet nostra mendacia. Ita nimirum vincemus. Quid istis animis malitiosius? & hæc est Monachorum pietas. *Augustinus* dicit nusquam rectius vivi quam in monasteriis, nusquam periculosius errari, & tamen loquitur de his, qui nullis adstricti votis, duntaxat perpetuis, simul vivebant: Quid nunc diceret, si videret multa monasteria, quæ nihil differunt à publicis lupanaribus: quid de Monacharum multis collegiis, in quibus nihil minus reperias quam castitatem? De nostratibus monasteriis loquor. Et in his, quæ commendantur observantiæ nomine, Deum immortalem, quam rari sunt in quibus animadvertas sinceritatem *Christiani* pectoris! Et tamen ædificamus quotidie nova monasteria. Ac me sibi fingunt hostem, si superis placet, quum in omnibus scriptis meis nihil aliud agam, quam ut ad veram exhorter religionem. Quæ si illis tam cordi est, quam volunt videri, quî fit, ut non amplectantur nostram operam? Per horum stoliditatem, improbitatem, cum pari malitia conjunctam, prospicio futurum, ut hunc tumultum, cui *Lutherus* dedit exordium, excipiat alius tumultus multo etiam gravior, ni Principum & Episcoporum auctoritas in tempore vigilet. Jam nunc erigunt capita *Dominicani* quidam & *Francisceani*, per quamvis occasionem sævientes in eos, quos oderunt; oderunt autem omnes qui favent melioribus literis & sinceriori pietati. Nuper in *Gallia* conjecerunt in carcerem tres, quorum unus erat exurendus, ni Principis æquitas illum sublevasset, causa *Lutetiam* rejecta. Crimen exspectas. Ædificabatur illic regali sumtu monasterium. Is, alioqui ab omni *Lutheranismo* alieniſſimus, dixerat, Hi sumtus fortassis rectius collocarentur in orphanos, viduas, & pauperes. Hoc dicto Monachorum læsa majestas depoposcit hominem probum ac doctum ad incendium. Jam faces erant in manibus, jam exstructus rogus, jam sententia definitiva pronunciata. Capti sunt alii duo, gravem ob causam scilicet. Morbo coacti duobus Quadragesimæ diebus vescebantur carnibus, nec id inficiantur. Hæc sunt præludia monasticæ tyrannidis, quæ nisi cohibeatur, quid tandem futurum esse divinandum est? Vates enim optimus, vir prudens. Erumpet populi dolor in atrociorem tempestatem. Soli *Mendicantes*, quosdam improbos, inquam, noto, non ordines, fuere fons & caput totius hujus mali; nec conquiescet mundus, donec illi redigantur in ordinem, quod ut fiat in ipsorum quoque rem est: quin hoc ipsum si non major, certe melior Monachorum pars exoptat. Violentum est tollere monasteria, quod aliquot locis tentatum est: illud potius agendum est, ut monasteria scholæ sint sobrietatis, pudicitiæ, modestiæ, veræque pietatis. Quibus id rationibus fieri possit alias indicabitur: nunc in transcursu illud attingam modo, Monachorum dignitati rectius consultum iri, si legibus oppositis vetarentur, pueros ac puellas blanditiis aut terriculamentis ad suum institutum pellicere: si quos constaret arte pertractos, iis auctoritate Præsulum redderetur libertas, & ad pœnam

An. 1528.

Digitized by Google

An. 1528. nam vocarentur plagiarii. Præterea si professis viris pariter ac mulieribus prospiceretur, ut essent viri graves & integri, qui illos pabulo doctrinæ cœlestis alerent, neque quisquam sineretur inotio vivere: nec mediocriter conduceret ad Ecclesiæ concordiam, ut, si qua fieri possit, titulorum, vestium, ac rituum tam immensa varietas tolleretur: satis erat vestitum esse vilem ac simplicem, ac vultus potius moresque compositi Monachum testarentur, quam amiculi color aut forma. Ad hæc si resignatis diplomatibus, quibus adversus Monarchas, Episcopos, Magistratus & populum, imo verius adversus semetipsos supra modum armati sunt, agnoscant Episcopos suos, quemadmodum fecerunt ac voluerunt illi, qui Proceres & auctores ordinum fuere. Verum de his alias copiosius. Nunc eo revertor unde digressus sum. Si quid corrigendum est, adhibeatur ea moderatio, quæ *Christianos* decet, quamque præstitisse videmus priscos illos, quorum erudita pietas cum tot hæreseon cuneis feliciter depugnavit. Quid autem effectum iri credunt, stolidis tumultibus, malitiosis syncretismis, virulentis obtrectationibus, scurrili impudentia, plusquam militari improbitate, manifestis mendaciis? Non solet Ecclesia, *Christi* columba, malitiam vincere malitia, neque stultitiam stultitia, neque impietatem impietate, sed malum bono vincere didicit. De animo meo nemo potest ambigere. Poteram in *Lutherana* ecclesia esse coryphæus, malui totius *Germaniæ* in me concitare odia, quam ab Ecclesiæ consortio discedere: poteram novæ factionis auctor esse, nullum discipulum mihi paravi, sed quoscunque potui *Christo* tradidi, condiscipulos habere malens quam discipulos. Fortunam nullam ambio, quum jampridem inviter undique à summis Principibus, iisque non paucis. Videar hoc insolentius dicere, modo sciant verissime dici. Persevero in tenuitate mea, nec huic valetudini ac senectuti do rudem, à tam perpetuis & iniquis laboribus. Hæc declarant quantum abhorream ab hæresi. Sed offendunt quædam in scriptis meis. Verum, non attendunt quanto gravius offenderint illa, quibus medicandis adhibita est monitio. Quod scholasticam Theologiam ad Scripturarum fontes & ad Veterum lectionem revocare conatus sum, ut ingenue dicam, nondum me pœnitet, maxime quoties animo reputo, ad quam frivolas argutias ea fuerit prolapsa. Quod si volunt eam pristinæ dignitati restituere, ne id faciant in alios debacchando, sed exhibendo sobriam & *Christo* dignam Theologiam, sicut jam in scholis aliquot fieri cœptum est. Ut de Monachis quædam admonerem, ipsa me pietas & conscientia coegit, quanquam non parum dederim hic quoque religionis nomini, & verecundiæ *Christianæ*. Hi melius instaurabunt pristinam auctoritatem, si piis ac sanctis moribus declarent, se vere Monachos esse, quam si stolidis mendaciis scurrentur in famam alienam. Et si vere favent ordinum suorum dignitati, tales rabulas, quorum & dictis & factis cum primis dehonestantur, cohibeant, & ad eam se conferant sinceritatem, qua quondam sibi tantum orbis favorem conciliarunt. Breviter id sinceris studiis agendum est, ut in hoc rerum tumultu vincat *Christus*, eique soli paretur triumphus, non affectibus humanis, quos in utraque parte videmus victoriam ad se certatim rapere. Vincat Pontifex & Cardinales, sed si illorum animus spectat ad *Christum*: Vincant & Monachi si libet, si *Christi* negotium agunt. Quod si illi suam gloriam, suum ventrem, quæstum & regnum spectant, jam non militamus *Christo*, sed mundo: nec aufertur malum, sed transfertur: nec sanatur morbus, sed mutatur, fortassis in pejus. Quæ bene docuit monuitque *Lutherus*, sequamur, non quia ille monuit, sed quia recta sunt, & Scripturæ divinæ consentanea. Nunc periculum video, ne non corrigamur ad æqualitatem, sed, ut fere solet usu venire, deflectamus in diversum. Velut antehac non parum erat superstitionis in colendis Divis, nunc multum adjungent, quo longius absint à *Lutherano* dogmate. Atqui modus hic erat adhibendus, non excessus. Docendus erat populus, imagines nihil esse nisi signa, idiotarum animis data. Divos venerandos quidem, non adorandos latria quæ dicitur: perfectius esse tollere sursum animos ad *Christum* sine imaginibus corporeis, quam per imagines: perfectius esse à *Christo* petere, quicquid impetrare volumus. Tutius esse *Christum* nobis imitandum proponere, quam quemvis Divorum: Divos religiosissime coli benefactorum imitatione. In templo non convenire quaslibet imagines, sed in his modum & decorum esse spectandum. Ac ne longior fiam, si in cæteris omnibus non prorumperetur ad excessum, sed ad temperaturam, sperari poterat hujus tempestatis lætus exitus. Verum, hoc nunquam futurum est, nisi Principes & Ecclesiæ Proceres submoveant è consilio privatos affectus, nec alio spectent quam ad *Christi* gloriam, ac publicam *Christianæ* religionis utilitatem. Sic agentibus nobis adesset Deus, & hos tumultus verteret in tranquillitatem. Satis enim perspicuum est hanc rerum procellam non sine voluntate Numinis immissam fuisse terris, quemadmodum olim plagas varias inflixit *Ægyptiis*, ut resipiscerent. Consultissimum igitur fuerit, ut omnes ad Domini misericordiam confugiamus, & suam quisque culpam agnoscamus. Nunc alii in alios culpam rejicimus, suam agnoscit nemo; nec medelam quærimus malis, sed ultionem. Quod ad me pertinet, non admodum iniquo animo laturus sum, si omnes meæ lucubrationes obsolescant. Si nocent pietati, nec optarim supersesse: sin conferunt ad pietatem, sed ita visum est Deo, sive ob meam, sive ob aliorum culpam aliquam, ut intereant, fiat quod illi visum fuerit, qui non potest velle nisi quod optimum est. Ostendant aliquod dogma *Christianæ* pietati contrarium, nisi mox correxero, clament me parum esse *Christianum*. Quid autem faciam stupidorum, malevolorum & imperitorum suspicionibus, depravationibus, calumniis & mendaciis? Mentem meliorem illis optare possum, mederi non possum, utinam & hoc possem. *Christus* medebitur, quum illi visum fuerit. *Aldrisius* tuus multum laboris mea causa sumsit in conferendis exemplaribus, nec habeo quod illi rependam, tam procul semoto: rogo ut illi pro me rependat tua benignitas, quem tibi gratum esse vehementer gaudeo. Dominus *Jesus* servet te incolumem. *Basilea* 1. Septembris, Anno 1528.

An. 1528.

*EPISTOLARVM PARTIS PRIMAE FINIS.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google